HISTORIÆ FRANCORVM SCRIPTORES,

A PHILIPPO AVGVSTO REGE
VSQVE AD REGIS PHILIPPI DICTI PVLCHRI
TEMPORA.

TOMVS V.

HISTORIÆ FRANCORVM SCRIPTORES,

A PHILIPPO AVGVSTO REGE VSQVE AD R. PHILIPPI IV. DICTI PVLCHRI TEMPORA.

Quorum plurimi nunc primùm ex variis Codicibus MSS. in lucem prodeunt: alij verò auctiores & emendatiores.

CVM EPISTOLIS REGVM, PONTIFICVM, DVCVM, Abbatum, & aliis veteribus rerum Francicarum monumentis.

Opera ac studio Filij post Patrem FRANCISCI DVCHESNE, in Suprema Parisiensium Curia, & Sacro Consistorio Patroni, necnon Geographi, & Historiographi Regij.

TOMVS V.

LVTETIÆ PARISIORVM,

Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, Regis, & Reginæ Regentis Architypographi: ET GABRIELIS CRAMOISY. viâ Iacobæâ, sub Ciconiis.

M. DC. XLIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.

INTEGERRIMO VIRO

MICHAELI LE TELLIER,

DOMINO DE CHAVILLE,

REGI

AB INTERIORIBVS CONSILIIS,

ET A SECRETIS, IISQVE BELLICIS.

PERPETVAM Historiarum Gallici Imperij seriem à Parente inchoatam ipse eius ductu ac vestigiis prosecutus, & iam quintum tanti operis volumen publicæ luci daturus (VIR ILLVSTRISSIME) nihil consultiùs facere me posse existimaui, quàm vt ipsum sub clarißimi nominis tui præsidio ac

tutela in Orbis conſpectum prodiret. Quid enim rationi magis conſentaneum, quàm vt nobiliſsimam eruditionis partem, homini eruditione ſpectatiſsimo; antiquæ Galliæ noſtræ monimenta, viro Patriæ amantiſsimo; Regum denique ac Principum facta dictaque, arcanorum Regni conſiliorum participi fideliſsimo nuncuparem? Acceſsit etiam quòd eorum Principum vitam in hac noſtri operis parte repræſentaturum me tibi videbam, quam tum ingenio iucundiſsimam tuo, tum grauitati atque auctoritati accommodatiſsimam fore intelligebam. Habes enim hîc quatuor Principes, Regum decora lumina, & ornamenta Galliarum, Philippvm Avgvstvm, Lvdovicvm Octauum,

SANCTVM LVDOVICVM, PHILIPPVM eius filium: quorum ſimiles alios aliis ſuccedentes, non modò vlla alia gens, ſed ne ipſa quidem Gallia noſtra magnorum Regum fœcunda parens vnquam tulit. Quis enim è Principibus PHILIPPO illo AVGVSTO, aut animi excelſi atque inuicti magnitudine præſtantior, aut bellica fortitudine commendatior, aut rebus geſtis illuſtrior? Quis LVDOVICI Octaui, vt cætera taceam, pudoris ac caſtitatis, (quæ quidem & in claris Principibus rara virtus eſt) laudibus ornatior? Quis LVDOVICO Nono tum Regalibus omnibus, tum ſacris & Chriſtianis virtutibus abundantior? Quis PHILIPPO eius filio animi certi robore atque conſtantia, vnde & nomen traxit, in-

signior? Quanquam de LVDOVICO quidem Octauo, & PHILIPPO AVDACI, quos inter SANCTVS LVDOVICVS interpositus est, licèt claris alioquin per se Principibus haud quidquam magnificentius dici queat, quàm quod ille tanto filio pater, hic tanto patre filius dignus extiterit. Nam inter LVDOVICVM SANCTVM & cæteros Reges hoc maximè interest, quod ex iis vix quemquam reperias, in quo plurimarum quibus enituere virtutum splendor non aliquorũ vitiorum infuscetur vmbris, & quasi contagione polluatur. Vnus est LVDOVICVS, cuius in omni vita nihil occurrat dispar sui, atque dissimile, qui ad perfectæ cumulatæque virtutis apicem euectus, ita omnium hominum, omnium gentium

prædicatur vocibus, vt ſine exceptione prædicetur. Alius enim Regum in alio, hic in omni genere laudis excelluit. Quare pro ſingulari tua ſapientia cernis profectò (VIR CLARISSIME *) quanti referat, hoc tempore præſertim cùm Chriſtianiſsimi Regis noſtri magna indole tanta in poſterum ſpondens pueritia artibus ac litteris Rege dignis excolitur,* LVDOVICI *Ataui ipſius vitam veris ſcriptorum quorumcumque grauiſsimorum teſtimoniis expreſſam publicè exhiberi. Hæc eſt enim noſtrorum propria Principum gloria, quòd ad omnem regiam laudem non alienis, ſed domeſticis prouocentur exemplis, cùm ab eodem* SANCTO LVDOVICO, *à quo & inſignia Regni & vitæ ſpiritum ac-*

ceperunt, haurire ipſis omnia liceat Regiæ vitæ inſtituta, & documenta virtutis. Hinc diſcet Princeps Adeodatvs *quid Deo, quid ſibi, quid ſubditis debeat. Hinc ad omnia recta ſtudia ſtimulabitur atque accendetur, vt Regem præclariſsimum, quem & maieſtate & nomine refert, factis etiam animóque referat,* magnorum haud vnquam indignus Auorum. *Verè etenim dixerim, quod profectò meliùs per te intelligis (*Vir Sapientissime*) ad perfectam Regis vel inſtitutionem vel adminiſtrationem nihil requiri aliud, quàm vt in diuiniſsimi* Lvdovici *mores ac ſtudia mentis ſemper defigat oculos, eiúſque præceptis atque exemplis parere, quàm tot populis imperare ſibi glo-*

riosius fore putet. Viget enim ac spirat in eo germana illa quam olim in nominatissimo Opere Xenophon Cyro suo tantùm affinxerat, veri Principis effigies, non iam verbis adumbrata, sed factis expressa, viua moribus, non picta coloribus. Sed amore tanti Principis longiùs progredior, (VIR NOBILISSIME) & magis quem tibi prædicem, quàm te cui prædicem, attendere fortassè videor. Quanquam si hoc erratum est, ingenuè fateor, in illud non inuitus incurri. Cùm enim te à quodam nobili Græco diuersissimum alienas laudes lubentissimè, tuas ægrè ferre intelligerem, te omisso, atque iniecta Clarissimi Regis mentione singulari, modestiæ tuæ penè ad cæterarum tuarum virtutum iniuriam plusquam æquum fuerat, indulgere decreui. Hoc

tamen in illo consilio me recreat, quod quæ tui ornandi causa oratione commemorassem, ea multo clariùs videar commemorasse reticendo. Alij enim prædicent vt non casu aliquo aut repentina gratia, sed variis honoribus summa cum ingenii, eruditionis, integritatis, ac constantiæ laude perfunctus, gloriosæ memoriæ Rege LVDOVICO *XIII. auctore & iudice, ad summam illam dignitatem ab ea non honestandus demum, sed & eam decoraturus ascenderis. Alii tuam illam in rebus maximis sustinendis industriã, administrandis fidem, regendis prudentiam, exequendis vim atque constantiam obstupescant. Me certè in illo tuo splendore nihil magis rapit, quàm quòd in dissimili publicorum munerum genere tuî semper similis, ita ad summos ho-*

nores

*nores bonis omnibus gratulantibus es prouectus, ut iis semper superior esse viderere. Non te potestas (quod plerisque contigit) impotentẽ, non amplitudo fastidiosũ fecit: sed in excelso illo gradu non quòd multis præcelleres, sed quòd de multis benè mereri posses, felicem te ratus, inuidiam atque obtrectationem virtute & modestia vicisti. Quod superest igitur, (*VIR CLARISSIME*) quando simul & opinioni de te nostræ & pudori consulendum est tuo, hæc tibi Historiarum monimenta offerens, his quasi partes mandaui meas, ut in iis laudum tuarum tibi proponam imaginem, quam à me delineatam aures tuæ minùs ferrent. Hîc tibi quasi in speculo intueri licebit, quanto semper in honore fuerint Regiorum negotiorum administri tui similes, quid*

vtilitatis ab iis Reges, quid ipsi dignitatis ac præmiorum à Regibus acceperint, quæ illos & viuentes admiratio, & mortuos gloria consecuta sit. Quò maiorem in spem venio (VIR ILLVSTRISSIME) fore vt hoc à nobis dicatum tibi munus non grauatè accipias, quòd eadem opera, & eximiarum tuarum virtutum fidelem atque ab omni adulationis specie alienam effigiem, & perpetuum singularis in te nostri studij atque obseruantiæ monimentum exhibebit.

FRANCISCVS DVCHESNE.

INDEX EORVM
QVÆ IN TOMO V.
HISTORIÆ FRANCICÆ
CONTINENTVR.

GESTA Philippi Augusti Francorum Regis, Ludouici Iunioris filij. Descripta à Magistro Rigordo, seu Rigoto, ipsius Regis Chronographo, ab anno primo inunctionis eiusdem, vsque ad vigesimum octauum Regni annum. *Editio Petri Pithœi collata cum Codice MS. Cœnobij Sancti Dionysij, & multis in locis emendata.* pagina 1.

Historia de vita, & gestis Philippi Augusti Francorum Regis post Rigordum. Auctore Guillelmo Armorico ipsius Regis Capellano. *Ex Codice MS. viri clarissimi Alexandri Petauij Senatoris Parisiensis, recens in lucem emissa.* 68.

Willelmi Britonis Armorici, Philippidos libri duodecim, siue Gesta Philippi Augusti Regis Franciæ, versibus heroïcis descripta. *Editio Petri Pithœi à mendis innumeris repurgata, & locis aliquot auctior facta, ope duorum Codd. MSS. quorum vnus est in bibliotheca Alexandri Petauij Senatoris Parisiensis, alter penes Philippum Loyaulté in eodem Senatu Patronum.* 93.

Epitaphium Philippi Augusti Francorum Regis. 257.

Gesta alia Philippi Augusti Francorum Regis. *Ex Codice MS. viri clarissimi Alexandri Petauij Senatoris Parisiensis.* 257.

Testamentum Philippi Augusti Francorum Regis. *Ex veteri Codice MS. nunc primum in lucem editum.* 261.

Epitaphium Ingeburgis, seu Isenburgis Reginæ Francorum. *Quod est in Ecclesia Sancti Iohannis Corboliensis.* 262.

Epitaphium Petri Carloti Episcopi Nouiomensis Philippi Augusti filij. *Quod in Ecclesia B. Mariæ Nouiomensis illi positum est.* 262.

Nomina militum Franciæ ferentium bannerias, tempore Philippi Augusti Regis. 262.

Nomina prisionum qui in bello Bouinensi capti anno MCCXIV. traditi sunt Præpositis Parisiensibus, per manum magistri Guarini, & Iohannis Paaleé. *Ex veteri Registro MS.* 268.

Nomina militum & Armigerorum, qui pro aliquibus dictorum prisionum se plegios aut hostagios erga Philippum Regem constituerunt. *Ex eodem Registro.* 270.

Epistola Guidonis de Basainuilla Domorum militiæ Templi præce-

ptoris in regno Hierosolymitano. De rumoribus partium transmarinarum Regis Philippi Augusti tempore. *Ex MS. Exemplari Nicolai Camusati Canonici Trecensis.* 271.

Epistola Hugonis Comitis S. Pauli ad Henricum Ducem Brabantiæ, De Constantinopolitanæ Vrbis expugnatione per Latinos facta anno MCCII. *Ex Annalibus Godefridi Monachi S. Pantaleonis apud Coloniam Agrippinam, quos Marquardus Freherus Consiliarius Palatinus edidit.* 272.

Epistola altera eiusdem Hugonis Comitis ad Coloniensem Archiepiscopum. De capta eadem ciuitate, & de Balduini Comitis Flandriæ in Imperatorem Constantinopolitanum electione. *Ex eisdem Annalibus.* 275.

Epistola Balduini Imperatoris ad omnes Christianos. De eiusdem vrbis Constantinopolitanæ expugnatione. *Ex MS. Exemplari, quod Joannes Bolandus Societatis Iesu Antuerpia transmisit.* 278.

Epistola eiusdem Balduini Imperatoris ad summum Pontificem. *Ex eodem MS. Exemplari.* 282.

Epistola responsiua summi Pontificis ad Balduinum Imperatorem. *Ex eodem MS. Exemplari.* 283.

Gesta Ludouici Octaui Regis Franciæ, Philippi Augusti filij. Authore incerto. *Editio Petri Pithœi emendatior.* 284.

Fragmentum de vita eiusdem Ludouici Octaui. *Ex veteri Codice MS.* 288.

Gesta alia Ludouici Octaui heroico carmine, authore Nicolaio de Braia. *Ex Codice MS. Joannis Besly Pictonis, in Præpositura Fontiniaci Comitalis Consiliarij, & Regij Patroni.* 290.

Fragmenta de Ludouico Octauo Rege, & de Parisiensibus litteratis. Ex Karolino Ægidij Parisiensis, scripto ad instructionem eiusdem Ludouici. *Cuius operis duo MSS. Codices Parisiis reperiuntur: alter quidem in instructissima* PETRI SEGVERII *Franciæ Cancellarij illustrissimi Bibliotheca: alter verò in illa, eáque selecta, quæ est Iacobi Mentelij, viri Patricij, & Doctoris Medici Parisiensis.* 323.

Testamentum Ludouici Octaui Regis Francorum. *Ex MS. Codice nunc primùm in lucem editum.* 324.

Gesta Sancti Ludouici Noni Francorum Regis. Descripta per fratrem Guillelmum de Nangiaco Monachum Sancti Dionysij in Francia. *Editio Petri Pithœi collata cum Codice MS. eiusdem Cœnobij.* 326.

Gesta alia Sancti Ludouici Noni Francorum Regis, authore Monacho Sancti Dionysij anonymo. *Ex Codice MS. viri clarissimi Alexandri Petauij Senatoris Parisiensis, recens in lucem emissa.* 395.

Fragmentum de matrimonio Ludouici Regis cum Margareta Berengarij Comitis Prouinciæ filia. *Ex vita MS. Sancti Theobaldi Abbatis Vallium Cernaij, ordinis Cisterciensis.* 406.

Historia susceptionis Coronæ spineæ Iesu Christi, quam Ludouicus Rex à Balduino Imperij Constantinopolitani hærede obtinuit, ac Parisiis reportauit anno MCCXXXIX. Authore Galtero Cornuto Archiepiscopo Senonensi. *Ex MS. Exemplari virorum clarissimorum Puteanorum fratrum.* 407.

Epistolæ Innocentij IV. Papæ super profectione Ludouici Noni Regis in subsidium Terræ sanctæ, & super eius captione per Saracenos. *Ex Codice MS.* 412.

Indulgentiæ variæ concessæ à summo Pontifice Vrbano huius nominis quarto, in fauorem Ludouici Noni Francorum Regis, & Philippi eiusdem Ludouici primogeniti. *Ex veteri Codice MS.* 418.

Constitutiones Sancti Ludouici Francorum Regis, de Hæreticis, Excommunicatis, & Decimis Ecclesiarum. *Ex veteri Registro MS.* 420.

Statutum eiusdem Ludouici Sancti Francorum Regis, de Iudæis. *Ex eodem Registro MS.* 421.

Litteræ Sancti Ludouici Francorum Regis de Eleemosyna Quadragesimæ. *Ex Codice MS.* 422.

Litteræ eiusdem S. Ludouici Francorum Regis, quibus dat potestatem Stephano Episcopo Parisiensi Ecclesiastica conferendi beneficia, tam ratione Regalium, quàm alio quocumque iure Regi pertinentia, quandiu ipse Ludouicus extra Regnum commorabitur. *Ex Codice MS.* 423.

Epistola Balduini Imperatoris ad S. Ludouicum Francorum Regem, super donatione à se facta de terra de Curtiniaco Principi Achaiæ, & super dotalitio vxoris suæ Mariæ Imperatricis. *Ex Codice MS.* 423.

Epistola eiusdem Balduini Imperatoris ad Blancham Reginam Franciæ. Super matrimonio Soldani de Yconio cum eiusdem Balduini Imperatoris nepte. *Ex Registro MS.* 424.

Epistola Blanchæ Reginæ ad Comitissam Campaniæ. De bello inter Christianos. *Ex MS. Codice.* 426.

Fragmentum de bello inter Christianos. *Ex eodem Codice MS.* 427.

Epistola Sancti Ludouici Regis de captione & liberatione sua. 428.

Fragmentum ex libro de statu Saracenorum, post Ludouici Regis de Syria reditum, quem frater Guillelmus Tripolitanus, Aconensis Conuentus Ordinis Prædicatorum scripsit, ac venerabili Patri ac Domino Theoldo Leodiensis Ecclesiæ Archidiacono digno Sanctæ Terræ Peregrino, qui posteà fuit Papa Gregorius X. nūcupauit. Ann. MCCLXXIII. *Ex Codice MS. viri nobilis, Henrici Ludouici Habert de Montmort libellorum supplicum in Regia Magistri.* 432.

Contractus nauigij Domini Regis cum Venetis factus anno Domini MCCLXVIII, postquam idem Rex secundò ad acquisitionem Terræ Sanctæ proficisci statuit. *Ex veteri Registro MS.* 435.

Testamentum Ludouici Noni Regis, quod in Terram Sanctam secundò profecturus condidit, anno MCCLXIX. 438.

Epistola publicata super obitu Ludouici Noni Regis. *Ex MS. Exemplari Nicolai Camusati Canonici Trecensis.* 440.

Epitaphia fratrum ac liberorum Sancti Ludouici Regis. 442.

Vita & sancta Conuersatio piæ memoriæ Ludouici Noni Regis Francorum, per fratrem Gaufridum de Belloloco Ordinis Prædicatorum eius Confessorem. *Ex Codice MS. Fratrum Prædicatorum Conuentus Ebroicensis.* 444.

De vita & actibus inclytæ recordationis Regis Francorum Ludouici Noni, & de miraculis quæ ad eius sanctitatis declarationem contigerunt. Auctore fratre Guillelmo Carnotensi, Ordinis Prædicatorum, eiusdem Regis Capellano. *Ex eodem Codice.* 466.

Miracula facta in domo Fratrum Prædicatorum Ebroicensium, præsi-

dio Beati Ludouici Confessoris, quæ fuit prima Ecclesia in Regno Franciæ dedicata in nomine Sancti Regis. Anno Domini MCCXCIX. 477.

Bonifacij VIII. Papæ sermones duo, de Canonizatione Regis Ludouici sanctissimi. *Ex Bibliotheca Canonicorum Regularium Sancti Victoris Parisiensis.* 481.

Bulla Canonizationis Beati Ludouici Regis Francorum. *Ex Editione Iacobi Bongarsij.* 486.

Indulgentia pro Sancto Ludouico in translatione corporis eius, vnius anni & quadraginta dierum, concessa à Bonifacio Octauo summo Pontifice. 492.

Religiosissimi viri Fratris Ioannis Raulin, artium & Theologiæ professoris scientissimi, oratio ad laudem Diui Ludouici Francorum Regis. *Habita in Regali Collegio Nauarræ in solemni festo eiusdem Ludouici, per Thema, Domine in virtute tua lætabitur Rex.* 493.

Christophori Longuolij Parisiensis oratio de laudibus Diui Ludouici Francorum Regis. *Habita Pictauij in Cœnobio fratrum Minorum.* 500.

Gesta Philippi Tertij, Audacis dicti, Dei gratia Regis Franciæ, filij sanctæ memoriæ Ludouici Noni Francorum Regis. Descripta per fratrem Guillelmum de Nangiaco Monachum S. Dionysij in Francia. *Editio Petri Pithœi recognita & emendata, ope duorum Codd. MSS. quorum vnus est in bibliotheca Cœnobij eiusdem: alter in Bibliotheca viri Clarissimi Alexandri Petauij Senatoris Parisiensis.* 516.

Fragmentum de vita eiusdem PHILIPPI Regis Franciæ Audacis dicti, Sancti Ludouici filij. *Ex veteri Codice MS.* 549.

Nomina militum & Armigerorum qui venerunt in exercitum PHILIPPI Tertij Regis apud Apamiam, cùm aduersus Comitem Fuxi profectus est. Anno MCCLXXI. *Ex veteri Registro MS.* 550.

Taxatio Expensarum & Emendarum contra Nobiles, qui submoniti, non fuerunt in exercitum Fuxensem. *Ex Registro MS.* 553.

APPENDIX PRIMVS AD TOMVM V. Continens Rerum Albigensium Scriptores.

PETRI Monachi Cœnobij Vallium Cernai, ordinis Cisterciensis, Historia Albigensium, & sacri belli in eos suscepti, anno MCCIX. Duce & Principe Simone de Monteforti. *Ex Editione Nicolai Camuzati, Canonici Trecensis, quæ recèns collata est cum MS. Codice Domni Martini Marrier Sancti Martini Parisiensis Monachi.* 554.

Chronica Magistri Guillelmi de Podio Laurentij, super historia Negotij Francorum aduersus Albigenses, quod actum est in Prouinciis Narbonensi, Albiensi, Ruthenensi, Caturcensi, Agennensi Diœcesibus, pro tuenda fide Catholica, & prauitate hæretica extirpanda. *Ex Editione Guillelmi Catel Regij in Senatu Tholosano Consiliarij.* 666.

Epistolæ Innocentij Tertij summi Pontificis ad Regem & Principes Galliæ, & Rescripta eiusdem Papæ super Negotio Albigensium. 706.

Domini Innocentij Pontificis Maximi, huius nominis Tertij, expeditionis pro recuperanda Terra Sancta, Ordinatio. 749.

De Subuentione Terræ Sanctæ. 756.

Præclara Francorum facinora, variáque ipsorum certamina pluribus in locis, tam contra Orthodoxæ fidei, quàm ipsius Franciæ Gentes non impigrè gesta, ab Anno Domini M. CC. I. vsque ad Annum M. CCC. XI. quæ vulgò Chronici Simonis Comitis Montisfortis nomine designatur. *Auctore, vt quidam putant, Petro Lodouensis Ecclesiæ Episcopo.* 764.

Epistolæ Innocentij Tertij Papæ, & aliorum super Negotio Terræ Sanctæ. 792.

Ordinationes, tractatus & statuta, Ludouici Noni Francorum Regis, Raymundi Comitis Tholosæ, & Legati Papæ, pro extirpatione hæresis Albigensium. 810.

APPENDIX SECVNDVS AD TOMVM V.
Continens Rerum Sicularum Scriptores.

DESCRIPTIO victoriæ, quam habuit Ecclesia Romana, Anno Dominicæ Incarnationis M. CC. LXVI. quarto Martij sub Sanctissimo patre Domino Clemente Papa IV. Pontificatus sui anno II. per brachium magnifici viri Domini Caroli victoriosissimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ, Almæ Vrbis Senatoris, Andegauiæ, Prouinciæ, & Forcalquerij Comitis, qui fuit frater Sancti Ludouici Noni Francorum Regis. *Ex Codice MS. Bibliothecæ Regiæ.* 826.

Epistolæ summorum Pontificum, Honorij III. Gregorij IX. Innocétij IV. Alexandri IV. Vrbani IV. & Martini IV. ad Principes & Reges Francorum, & super Negotio Regni Siciliæ. *Ex Diuersis Codicibus MSS.* 851.

Excerpta ex Chronicis fratris Ptolemæi de Luca ordinis fratrum Prædicatorum, super Genealogia, & posteritate Caroli Regis Siciliæ fratris Ludouici IX Francorum Regis, vsque ad annum MCCCLXX. 893.

SVMMA PRIVILEGII.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, & Patentibus eius Litteris cautum, ne quis in regno ipsius aliisve locis eius ditioni subiectis intra viginti proximos annos, à die impressionis primæ inchoandos & numerandos, excudat, vendat, excudendum vendendúmque quovis modo & ratione curet, librum qui inscribitur: Historiæ Francorum Scriptores Coætanei, &c. *præter Sebastianum Cramoisy Typographum Regium ordinarium, atque Bibliopolam Iuratum, Ciuémque Parisiensem, aut illos quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regia omnibus eius subditis eundem librum extra regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere ac instigare, sine consensu dicti Sebastiani Cramoisy, sub pœna confiscationis librorum, aliisve pœnis originali diplomate contra delinquentes expressis. Datum Lutetiæ, vltimo die Iulij 1635.*

Sic signatum, De mandato Regis, VICTON.

Prima Editio quinti tomi perfecta fuit die 15. Ianuarij 1649.

GESTA

A

GESTA PHILIPPI AVGVSTI FRANCORVM REGIS,

B

LVDOVICI IVNIORIS FILII.

DESCRIPTA A MAGISTRO RIGORDO, SEV RIGOTO IPSIVS REGIS CHRONOGRAPHO.

Ab anno I. inunctionis eiusdem, vsque ad XXVIII. regni annum.

Editio Petri Pithœi collata cum Codice M S. Cœnobij sancti Dionysij, & multis in locis emendata.

SERENISSIMO & amantissimo Domino suo Ludouico Dei gratia Philippi Regis Francorum semper Augusti illustri filio, regiæ indolis adolescenti gloria & honore sublimando: Magister Rigordus natione Gothus, professione Physicus, Regis Francorum Chronographus,
C beati Dionysij Areopagitæ clericorum minimus, vitam & sospitatem ab eo per quem reges regnant. EXVLTAT & lætatur in Domino sancta mater Ecclesia, quia visitans visitabit Dominus populum suum & in seruis suis miserebitur. Vox siquidem exultationis & salutis in tabernaculis Francorum passim insonuit, quia vident Regem suum Regis Augusti filium, à cunis sapientiæ laribus educatum, ad regalem sapientiæ thronum maturè conscendere, & diuina sibi studenti arridente gratia cœlum haurientem, in iustitia & iudicio sibi solium præparare. O solemnes & regales nostri Salomonis nuptias! ô copulam qua non est in terris vlla felicior! cùm & Rex sibi conglutinat sapientiæ contubernium, & sapientia relatiuo iure Regis assumit officium, iuxta diuinum Platonis oraculum; qui tum demum beatum orbem terrarum futurum prædicauit, cùm aut sapientes regnare, aut Reges sapere cœpissent. O admirandam huius regij pueri maturitatem, qui cùm sit adhuc in annis teneris; iam quodammodo seipso maior est, & iam fit tempestiuus honori, quia maturus virtuti! Ætatem

namque superat sensus, & ratione potenti æuo concludit animus. Regia siquidem magnificentia degeneris & ignauiæ damna malè sustinens, tarda non expectat annorum molimina, quia Cæsaribus virtus contigit ante diem. Iam videre mihi videor in temporibus huius clementissimi Principis, & pauperibus pacem, & antiquam Ecclesiis reformari dignitatem; quando & collata erit ei potestas ad iudicium sceleris, & per scientiam compti mores ad exemplar honestatis, quando scilicet & poterit & nouerit reddere, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei reddere Deo. Tunc siquidem ipse morum columen & militum gloria, non minori laude promet exemplum, quàm gladium; quia tunc de ceteris hostibus triumphabit, cùm per sapientiæ præsidium de vitiis triumphauerit. In altero scilicet mentis libertatem, in reliquo statum regni conseruans incolumem. Quicquid enim animo, quicquid manu, quicquid lingua est admirabile, huius sapientia suis in temporibus ad cumulum laudis perducet. Hinc est, *O puer attauis edite Regibus*, quia literas discitis & diligitis, quòd ego serenissimæ prudentiæ vestræ literas meas mittere præsumpsi, & lucubratiunculam quandam, quam de gloriosi patris vestri Philippi semper Augusti gestis vtcunque contexui, vobis primùm videndam & legendam destinaui. Duplici nimirum intentione, vt & vos deuotionem meam erga regnum Francorum & gloriosum patrem vestrum perfectè cognoscatis, & vos tanti Principis commendabiles actus, quasi speculum præ oculis semper habeatis in exemplar virtutis. Licèt etenim viri fortis progenies armorum faciem inter ipsos matris agnoscat amplexus, & dum naturæ obsequitur, discat amare terrorem, per exempla tamen non minimum animatur ad virtutem. Accipite igitur, quæso, gratanter, puer inclyte, de manibus clerici vestri nuncium paternæ virtutis opusculum; quod quamuis rudi nimis & incompto stylo & indignis tantæ materiæ verbis sim persequutus, tamen ex humili sermone veritatem, & in veritate poteritis contemplari virtutem. Nec regia soboles regia fastidiat fercula, quamuis luteis, sed tamen mundis vasis sibi sint propinata. Recognoscite igitur & recolite, regia progenies, heroum laudes & vestri facta parentis: vt & vos possitis, quæ sit virtus, agnoscere: & nos in vobis tribus Auguste virtutem gaudeamus parentare. *Vt postquam firmata virum vos fecerit ætas, Iamiam pacatum patriis virtutibus orbem* in iustitiæ & pacis osculo gloriosè gubernetis. In fine tamen huius epistolæ Saluatoris exoremus clementiam, vt ipse in cuius manu sunt omnium potestates, & iura regnorum, respiciat ad Francorum benignus imperium, & per gloriosi martyris sui & patroni nostri macarij Dionysij, sociorúmque eius intercessionem, ipse vos eadem gratia quâ feliciter educauit in puerum, feliciùs vos promoueat in iuuenem, & tractu temporis per prosperos ad vota successus felicissimè vos in perfectam consummet ætatem, ad sui nominis laudem & gloriam, & Ecclesiæ suæ sanctæ defensionem.

INCIPIT PROLOGVS IN LIBRVM GESTORVM REGIS PHILIPPI AVGVSTI A DEO DATI.

LIBRVM *gestorum Philippi Augusti Christianissimi Francorum Regis mihi scribere gestienti, multa concurrerunt impedimenta, egestas, seu rerum inopia, acquisitio victualium, instantia negotiorum, styli simplicitas, & mens in huiusmodi minus exercitata. Et maximè quia cùm in auribus multorum aliquid noui recitatur, solere auditores in diuersa scindi vota, & hunc quidem applaudere, idque, quod audit, laude dignum prædicare: illum verò seu ignorantia ductum, seu liuoris aculeo, vel odij fomite peruersum etiam benè dictis detrahere. Et mirum est, humanum genus à primâ sui origine, secundùm quem cuncta quæ fecit Deus valdè bona creata sunt; ita esse deprauatum, vt promptius sit ad condemnandum quàm indulgendum, & facilius sit ei ambigua deprauare, quàm in partem interpretari meliorem. Multum enim in vtramque partem fama mentitur crebro, & tam de bonis mala, quàm de malis bona, falsorum ora concelebrant. Virtus enim semper inuidiæ patet, & venantium æmulorum subiacet latratibus. Scripturus enim gesta Christianissimi Philippi Regis, si cuncta de virtutibus eius congrua dixero, adulari putabor: Si quadam subtractione incredibilia videantur, damnum laudibus eius mea faciet verecundia. Hoc ego pertimescens, opus decennio elaboratum, habui in voluntate supprimere, aut penitùs delere, vel certè quantum viuerem, in occulto sepelire. Tandem ad preces venerabilis patris Hugonis beatissimi Dionysij Abbatis, cui ista familiariter reuelaueram, & ad istius instantiam hoc opus in lucem protuli; vt sic demum per manus ipsius Regis in publica veniret monumenta. Veruntamen lectores huius operis exoratos esse volo, vt si quid in hoc satyra dignum inuenerint, considerent altitudinem materiæ, & simplicitatem meæ literaturæ, nec ad tam arduum opus vires meas suppetere: & ad hæc habito respectu, discant saltem ex dispensatione tolerari debere pleraque, quæ si quid forte diligentiùs discuteret, posset de rigore condemnari. Scripsi enim quædam quæ propriis oculis vidi, quædam quæ ab aliis diligentiùs inquisita, forsan minus plenè edidici, quædam mihi incognita penitus prætermisi. Sed fortè miramini, quòd in prima fronte huius operis voco Regem Augustum. Augustos enim vocare consueuerunt scriptores Cæsares, qui Rempublicam augmentabant, ab augeo, auges, dictos. Vnde iste meritò dictus est Augustus ab aucta Republica. Adiecit enim regno suo totam Viromandiam, quam prædecessores sui multo tempore amiserant, & multas alias terras. Reditus etiam regni plurimùm augmentauit. Natus est enim mense Augusto, quo scilicet mense replentur horrea & torcularia, & omnia temporalia bona redundant. Et primùm à natiuitate ipsius Regis miraculosâ, Deo disponente initium sumamus, ipso iuuante qui omnium Princeps est & principium.*

PHILIPPVS AVGVSTVS.

GESTA PHILIPPI AVGVSTI CHRISTIANISSIMI FRANCORVM REGIS.

ANNO Dominicæ incarnationis millesimo centesimo sexagesimo quinto natus fuit Philippus Rex Francorum, mense Augusto, vndecimo Kalendas Septembris, in festo Timothei & Simphoriani. Iste antonomasicè debet vocari à Deo datus, quia cùm sanctissimus pater eius Ludouicus Rex, numerosam sobolem filiarum de tribus vxoribus suis suscepisset, successorem regni masculum habere non poterat. Tandem cum vxore sua Adela illustri regina & vniuerso clero & omni populo totius regni, ad orationes conuersus & eleemosynas, filium à Deo petiit; non de meritis suis iactans, sed de sola Dei misericordia confidens & dicens: Obsecro Domine, memento mei, & non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens; B sed propitius esto mihi peccatori. & si peccaui sicut ceteri homines, tamen Domine parce, ne pereant apud te quæ feci coram te. Miserere mei Domine secundùm magnam misericordiam tuam, & da mihi filium regni Francorum hæredem, & strenuum gubernatorem, ne dicant aduersarij: Vana facta est spes tua, & eleemosynæ tuæ, & orationes perierunt. Sed tu Domine, secundùm voluntatem tuam fac mecum, & in fine dierum meorum præcipe in pace recipi animam meam. Sic eo orante, cum vniuerso clero & populo totius regni, exauditæ sunt preces eorum in conspectu Domini. Et datus est ei à Deo filius nomine Philippus, quem ipse sanctissimè nutriri fecit, & in fide Domini nostri Iesu Christi pleniter erudiri. quem ipse solemniter Remis coronari fecit, & postea per annum ferè viuens in solio regni Francorum gloriosissimè regnantem vidit. De quo Rex Ludouicus, antequam natus esset, talem in somnis vidit visionem. Videbatur ei quòd Philippus filius suus tenebat calicem aureum in manu sua plenum humano sanguine: de quo propinabat omnibus Principibus suis, & omnes in eo bibebant. Hanc autem visionem extremo tempore vitæ suæ retulit Henrico Albanensi Episcopo, Apostolicæ Sedis in Franciam legato, per nomen Domini adiurans, ne alicui ante mortem ipsius Regis reuelaret. Rege autem Ludouico defuncto, Henricus Episcopus hanc visionem multis viris religiosis manifestauit. Cuius regni anno primo Christianissimus Rex Ludouicus pater prædicti Philippi in ciuitate, quæ quondam Lutetia, nunc Parisius vocatur, feliciter migrauit ad Dominum. Sed de his infrà pleniùs dicemus. Nunc ad gesta primi anni regni Philippi Augusti illustris Francorum Regis C stylum vertamus.

Gesta primi anni regni Philippi Augusti Francorum Regis.

ANNO Dominicæ incarnationis millesimo centesimo septuagesimo nono, Ludouicus Christianissimus Francorum Rex penè septuagenarius, considerans humanæ vitæ breuitatem, sentiénsque se aduersa valetudine paralysi aliquantulum prægrauari, conuocauit Parisius generale concilium omnium Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, nec non & Baronum totius regni Francorum, in palatium venerabilis patris nostri Mauricij Parisiensis Episcopi. Vbi residentibus omnibus, solus Ludouicus capellam ingressus primò, vt in omnibus operibus suis facere consueuerat, oratione sua ad Dominum, deinde vocatis singulatim Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & omnibus regni Principibus, communicauit eis consilium, quòd dilectissimum filium suum Philippum à Deo datum in instanti Assumptione beatæ virginis Mariæ, cum consilio eorum & voluntate, in Regem Francorum subleuare volebat. Audientes autem Prælati & Principes voluntatem Regis, omnes vnanimiter clamauerunt dicentes: Fiat, fiat. Et sic solutum est concilium.

A Adueniente autem festiuitate iam dicta beatissimæ virginis Mariæ, Christianissimus Rex Ludouicus cum dilectissimo filio suo Philippo Karnopolim * venit: vbi Domino ordinante aliter quàm sperabat euenit; quia dum ibi Rex moram faceret, prout fama multorum referente didicimus, inclytus Philippus à patre acceptâ licentiâ cum venatoribus Regis, nemus causa venandi intrauit. Confestim ingressus aprum inuenit. Quo viso, mox venatores discopulatis canibus insecuti sunt aprum per deuia nemoris & vastæ solitudinis, clangentes cornibus, diuersas semitas nemoris prosequentes. PHILIPPVS AVGVSTVS. * f. Karlopolim.

Interea Philippus equo velocissimo insidens segregatus ab aliis cursu rapidissimo diu aprum insecutus est solus per aliam secretiorem semitam, & pòst paululum respiciens, declinante iam die, nullum de venatoribus adesse cognouit. Videns autem se esse solum relictum in illa vasta solitudine nemoris, non immeritò timere cœpit, pergens huc & illuc soliuagus & neminem videns, cum gemitu & suspiriis Deo & beatæ Mariæ virgini, & beatissimo Dionysio Regum Francorum patrono & defensori, signum sanctæ crucis fronti imprimens, se affectuosissimè commendauit. Finita oratione ad dexteram partem respiciens, eminus rusticum quendam, statura procerum, prunas in igne sufflantem subitò prospexit, aspectu horribilem, carbonum nigredine infectum, vultu deformem, super collum securim magnam tenentem. Quem vt vidit primò, sicut puer aliquantulum timuit, sed timorem illum B magnitudine animi superans, propiùs accessit, & hominem illum benignè salutauit. Et cognito quis erat, & vnde & quare venerat, protinus dimisso rusticus negotio, per viam compendij, Dominum suum ipsum esse cognoscens, Karnopolim festinus reduxit. Ex hoc enim timore Philippus à Deo datus grauiter tunc acuto morbo laborauit. Qua de causa protelata est eius sublimatio vsque ad sequens festum omnium Sanctorum. Sed Dominus noster Iesus Christus, qui nunquam reliquit sperantes in se, per orationes & merita sanctissimi patris Ludouici, qui die ac nocte incessanter pro eo Dominum deprecabatur, & per orationes vniuersalis Ecclesiæ, effluxis aliquot diebus, pristinæ sanitati restituit. Superueniente autem omnium Sanctorum festiuitate, Philippus Augustus conuocatis Archiepiscopis, Episcopis, & omnibus terræ Baronibus, à Wilhelmo illo reuerendo Remensium Archiepiscopo tituli sanctæ Sabinæ presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, ipsiúsque Regis auunculo coronatus est Remis, astante Henrico Rege Angliæ, & ex vna parte coronam super caput Regis Franciæ ex debita subiectione humiliter portante: cum omnibus Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque regni Principibus, & vniuerso clero & populo clamantibus: Viuat Rex, viuat Rex. Cuius ætas fuerat annorum quatuordecim in festiuitate Timothei & Simphoriani præterita. Et tunc cœperat volui annus decimus quintus: ita quòd in anno quintodecimo suæ ætatis in Regem est inunctus, in festo scilicet omnium Sanctorum, adhuc viuente patre C Christianissimo Rege Ludouico, tamen aduersa ægritudine nimis grauato: videlicet paralysi, quæ ei gressum prorsus negauerat.

De his autem quæ in exordio regni sui gessit, pauca scribere proposuimus, ne prolixitas voluminis, & nimia simplicitas sermonis, delicatis auditorum auribus fastidium generaret. A primæua igitur ætate sua, timorem Domini pro pædagogo habuit, quia initium sapientiæ timor Domini; rogans in orationibus suis & humiliter deprecans Dominum, vt omnes actus & gressus eius dirigeret. Iustitiam quasi propriam matrem, dilexit. Misericordiam superexaltare iudicio contendit. Veritatem nunquam à se alienari permisit. Continentiam coniugalem præ omnibus aliis Regibus in domum suam transtulit. Veruntamen quia à tenera ætate in his gloriosis virtutibus seipsum exercitari complacuit, ideo tempore procedente factum est, quòd sicut ipse Rex Deum timebat & reuerebatur: ita ab omnibus in Curia sua manentibus obseruari præcepit. Et quod mirabilius est, iuramenta quæ ab aleatoribus frequenter in curiis vel in tabernis aleatorum fieri solent enormia, in tantum abhorruit; quòd quando fortuito casu miles, vel quilibet alius ludens præsente Rege ex improuiso iuramentum incurrebat, statim ad mandatum Regis in flumine vel in lacu aliquo proiiciebatur. Et tale Edictum ab omnibus firmissimè seruari in posterum iussit. Macte virtute, cuius talia erant principia, qualis erit finis? Etenim manus Domini erat cum eo.

Reuolutis autem quàm paucis diebus, ex quo nouus Rex post sacram inunctio-

PHILIPPVS AVGVSTVS. nem Parisius rediit: opus quod longo tempore mente gestauerat, sed pro nimia reuerentia, quam Christianissimo patri suo exhibebat, perficere formidabat, aggressus est. Audierat enim multoties à Principibus, qui cum ipso pariter in palatio fuerant nutriti, & hoc sine obliteratione memoriæ commendauerat, quòd Iudæi qui Parisius manebant, singulis annis Christianum vnum in opprobrium Christianæ religionis, quasi pro sacrificio in cryptis subterraneis latentes in die Cœnæ, vel in illa sacra hebdomada pœnosa, iugulabant. Et in huiusmodi nequitia diabolicæ fraudis diu perseuerantes, tempore patris sui multoties deprehensi fuerant, & igne consumpti. Sanctus Ricardus, cuius corpus quiescit in Ecclesia sancti Innocentij in Capellis Parisius, sic interfectus à Iudæis & crucifixus feliciter per martyrium migrauit ad Dominum. Vbi ad honorem Domini per preces, & per intercessiones sancti Ricardi multa miracula, ipso Domino operante, facta fuisse audiuimus. Et quia Christianissimus Rex Philippus diligenti inquisitione à maioribus hæc & alia quamplurima nefanda de Iudæis pleniùs didicerat: ideò zelo Dei inflammatus, ad mandatum ipsius, eodem anno quo Remis sacra regni Francorum suscepit gubernacula, decimosexto Kalendas Martij in sabbato, capti sunt Iudæi per totam Franciam in Synagogis suis. Et tunc expoliati sunt auro & argento & vestibus, sicut & ipsi Iudæi in exitu de Ægypto Ægyptios expoliauerant. Hoc ipso significata fuit futura eorum eiectio, quæ procedente tempore Deo disponente subsecuta est. A B

Factum est autem quasi post mensem dierum, ex quo sacram suscepit inunctionem Philippus Augustus, quòd Hebo de Carantonio in pago Bituricensi cœpit tyrannidem in Ecclesia Dei exercere, & grauibus exactionibus clericos ibidem Deo seruientes opprimere. Cuius sæuitiam clerici sufferre non valentes, miserunt nuntios ad Christianissimum Regem Philippum Augustum, de violentia à iam dicto Hebone sibi illata conquerentes, & à Rege iustitiam humiliter exigentes. Audita Rex virorum religiosorum conquestione, zelo Dei accensus pro defensione Ecclesiarum, & cleri libertate, contra illum tyrannum mouit arma, & cum manu valida terram ipsius vastauit, & prædas duxit, & in tantum eius audaciam repressit, quòd necessitate compulsus, videns quòd manum Regis effugere non posset, procidit ad pedes Regis, impetrans ab eo veniam, & sub attestatione iurisiurandi promittens, quòd secundum beneplacitum & voluntatem ipsius Regis, omnibus Ecclesiis & clericis Deo seruientibus plenissimè satisfaceret, & de cætero se ab huiusmodi obtemperaret. Hoc primum bellum gessit in initio regni sui Philippus à Deo datus in ætate quindecim annorum: quia ad liberationem Ecclesiarum & cleri, & ad custodiam totius populi Christiani datus est à Deo in Regem.

Porrò eodem anno regni sui, videlicet primo, ad suggestionem antiqui serpentis, hostis humani generis, egressi sunt filij iniquitatis, scilicet Ymbertus de Bello-ioco, & Comes Cabilonensis cum complicibus suis aduersus Ecclesias Dei. Qui cùm grauiter contra regias immunitates ipsas Ecclesias grauare præsumpsissent, clerici & viri religiosi ibi iugiter Deo seruientes significauerunt omnia ista mala domino suo Christianissimo Francorum Regi. Tunc Rex pro defensione Ecclesiarum & Cleri libertate collecto exercitu, terras eorum intrauit, & magnas prædas duxit, & in tantum superbiam illorum & tyrannidem Domino operante confregit, quòd eis inuitis ablata Ecclesiis in integrum restitui fecit, & clericis ibidem Domino famulantibus pacem temporis reformauit, eorum orationibus humiliter se commendans. Et certè meritò debet vniuersalis Ecclesia orare pro Christianissimo Rege Philippo, quia iste est, qui assiduè stat pro ipsa Ecclesia, eam protegens ab inimicis & defendens, exterminando Iudæos fidei Christianæ inimicos, propulsando hæreticos de fidè Catholica malè sentientes. Bona enim illius opera stabilita sunt in Domino, & ideò facta eius & dicta debet enarrare omnis Ecclesia sanctorum. C

Porro anno primo regni Philippi Augusti, & ætatis ipsius anno quintodecimo, ortis quibusdam simultatibus & fictis odiis inter Principes regni: quidam de Principibus eius, stimulante diabolo, Ecclesiasticæ pacis inimico, conspirationem contra dominum suum Regem Philippum Augustum facere præsumpserunt; qui collecto exercitu terras Regis vastare cœperunt. Videns autem hæc Christianissimus Rex Philippus, nimio furore succensus infinitæ multitudinis contra illos duxit exercitum, & paucis reuolutis diebus, omnes fugauit, & tam potenter & viriliter persecutus est, quòd Domino miraculosè operante, omnes sibi suppeditauit, & ad

A omnem voluntatem eius faciendam potentissimè coëgit. Veruntamen omnium Dominus retributor bonorum,& remunerator, qui nullum bonum relinquit irremuneratum: quia duo prima prælia in initio regni sui pro defensione Ecclesiarum & Cleri libertate Christianissimus Rex Philippus Augustus ad honorem Domini nostri Iesu Christi, & beatæ Dei genitricis & virginis Mariæ strenuè gesserat: ideo Dominus noster Iesus Christus, qui non relinquit sperantes in se, in fraude istorum circumuenientium illi affuit, vt omnes aduersarios suos vinceret,& potētiam aduersus eos, qui eum iniustè deprimere moliebantur. Dominus enim est qui dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia Principum. Hic enim vir non est derelictus à Deo in die certaminis, quia Angelus Domini stans à dextris eius, confringit capita inimicorum suorum. Et quare hoc? Quia fideliter permanet in mandatis Domini.

Gesta secundi anni regni Philippi Augusti Francorum Regis.

ANNO Dominicæ incarnationis millesimo centesimo octogesimo primo, Kalendis Iunij, ea die qua Dominus noster Iesus Christus baiulis nubibus cœlos ascendit, in Ecclesia beati Dionysij ad suggestionem & consilium cuiusdam boni viri, qui zelum Dei videbatur habere, idem Rex Philippus secundò imposuit sibi B diadema, & tunc inuncta fuit Elizabeth vxor eius venerabilis Regina filia Balduini illustris Comitis Haenuensis, neptis Philippi magni Comitis Flandrensium, qui ea die, prout moris est, ensem ante dominum Regem honorificè portauit. Sed dum hæc in Ecclesia beatissimi Dionysij solenniter agerentur, & ipse Rex cum Regina ante maius altare flexis genibus & inclinatis capitibus, nuptialem benedictionem à venerabili Guidone Senonensi Archiepiscopo, astantibus multis Episcopis & Baronibus humiliter reciperent: accidit quiddam dignum memoria, quod huic operi inserendum vtiliter æstimauimus. Interea dum multa turba populi de circumpositis ciuitatibus, suburbiis, vicis & villis, cum magno gaudio ad tantam solennitatem videndam conuenissent, & vt viderent Regem cum Regina diademate insignitos, conflictum cum tumultu facerent: quidam miles de officialibus Regis tenens virgam in manu sua, cùm ad sedandum tumultum populi virgam huc & illuc in incertum iaceret, tres lampades super capita ipsorum ante maius altare pendentes subito vno ictu fregit,& oleum illarum super capita Regis & Reginæ, in signum plenitudinis donorum Spiritus sancti cœlitus missum, miraculosè emissum fuisse credimus, & ad dilatandam famam nominis ipsius & gloriam in omnem terram circunquaque diffundendam. Vnde in Cantico amoris Salomon de isto propheticè videtur dixisse; Oleum effusum nomen tuum. Quasi diceret; Fama nominis tui & gloria & sapientia diffundetur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum, & inclinabunt capita sua ante eum Reges, & multæ gentes seruient ei. Ex his & aliis huiusmodi coniicere possumus, quòd ea quæ circa ipsum C Regem Deo ordinante gesta sunt, sic intelligi possunt.

De obitu piissimi Regis Ludouici.

EODEM anno decimoquarto Kal. Octobris, feria quinta obiit Ludouicus Francorum Rex, in ciuitate quæ nunc Parisius dicitur, & est caput regni Francorum. Fortè Domino ita procurante factum est, vt ille qui Rex erat, & caput totius regni Francorum, in ciuitate, quæ caput regni Francorum est, in palatio suo feliciter migrauit ad Dominum. Vt etiam sic omnibus manifestum fieret, quòd de palatio ad palatium, de regno ad regnum gloriosè transiret: de palatio terreno ad latitudinem cœlestis paradisi: de regno transitorio ad regnum æternum, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec humanus animus comprehendere potuit, quod ab æterno præparauit Deus his, qui diligunt eum in veritate. Cuius corpus gloriosè sepultum fuit in Ecclesia sanctæ Mariæ Barbael, quam ipse fundauit. Vbi ad honorem Domini nostri Iesu Christi, & beatæ Dei genitricis & virginis Mariæ, & omnium Sanctorum die ac nocte à sanctis religiosis viris diuina celebrantur officia pro anima ipsius, & omnium prædecessorum suorum, & pro statu regni Francorum. In eadem Ecclesia super sepulturam ipsius Regis, Adela prædicta illustris

PHILIPPVS AVGVSTVS. Francorum Regina, mater iam dicti Philippi Augusti Francorum Regis, fecit construi sepulchrum miro artificio compositum, ex lapidibus auro & argento, & ære & gemmis subtilissimè decoratum. Tale opus tantæ subtilitatis à diebus Salomonis non fuit repertum in vniuersis regnis. Sed de his hactenus. Nunc ad ea quæ circa perfidos Iudæos Domino inspirante ab ipso Rege facta sunt, transitum faciamus. A

Causa quare Christianissimus Rex Philippus semper Augustus exterminauit Iudæos de tota Francia, hîc ponuntur.

I. Causa.

EO tempore multitudo maxima Iudæorum in Francia habitabat, quæ à longis retroactis temporibus de diuersis mundi partibus, ob pacis diuturnitatem, & Francigenarum liberalitatem, ibi conuenerat. Audierant enim Iudæi strenuitatem Regum Francorum contra inimicos, & pietatem magnam erga subditos. Et ideò maiores eorum & sapientiores in lege Moysi, qui ab ipsis Iudæis Didascali vocabantur, Parisius venire decreuerunt: vbi longam habentes conuersationem in tantum ditati sunt, quòd ferè medietatem totius ciuitatis sibi vendicauerant, &, quod contra Dei decretum est & institutionem Ecclesiasticam, Christianos in seruos & ancillas in domibus suis habebant, qui à fide Iesu Christi manifestè recedentes, cum ipsis Iudæis iudaïzabant. Et quia Dominus per Moysen in Deuteronomio dixerat; Non fœnerabis fratri tuo, sed alieno, per alienum Iudæus prauè omnem Christianum intelligens, tradentes Christianis sub vsuris pecunias suas, in tantum grauauerunt ciues & milites & rusticos de suburbiis, oppidis, & vicis, quòd plurimi ex eis compulsi sunt possessiones suas distrahere. Alij Parisius in domibus Iudæorum sub iuramento astricti, quasi in carcere tenebantur captiui. Quod audiens Christianissimus Rex Philippus, pietate commotus, consuluit quendam eremitam nomine Bernardum, virum sanctum & religiosum, qui eo tempore in nemore Vicenarum degebat, quid facto opus esset. De consilio cuius relaxauit omnes Christianos de regno suo à debitis Iudæorum: quinta parte totius summæ sibi retenta. B

Secunda causa hîc ponitur.

AD cumulum etiam damnationis suæ, vasa Ecclesiastica Deo dicata, scilicet cruces aureæ & argenteæ, habentes imaginem crucifixi Domini Iesu Christi, & calices, quæ pro instanti necessitate Ecclesiarum nomine vadij fuerant eis supposita, in vituperium & opprobrium Christianæ religionis tam viliter tractabant, quòd in calicibus, in quibus corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi conficiebatur, infantes eorum offas in vino factas comedebant, & cum ipsis bibebant. Non reducentes ad memoriam illud quod legitur in libro Regum; quomodo Nabugodonosor Rex Babyloniæ vndecimo anno regni Sedechiæ Regis Hierusalem, peccatis Iudæorum exigentibus, per Nabuzardam Principem militiæ, sanctam ciuitatem Hierusalem cepit, & templum expoliauit, & vasa pretiosa Deo consecrata, quæ Salomon sapientissimus fecerat, secum portauit. Sed Nabugodonosor licèt gentilis & idololatra, tamen timens Deum Iudæorum, noluit in vasis illis bibere, nec ad vsus suos transferre: imo quasi sacrosanctum thesaurum in templo suo iuxta idolum conseruari. Sed superueniens Balthasar, qui sextus ab eo regnauit, grande conuiuium suis faciens optimatibus & principibus, præcepit vt afferrentur vasa, quæ suus auus Nabugodonosor de templo Domini asportauerat, & biberunt in eis Rex & optimates & vxores & concubinæ eius. In eadem hora iratus Dominus contra Balthasar, ostendit ei signum destructionis suæ, scilicet manum contra eum in pariete scribentem; *Mane, Techel, Phares*: quod interpretatum sonat; Numerus, appensiò, diuisio. Eadem nocte capta est Babylon à Cyro & Dario, & interfectus est Balthasar in ipso conuiuio; vt Isaias longè antè prædixerat: Pone mensam, contemplare in specula, id est in pariete, comedentes & bibentes in vasis Domini: surgite principes, accipite arma, quia ciuitas capta est. Et statim ex improuiso superuenientibus Medis & Persis, interfectus est Balthasar in ipso conuiuio. Cæterùm quis obnubilare audeat, quod Deus reuelare disponit. C

Tertia causa eiectionis Iudaeorum hîc ponitur.

EO igitur tempore Iudæis timentibus ne officiales Regis scrutarentur eorum domus: factum est quòd quidam Iudæus, qui eo tempore Parisius morabatur, habens vadia Ecclesiastica, videlicet crucem auream gemmis insignitam, & librum Euangeliorum auro & lapidibus pretiosis mirificè decoratum, cum ciphis argenteis & aliis, in sacco ponens, in fossam profundam, vbi ventrem purgare solebat, proh dolor! vilissimè deiecit. Quæ omnia paulò pòst, Domino reuelante, à Christianis ibidem sunt inuenta, &, soluta quinta parte totius debiti domino Regi propriæ Ecclesiæ cum summo gaudio & honore sunt reportata. Iste annus potest meritò vocari Iubilæus; quia sicut in veteri Lege in anno Iubilæo omnes possessiones liberè reuertebantur ad pristinos possessores, & omnia debita remittebantur: ita tanta relaxatione debitorum à Christianissimo rege facta, Christiani in regno Franciæ manentes perpetuam libertatem à debitis Iudæorum sunt consecuti.

Gesta tertij anni Philippi Augusti Francorum Regis.

B ANNO Dominicæ incarnationis millesimo centesimo octogesimo secundo, mense Aprili, qui ab ipsis Iudæis dicitur Nisan, exiit Edictum à serenissimo Rege Philippo Augusto, quòd omnes Iudæi de regno suo, vsque ad sequens festum sancti Ioannis Baptistæ ad exeundum parati essent. Et tunc data est eis licentia à Rege, quòd omnem suam suppellectilem venderent, vsque ad præfinitum tempus, scilicet festum sancti Ioannis, reseruatis sibi & successoribus suis Francorum Regibus possessionibus, videlicet domibus, agris, vineis, granchiis, torcularibus & huiusmodi. Quo audito perfidi Iudæi, quidam ex ipsis regenerati ex aqua & Spiritu sancto, conuersi sunt ad Dominum, perseuerantes in fide Domini nostri Iesu Christi, quibus Rex intuitu Christianæ religionis omnes possessiones eorum in integrum restituit, & perpetuæ libertati eosdem donauit. Alij errore antiquo excæcati in perfidia sua permanentes, Principes terræ, videlicet Comites, Barones, Archiepiscopos, Episcopos donis & promissionibus magnis allicere cœperunt, tentantes si aliquo modo per consilium eorum & suggestionem & infinitam pecuniæ promissionem, animum Regis à tam fixo proposito reuocare potuissent. Sed miserator & misericors Dominus, qui non relinquit sperantes in se, & de sua virtute præsumentes humiliat, infundendo gratiam suam cœlitus missam, ita robore Spiritus sancti in flammam, mentem ipsius Regis illustratam confirmauit, quòd nec precibus, nec promissionibus rerum temporalium potuit emolliri. Et vt verum fatear, huic congruè potest adaptari quod de beata Agatha legitur; Faciliùs possunt saxa molliri, &
C ferrum in plumbum conuerti, quàm mens Christianissimi Regis ab intentione diuinitus inspirata possit reuocari.

Videntes ergo infideles Iudæi, Principes repulsam fuisse passos, per quos alios Reges prædecessores suos ad voluntatem suam faciendam facilè inclinare consueuerant, admirantes Philippi Regis magnanimitatem & firmam in Domino constantiam, attoniti, & quasi stupefacti, & sub quadam admiratione clamantes; Scema Israël, id est, *audi Israël*, aggressi sunt vendere omnem suam suppellectilem. Tempus enim imminebat, quo de præcepto Regis de tota Francia tenebantur exire, quod nulla ratione vlteriùs poterat prorogari. Tunc Iudæi Regis iussa complere satagentes, res suas mobiles sub mira festinatione vendiderunt Possessiones enim omnes ad fiscum Regis sunt deuolutæ. Igitur Iudæi venditis rebus suis, pretium habentes pro viatico, egressi sunt cum vxoribus & filiis, & vniuerso comitatu suo, anno Domini suprà dicto M. C. LXXXII. mense Iulij, qui ab ipsis Iudæis dicitur Tamuz, regni Regis Philippi Augusti anno tertio, & ætatis suæ anno decimo septimo, incœpto mense Augusto præterito, videlicet in festo sancti Symphoriani, vndecimo Kalendas Septembris. Et sic annus septimus decimus ætatis Regis in mense sequenti post Iudæorum expulsionem, scilicet Augusto, completus est. Exierant enim mense Iulio, vt prædictum est. Ergo ad completionem septimi decimi anni non restabant nisi tres hebdomadæ, vel quindecim dies.

Facta autem infidelium Iudæorum eiectione, & eorumdem per vniuersum or-

PHILIPPVS AVGVSTVS. bem dispersione, Philippus rex semper Augustus non immemor fratrum suorum, A anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo octuagesimo tertio, ætatis ipsius decimo octauo anno incœpto, opus gloriosè incœptum, Deo disponente gloriosiùs consummauit. Nam omnes synagogæ Iudæorum, quæ scilicet scholæ ab ipsis vocabantur, vbi Iudæi sub nomine fictæ religionis, causa orationis quotidie simulatè conueniebant, priùs mundari iussit, & circa voluntatem omnium Principum, easdem synagogas Ecclesias Deo dedicari fecit, & ad honorem Domini nostri Iesu Christi, & beatæ Dei genitricis & virginis Mariæ, in eisdem altaria consecrari præcepit. Considerauit equidem pia consideratione & honesta, quòd vbi nomen Iesu Christi Nazareni, teste Hieronymo super Isaiam, de die in diem blasphemari solebat, à clero & vniuerso populo Christiano ibidem laudaretur Deus, qui fecit mirabilia magna solus.

Videntes autem milites totius Franciæ & ciues & alij burgenses opera Regis miraculosa, quæ tempore ipsorum Deo ordinante fiebant, Regem bonæ indolis adolescentem contemplantes, & opera ipsius admirantes, benedixerunt Deum, qui talem potestatem dedit hominibus. Et si vultis diligenter attendere, inuenietis in isto illas quatuor gloriosas virtutes, quas Moyses dixit considerandas in eligendo Principe, videlicet potentiam, timorem Dei, amorem veritatis, detestationem auaritiæ. Iste, salua pace omnium dico, est in sermone subtilis, iustus in iudiciis, acutus in responsis, prouidus in consiliis, fidelis in commissis, strenuus in agendis, acer in hostes, B pius erga subditos, conspicuus in bonitate, præclarus in omnimoda morum honestate. Huius ad exemplum Aurelianenses ciues inducti caput suum, id est, Regem imitari cupientes, in Ecclesia, quæ quondam Aurelianis fuerat synagoga, præbendas perpetuò instituerunt, vbi clerici ordinati die ac nocte diuina celebrant officia pro Rege & pro omni Christiano populo, & pro statu ipsius regni Francorum. Simili modo in Ecclesia Stampensi, quæ fuerat synagoga, factum fuisse vidimus. Quòd talis eiectio Iudæorum, vel expulsio reuolutis quampluribus annis alia vice facta fuerit ex gestis Regum Francorum didicimus.

Legimus enim in gestis Francorum, quòd tempore Dagoberti Regis Francorum facundissimi, imperium Romanorum Imperatorum Eraclius gubernabat, vir sapientissimus in liberalibus artibus, & maximè in Astronomia, quæ eo tempore multùm vigebat. Sed multiplicato numero fidelium, sublata est de medio, & ab omni cœtu fidelium veluti idololatria eliminata. Iste Eraclius scripsit Dagoberto excellentissimo Regi Francorum, vt omnes Iudæos de regno suo exterminaret; quod & factum est. Præscierat enim idem Imperator per signa syderum, quibus sæpissimè intentus erat, quòd imperium Romanorum per gentem circumcisorum delendum esset. Sed quod ille intellexit de Iudæis, hoc certum fore dignoscitur per gentem Agarenorum, quos nos Sarracenos vocamus, quoniam ab ipsis eius imperium postmodum noscitur esse captum atque violenter vastatum, & secundò futurum dicit C Methodius in fine temporum. Isti sunt Ismaëlitæ, qui de Ismaële descenderunt, & omnes sunt circumcisi, quia pater eorum Ismaël filius Abrahæ circumcisus fuisse legitur. De his enim Methodius martyr scriptum nobis reliquit; Futurum est enim in fine temporum, scilicet circa tempora Antichristi, vt exeant adhuc semel, & obtinebunt orbem terræ per octo hebdomadas annorum, id est, per quinquaginta sex annos, & propter pressuras & tribulationes, quas tunc Christiani patientur, vocabitur iter eorum via angustiæ. In sacris locis interficient sacerdotes, ibidem cum mulieribus dormient, & ad sepulchra sanctorum religabunt iumenta, id est, in Ecclesiis iuxta corpora Sanctorum Martyrum stabula facient. Et hoc pro nequitia Christianorum, qui tunc erunt. Iosephus etiam dicit, totum orbem futurum eorum habitaculum, & etiam insulas maris eos obtinere testatur. His breuiter decursis, ad gesta quarti anni regni Philippi Augusti Francorum Regis pertractanda, Deo annuente, redeamus.

Gesta quarti anni regni Philippi Augusti Francorum Regis.

FACTVM est autem eodem anno quo suprà, videlicet Dominicæ incarnationis M.C.LXXXIII. regni Christianissimi Regis Philippi anno IIII. quòd idem Rex ad preces multorum, & maximè ad suggestionem cuiusdam seruientis, qui eo

A tempore fidelissimus in negotiis regiis pertractandis esse videbatur: Parisius à leprosis extra ipsam ciuitatem manentibus, nundinas sibi & suis successoribus emit, & in ciuitate transferri fecit, scilicet in foro quod Campellis vocatur. Vbi ob decorem & maximam institorum vtilitatem, per ministerium prædicti seruientis, qui in huiusmodi negotiis probatissimus erat, duas magnas domos, quas vulgus halas vocat, ædificari fecit. In quibus tempore pluuiali omnes mercatores merces suas mundissimè venderent, & in nocte ab incursu latronum tutè custodirent. Ad maiorem etiam cautelam circa easdem halas iussit in circuitu murum ædificari, portas sufficienter fieri præcipiens, quæ in nocte semper clauderentur. Et inter murum exteriorem & ipsas halas mercatorum stalla fecit erigi desuper operta, ne mercatores tempore pluuioso à mercatura cessarent, & sic damnum incurrerent.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Eodem igitur tempore Philippus Augustus Francorum Rex de augmento & ampliatione regni sollicitus, nemus Vicenarum, quod toto tempore prædecessorum suorum fuerat disclusum, & omnibus transeuntibus olim fuerat patens & peruium, muro optimo circumcingi fecit. Quo audito, Henricus Rex Anglorum, qui in regimine regni Angliæ regi Stephano successerat, feras per totam Normanniam & Aquitaniam colligi fecit, videlicet hinnulos ceruorum, damulos, & capras syluestres. Quas cum summâ diligentiâ in nauem magnam positas, & ingeniosè coopertas, habentes ibidem victus necessaria per fluuium Sequanæ, longo scilicet ductu aquarum Regi Philippo domino suo Parisius transmisit. Quod munus Christianissimus Rex benignè suscipiens, in nemus Vicenarum iuxta prædictam ciuitatem includi fecit, positis ibi perpetuo custodibus.

B

Incidentia. Eodem tempore combusti sunt multi hæretici in Flandria à Guillelmo reuerendo Remensium Archiepiscopo, tituli sanctæ Sabinæ presbytero Cardinali, Apostolicæ sedis Legato, & à Philippo illustri Comite Flandrensium.

Aliud incidens. Eodem anno in prouincia Caturcensi, in castro, quod vulgo dicitur Martel, tertiodecimo Kalend. Iunij obiit inclitus Henricus iuuenis Rex Angliæ. Cuius corpus translatum est in ciuitate Rotomagensi, in prouincia quæ quondam Neustria, nunc Normannia vocatur.

Eodem anno in prouincia Bituricensi, interfecta sunt septem millia Cotarellorum & eo ampliùs, ab incolis illius terræ in vnum contra Dei inimicos confœderatis. Isti terram Regis vastando prædas ducebant, homines captos secum vilissimè trahebant, & cum vxoribus captorum, proh nefas! ipsis videntibus dormiebant. Et quod deterius est, Ecclesias Deo consecratas incendebant: sacerdotes & viros religiosos captos secum ducentes, & irrisoriè Cantores ipsos vocantes, in ipsis tormentis subsannando dicebant; Cantate nobis cantores, cantate; & confestim dabant eis alapas, vel cum grossis virgis turpiter cædebant. Quidam sic flagellati beatas animas Domino reddiderunt; alij longâ carceris custodiâ mancipati semimortui datâ pecuniâ pro redemptione ad propria redierunt. Sed quomodo quod sequitur sine lachrymis & suspiriis referre poterimus?

C

Eodem igitur tempore, peccatis nostris exigentibus, iam dicti Cotarelli inuadentes Ecclesias, ipsas expoliabant, & corpus Domini nostri, quod pro instanti necessitate ægrotantium in vasis aureis vel argenteis, prout decet, ibidem reseruabatur, suggerente diabolo, ausu temerario, manibus humano sanguine pollutis de ipsis extrahentes vasis, proh dolor! in terram viliter proiicientes, pedibus conculcabant, & de illo sancto linteamine, quod Corporale dicitur, concubinæ eorum pepla capitibus suis componebant; & vasa aurea vel argentea, in quibus seruabatur vel conficiebatur, secum irreuerenter portabant, & malleis confringentes vel lapidibus distrahebant. Quod videntes incolæ illius prouinciæ, per literas suas omnia ista mala significauerunt domino suo Philippo Christianissimo Francorum Regi. Qui audito verbo, zelo Dei accensus, misit exercitum suum eis in adiutorium. Recepto autem Regis exercitu, insultum vnanimiter in hostes fecerunt, & interfecerunt omnes à minimo vsque ad maximum, & ditati sunt multi de præda illorum. Videntes autem populi ea quæ facta fuerant, reuersi sunt glorificantes & laudantes Deum de his omnibus, quæ audierant & viderant.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

A

De reformatione pacis miraculosa inter Comitem Sancti Egidij Raimundum, & Regem Arragonensium.

ORTA autem fuerat dissensio magna à longis retrò euolutis temporibus inter Regem Arragonensium, & Comitem sancti Egidij Raimundum, quæ suggerente diabolo humani generis inimico, nulla ratione poterat pacificari. Sed Dominus pauperes suos in tanta oppressione & afflictione diutina clamantes exaudiens, misit eis saluatorem; non Imperatorem, non Regem, non Principem aliquem Ecclesiasticum, sed pauperem quendam nomine Durandum, cui Dominus dicitur apparuisse in ciuitate Aniciensi, quæ vulgò nunc Podium dicitur, & etiam illi tradidisse schedulam, in qua erat imago beatæ virginis Mariæ sedentis in throno, tenens in manibus Domini nostri Iesu Christi pueri habens similitudinem, & in circuitu impressam huiusmodi circumscriptionem; Agnus Dei qui tollis peccata mundi dona nobis pacem. Audientes autem Principes maiores & minores cum vniuersis populis hæc, quæ Domino cooperante facta fuerant: in Assumptione beatæ Mariæ, sicut singulis annis solet fieri, apud Anicium conuenerunt. Tunc Episcopus illius ciuitatis cum clero & populo & vniuersa multitudine ad diem festum congregata, illum Durandum pauperem & humilem carpentarium in medio populi in edito ponentes, aure intentissima audierunt. Qui mandatum Domini de pace inter eos reformanda audacissimè referens, & schedulam cum imagine beatæ virginis Mariæ pro signo omnibus ostendens, eleuantes vocem cum fletu, admirantes Dei pietatem & misericordiam, tactis sacrosanctis Euangeliis, mente promptissima, se obseruaturos pacem omnibus modis quibus possent firmissimè iurantes, Domino promiserunt. Et in signum seruandæ pacis, sigillum beatæ Virginis prædictum, in stagno impressum & pectori superpositum cum caputiis lineis albis, ad modum scapulare monachorum alborum factis, in signum fœderis initi semper secum portauerunt. Et quod mirabilius est, omnes huiusmodi caputium cum signo portantes in tantum securi erant, quòd si aliquis fratrem alterius aliquo casu interfecisset, & frater superstes fratricidam cum signo iam dicto accurrentem vidisset, statim morte fratris obliuioni data in osculo pacis cum fletu & lachrymis illum recipiebat, & in propriam domum adducens victui necessaria ministrabat. Nonne in hoc loco prophetia Isaiæ quodammodo iterum potest dici fuisse impleta? Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit, vitulus & leo, ouis & vrsus pascentur simul, & puer paruulus minabit eos. Sanè per bestias illas, quæ rapinâ & carne viuunt, impios homines, scilicet homicidas & raptores intelligimus: per reliquas verò pecudes, mansuetos & simplices. Et de illis Prophetia dixit, quòd Christus eos simul habitare, ac pacem habere præciperet. Et quare hoc? Quia repleta est terra scientià Domini. Hæc pacis reconciliatio per virum Dei facta, per totam Gothiam firmissimè per aliquod tempus fuit obseruata.

B

C

Gesta quinti anni regni Philippi Augusti Francorum Regis.

ANNO Dominicæ incarnationis millesimo centesimo octogesimo quarto, regni Philippi Augusti anno quinto, ætatis ipsius anno vicesimo, orta est dissensio, quæ in nouis rebus accidere solet, inter Christianissimum Philippum Francorum Regem, & Philippum Flandrensium Comitem, pro quadam terra, quæ vsitato vocabulo Viromandia dicitur. Asserebat enim Rex totam Viromandiam cum castellis, vicis, & villis titulo successorio ad Reges Francorum iure hæreditario pertinere: & hoc totum per clericos & laicos, videlicet Archiepiscopos, Episcopos, Comites, Vicecomites, aliósque Principes se probaturum allegabat. Comes autem Flandriæ è contrario respondebat, terram prædictam viuente Christianissimo beatæ memoriæ Rege Ludouico diu tenuisse, & per multa tempora sine omni inquietudine in pace possedisse, & quandiu viueret se numquam dimissurum firmissimè proponebat. Videbatur enim Comiti, quòd de facili animum Regis, quia puer erat, multis promissionibus & blandis allocutionibus à tali incœpto posset reuocare. Manus equidem Principum tunc, vt dicebatur, cum eo erat: sed vt dici solet in prouerbio; Ventum conceperunt, & telas araneæ texuerunt. Tandem de consilio Principum

A cipum & Baronum Philippus Augustus apud Karnopolim castrum pulcherrimum, quod vulgò Compennium dicitur, omnes Principes terræ suæ conuocauit: & communicato cum eis consilio, infinitæ multitudinis collegit exercitum, versus ciuitatem quæ Ambianis vocatur. Comes verò Flandriæ aduentum Regis audiens, exaltatum est cor eius, & collecto aduersus Regem exercitu, contra ipsum Regem dominum suum mouit arma, & iurauit in brachio fortitudinis suæ, quòd defenderet se de omnibus. PHILIPPVS AVGVSTVS.

Igitur anno quinto regni Philippi Augusti, & ætatis ipsius anno vigesimo, egressus est Rex cum exercitu ad omnem terram illam, & operuerunt faciem terræ sicut locustæ. Videns autem Comes Flandriæ exercitum Regis magnum & fortem valdè, conterritus est spiritus eius, & liquefactum cor populi sui, fugæ præsidium quærentes. Tunc Comes habito consilio cum suis, per internuntios principem militiæ Regis Theobaldum Comitem Blesensium, Franciæ Senescallum vocauit, & Guillelmum Remensem Archiepiscopum, ipsius Regis auunculos: quibus sicut Regis fidelibus cura rerum gerendarum eo tempore commissa fuerat. Istis mediantibus Comes Flandriæ in hunc modum Regem allocutus est; Desinat indignatio tua Domine circa nos, veni nobis pacificus, & vtere seruitio nostro sicut placuerit tibi. Terram quam quæris, scilicet Viromandiam, cum omnibus castellis & villis ad
B eam pertinentibus, liberè & sine omni procrastinatione tibi, Domine mi Rex, in integrum restituo. Tamen si vestræ regiæ maiestati placet, castrum sancti Quintini, & castrum quod Perona vocatur, dono regio quandiu vixero mihi dimitti postulo. Et post decessum meum ad vos, vel ad heredes vestros successores, videlicet regni Francorum, sine aliqua contradictione deuoluantur.

Quod audiens Philippus Christianissimus Francorum Rex, conuocauit omnes Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Comites, & omnes Barones, qui ad domandam feritatem illius, & superbiam frangendam vnanimiter conuenerant. Et habito consilio cum illis, omnes quasi vno ore respondentes, hoc quod Comes Flandriæ Regi offerebat faciendum esse laudauerunt. His peractis, Comes Flandriæ introductus est, qui coram omnibus Principibus & vniuersa multitudine ibidem collecta, terram prædictam, scilicet Viromandiam, quam iniustè longo tempore possederat, iustè Regi Philippo restituit, & statim coram omnibus terra reddita, in possessionem misit. Præterea iuramentum Regi præstitit, quòd omnia damna quæ Babeloino * Comiti Haencensi, & aliis amicis Regis intulerat, secundùm voluntatem Regis & mandatum cuncta in integrum & sine mora restitueret. Et sic pax inter Regem & Comitem, quasi per miraculum est reformata; quia sine humani sanguinis effusione est finem consecuta. Quod videntes vniuersi populi nimio gaudio repleti, laudantes benedixerunt Deum, qui saluat sperantes in se.

* *l.* Balduino.

C Inter cætera admiratione plena, quæ Dominus pro seruo suo Philippo Rege in terris hominibus ostendere dignatus est, istud maiori admiratione dignum, scribere dignum duximus. Retulerunt nobis quidam boni viri Ambianenses Canonici, quòd dum Christianissimus Rex cum exercitu suo moram faceret iuxta castrum quod Bouas vocatur, trahentes equi gigas passim per campos, tam homines quàm equi totius exercitus conculcauerunt messes, & maximam partem cum falciculis pro pabulo colligentes, equis ad comedendum dederunt: ita quòd penè non remansit aliquid virens super terram. Erat enim tempus quando messis est in spica & flores producit, videlicet circa festum S. Ioannis Baptistæ. Sed reformata pace quidam Canonici Ambianenses, qui fructus præbendarum suarum in loco, vbi exercitus Regis fuerat, colligere consueuerant; videntes messem equorũ pedibus confractã, & vsq; ad deletionẽ conculcatã, dolentes de amissione fructuum, cœperunt conqueri Decano suo & Capitulo, humiliter petentes, & de iure hoc debere fieri asserentes, quòd anno illo de omnibus aliis præbendis, fructus præbendarũ suarum amissos, illis causa fraternitatis de communi restituere dignarentur. Tandem Decanus cum Capitulo habito consilio, rogauit eos, vt patienter sustinerent vsque ad collectionem messium & granorum excussionem, & diligenter colligi facerent residuum messis conculcatæ ab exercitu Regis Francorum, & si quid illis de consueta fructuum perceptione deficeret, Capitulum illis plenè restitueret. Mira res, & nimis stupenda. Succedente itaq; tempore, miraculosè Domino operante ita factum est, quòd contra omnium opinionem, messis quæ ab exercitu Regis fuerat conculcata, ita plenè & abundanter eo

PHILIPPVS AVGVSTVS.

anno restituta, quòd post granorum excussionem, & areæ ventilationem, inuenerunt A centuplum æstimatum, non tantùm de spicis conculcatis, sed etiam de his, quæ cum falciculis sectæ fuerant, & equis totius exercitus ad comedendum datæ. In loco autem vbi exercitus Comitis Flandriæ collectus fuerat, ita omnia virentia sunt desiccata, quòd & herba super terram eo anno ibi non est reperta. Hæc & alia, quæ fecit Dominus pro seruo suo Philippo Rege Christianissimo nonne digna sunt scribi in libro Gestorum ipsius? Videntes autem Canonici Ambianenses tantum miraculum cum vniuerso populo, timuerunt Regem, videntes sapientiam Dei esse in illo, quæ instruit eum & docet ad faciendum quicquid vult, eo adiuuante qui omnium princeps est & principium.

Eodem anno septimo decimo Kalendas Februarij IV. Heraclius Patriarcha Hierosolymitanus, cum Priore Hospitalis transmarino, & Magistro magno Templi, ad Philippum Augustum Christianissimum Francorum Regem missi Parisius venerunt. Intrauerant enim eo tempore Sarraceni cum magno exercitu terras Christianorum transmarinas, & multos ex ipsis interfecerant, plures etiam captiuos secum duxerant. Vadum Iacob, videlicet quandam fortissimam munitionem Christianorum ceperant, vbi multos ex fratribus Hospitalis & Templi militibus miserabiliter occiderant, aliósque captiuos secum traxerant. Hac de causa omnes Christiani B transmarini timentes, ne sumpta audacia Sarraceni sanctam ciuitatem Hierusalem caperent, & Templum cum sepulchro Dominico polluendo prophanarent, miserunt Patriarcham cum duobus Magistris prædictis in Franciam, portantes claues ciuitatis Hierusalem, & sancti Sepulchri Domini ad Christianissimum Regem Francorum Philippum, rogantes & humiliter deprecantes, quatenus intuitu Dei & amore Christianæ religionis, terræ Hierosolymitanæ oppido desolatæ succursum præstare dignaretur. Qui per multa maris pericula, & frequentes incursus Piratarum, & longo tractu terrarum, Magistro militiæ Templi interim in fata collapso, duo superstites Domino ducente Parisius venerunt. Vbi cum solenni processione à venerabili Mauritio Episcopo Parisiensi, & Clero, & vniuerso totius ciuitatis populo, Patriarcha receptus est quasi Angelus Domini. Sequenti die in Ecclesia beatæ Mariæ Missam celebrauit, & sermonem ad populum fecit.

Quo audito, Philippus Augustus Francorum Rex, omnibus aliis negotiis omissis, nuntiis citissimè occurrit, & in osculo pacis honorificè recepit: diligentissimè præpositis terræ suæ, siue dispensatoribus præcipiens, quòd vbicumque per terram irent, de reditibus Regis sufficientes expensas illis ministrarent. Et cognita causa quare venerant, paterna pietate commotus, generale Concilium omnium Archiepiscoporum, Episcoporum, & Principum terræ suæ Parisius conuocari præcepit. Celebrato autem cum illis communi Consilio; Archiepiscopis, Episcopis, & omnibus Ecclesiarum prælatis regia auctoritate mandauit, quòd ipsi per frequentes C prædicationes & admonitiones populos sibi subditos admonerent, quatenus pro fide Christianorum defendenda, contra inimicos crucis Christi pugnaturi Hierosolymam peterent. Ipse enim Philippus Rex tunc regni Francorum gubernacula solus strenuè regebat. Nondum enim ex Elizabeth venerabili Regina vxore sua sobolem desideratam acceperat. Et ideò de consilio Principum strenuos milites cum magna multitudine peditum armatorum, de propriis reditibus, sumptus sufficientes, prout fama referente didicimus, ministrans, Hierosolymam deuotè transmisit.

Interea Dux Burgundiæ Hugo collecto exercitu in extremis terræ suæ finibus, castrum quoddam, quod dicitur Vergi, potentissimè obsederat, & quatuor munitiones in circuitu firmauerat. Dicebat enim castrum illud ad iurisdictionem suam pertinere, & quasi sub iuramento firmabat, quòd nulla pactione interueniente ab obsidione recederet, quousque castrum illud in suam potestatem, & dominium transferret. Videns autem Guido dominus castri firmum propositum Ducis, & quòd castrum suum Dux omnino auferre moliebatur, misit nuntios suos ad Philippum Augustum strenuissimum Francorum Regem, voluntatem suam per literas illi significans, quatenus citò veniret, & castrum scilicet Vergi Regi & successoribus suis habendũ perpetuò traderet. Rex autem semper Augustus visis literis & auditis, collecto exercitu, suppetias illi venire festinauit, vt liberaret inopem de manu fortiorum eius, obsessum & inclusum à diripientibus eum. Qui quasi ex impro-

A uiso superueniens obsidionem dissoluit, & illas munitiones, quas Dux ædificari fecerat, funditus euertit. Et recepto castro, positis ibi custodibus, ad dominium suum in perpetuum transtulit, & regno Francorum adiecit. Et paulò pòst Guido de Vergiaco regi dominium fecit, sub attestatione iusiurandi, & successoribus suis perpetuam fidelitatem firmauit. Quo facto statim rex castrum Vergiaci cum omnibus ad ipsum pertinentibus integerrimè domino Guidoni & hæredibus suis restituit, tamen tantùm & sibi & suis successoribus retento dominio.

Incidentia. Eodem anno fuit eclipsis Solis particularis prima die Maij hora nona, Sole existente in Tauro.

Post hæc breui temporis elapso curriculo, ab Episcopis & Abbatibus & aliis viris religiosis totius Burgundiæ, missi sunt nuntij ad Christianissimum Frācorum Regem Philippum Augustum, de iam dicto Hugone Duce Burgundiæ in multis conquerentes, & à Rege iustitiam exigentes. Antiquitus enim piissimi Reges Francorum zelo Christianæ fidei inflammati, vt Carolus & eius successores, expulsis Sarracenis Christianæ fidei inimicis, & cum multo sudore & labore in pace regnantes, Ecclesias seu Monasteria plurima in honore Domini nostri Iesu Christi, & beatæ Dei genitricis & virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, propriis manibus fundauerunt: eisdem Ecclesiis de propriis reditibus suis pro dote sufficientes reditus assignantes, B vnde clerici ibidem perpetuo Deo seruientes, honestè victui necessaria percipere potuissent. Quidam autem ex ipsis in Ecclesiis, quas fundauerant, sibi sepulturas viuentes elegerunt, omnimoda immunitate eas donantes; vt Clodoueus, qui primus omnium regum Francorum fidem Christianorum suscepit, cum venerabili regina Clotildi vxore sua in Ecclesia beati Petri Parisius, quæ modò mutato nomine Sanctæ Genouefæ Ecclesia dicitur, quam ipse fundauerat, sepultus est. Childebertus in Ecclesia, quæ quondam fundata fuerat in honore sancti Vincentij Martyris, quæ nunc Abbatia sancti Germani de Pratis vocatur, sepultus est. Clotarius primus in Ecclesia sancti Medardi Suessionis: sed iste Clotarius non fuit pater Dagoberti. Dagobertus in Ecclesia beatissimi Dionysij, quam ipse fundauit, ad dexteram partem maioris altaris est tumulatus. Ludouicus piæ recordationis pater Philippi Augusti Regis nostri in Ecclesia sanctæ Mariæ de Barbeel sepultus est, quam ipse fundauit.

De libertate Ecclesiarum à regibus concessa.

IGITVR Reges Francorum prædictas Ecclesias in sua libertate semper custodire cupientes, quibuscumque Principibus terras custodiendas tradidissent, tamen Ecclesias sub potestate sua & protectione retinere decreuerunt: ne Principes, quibus terra custodienda à Regibus delegabatur, Ecclesias vel clericos ibidem Domi- C no seruientes, aliquibus angariis, talliis, vel aliis exactionibus grauaré præsumerent. Verumtamen quia Dux Burgundiæ Ecclesias terræ sibi commissæ huiusmodi exactionibus frequentibus contra regias immunitates grauiter oppresserat: ideò Philippus Rex audita religiosorum virorum conquestione, ipsum Ducem bis vel ter coram omnibus amicis suis benignissimè commonuit, quòd intuitu Dei, & per fidem, quam regno Francorum debebat, ablata prædictis Ecclesiis restitueret, & de cætero talia non præsumeret: & si pecuniam illam Ecclesiis restituere nollet, grauiter in ipsum vindicaret.

Videns autem Dux Burgundiæ Christianissimi Regis voluntatem, & in omnibus factis & dictis suis firmam in Domino constantiam, turbatus à curia recedens, in Burgundiam rediit. Præceperat enim illi regia maiestas, quòd summam triginta millia librarum Parisiensium, quam violenter Ecclesiis abstulerat occasione postposita Ecclesiis restitueret, & de violentia illata Regi satisfaceret. Quod cùm Dux frustratorias dilationes petendo facere nollet, Philippus semper Augustus Francorum Rex contra ipsum mouit arma, & collecto exercitu Burgundiam miles Christi pugnaturus intrauit, & pro defensione Ecclesiarum & Cleri libertate (conculcabatur enim tunc vt populus, sic sacerdos) castrum, quod Castellonem vocant, obsedit. Et euolutis quindecim diebus vel tribus hebdomadibus, erectis in circuitu machinis, castrum Rex viriliter impugnari fecit. In quo conflictu tam de interioribus, quàm de exterioribus nonnulli ceciderūt: alij vulnerati, beneficio medicinæ pristinæ

PHILIPPVS AVGVSTVS.

sanitati sunt restituti. Tandem Rex potitus victoria, prædictum castrum scilicet Castellonem cepit, & positis custodibus suis muniri fecit. A

Dux autem Burgundiæ videns quòd Christianissimo Regi resistere non posset, sumpto salubri consilio veniens procidit ad pedes Regis, impetrans ab eo veniam, promittens quòd secundùm iudicium Curiæ Regis omnibus Ecclesiis & clericis ibidem Deo famulantibus, plenissimè satisfaceret. Sed Philippus Augustus satis acutè prospiciens multam malitiam hominum esse in terra, & quòd tunc cogitatio illius intenta esset ad malum omni tempore, voluit sibi & Ecclesiis præcauere in futurum. Audierat enim Rex à multis qui cum patre bonæ memoriæ Ludonico diutinam conuersationem habuerant, quòd iste Dux Burgundiæ persæpe ipsum Regem offendebat, & frequenter citatus ad Curiam veniebat Regi securitatem faciens, quòd omnibus modis quibus posset regalibus præceptis obediret, & de cætero se ab huiusmodi obtemperaret. Sed ex quo in Burgundiam reuertebatur, iterum Regem piissimum Ludouicum offendere non formidabat. Ex his & aliis huiusmodi Philippus Rex sufficienter præinstructus, à Duce Burgundiæ cautionem sufficientem, tria castra optima, nomine vadij recepit: tali tamen pactione, quòd tamdiu illa habeat & possideat, quousque prædictam pecuniæ summam, scilicet xxx. millia librarum Ecclesiis integrè restituet. Sed postea breui temporis elapso spatio, habito Rex cum amicis suis saniori consilio, illa tria castra Duci restituit. Et insuper quia prædictam pecuniæ summam Ecclesiis de proprio reddere non poterat, feudum quod spectabat ad dominium Vergiaci dono regio Duci concessit. Et sic pace reformata Philippus Rex semper Augustus cum suis Dominum laudans & magnificans in palatium suum Parisius reuersus est cum gloria. B

Factum est autem post aliquot dies, quòd Philippus Rex semper Augustus Parisius aliquantulum moram faciens, dum sollicitus pro negotiis regni agendis in aulam regiam deambularet, veniens ad palatij fenestras, vnde fluuium Sequanæ pro recreatione animi quandoque inspicere consueuerat, rhedæ equis trahentibus per ciuitatem transeuntes, fœtores intolerabiles lutum reuoluendo procreauerunt. Quòd Rex in aula deambulans ferre non sustinens, arduum opus, sed valdè necessarium excogitauit, quod omnes prædecessores sui ex nimia grauitate & operis impensa aggredi non præsumpserant. Conuocatis autem Burgensibus cum Præposito ipsius ciuitatis, regia auctoritate præcepit, quòd omnes vici & viæ totius ciuitatis Parisij duris & fortibus lapidibus sternerentur. At hoc enim Christianissimus Rex conabatur, quòd nomen antiquum auferret ciuitati: lutea enim à luti fœtore priùs dicta fuerat. Sed gentiles quondam huiusmodi nomen propter fœtorem abhorrentes à Paride Alexandro filio Priami Regis Troiæ Parisius vocauerunt. Legimus enim in gestis Francorum, quòd primus omnium Regum Francorum, qui apud illos more regio regnauit, fuit Pharamundus filius Marcomiri filii Priami Regis Austriæ. Iste Priamus Rex Austriæ non fuit ille magnus Priamus Rex Troiæ, sed ab Hectore filio suo per Francionem filium Hectoris descendit, sicut subiecta docet figura. C

PRIAMVS Rex Troiæ.

HECTOR	fratres	TROILVS
FRANCIO filius Hectoris.		TVRCVS filius Troili.
PRIAMVS Rex Austriæ.		
MARCOMIRVS filius eius.		
FARAMVNDVS filius, primus Rex in Gallia regnauit		annis XI.
CLODIVS filius ipsius		annis XX.
MEROVEVS de genere ipsius		annis XVII.
CHILDERICVS filius eius		annis XX.

Et quoniam multi solent dubitare de origine regni Francorum, quomodo & qualiter Reges Francorum ab ipsis Troianis descendisse dicantur: ideò sollicitiùs prout potuimus colligere ex historia Gregorij Turonensis, & ex Chronicis Eusebii, & Hidacij, & ex aliorum multorum scriptis, in hac nostra historia satis lucidè determinauimus.

A Post euersionem Troiæ multitudo magna inde fugiens, ac deinde in duos populos se diuidens, alia Francionem quondam Priami Regis Troiæ nepotem, videlicet Hectoris filium super se Regem leuauerit: alia Turchum nomine filium Troili filij Priami secuta sit. Atque ex eo, vt quidam tradunt, duos populos sumpto nomine Francos & Turchos vsque hodie vocari. Inde digressi iuxta Thraciam super ripas Danubij fluuij consederunt. Sed post paululùm temporis, Turchus cum suis à Francione consanguineo suo recedens, in Scythia inferiore se transtulit, & ibi regnauit; à quo descenderunt Ostrogoti, Ypogoti, Wandali, & Normanni. Francio autem circa Danubium fluuium cum suis remansit, & ædificans ibi ciuitatem, Sicambriam vocauit. Regnauit autem ibi ipse, & qui ab eo descenderunt annis M.D.VII. vsque ad tempora Valentiniani Imperatoris, qui imperauit anno ab incarnatione Domini CCCLXXVI.* à quo fuerunt inde expulsi, pro eo quòd tributa Romanis iuxta morem cæterarum gentium soluere recusarent. Egressi inde Marcomiro filio Priami Regis Austriæ, & Sonnone Antenoris filio, & Genebaudo Ducibus, venerunt & habitauerunt circa ripam Rheni, in confinio Germaniæ & Alemanniæ, quæ terra Austria vocatur. Quos cùm multis postmodum idem Valentinianus prælijs attentasset, nec vincere potuisset, proprio eos nomine Francos, quasi ferancos, id est, feroces appellauit. Ab illo enim tempore in tantum virtus Francorum excreuit, vt tandem totam Germaniam & Galliam vsque ad iuga Pyrenei & vltrà subiugarent. Sed postea Sonnone & Genebaudo Ducibus in Austria remanentibus, Marcomirus filius Priami Regis Austriæ, qui à Francione nepote Priami Regis Troiæ per multas successorum generationes, quas hîc longum esset enumerare, descenderat, in Galliam venit cum suis. Euaserunt autem & alij de excidio Troiano, vt Helenus vates filius Priami, cui cum mille & ducentis viris in regno Pandrasi Regis Græcorum se transtulit. Sed postea Brutus cum suis in Angliam transduxit. Antenor verò circa Tirreni æquoris littora, cum duobus millibus virorum & quingentis manere disposuit. Æneas cum tribus millibus virorum & CCCC. per mare nauigans, cum summo labore traiectus est in Italiam. Isti & multi alij de consanguinitate Priami, post excidium Troiæ disseminati sunt per diuersas regiones. Æneas cum Ascanio filio suo nauigio Italiam venit, vbi Ascanius Lauiniam filiam Latini Regis in vxorem duxit, de qua filium nomine Filinum suscepit. Hic furtiuæ veneri indulgens de nepte matris suæ Brutum suscepit. Qui post adiuncta sibi progenie Heleni filij Priami, & Corinneo, qui ab Antenore descenderat, Albion insulam applicuit, quam de nomine suo Britanniam nominauit. Et videns insulæ amœnitatem, ciuitatem Londoniarum ad similitudinem Troiæ fundauit, & Trinouantum vocauit, id est nouam Troiam. Ab isto descendisse dicuntur omnes Reges Angliæ, quæ ab ipso Bruto primo dicta fuit Britannia.

* al. LXVII.

B

Et nota quòd Reges fuerunt in Austria vsque ad Childericum filium Clodouei filij Dagoberti. Sed tunc deficientibus Regibus, Duces dominari cœperunt, vt Pipinus, Carolus Martellus, & cæteri.

C Marcomirus Priami Regis Austriæ filius Galliam cum suis adiit, vbi reperit homines simpliciter viuentes, qui de excidio Troiano descenderant, & apud Sicambriam circa fluuium Tanaim iuxta Mæotidas paludes cum Francione venerant, habitauerúntque illic annis multis, creuerúntque in gentem magnam. Sed reuolutis ducentis triginta quinque annis, viginti & tria millia ex Troianis à Sicambria recesserunt, habentes ducem nomine Ibor, quærentes vbicunque commodum si reperire potuissent. Et tamen situm facientes per Alemanniam, Germaniam, & Austriam, venerunt in Galliam; & ibi remanentes sedem suam apud Lutetiam constituerunt, octingentesimo nonagesimo quinto anno ante incarnationem Domini, & à Paride Alexandro filio Priami sibi nomen imponentes, Parisios se vocauerunt, satis simplicem vitam ibidem longo tempore ducentes. Vel secundùm alios dicti sunt Parisij ab hoc Græco nomine Parisia, quod interpretatum sonat audacia. Fuerũt autem ibi ex quo à Sicambria recesserunt annis M.CC.LXX. vsque ad tempora Valentiniani iam dicti Imperatoris. In diebus illis non erat Rex in Gallia, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur faciebat. Subditi tamen Romanis erant, & secundùm morem ipsorum ad regendum populum, Consules singulis annis ex semetipsis creabant.

Eo tempore Marcomirus cum suis Gallias intrauit: & audientes Parisij quòd de Troianis descenderat, ab ipsis honorificè receptus est. Quos quia ad exercitium ar-

morum docuit, & ciuitates propter frequentes incursus latronum murari fecit, ab ipsis defensor totius Galliæ constitutus est. Hic Pharamundum filium suum militem strenuum primum Regem Francorum diademate insigniuit, qui ob honorem Paridis filij Priami Regis Troiæ, à quo ipsi populi denominati fuerant, & vt magis ipsis placeret, ciuitatem Parisiorum, quæ tunc Lutetia vocabatur, de nomine Paridis Parisius vocari voluit. Affectabant enim omnes Troiani, qui de excidio Troiæ descenderant, quòd nomen eorum per vniuersum orbem longè latéque diffunderetur. Pharamundus genuit Clodium. Clodius genuit Merouеum, à quo Rege vtili, Reges Francorum Merouingi sunt appellati. Merouеus genuit Childericum. Childericus genuit Clodoueum primum Regem Christianum, à quo nomina Regum Francorum ab ipso descendentium, propter ordinem historiæ memoriter tenendum, hîc posuimus.

Clodoueus genuit Clotarium. Clotarius genuit Childericum. Qui Clotarium. Qui Dagobertum primum. Hic Ecclesiam hieromartyris Dionysij fundauit, & multa donaria eidem Ecclesiæ contulit. Dagobertus genuit Clodoueum: Qui Clotarium, Childericum, & Theodericum. Isti tres fuerunt fratres filij Clodouei, filij Dagoberti primi & sanctæ Baltildis. Childericus * genuit Dagobertum. Qui Theodericum. Qui Clotarium. Deinde regnauit Ansbertus. Qui genuit Arnoldum. Qui S. Arnulfum postea Metensem Episcopum. Qui Anchisen vel Ansegisilum, vel Ansedunum. Qui Pipinum Maiorem domus. Qui Carolum Martellum. Qui Pipinum Regem. Qui Carolum Magnum Imperatorem. Qui Ludouicum Pium Imperatorem. Qui Carolum Caluum Imperatorem. Hic attulit ad Ecclesiam ter beati Dionysij clauum & spineam coronam, & brachium sancti senis Simeonis, & cristam auream cum gemmis pretiosissimis & preciabilem, & crucem auream cum lapidibus pretiosis pondere octoginta marcarum, & multa alia carissima dona iam dictæ Ecclesiæ contulit, quæ longum esset hîc ponere. Carolus Caluus genuit Ludouicum Regem. Qui Carolum Simplicem. Tēpore istius Dani de Scicia per Oceanum vecti ceperunt Rotomagum, habentes ducem nomine Rollonem, qui multa Ecclesiis Dei intulit mala. Iste totam sibi Neustriam subiugauit, & à nomine gentis suæ Normanniam vocauit. Normanni verò lingua barbara homines Septentrionales dicti sunt, eo quòd ab illa mundi parte venerint. *Nort* enim Septentrio; *Mann* homo dicitur. Carolus verò Simplex inito cum eis fœdere, filiam suam Rolloni vxorem dedit, & Normanniam cum ipsa concessit. Qui scilicet Rollo anno ab incarnatione Domini DCCCCXII. baptizatus Robertus nomen accepit; atque exinde gens Normannorum Christo credens fidei Christianæ subiecta est. Deinde multis reuolutis annis Guillelmus, qui dictus est Nothus, Dux Normanniæ Angliam conquisiuit. Et tunc defecerunt Reges qui à Bruto descenderant. Postea Humfredus septimus ab eo Apuliam subiugauit. Deinde Robertus Guiscardus filius eius addidit & Calabriam. Boamundus Siciliam adiecit. Carolus Simplex genuit Ludouicum. Qui Lotharium. Qui Ludouicum huius regalis prosapiæ vltimum. Ludouico quoque defuncto, Francorum Proceres Regem super se statuerunt Hugonem Ducem Burgundiæ, qui fuit filius Hugonis magni Ducis, cognomento Chapet. Qui genuit Robertum. Qui Hugonem, Henricum & fratrem eius Odonem. Iste Henricus Rex auditis rumoribus quòd in Alemannia in ciuitate Ratispona in abbatia S. Hermantranni martyris inuentum fuit quoddam corpus, quod dicebant esse Dionysij Areopagitæ; misit nuncios suos ad Henricum Imperatorem cum literis suis, vt diem eleuationis illius corporis protelaret, quousque per certos nuncios vtrum corpus hieromartyris Dionysij Areopagitæ Athenarum Archiepiscopi discipuli Apostoli Pauli, in Francia in Ecclesia quam Dagobertus fundauerat, esset vel non, plenissimè certificarentur. Quo audito Imperator misit magnos viros & sapientes in Franciam, vt plenè rei veritatem agnoscerent. Visis nunciis Imperatoris Henricus Rex conuocauit Archiepiscopos, Episcopos, & Barones totius regni, & cum Odone charissimo fratre suo ad Ecclesiam beatissimi martyris Dionysij misit. Facta autem oratione, allata sunt tria vasa argentea, Dionysij, Rustici, & Eleutherij coram omni populo diligētissimè sigillata. Et aperto vase beati martyris Dionysij, totum corpus ipsius cum capite inuentum est, exceptis duobus ossibus de collo, quæ sunt in Ecclesia Vergiacensi, & os quoddam de brachio, quod Stephanus Papa tertius secum ad Romanam portauit Ecclesiam, & posuit in Ecclesia quæ hodie Schola Græcorum voca-

* vel Chilpericus.

A tur. Hoc videntes vniuersi populi, cum lachrymis & suspiriis puras manus leuantes ad Dominum, Deo & beatæ Mariæ Virgini, & sanctis Martyribus se commendantes, cum gaudio recesserũt. Tunc nuncij qui missi fuerant, ad Imperatorem citissimè reuertentes, super his quæ viderant & audierant Imperatorem plenissimè certificauerunt. Hoc fuit factum tempore Leonis Papæ IX. anno Domini M. L. Post Henricum Regem regnauit Philippus. Qui genuit Ludouicum Grossum. Qui Philippum à porco interfectum. Cui successit frater eius Ludouicus Pius Rex. Qui genuit Philippum Augustum.

Veruntamen quia distinximus breuiter generationem Regum, supponamus tempus, quo in Franciam Christiani Reges regnare cœperunt, probantes hoc secundùm chronica Ydatij & Gregorij Turonensis, per annos Dominicæ incarnationis. Sciendum quòd sanctus Martinus Turonensis Episcopus ex hoc mundo migrauit ad Dominum anno vndecimo Arcadij Imperatoris, qui est CCCCVII. annis ab incarnatione Domini. Et à transitu S. Martini, vsque ad transitum Clodouei fluxerunt anni D. XVIII. A transitu verò Clodouei vsque ad septimum annum regni Philippi Augusti fluxerunt anni DCLXVII. Restat ergo quòd septimus annus Philippi Augusti sit annus Dominicæ incarnationis M. C. LXXXVI.

Item alia probatio de eodem.

B Tempore Aiot iudicis Israël quarti ædificata fuit Troia, & stetit CLXXXV. annis. Tertiodecimo anno Abdon iudicis Israël, qui duodecimus fuit à Iosue, capta est Troia. Et à captiuitate Troiæ vsque ad natiuitatem Domini nostri Iesu Christi fluxerunt anni mille centum septuaginta sex. Et ab incarnatione Domini vsque ad transitum sancti Martini fluxerunt anni CCCC. XLV. Et à transitu S. Martini vsque ad transitum Clodouei fluxerunt anni centum duodecim. Et à captiuitate Troiæ vsque ad initium regni Clodouei fluxerunt anni M. DCLX. Et nota quòd Marcomirus cœpit in Gallia regnare anno Domini CCC. LXXXVI. Ergo ab eo tempore fluxerunt anni Dominicæ incarnationis octingenti & decem vsque ad sextum annum regni Philippi Augusti Francorum Regis. Hæc sine aliorum præiudicio huic historiæ nostræ inserenda censuimus; quia ab hac antiqua radice omnes Reges Francorum credimus descendisse.

Gesta sexti anni regni Philippi Augusti Francorum Regis.

ANNO Dominicæ incarnationis millesimo centesimo octogesimo quinto, regni Philippi Augusti anno sexto, ætatis ipsius anno vigesimo primo, media existente quadragesima factus est terræ motus in Gothia in ciuitate quæ Vcericum dicitur. Et in sequenti mense Aprilis, Nonas eiusdem mensis fuit eclipsis Lunæ particularis in vigilia Dominicæ passionis. Et in sequenti Pascha Girardus præpositus de Pixiaco vndecim millia marcas argenti de proprio suo in Thesauris Regis accreuit, & sic à curia recessit. Loco cuius Galterus Camerarius est substitutus. C

Eo igitur tempore Guillelmus natione Vapincensis Ecclesiam beati Dionysij tepidè regebat. Quod Christianissimus Rex grauiter ferens, alium rectorem illi Ecclesiæ prouidere satagebat. Quadam autem die dum pro negotiis regni agendis Rex per villam beati Dionysij transitum faceret, in Abbatiam beati Dionysij, sicut in propriam cameram suam, descendit. Audiens enim prædictus Abbas Regis aduentum, nimio timore percussus, (petebat enim tunc Rex ab eo mille marcas argenti) conuocatis omnibus fratribus in capitulum sexto Idus Maij sabbato post nonã seipsum deponens, Abbatiam dimisit. Quo facto, monachis cum Hugone venerabili Priore ibidem residentibus, quidam de fratribus à communi capitulo delegati, nuntiauerunt Domino Regi quæ facta fuerant, liberam ab eo petentes electionem. Rex verò de consueta benignitate sine mora liberam licentiam eligendi eis concessit, rogãs illos & benignissimè deprecans, quatenus intuitu Dei & honore ipsius Regis sine dissensione & discordia vtilem personam & honestam & bonis moribus approbatam in tam celebri Ecclesia, quæ corona regni Francorum est, & Regum seu Imperatorum sepultura, eligant. Reuersis autem in capitulo fratribus Regis mandata reportantibus, statim Domino procurante ita factum est, quod vnanimiter ab omni-

PHILIPPVS AVGVSTVS.

bus fratribus Hugo venerabilis Prior eiusdem Ecclesiæ in Abbatem est electus. Et statim à Christianissimo Rege in ipso capitulo, astante Clero & populo, electio illius est confirmata. Tali tamen conditione, regiáque prohibitione adiecta, quòd in illa nouitate seu promotione sua, aliqui de parentela Regis clerico seu laico, vel alicui alij de curia sua munus aliquod nec daret, nec promitteret. A

Porrò venerabilis Hugo Ecclesiæ beati Dionysij electus, considerans promotionem suam à solo Deo factam esse, & non ab homine, dignitatem antiquam Ecclesiæ beatissimi Dionysij integerrimè seruare cupiens, ad benedictionem suam in ipsa Ecclesia celebrandam venerabiles duos Episcopos, Meldensem scilicet & Syluanectensem benignissimè conuocauit. Isti duo de antiqua Ecclesiæ Romanæ institutione tenentur Ecclesiæ beati Dionysij in consecratione altariorum seu in ordinatione monachorum vicissim subuenire, & præcipuè Episcopus Meldensis. Celebrata est autem benedictio ista à prædictis Episcopis beati Dionysij, astantibus septem Abbatibus, cum maxima multitudine cleri & populi, decimoquinto Kalendas Iunij die Dominica.

Sed dum hæc in Francia gerebantur, missi sunt nuncij à Bele Rege Hungariæ, Pannoniæ, Cromaciæ, Auatiæ, Dalmatiæ, Ramæ ad Philippum Augustum Christianissimum Regem Francorum. Audierat enim Rex Hungariæ Henricum minorem Regem Angliæ filium Henrici, sub quo gloriosus martyr Thomas Cantuariorum Episcopus passus est, Domino vocante, de medio fuisse sublatum. Vxorem eius nomine Margaritam videlicet sororem Regis Franciæ Philippi, tum pro antiqua dignitate Regum Francorum, tum pro sapia & religione ipsius Reginæ, quæ fama multorum referente didicerat, sibi in matrimonium coniungi affectuosissimè cupiebat. Interea nuntij Regis Hungariæ Parisius venientes, petitionem suam humiliter Regi Philippo proposuerunt. Quorum petitiones benignè suscipiens, conuocauit Archiepiscopos, Episcopos & Principes regni maiores, quorum consilio & sapientia in negotiis suis pertractandis frequentiùs vti consueuerat. Et habito cum illis consilio Margaritam dilectissimam sororem suam quondam Angliæ Reginam, cum Episcopis & Abbatibus terræ suæ honorificè nuntiis tradens, Bele Regi Hungariæ in legitimam vxorem concessit, nec non ipsis nuntiis dona regalia sufficienter largitus est. Et accepta à Rege licentia, nuntij cum Regina gaudentes in Hungariam redierunt. B

Factum est eodem tempore quo suprà, quòd Gaufridus illustris Comes Britanniæ, filius Henrici Regis Angliæ, Parisius veniens, incidit in lectum ægritudinis. Quod audiens Rex Philippus, qui nimis tenerè eum diligebat, conuocauit omnes medicos qui eo tempore Parisius morabantur, præcipiens illis, quòd curam & diligentiam quantamcunque possent, circa ipsum Comitem adhiberent. Sed postea paucis euolutis diebus, medicis incassum laborantibus, quartodecimo Kalendas Septembris viam vniuersæ carnis ingressus est. Ciues autem Parisiẽses & milites custodierunt corpus eius cum honore & reuerentia in Ecclesia beatæ Mariæ vsque ad aduentum Regis; interim Canonicis & Clericis ipsius Ecclesiæ deuotissimè exequias debiti funeris celebrantibus. Sequenti die Rex cum Comite Thibaldo Franciæ Seneschallo Parisius veniens, corpus illius conditum aromatibus, & in sarcophago plumbeo repositum in eadem Ecclesia ante maius altare fecit sepeliri à reuerendissimo Mauritio Parisiensi Episcopo, conuocatis Abbatibus & viris religiosis & clericis totius ciuitatis. C

Peracto autem solenniter officio sepulturæ, Christianissimus Rex Philippus cum Comite Thibaldo, & Comite Henrico, & matre ipsius Comitissa Campaniæ, & Regina quondam Angliæ Margarita iam dicti Regis sorore (nondum enim ab Hungaris fuerat traducta) in palatium reuersus est. Grauiter enim Rex casum tanti Principis ferebat; & vt consolarentur Regem Principes iam dicti, & quamplures alij eum secuti fuerant. Recepta verò amicorum consolatione, nouissima sua sæpiùs reducens ad memoriam, ad opera pietatis & misericordiæ, secundùm consuetam patris sui benignitatem, animum reflectens, quatuor sacerdotes in Ecclesia beatæ Mariæ prædicta, in qua Comes sepultus fuerat, pro seipso & pro anima piissimi patris sui Ludouici, & pro anima dilecti sui Comitis Britanniæ perpetuò instituit. De propriis reditibus suis sufficientes reditus duobus assignans sacerdotibus, tertio Comitissa Campaniæ, quarto Capitulum beatæ Mariæ reditus assignandos promisit.

A *Incidentia.* Anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo octogesimo sexto incœpto, regni Philippi anno sexto, octauo Kalendas Aprilis, nocte sequenti hora vndecima fuit eclipsis Lunæ penè vniuersalis, Luna existente in vndecimo gradu Libræ, Sole verò in vndecimo gradu Arietis, capite Draconis in quarto gradu Arietis. Pars verò Lunæ obscurata, fuit aliquantulum rubei coloris & deformis. Et durauit Eclipsis illa per duas horas.

De multis bonis operibus Christianissimi Regis Philippi Augusti, hîc quædam satis digna memoriæ scribere dignum duximus. Quadam autem die dum Philippus Rex Parisius moram faceret, perlatum est ad aures eius verbum de cimiterio, quod in Campellis est iuxta Ecclesiam S. Innocentij reparando. Cimiterium enim illud antiquitùs fuerat platea grandis omnibus transeuntibus peruia, & vendendis mercibus exposita, vbi ciues Parisienses mortuos suos sepelire consueuerant. Sed quia corpora defunctorum minùs honestè poterant ibi sepeliri propter concursus pluuiarum, & luti fœtentis nimiam abundantiam: ideò Philippus Rex Christianissimus bonis operibus semper intentus, considerans hoc opus esse honestum & valdè necessarium, præcepit vt totum cimiterium circumquaque muro lapideo clauderetur, & portæ sufficientes ipsi muro aptarentur, quæ in nocte propter insidias superuenientium semper clauderentur. Considerauit equidem celebri consideratione &
B pia, quòd cimiterium, in quo tot millia virorum sepulta iacebant, à posteris suis Deum timentibus mundissimè custodiretur.

Cùm in Curiis Regum seu aliorum Principum frequens turba histrionum conuenire soleat, vt ab eis aurum, argentum, equos seu vestes, quas persæpè mutare consueuerunt Principes, ab eis extorqueant, verba ioculatoria variis adulationibus plena proferre nituntur. Et vt magis placeant, quicquid de ipsis Principibus probabiliter fingi potest, videlicet omnes delitias & lepores, & risu dignas vrbanitates, & cæteras ineptias trucinantibus buccis in medium eructare non erubescunt. Vidimus quondam quosdam Principes, qui vestes diu excogitatas & variis florum picturationibus artificiosissimè elaboratas, pro quibus forsan viginti vel triginta marchas argenti consumpserant, vix reuolutis septem diebus, histrionibus, ministris scilicet diaboli, ad primam vocem dedisse. Proh pudor! Certè de pretio illarum vestium viginti vel triginta pauperes per totum annum victui necessaria percipere potuissent. Sed Christianissimus Rex Philippus Augustus videns omnia ista esse vana, & saluti animæ contraria, instinctu Spiritus sancti reducens ad memoriam quod à sanctis & religiosis viris quandoque didicerat, quòd histrionibus dare, dæmonibus est immolare, mente promptissimâ Domino Deo promisit, quòd omnes vestes suas quandiu viueret intuitu Dei pauperibus erogaret: quoniam eleemosyna ab omni peccato liberat, & magnam fiduciam præstat coram Deo omnibus facientibus. Et nudus fui,
C dicit Dominus, & cooperuistis me. Melius est enim nudum Christum vestire, quàm adulatoribus vestes dando peccatum incurrere. Si ista quotidie Principes considerarent, non tot leccatores per mundum discurrerent. Videant ergo minores Principes Regem misericordem & pium, & opera ipsius contemplantes, discant ab eo pietatem & misericordiam: quoniam pro certo sciant quòd iudicium fiet illi sine misericordia qui non fecerit misericordiam.

De ventis falsa Astrologorum prophetia.

EODEM anno Astrologi Orientales, Iudæi videlicet & Sarraceni, & etiam Christiani, miserunt literas per vniuersas mundi partes: prædicentes & sine dubio asserentes in Septembri futuram validorum ventorum tempestatem, & terræ motum, & mortalitatem hominum, & seditiones, & discordias, regnorum mutationes, & multa alia comminantes, in hunc modum. Sed postea subsequens rerum euentus aliter quàm diuinando prædixerant, satis manifestè probauit. Tenor literarum illarum talis erat.

Nouit Deus, & ostendit ratio numeri, quòd anno Domini millesimo centesimo octogesimo sexto, Arabum verò anno quingentesimo sexagesimo secundo, Planetæ tam superiores quàm inferiores conuenient in Libra mense Septembri. Præcedet autem eodem anno coniunctionem illam eclipsis Solis particularis igneique coloris, in prima videlicet hora vigesimi primi diei mensis Aprilis. Quam quidem præcedet

A eclipsis Lunæ totalis eiusdem mensis Aprilis die quinta, prima videlicet hora noctis, quæ præcedet horam Mercurij. Anno igitur prædicto Planetis in libra concurrentibus, in signo scilicet aërio & ventoso, cum cauda draconis ibidem existente, terræ-motus accidet mirabilis, in regionibus præcipuè in quibus fieri consueuit, destruétque loca terræ motibus assueta, & ærumnis perditionis obnoxia. Nam à partibus Occidentis orietur ventus vehemens & validus, denigrans aërem, & fœtore corrumpens veneno so. Inde mortalitas & infirmitas plures occupabunt; & audient fragores & voces in aëre, corda hominum terrificantes audientium. Et eleuabit ventus arenam & puluerem à superficie terræ, operiétque ciuitates in planicie sitas, & in arenosis maximè regionibus, in quinto scilicet climate. Destruetur quoque penitus Mecha, Balsara, Baldach, & Babylonia, nec aliqua relinquetur quin terra operiatur: & destruentur arenis & puluere, vt verè fiant inhabitabiles regiones Ægypti & Æthiopiæ. Et ab Occidente pertinget hæc calamitas, vsque in partes Orientis. In partibus verò Occidentalibus orietur discordia, fiéntque seditiones in populo. Et erit vnus ex eis, qui infinitos congregabit exercitus, faciétque bellum secus ripas aquarum, in quo tanta strages efficietur, quòd impetus effusi sanguinis vndis excrescentibus adæquabitur. Pro certo autem sciatur, quòd futura coniunctio mutationes regnorum, excellentiam Francorum, dubietatem & ignorantiam inter Iudæos, Sarracenæ gentis destructionem, & Christi legis pietatem maiorem, & exaltationem, & eorum qui postmodum nascentur prolixiorem vitam significat, B si Deus voluerit.

Item alia litera de eodem.

SAPIENTES Ægypti prædixerunt signa quæ futura sunt tempore conuentionis omnium Planetarum, & caudæ draconis cum eis in signo Moranaim, mense Eilul, vicesima nona die eiusdem mensis secundùm Hebræos, anno ab initio Domini IIII. M. D. CCCC. XLVI. die Dominica, nocte sequenti circa mediam noctem, incipient signa sequentia, & durabunt vsque ad quartam feriam sequentem, in meridie. Orietur enim de mari magno ventus validissimus concutiens corda hominum, & eleuabit arenam & puluerem à superficie terræ, in tantum quòd operiet arbores & turres. Et hoc ideò quia coniunctio ista Planetarum erit in libra, in signo scilicet aërio & ventoso. Et secundùm quod ipsi sapientes iudicant, coniunctio ista significat ventum fortissimum confringentem montes & rupes, & fragores & tonitrua, & voces in aëre audientur, terrorem in cordibus hominum incutientes, & operientur omnes ciuitates arenis & puluere, in quinto scilicet climate. Nam ventus iste incipiet ab angulo Occidentis, & pertinget vsque in angulum Orientis, occupans omnes ciuitates Ægypti & Æthiopiæ, scilicet Mecham, Balsara, & Habeb, & Sennaar, & terras Arabum, & omnem terram Helam, Romam, Carmen, & Segestam, & Calla & Norozasatan, & Chebil, & Tanbrasten, & Barach; quia omnes istæ ciuitates siue regiones continentur sub signo Libræ, & etiam terras Romanorum. Et post tantam concussionem ventorum subsequentur quinque miracula. C Primò surget ab Oriente quidam homo sapientissimus in sapientia forinseca, id est, in sapientia quæ est supra hominem, & ambulabit in iustitiis, & docebit legem veritatis, & ad rectos mores reuocabit plurimos de tenebris ignorantiæ, & de incredulitate ad viam veritatis, & docebit peccatores semitas iustitiæ, & non extolletur ex eo quòd inter Prophetas connumerabitur. Secundò, exiet homo quidam de Helam, & congregabit multos & fortes exercitus, & stragem faciet magnam in gentibus, & non diu viuet. Tertiò, surget quidam alius homo, dicens se esse Prophetam, tenens librum in manu sua, & dicens se esse missum à Deo, & per Prophetas suos: & per prædicationem multos de gentibus errare faciet, & seducet plurimos, & quod gentibus prophetauerit super semetipsum conuertetur: & ille idem diu non viuet. Quartò, videbitur in cælo cometes, stella scilicet crinita, siue caudata. Et hæc apparitio significabit consummationes & tumultus & prælia dura, & retentiones pluuiarum, & siccitates terrarum, & pugnas fortes, & effusiones sanguinis in terra Orientis, & per transuersum Heberi fluminis pertinget vsque ad fines Occidentis: & in tantum opprimentur seu persecutiones patientur iusti & viri religiosi, quòd disturbabuntur domus orationis. Quintò erit eclipsis Solis ignei coloris tanta,

A quòd totum corpus illius obſcurabitur, & tanta erit obſcuritas ſuper terram tempore eclipſis, quanta fieri ſolet circa mediam noctem, quando Luna non lucet tempore pluuioſo. Et hæc de huiuſmodi literis ad præſens ſufficiant quæ dicta ſunt. Nunc ad geſta ſexti anni regni Philippi Auguſti redeamus.

Porrò eodem anno quo ſuprà, orta eſt diſſenſio inter Chriſtianiſſimum Regem Philippum,& Regem Angliæ Henricum. Petebat enim Rex Philippus prima fronte à Ricardo filio ſuo Comite Pictauenſi, hominium pro toto comitatu Pictauēſi: & hoc Ricardus à patre inſtructus de die in diem facere diſſimulabat. Secundo idem Rex Philippus petebat à Rege Angliæ caſtrum quod dicitur Giſortium, & alia caſtra adiacentia, quæ tradita fuerant à patre ſuo Rege Ludouico pro dote, Margaritæ ſuæ ſorori, quando eam illuſtri Henrico Regi filio maioris Henrici in matrimonio copulauit. Tali tamen conditione dos iſta conceſſa fuit Regi Henrico, quòd ſi prolem ex ea ſuſciperet, quandiu viueret, poſſideret; & poſt mortem eius ad ipſam prolem deuolueretur. Si verò ſobolem ex prædicta Margarita non ſuſciperet, mortuo Henrico Rege ad Regem Franciæ ſine aliqua contradictione dos iam dicta reuerteretur. Super his autem quæſtionibus frequenter Rex Angliæ citatus fuerat à Rege Philippo, ſed ſemper fictas proponendo dilationes, ſtare iudicio Regis Curiæ in dies protelabat. Videns autem Chriſtianiſſimus Rex Philippus aſtutias & calliditates Anglici Regis, & ſatis acutè proſpiciens moram ſibi & ſuis in futurum eſſe damnoſam, terram Regis Angliæ cum multitudine armatorum intrare decreuit.

B Factum eſt autem in anno VII. regni Philippi, & ætatis ipſius anno XXII. ipſe eſt annus Dominicæ incarnationis milleſimus centeſimus octogeſimus ſeptimus. Philippus Rex infinitum collegit exercitum in pago Bituricenſi, & in manu valida Aquitaniæ fines ingreſſus eſt, & depopulauit terram illam, & cepit caſtrum quod dicitur Eiſoldunum, & Crazzacum, & alias quamplures munitiones & terras circumpoſitas vaſtauit, vſque ad Caſtellum Radulfi. Quo audito, Rex Angliæ Henricus & Ricardus Comes Pictauenſis magnum collegerunt exercitum,& ad Caſtellum Radulfi contra Regem Franciæ dominum ſuum adducere præſumpſerunt. Volebant enim ſi poſſent, ipſum Regem Philippum ab obſidione Caſtelli Radulfi & exercitum eius omnem violenter fugare. Sed videntes Francorum conſtantiam & magnanimitatem, caſtra metati ſunt contra eos. Indignatus autem Rex Philippus, & omnes viri bellatores, acies pugnatorum contra eos ordinari fecit. Timentes autem illi magnanimitatem Regis Philippi, & Francorum ſolitam audaciam, miſerunt viros induſtrios & religioſos cum Legatis Romanæ Eccleſiæ, qui eo tempore pro pace reformanda à latere ſummi Pontificis ad partes Franciæ miſſi fuerant, ad Regem Philippum. Qui ex parte Regis Angliæ & Ricardi filij ſui præſtita cautione firmauerunt, quòd ipſi de tota querela ſecundùm iudicium Curiæ Regis Franciæ in omnibus plenè ſatisfacerent. Quo peracto, datis induciis vnuſquiſque ad propria remeauit.

C

De imagine beatæ Virginis, quam percuſſit Cotarellus.

DVM autem circa idem Caſtrum Radulfi Rex in obſidione moram faceret, accidit quiddam ſatis dignum relatu. Quadam die Ricardus Comes Pictauenſis multitudinem Cotarellorum ad Caſtellum Radulfi pro ſuccurſu tranſmiſerat. Cùm autem ibi moram facerent, congregati ante Eccleſiam beatæ Virginis Mariæ in platea quadam ad aleam cum teſſaris ludere cœperunt. Inter quos vnus de filiis iniquitatis plenus dæmone, quia denarios quos malè acquiſierat malè perdebat, prorupit in verba blaſphemiæ in beatam Virginem & Deum. Deinde ira furibundus, eleuatis ſurſum oculis, vidit in porticu Eccleſiæ imaginem beatiſſimæ Virginis Mariæ puerum Ieſum in manibus tenentem, vt ſolet in Eccleſiis fieri, pro excitanda memoria ſeu deuotione laicorum in lapide ſculptam. Quam oculis fulgurantibus toruiſque reſpiciens, & verba blaſphemiæ in ipſam Dominam noſtram & Deum auſu temerario congeminans, proh dolor! ille infelicior Iuda, lapidem coram omnibus in ipſam iecit imaginem, & brachium imaginis pueri Ieſu viliſſimè fregit, & in terram deiecit. De qua fractura, vt à multis qui in obſidione fuerant audiuimus, ſanguis abundanter fluxit in terram, & multi de illo colligentes à variis morbis curati meruerunt. Brachium autem illius imaginis ita ſanguinolentum, Ioannes qui dictus

est sine terra filius Regis Angliæ iunior, qui missus à patre fortè ibi venerat, pro reliquiis cum honore & reuerentia secum portauit. Infelix autem Cotarellus, qui imaginem beatæ Virginis tam ignominiosè percusserat, eadem die à dæmone, quo priùs agitabatur, arreptus, miserrimè vitam finiuit. Alij autem Cotarelli videntes quæ facta fuerant, timore perculsi, laudantes Dominum, qui nullum scelus impunitum relinquit, & beatissimam Virginem Mariam Dei genitricem immensis laudibus extollentes, à Castello Radulfi recesserunt. Monachi autem illius loci, videntes miracula quæ Domino operante ibi de die in diem fiebant, imaginem iam dictam infra ipsam Ecclesiam cum hymnis & laudibus transtulerunt. Vbi ad honorem Domini nostri Iesu Christi, & beatæ Virginis Mariæ multa fiunt miracula vsque in hodiernum diem. A

De nuntiis Hierosolymitanis ad Regem missis.

INTERIM autem dum hæc agerentur, superuenerunt nuntij de transmarinis partibus ad Regem Philippum: qui cum gemitu & suspiriis nuntiauerunt ei, quòd peccatis Christianorum exigentibus, Saladinus Rex Syriæ & Ægypti terras Christianorum transmarinas inuaserat, & multa millia Christianorum miserabiliter trucidauerat, & multis de fratribus Templi & Hospitalis, cum Episcopis ipsius terræ & Baronibus crudeliter gladio peremerat, & cum paucis reuolutis diebus crescente iniquitate sanctam ciuitatem Hierusalem, & omnem terram promissionis sibi subiugauerat, præter Tyrum, Tripolim & Antiochiam, & quædam castra fortissima, quæ nunquam habere potuit. B

De natiuitate Ludouici filij Philippi Augusti.

ANNO Dominicæ incarnationis M. CLXXXVII. quarta die Septemb. hora tertia, fuit eclipsis Solis particularis, in XVIII. gradu Virginis, & durauit per duas horas. Sequenti die, videlicet quinta die Septemb. natus fuit Ludouicus filius Philippi Augusti incliti Francorum Regis, feria secunda, hora vndecima diei vsualis. In cuius natiuitate ciuitas Parisij, in qua natus est, tanto gaudio fuit repleta, quòd per septem dies singulis noctibus cum faculis cereis accesis populus totius ciuitatis laudes debitas soluentes creatori suo, ducendo choreas canere non cessauit. Eadem hora qua natus est, cursores missi sunt per vniuersas prouincias, gaudia tanti Regis exteris nuntiantes. Qui nimio exhilarati gaudio, laudantes benedixerunt Deum, qui talem ac tantum hæredem regno Francorum suscitare dignatus est.

De frequenti transitu summorum Pontificum.

EODEM anno in festo sancti Lucæ, mense Octobri, Vrbanus Papa quartus migrauit ad Dominum, qui sedit anno & dimidio. Cui successit Gregorius octauus, qui sedit mense & dimidio. Cui eodem anno successit Clemens tertius natione Romanus. Et nota quòd tam frequens mutatio summorum Pontificum nulla ratione fieri potuit, nisi ex culpa ipsorum, & inobedientia subditorum per gratiam Dei redire nolentium. De Babylone enim, id est de confusione peccatorum, nemo suis viribus aut scientia reuertitur, nisi exeundi gratia desuper ei largiatur. Senescit enim ipse mundus, senescit & omnis regiminis vsus, & declinat in senium, & tanquam iterato relabitur in puerum, vt effluat in omne voluntatis suæ profluuium. Et nota quòd ab eodem anno Domini, quando crux Dominica in transmarinis partibus ab eodem Saladino capta fuit, infantes qui ab eo tempore nati sunt non habent nisi viginti duos dentes, aut tantùm viginti, cùm antea triginta, aut triginta duos habere consueuerant. C

Quòd intuitu Dei Philippus Rex & Henricus Rex Angliæ cruces assumpserunt.

SVPERVENIENTE autem sancti Hilarij festiuitate, quæ tertiadecima die Ianuarij celebratur, factum est colloquium inter Regem Franciæ Philippum & Hēricum Regem Angliæ, inter Triam & Gisortium. Vbi præter omnium hominum opinio-

A opinionem, Domino miraculosè operante, factum est, quòd per inspirationem Spiritus sancti cælitus missi, illi duo Reges in eodem loco, pro liberatione sancti sepulchri Domini & sanctæ ciuitatis Hierusalem, signum sanctæ crucis assumpserunt, & multi Archiepiscopi, Episcopi & Comites, Duces & Barones cum eis: scilicet Galterus Rotomagensis Archiepiscopus, Balduinus Cantuariensis Archiepiscopus, Episcopus Beluacensis, Episcopus Carnotensis: Dux Burgundiæ, Ricardus Comes Pictauiæ, Philippus Comes Flandriæ, Thibaldus Comes Blesensis, Rotroudus Comes Perticensis, Guillelmus de Barris Comes de Rupeforti, Henricus Comes Campaniæ, Robertus Comes Drocarum, Comes Clarimontis, Comes Bellimontis, Comes Suessionensis, Comes Barensis, Bernardus de S. Galerico, Iacobus de Auennis, Comes Niuernensis, G. de Merloto, Droco de Merloto, & plures alij zelo Dei accensi, quorum nomina longum esset hîc ponere. Et in eodem loco in monumentum huius facti, isti duo Reges deuotè erexerunt crucem ligneam, fundantes ibi Ecclesiam, & inter se fœdus perpetuò percutientes, & vocantes ipsum locum Sanctum agrum, eo quòd ibi sacris crucibus sunt insigniti. PHILIPPVS AVGVSTVS.

Gesta octaui anni regni Philippi Augusti Francorum Regis.

B ANNO Domini millesimo centesimo octogesimo octauo, mense Martio media quadragesima Parisius celebratum est generale Concilium à Philippo Rege, conuocatis omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & totius regni Baronibus. In quo innumerabilis militum multitudo, seu peditum, sacratissima cruce insigniti sunt. Et propter hanc instantem necessitatem (oppidò enim iter Hierosolymitanum Rex affectabat) cum assensu cleri & populi, quasdam decimas ab omnibus esse accipiendas eo tantùm anno decreuit, quæ dictæ sunt decimæ Salahadini, quas in præsenti libro posuimus.

Institutio Decimarum.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Amen. Constitutum est à Domino Philippo Francorum Rege, consilio Archiepiscoporum, Episcoporum & Baronum terræ suæ, quòd Episcopi, & Prælati, & clerici conuentualium Ecclesiarum, & milites qui signum crucis assumpserunt, de debitis suis reddendis, quæ debebantur tam Iudæis quàm Christianis, antequam crucem Rex assumpsisset, respectum habebunt à proximo festo omnium Sãctorum post diem motionis Domini Regis in duos annos. Ita videlicet, quòd primo festo omnium Sanctorum creditores habebunt tertium debiti, & sequenti festo omnium Sanctorum alium tertium debiti, & tertio festo omnium Sanctorum vltimum tertium debiti. Vsura autem non currit super aliquem à die qua ipse crucem assumpsit de debitis priùs contractis. Si miles † habens C qui sit legitimus hæres, filius vel gener militis † non habentis, vel alicuius viduæ, & sit de manu pastu patris, vel matris suæ, pater eius, vel mater respectum de debito suo habebit iuxta factam ordinationem. Si autem filius eorum vel gener † habens legitimus extra familiatus fuerit, vel etiam si miles non fuerit & † non habeat, pro eo respectum non habebit. Debitores autem, qui terras & reditus habebunt, infra quindenam proximi festi S. Ioannis Baptistæ creditoribus suis terra & reditus, ex quibus creditores sua recipient debita, ad præfatos terminos iuxta formam prædictam assignabunt per dominos, in quorum dominio fuerint terræ debentium. Domini verò assignamenta illa contradicere non poterunt, nisi ipsi creditori de pecunia sua pacem fecerint, qui terras seu reditus non habuerint, vnde facere possint sufficiens assignamentum debiti sui, faciant creditoribus per fideiussores, vel per vadia, creantum suum soluendi debita ad prædictos terminos. Et nisi infra quindenam proximi festi sancti Ioannis Baptistæ, per assignamentum terræ, vel per fideiussores, vel per vadia, si terram non habuerint, creantum fecerint, sicut dispositum est, non habebunt respectum qui aliis concessus est. Si quis clericorum vel militum † habentium, debet clerico vel militi † habenti, respectum habebit de debito illo vsque ad proximum festum omnium Sanctorum, præstita quidem bona securitate de pace indè tunc facienda.

Si quis illorum qui † assumpserunt octo diebus ante Purificationem beatæ Ma-

PHILIPPVS AVGVSTVS.

riæ, vel deinceps, aurum vel argentum, vel bladum, vel aliud mobile vadium alicui assignauerit, creditor super hoc dare respectum non compelletur. Si quis emit ab aliquo † non habente fructus terræ vnius anni certo pretio, stabile est. Si quis miles vel clericus terram suam vel reditus alicui Burgensi † etiam habenti, vel Clerico vel militi † non habenti inuadiauerit, vel ad annos assignauit; debitor hoc anno fructus terræ vel reditus percipiet, & creditor post impletionem annorum, per quos vadium vel assignamentum tenere debebat, per annum vnum pro recompensatione illius anni illud tenebit: Ita tamen quòd creditor medietatem bladi habebit hoc anno pro cultura, si vel terras vel vineas inuadiatas excoluit. Omnia mercata quæ facta fuerunt ab octo diebus ante purificationem beatæ Virginis, vel quæ deinceps fient, rata erunt. De omnibus debitis vnde datur respectus, oportebit vt debitor det æquè bonam fideiussionem, vel meliorem quàm antea dedisset. Et si de fideiussione orietur discordia, ad consilium Domini sub quo erit creditor, partietur æquè bona vel melior fideiussio quàm priùs. Et si fideiussio per Dominum non emendaretur, ad consilium Principis terræ oportebit emendari. Si quis Dominorum vel Principum, in quorum iurisdictionibus dicti creditores vel debitores fuerint, quod ordinatum est de respectu debitorum dando, vel assignamentis faciendis, tenere noluerit, vel teneri non fecerit, & à Metropolitano vel Episcopo suo commonitus, id infra quadraginta dies non emendauerit, ab eodem excommunicationis sententiæ supponi poterit. Veruntamen quandiù Dominus vel Princeps monstrare voluerit in præsentia Metropolitani, vel Episcopi sui, se super hoc creditori vel etiam debitori non deesse, & paratum quod inde ordinatum est tenere, Metropolitanus vel Episcopus non poterit eum excommunicare. Nullus † habentium siue clericus, siue miles, siue alius quilibet, alicui respondebit super hoc vnde tenens erat ea die qua crucem assumpsit, donec ab itinere suscepto redierit: nisi super eo tantùm, vnde in causam tractus erat antequam assumpsisset.

His imprimis constitutum est de Decimis, quòd omnes illi † non habentes quicunque sint, decimam ad minus dabunt hoc anno de omnibus mobilibus suis, & de omnibus reditibus, exceptis illis qui sunt Cistertiensis ordinis, & ordinis Carthusiensis, & ordinis Fontis Ebrardi, & exceptis Leprosis, quantum ad suum pertinet proprium. In nullas Communias mittet aliquis manum, nisi ille Dominus, cuius ipsa Communia fuerit. Quale tamen ius in aliqua Communiarum habebat priùs aliquis, tale habebit. Qui alicuius terræ magnam iustitiam habet, eidem terræ decimam habebit. Et sciendum quòd qui decimas sunt daturi, de toto mobili suo & reditibus decimas dabunt, non exceptis inde priùs debitis suis: imò post donationem decimæ, de residuo poterunt sua debita soluere. Vniuersi laici tam milites quàm alij præstito iuramento sub anathemate, Clerici excommunicatione astricti, suas dabunt decimas. Miles † non habens, Domino suo † habenti, ei, cuius erit homo ligius, dabit decimam de suo proprio mobili, & de feudo quem ab ipso tenebit. Si autem ab eo nullum tenebit feudum, de suo proprio mobili decimam domino suo ligio dabit. Singulis verò à quibus tenebit, decimam de suis feudis dabit. Et si nullum dominum ligium habebit, ei in cuius feudo manserit leuans & cubans dabit decimam de suo proprio mobili. Si quis terram suam decimans, res alterius quàm illius quem debet decimare, inuenerit in terra sua, & ille cuius res fuerint, illas esse suas legitimè monstrare poterit, decimans non poterit eas retinere. Miles † habens qui sit hæres legitimus, filius, vel gener militis † non habentis, vel alicuius viduæ, habebit decimam patris vel matris suæ. In res Archiepiscoporum seu Episcoporum, seu Capitulorum, seu Ecclesiarum quæ ab eis mouent in capite, non mittet aliquis manum: nisi Archiepiscopi, Episcopi, Capitula & Ecclesiæ, quæ ab eis mouent. Si Episcopi colligent inde decimas, & eas dabunt, quibus dare debuerint. Quicumque † habens, qui dare talliam vel decimam debeat, & eas dare noluerit, ab illo capiatur, cui suam debet talliam vel decimam, vt inde suam faciat voluntatem. Qui eum ceperit, propter hoc non poterit excommunicari. Qui deuotè & legitimè & sine coactione decimam suam dederit, à Deo remunerationem accipiet.

De irruptione fœderis à Richardo Comite facta.

EVOLVTIS autem duobus vel tribus mensibus, ex quo hæc facta sunt, videlicet inter Pentecosten & festum S. Ioannis, Ricardus Comes Pictauensis collecto exercitu intrauit terram Comitis Tholosæ, quam tenet à Rege Francorum, & cepit Moisacum & alia castella ad Comitem Tholosæ pertinentia. Quo audito Comes Tholosæ Raimundus, misit nuntios suos ad Christianissimum Regem Philippum; significans ei omnia mala quæ contra ius & fœdus, quæ præcesserant, à Comite Pictauensi ei illata fuerant. Frangebat enim Comes Ricardus pactionem quæ facta fuerat, & per iusiurandum confirmata anno præcedenti inter Caluum montem & Gisortium inter Philippum Regem Francorum, & Henricum Regem Angliæ & ipsum Ricardum, quæ talis erat, quòd terra eorum in eo statu remaneret, in quo erat, quando crucem assumpserunt: quousque peracto seruitio Domini vltra mare in terra sancta vnusquisque ad propria cum gaudio remearet. Audiens autem Philippus Rex semper Augustus irruptionem fœderis, quod duo iam dicti Reges inter se percusserant, felle commotus, collecta multitudine armatorum, subitò terras eorum intrauit, & nobile Castellum Radulfi cepit, & Busenzacum, & Argentonium, B & quartum obsedit, quod vocatur Leurosium. Vbi dum Rex in obsidione breuem faceret morulam, accidit quiddam satis dignum memoria.

De incremento cuiusdam torrentis miraculosè facto.

TORRENS quidam ante castrum prædictum erat, in quo, inundantibus pluuiis, aqua sufficienter solebat inueniri, sed ex nimio feruore æstatis exsiccatus fuerat. Cùm autem Rex & totus exercitus eius penuria aquarum & siti nimia multum affligeretur (æstas enim erat) subitò de profundis visceribus terræ aqua torrentis miraculosè tantùm excreuit & sine pluuia, quòd attigit vsque ad cingulas equorũ, & refocillatus est totus exercitus, & eorum animalia. Quod videntes populi, & gaudio tanti miraculi nimis exhilarati, laudauerunt Deum, qui omnia quæ voluit fecit in mari & in omnibus abyssis. Et tamdiu aqua durauit, quandiu ipse Rex in obsidione fuit. Et reuolutis paucis diebus, cepit castrum, scilicet Leurosium, & Ludouico consanguineo suo filio Comitis Thibaldi dono dedit. Eo autem recedente, reuersæ sunt aquæ ad priorem locum, nec postea apparuerunt.

De Monte Tricardi funditus euerso.

C EGRESSI indè venerunt, & Montem Tricardum obsederunt. Vbi Rex aliquantam in obsidione faciens moram, erectis in circuitu machinis cum summo labore cepit, & totum vicum incendio flagrauit, & turrim fortissimam, in qua L. milites armati erant, funditus euertit. Deinde Paluellum, & Montesorium, & Castelletum cepit, & Rupem Guillebaldi, & Cullencum, & Montem Luzzonis, & quicquid iuris Rex Angliæ in tota Bituria & Aruernia habebat, Philippus Rex sibi subiugauit. Quo viso, Rex Angliæ nimis iratus reduxit exercitum suum per marchiam Normanniæ versus Gisortium. Quo audito, insequutus est eum Rex Franciæ Philippus: & in ipso transitu cepit Vindocinum, & persequutus est Regem vsque ad castrum quod dicitur Trou, de quo turpiter Regem Angliæ cum filio suo Ricardo eiecit, & totum vicum incendio combussit. Transiens verò Rex Angliæ per marchiam prædictam castrum Drocarum incendit, & in transitu suo multas villas campestres vsque ad Gisortium destruxit. Tandem superueniente hyeme datis induciis vterque à bello quieuit.

Quòd Ricardus Comes Pictauensis fecit Regi hominium.

INTERIM dum hæc agebantur, Ricardus Comes Pictauensis petiit à patre suo vxorem, quæ ei de iure debebatur, videlicet sororem Philippi Regis Francorum: quæ tradita ei fuerat à bonæ memoriæ Rege Ludouico ad custodiendum: & cum ipsa petiit & regnum. Ita enim fuerat in pactis, quòd quicunq; de filiis Regis Angliæ

PHILIPPVS AVGVSTVS. eam haberet in vxorem, post mortem ipsius Regis haberet & regnum. Hoc de iure dicebat sibi competere Ricardus, quia post Henricum fratrem suum primogenitus erat. Quo audito, Rex Angliæ nimis sollicitus, nulla ratione facere decreuit. Qua de causa Ricardus Comes Pictauensis turbatus, à patre suo manifestè recessit, & ad Christianissimum Francorum Regem se transtulit, & coram patre suo hominium Regi Philippo fecit, & fœdus sub iuramento firmauit. A

Incidentia. Eodem anno millesimo centesimo octogesimo octauo, secunda die Februarij feria quinta fuit eclipsis Lunæ vniuersalis hora noctis quarta, & durauit per tres horas. Item quarto Idus Februarij, me existente apud Argentolium, in plenilunio paulò ante auroram nocte serenissima, visa fuit Luna, per quam designatur Ecclesia, in momento vsque ad terras descendere, & facta morula quasi resumptis viribus, iterum paulatim ascendere vsque ad locum vnde descenderat, à quibusdam fratribus religiosis R. de Gisortio eiusdem Ecclesiæ Priore, & I. Carnotensi, Ecclesiæ beati Dionysij Capicerio, & ab aliis multis fratribus, qui nobis eadem retulerunt.

Eodem anno versus de Philippo Rege quasi propheticè dicti à quodam versificatore:

Paruulus iste leo lustrabit lustra parentis,
Seruiet vsque Deo, renouabit gaudia gentis.
Seruat ei Brutus catulorum quatuor enses,
Anser erit mutus cùm Romulus audiet enses.
Gaudebit Babylon pinguescens chrismate ciues,
Gaudebitque Silo Gallorum munere diues.
Conteret iste leo totius climata mundi,
Et gaudebit eo quòd viderit arma recondi.
Hic leo, coruus, ouis renouabit mœnia Iebus,
Augebitque nouis ieiunia quinque diebus. B

Gesta noni anni regni Philippi Augusti Francorum Regis.

ANNO Domini millesimo centesimo octogesimo nono, mense Maio, Philippus Rex semper Augustus duxit exercitum apud Nogentum, & tunc cepit firmitatem Bernardi, cum aliis quatuor castellis fortissimis, & cum manu valida vrbem fortissimam Cenomannis cepit, de qua satis turpiter Henricum Regem Angliæ cum DCC. militibus armatis fugauit, & cum electis bellatoribus persecutus est vsque ad castrum quod dicitur Chinonium. Et Cenomannis reuersus, turrim fortissimam & benè munitam, adductis minariis, quos semper secum ducebat; de sub terra murum suffodientes, cum multo labore cepit. Deinde paucis reuolutis diebus, versus ciuitatem Turonis exercitum duxit. Vbi super ripam Ligeris fixis tentoriis, solus Rex fluuium circunspiciens tentando aquas cum lancea, quod à seculis non est auditum, vadum inuenit: & positis à dextris & à sinistris in flumine signis, vt totus exercitus inter illa duo signa post eũ transuaderet, primus Ligerim ante omnes alios transiuit. Videns autem totus exercitus diminutionem aquarum, quæ miraculosè in momento facta fuerat, statim euulsis paxillis & tentoriis collectis, omnes à minimo vsque ad maximum per vadum sequuti sunt Regem. Omnibus cum tota supellectili sua & armamentis insimul collectis, reuersæ sunt aquæ fluminis in priorem statum. Quod ciues Turonenses videntes timuerunt Regem. Et hoc factum accidit in vigilia sancti Ioannis Baptistæ. Veruntamen dum Rex circunquaque immunita ciuitatis consideraret, Ribaldi ipsius, qui primos impetus in expugnandis munitionibus facere consueuerant, eo vidente in ipsam ciuitatem impetum fecerunt, & per muros cum scalis ascendentes ex improuiso ceperunt. Quo audito, Rex & totus exercitus ciuitatem integram recepit: positis ibi custodibus. Et ibidem per aliquot dies Deo gratias soluentes, solemnizauerunt. C

De obitu Henrici Regis Angliæ.

REVOLVTIS autem diebus duodecim, videlicet in octauis Apostolorum Petri & Pauli, obiit Henricus Rex Angliæ apud Chinonium satis in omnibus pro-

A spere agens vsque ad tempora Philippi Francorum Regis, quem Dominus pro fræno in ore eius posuit, pro vindicando sanguine beati Thomæ martyris Cantuariensis; vt per talem vexationem daret ei intellectum, & ad sinum matris Ecclesiæ reduceret. Sepultus est autem apud Fontem Ebrardi, in quadam Abbatia monialium. Cui successit Ricardus filius eius, Comes Pictauensium. Ad cuius primum ingressum eodem anno apud Gisortium totum castrum incendio flagrauit, & in egressu ipsius Castelli sequenti die pons ligneus sub pedibus eius fractus est, omnibus sociis suis liberè transeuntibus, ita quòd ipse Ricardus cum equo suo in fossato cecidit. Paucis autem effluxis diebus, pax quæ interloquuta fuerat inter Regem Philippum & Regem Angliæ Henricum, eò sublato de medio, inter Regem Ricardum & Regem Philippum est perfecta & consummata. Et tunc Philippus Rex pro bono pacis reddidit Ricardo Regi Angliæ ciuitatem Turonis & Cenomannis, & etiam Castellum Radulfi cum toto feudo suo. Qua de causa Ricardus Rex Philippo Francorum Regi totum feudum quod pertinet ad Crazzacum, & omnia feuda quæ pertinent ad Eisoldunum, & totum feudum quod habebat in Aluerniam, sibi & successoribus suis perpetuò quitauit.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

De obitu Reginæ vxoris Philippi Francorum Regis.

B EODEM anno millesimo centesimo octogesimo nono, regni Philippi decimo, Idus Martij, obiit Elisabeth regina vxor Philippi Francorum Regis, quæ sepulta est in Ecclesia beatissimæ Virginis Mariæ Parisiis. Pro cuius memoria venerabilis Mauritius Parisiorum Episcopus in eadem Ecclesia altare erexit, & Christianissimus Rex semper Augustus intuitu pietatis pro remedio animæ illius & omnium prædecessorum suorum duos sacerdotes perpetuò ibidem instituit, vnicuique xv. libras Parisienses singulis annis pro victualibus perpetuò assignans.

Gesta decimi anni regni Philippi Augusti Francorum Regis.

Quòd Philippus Rex in Ecclesia beati Dionysij baculum & sportam peregrinationis accepit.

ANNO Domini millesimo centesimo nonagesimo, in festo sancti Ioannis Baptistæ, Philippus Rex ad Ecclesiam beatissimi martyris Dionysij cum maximo comitatu venit, causa licentiam accipiendi. Consueuerant enim antiquitùs Reges Francorum, quòd quandocumque contra hostes arma mouebant, vexillum desuper altare beati Dionysij pro tutela seu custodia secum portabãt, & in prima acie pugnatorum ponebant. Quod videntes aduersarij & cognoscentes territi, multoties terga dederunt. Ideò Christianissimus Rex ante corpora sanctorum martyrum Dionysij, Rustici, & Eleutheri, humiliter super pauimentum marmoreum in oratione C prostratus, Deo & beatæ Virgini Mariæ, & sanctis Martyribus, & omnibus Sanctis se commendauit. Tandem cum lachrymis ab oratione surgens, sportam & baculum peregrinationis de manu Guillelmi Remensis Archiepiscopi auunculi sui Apostolicæ Sedis Legati deuotissimè ibidem accepit. Deinde desuper corpora Sanctorum duo standalia decenter insignita pro memoria sanctorum martyrum & tutela, contra inimicos crucis Christi pugnaturus propriis manibus accepit. Demum orationibus fratrum se commendans, accepta benedictione claui & spineæ coronæ & sancti Simeonis brachij, recessit, & feria quarta post octauas S. Ioannis Baptistæ cum Rege Angliæ Ricardo apud Vizeliacum venit. Vbi accepta licentia ab omnibus Baronibus suis, Adelæ charissimæ matri suæ, & Guillelmo Remensi Archiepiscopo auunculo suo, pro tutela & custodia totum regnum Francorum cum filio suo dilectissimo Ludouico commendauit. Et paucis euolutis diebus apud Ianuam venit, vbi naues & ea quæ erant victui necessaria cum armamentis diligentissimè parari fecit. Ricardus autem Rex Angliæ apud Massiliam cũ omnibus suis mare intrauit. Et sic iam dicti catholici Reges pro sancta Christianitate defendenda, & propter amorem Domini nostri Iesu Christi ventis & mari se committentes, cum multis & magnis periculis apud Messanam venerunt. Sed antequam Rex Philippus de regno Francorum exiret, Parisius conuocatis amicis & familiaribus testamentum condidit, & regni totius ordinationem fecit in hunc modum:

PHILIPPVS AVGVSTVS.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Amen. Philippus Dei gratia Francorum Rex. Officium regium est subiectorum commodis modis omnibus prouidere, & suæ vtilitati priuatæ publicam anteferre. Quoniam igitur summo desiderio votum peregrinationis nostræ ad sanctæ terræ subuentionem totis viribus amplectimur: idcirco consilio Altissimi ordinare decreuimus, qualiter in absentia nostra regni negotia, quæ agenda erunt, tractari debeant, & vitæ nostræ, si quid in via humanitus accideret, extrema disponi. In primis igitur præcipimus, vt Baillivi nostri per singulos Præpositos in potestatibus nostris ponant quatuor homines prudentes, legitimos, & boni testimonij, sine quorum, vel duorum ex eis ad minus, consilio negotia villæ non tractentur, excepto quòd Parisius sex homines probos & legitimos constituimus, quorum nomina sunt hæc T. A. E. R. B. N. Et in terris nostris, quæ propriis nominibus distinctæ sunt, Bailliuos nostros posuimus, qui in Bailliuiis suis singulis mensibus ponent vnum diem, qui dicitur Assisia, in quo omnes illi qui clamorem facient recipient ius suum per eos, & iustitiam sine dilatione, & nos nostra iura & nostram iustitiam, forefacta, quæ propriè nostra sunt, ibi scribentur. Præterea volumus & præcipimus, vt charissima mater nostra A. Regina statuat cum charissimo auunculo nostro & fideli Guillelmo Remensi Archiepiscopo singulis quatuor mensibus vnum diem Parisius, in quo audiant clamores hominum regni nostri, & ibi eos finiant ad honorem Dei & vtilitatem regni. Præcipimus insuper, vt eo die sint ante ipsos de singulis villis nostris & Bailliui nostri, qui assisias tenebunt, vt coram eis recitent negotia terræ nostræ. Si autem aliquis de Bailliuis nostris deliquerit, præter quàm in murtro, raptu, vel homicidio, vel proditione, & hoc constabit Archiepiscopo & Reginæ, & aliis qui aderunt, vt audiant forefacta Bailliuorum nostrorum; præcipimus eis, vt nobis singulis annis, & hoc ter in anno litteris suis nobis duobus prædictis significent quis Bailliuus deliquerit, & quid fecerit, & quid acceperit, & à quo pecuniam, vel munus, vel seruitium, propter quod homines nostri ius suum amitterent, vel nos nostrum. Similiter de Præpositis nostris, significent nobis Bailliui nostri. Bailliuos autem nostros non poterunt amouere Regina & Archiepiscopus à Bailliuiis suis, nisi pro murtro, vel raptu, vel homicidio, vel proditione: vel Bailliui Præpositos, nisi pro aliquo istorum. Nos autem in consilio Dei talem faciemus de eo vindictam, postquàm prædicti viri nobis rei veritatem nuntiauerint, per quam alij non immeritò poterunt deterreri. Similiter Regina & Archiepiscopus de statu regni nostri & negotiis ter in anno significent. Si fortè contigerit sedem Episcopalem, vel aliquam Abbatiam Regalem vacare, volumus vt canonici Ecclesiæ, vel Monachi monasterij vacantis veniant ad Reginam & Archiepiscopum, sicut ante nos venirent, & liberam electionem ab eis petant; & nos volumus quòd sine contradictione eis concedant. Nos verò tam Canonicos, quàm Monachos monemus, vt talem pastorem eligant, qui Deo placeat & vtilis sit regno. Regina autem & Archiepiscopus tam diu Regalia in manu sua teneant, donec electus consecratus sit, vel benedictus, & tunc Regalia sine contradictione ei reddantur. Præterea præcipimus, quòd si præbenda vel beneficium aliquod Ecclesiasticum vacauerit, quando Regalia in manu nostra venient, secundùm quod melius & honestius poterunt Regina & Archiepiscopus viris honestis & litteratis consilio fratris Bernardi conferant: saluis tamen donationibus nostris, quas per litteras nostras patentes quibusdam fecimus. Prohibemus etiam vniuersis Prælatis Ecclesiarum & hominibus nostris, ne talliam vel toltam donent quandiu in seruitio Dei erimus. Si verò Dominus Deus de nobis suam faceret voluntatem, & nos mori contingeret, prohibemus districtissimè omnibus hominibus terræ nostræ, tam clericis, quàm laicis, ne talliam vel toltam donent, donec filius noster, quem Deus seruitio suo sanum & incolumem conseruare dignetur, veniat ad ætatem in qua gratia sancti Spiritus possit regere regnum. Si autem aliquis filio nostro vellet mouere guerram, & redditus sui quos habet non sufficerent, tunc omnes homines nostri adiuuent eum de corporibus suis & aueris, & Ecclesiæ tale faciant ei auxilium, quale solitæ sunt facere nobis. Præpositis insuper nostris & Bailliuis prohibemus, ne aliquem hominem capiant, neque auerum suum, quandiu bonos fideiussores dare voluerit de iustitia prosequenda in curia nostra, nisi pro homicidio, vel murtro, vel raptu, vel proditione. Præterea præcipimus, quòd omnes redditus nostri &

A feruitia, & obuentiones afferantur Parifius per tria tempora. Primò ad feftum fancti Remigij. Secundò ad purificationem beatæ Virginis. Tertiò ad Afcenfionem; & tradatur burgenfibus noftris prædictis, & P. marefcallo. Si contingeret aliquem ex eis mori, G. de Garlandia alium in loco eius fubftitueret. In receptionibus aueri noftri Adam clericus nofter præfens erit, & eas fcribet, & finguli habeant fingulas claues de fingulis archis, in quibus reponetur auerum noftrum in Templo, & Templum vnam. De ifto auero tantum nobis mittetur, quantum litteris noftris mandabimus. Si in via quam facimus nos mori contingeret, præcipimus quòd Regina, & Archiepifcopus, & Epifcopus Parifienfis, & Abbates fancti Victoris, & de Sardenio, & frater G. thefaurum noftrum in duas partes diuidant. Vnam medietatem pro arbitrio fuo diftribuant ad Ecclefias reparandas, quæ per guerras noftras deftructæ funt; ita quòd feruitium Dei poffit in eis fieri. De eadem medietate donabunt illis, qui per tallias noftras aporiati funt; & de eadem dabunt refiduum illis quibus voluerint, & quos magis egere crediderint: ob remedium animæ noftræ & genitoris noftri Regis Ludouici, & anteceſſorum noftrorum. De altera medietate præcipimus cuftodibus aueri noftri, & omnibus hominibus Parifienfibus, quòd eam cuftodiant ad opus filij noftri donec ad ætatem veniat, in qua confilio Dei & fenfu fuo poffit regere regnum. Si autem tam nos quàm filium noftrum mori con-

B tingeret, præcipimus, quòd auerum noftrum per manum VII. prædictorum, pro anima noftra, & filij noftri, pro arbitrio fuo diftribuatur. Quàm citò etiam certum effet de morte noftra, volumus quòd auerum noftrum vbicunque foret ad domum Epifcopi Parifienfis portaretur, & ibi cuftodiretur, & poftea de eodem fiet quod difpofuimus. Præcipimus etiam Reginæ & Archiepifcopo, vt omnes honores, qui dum vacant, pertinent ad donationem noftram, quos honeftè poterunt retinere, ficut Abbatiæ noftræ, & Decanatus, & aliæ quædam dignitates, in manu fua teneant, donec à feruitio Dei redierimus: & quos retinere non poterunt, donent fecundùm Deum, & affignent confilio fatris G. & hoc faciant ad honorem Dei & vtilitatem regni. Si autem in via moriemur, volumus vt honores & dignitates Ecclefiarum donent illis, quos magis dignos viderint. Quod vt firmum & ftabile permaneat, præfentem paginam figilli noftri auctoritate, & Regij nominis charactere inferiùs annotato præcipimus confirmari. Actum Parifius anno Verbi incarnati millefimo centefimo nonagefimo, regni noftri anno vndecimo: aftantibus in palatio noftro, quorum nomina fubpofita funt & figna. S. Comitis Thibaldi dapiferi noftri, S. Guidonis Buticularij, S. Mathæi camerarij, S. Radulfi Conftabularij. Data vacante Cancellaria. P. R. S. P.

Præcepit etiam ciuibus Parifienfibus, quòd ciuitas Parifij, quam Rex multum diligebat, muro optimo cum tornellis decenter aptatis & portis diligentiffimè clau-

C deretur. Quod breui temporis elapfo fpatio completum vidimus. Et hoc idem in aliis ciuitatibus & caftellis fieri mandauit per totum regnum. Nunc ad ea quæ apud Meffanam inter iam dictos Reges gefta funt, & qualiter in tranfmarinis partibus fe habuerunt, reditum faciamus.

Quando Rex Philippus apud Meffanam venit menfe Augufto, honorificè receptus eft in palatio Regis Tancredi, & de victualibus fuis abundanter ei donauit, & infinitam auri fummam ei dediffet, fi vnam de filiabus fuis ei, aut filio fuo Ludouico defponfaffet. Sed Rex Philippus propter amicitiam, quam erga Hericum Imperatorem habebat, vtrilibet defponfationi fuperfedit. Poftmodum contentio quædam, quam Rex Angliæ pro dotalitio fororis fuæ cum Rege Tancredo habebat, interuentu & labore Regis Philippi hoc modo terminata eft. Rex Angliæ habuit à Rege Tācredo quadraginta millia vncias auri: de quibus Rex Philippus habuit tertiam partem, cùm medietatem habere deberet, fed pro bono pacis tertia fuit contentus. Iurauerunt etiam ex parte Regis Angliæ quidam viri nobiles vnam de filiabus Regis Tancredi Arturo futuro Duci Britanniæ. Rex verò Francorum Philippus apud Meffanam Natale Domini tunc celebrauit, & militibus terræ fuæ pauperibus, qui res fuas orta tempeftate in mari perdiderant, multa dona dedit & magna. Duci Burgundiæ mille marcas; Comiti Niuernenfi fexcentas; Guillelmo de Barris quadringentas marcas; Guillelmo de Merloto quadringentas vncias auri; Epifcopo Carnotenfi trecentas; M. de monte Morētiaco trecentas; Drogoni ducentas, & multis aliis ducentas, quorum nomina longum effet hîc ponere. Quæcunque eo tempo-

PHILIPPVS AVGVSTVS. re venalia ibi inueniebantur, cariſſima erant. Sextarius frumenti valebat viginti quatuor ſolidis Andegauenſium, hordei octodecim ſolidis, vini x v. ſolidis, gallina duodecim denariis. Hac de cauſa Philippus Rex miſit ad Regem & Reginam Hungariæ, vt ſibi ſubuenirent in victualibus. Poſtmodum miſit ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, pro ſuccurſu terræ ſanctæ faciendo, & ſi Rex Deo volente per terram Imperatoris rediret, quòd ei Imperator præſtaret ſecurum tranſitum, & Rex præſtaret ei bonam ſecuritatem de pacifico ingreſſu & egreſſu. A

Reuolutis autem paucis diebus Rex Francorum Regem Angliæ compellauit, vt ad paſſagium medij Marcij paratus inueniretur, mare cum eo tranſiturus. Ille verò reſpondit, quòd tranſire non poterat donec in Auguſto. Iterum autem Rex Francorum mandauit, & quaſi hominem ſuum commonuit, vt ſicut ei iurauerat, mare cum eo tranſiret: & ſi vellet filiam Regis Nauarræ, quam mater Regis Angliæ illuc adduxerat, Accij deſponſaret. Si verò tranſire nollet, ſororem ſuam duceret in vxorem, ſicut de iuramento tenebatur. Rex autem Angliæ penitus negauit hoc vel illud facere. Tunc verò Rex Francorum illos, qui ſuper hoc iuramento ei tenebantur, facere hoc quod iurauerant compellauit. G. autem de Ranchonio & Vicecomes de Caſtelloduno pro omnibus reſpondentes, conceſſerunt quod iurauerant ſe facturos, & cum eo quandocunque voluerit ſe ituros. Vnde Rex Angliæ vehementer iratus, eos exhæredare iurauit. Quod poſtea ſubſequens rerum euentus probauit. Et extunc cœperunt oriri diſcordiæ, & inuidiæ, & inimicitiæ inter duos Reges. Rex autem Francorum Philippus cum ſummo deſiderio volens iter perficere quod incœperat, Martio menſe mare intrauit, & reuolutis paucis diebus proſperis ventis, cum omnibus rebus ſuis, vigilia Paſchæ Acon applicuit, & cum ſummo gaudio ab vniuerſo exercitu, qui in obſidione Accij longo tempore ſederat, cum hymnis & laudibus & effuſione lachrymarum multa, receptus eſt quaſi Angelus Domini. Et ſtatim ita prope muros ipſius ciuitatis domum fecit fieri, quòd inimici Chriſti & quarellos cum baliſtis, & ſagittas cum arcubus vſque ad domum illam emitterent, & ſæpè vltrà. Poſtmodum verò erectis petrariis ſuis & mangonellis, & aliis ingeniis, tantum fregerat de muris ciuitatis ante aduentum Regis Angliæ, quòd non deerat ad ciuitatem capiendam niſi aſſaltus. Nolebat enim Francorum Rex ciuitatem aſſilire, abſente Rege Angliæ. Sed quàm citò Rex venit, loquutus eſt ei Rex Francorum, quia omnium erat vna voluntas, de aſſaltu faciendo. Rex verò Angliæ in corde & ore loquens benè conſulit vt aſſaltus fieret, & mitteret omnes quos habere poſſet. Sequenti die manè Rex Philippus cum ſuis voluit aſſalire: ſed Rex Angliæ ſuos non permiſit abire, & Piſanos cum quibus iuratus erat prohibuit aſſalire, & ſic defecit aſſaltus. Poſtmodum verò conſilio vtriuſque partis, electi ſunt dictatores ex vtraque parte, viri ſapientes & probi: quorum arbitrio & conſilio vniuerſus exercitus regeretur. In quibus promiſerunt duo Reges & per fidem quam Deo debebant, & peregrinationem ſuam iurauerunt, & quicquid dictatores dicerent, facerent. Poſtea dixerunt arbitri, quòd Rex Angliæ ad aſſaltum mitteret ſuos, & cuſtodes poneret ad barras, & faceret mangonellos ſuos leuari, & alia ingenia, quia Rex Francorum hæc omnia faciebat. Quod quia renuit, Rex Philippus ſuos à iuramento abſoluit, quod fecerat, de exercitu regendo. Rex Angliæ & ſui dum venirent per mare, tranſitum facientes per inſulam Cypri, ipſam cum Imperatore ſuo & filiam Imperatoris ceperunt, & omnes theſauros ſuos aſportauerunt. Tandem verò inſulâ de ſuis benè munita, committens carbaſa ventis, habuit obuiam nauem Salahadini miro modo munitam, quæ veniebat in ſuccurſum ciuitati: in qua erant infinitæ phialæ vitri plenæ igne Græco, & baliſtæ ducentæ & quinquaginta, & arcuum & armorum maxima abundantia, & fortiſſimi erant in ea bellatores, qui omnes à Rege Angliæ & à ſuis interfecti fuerunt, & nauis confracta periit. Aliam autem nauem eiuſdem Salahadini apud Tyrum noſtri ceperunt, quia ventum habere non poterat, in qua erat copia armorum, & homines pauci, quæ ſimiliter veniebat ad ſuccurſum ciuitatis Accij. B C

Eodem anno Fredericus Romanorum & Theutonicorum Imperator Chriſtianiſſimus cum filio ſuo Duce Bohemiæ, & vniuerſo exercitu ſuo, veniens in tranſmarinis partibus inter Niceam Bithiniæ ciuitatem & Antiochiam, non minimam Chriſtianis relinquens mœſtitiam, viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt, filio ſuo Duci Bohemiæ vniuerſum exercitum ſuum relinquens. Qui cum paucis de terra

A viroru meuasit,& cum illis apud Accium venit, vbi breuiter lege naturali vitam finiuit. Friderico Imperatori successit filius eius Henricus, strenuus in agendis,& acer in hostes, omnibus ad eum accedentibus largus & munificus.

Anno Domini millesimo centesimo nonagesimo primo, quintodecimo Kalendas Maij obiit Clemens Papa, qui sedit duobus annis & quinque mensibus: cui successit Celestinus natione Romanus.

Eodem anno, mense Augusto, Iunio, & Iulio, tanta aëris intemperies ex nimietate pluuiarum facta est, quòd segetes in campis, priusquam colligi possent, in spicis & folliculis suis germinauerunt.

Eodem anno, XXIII. die Iunij, vigilia sancti Ioannis Baptistæ, existentibus regibus in obsidione Accij, fuit eclipsis Solis in septimo gradu Cancri, Luna existente in sexto gradu eiusdem signi,& cauda Draconis in duodecimo, & durauit per quatuor horas. Sequenti mense, decimo Kalendas Augusti, Ludouicus filius Regis cœpit ægrotare morbo grauissimo, qui à physicis dysenteria vocatur. Omnibúsque de vita desperantibus, factum est de communi consilio, quòd sacer Conuentus beati Dionysij, ieiuniis & orationibus deuotè præmissis, portans secum clauum & spineam coronam Domini, & brachium sancti senis Simeonis, cum processione Cleri & populi nudis pedibus incedentes, & preces cum lachrymis Domino fundentes, ad Ecclesiam sancti Lazari iuxta Parisium venerunt. Vbi facta oratione & populi subsequentis oblatione, vniuersi Conuetus religiosorum Parisienses,& venerabilis Mauritius Parisiensis Episcopus cum Canonicis suis & Clericis, & infinita scholarium & populi concurrente multitudine, corpora Sanctorum & reliquias secum portantes nudis plantis flentes & lachrymantes eis obuiam venerunt. Et coniungentes se illis, cantantes cum fletu multo & suspiriis, ad palatium Regis vbi puer ægrotabat venerunt, & facto ibi sermone ad populum, & cum multa lachrymarum effusione, oratione populi fusa pro eo ad Dominum, ad tactum claui & spineæ coronæ, & brachij sancti Simeonis per totum ventrem pueri in modum crucis, eodem die ab imminenti periculo est liberatus, & pater suus Philippus Rex in transmarinis partibus existens, eodem die & eadem hora à consimili morbo curatus. Deinde puer Ludouicus osculatis reliquiis, & benedictione accepta, omnes processiones ad Ecclesiam beatæ Mariæ venerunt. Vbi laudes cum oblationibus Domino soluentes, processio beatæ Mariæ cum aliis multis processionibus, Conuentum beati Dionysij cum hymnis & laudibus & multa Domino gratiarum actione, vsque ad exitum villæ perduxerunt. Et ibi sese mutuò cum reliquiis benedicentes, vnusquisque ad propria remeauit. Canonici verò beatæ Mariæ cum populo reuertebantur gaudentes, quia tempore suo reliquiæ beati Dionysij prædictæ Parisius fuerant deportatæ. Non enim legitur in aliqua Scriptura, quòd vsque ad tempus illud pro aliquo imminenti periculo extra villam beati Dionysij portarentur. Nec est silentio prætereundum, C quòd eadem die per orationes Cleri & populi serenitas aëris & temperies restituta est vniuersis terris. Pluerat enim Dominus, peccatis hominum exigentibus, multo tempore super terram.

Eodem anno Episcopus Leodicensis à facie Henrici Imperatoris fugiens, Remis aliquantulam fecit moram, à Guillelmo reuerendo Remensi Archiepiscopo honorificè receptus, & in propria domo paratis sufficienter necessariis collocatus. Sed reuolutis paucis diebus, instigante diabolo, missi sunt ab Imperatore quidam milites, imò condicti sathanæ satellites ad prædictum Leodicensem Episcopum. Episcopus autem sicut vir mansuetus & pius, eos honorificè recepit, & in mensa sua quasi amicos & domesticos collocauit. Dicebant enim sese ab Imperatore iniustè exhæredatos, callidè & dolosè in corde & corde loquentes. Conceperunt enim dolorem,& in proximo perpetrati sunt iniquitatem. Nam effluxis aliquot diebus causa spatiandi educentes Episcopum extra ciuitatem, euaginatis gladiis christum Domini vilissimè interfecerunt, quia canonicè electus & consecratus fuerat contra voluntatem Imperatoris, & fugam arripientes cursu rapidissimo ad Imperatorem reuersi sunt.

Eodem anno Comes Thibaldus pius & misericors Regis Francorum Senescallus, Comes Clarimōtis, Comes Perticensis, Dux Burgundiæ, & Philippus Comes Flandriæ, in obsidione Accij Domino vocante, viam vniuersæ carnis ingressi sunt. Terra verò Comitis Flandriæ, quæ alium non habebat hæredem, ad Balduinum nepo-

PHILIPPVS AVGVSTVS. tem suum filium Comitis Henoensis est deuoluta, qui postea factus est Imperator Constantinopolis. A

Eodem anno octauo Kalendas Septembris, consilio Domini G. Remensis Archiepiscopi, & Adelæ reginæ, & omnium Episcoporum, corona beatissimorum martyrum Dionysij, Rustici, & Eleutherij, cum purissimis vasis argenteis, in quibus diligentissimè sigillata continebantur, sunt extracta, & super altare posita, adiunctis ibi aliis corporibus Sanctorum in eadem Ecclesia quiescentium, vt ibi omnes fideles ad tam sanctum spectaculum conuenientes, cum gemitu & suspiriis pro sancta terra liberanda, & pro Rege Francorum & vniuerso comitatu suo, puras manus cum Moyse leuantes ad Dominum preces funderent: quia non in armorum potentia, sed in Christi virtute & miseratione Christiani confidunt: nec in se, sed in Deo virtutem faciunt, superantes populos infideles, & ad nihilum redigentes inimicos crucis Christi. Sequenti verò festo beati Dionysij, aperto vase argenteo, in quo corpus sacratissimi martyris Dionysij continebatur, assistentibus venerabilibus Episcopis Syluanectensi & Meldensi, & Ala Francorum Regina, & multis Abbatibus & viris Religiosis, totum corpus ipsius cum capite, vt prædiximus, est inuentum; & vniuersis Dei fidelibus, qui de longinquis partibus orandi causa conuenerant, deuotissimè demonstratum. Et ad remouendũ errorem Parisiensium, retento capite hieromartyris Dionysij, & in vase argenteo decenter collocato, corpora Sanctorum cum vasis suis sub altare in cripta marmorea, vnde extracta fuerant, sunt deuotissimè reposita. B Caput verò pro excitanda deuotione fidelium, per totum annum omnibus peregrinis est ostensum, & in sequenti festo beati Dionysij cum corpore in vase suo repositum.

Cùm hæc autem in Francia gerebantur, Philippus Rex Franciæ coadiuuantibus Dei fidelibus in tantum ciuitatem Achon impugnauit, confractis muris ipsius ciuitatis cum petrariis & manganellis suis; quòd inimicos crucis Christi, scilicet custodes Salahadini, qui ibi erant, videlicet Limathosium & Carachosium satrapas ipsius, cum ingenti armatorum copia, sub certa pactione ad deditionem coëgit. Promiserunt enim legis iuramento astricti, tantùm corporibus suis saluis dimissis, veram crucem Domini, quam Salahadinus habebat, & omnes captiuos Christianos, quos in tota terra sua inuenire possent, Regi Francorum & Regi Angliæ antequam ab ipsis Regibus dimitterentur, in integrum restituere. In quo conflictu Albericus vir magnanimus Regis Francorum Marescallus, in armis strenuus, infra portam ipsius ciuitatis interceptus, à paganis occisus est. Turris autem, quæ Maledicta dicebatur, quæ longo tempore nostris multa mala intulerat, à minariis Regis fuerat suffossa, & lignis ibi positis appodiata: ita quòd ad ipsius ruinam non restabat, nisi quòd ignis supponeretur. Videntes verò pagani, quòd Regibus & Principibus & aliis Christianis resistere non possent, habito cum Regibus & Principibus colloquio, saluis corporibus, & pactione iam dicta apposita, ciuitatem Achon cum C vniuersis armis, & munitionibus, & copia sufficienti victualium, mense Iulio Regibus nostris & Principibus reddiderunt. Intrantes populi Christiani ciuitatem, flentes præ gaudio & lacrymantes, & manus vtrasque ad cælum leuantes, clara voce dicebant; Benedictus sit Dominus Deus noster, qui respexit labores & sudores nostros, & inimicos crucis sanctæ de sua virtute & virtutibus præsumentes sub pedibus nostris humiliauit. Victualia verò, quæ ibi inuenta sunt, Christiani inter se diuiserunt, pluribus maiorem, paucioribus minorem partem tradentes. Reges autem omnes captiuos in sortem acceperunt, æqua lance inter se diuidentes. Sed Rex Francorum partem suam Duci Burgundiæ, cum multa summa auri & argenti, & infinita copia victualium delegauit, commissis eidem omnibus exercitibus suis. Grauabatur enim Rex tunc morbo grauissimo; & ex alia parte Regem Angliæ valdè suspectum habebat. quia Rege celato frequentes nuntios ad Salahadinum mittebat, & mutua dona ab eo accipiebat. Qua de causa habito cum Principibus suis familiari consilio, ordinato suo exercitu, acceptáque à suis licentia, cum fletu & lachrymis ventis & mari se committens, cum tribus tantùm galeis, quas Rufus de Volta Ianuensis ei parauerat, ad partes Apuliæ Deo volente transuectus est. Vbi recuperata quantulacunque sanitate, satis debilis, cum paucis iter arripuit. Et transitum faciens per Romanam ciuitatem, visitatis Apostolorum liminibus, & accepta benedictione à Romano Pontifice Celestino, in Franciam rediit circa natiuitatem Domini.

A Rex verò Angliæ in transmarinis partibus remanens, captiuos quos habebat, scilicet Limathosium & Carachosium, & alios quos alij Principes habebāt, ad id quod promiserant compellauit; vt crucem Dominicam, quam Salahadinus habebat, & omnes captiuos Christianos, sicut de proximo iuramento legis suæ tenebantur, sine dilatione sanctæ Christianitati restituerent. Quod quia sicut facere iurauerant, ad effectum perducere non potuerunt, Rex Angliæ vehementer iratus, captiuos paganos extra ciuitatem educens, quinque millia & eo ampliùs decollari fecit, retentis maioribus & ditioribus, à quibus innumeram pecuniæ summam pro redemptione accepit. Insula verò Cypri, quam ipse in transitu suo ceperat, Templariis pro viginti quinque millibus marcharum argenti vendidit. Postmodum verò ab ipsis ablatam, Guidoni quondam Hierosolymitano Regi perpetuò habendam secundò vendidit. Ciuitatem Aschalonem multo auri pretio, paganis petentibus, funditus euertit. Ducis Austriæ vexillum, circa Achon cuidam Principi abstulit, & in cloacam profundam, in opprobrium Ducis & dedecus vilissimè confractum deiecit. Sed quia historiam Regis Angliæ seu gesta ipsius scribere non proposuimus, ad ea quæ de Rege nostro Philippo intendimus, stylum vertamus. PHILIPPVS AVGVSTVS.

Reuerso igitur in Franciam Philippo Francorum Rege, Natale Domini apud fontem Eblaudi celebrauit: & reuolutis paucis diebus ad Ecclesiam beatissimi Martyris Dionysij, causa orationis quantociùs properauit. Vbi sacer Cōuentus cum B Hugone Abbate suo, facta processione, cum hymnis & laudibus in Ecclesiam inducunt. Finita oratione, prostratus ante corpora Sanctorum, Deo & beatis Martyribus gratias referens, quia de tot & tantis periculis eum liberauerat, in pignus amoris & charitatis pallium sericum optimum super altare humiliter posuit. Et reuolutis aliquot mensibus eiusdem anni, decimoquinto Kalendas Aprilis, Philippus Rex existens apud sanctum Germanum de Laia, audita cuiusdam Christiani morte ignominiosa à Iudæis perpetrata, fidei & religioni Christianæ compatiens, subitò nescientibus suis familiaribus quò pergebat, iter arripuit, & gressu velocissimo ad castrum, quod Braiam vocant, velociter venit, positis in portis ipsius castri custodibus: & comprehensis Iudæis, octoginta & eo ampliùs fecit cōburi. Comitissa enim ipsius castri magnis Iudæorum muneribus corrupta, tradiderat eis quendam Christianum, cui falsò imponebant furtum & homicidium. Quem Iudæi antiquo odio commoti, manibus à tergo ligatis, spinis coronatum, per totam villam fustigantes duxerunt, & postea patibulo suspenderunt: cùm ipsi tempore Dominicæ passionis dicerent; Nobis non licet interficere quenquam.

Eodem anno pridie Idus Maij in Pertico apud Nogentum, visæ sunt acies militum de aëre in terram descendentium, & ibi factâ inter se mirabili pugnâ, subitò euanuerunt. Quod videntes incolæ illius terræ, nimio terrore perculsi, tundentes pectora sua reuertebantur.

Anno Domini millesimo centesimo nonagesimo secundo, vicesima die mensis C Nouembris fuit eclipsis Lunæ particularis, post mediam noctem, in sexto gradu geminorum, & durauit per duas horas. Maio verò sequenti, sexto Idus ipsius mensis, tempore Rogationum, apud Pontisaram, sacerdos quidam Anglicus natione, Guillelmus nomine, sanctitate vitæ & moribus pollens migrauit ad Dominum. Ad cuius sepulchrum, tempore mortis ipsius, Domino operante, multa facta miracula, cæci illuminati, claudi curati, alij verò à variis morbis pristinæ sospitati plenè restituti. Fama autem tanti viri per orbem diffusa, de diuersis partibus causâ peregrinationis ad locum sepulturæ ipsius multos venire fecit.

Eodem anno crescente inter Christianos iniquitate, allatæ sunt Philippo Regi apud Pontisaram litteræ de transmarinis partibus, quòd ad suggestionem & mandatum Regis Richardi Angliæ mittebantur Arsacidæ ad Philippum Regem interficiendum. Interfecerant enim eo tempore Marchisium Regis consanguineum, in transmarinis partibus, virum in armis strenuum, qui viribus suis & potentia, terram sanctam, antequam Reges isti illuc venirent, mirâ strenuitate regebat. Rex verò Philippus auditis litteris, irâ inflammatus, statim ab eodem castro recessit, & plurimum sollicitus multis diebus permansit. Et quia animus ipsius Regis pro huiusmodi rumoribus multùm turbabatur, & sollicitudo magis ac magis crescebat in dies, habito cum familiaribus consilio, misit nuntios suos ad vetulum Arsacidarum Regem, vt per ipsum rei veritatem diligentiùs & pleniùs cognosceret. Interim tamen insti-

PHILIPPVS AVGVSTVS.

tuit Rex ad maiorem cautelam custodes corporis sui, clauas æreas semper in manibus portantes, & per totam noctem alternatim circa ipsum vigilantes. Reuersis nuntiis ad Regem per literas Vetuli rumores falsos esse cognouit, & per relationem nuntiorum suorum ab ipsis diligentiùs inquisitâ veritate & cognitâ, animus eius abiecto falso rumore à falsâ suspicione quieuit. A

Rex verò Angliæ ad terram suam redire disponens, Comiti Henrico nepoti suo excellentissimo iuueni totam terram transmarinam, quam Christiani eo tempore tenebant, dimisit, & exercitum suum eidem tradidit. Et mare ingressus orta tempestate accidit, vt ventus rapta naui, in qua ipse erat, duceret eam versus partes Histriæ, ad locum qui est inter Aquileiam & Venetias. Vbi idem Rex Dei permissione passus naufragium, cum paucis euasit. Quidam autem Comes Mamardus de Guorze, & populus regionis illius, audito quòd in terra erat, & considerato diligentiùs, qualem nominatus Rex in terra promissionis seditionem in perditionis suæ cumulum exercuerat: insecuti sunt eum, intendentes ipsum captiuare, cōtra morem omnium peregrinorum per quascunque terras Christianorum securè transeuntium. Ipso autem Rege in fugam verso, ceperunt de suis octo milites. Postmodum Rex fecit transitum ad Burgum qui est in Archiepiscopatu Salezburgensi, qui vocatur Frisacum, vbi Fredericus de sancta Sowe, Rege cum tribus tantùm versus Austriam noctu properante, sex milites de suis cepit. Lunpoldus autem Dux Austriæ Imperatoris consanguineus, obseruata strata, & positis vbique custodibus, sæpedictum Regem iuxta Viennam in villa viciniori in domo despecta inuentum captiuauit, & omnibus bonis suis exspoliauit. Sequenti verò mense Decemb. Henrico Imperatori tradidit, à quo iniustè ferè per annum & dimidium carcere detentus, & multis expensis & variis exactionibus grauatus, tandem datis ducentis millibus marcarum argenti pro redemptione Imperatori, per mare traiectus est in Angliam. Timebat enim ne iterum à Rege Francorum caperetur, quem valde offensum habebat, si per terram suam transitum faceret. B

Videns autem Henricus bonæ indolis iuuenis Comes Campaniæ, vir illustris, vtriusque Regis ex parte sororis nepos, terram transmarinam pro reditu duorum Regum nimis desolatam, intuitu Dei & paterna pietate commotus, precibúsque multorum in seruitio Dei remanentium deuictus, maluit ibi cum suis remanere, & cum multo labore & sudore, & summa rerum inopia, onus Iesu Christi portare, & animam suam si locus se obtulerit, pro ipso ponere, quàm ad terram suam sine visitatione Dominici Sepulchri cum rubore redire. Hoc autem videntes milites sacri Templi, & Hospitalis Hierosolymitani, & alij peregrini quamplures, qui illuc pro liberanda terra sancta conuenerant, considerantes ipsius Comitis magnanimitatem, & firmam in Domino constantiam, ipsum in Regem ciuitatis Dei summi vnanimiter elegerunt, & filiam Regis Hierosolymitani in vxorem dederunt, laudantes & Deum benedicentes, quòd de sanguine Regum Francorum saluatorem & liberatorem Sanctæ terræ suscitauerat. C

Anno Domini millesimo centesimo nonagesimo tertio, pridie Idus Aprilis, Philippus Rex collecto exercitu cepit Gisortium, & breui temporis elapso spatio totum Vulcassinum Normannicum, quòd Rex Angliæ iniustè possidebat, in suam redegit potestatem. Subacto Gisortio, & tota marchia Normanniæ in suam potestatem reducta, Philippus Rex restituit beato Dionysio Nouum castellum, quod Rex Angliæ Henricus iniustè per violentiam longo tempore detinuerat, deinde Richardus filius eius.

Eo tempore Salahadinus Rex Syriæ & Ægypti apud Damascum obiit. Cui successerunt duo filij eius, vnus nomine Zafadinus super Syriam, alius verò nomine Meralitius super Ægyptum.

Eodem anno, in festo beati Dionysij, quidam puerulus subitò mortuus à parentibus suis ad Ecclesiam beatissimi martyris Dionysij deuotissimè deportatus est. Quem super altare ante corpora Sanctorum ponentes, & cum lachrymis & suspitiis, Sancte Dionysi adiuua nos, clamantes, meritis Sanctorum martyrum & intercessionibus à Domino coram vniuerso populo resuscitatus est.

Hisdem temporibus Philippus Rex misit Stephanum Nouiomensem Episcopum virum venerabilem ad Kanutum Regem Danorum, rogans eum & deprecans, quòd vnam de sororibus suis, quam ipse legitimam haberet, vxorem ei mittere dignaretur.

A tur. Quo audito Rex Danorum Kanutus gratanter accepit, & Ingeburgem sororem suam pulcherrimam, puellam sanctam, & bonis moribus ornatam, nuntiis Regis Francorum tradidit, & muneribus suis honorauit. Et accepta licentia ventis & mari se committentes, apud Attrebatum venerunt, vbi Rex Francorum Philippus cum Episcopis & regni proceribus cum maximo accurrens gaudio, Ingeburgem diu desideratam in legitimam duxit vxorem, & in Reginam Francorum coronari fecit. Sed mirum eadem die instigante diabolo, ipse Rex quibusdam, vt dicitur, maleficiis per sortiarias impeditus, vxorem tam longo tempore cupitam, exosam habere cœpit. Et paucis reuolutis diebus, linea consanguinitatis per Karolum Comitem Flandrensium ab Episcopis & Baronibus computata, per censuram Ecclesiasticam huiusmodi matrimonium est separatum. Regina tamen Ingeburgis ad Danos redire nolens, in partibus Galliarum in locis religiosis manere decreuit, malens continentiam coniugalem cum orationibus toto tempore vitæ suæ seruare, quàm alteri iuncta, prima matrimonij fœdera maculare. Sed quia huiusmodi matrimonium iniustè dicebatur fuisse dissolutum, Romanus Pontifex Celestinus ad conquestionem Danorum misit legatos suos in Franciam, Meliorem scilicet presbyterum Cardinalem, & Cencium Subdiaconum. Qui Parisius venientes, conuocauerunt Concilium omnium Archiepiscoporum & Episcoporum, nec non Abbatum totius regni, in quo tractauerunt de reformando matrimonio inter Philippum Regem &
B vxorem eius Ingeburgem. Sed quia facti sunt canes muti non valentes latrare, timentes etiam pelli suæ, nihil ad perfectum deduxerunt.

Eodem anno, quarto Idus Nouembris fuit eclipsis Lunæ vniuersalis, prima hora noctis, & durauit per duas horas.

Eodem anno, quidam Arreptitius in Ecclesia beatissimi martyris Dionysij miraculosè curatus est.

Superueniente verò mense Februario, Philippus Rex collecto exercitu, iterum intrauit Normanniam, & ciuitatem Ebroicum cepit, & Nouumburgum, & vallem Ruolij, & multas munitiones alias fortissimas sibi subiecit, & quamplures destruxit, & multos milites cepit, & Rothomagum obsedit. Sed considerata loci munitione, & damno suorum, videns quòd nihil ibi proficeret, nimio furore succensus, combustis petrariis & mangancllis suis, & aliis ingeniis, recessit. Tandem sacro tempore quadragesimæ superueniente à bello quieuit. Et tunc Ioannes frater Regis Angliæ, qui sine terra cognominatur, Regi Francorum Philippo confœderatus est in dolo, quod rei exitus manifestiùs postea declarauit.

Anno Domini M. C. XCIV. Michaël Decanus Parisiensis electus est in Patriarcham Hierosolymitanum. Sed Domino aliter ordinante, reuolutis quindecim diebus, iterum à Clero Senonẽsi electus est in Archiepiscopum assensu Regis Philippi, & totius populi eiusdem ciuitatis, octauo Kalend. Maij sequentis in Archiepiscopũ
C consecratus. Qualis & quantus in regendis scholis Parisius, & in largiendis eleemosynis, & aliis pluribus bonis ante Archiepiscopatum floruerit, non est nostræ facultatis euoluere.

Eodem anno, puerulus trium annorum de Curtenoua, fortè in aquis extinctus, per preces & merita beatissimi martyris Dionysij resuscitatus est.

Reuolutis autem tribus mensibus, sexto Idus Maij, Philippus Rex iterum collecto exercitu Normanniam intrauit, & Vernolium obsedit, & reuolutis tribus hebdomadibus parte murorum destructa, superuenit nuntius dicens, quòd ciuitas Ebroica, quam ipse Rex munitam tenebat, à Normannis capta fuerat, & milites Regis ibidem capti, & plures quàm turpiter decapitati. Quo audito turbatus Rex, nimióque furore succensus, ab obsidione recessit, & fugatis Normãnis ipsam funditus euertit: necnon & ipsas Ecclesias Dei in spiritu vehementi contriuit. Videns autem exercitus, qui in obsidio remanserat, Regis absentiam, & inimicorum instantiam, subitò collectis papilionibus, & tentoriis, relictis ibidem in maxima parte victualibus, recesserunt, & sequuti sunt Regem. Obsessi autem exeuntes, de victualibus Francorum & spoliis ex festinantia dimissis, ditati sunt.

Eodem anno XVII. Kalend. Iulij Guillelmus Comes Lecestriæ, vir fortis & magnanimus à Rege Philippo captus est, & Stãpis in carcere positus. Interim Rex Angliæ cum exercitu suo Lochas cepit, & canonicos S. Martini Turonensis eiecit, & res eorum violenter abstulit, & multa mala in partibus illis Ecclesiis Dei intulit.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Eodem anno in pago Beluacensi inter Clarummontem & Compennium, tantæ pluuiæ cum tonitruis & fulminibus & tempestatibus factæ sunt, quantas nulla hominum antiquitas memorat. Lapides enim ad quantitatem ouorum quadranguli vel trianguli, mixtim cum pluuia de cælo cadentes, arbores fructiferas, vineas & segetes penitus destruxerunt. Villæ etiam in plerisque locis destructæ sunt à fulminibus & combustæ. Corui etiam quamplures cum huiusmodi tempestate visi sunt in aëre, de loco ad locum volantes, & cum rostris suis viuos carbones portantes, & domos incendentes. Vtriusque sexus homines ictu fulminum interierunt, quod ingens miraculum cernentibus præbuit, & multa alia horrenda ea die monstrata sunt. Prodigiosa equidem res multum terrere debet, & homines à vitiis coërcere. Eadem die in Episcopatu Laudunensi castrum scilicet Caluum montem à fulminibus destructum audiuimus. Eodem anno Ecclesia beatæ Mariæ Carnotensis incendio conflagrauit. Eodem anno quidam homo Virsionensis per preces beati Dionysij de carcere liberatus est apud Rothomagum. A

Rex autem Francorum Philippus audito quòd Rex Angliæ clericos de Ecclesia sancti Martini Turonensis eiecerat, & rebus exspoliauerat, versa vice cepit omnes Ecclesias, quæ erant in terra sua pertinentes ad Episcopatus vel ad Abbatias, quæ erant sub potestate Regis Angliæ & instinctu quorundam priuatorum hominum monachos vel clericos ibidem Deo famulantes eiecit, & reditus eorum ad vsus proprios transtulit, nec non proprias Ecclesias in regno suo existentes grauibus exactionibus vehementer oppressit, & insolitis. B Thesauros etiam multos in diuersis locis congessit, expensa modica contentus dicens, quod prædecessores sui Francorum Reges pauperes existentes, tempore necessitatis stipendiariis militibus nihil ministrantes, ingruentibus bellis regni diminutionem passi fuerant non modicam. Principalis tamen intentio ipsius Regis erat in thesaurorum congregatione, Sanctæ terræ Hierosolymitanæ à paganis liberatio, & Christianorum restitutio, & regni Francorum ab inimicis strenua defensio. Licèt quidam minus discreti Regis ignorantes propositum & voluntatem, ambitionem & nimiam ei auaritiam obiicerent. Sed quia tempus colligendi, & tempus spargendi quod collectum est, à sapientibus didicerat, nacta opportunitate multum collegit, vt tempore necessitatis pluribus plurimum spargeret. Quod in munitionibus ciuitatum, & murorum reparationibus, & castellorum ædificationibus innumeris manifestissimè declaratur.

Postmodum Rex Philippus transitum cum exercitu faciens per terram Comitis Ludouici, Rex Angliæ ex improuiso de nemoribus egressus, militum caterua armatorum stipatus non modica, sagmarios Regis Philippi cum denariis, & argento multo, & varia supellectile potenter abduxit. Sed dum hæc agebantur in terra Comitis Blesensis Ludouici, Ioannes sine terra & Comes de Arundello cum exercitu suo & ciuibus Rothomagensibus obsederunt vallem Ruolij, quàm Rex Philippus munitam tenebat. C Sed reuolutis VII. diebus Philippus Rex cum paucis balistariis nocte superueniens, illucescente aurora diei castra eorum irrupit. Normanni verò festinatam arripientes fugam, in nemoribus se receperunt, relictis petrariis suis & manganellis, & aliis belli apparamentis, cum sufficienti victualium copia. Nonnulli de Normannis fugientes, in bello interfecti sunt, & plures capti & redempti.

Eodem anno Henricus Imperator totam Apuliam, & Calabriam, & Siciliam, quæ iure hæreditario ex parte vxoris eum contingebant, suo subiugauit imperio.

Eodem anno Raimundus Tholosæ obiit. Cui successit filius eius Raimundus Regis Francorum consanguineus ex Constantia sorore Ludouici Regis. Aëris insolita commotio, turbines, tempestates, grandines, vineas & messes destruxerunt: vnde in sequenti anno fames valida secuta est.

Anno Domini M.C.XCV. mense Iulio redditæ sunt treugæ à Rege Angliæ, & guerra denuo incepta. Et tunc Philippus Rex vallem Ruolij, quam munitam tenebat, funditus euertit. Et paucis reuolutis diebus, scilicet XIII. Kalend. Septembr. sororem suam A. quam Rex Angliæ Ricardus remiserat, Comiti de Pontiuo in vxorem dedit.

Eo tempore Rex Moabitarum Hemirmomelim, id est Rex credentium, cum innumerabili Moabitarum multitudine armatorũ Hispanias intrauit, & terras Chri-

A stianorum vastauit. Cui Hildefonsus Rex Castellæ cum multitudine armatorum occurrit, & pugna commissa victus ab eis cum paucis Christianis euasit. In quo bello plusquam 50. millia Christianorum cæsa fuisse dicuntur. Hoc infortunium Christianis accidit, quia Rex Hildefonsus milites suos grauiter opprimebat, & rusticos potenter sublimabat. Hac de causa militibus aporiatis, equos & arma non habentibus, rustici vsum armorum non habentes terga dederunt, in fugam celerem conuersi, Moabitis à tergo insistentibus, & miserabili cæde cædentibus.

Dum hæc autem in Hispania gerebantur, Ricardus Rex Angliæ collecto vndecunque exercitu, castrum quod Archas vocant, quod Rex Francorum munitum tenebat, obsedit. Sed paucis diebus effluxis, Rex Francorum cum DC. electis militibus Francigenis superueniens, omnes Normannos fugauit, & villam quæ Deppa vocatur, destruxit, & homines abduxit, & naues eorum combussit. Reuertente verò Rege Philippo cum suis, & transitum iuxta nemora faciente, quæ vulgus forestas vocat, Rex Angliæ ex improuiso de forestis illis cum suis egressus, quosdam extremi agminis interfecit. Merchaderius tunc dux Cotarellorum existens, cum suis in pago Bituricensi suburbium Eisolduni destruxit, & ipsam munitionem cepit, & de suis ad opus Regis Angliæ muniuit. Et post paullulum datis induciis vterque Rex à bello quieuit.

B Eo anno tanta intemperies aëris facta est inundantibus pluuiis, quòd segetes antequam temporibus suis colligi possent, in ipsis spicis & folliculis germinauerunt. Vnde cùm ex præcedentis anni aëris insolita commotione, tum ex subsequentis immoderata imbrium effusione, tanta temporis auaritia secuta est, quòd sextarius frumenti Parisius pro XVI. solidis vendebatur, hordei pro X. solidis, mixturæ pro XIII. solidis aut XIV. sextarius salis pro 40. solidis. Hac igitur de causa Rex Philippus motus pietate, largiores eleemosynas de suo pauperibus erogandas præcepit, & Episcopos & Abbates & vniuersum populum ad idem faciendum per literas suas affectuosè commonuit. Conuentus verò beati Dionysij omne argentum, quod præ manibus habere potuit, pauperibus erogauit.

Eodem anno, & sacerdos quidam Fulco nomine in Galliis prædicare cœpit: per cuius prædicationem & frequentem populis admonitionem, multi ab vsuris sunt reuocati, pauperibus Christianis vsuras restituentes.

Sequenti mense Nouembri, termino transacto, redditæ sunt treugæ, & guerra inter duos Reges iterum incœpta. Philippus verò Rex collegit exercitum in pago Bituricensi iuxta Eisoldunum, Rege Angliæ cum exercitu suo existente ex opposita parte. Dum autem vterque exercitus ad pugnandum promptiùs armis accingeretur, contra omnium ibi existentium opinionem, Domino miraculosè operante, qui mutat quando vult consilia Regum, & cogitationes populorum dissipat, factum est, C quòd Rex Angliæ armis depositis, cum paucis de suis ad Regem Francorum quantocius peruenit. Vbi coram omnibus pro Ducatu Normanniæ & Comitatu Pictauensium & Andegauensium hominium Regi Philippo fecit; & deinceps de pace seruanda vterque Rex in eodem loco iuramentum præstitit. Et de reliquo in octabas Epiphaniæ inter vallem Ruolij & castrum Gaallonij, ab ipsis regibus de pace consummanda & confirmanda colloquium fuit institutum. Et sic vtriusque exercitus ad propria cum gaudio remeauit. Rex verò Philippus non immemor patroni & defensoris beati Dionysij, quàm citiùs potuit ad Ecclesiam beatissimi martyris properauit. Vbi pro gratiarum actione Deo & beatis martyribus pallium sericum pretiosum in pignus charitatis humiliter super altare obtulit.

Superueniente verò mense Ianuario, XV. die eiusdem mensis, conuocatis vtrinque Archiepiscopis, Episcopis, & Baronibus in loco iam dicto, pax inter duos Reges firmissimè reformata est, & iuramentis & obsidibus ab vtraque parte præstitis confirmata: sicut in authentico vtriusque continetur instrumento.

Anno Domini M.C.XCVI. mense Martio, subita & nimia aquarum & fluminum inundatio facta est, quod pluribus in locis villas destruxit, & homines in eisdem habitantes extinxit, & pontes fluuij Sequanæ confregit. Videntes autem Clerus & populus Domini comminantia prodigia in cælo sursum, & signa in terra deorsum, timentes denuò cataclysmum, plebs fidelis Deo deuota cum gemitibus & lachrymosis suspiriis, & iugi ieiuniorum & precum instantia, clamauerunt ad Dominum processiones nudis pedibus facientes, vt correctis parceret, & ab eis iracun-

PHILIPPVS AVGVSTVS.

diæ suæ flagella clementer auerteret, & ipsos per pœnitentiam & congruam satisfactionem misericorditer exaudire dignaretur. Processiones autem istas Philippus Rex quasi vnus è populo cum lachrymis & suspiriis humiliter sequebatur. Sacer verò conuentus beati Dionysij portans sanctum clauum Domini, & spineam coronam & sancti senis Symeonis brachium, cum lachrymis & suspiriis clamantes ad Dominum benedicebant aquis in modum crucis, dicentes; Per hæc signa suæ sanctæ passionis reducat Dominus aquas istas ad locum suum. Et paucis reuolutis diebus Domino placato reuersæ sunt aquæ ad alueum suum. A

Eodem anno, mense Maio, Ioannes Prior Ecclesiæ beati Dionysij factus est Abbas Corbeiæ.

Eodem anno, mense Iunio, Balduinus Comes Flandriæ fecit hominium Regi Philippo apud Compennium, astantibus Guillelmo Remensi Archiepiscopo, & M. Campaniæ Comitissa, & multis aliis.

Eodem anno, & eodem mense, Philippus Rex duxit vxorem nomine Mariam filiam Ducis Meraniæ & Bohemiæ, Marchionisque Hystriæ.

Posthæc breui temporis elapso spatio, Richardus Rex Angliæ postpositis iuramentis & pactionibus iam dictis, Philippum Regem Francorum bello aggressus est; qui in agro Bituricensi castrum Virsonis in dolo cepit, & funditus euertit. Iurauerat enim domino Virsonis quòd non ei noceret. Qua de causa Rex collecto exercitu, castrum quod dicitur Aubamala potenter obsedit. Dum autem Rex Philippus ibi moram faceret, Rex Angliæ in dolo & sub proditione, castellum quod Norencort vocant, data pecunia militibus ipsum custodientibus recepit: & positis ibi militibus & balistariis cum sufficienti copia victualium & armorum, contra Regem cum suis Normannis & Cotarellis, reuersus est. Rex autem Francorum erectis in circuitu castri prædicti petrariis suis & manganellis, per VII. hebdomadas & eò ampliùs viriliter impugnauit. Viri autem interiores strenui defensores, versa vice Francos potenter repellebant, & stragem aliquando de ipsis non modicam faciebant. Quadam die Rex Angliæ cum suis impetum faciens in hostes, superuenientibus Francis terga dedit. Fugiente verò Rege Angliæ, captus est Guido de Toarz, vir in armis strenuus, & acer in hostes, cum quibusdam aliis militibus. Reuersi verò Franci ad obsidium, prædictum castrum die ac nocte acriùs cœperunt impugnare. Tandem fracta turre cum petrariis & manganellis, & muris confractis, viri bellatores interiores dederunt Regi Philippo summam argenti, taxata pactione, quòd saluis corporibus suis, & aueris, & equis, & armis cum pace recederent. Quod factum quidam de Francis, ignorantes Regis propositum & voluntatem, perperam esse dicebant. Ipsis egressis, & vsque ad suos cum rebus suis securè conductis, Philippus Rex prænominatum castrum solo tenus destruxit. Tandem Gisortium veniens, reuolutis paucis diebus Nonencort obsedit, & erectis in circuitu machinis die ac nocte viriliter impugnans, satis breui mora transacta, sæpè nominatum castellum mirabili pugna cum quindecim militibus & octodecim balistariis & multis aliis ibidem captis, & sufficienti victualium copia cepit, & Comiti Roberto custodiendum tradidit. B C

Eodem anno, III. Idus Septembris Mauricius venerandæ memoriæ Parisiorum Episcopus, pater pauperum & orphanorum feliciter migrauit ad Dominum. Hic inter innumera bona quæ fecit, quatuor Abbatias fundauit, & propriis sumptibus deuotissimè dotauit; videlicet Heriuallem, Hermerias, Hederam, Gif, & alia quamplura, quæ longum esset hîc ponere. In fine tandem quicquid in re mancipi habuit, pauperibus erogauit. Et quia resurrectionem corporum, de qua multos peritos tempore suo hæsitantes audierat, firmissimè credebat, cupiens illos ab incredulitate sua etiam moriens reuocare, rotulum scribi mādauit, huiusmodi scripturam continentem; Credo quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo saluatorem meum: quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Hunc rotulum in extremis agens super suum pectus extensum à fidelibus suis & familiaribus poni præcepit, vt omnes viri literati ad eius sepulturam in die obitus sui conuenientes, & hanc sanctam scripturam legentes, firmissimè communem omnium corporum resurrectionem crederent, & deinceps nullatenus dubitarent. Huic successit Odo natione Soliacensis, frater Henrici Bituricensis Archiepiscopi, longè à prædecessore moribus & vita dissimilis.

A Anno Domini M.C.XCVII. Balduinus Comes Flandrensis à fidelitate Regis Francorum manifestè recedens, Regi Angliæ Richardo confœderatus est, & Regem Francorum & terram ipsius grauiter persecutus est. Similiter & Rainaldus filius Comitis Domini Martini, Regi Angliæ confœderatus est. Cui & maximo amore & familiaritate Comitissam Boloniæ cum suo Comitatu in vxorem dederat Rex Francorum. Sed instigante diabolo, spreto hominio, ruptis pactionibus & iuramentis, dominum suum Regem Francorum bello aggressus est, & adiunctis sibi Cotarellis, & aliis regni Francorum inimicis, terras vastauit, & prædas duxit, & multa mala regno Francorum intulit. PHILIPPVS AVGVSTVS.

Eodem anno, nono Kalend. Nouembr. feria VI. obiit Hugo Fulqualdi Abbas beati Dionysij, hora diei tertia. Cui successit Hugo Mediolanensis Prior sanctæ Mariæ de Argentolio.

Eodem anno Henricus Romanorum Imperator obiit, qui eo tempore per tyrannidem suam Siciliam sibi subiugauerat, & multos viros magnos & nobiles ibidem peremerat, & contra religionem Christianam Archiepiscopos & Episcopos trucidauerat. Contra Ecclesiam Romanam, sicut & prædecessores sui, semper tyrannidem exercuerat. Qua de causa Innocentius Papa III. in promotione Philippi fratris sui aduersarius fuit, & omnes fautores eius excommunicauit, & Othoni filio Ducis Saxoniæ viriliter adhæsit, & Aquisgrani in Regem Germaniæ coronari fecit.

B Temporibus istis Henricus Comes Trecensis, qui in terra transmarina post reditum duorum Regum Rex Hierosolymitanus constitutus fuerat, apud Achon obiit. Cui in Comitatu Trecensi successit Theobaldus frater eius.

Eodem anno VI. Idus Ianuarij Celestinus Papa III. migrauit ad Dominum: cui successit natione Romanus Innocentius III. qui priùs Lotharius vocabatur.

Eodem anno, obiit Maria illustris Trecensis Comitissa soror Philippi Regis Francorum, ex parte patris, & soror Richardi Regis Anglorum ex parte matris, mense Martio, mater duorum prædictorum, videlicet Henrici Regis Hierosolymitani, & Theobaldi Comitis Trecensis.

Eodem anno, scilicet à principio prædicationis Fulconis sacerdotis anno tertio, dominus Iesus Christus multa miracula per prædictum sacerdotem operari cœpit, cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum, per orationem & manus ipsius sacerdotij impositionem restituit, & alia multa quæ longum esset hîc ponere, quæ prætermittimus, propter hominum nimiam incredulitatem.

Anno Domini M.CXCVIII. sæpedictus Fulco alium sibi sacerdotem nomine Petrum de Rossiaco de eodem Episcopatu Parisiensi, ad officium prædicationis associauit; virum scilicet literatum, & vt nobis videbatur, spiritu Dei plenum. Qui singulis diebus prædicationi insistens diuinæ, multos à peccato vsurarum retraxit, & à furore libidinis infinitos reuocauit. Mulieres etiam in prostibulis manentes, & omnibus transeuntibus sine delectu personæ pro vili pretio & sine rubore se exponentes,

C ad continentiam coniugalem procreauit *. Aliæ verò coniugium respuentes, & soli Deo deuotè seruire cupientes, sumpto regulari habitu in noua Abbatia sancti Antonij Parisius, quæ causa illarum eo tempore fundata fuit, collocatæ sunt. Aliæ verò diuersis peregrinationibus & laboribus nudis pedibus incedentes, se exposuerunt. Sed qui scire desiderat qua intentione quisque prædicauerit, finem attendat: quia finis intentiones hominum manifestissimè declarat. Affectus tuus operi tuo finem imponit. Præter hos duos Herloinus monachus beati Dionysij Parisiensis, vir in sacris litteris eruditus, versus marinam Britanniam prædicauit: per cuius ministerium & prædicationis officium Brittonum innumera multitudo cruces de manu eius assumpserunt, & subitò aliis peregrinis mari transito apud Achon ductore monacho iam dicto peruenerunt; sed ibi in multis partibus diuisi rectorem non habentes, nihil ad perfectum duxerunt. * f. prouocauit.

Hoc anno infinitæ nouitates apparuerunt. Apud Roseum in Bria, in sacrificio altaris vinum visibiliter mutatum est in sanguinem, & panis in carnem. In Vermendesio miles quidam, qui mortuus fuerat, reuixit, & multa futura multis postmodum prædixit, & postea sine cibo & potu longo tempore vixit. In Gallia circa festum S. Ioannis Baptistæ, in nocte, ros de cælo cadens mellitus spicas segetum infecit, ita quòd multi spicas in ore ponentes, saporem mellis manifestissimè percipiebant. Orta tempestate fulmen Parisius quendam hominẽ interfecit, & grãdo subita

PHILIPPVS AVGVSTVS.

quibusdam in locis segetes læsit & vineas. Et paucis reuolutis diebus mense Iulio iterum facta est tempestas valida, ita quòd à Tremblaco vsque ad Kalam monasterium, & circa loca adiacentia, segetes, vineas, & nemora penitus destruxit. Lapides enim visi sunt de cælo cadere ad quantitatem nucum maiorum, & in quibusdam locis ad quantitatem ouorum, & etiam fama referente, maiores. Rumor popularis Antichristum in Babylonia natum esse dicebat, & finem mundi imminere. His tribus præcedentibus annis, ægra seges victum hominibus negauit, ex nimia pluuiarum inundatione, & ad temporis auaritiam Franciam subduxit. Et eodem anno mense Iulio Philippus Rex contra omnium hominum opinionem ipsiúsque Regis Edictum Iudæos Parisius reduxit, & Ecclesias Dei grauiter persecutus. Qua de causa sequenti mense Septemb. vigilia scilicet S. Michaëlis, pœna secuta est. Rex enim Angliæ ex improuisò, Rege Francorum imparato, cum M. D. militibus armatis, & Cotarellis multis, & infinita peditum armatorum multitudine, Vulcassinum circa Gisortium vastauit, & munitionem quandam, quam Corcellas vocant, destruxit, & plures villas campestres igne combussit, & prædas earum abduxit. Rex verò Philippus nimia inflammatus ira, cum quingentis militibus tantùm ad castrum Gisortium transire cupiebat: sed hostibus impedientibus, facilis ei transitus non patebat. Quo viso magnanimitatem animi audacia superans, per medias acies hostium furibundus irruptionem faciens, & cum paucis militibus contra hostes viriliter pugnans, per Dei misericordiam sanus euasit, & vsque Gisortium peruenit, multis de militibus suis captis, aliisque fugatis. In illa verò confectura capti fuerunt viri nominati, Alanus de Ruciaco, Mathias de Marli, Guillelmus de Merloto iuuenis, Philippus de Nantolio, & alij plures, quorum nomina ex nimia animi turbatione scribere noluimus. Et sic Rex Angliæ hac vice cum triumpho recessit, & prædas diuisit. Rex verò Francorum nimis sollicitus circa ea quæ facta fuerant, non reducens ad memoriam Dei offensam, exercitum collegit, & Normanniam ingressus, eam vastauit vsque ad Nouumburgum, & vsque ad Pulchrummontem Rogerij, & magnas prædas duxit: & statim exercitum dimisit, ita quòd vnusquisque ad propria remeauit, quod minus cautè actum populi iudicauerunt. Quo audito, Rex Angliæ paucis diebus secutis, cum suis Cotarellis, quibus præerat Marchaderius, de pago Beluacensi & de Vulcassino magnas prædas duxit. Episcopum verò ipsius ciuitatis virum in armis strenuum, & Guillelmum de Merloto, vt prædas ab eo excuterent acriter insequentes, positis insidiis cepit, & longo tempore carceri mancipauit. Comes autem Flandriæ eo tempore sanctum Hotmarum cepit.

Philippus Dux Sueuiæ frater Imperatoris Henrici, maximam partem Imperij obtinuit. Contra quem Otto Ducis Saxoniæ filius habens coadiutorem Regem Angliæ Ricardum auunculum suum, Comitémque Flandrensem, & Archiepiscopum Coloniensem, Aquisgrani in Regem Germaniæ coronauerunt. Rex autem Francorum Philippus iam dicto Philippo Regi Alemanniæ Ducique Sueuiæ confœderatus est, sperans per eum Comitem Flandriæ sibi subiicere, & Regi Angliæ faciliùs posse resistere. Dum hæc agerentur, Innocentius Papa III. misit in Franciam legatum Petrum Capuensem, sanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardinalem, ad reformandam pacem inter Philippum Regem Francorum, & Regem Angliæ Ricardum. Veniens autem in Franciam vir venerandus circa Natiuitatem Domini, pacem quæ nimis deformata videbatur, reformare non potuit: sed fide duorum Regum interposita, quinquennes treugas ab ipsis accepit, quas nunquam per obsides dolis Regis Angliæ interuenientibus, confirmare non potuit.

Gesta XIX. *anni Philippi Augusti Francorum Regis.*

ANNO Domini M. C. XCIX. sexto Idus Aprilis, Ricardus Rex Angliæ iuxta Lemouicam ciuitatem grauiter vulneratus occubuit. Obsederat enim castrum quoddam, quod Castrum Lucij de Capreolo Lemouicenses vocant, hebdomada passionis Dominicæ, occasione cuiusdam thesauri, à quodam milite ibidem inuenti, quod ex nimia ambitione à Vicecomite Lemouicensi instantissimè sibi reddi petebat. Miles enim, qui thesaurum inuenerat, ad ipsum Vicecomitem confugerat. Dum verò Rex in obsidione castri moram faceret, & per singulos dies ipsum castrū viriliter impugnaret, balistarius quidam ex improuiso quarello transmisso, Regi An-

A gliæ lethale vulnus intulit, & paucis reuolutis diebus viam vniuersæ carnis ingressus est. Sepultus verò quiescit apud Fontem Ebrardi, in quadam Abbatia monialium, iuxta patrem suum. Thesaurus enim prædictus, vt ferebatur, fuerat Imperator quidam de auro purissimo cum vxore & filiis & filiabus ad mensam auream residentibus, qui posteris, quo tempore fuerant, certam dabant memoriam. Successit verò Regi Ricardo frater eius Ioannes, qui sine terra dicebatur, coronatus apud Cantuariam sequenti Ascensione Domini.

Eo tempore Rex Francorum statu rerum sibi in melius mutato ciuitatem Ebroicum cepit cum circumpositis munitionibus, scilicet Apriliacum & Aquiniacum, & suis muniuit hominibus, & totam Normanniam vsque Cenomannis vastauit. Arturius verò adhuc puer Comes Britannici littoris nepos Regis Angliæ, cum manu valida fines Andegauensium ingressus, Comitatum Andegauensium cepit, & apud Cenomannis Regi Francorum occurrens, hominium fecit, & omnimodam fidelitatem cum matre sua sub iuramento firmauit. Dum hæc & alia ibidem agerentur, Philippus Comes Namurij, frater Comitis Flandrensis, captus est à Roberto de Besio, & ab Eustachio de Noua-villa cum duodecim militibus mense Maio, iuxta castrum quod Lentium vocant, & Regi Philippo traditus, cum Petro de Doaio clerico, qui multa mala Regi machinatus fuerat. Electus verò Cameracensis captus fuerat ab Hugone d'Amelencort: pro quo Petrus iam dictus sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatus, totam Franciam sub interdicto posuit. Sed reuolutis tribus mensibus, B habito Rex saniori consilio, Ecclesiæ sanctæ Petrum prædictum liberum reddidit. Alienordis quondam Angliæ Regina apud Turonis Philippo Regi fecit hominium pro Comitatu Pictauensium, qui iure hæreditariò eam contingebat. Et tunc Rex adduxit Arturium secum Parisius v. Kalend. Augusti. Tertia verò die sequenti, videlicet III. Kalend. August. Ecclesiam beati Dionysij humiliter, causa peregrinationis adiit, vbi in pignus charitatis & deuotionis pallium sericum Deo & beatis Martyribus humiliter super altare obtulit. Mense autem Octobris treugæ sub iuramento firmatæ sunt inter duos Reges, vsque ad sequens festum sancti Ioannis. Similiter inter Comitem Flandriæ Balduinum & Regem Francorum Philippum.

Eodem anno Henricus Bituricensis Archiepiscopus obiit. Cui successit Guillermus Abbas Karoli loci. Sequenti verò videlicet mense Nouembri, Michaël Senonensis Archiepiscopus, vir Theologus & Deo placens, migrauit ad Dominum. Cui successit Petrus de Corbolio, quondam Innocentij Papæ didascalus. Per cuius manum & auctoritatem primò Cameracensem Episcopatum, secundò Senonensem meruit obtinere.

Eodem anno mense Decemb. in festo S. Nicolai conuocatum est Concilium apud Diuionem à Petro prædicto Cardinali, omnium Episcoporum, Abbatum & Priorum totius regni. Sed quia contra Regem Franciæ regnum ipsius sub interdicto ponere moliebatur, à nuntiis Regis ad Romanam sedem est appellatum. Tamen ipse C Cardinalis appellationi non deferens, in eodem loco astantibus Episcopis vniuersis, sententiam protulit, sed vsque ad XX. dies post Natiuitatem Domini non esse publicandam præcepit. Transactis verò XX. diebus à Natiuitate, tota terra Regis Francorum interdicto subiacuit. Quo audito Rex vehementer iratus, quia Episcopi sui interdicto faciendo consenserant, ipsos Episcopos à propriis sedibus perturbauit, & canonicos ipsorum seu clericos omnibus rebus suis expoliatos de terra sua eiici præcepit, & bona eorum confiscauit. Presbyteros etiam qui in parochiis manebant, omnes eiecit, & bona eorum diripuit. Ad cumulum verò totius mali, Ingeburgem vxorem suam legitimam, Reginam sanctam, omnibus bonis moribus & virtutibus ornatam, omniúmque suorum solatio destitutam, apud Stampas in castro suo reclusit. Aliud etiam addidit, quod totam Franciam turbauit. Milites, qui olim sua libertate gaudere consueuerant, & homines ipsorum, tertiauit, id est, tertiam partem omnium bonorum suorum eis violenter abstulit. A Burgensibus suis intolerabiles tallias & exactiones inauditas extorsit.

Gesta XX. anni Philippi Augusti Francorum Regis.

ANNO Domini M.CC. mense Maio in Ascensione Domini pax reformata est inter Regem Francorum Philippum & Ioannem Angliæ Regem, inter Verno-

PHILIPPVS AVGVSTVS. nem & insulam Andeliaci. Qualiter aut quomodo inter eos sit illa pax confirmata, vel terra inter eosdem fuerit diuisa, in authenticis instrumentis ab ipsis confectis & sigillatis pleniùs continetur. Porrò sequenti feria secunda, Ludouicus Regis Francorum vnigenitus duxit vxorem in eodem loco, Blanchiam filiam Hildefonsi Regis Castellæ, neptem Ioannis Regis Angliæ. Et pro illo matrimonio Ioannes Rex Angliæ quitauit omnes munitiones, & ciuitates, & castella, & totam terram quam Rex Francorum ceperat, Ludouico prædicto & hæredibus suis in perpetuum. Et post decessum suum totam terram cismarinam, si sine hærede legitimo ipsum mori contingeret, omni contradictione postposita, eidem Ludouico concessit. A

Anno Domini M. C C I. in Natiuitate beatæ Virginis, Octouianus Ostiensis & Velletrensis Episcopus venit in Franciam Legatus. Per cuius admonitionem Dominus Rex Ingeburgem vxorem suam in qualemcunque gratiam recepit, & superinductam ad tempus à se separauit. Tunc verò conuocatum est Cōcilium Suessionis ab Octouiano, & Ioāne de S. Paulo presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legatis. Cui interfuit Philippus Rex cum Archiepiscopis, Episcopis, & totius regni Principibus, mense Aprili, vbi tractatum fuit per XV. dies de matrimonio Ingeburgis Reginæ confirmando vel separando. Post varias & multas disputationes Iurisperitorum, Rex longa mora tædio affectus, relictis ibi Cardinalibus & Episcopis, cum Ingeburge vxore sua summo mane ipsis insalutatis recessit: mandans illis per nuntios suos, quòd vxorem suam secum ducebat sicut suam, nec separari tunc ab ea volebat. Quo audito, solutum est Concilium, stupefactis Cardinalibus & Episcopis qui ad diuortium faciendum conuenerant. Et tunc Ioannes de S. Paulo cum nimia erubescentia penitus recessit. Octouianus autem in Francia remansit. Et sic Philippus Rex hac vice manus Romanorum euasit. B

Eodem anno IX. Kal. Iunij obiit Theobaldus Comes Trecensis ætate XXV. an. Et quia hæredem masculum non habebat, Rex Francorum terram ipsius recepit sub tutela & custodia, cum vxore, & filia vnica quam habebat. Sed postea natus ei filius posthumus. Vxor enim eius prægnans remanserat.

Eodem anno pridie Kalend. Iunij, Ioannes Rex Angliæ venit in Franciam, à Rege Philippo honorificè receptus, & in Ecclesia beati Dionysij cum hymnis & laudibus & processione solemni gloriosissimè collocatus. Postea Rex Francorum duxit eum Parisius cum mirabili reuerentia & honore à ciuibus receptum, & in palatio Regis cum omnibus rebus suis deuotissimè procuratum. Vina domini Regis omnibus modis fuerunt ei exposita, & ad bibendum sibi & suis liberaliter concessa. Præterea munera pretiosa, aurum, argentum, vestésque varias, dextrarios Hispanicos, palafridos, & alia carissima dona Philippus Rex Ioanni Regi Angliæ liberaliter dedit; & ita cum bona pace & dilectione accepta à Rege licentia, vale dicto, recessit.

Eodem anno, antequam Octouianus Legatus Romam rediret, Maria superinducta, Domino vocante, viam vniuersæ carnis ingressa est: de qua Rex Francorum susceperat filium nomine Philippum, & filiam nomine Ioannam. Quinque enim annis contra legem & Dei decretum eam habuit & tenuit. Post mortem verò ipsius Mariæ, ad petitionem Regis Francorum Innocentius Papa tertius infantes prædictos legitimos hæredes esse mandauit, & postmodum litteris suis confirmauit. Quod factum eo tempore pluribus displicuit. C

Eodem anno Philippus Rex collecto exercitu apud Suessionum venit. Proposuerat enim vastare terram Comitis de Retest, & terram Rogeri de Roseio, qui per tyrannidem suam Ecclesias Dei & res earum rapientes, ad mandatum domini Regis, nec per litteras, nec per nuntium ad eos destinatum redire volebant. Sed audito Regis aduentu, festinanter ei occurrerunt. Et datis securitatibus cum iuramentis & obsidibus, quòd ablata Ecclesiis pro voluntate Regis in integrum restituerent, & domino Regi pro offensa satisfacerent: reuersus est Rex apud Vernonem, vbi inter Vernonem & insulam Andeliaci habuit cum Rege Angliæ colloquium in hunc modum.

Rex Francorum Ioannem Regem Angliæ submonuit sicut hominem suum ligium, quòd pro Comitatu Pictauensi & Andegauensi, & pro Ducatu Aquitaniæ XV. diebus ab Pascha instanti reuolutis Parisius veniret, super his, quæ Rex Francorū aduersus eum proponeret, sufficienter responsurus. Sed quoniam Rex Angliæ

A ad diem præfixum nec in propria persona venit, nec responsalem sufficientem mittere voluit, habito Rex Francorum cum Principibus & Baronibus suis consilio, collecto exercitu Normanniam ingressus munitiunculam quandam, quam Botauant vocabant, funditus euertit, deinde Arguellum cepit, & Mortamer, & tandem Gornacum, & totam terram quam Hugo de Gornaco tenebat, potenter sibi subiecit. Et in eodem loco Arturium militem fecit, tradens ei Britanniæ Comitatum, qui iure hæreditario eum contingebat, adiiciens Comitatum Pictauensium & Andegauensium, quos iure armorum sibi adquireret. Et in auxilium c c. ei milites tradidit, cum maxima pecuniæ summa. Qua de causa Rex Arturium perpetuò in hominem ligium accepit, & accepta à Rege licentia, mense Iulio recessit. Et paucis reuolutis diebus, quia terram Regis Angliæ nimis audacter cum paucis intrauerit, Rex Angliæ cum infinita multitudine armatorum ex insperato superueniens Arturium cum suis confecit, ipsúmque cum Hugone Bruno & Gaufrido de Ladinanno, & quampluribus aliis militibus cepit. Rex verò Philippus auditis huiusmodi rumoribus, castrum Archarum, quod obsessum tenebat, dimisit, & cum exercitu suo Turonis veniens, ipsam ciuitatem cepit & igne combussit. Iterum superueniens Rex Angliæ cum suis, post Regis Francorum recessum, eandem ciuitatem cum toto castro penitus destruxit. Effluxis deinde aliquot diebus, Rex Angliæ Vicecomitem Lemouicarum cepit, & secum abduxit. Veruntamen Hugo Brunus, Vicecomes Toarcensis, Gaufridus de Ladinanno, & Vicecomes Lemouicensis homines erant ligij Regis Angliæ. Sed quia vxorem suam Hugoni Bruno in dolo abstulerat, filiam scilicet Comitis Engolismensis, & multa alia mala eisdem Pictauensibus intulerat, à fidelitate eius recesserant, & Regi Francorum sub iuramento, necnon datis obsidibus confœderati fuerant. Superueniente verò hyeme, vterque sine pace & treuga, marchiis munitis, à bello cessauit.

B

In hoc loco dignum duximus inserendum facta memorabilia quæ Barones Francorum, videlicet Balduinus Comes Flandriæ, Ludouicus Comes Blesensis, Stephanus Perticensis, Marchisius de Monteferrato, & alij quamplures magni viri & strenui bellatores, qui mortuo inclytæ recordationis Rege Angliæ Richardo, pro liberatione sanctæ terræ cruces assumpserant, apud Constantinopolim egerunt, ascito sibi Duce Venetiarum sub iuramento, cum suis Venetianis & Stolio. Vt autem rei gestæ series vobis pleniùs intimetur, præsenti scripto pleniùs referre curauimus. Temporibus nostris Emmanuel Imperator sanctissimus & omnimoda magnificentia clarus apud Constantinopolim imperabat, habens filium nomine Alexium. Cui data fuit Agnes in vxorem, filia Ludouici Regis Francorum Christianissimi. Quem Alexium post mortem Imperatoris Emmanuelis Androinus patruus suus regnandi cupiditate illectus in mari proiectum extinxit. Agnes vxor sua in sancta viduitate remansit. Androinus verò adepto per tyrannidem imperio, septem annis vel paulò minus imperauit. Tandem Conzerac* ex insperato superueniens, ipsum Androinum in compitis viarum apud Constantinopolim ad stipitem ligatum, quasi signum ad sagittam propter immensa sui flagitia sagittari fecit. Et post Conzerac imperauit, habens A. fratrem in armis strenuum, sed iniquum, cui totam potestatem imperij tanquam fratri charissimo tradiderat, præter coronam & imperij dignitatem. Tandem instigante diabolo ambitionis imperandi inuidia permotus, & potentioribus imperij per multa & magna donalia sibi ascitis, Conzerac Imperatorem fratrem ac dominum suum crudeliter excæcauit, & nomen Imperatoris sibi vsurpare præsumpsit. Excæcati filium excæcari præcepit. Sed per Dei misericordiam de squalore carceris liberatus, elapsus à Græciæ finibus ad sororem suam, & Philippum Regem Germaniæ sororium suum in Alemanniam proficiscens, quidam de Francis in Italiam veniens decentissimus adolescens occurrit. Tandem cùm Venetias Franci venissent, competentes nuncios prædictus puer destinauit, qui patris causam & filij lachrymabiliter proponentes multis precibus suggerebant; quòd si patri & filio imperium restituerent, liberarent eos debitis x x x. trium millium marcharum argenti, quibus Venetianis tenebantur, nec non & pecuniam quam pro naulo dederant: & ipse puer cum virtute imperij sui ad liberationem sanctæ terræ cum illis veniret, & de fisco suo exercitui victualia sufficienter ministraret. Ecclesiam quoque Constantinopolitanam Ecclesiæ Romanæ & Domino Papæ tanquam membrum capiti subderet & vniret. Vocato ergo puero, & ab eodem iuramento recepto, quòd missa

C

* Conrezac

PHILIPPVS AVGVSTVS.

nuntiorum suorum inuiolabiliter obseruaret, statim viri strenui & fideles committentes se ventis & mari cum prædicto puero per medios fluctus maris securissimè nauigantes apud Constantinopolim applicuerunt. Græci autem qui erant de foris Francorum audaciam intuentes, & firmam in Domino constantiam considerantes, sine congressu aliquo fugientes, sese inter vrbis mœnia receperunt. Cùm autem per septem dies terra marique vrbem districtè & fortiter obsedissent, & frequenti & vario interueniente conflictu Franci victoriam obtinerent, tandem die octauo Imperator, qui diu latuerat, interiùs foras egrediens, cum sexaginta millibus equitum, & infinita multitudine peditum armatorum, ad dimicandum contra Francos acies ordinauit. Franci autem respectu Græcorum paucissimi, cum lætitia tamen præstolabantur congressum, quia securissimè de victoria confidebant. Quorum accendens constantiam & audaciam ille proditor & tyrannus, statim cum suis fugiens intra muros illicò se recepit, quòd pugnaret in crastino multis comminationibus asseuerans. Sed nocte sequenti cum vxore & liberis clam aufugit, sequenti die Franci ciuitatem viriliter impugnauerunt, & per muros cum scalis ascendentes vera laude dignissimi, infra muros inter Græcos audacissimè se præcipitauerunt, & de Græcis stragem non minimam fecerunt. Audiens autem Dux Venetiarum, quòd Francos concluserat Græcorum multitudo, & morti & exitio dabat illos, statim cum suis Veneticis viriliter & potenter cum suo stolio ad succurrendum Francis venit ad pugnam paratissimus. Inter quos ipse Dux licèt senex & debilis corpore, fortis tamen & feruens animo, intrepidè primus galeatus Francis pugnantibus sese adiunxit. Quod videntes Franci, resumptis viribus & renouatis, ad pugnam acerrimè recalescentes, fugato impio proditore & tyranno cum suis fermentariis hæreticis, & paruulos nostros rebaptizantibus, ciuitas Constantinopolitana à Francis & Veneticis strenuè capitur, pater adolescentis è carcere liberatur, statim in palatio dominatur. Puer autem potenter introducitur, & tam à clero quàm populo dignis sibi & debitis laudibus exolutis, tam in Ecclesia maiori quàm in palatio Imperiali diademate pretiosissimo solemniter coronatur. Adepto puer imperio filius Conzerac excæcati Francos sine mora à debitis Venetiorum liberat, pretium verò nauium integerrimè soluit. Exercitui Francorum de fisco imperiali liberaliter victualia ministrauit. Dux Venetiarum cum suis Venetianis iurauerunt Francis se exhibituros nauigium, & stolium seruaturos, promittentes si Francis Deus benefecerit, quod & ipsi indubitanter sperabant, nunquam ab ipsis recessuros, nisi ad plenum confusis & subiugatis hostibus Iesu Christi. Ad quam ipsi promissionem imperiali munificentia sunt inducti, quibus centum millia marcarum argenti exsoluit pro obsequiis Francis hactenus exhibitis, & postmodum exhibendis. Mortuo puero Imperatore in bello, Franci de consilio Ducis Venetiæ aliorúmque Principum, cum assensu cleri & populi, Balduinus Comes Flandrensis in Imperatorem electus est, & postmodum coronatus. Ecclesia quoque Orientalis tunc ab isto Imperatore, annuentibus Principibus suis & concedentibus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ & domino Papæ tanquam membrum capiti suo, subdita est & vnita. Hæc in litteris eorum scripta vidimus & legimus: maiora & meliora, Deo volente, in terra sancta in posterum ab ipsis sperantes, quando vnus persequetur mille, & duo fugabunt decem millia.

Gesta XXII. *anni Philippi Augusti Francorum Regis.*

ANNO Domini M. CCII. infra XV. dies post Pascha Rex Francorum collecto exercitu Aquitaniam intrauit, & adiunctis sibi in auxilium Pictauensibus & Britonibus, multas munitiones cepit. Et tunc Philippo Regi Comes de Alancione confœderatus est, & totam terram suam Regi tradidit custodiendam. Reuersus verò in Normanniam cum exercitu suo Conchas cepit, & insulam Andeliaci, & vallem Ruolij. Sed dum hæc in Francia agebantur, Innocentius Papa III. misit Abbatem de Casamarij ad Regem Francorum & Regem Angliæ pro pace inter eos reformanda. Qui de mandato domini Papæ, adiuncto sibi Abbate Trium fontium, mandatum Apostolicum vtrique Regi proposuerunt, præcipientes quòd conuocatis Archiepiscopis, Episcopis, totiúsque regni Principibus salua vtriusque Regis iustitia, pacem facerent, & Abbatias monachorum seu monialium, & alias Ecclesias

A propter guerras eorum destructas ad pristinum reformarent statum. Audito apud Medontam huiusmodi mandato in octauis Assumptionis beatæ Virginis Mariæ à Domino Rege appellatione interposita conuenientibus Episcopis, Abbatibus, & Baronibus, ad examen summi Pontificis huiusmodi causam reuocauerunt. Vltima die eiusdem mensis Rex Franciæ collecto exercitu obsedit Radipontem. Reuolutis verò quindecim diebus, erectis in circuitu turribus ligneis ambulatoriis aliisque tormentis quamplurimis, viriliter impugnauit & cepit. In quo castro cepit xx. milites strenuos defensores, & c. seruientes, & xxx. balistarios. Resumptis autem viribus & exercitu reparato, sequenti mense Septembri obsedit Guallardum. Erat autem castrum fortissimum in rupe excelsa à Rege Ricardo super fluuium Sequanæ ædificatum iuxta insulam Andeliaci. In qua obsidione Rex Francorum cum exercitu suo per quinque menses & eò ampliùs moram fecit. Nolebat enim castrum impugnare, tum propter hominum suorum interfectionem, tum propter murorum & ipsius turris destructionem: per famem enim & penuriam victualium interiores ad deditionem cogere volebat. Sed quia fugam ipsorum suspicabatur, circa ipsum castrum fossata fieri cœpit optima, ita quòd infra fossatum illum totus exercitus fixit tentoria, & decem turres ligneas in circuitu erexit. Tandem superueniente cathedra S. Petri, Rex Francorum erectis petrariis & manganellis, & turre ambulatoria, suéque lignea, acerrimè castrum impugnari cœpit. Interiores verò econtrà se defen-

B debant, & Francos acriter repellebant. Effluxis autem xv. diebus pridie Nonas Martij ruptis muris & confractis, cum maxima pugna prædictum castrum Franci ceperunt. Vbi capti fuerunt xxxvi. milites viri illustres & strenui defensores. Quatuor verò milites in ipsa obsidione mortui fuerant.

Anno Domini M.CCIII. Philippus Rex Francorum collecto exercitu Normanniam intrauit, VI. Nonas Maij, & Falesiam castrum scilicet fortissimum & Domnofrontem, & vicum opulentissimum, quem vulgus Cadumium vocat, cepit cum omni terra circumposita, vsque ad montem S. Michaëlis in periculo maris suo subiecit dominatui. Postea Normanni à Rege veniam petentes tradiderunt ei ciuitates quas ipsi custodiebant; videlicet Constancias, Baiocas, Luxouium, Abrincas, cum castellis & suburbiis. Nam Sagium & Ebroicum iam ceperat. Nihil enim de tota Normannia remanebat, præter Rothomagum ciuitatem opulentissimam, viris nobilibus refertam, caput scilicet Normanniæ totius: Vernolium, & Archas, oppida munitissima & situ loci fortissima, strenuis bellatoribus munita. Reuersus autem Rex à Cadumio, priùs ciuitatibus & castellis munitis, obsedit Rothomagum. Videntes autem Normanni quòd defendere se non poterant, nec à Rege Angliæ succursum præstolabantur, tamen habito saniori consilio ad cautelam & fidelitatem Regi Angliæ conseruandam inducias impugnandi ciuitatem Vernolium & Archas, castra scilicet quæ cum Rothomagensibus fuerant coniurata, xxx. dierum à Rege Francorum humiliter petierunt; videlicet vsque ad sequens festum S. Ioannis Ba-

C ptist. vt interim nuncios suos ad Regem Angliæ mittere possent, rogantes quòd succursum eis in tam arcto positis dignaretur præstare. Sin autem, se & sua, ciuitatem etiam & castra prædicta victoriosissimo Philippo Francorum Regi datis obsidibus LX. filiis Burgensium Rothomagensium ex condicto tradere tenebantur. Superueniente verò S. Ioannis festiuitate, nullum à Rege Angliæ succursum accipientes, Rothomagum ciuitatem opulentissimam totius Normanniæ caput & principatum, cum duobus castellis prædictis Regi Francorum, sicut promiserant, sine contradictione tradiderunt. Hanc autem ciuitatem cum tota Normannia per CCC. & XVI. annos prædecessores sui, scilicet Reges Francorum, non habuerant, à tempore Caroli Simplicis, cui Rollo Danus cum suis paganis superueniens, iure armorum abstulerat.

Sequenti verò tempore in festo S. Laurentij, Philippus Rex collecto exercitu Aquitaniam ingressus, ciuitatem Pictauis cum omni terra circumposita, castellis scilicet, vicis, & villis, recepit, & Barones illius terræ ei fidelitatem fecerunt, sicut domino suo ligio facere consueuerant. Rupellam verò, & Chinonium, & Lochas tunc superueniente hyeme dimisit, & circa Lochas & Chinonium posita obsidione in Franciam reuersus est.

Superueniente verò Paschali solemnitate anno Domini M.CCIIII. Philippus Rex vocauit Comites, Duces, & magistratus virtutis Francorum, & conuocauit

PHILIPPVS AVGVSTVS.

multa millia peditum pugnatorum, & equites sagittarios dinumerauit, & omnem expeditionem militum præire fecit cum his quæ exercitibus victui sufficerent copiosè. Et profectus venit apud Lochas cum quadrigis & equitibus & sagittariis & innumerabili tormentorum apparatu: & erectis in circuitu machinis, viriliter castrum impugnauit & cepit. In quo viros pugnatores, milites & seruientes circiter centum & viginti, cepit; castrum verò Drogoni de Merloto dedit præstita fidelitate, & castro munito. Deinde totum exercitum apud Chinonium direxit, & fixit ibi tentoria cum maximo apparatu tormentorum. Paucis elapsis diebus castrum potenter impugnauit, & cepit. Milites autem balistarios & pedites non paucos fortissimos defensores in eodem præsidio captos apud Compendium carceri mancipauit. Prædictum verò castrum fortius reædificari fecit, & positis ibi custodibus, Philippus Rex Augustus reuersus est in Franciam, circa festum S. Ioannis Baptistæ. A

Anno Domini M. C C V. Philippus Rex Francorum, in pignus charitatis & dilectionis Ecclesiæ beati Dionysij Areopagitæ contulit pretiosissimas reliquias, quas Balduinus Imperator Constantinopolitanus de sancta Capella Imperatorum, quam Os leonis vocant, cum timore & reuerentia præmissis ieiuniis & orationibus acceperat, scilicet de sancta cruce, in qua Saluator mundi pependit, ad quantitatem vnius pedis in longum, in grossum quantum aliquis claudere manu potest iuncto pollici indice. De capillis Domini nostri Iesu Christi pueri. De spinea corona Domini spinam vnam. Costam vnam S. Philippi Apostoli, cum vno dente ipsius. De panno lineo albo, in quo inuolutus fuit Saluator in præsepio. De purpureo indumento ipsius. Crux in vase aureo cum gemmis pretiosis ornamento posita est ad quantitatem eius facto. Aliæ reliquiæ prædictæ positæ habentur in alio vase aureo. Omnes reliquias prædictas Christianissimus Rex Francorum Henrico Abbati beati Dionysij propria manu Parisius tradidit VII. Id. Iunij. Quas prædictus Abbas cum gaudio lachrymarum pleno accipiens, regali munificentia exhilaratus psalmos cum orationibus psallendo vsque indictum venit. Vbi processio monachorum beati Dionysij, albis & capis sericis induti, nudis pedibus cum vniuerso clero & populo obuiam occurrit. Et data in eodem loco cum reliquiis benedictione, cum hymnis & laudibus, pulsantibus campanis vniuersis in Ecclesia ter beati Dionysij super corpora sanctorum Martyrum in vasis maioribus auro puro & lapidibus pretiosis tectis cum capite ipsius pretiosissimi martyris Dionysij, & scapula S. Ioannis Baptistæ, habentur reconditæ. Per omnia benedictus Deus, qui mihi seruo suo licèt indigno & fragili peccatori ferè in senio iam existenti, diuina pietas videre concessit. B

Anno Domini millesimo ducentesimo sexto, pridie Calendas Martij, fuit eclipsis solis particularis hora sexta diei, in XVI. gradu piscium. Sequenti verò mense Iunio, pridie Nonas eiusdem obiit Ala Regina mater sæpè nominati Francorum regis apud Parisium, postea verò sepulta apud Pontiniacum in Burgundia, iuxta patrem suum Theobaldum Comitem Trecensem & Blesensem, qui prædictam Abbatiam fundauerat, vt relatu multorum didicimus. C

Eodem anno mense Iunio iterum Philippus Rex collecto exercitu Pictauiam intrauit, audito quòd Ioannes Rex Angliæ apud Rupellam cum exercitu valido applicuerat. Quo tempore Ludouicus Regis Philippi vnigenitus Aurelianis aliquantulum temporis ægrotauit, sed per Dei misericordiam citò conualuit. Rex verò Philippus exercitum suum apud Chinonium duxit, & ciuitatem Pictauis muniuit, Laudunum, & Mirabellum, & alia quæ ibi habebat, positis sufficienter militibus & seruientibus, Parisius rediit. Ioannes verò Rex Angliæ ciuitatem Andegauis cepit, & totam destruxit. Vicecomes Toarcensis à fidelitate Regis Francorum recedens, Regi Angliæ confœderatus est. Quo audito, Rex Francorum cum exercitu valido in Pictauiam reuersus est. Et ordinatis aciebus quasi ad pugnandum, Rege Angliæ apud Toarcum existente, terram illius Vicecomitis Toarcensis destruxit. Tandem à festo omnium Sanctorum vsque ad duos annos datis treugis Philippus Rex in Franciam, Ioannes verò reuersus est in Angliam.

Eodem anno, mense Decembri, peccatis hominum exigentibus, tanta aquarum & fluminum inundatio facta est, quanta ab hominibus illius temporis nunquam visa vel audita à prædecessoribus fuerat Parisius: tres arcus parui pontis fregit, & quamplures domos ibidem euertit, & infinita damna multis in locis intulit. Qua de causa conuentus beati Dionysij cum Abbate suo Henrico & vniuerso clero & populo pro-

A processionem nudis pedibus faciens, cum clauo & spinea corona Domini & sacratissimo ligno crucis Dominicæ, aquis benedixit. Peracta verò benedictione cum multiplici lachrymarum effusione, statim aquæ cœperunt diminui. Per omnia benedictus Deus, qui saluat sperantes in se.

Anno Domini M. CCVII. Philippus Rex collecto exercitu Aquitaniam intrauit & terram Vicecomitis Toarcensis vastauit, Partenacum cepit, & alias quamplures circumpositas munitiones euertit, & quasdam munitas sub custodia Marescalli sui & Guillelmi de Rupibus reliquit. Rex verò Parisius reuersus est.

Sequenti anno, videlicet M. CCVIII. Odo Parisius Episcopus obiit, III. Id. Iul. Cui successit Petrus Thesaurarius Turonensis. Eo anno Marescallus prædictus & Guillelmus de Rupibus collectis ferè trecentis militibus Vicecomitem Toarcensem & Sauaricum de Maloleone, qui cum manu valida terras Regis intrauerant, & magnas prædas ducebant, ex improuiso superuenientes confecerunt. In qua confectura capti sunt XL. milites Pictauenses & eo ampliùs, videlicet Hugo de Toarcio frater Vicecomitis: Haimericus de Lisinnano, filius Vicecomitis, Portaclea, & quamplures alij strenui bellatores, quorum nomina scribere noluimus. Hos omnes domino Regi Francorum Parisius sub diligenti custodia captos miserunt. Demum datis treugis à bello quieuerunt.

B Eodem anno quidam Comes Palatinus, qui lingua eorum Landagraua vocabatur, id est, Comes Palatij, Philippum Romanum Imperatorem interfecit. Quo mortuo, Otho filius Ducis Saxoniæ per industriam & auctoritatem Innocentij Papæ imperium obtinere nitebatur.

Eodem anno Innocentius Papa III. misit Legatum in Franciam Gual. tituli Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem, iurisperitum, bonis moribus ornatum, omnium Ecclesiarum visitatorem diligentissimum, Ecclesiæ beati Dionysij beneuolum & deuotum. His temporibus Innocentius Papa scripsit Regi Francorum Philippo, & omnibus Principibus regni sui, mandans & præcipiens, quòd cum magno exercitu terram Tholosanam, & Albigensem, & Cadurcium, & partes Narbonensium & Biterrensium, & alias multas adiacentes, sicut viri Catholici & fideles Iesu Christi inuaderent, & omnes hæreticos, qui terras illas occupauerant, delerent. Et si in via vel bellando contra illos morte intercipiuntur, idem Papa ex parte Dei & auctoritate Apostolorum Petri & Pauli, & sua, ab omnibus peccatis à die natiuitatis suæ contractis, de quibus confessi fuerint, & pœnitentiam non egerint, absoluit.

Regnante Francorum Rege Philippo magnanimo Ludouici Pij filio, anno eiusdem regni XXVIII. ab incarnatione Domini M. CCIX. accessit ad Philippum Regem Francorum Iuchellus de Mediana vir nobilis & fidelis, deferens ei querimoniam de eo quòd quidam firmauerunt castrum quoddam in quadam rupe excelsa, C cui nomen erat Guarplic, quod sonat ex Britannico in Latinum, mollis plica, siue super plicam, eo quòd sit super sinum maris, vel quia ibi molliter plicatur refluxus maris, in Septentrionali latere Britanniæ minoris, quæ Armorica dicitur, ab antiquo supra mare, vnde patebat facilis transitus in maiorem Britanniam, quæ nunc Anglia nuncupatur. Munierant enim castrum illud armis, hominibus, & victualibus, & machinis bellicis, & recipiebant in eo Anglicos inimicos regni, & damnificabant circumadiacentem prouinciam. Ad eiusdem ergo Iuchelli instantiam Rex Philippus congregauit exercitum apud Medontam castrum, & misso cum Comite sancti Pauli & prædicto Iuchello exercitu, expugnauit viriliter castrum, & vi cepit, & muniuit suis fidelibus, & tradidit dicto Iuchello.

Cùm omnes Barones & Episcopi vocati ad hunc exercitum conuenissent apud Medontam, & misissent ad mandatum Regis homines suos prout debebant in expeditionem illam, Aurelianenses & Altisiodorenses Episcopi cum militibus suis ad propria sunt reuersi, dicentes se non teneri ire vel mittere in exercitum, nisi quando Rex ipse personaliter proficiscitur. Et cùm nullo ad hoc priuilegio se tueri possent, generali consuetudine contra eos faciente, petiit Rex vt hoc emendarent. Ipsis autem emendare nolentibus, Rex eorum regalia confiscauit, scilicet ea tantùm temporalia, quæ ab eo feodaliter tenebant, decimas & alia spiritualia eis in pace dimittens. Ipse enim Rex Christianissimus semper timebat offendere Ecclesiam Dei, & eius ministros. Ipsis ergo terram & homines Re-

PHILIPPVS AVGVSTVS.

gis interdicentibus, & ad Romanam curiam mittentibus, & in propriis personis accedentibus, domino Papa Innocentio tertio, consuetudines & iura regni nolente infringere, aut in aliquo reuocare; emenda tandem facta & Regi soluta post duos annos recuperauerunt omnia, quæ à Rege fuerant confiscata. A

In diebus illis studium literarum florebat Parisius, nec legimus tantam aliquando fuisse scholarium frequentiam Athenis vel Ægypti, vel in qualibet parte mundi, quanta locum prædictum studendi gratia incolebat. Quod non solùm fiebat propter loci illius admirabilem amœnitatem, & bonorum omnium superabundantem affluentiam; sed etiam propter libertatem, & specialem prærogatiuam defensionis, quam Philippus Rex & pater eius ante ipsum ipsis scholaribus impendebant. Cùm itaque in eadem nobilissima ciuitate non modò de triuio & quadriuio, verùm & de quæstionibus iuris Canonici & Ciuilis, & de ea facultate quæ de sanandis corporibus, & sanitatibus conseruandis scripta est, plena & perfecta inueniretur doctrina, feruentiori tamen desiderio sacram paginam & quæstiones Theologicas docebantur. Fuit igitur in eadem sacra facultate studens quidam Clericus Almaricus nomine, de territorio Carnotensi, villa quæ Bena dicitur oriundus. qui cùm in arte logica peritus esset, & scholas de arte illa, & de aliis artibus liberalibus diu rexisset, transtulit se ad sacram paginam excolendam. Semper tamen suum per se modum docendi & discendi habuit, & opinionem priuatam, & iudicium quasi sectum & ab aliis separatum. Vnde & in ipsa Theologia ausus est constanter asseuerare, quòd quilibet Christianus teneatur credere se esse membrum Christi, nec aliquem posse saluari qui hoc non crederet, non minus quàm si non crederet Christum esse natum & passum, vel alios fidei articulos; inter quos articulos ipse hoc ipsum audacter audebat dicere annumerandum esse. Cùm igitur in hoc ei ab omnibus Catholicis vniuersaliter contradiceretur, de necessitate accessit ad summum Pontificem; qui audita eius propositione & Vniuersitatis scholarium contradictione, sententiauit contra ipsum. Redit ergo Parisius, & compellitur ab Vniuersitate confiteri ore, quòd in contrarium prædictæ opinioni suæ sentiret, ore dico, quia corde nunquam dissensit. Tædio ergo & indignatione affectus, vt dicitur, ægrotauit, & lecto incumbens decessit in breui, & sepultus est iuxta Monasterium S. Martini de Campis. Post mortem eius surrexerunt quidam venenosa eius doctrina infecti, qui eo subtiliùs plus quàm oportet sapere sapientes, ad exsufflandum Christum, & ad euacuandum noui Testamenti sacramenta, nouos & inauditos errores & inuentiones diabolicas confixerunt. Inter alios eorum errores impudenter astruere nitebantur, quòd potestas patris durauit quandiu viguit lex Mosaica. Et quia scriptum est: Nouis superuenientibus abiicientur vetera, postquam Christus venit, aboleuerunt omnia Testamenti veteris sacramenta, & viguit noua lex vsque ad illud tempus. In hoc ergo tempore dicebant Testamenti noui sacramenta finem habere, & tempus sancti Spiritus incepisse, quo dicebat Confessionem, Baptismum, Eucharistiam & alia sine quibus salus haberi non potest, locum de cætero non habere, sed vnumquemque tantùm per gratiam Spiritus sancti interiùs sine actu aliquo exteriori inspiratam saluari posse. Charitatis virtutem sic ampliabant, vt id quod aliàs peccatum esset, si in virtute fieret charitatis, dicerent iam non esse peccatum. Vnde & stupra, & adulteria, & alias corporis voluptates in charitatis nomine committebant. Mulieribus, cum quibus peccabant, & simplicibus quos decipiebant, impunitatem peccati promittentes, Deum tantummodò bonum & non iustum prædicantes. Fama huiusmodi peruenit occultè ad viros venerabiles Petrum Parisiensem Episcopum, & fratrem Garinum Regis Philippi Consiliarium, qui misso clam magistro Rad. de Nemurcio Clerico diligenter inquiri fecerunt huius sectæ viros. Idem Rad. articulosus & astutus & verè Catholicus sic missus, imitabili modo fingebat se esse de secta eorum cùm ad singulos veniebat; & illi reuelabant ei secreta sua tanquam suæ sectæ participi vt putabant. Et ita huius sectæ plures sacerdotes, clerici, & laici, ac mulieres diutiùs latentes prout Domino placuit, tandem detecti, & capti, & Parisius adducti, & in Concilio ibidem congregato conuicti & condemnati, & ab ordinibus in quibus erant degradati, traditi fuerunt curiæ Philippi Regis, qui tanquam Rex Christianissimus & Catholicus vocatis apparitoribus fecit omnes cremari, & cremati sunt Parisius extra portam in loco qui nuncupatur Campellus. Mulieribus autem

B

C

A &aliis simplicibus, qui per maiores corrupti fuerant & decepti, pepercerunt. Prædictum autem hæresiarcham Amalricum, quia plane constitit sectam illam ab eo originem habuisse, licèt in pace Ecclesiæ, vt putabatur, sepultus fuisset, ab vniuerso Concilio etiam post mortem excommunicatus fuit & condemnatus, & à cimiterio sacro eiectus, & ossa ac cinis eius per sterquilinia sunt dispersa. Benedictus Deus per omnia.

In diebus illis legebantur Parisius libelli quidam ab Aristotele, vt dicebantur, compositi, qui docebant metaphysicam, delati de nouo à Constantinopoli, & à Græco in Latinum translati, qui quoniam non solùm prædictæ hæresi sententiis subtilibus occasionem præbebant, imò & aliis nondum inuentis præbere poterant, iussi sunt omnes comburi, & sub pœna excommunicationis cautum est in eodem Concilio, ne quis eos de cetero scribere, legere præsumeret, vel quocunque modo habere.

Post hæc Comes Guido Aluerniæ multis multas iniurias irrogabat, multæque de eius intolerantia ad aures Philippi Regis magnanimi querimoniæ. Qui correptus à Rege per litteras, & per nuntios increpatus, non destitit à sæuis actibus. Immò in Dei Ecclesiam manum iniiciens, quoddam regale Monasterium violenter destruxit, & Episcopum Claromontensem cepit. Quod cùm audisset Rex, qui hanc sibi virtutem quasi innata consuetudine specialiter appropriabat, vt Ecclesiarum B iniurias nunquam dimitteret impunitas, congregato exercitu, illum exheredauit.

Anno ab incarnatione Domini M. CCX. Innocentius Papa III. contra voluntatem Philippi Regis Francorum, & contradicentibus pro maxima parte Romanis, imo & multis de magnatibus Imperij non assentientibus, coronauit Romæ Imperatorem Othonem filium Ducis Saxoniæ. Cuius pater, scilicet Dux Saxoniæ, de crimine læsæ maiestatis conuictus à Frederico Imperatore & vniuerso Baronum imperij iudicio damnatus, & à Ducatu in perpetuum fuerat eiectus. Exegit tamen Papa ab eo in ipsa coronatione iusiurandum de patrimonio & iure beati Petri indemniter ei & Ecclesiæ Romanæ in pace dimittendo, & contra quoslibet defendendo. Recepto itaque iureiurando, & instrumentis publicis super hoc confectis, & imperiali charactere confirmatis, eodem die quò coronam suscepit contra iuramentum temere veniens, significauit Papæ se non posse ei dimittere castra quæ ab antecessoribus suis aliquibus temporibus fuerant possessa. Propter hoc, & propter quasdam expensas, quas Romani ab Imperatore ex debito petebant, & propter quasdam iniurias, quas Romanis Theutonici irrogabant, orta fuit inter eos discordia, & conflixerunt Romani cum eis, & multi de Theutonicis occisi sunt, & plurimum damnificati, adeo vt cùm de damnis sibi resarciendis ageret postea Imperator cum Romanis, diceret se in illo bello mille centum equos amisisse, præter homines occisos, & C alia damna. Rediens inde Imperator sicut dudum in animo conceperat, occupauit castra & munitiones quæ erant iuris beati Petri, Aqua pendens, Radicofonum, Sanctum Quircum, Montem Flasconis, & ferè totam Romaniam. Et inde transiens in Apuliam, oppugnauit terram Frederici filij Henrici Imperatoris, & cepit ciuitates multas & castella in regno Apuliæ, quod totum est de patrimonio & feudo beati Petri. Missis itaque nuntiis & legationibus, cùm nullo modo vellet Imperator ea quæ occupauerat resignare, imò & Romipetas faciebat à suis vispilionibus, quos in castris posuerat, spoliari. Dominus Papa communicato fratrum consilio, excommunicationis in ipsum sententiam promulgauit. Et cùm nec sic resipiscere voluisset, immo magis ac magis res Ecclesiæ occuparet, & iter Romipetarum impediret, cùm crescente contumacia crescere debeat & pœna, absoluit Papa omnes subditos eius ab ipsius fidelitate, sub interminatione anathematis inhibens, ne quis eum haberet vel nominaret eum Imperatorem. Et ita recesserunt ab eo Landegrauius Thuringiæ, & Moguntinus Archiepiscopus, & Treuerensis Archiepiscopus, Dux Austriæ, & Rex Boëmiæ, & multi alij tam seculares quàm Ecclesiasticæ personæ.

Anno igitur ab incarnatione Domini M. CCXI. iidem Barones Alemanniæ mediante consilio Philippi Regis Franciæ, elegerunt Fredericum filium Henrici Imperatoris, rogantes Papam, vt electionem eius confirmaret. Qui licèt hoc benè vellet, tamen dissimulauit, quia Romana Ecclesia semper grauitatem obserua-

re, & noua non nisi cum difficultate & maturitate concedere consueuit, & quia A
progeniem illam non amabat. Idem itaque Fredericus de consilio Regis Francorum vocatus à Baronibus nauigio venit Romam, & honorificè receptus est à summo Pontifice, & à Romanis. Inde discedens per mare venit Ianuam, & ibidem cum maximo gaudio & honore receptus, adiuuãte Bonifacio Marchione Montisferrati, & ciuibus Papiensibus, & Cremonensibus, & ferè omnibus ciuitatibus Lombardiæ, & præcipuè Estenẽ. Martione transiuit, per Cimas transiuit Alpes, & intrauit Alemanniam, & venit Constanciam. Digna res memoria, quòd omnis qui intendit Ecclesiam Dei deprimere, in breui deiicitur. Eodem die venturus erat Otho in eandem ciuitatem, & iam præmiserat famulos suos & coquos, qui iam cibos parauerant, nec distabant à ciuitate per tres leugas, quando Fredericus cum L X. militibus intrauit, quem Otho cum C C. militibus eius aduentum sciens sequebatur. Sed Frederico recepto clausa est Othoni ianua, & ipse cum suis viliter est repulsus. Et dicunt, quòd si Fredericus moram fecisset per tres horas, nunquam intrasset Alemanniam. Otho itaque à Constanciis cum vituperio sic expulsus, accessit Brisac, à quo & quia Theutonici ciues illius oppidi contumeliis & iniuriis afficiebant, & eorum filias & vxores constuprabant, non minori dedecore quàm à Constanciis est propulsus. Fredericus autem tam ab ipsis, quàm ab aliis Imperij Baronibus cum B
gaudio & honorificentia est receptus.

Eodem anno celebratum est colloquium inter eundem Fredericum & Philippum magnanimum Regem Francorum apud Vallem-coloris, Metensi Episcopo mediante. Cui tamen non interfuit ipse Rex, sed Ludouicus filius eius primogenitus, cum magnatibus regni, & percusserunt fœdus inter se, & renouauerunt amicitias perpetuas, sicut fuerant inter eorum prædecessores.

Anno eodem Philippus Rex magnanimus totum in circuitu circumsepsit à parte australi vsque ad Sequanam fluuium, ex vtraque parte maximam terræ amplitudinem infra murorum ambitum concludens, & possessores agrorum & vinearum compellens, in terras illas & vineas ad ædificandum in eis nouas domos habitatoribus locarent, vel ipsimet nouas ibidem domos constituerent, vt tota ciuitas vsque ad muros plena domibus videretur. Sed & alias ciuitates, oppida, & municipia regni, muris & turribus inexpugnabilibus muniuit. Mira & laudanda iustitia Principis, licèt de iure scripto posset propter publicum regni commodum in alieno fundo muros erigere & fossata, ipse tamen iuri præferens æquitatem, damna sua quæ per hoc homines incurrebant, de fisco proprio compensabat.

Eodem anno Rex quidam Sarracenus, qui dicebatur Mummilinus, quod lingua eorum sonat Regum Rex, collecto exercitu infinito Paganorum, aggressus fines Hispaniæ, & locutus est in magna superbia contra Christianos, & obtulit eis bellum. Qui pugnauerunt cum eo in fide & nomine Iesu Christi, & vicerunt eum, C
& ferè omnes qui cum eo erant occiderunt. Ipse autem victus & confusus & ferè solus ad propria est reuersus. Huic bello interfuerunt multi boni & fortes viri de regno Franciæ, & Rex Arragoniæ, miles probissimus, qui in signum victoriæ lanceam & vexillum ipsius Mummilini Romam misit, quæ adhuc in Ecclesia beati Petri in loco eminenti posita, fauorem & misericordiam Christi, qua suos licèt paucos, respectu hostium, in prædicto bello victores fecit, in perpetuum repræsentant.

Anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo duodecimo, regnante vt dictum est Christianissimo Rege Francorum Philippo magnanimo, filio sanctissimi Regis Ludouici Pij; Reginaldus de Domno Martino Comes Boloniæ diruit quandam fortericiam nouam, quam Philippus Beluacensis Episcopus cognatus Regis erexerat in pago Beluacensi, pro eo quòd videbatur posse damna facere Comitissæ Clarimontis, quæ erat cognata eiusdem Comitis. Propter quod idem Episcopus diruit quandam aliam munitiunculam fundatam de nouo à dicto Comite in foreste de Halmes. Vnde orta est discordia inter ipsum Comitem ex vna parte, & prædictum Episcopum & nepotes suos filios Roberti Comitis ex altera. Et cùm idem Comes Boloniæ suspectus esset Regi, non propter hanc guerram tantùm, sed quia castrum quoddam inexpugnabile, quod Moretonium vocatur, in cõfinio minoris Britanniæ & Neustriæ situm, munierat victualibus & hominibus armatis, & quia nuntios suos in regni & Regis præiudicium ad Othonem Impera-

A torem, & ad Regem Angliæ Ioannem mittere dicebatur: petiit Rex ab eo, vt ei traderet munitiones, quas cùm ei contra ius & consuetudinem patriæ denegasset, Rex congregato exercitu accessit ad prædictum castrum, quod tam naturali situ quàm artificiali opere inexpugnabile videbatur, & ipsum præter spem infra triduum expugnauit, & quarto die per vim cepit. Et castro suis fidelibus munito direxit inde acies in partes Boloniæ. Comes verò videns Regis fortitudinem, cui resistere non poterat, totum Comitatum Boloniæ, & omnia castella dimisit Ludouico Philippi Regis primogenito, de quo id totum feodaliter tenebat. Rex autem cùm occupasset totum Moretonij Comitatum, & Comitatum Domni Martini, Comitatum Albemarnæ, Insulambonam, Domfrontem, & omnia eis appendentia, quæ omnia idem Comes tam dono, quàm regis patientia possidebat. Et sic Comes à toto regno recedens, accessit ad Comitem Barri cognatum suum, & mansit apud eum. In eodem Comite multa erant laudabilia, & plura laudi contraria. Ecclesias Dei deprimebat, vnde & ferè semper excommunicatus erat. Pauperes, orphanos, viduas depauperabat; vicinos suos nobiles persequebatur odio, & eorum municipia, impetrata Regis licentia, qui eum multùm solebat diligere, destruebat. Et licèt vxorem haberet nobilissimam, cuius gratia Comitatum Boloniæ obtinebat, & cuius filia nupta erat domino Philippo Regis filio, spretis eius amplexibus cum aliis mulie-
B ribus scortabatur, & concubinas publicè circumducebat. Cùm igitur excommunicatus esset, transtulit se ad excommunicatos, & confœderatus est Othoni Imperatori & Ioanni Regi Anglorum, quorum vterque ab ore summi Pontificis excommunicatus erat: Otho pro eo quòd patrimonium beati Petri occupabat; Ioannes eo quòd Stephanum sanctæ opinionis virum Cantuariensem Archipræsulem à summo Pontifice consecratum, ad suam cathedram accedere non sinebat, imò omnes Episcopos à regno suo eiecerat, & omnes res Ecclesiarum & clericorum & monachorum nigrorum & etiam alborum beneficia fisco applicuerat, & in vsus proprios conuerterat iam per septennium. Idem autem sanctus Archipræsul & alij Episcopi à Philippo Rege liberaliter recepti in regno Franciæ exulabant.

Antè tamen quàm Comes confœderatus esset dictis Regibus, missis nuntiis instanter petebat restitutionem terræ suæ, & castrorum. Rex autem offerebat ei restitutionem, si vellet stare iudicio regalis aulæ, & Baronum regni. At ipse absolutè petens restitutionem, iudicium repellebat. Et quia Rex non nisi cum conditione volebat eum restituere, transtulit se, vt diximus, primò ad Othonem, & post per Flandriam ad Ioannem Regem, & fœdus cum vtroque percussit.

Eodem anno, conuocauit Philippus Rex Concilium in ciuitate Suessionensi in crastino Dominicæ Palmarum, cui interfuerunt omnes Proceres regni, & Dux Brabantiæ, cui ibidem Rex Philippus desponsauit Mariam filiam suam iuuenculam relictam Philippi Comitis Nemurtij, quam idem Dux statim post octabas instantis
C Paschæ solemniter duxit in vxorem. Ibidem igitur tractatum fuit de transfretando in Angliam; & placuit sermo iste Baronibus vniuersis, & spoponderunt auxilium, & quod etiam personaliter transfretarent cum ipso. Solus autem Comes Flandriæ Ferrandus suum Regi negauit auxilium, nisi priùs ei redderet duo castella, videlicet sanctum Audomarum, & Ariam, quæ Ludouicus Regis primogenitus tenebat. Rex verò obtulit ei excambium, ad æstimationem iustam eorumdem castrorum. Ferrandus autem hac acceptilatione non recepta recessit, quia iam, vt pòst apparuit, confœderatus erat Regi Ioanni, Comite Boloniæ mediante.

Anno itaque ab incarnatione Domini M. CCXIII. nauigio ad eundum in Angliam iam peracto, Philippus Rex magnanimus recepit in gratiam Isamburgem vxorem suam, filiam Regis Danorum, à qua iam per annos XVI. & ampliùs dissenserat. Et facta est lætitia magna in populo, quia in ipso Rege nihil aliud culpa dignum inueniebatur, nisi hoc solum, quòd dictæ vxori suæ carnis debitum subtrahebat, licèt ei omnia necessaria alia honorificè ministraret. Vnde & ipsa in ipsius gratiam recepta, merito gauisi sunt vniuersi, qui priùs illam in ea dissensione tantæ virtuti contrariam esse dolebant.

Eodem anno factum est bellum in Liguria, in territorio Cremonensi. Cùm enim anno præcedenti secundo Papienses ciues producerent Fredericum Romanorum electum vsque Cremonam, Mediolanitæ positis insidiis pugnauerunt cum eis iuxta Laudam ciuitatem nouam fundatam 53. annis elapsis à Frederico Imperatore ma-

A gno auo istius Frederici: sed non sunt ausi aggredi eos, dum esset præsens cum eis ipse Fredericus. Vnde & ipso apud Cremonam relicto, cùm iam redirent Papiam, prodierunt de latibulis Mediolanitæ, & adorti sunt eos ex improuiso. Vnde tam ipsi Papiani, quàm Cremonenses conceperunt rancorem & odium immortalem contra Mediolanitas; sed vindictam distulerunt, quousque opportunitas se offerret. Mediolanitæ verò, qui immortali odio semper persecuti sunt totum genus Frederici magni, qui eos de bello conficiens olim Papianis auxiliantibus, omnes eorum turres explanauerat, non expectauerunt vltionem sibi inferri; imò exercitu magno congregato aggressi sunt fines Cremonensium: sed & Cremonenses eductis copiis multò minoribus, iureiurando interposito firmauerunt, vt si congressus fieret, nullus eorum vacaret prædæ, siue homini capiendo, sed agmine conserto & indissoluto hostium cuneos penetrarent. Cùm autem esset dies sanctus Pentecostes, supplicauerunt Cremonenses, vt propter diem sanctum differretur pugna vsque in crastinum saltem. Quod cùm negaretur eis à Mediolanensibus, qui semper dies sanctos odio consueuerunt habere, & hæreticos confouere, & maximè quia timebant, ne vires eorum illo interuallo, licèt breuissimo, augerentur, congressi sunt eis Papiani sicut proposuerunt, & breuiter triumpharunt de eis.

Item Mediolanitæ non multo tempore pòst viribus recollectis intrauerunt fines Papianorum, & obsederunt castrum quoddam in territorio Papianorum. Papiani autem eductis copiis aggressi sunt eos. Et licèt iidem Mediolani ad retardandum impetum eorum, ignem domibus & castris imposuissent, ipsi tamen per medios ignes cum furore transeuntes, pugnauerunt cum eis, & eos ab obsidione penitus fugauerunt, multos ex eis interficientes, & multos capientes, papiliones & omnia vtensilia quæ erant in castris demum post victoriam rapientes: & sic bis eodem anno victi sunt Mediolanitæ, Domino vindicante in eis variarum hæresum crimen, & fauorem illicitum, quem ipsi contra Dei voluntatem Othoni deposito impendebant. B

Eodem anno venit Rex Philippus magnanimus cum immenso exercitu Boloniam; & ibi per dies aliquot naues suas & homines de diuersis partibus venientes expectans transiuit vsque Grauaringas villam opulentam in finibus Flandriæ super mare Anglicum sitam, ad quam tota classis eius secuta est eum. Ibi ex condicto debebat Comes Ferrandus venire ad Regem, & ei satisfacere de omnibus iniuriis. Qui in hoc sicut in aliis fidem non seruans, per diem integrum expectatus nec venit, nec in aliquo satisfecit: licèt ad eius petitionem dies ille ad satisfaciendum de omnibus retroactis ei à Rege assignatus fuisset. Communicato itaque Baronum consilio, qui de Francia, de Britannia, de Burgundia, de Normannia, de Aquitania, & de omni prouincia regni conuenerant, Rex Philippus magnanimus dimisso proposito eundi in Angliam, cum vniuerso exercitu suo diuertit in Flandriam, & cepit Casellum, Ypram, & totam terram vsque Brugias. Classis autem sua, quam Grauaringis dimiserat, secuta est eum per mare vsque in portum famosissimum qui dicitur Dam, distantem à Brugiis duobus milliaribus tantùm. Facta ergo voluntate sua de Brugiis, profectus est ad oppidum opulentissimum, cui nomen est Gandauum, dimissis ibi paucis militibus & satellitibus, ad custodiam nauium. Propositum enim eius erat Gandauo acquisito in Angliam transfretare. C

Dum autem esset Rex in obsidione Gandaui, venerunt de Anglia Reginaldus Comes Boloniæ, & Guillelmus Comes Salebueriensis, qui cognominatus est Longa spada, Hugo de Boues, & multi alij; quibus occurrit Ferrandus Comes cum Isangrinis & Bloetinis, & Flandrensibus, vtpote qui bene prænouerant eorum aduentum: & ita subitò in nauibus cursoriis irruentes, occupauerunt naues nostras, quæ dispersæ erant per littora; quia portus licèt esset miræ amplitudinis eas capere non poterat, cùm essent numero mille septingentæ, & abduxerunt ómnes naues extra portum inuentas, & in crastino obsederunt portum & villam. nos autem provt potuimus, muniuimus portum, naues & villam. Quo audito, Rex dimissa obsidione Gandaui, reuersus est cum exercitu ad obsessos, & soluit obsidionem, & fugauit eos vsque ad naues suas, multis occisis & submersis vsque ferè duo millia, & multos probos & strenuos captos abduxit, & cum victoria Dam reuertens, tota regione in circuitu incendio commendata, residuas naues fecit victualibus & aliis rebus euacuari, & igne immisso vniuersas naues illas & villam totam in cinerem redegit. Et iterum profectus est Gandauum. Receptis obsidibus de Gandauo, Ypra, Brugis, In-

A sula, & Duaco, in Franciam est reuersus; & retinens in manu sua Insulam, Duacum, & Casellum, obsides suos ei absolutos remisit. Gandaui verò, Ypræ, & Brug. obsides pro triginta millibus marcarum argenti in pace reddidit: Insulam verò propter malitiam inhabitantium in ea funditus euertit, Casellum semidirutum dereliquit, Duacum in manu sua retinens.

Causa quæ Philippum Regem magnanimum mouerat ad hoc, vt vellet in Angliam transfretare, fuit, vt Episcopos, qui diu à sedibus suis eiecti in regno suo exulabant, suis Ecclesiis restitueret, vt diuinum seruitium quod iam per septennium in tota Anglia cessauerat, faceret renouari, & vt ipsum Regem Ioannem, qui nepotem suum Arturum occiderat, qui & plurimos paruulos obsides suspenderat, & flagitia innumerabilia perpetrauerat, vel pœnæ condignæ subiiceret, vel à regno prorsus expellens, secundùm agnominis sui interpretationem omnino efficeret sine terra. Vnde & ipse Ioannes Rex hæc omnia metuens, dum prædicta agerentur, composuit cum Clero, missis nuntiis ad summum Pontificem, qui Pandulfum Subdiaconum suum in Angliam mittens, pacem inter Regem & Clerum vt potuit reformauit. Quæ quidem compositio quantum ad restitutionem possessionum Ecclesiæ & Cleri valuit: sed quantum ad ablatorum resartionem nullatenus est seruata, licèt ipse iuramento se astrinxerit ad vtrumque.

B Eiusdem anni, scilicet ab incarnatione Domini M.CCXIII. quadragesima sequenti, Ioannes Rex Angliæ, qui cognominatus est sine terra, transfretauit de Anglia in Aquitaniam, & applicuit Rupellæ in Pictauia cum magno exercitu, & non multo pòst reconciliatus est Comiti Augi, Comiti Marchiæ, Gaufrido de Lesignan, & aliis proceribus Aquitanicis, qui priùs fauebant Regi Franciæ Philippo magnanimo, & percussit fœdus cum eis. Quorum fretus auxilio transiuit per territorium Pictauense, & venit in Andegauiam, & occupauit quædam municipia, scilicet castrum quod vocatur Bellum forte, Vldonem, Andenesium, & alia quædam, & ciuitatem Andegauorum florentissimam.

Quadam etiam die, missis cursoribus cum immensa multitudine militum, collegerunt prædam trans Ligerim iuxta Namnetum ciuitatem. Ad quos repellendos ponte transito militauit incautè cum paucis militibus Robertus primogenitus Roberti Comitis Drocarum cognati Philippi Regis magnanimi, & captus est ab eis, & cum eo alij XIIII. milites Francigenæ.

In diebus illis, Petrus filius prædicti Comitis Drocarum duxerat in vxorem filiam Guidonis de Toarcio sororem vterinam Arturi ex parte matris suæ Ducissæ Britanniæ: & ita cum eadem acceperat à Philippo Rege magnanimo totum Ducatum Britanniæ minoris. Qui vocato exercitu militum Britanniæ præstabat auxilium Ludouico primogenito Regis Philippi magnanimi, qui cum militibus à patre suo C in partes illas missus morabatur Kinone, confinia illa ab impetu Ioannis Regis & Pictauensium protegens & defensans.

Elienordis autem soror eiusdem Arturi primogenita filia Gaufridi quondam eiusdem Armoricæ Ducis, fratris Ioannis Regis, de quo nunc agimus, primogeniti, tenebatur capta ab ipso Ioanne & incarcerata in Anglia. Qui verens per eam amittere Regni iura, eam matrimonium contrahere cum aliquo non sinebat. Et sic annis XVIII. elapsis, postquam eam ceperat, sub arcta custodia conseruabat.

Eodem anno, Gaufridus Siluanectensis Episcopus sentiens se tam ætate, quàm corpulentia ponderosa insufficientem oneri, quod iam per XXX. annos portauerat, impetrata à summo Pontifice, sicut in iure cautum est, licentia, renuntiauit Episcopatui, & transtulit se ad monachos Karoli loci Cisterciensis ordinis. Cui successit frater Garinus, qui cùm esset frater professus Hospitalis Hierosolymitani, Regis Philippi magnanimi specialis Consiliarius effectus in aula Regia propter prudētiam & incomparabilem consilij virtutem, & alias animi dotes multiformes ita laudabiliter se habebat, quòd quasi secundus à Rege, negotia regni inculpatè tractabat, & Ecclesiarum necessitudines tanquam vir literatus ad plenum nihilominus omni studio procurabat, libertates & priuilegia earum modis omnibus, quasi sub chlamyde conseruans indemnes. Sicut olim legimus de beato Fabiano: qui cùm esset clarus in palatio, militem Christi sub absconso chlamydis tegebat, vt Christianis opportuniùs subueniret, & eorum animos confortaret, ne deficerent in tormentis.

Eodem tempore Gaufridus vir sanctissimus Meldensis Episcopus, Episcopatui si-

PHILIPPVS AVGVSTVS. militer renuntians, in monasterio sancti Victoris Parisius, diuinæ contemplationi se se arctiùs mancipauit. Qui inter alia sanctitatis opera, quibus viriliter insistebat, abstinentiam admirabilem & cunctis inauditam seculis obseruabat: omni anno in quadragesima & in aduentu Domini ter tantùm in septimana cibum, potum verò nunquam sumere, consueuit. In aliis verò temporibus, comedebat & bibebat, sed rarò, & talia, quæ sua amaritudine & insipiditate vix aliquis hominum dignaretur gustare. Cui successit Willelmus cantor Parisiensis. Et ita fuerunt tres fratres vterini simul Episcopi, & sibi contemporanei: Stephanus Nouiomensis, Petrus Parisiensis, & Guillermus Meldensis, filij Galteri quondam Franciæ Camerarij, fratres Galteri iunioris viri satis virtute laudabilis & in palatio Regis præclari. A

Eodem anno, videlicet ab incarnatione Domini M. CC XIII. in præcedente Septembri commissum fuit mirabile prælium in terra Albigensium. Quinquennio enim iam elapso, cùm viri venerabiles P. Senonensis, R. Rothomagensis, Rob. Baiocensis, Iord. Lexuuiensis, Reginaldus Carnotensis, & alij infiniti Episcopi, & personæ aliæ Ecclesiasticæ; Odo Dux Burgundiæ, Herueus Comes Niuernensis, & multi alij Barones, milites, & populi infiniti de regno Francorum diuino zelo succensi, & peccatorum remissione à summo Pontifice eis affluentissimè indulta prouocati, cruce in pectore signati in partes illas ad debellandam hæresim, quam Apostolus in epistola ad Timotheum prædixerat in fine seculorum futuram, detestantem nuptias, & carnem comedi prohibentem, & alia fidei Catholicæ contraria, quæ in eadem epistola pleniùs exprimuntur, quæ ibidem pleniùs quàm maximè pullulabat, accincti lumbos fortitudine deuenissent, & ciuitatem opulentissimam Biterim cepissent, & funditus euertissent, x. millibus hominum & ampliùs in ea gladio trucidatis, & inde ad Carcassonem ciuitatem accedentes, in breui eam debellassent, emissis ab ea omnibus indigenis & vicinis, qui illuc propter loci munitioné de multis locis confugerant ex condicto nudis, sola vita comite, pudendis tantùm velatis, per quendam posticum exeuntibus. Barones repatriare volentes, omni Clero, & vniuersitate catholicorum assentiente, inuocata sancti Spiritus gratia, electus fuit Simon Comes Montis fortis, vt præesset exercitui Christianorum, & vniuersæ illi terræ. Qui priuatum commodum vtilitati publicæ anteponens, & bella Dei gratanter gerenda suscipiens, debellauit ciuitates & castella, & omnes hæreticos & eorum fautores sæua morte interire coëgit, & multa bella gessit, & multas victorias non sine miraculo consecutus est. Sed ad vltimum Rex Arragonum, Comes sancti Egidij, & Comes Fuxi, & alij infiniti obsederunt eum in castro quod Murellum vocatur. Ille autem cùm non haberet nisi ducentos & LX. milites, & circiter quingentos satellites equites, & peregrinos pedites ferè septingentos inermes, Missa audita, gratia sancti Spiritus inuocata, exierunt de castro, & pugnauerunt cum eis, & ipsum Regem Arragonum occiderunt, & de exercitu XVII. millia percusserunt, & diuina eos gratia protegente, de omni numero suo non perdiderunt die illo nisi octo tantùm peregrinos, nec fuit à seculis auditum bellum, quod maiori miraculo ascribi debeat, quàm illud. Iste Simon propter virtutem admirabilem in partibus illis Comes fortis vocabatur; qui cùm esset in bellis strenuissimus, omni tamen die Missam & Horas canonicas omnes audiebat, semper sub armis, semper in periculo spreta pro Dei seruitio patria sic se agebat militem in hac peregrinationis via, vt demum se videat ciuem in patria Ecclesiæ triumphantis. B C

Anno ab incarnatione Domini M. CCXIV. Ioannes Rex Angliæ ciuitatem Andegauis, quam occupauerat, muro ex vtraque parte vsq; ad Medianam fluuium circumuallare cœpit. Et cùm in breui obtinuisset municipia supra dicta, arridente fortuna præsumens auxilio Aquitanorum & Pictauensium posse de facili residuum terræ recuperare, obsedit castrum quod Rupes Monachi nuncupatur. Castrum illud ædificatum erat de nouo à Guillelmo de Rupibus Senescallo Andegauiæ viro strenuo, & integræ fidei, & in bellis probato, ob tuitionem itineris, quo itur ab Andegaui ciuitate Namnetum: quia antequam rupes illa munita erat, transibant vispilliones per Ligerim fluuium, de quodam castro inexpugnabili ex altera parte amnis Ligeris sito, quod vocatur Rupesfortis. Et erat castrum illud Pagani, qui cognominatus est de Rupeforti, militis probatissimi, sed rapinis & spoliis vicinorum intenti: & spoliabant omnes per stratam illam publicam iter agentes, & omnes agricolas infestabant. Facta itaque obsidione, erectis petrariis & aliis machinis bellicis,

A cœpit Rex Ioannes castrum mirabiliter expugnare. Obsessi autem non minus strenuè se defendebant; inter quorum probitates illud quod ibidem contigit, reticere non possum. Quidam de obsidione consueuerant venire ad fossas parma prætenta, quam quidam famulus ante ipsum portabat, non manuali quidem parma, sed in mensa, quales in obsidionibus deferri solent. Sub ea igitur tutò latens & propiùs deambulans damnificabat obsessos, quia arcubalistarius erat, & aditus explorabat, & sic quotidie faciebat. Quidam ergo arcubalistarius de castro indignatus, quadam die noua fraude admirabili, & inter hostes non culpanda vsus est: iuxta idem dolus an virtus quis in hoste requirat? Fecit itaque quẽdam funiculum subtilem & fortem tantæ longitudinis, quòd posset attingere ad eum, quem prædiximus, alligauitque caput funiculi quadrello pennato, altero capite adhærente clauo cuidam iuxta illum. Emisit ergo quadrellum de arcubalista; quadrellus emissus cum cordella stetit firmiter in parma. Ille autem qui de castro quadrellum emiserat, traxit ad se funiculum, & cùm parmam & famulum qui parmam tenebat, qui prolapsus est in fossatum cum parma, & ille arcubalistarius remansit super oram fossati, & patuit sine omni munimine ad omnes ictus quadrellorum, & ita interiit cum famulo suo. Propter hoc iratus Rex Ioannes erexit furcas in conspectu obsessorum, & minatus est eis sub quodam iuramento, nisi se ad eius dederint voluntatem. Illi verò se dedere nullo modo voluerunt, sed se viriliter defendentes sustinuerunt obsidionem per B tres septimanas, & valdè damnificauerunt exercitum Regis, & de maioribus occiderunt ipsum capellanum Regis dum incautè deambularet iuxta muros, & quendam magni nominis virum Lemouicensis pagi Aimericum cognomine le Brun, & multos alios, & ipsum Paganum de Rupeforti. Qui cùm se sentiret vulneratum, reuersus trans Ligerim in domum suam, fingens se vulneratum non esse, sed infirmitate alia grauatum, infra paucos dies obiens, inuentus est in duobus locis sui corporis lethaliter vulneratus.

In diebus illis Ludouicus primogenitus Regis Philippi magnanimi, patre suo per confinia Flandriæ & Viromandiæ cum militibus diuersa vicissim municipia visitante, & ab hostium incursibus defensante, congregauit exercitum apud castrum Kinonis, quod à Caio quondam dapifero Arturi Regis, qui ipsum fundauerat, nomen accepit. Mouit ergo de Kinone cum exercitu suo, vt prædictis succurreret obsessis: & cùm iam distaret à loco quantum exercitus vno die potest procedere, Ioannes Rex eius aduentum in crastino futurum non sustinens, omnibus petrariis, manganellis, papilionibus, & aliis belli vtensilibus dimissis, & prædæ expositis, per vada Ligeris nauigio, & modis quibus potuit fugiens, parte suorum non modica submersa, & dum fugeret interfecta, equitauit die illa XVIII. milliaria; nec postea ausus est accedere ad locum, quò audiret ipsum Ludouicum esse, vel venturum esse. Ludouicus itaque ipsum intelligens sic fugisse, diuertit ad munitiones prædictas, quas Ioannes Rex occupauerat, & eas recuperauit in breui, & castellum de Bello-forte fun- C ditus euertit, & intrauit in manu valida terram Vicecomitis Toarcij, & oppida opulentissima deuastauit, & castrum de Moncontor per vim captum solo adæquauit, & ciuitatem Andegauim, quam Ioannes Rex ceperat, & muris circumsepserat, recuperauit, & muros eius omnes destruxit.

Hanc victoriam Ludouici secuta est modico tempore interiecto victoria Philippi Regis: ita quòd infra vnius mensis spatium filius in Pictauia de Rege Angliæ & Pictonibus sine conflictu: pater in Flandria de Othone & Flandrensibus bello quidem difficili, sed victorioso, protecti dextra summi Regis, glorioso certamine triumpharunt.

Paucis postea elapsis diebus ægrotauit Henricus Marescallus Franciæ, in partibus illis: vir per omnia laudabilis in militia, & timens Deum. qui post dies aliquot defunctus in monasterio de Torpanaio sepultus est, licèt ipse extrema voluntate iussisset, quòd in patriam deferretur, & in Abbatia de Sacra-cella Cisterciensis Ordinis inter patres suos tumularetur. Et planxerunt vniuersa multitudo Franciæ, qui eum omnes tenerrimè diligebant. Cui successit Ioannes filius eius adhuc impubes, cuius vices commissæ fuerunt Galtero de Nemosio ad tempus, quo vsque ipse ad adultam perueniret ætatem. Et hoc totum fuit de benignitate Regis, quia hæreditaria successio in talibus officiis locum non habet. In hoc autem antequam moreretur feliciter ei euenit, quòd sensibus suis adhuc vigentibus, paucis ante obitum

PHILIPPVS AVGVSTVS. suum diebus habuit nuntium, qui ei Regis victoriam nuntiauit, cui ipse præ gaudio equum suum, quo in bellis vtebatur, dedit, cùm non haberet quid aliud ei daret, omni facultate sua ab ipso tanquam de morte certo in vsus pauperum distributa. Nunc ad prælibatam victoriam, prout poterimus, describendam adiuuante Domino procedamus. A

Anno ab incarnatione Domini M.CCXV. Ioanne Rege in partibus Andegauicis, vt suprà scriptum est, debacchãte, Otho Imperator illectus ab ipso Ioanne Rege pecunia mediante, congregauit exercitum in Comitatu Henoniæ, in oppido cui est vocabulum Valenciene, in terra Ferrandi Comitis. Et fuerunt cum eo missi à Ioanne Rege ad stipendia sua Comes Boloniæ, & Comes Saleberiæ, & ipse Ferrandus, Dux de Lamburg, Dux Brabantiæ, cuius filiam idem Otho duxerat in vxorem, & multi alij tam proceres, quàm Comites de Alemannia, de Henonia, de Brabantia, & de Flandria. Eodem tempore Philippus Rex, licèt filius eius haberet maiorem partem militiæ suæ in Pictauia, congregauit exercitum, & mouit in crastino festi beatæ Mariæ Magdalenæ, de castro quæ Perona vocatur, & intrauit in manu forti terram Ferrandi, & transiuit per eam, omnia à dextris & à finistris incendiis deuastando & regaliter deprædando. Et sic venit vsque Tornacum ciuitatem, quam Flandrenses anno præterito fraudulenter ceperant & multum damnificauerant: sed idem Rex eam recuperauerat, sine mora misso exercitu cum fratre Garino & Comite sancti Pauli. Otho verò cum exercitu suo venit ad castrum quod Moretania nuncupatur, distans à Tornaco per sex milliaria, quod à prædicto Regis exercitu, recuperata ciuitate Tornaco, vi captum fuerat & euersum. Sabbato proximo post festum sancti Iacobi Apostoli & Christophori martyris proposuit Rex inuadere illos: sed dissuaserunt Barones. Non enim patebat aditus ad illam, nisi arctus & difficilis. Inde propositum mutauerunt, scilicet vt inde redirent, & per aliam viam pleniorem Henoniæ fines inuaderent, & penitus deuastarent. Die ergo crastina, scilicet VI. Kal. Augusti mouit Rex de Tornaco, vt iret ad castrum quod Insula nuncupatur; vbi proposuerat quiescere cum suo exercitu nocte illa. Eodem mane mouit Otho cum suo exercitu de Moretania. Rex autem nesciebat, nec credere sustinebat, quòd ipsi venirent post ipsum. Vicecomes itaque Meleduni diuertit ab exercitu Regis cum quibusdam leuis armaturæ equitibus, & perrexit versus partes illas vnde Otho veniebat; quem persecutus est vir strenuissimus, prudentis & admirabilis consilij, & ad ea quæ contingere possunt prouisor disertissimus G. Syluanectensis electus, quem superiùs fratrem G. nominaui: erat enim frater professus Hospitalis Hierosolymitani, tunc etiam electus ad cathedram Syluanectensis Ecclesiæ, nihilominus habitum religionis semper portans in pectore sicut priùs. Profecti sunt ergo ab exercitu Regis plusquam tria milliaria, quousque venerunt in locum quendam eminentem, vnde potuerunt manifestè videre acies properantes, & ad pugnam dispositas. Vicecomite itaque ibidem aliquantulum demorante, electus properauit ad Regem, & dixit ei quòd hostes veniebant dispositi, & ad bellum parati: & dixit quòd viderat equos militum coopertos, & satellites pedites præcedentes, quod erat euidentissimum futuræ pugnæ signum. Rex itaque iussit acies stare, & cõuocatis proceribus consuluit illos quidnam esset agendum: qui non multum suadebant pugnandum esse, sed potiùs procedẽdum. Cùm ergo hostes venissent ad quendam riuulum, quo non patebat facilis meatus, transierunt paulatim, & finxerunt, vt videbatur quibusdam de nostris, quòd vellẽt proficisci Tornacum. Exiit ergo sermo iste inter milites nostros, quòd ipsi hostes declinabant Tornacum. Electus autem in contrarium sentiebat, assertissimè proclamans vel pugnandum esse necessariò, vel confusione & damno recedendum. Præualuit tamen clamor & assertio plurimorum. Processimus itaque ad pontem quendam Bouinum nomine, qui est inter locum qui Sanguineus dicitur, & villam quæ vocatur Cesona. Et iam maior pars exercitus transierat pontem, & ipse Rex exarmauerat se: sed nondum transierat pontem sicut hostes putabant, quorum intentio erat, si Rex pontem transisset, eos quos citra pontem inuenirent aut penitus interimere, aut de eis pro suæ voluntatis arbitrio triumphare. Dum itaque Rex armis aliquantulum & itinere fatigatus ibidem sub vmbra cuiusdam fraxini iuxta quandam Ecclesiam in honore beati Petri fundatam modicè quieti vacaret: ecce nuntij missi ab illis qui stabant in postrema acie, cursu nimio properantes, cum clamore maximo hostes referunt aduentare, & postremis aciebus ferè B C

A iam confligere. Vicecomitem & arcubalistarios, & leuis armaturæ equites, & satellites eorum incursum cum maxima difficultate & periculo sustentare, & vix posse eorum furorem & audaciam diutiùs retardare. Quo audito Rex intrauit Ecclesiam, & breuiter orans ad Dominum, egressus iterum arma induitur, & alacri vultu, nec minori lætitia quàm si ad nuptias vocaretur, equum insilit. Clamatur vbique per campos; arma, arma viri, clangunt tubæ, reuertuntur cohortes, quæ iam pontem transierant, reuocatur vexillum beati Dionysij, quod omnes præcedere in bella debebat. nec satis properè reuertitur, vnde nec expectatur. Immo Rex cursu rapido reuertitur, & ponit se in prima fronte belli, vbi nullus inter ipsum & hostes eminebat. Hostes itaque videntes Regem retrogradum, & præter spem suam reuersum, quasi stupore, & vt arbitror, quodam horrore perculsi, diuerterunt ad dexteram partem itineris quo gradiebantur, & protenderunt se quasi ad Occidentem, & occupauerunt eminentiorem partem campi, & steterunt à parte Septentrionali, solem, qui die illo solito feruentiùs incaluerat ante oculos habentes. Rex etiam alas suas nihilominus extendit è regione contra illos, & stetit à parte Australi cum exercitu suo, per spatia campi non parua linealiter protenso, solem habens in humeris. Et ita steterunt hinc inde vtræque acies æquali dimensione protensæ, modico campi spatio à se inuicem distantes. In medio huius dispositionis in prima fronte erat Philip-

Philippvs Avgvstvs.

B pus Rex, lateratim adhærebant Willelmus Barrensis flos militum, Bartholomæus de Roia vir prouectæ ætatis & sapiens, & Galterus iuuenis vir prudens & probus, & maturi consilij, Petrus Maleuicinus, Gerardus Scropha, Stephanus de Longo-campo, Willelmus de Mortuomari, Ioannes de Roboreto, Willelmus de Garlanda, Henricus Comes Barri iuuenis ætate, animo senex, vir virtute, & forma venustus, qui patri suo Regis consobrino nuper defuncto successerat in honore & onere Comitatus; & alij quamplures, quorum nomina longum enumerare esset, viri virtute spectabiles, & in armis semper exercitati, & ideò ad ipsius Regis custodiam in ipso prælio specialiter deputati. Ab opposita parte stabat Otho in medio agminis consertissimi, qui sibi pro vexillo erexerat aquilam deauratam super draconem pendentem in pertica oblonga erecta in quadriga. Rex autem antequam congrederetur, hac breui & humili oratione suos fuit milites allocutus: In Deo tota spes & «
fiducia nostra est posita: Rex Otho & exercitus suus à domino Papa excommunicati sunt, qui sunt inimici & destructores rerum sanctæ Ecclesiæ, & pecunia qua eis stipendia ministrantur, de lachrymis pauperum, & de rapina Ecclesiarum Dei & Clericorum acquisita est. Nos autem Christiani sumus, & communione & pace sanctæ Ecclesiæ fruimur; & quamuis peccatores simus, tamen Ecclesiæ Dei consentimus, & Cleri pro posse nostro defendimus libertates. Vnde præsumere fiducialiter debemus de Dei misericordia, qui nobis licèt peccatoribus dabit de suis & de nostris ho-

C stibus triumphare. His dictis petierunt milites à Rege benedictionem; & statim insonuerunt tubæ, & fecerunt insultum viriliter in hostes, & audacissimè & strenuissimè confixerunt. In ipsa hora stabant retrò Regem non procul ab ipso Capellanus qui scripsit hæc, & quidam clericus, qui audito tubarum clangore cecinerunt psalmum: Benedictus Deus meus qui docet, vsque in finem. Et post; Exurgat Deus, vsque in finem. Et, Domine in virtute tua lætabitur Rex, vsque in finem, prout potuerunt, propter irrumpentes lachrymas & singultus immixtos: & cum pura deuotione coram Deo reducebant ad memoriam honorem & libertatem, qua Dei Ecclesia gauderet, in potestate Regis Philippi, & dedecus & opprobria quæ patitur, & passa est per Othonem, & per Regem Ioannem, cuius muneribus omnes illi hostes prouocati contra Regem in regno suo & contra dominum suum præsumebant pugnare. Primus tamen pugnæ congressus non fuit ibi, vbi Rex erat: quia iam antequam ipse congrederetur, confligebatur contra Ferrandum & contra suos in dextro cornu, à dextris videlicet Regis, ipso Rege, vt arbitror, ignorante. Prima quidem frons pugnatorum protensa erat, vt diximus, directè, & occupabat campi spatium mille quadraginta passuum. Erat enim ibi electus, non vt quidem pugnaret, sed armatos exhortabatur & animabat ad honorem Dei, & regni, & Regis, & ad defensionem salutis propriæ; videlicet Odonem nobilissimum Ducem Burgundiæ, Gaucherum Comitem sancti Pauli, qui quibusdam suspectus erat, tanquam aliquando fauisset hostibus: vnde & ipse dixit electo, se die illo futurum bonum proditorem, Matthæum de Montmorenci militem probissimum, Comitem Bellimontis, & mul-

PHILIPPVS AVGVSTVS.

tos alios strenuos milites, & prætereа milites Campaniæ CLXXX. numero. Omnes isti erant in vna acie, electo sic disponente, qui quosdam alios præcedentes retroposuit, quos formidolosos & cupidos nouerat. Istos autem de quorum probitate & feruore certus erat, in vna & prima acie posuit, & dixit illis; Campus amplus est, extendite vos per campum directè, ne hostes vos intercludant. Non decet vt vnus miles scutum sibi de alio milite faciat: sed sic stetis, vt omnes quasi vna fronte possitis pugnare. His dictis præmisit idem electus de consilio Comitis S. Pauli CL. satellites in equis ad inchoandum bellum ea intentione, vt prædicti milites egregij inuenirent hostes aliquantulum motos & turbatos. Indignati sunt Flandrenses, qui erant feruentissimi ad pugnam, quòd non à militibus, sed à satellitibus primò inuadebantur, nec se mouerunt de loco quo stabant, sed eos ibidem expectantes acriter receperunt, & equos eorum ferè omnium interfecerunt, & eos multis vulneribus affecerunt, neminem eorum nisi duos tantùm lethaliter vulnerauerunt. Erant enim satellites illi probissimi de valle Suessionensi, nec minus pugnabant sine equis, quàm in equis. Galterus autem de Guistella, & .... Buridanus qui cùm esset admirandæ virtutis, & quasi imperterritus, reducebat militibus memoriam suorum antiquorum, non aliter quàm si turocinio luderet. Cùm quosdam de ipsis satellitibus in terram prostrauissent, declinauerunt ab eis, & prodierunt in campo aperto volentes congredi militibus; quibus congressi sunt quidam milites de acie Campanensi, non minori virtute quàm ipsi. Fractis itaque vtrorumque lanceis, & euaginatis gladiis ictus ingeminant: sed superueniente Petro de Remi, & illis qui in eadem acie erant, Galterus de Guistella & Buridanus per vim capti ducti sunt, quibus adhærebat quidam miles Eustachius nomine de Maquelinis, cum magna superbia vociferans; Ad mortem Francorum, ad mortem Francorum, quem circundederũt Franci, ita quòd vnus eorum complexatus est eum, & caput eius inter cubitum & pectus suum premens, galeam euellit de capite illius, alius cultellum intra mentum & loricam per guttur pectus vsque ad vitalia immittens, mortem quam Francis minabatur cum clamore, subire fecit cum horrore. Et ita eo mortuo, Galtero & Buridano captis, creuit Francorum audacia, & quasi certi de victoria omni timore abiecto, totis viribus vsi sunt.

Satellites, vt diximus, ab electo præmissos secutus est non minori leuitate, quàm si aquila volaret in columbas, Gaucherus Comes sancti Pauli cum suis militibus electis ab ipso optimis, & perforauit eos per medium eorum mira velocitate transiens, multos feriens, & à multis percussus, equos & homines indifferenter occidens & prosternens, & nullum capiens, & ita reuersus est per aliam partem hostium, multitudinem eorum quammaximam intercludens quasi in sinu quodam. Prosequitur illum non minori audacia Comes Bellimontis, Matthæus de Monte Morencij cum suis, & ipse Dux Burgundiæ multis bonis militibus stipatus, & pugna Campanensi. Facta est ibi admirabilis pugna ex vtraque parte. Dux Burgundiæ, qui erat valdè carnosus & phlegmaticæ complexionis, prosternitur in terram, equo suo ab hostibus occiso. Densatur itaque circa illum, cunei Burgundiorum circumuallant illum, adducitur alius equus, de terra suorum manibus eleuatur, equo sistitur, gladium vibrat in dextra, dicit se velle vlcisci lapsum suum, & inuadit hostes cum iracundia, nec discernit cui obuiet, sed in omnibus sibi obuiantibus casum suum vlciscitur, non aliter quàm si equum ipsius eorum quilibet occidisset. Ibidem pugnabat Vicecomes Meleduni, qui mirabiliter præliabatur, habens in acie sua probissimos milites, qui eodem modo quo & Comes sancti Pauli inuasit hostes in alia parte, & perforauit eos, & reuersus est per aliam partem per medios hostes. Ibi percussus fuit in alia acie Michael de Harmes à quodam Flandrensi lanceâ per scutum, loricam, & femur, & consutus fuit alueæ sellæ & equo, & ita tam ipse quàm equus corruerunt in terram. Hugo de Malo auneio prostratus in terram, & multi alij equis occisis prostrati, & viriliter resurgentes, non minus acriter pugnabant super pedes suos quàm super equos.

Comes S. Pauli ab illa cæde paululum digressus, vt qui ictibus innumeris tam sibi quàm à se illatis fatigatus erat, aliquantulum repausauit facie sua ad hostes versa, vidit vnum de militibus suis circumuallatum ab hostibus, ad quem liberandum cùm nullus ei pateret aditus, licèt nondum spiritum resumpsisset, vt per insertissimum cuneum hostium cum minori periculo transire posset, incuruauit se super collum equi, ipsum collum vtroque brachio amplectens, & equum calcaribus vrgens, cuneum

A neum hostium irrupit. Ibi se erigens, gladio exerto omnes circum astantes hostes mirabiliter dissipauit, & sic audacia admirabili seu temeritate, cum ingenti suo periculo, suo milite à morte incolumi liberato, de manibus hostium euadens, in suorum agmine se recepit. Testati enim sunt qui affuerunt, quòd ipse in tanto ibidem periculo fuit, quòd duodecim lanceis vno eodémque momento impellebatur, non tamen ipsum vel equum prosternere, aut illum ab equo euellere potuerunt. Spiritu itaque parumper resumpto, iterum cum suis militibus, qui interim respirauerant, in medios hostes infertur.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Victoria itaque ibidem dubiis alis aliquandiu circumuolante, cùm iam pugna feruentissima spatio trium horarum durauisset, tandem totum pondus belli versum est in Ferrandum & in suos. Nam & ipse multis confossus vulneribus prostratus in terram, & captus ductus est, & plurimi de militibus eius cum eo. Ipse quidem ferè exanimis diuturnitate pugnandi Hugoni de Maroil & Ioanni fratri eius specialiter se reddidit. Alij omnes, qui in ea parte campi pugnabant, aut interfecti, aut capti, aut turpi fuga Francis insequentibus sunt saluati.

Interea adueniunt legiones Communiarum, quæ ferè vsque ad hospitia processerant, & vexillum beati Dionysij, & accurrunt quantociùs ad aciem Regis, vbi videbant signum regale, vexillum videlicet floribus lilij distinctum, quod ferebat die illo Galo de Montigniaco miles fortissimus, sed non diues. Superuenientes Com-B muniæ specialiter Corbeij, Ambianenses, Beluaci, & Compendij, Attrebatæ, penetrauerunt cuneos militum, & posuerunt se ante ipsum Regem. Et illi qui erant in acie Othonis, viri bellicosi & audacissimi, ipsos in continenti repulerunt vsque ad Regem: & ipsis dissipatis ferè peruenerunt ad Regem. Quo viso milites prænominati, qui erant in acie Regis, processerunt, Rege, cui timebant, aliquantulum post se relicto, & opposuerunt se Othoni & suis furore Theutonico solum Regem quærentibus. Eis itaque quærentibus, furorem Theutonicorum virtute admirabili impedientibus, pedites circumuallauerunt Regem, & ab equo vncinis & lanceis gracilibus in terram prouoluerunt: & nisi dextra superna & incomparabili armatura protegeretur, eum penitus occidissent. Pauci autem milites, qui cum eo remanserant, & supradictus Galo, qui vexillo sæpiùs inclinato auxilium vocabat, & specialiter Petrus Tristanides, qui sponte ab equo descendens, se & pro Rege ictibus exponebant, eosdem pedites prosternunt, dissipant, & occidunt. Sed & ipse Rex spe citiùs à terra surgens inopinata leuitate equum ascendit. Pugnatur ergo ibi ab vtraque parte virtute admirabili, & cadunt multi. Ibique ante oculos ipsius Regis occiditur Stephanus de Longo-campo, miles probus & fidei integræ, cultello recepto in capite per ocularium galeæ. Hostes enim quodam genere armorum vtebantur admirabili, & hactenus inaudito. Habebant enim cultellos longos, graciles, triacumines quolibet acumine indifferenter secantes, à cuspide vsque ad manubrium, quibus vtebantur pro gladiis. Sed per Dei adiutorium præualuerunt gladij C Francorum, & virtus eorum indefessa. Repulerunt itaque totam aciem Othonis & peruenerunt vsque ad eum, adeo vt Petrus Maleuicinus miles quidem plus armis, quibus alios præcellebat, quàm seculari prudentia pollens, ipsum Othonem per frænum apprehenderet. Sed cùm non posset ipsum à turba qua consertus erat extrahere, Girardus Scropha cultellum quem nudum in manu habebat, dedit in pectus eius: sed ipsum propter armorum densitatem, quibus milites nostri temporis impenetrabiliter muniuntur, lædere non valens, ictum reiterauit. Sed ictui secundo obuiauit caput equi, quod erat arduum & erectum. Descendit ergo cultellus mira fortitudine impulsus in cerebrum equi per oculum receptus. Equus itaque lethaliter vulneratus se gyrauit, & flexit caput suum versus illam partem qua venerat. Et ita Imperator ostendit militibus nostris dorsum, & à campo recessit, aquila cum carro demissa & prædæ exposita. quo viso Rex ait suis; Hodie non videbitis ampliùs faciem ipsius. Cùm igitur paululum processisset, labitur equus, & statim adducitur alius equus recens, in quem cùm ascendisset, fugæ velociter se mandauit. Iam enim non poterat nostrorum militum vlteriùs sustinere virtutem. Nam ipse Barrensis bis ipsum per collum tenuerat, sed equi velocitate, & suorum militum densitate, præreptus est ei, qui dum Imperator fugeret, mirabiliter præliabantur, adeò vt ipsum Barrensem, qui processerat plusquam alij, prosternerent in terram. Galterus enim iunior, & W. de Garlanda, lanceis suis fractis & gladiis sanguinolentis, &

Bartholomæus de Roia, cùm essent, vt dictum est, prudentes viri, & alij qui cum eis erant, non iudicabant bonum esse Regem, qui pleno gressu sequebatur, procul à se dimittere. Vnde non fuerant progressi quantum & ipse Barrensis, qui cùm pedes esset, equo occiso, circumuallatus hostibus, se mira virtute, more suo, defendebat. Tamen quia vnus contra multitudinem obtinere nō potest, captus aut interfectus fuisset, nisi superuenisset Thomas de sancto Valerio, vir quidem strenuus, potens in armis, cum equitatu suo, in quo erant L. equites & duo millia peditum. Et ita ipsum Barrensem à manibus hostium liberauit, sicut mihi ille, qui interfuit, enarrauit. Reuiuiscit ibidem prælium. Præliabantur enim dum Imperator fugeret Bernardus de Hostemale miles fortissimus, Comes Otho de Tinquenebure, Comes Conradus de Tremognia, & Girardus de Randerodes, cum aliis viris fortissimis, quos specialiter elegerat Imperator propter eminentem militiæ virtutem, vt essent prope se in prælio. Isti pugnabant, & sternebant, & vulnerabant nostros, tamen præualuerunt nostri. Nam ibidem capti sunt duo præfati Comites cum ipso Bernardo, & Girardo, carrus discerpitur, draco frangitur, aquila alis euulsis & confractis ad ipsum Regem defertur. A

Comes verò Boloniæ ab ipso pugnæ initio nunquam pugnare cessauit, nec poterat ab aliquo superari. Iste Comes Boloniæ arte quadam mirabili vsus erat. Fecerat enim sibi quasi vallum quoddam de satellitibus armatis & confertissimis duplici serie in modum rotæ ad instar castri obsessi: vbi patebat quidam aditus quasi porta qua recipiebatur, quotiens vel spiritum volebat resumere, vel ab hostibus vrgebatur. Et sic sæpissimè faciebat. B

Iste Comes, & Ferrandus, & Imperator ipse, sicut postea didicimus à captiuis, iurauerant quòd ad aciem Regis Philippi, aliis omnibus neglectis, progrederentur, & quousque ad ipsum peruenirent, non retorquerent habenas, & ipsum occiderent: ea videlicet intentione, quia si Rex, quod Deus auertat, occisus fuisset, de reliquo exercitu facillimè posse triumphare sperabant. Et propter hoc iusiurandum Otho & sua acies non pugnauit, nisi cum Rege & acie sua. Ferrandus voluit, & incœpit venire ad ipsum, sed non potuit, quia vt dictum est, interclusa fuit via eius à Campanensibus. Reginaldus Comes Boloniæ omnibus aliis omissis ad ipsum Regem in ipso pugnæ initio peruenit: sed cùm prope esset Regem, dominum suum, vt arbitror, reueritus, ab ipso declinauit, & congressus est cum Roberto Comite Drocarum, qui non procul à Rege stabat in acie valdè densa. Sed & Petrus Comes Altisiodori cognatus Regis viriliter pugnabat pro Rege; licèt, proh dolor! Philippus filius eius cognatus vxoris Ferrandi ex parte matris staret ab opposito contra Regem. Adeò enim excæcati erant oculi aduersariorum, quòd multi eorum licèt haberent fratres, priuignos, vitricos, & cognatos ex parte nostra, nihilominus tamen reuerentia domini secularis spreta, timore Dei abiecto, bello iniusto eos quos reuereri & diligere saltem naturali iure tenebantur, lacessere præsumebant.

Iste Comes Boloniæ licèt ita strenuè præliaretur, multum dissuaserat pugnandum esse, sciens audaciam & probitatem Francorum. Vnde Imperator & sui ipsum pro proditore habebant; & nisi prælio consensisset, ipsum vinculis mancipassent. Cùm igitur pugna præ manibus haberetur, ipse dicitur dixisse Hugoni de Boues; Ecce pugna quam tu suadebas, ego autem dissuadebam. Tu fugies tanquam formidolosus; ego autem sub periculo mei capitis pugnabo, & remanebo captus vel interfectus. Et his dictis accessit ad locum pugnæ sibi destinatum: & pugnauit, vt dictum est, diutiùs & fortiùs, quàm aliquis qui eidem prælio interesset. C

Interea rarescunt acies ex parte Othonis, ipso inter primos fugiente. Dux Louaniæ, Dux de Lamborc, Hugo de Boues, & alij per centenarios, per quinquagenarios, & per diuersi numeri turbas se iam mandauerant turpi fugæ. Comes tamen Boloniæ adhuc pugnans euelli non poterat à campo, adiutus tantùm sex militibus, qui eum nolentes dimittere cum eo pugnabant, donec satelles quidam, Petrus scilicet de Turella, qui cùm probissimus esset, & equus suus occisus esset ab hostibus, pedes pugnabat, accessit ad ipsum Comitem, & eleuata equi tectura, mucronem vsque ad capulum in ventrem equi eius immisit. Quod cùm quidam miles ipsius Comitis vidisset, fræno apprehenso ipsum à conflictu retrahebat inuitum. Insequuntur illos duo fratres milites strenui, Queno & Ioannes de Couduno,

A & ipsum militem prosternunt in terram, & statim ibidem labitur equus Comitis, & ipse Comes ita iacuit supinus, femur dextrum habens sub collo equi iam mortui: vnde vix extrahi potuit. Superuenerunt Hugo & Galterus de Fontibus, & Ioannes de Roboreto, qui cùm contenderent cui eorum ascriberetur captio Comitis, superuenit Ioannes de Nigella cum suis militibus, miles quidem procerus corpore & formæ venustissimæ, sed virtus animi venustati corporis in eo minimè respondebat. Vnde & in prælio illo nondum cum aliquo conflixerat die tota: rixabatur tamen cum aliis qui ibi detinebant Comitem, volens sibi ex eius detentione laudis aliquid mendicare; & præualuisset nisi superuenisset electus. Quem cùm cognouisset Comes, se illi reddidit, & rogauit, vt soli vitæ illius faceret misereri. Garcio quidam fortis scilicet corpore & virtutis integræ Comotus nomine, cùm staret ibi, ferro exerto, abstulerat iam ipsi Comiti galeam, & vulnus impresserat maximum in facie ipsius, & militibus, vt dictum est, inter se concertantibus voluit ab inferiori immittere cultellum: sed cùm ocreæ consutæ essent pannis loricæ, viam vulneris non potuit inuenire. Cogitur itaque Comes surgere de terra. Sed cùm vidisset non procul inde Arnulphum de Andenarda militem probissimum cum aliquot equitibus ad eius auxilium properantem, finxit se non posse pedibus stare, & in terram sponte prolapsus, adiutorium expectabat. Sed qui astabant ictus plurimos ingeminantes, velit nolit compellunt illum ascendere in runcinum: sed & ipse B Arnulphus, & qui cum eo erant capiuntur.

Omnibus itaque ferè equitibus aut fuga de campo ereptis, aut captis, aut interfectis, cùm iam Othonitæ vtraque belli latera denudassent, stabant adhuc in medio campi satellites pedites fortissimi, Brabantiones, & alij, quos per aduersa quasi vallum ante se posuerant numero septingenti. Quos cùm vidisset ipse Rex magnanimus adhuc stare, misit Thomam de sancto Valerio virum nobilem virtute commendabilem, & aliquantulum literatum, contra illos; qui cùm esset bene munitus, licèt iam armis aliquantulum fatigatus pugnando, habens secum de terra sua ibidem fideles viros equites quinquaginta, & pedites duo millia, irruit cum magno furore in eos, & omnes penitus trucidauit. Mirabile dictu, cùm ibidem Thomas post victoriam recenseret numerum suorum, non inuenit de toto numero suo deesse nisi vnum solum, qui statim inter occisos quæsitus & inuentus, & in castra delatus, infra paucos dies vulneribus per medicos sanatis, incolumis est effectus. Nec voluit Rex quòd sui sequerentur fugientes, nisi tantùm per vnum milliare, propter loca incognita & noctis vicinitatem; & ne casu aliquo viri magni qui capti tenebantur euaderent, vel de custodum manibus raperentur, qui timor illum maximè coartabat. Dato itaque signo, tubis clangentibus, reuocantur acies, & ad castra cum magno gaudio reuertuntur.

O mira Principis clementia, & inaudita à seculo nouitas pietatis! Eodem vespere C cùm adducti fuissent ante conspectum Regis proceres, qui capti fuerant, quinque videlicet Comites, & xxv. alij qui tantæ erant nobilitatis, vt eorum quilibet vexilli gauderet insignibus, præter alios quamplurimos inferioris dignitatis. Licèt omnes de regno suo, qui in mortem ipsius conspirauerant, & pro posse suo ipsum occidere procurauerant, secundùm leges, & secundùm terræ illius consuetudinem, tanquam rei læsæ maiestatis capitibus essent plectendi. Ipse tamen tanquam mitis & misericors, vitam omnibus condonauit. Quanta enim feruebat in eo contra rebelles rigoris seueritas, tantò, imò duplo maior semper vigebat in eodem clementia in subiectos: cuius summa intentio semper erat parcere subiectis, & debellare superbos. Omnes tamen ergastulis mancipauit. Eis itaque incatenatis, & quadrigis impositis, iter Parisius direxit.

Cùm autem esset Bapalmis, intimatum est ei quòd Comes Reginaldus Boloniæ nuntium post prælium miserat ad Othonem, suggerens ei vt Gandauum accederet, & vires recolligens auxilio Gandauorum & aliorum bellum renouaret. Quo audito, siue veridico auctore, siue non, Rex admodum perturbatus ascendit in turrim, vbi positi erant duo maiores Comites, Ferrandus videlicet & Reginaldus; & ira dictante improperauit ei, quòd cùm esset homo suus legitimus, fecerat eum nouum militem: cùm esset pauper, fecerat eum diuitem: ipse verò pro bonis mala retribuens, vna cum Comite Alberico patre suo ad Henricum quondam Regem Angliæ in Regis & regni perniciem se transtulerat. Postmodum resipiscens

PHILIPPVS AVGVSTVS.

in magnam ipsius amicitiam est receptus, & præter Comitatum Domnomartini, A
qui Alberico Comite patre eius in partibus Neustriæ in seruitio Regis Angliæ defuncto ad eum fuerat iure hæreditario deuolutus, addiderat ei Comitatum Boloniæ. Ipse verò postmodum culpam culpæ adiiciens, ad Regem Angliæ Richardum transiens, quandiu idem Richardus vixit, ei semper contra ipsum adhæsit. Defuncto verò Richardo Rege, ipsum iterum in suam recipiens amicitiam, cum duobus Comitatibus prædictis, addiderat ei tres Comitatus Moretonij, Albemarnæ, & Warenarum. His omnibus beneficiis obliuioni traditis, sine causa commouit contra ipsum vniuersam Angliam, Theutoniam, Flandriam, Henolliam, & Brabantiam. Naues etiam eius apud Dam partim anno præterito cum aliis diripuerat; nuper cum reliquis eius mortem iurauerat, contra ipsum corporaliter pugnauerat: post pugnam, post vitam ei misericorditer condonatam, missis nuntiis Othonem & alios, qui de bello euaserant, ad bellum iterum procurauerat incitare. Hæc omnia, inquit, mihi fecisti, vitam tamen tibi non adimam, sed donec hæc omnia lueris, ergastulum nòn euades. Et cùm hæc dixisset, inde fecit eum Peronam adduci, & ibi in turrim munitissimam includi, & cautissimè custodiri ligatum compedibus mira subtilitate perplexis, & ferè indissolubilibus, coniunctis inuicem catena tantæ breuitatis, quòd vix passum efficiat semiplenum. Eiusdem catenæ medio inserta erat & alia catena longitudinis x. pedum infixa apud alterum cuidam trunco mobili, quod duo homines vix mouere poterant, quotiens Comes iturus erat ad secreta naturæ. B Ferrandum verò Parisius deuectum in turri noua extra muros inclusum arctæ custodiæ mancipauit. Comes verò Saleberiensis ipso die pugnæ traditus est à Rege Comiti Roberto, ea intentione, vt Rex Angliæ, cuius frater idem Saleberiensis erat, filium eiusdem Comitis Roberti, quem captum tenebat sicut suprà commemorauimus, commutaret pro eo. Sed idem Rex tanquam naturæ contrarius, carnem & sanguinem suum semper odio habens, qui nepotem suum Arturum, cui, cùm esset filius Gaufridi fratris eius primogeniti, iure primogenituræ debebatur regnum, manu propria occiderat, & Elienordim sororem eiusdem Arturi virginem neptem suam iam ferè per annos viginti incarceratam tenebat, extraneum, quem tenebat, pro fratre suo naturali seu carnali noluit commutare. Verè ipse est Lynx typica Merlini, de qua idem Merlinus, de patre eius, quem Leoni comparauerat, loquens; Ex eo, inquit, procedet Lynx penetrans omnia, quæ ruinæ propriæ gentis imminebit. Per illam namque vtramque insulam amittet Neustria & pristina dignitate spoliabitur. Alij verò prisiones in duobus Castelletis in capitibus vtriusque pontis sitis Parisius, & in aliis munitionibus per diuersa regni loca carceribus mancipantur. O quàm recta, quàm iusta, quàm irreprehensibilia sunt iudicia tua Domine! qui dissipas consilia Principum, & reprobas cogitationes populorum, qui malos toleras vt exerceas bonos, qui vindictam ad tempus differs, vt mali interim conuertantur, qui expectatos frustra ad pœnitentiam tandem dignè permittis, citra tamen merita, flagellari; qui quod mali ad exterminium bonorum temerè disponunt semper in contrarium, conuertis ad vindictam malorum, laudem verò bonorum. C Ecce non solùm isti, qui fuerunt in hoc bello confecti, conspirauerant contra Regem, imò donis & promissis illecti Comes Herueus Niuernensis, & omnes proceres trans Ligerim & Cenomaniæ, & Andegauiæ, & Neustriæ, excepto solo Willelmo de Rupibus Senescallo Andegauiæ, Iuchello de Mediana, Vicecomite sanctæ Susannæ, & aliis quàm paucis, iam Regi Anglorum suum spoponderant fauorem, occultè tamen propter metum Regis sua vota regentes, quousque certi essent, quis esset pugnæ exitus futurus. Iam quasi de victoria præsumentes, regnum diuiserant vniuersum, Viromanniam cum Perona Reginaldo Comiti, Parisius Ferrando quasi funiculo distributionis, & aliis alia oppida Othone distributore, temerè partientes. Et ita Ferrandus & Reginaldus id quod pro honore, vt putabant, petierant, pro suæ cōfusionis ignominia habuerunt, Deo sic iustissimè ordinante. Hæc supradicta de eorum præsumptionibus & proditionibus à certis relatoribus & ipsorum consiliorum participibus post victoriam ad aures Regis delata sunt. Absit enim vt de eis, licèt hostibus, aliquid contra nostram conscientiam confingamus; sed tantùm id quod scimus & verum esse credimus referamus.

Sicut etiam famæ loquacitate cognouimus, ipsa vetula Comitissa Flandriæ Hispana genere, matertera ipsius Ferrandi, filia Regis Portigalensis, vnde & regina

A Comitissa appellabatur, præstigiis & sortilegiis euentus belli scire desiderans, ab Angelis qui huiusmodi artibus præsunt, secundùm morem Hispanorum tale meruerat habuisse responsum: Pugnabitur, & in ipsa pugna Rex prosternetur in terram, & equorum pedibus conculcabitur, & carebit sepultura. Ferrandus post victoriam cum maxima pompa à Parisianis recipietur. Hæc omnia rectè intelligenti possunt interpretari in verum. Consuetudo enim dæmonis est semper talibus, qui eum colunt, amphibologicè loqui, eorum desideria palliata veritate inuoluens, vt suos semper cultores decipiat, & vt ipsi de se bona semper credant dici, quæ Deus ad eorum confusionem & aliorum honorem fieri disponit. Vnde illud:

Crœsus perdet Alim transgressus maxima regna. Et Iuuenalis:

—— *Ambiguo deceptus Apolline Crœsus.*

Quis autem verbis explicare, quis corde cogitare, quis calamo, charta aut tabulis exarare posset gratulabundos plausus, hymnos triumphales, innumera tripudiorum genera populorum, mellifluos clericorum cantus, dulcisonas in Ecclesiis classicorum pulsationes, ornatus Ecclesiarum intus & extra solemnes: vicos, domos, vias per vniuersa oppida & ciuitates cortinis & pannis sericis intextas, floribus, herbis, & viridibus arborum ramis vbique stratas. Omnes autem cuiusque generis, sexus, & ætatis homines ad tanti triumphi spectacula concursantes, rusticos & messores intermissis operibus, falcibus, rastris, & tribulis in collo suspensis (erat B enim messionis tempus) ad vias cateruatim ruentes, cernere cupientes Ferrandum in vinculis, quem modò formidabant in armis. Nec verecundabantur illudere ei, rustici, vetulæ, & pueri, nacta occasione ab æquiuocatione nominis, quia nomen eius tam equo quàm homini æquiuocum erat. & casu mirabili duo equi eius coloris, qui hoc nomen equis imponit, ipsum in lectica vehebant. Vnde & ei improperabant, quod modò ipse erat ferratus, quod recalcitrare non poterat, qui priùs impinguatus dilatatus recalcitrauit, & calcaneum in dominum suum eleuauit. Hæc omnia vbique fiebant, quousque peruentum est Parisius. Parisiani verò ciues, & vniuersa scholarium multitudo incomparabiliter omnibus aliis, Clerus & populus cum hymnis & canticis ipsi Regi obuiam procedentes, quanta esset in animo lætitia gestis exterioribus declarabant, nec sufficiebat eis de die taliter exultare, imò de nocte, imò septem noctibus continuis, numerosis luminibus, adeò vt nox sicut dies illuminari videretur. Maximè scholares cum maximo quidem sumptu conuiuia, choros, tripudia, cantus indefessè agere non cessabant.

Paucis postea elapsis diebus, Pictones tantæ fama victoriæ perterriti, missis legationibus Regi magnanimo reconciliari elaborabant. Sed Rex magnanimus eorum perfidia semel, imò multotiens iam comperta, sciens eorum fauorem semper suo domino onerosum, & nunquam fructuosum fore, eorum petitioni minimè acquieuit, & collecto exercitu in Pictauiam, vbi erat Rex Ioannes, proficiscitur festinanter. Cùm igitur peruenisset Loudunum, quod erat oppidum opulentum & benè C munitum in finibus Pictauorum, venerunt ad eum Legati à Vicecomite Toarcij viro prudente & potente, omnes ferè Pictones etiam Aquitanicos potentia præcellente, pro pace vel saltem pro induciis supplicantes. Rex magnanimus malens more suo pace semper quàm bello vincere, mediante Petro Duce minoris Britanniæ cognato Regis, cuius vxor neptis erat dicti Vicecomitis, ipsum Vicecomitem in amicitiam suam sine difficultate recepit. Sed & ipse Rex Anglorum cùm distaret ab eo loco, septemdecim milliaribus, nec haberet quò fugeret, nec expectare Partenaci vbi erat, nec in apertum vt pugnaret procedere auderet, misso Renulfo Comite Cestriæ cum magistro Roberto domini Papæ Legato, & aliis, cœpit de induciis tractare. Et licèt Rex Philippus magnanimus, cùm haberet in exercitu suo duo millia militum & ampliùs præter aliam aliorum multitudinem, posset & totam terram, & ipsum Regem Angliæ occupare in breui, quinquennium tamen ei & suis solita benignitate concessit. Induciis itaque ex vtraque parte firmatis, Rex magnanimus reuertitur Parisius, vbi inito cum vxore Ferrandi & Flandrensibus colloquio, sextodecimo Calendas Nouembris, contra spem & voluntatem ferè omnium de consueta mansuetudine sua concessit, vt Godefrido filio Ducis Brabantiæ quinquenni in obsidem sibi dato, & omnibus munitionibus Flandriæ & Henoldiæ eorundem sumptibus omninò destructis, tam ipsum Ferrandum quàm alios proceres reddita pro vnoquoque legitima redemptione tanto delicto debita ad propria re-

PHILIPPVS AVGVSTVS.

mitteret carcere liberatos. Comiti verò Herueo, & aliis quos suspectos habebat, licèt eos de maiestate læsa potuisset damnare, nullam aliam pœnam inflixit, nisi quòd de fidelitate erga ipsum saltem in posterum obseruanda, ab eis iusiurandum exegit. A

Martio sequenti facta fuit eclipsis Lunæ generalis, XVI. eiusdem mensis, incipiens à primo galli cantu, vsque post Solis ortum diei sequentis.

Eo tempore quo Philippus Rex Francorum, sicut prædictum est, pugnabat contra Othonem Imperatorem & Flandrenses in Flandria, bellabat Ludouicus primogenitus eius contra Ioannem Regem Angliæ in Andegauia, & eum fugauit viriliter de obsidione quam fecerat ad Rupem Monachi. Quia verò pater & filius de tam magnis aduersariis eodem tempore triumphare meruerunt; in eiusdem triumphi memoriam Rex Philippus ædificari fecit Abbatiam de Ordine S. Victoris Parisiensis, iuxta Syluanectum, quæ appellatur Victoria.

Post hæc tempora Innocentius Papa celebrauit Romæ Concilium, vir clari ingenij, magnæ probitatis & sapientiæ, cui nullus secundus tempore suo. Fecit enim mirabilia in vita sua. Eo anno quo Concilium factum est, mortuus est idem Innocentius apud Perusium.

Post hæc Ludouicus primogenitus Philippi Regis Franciæ perrexit in Angliam cum apparatu & exercitu valido contra Ioannem Regem Angliæ. Londonienses statim eum receperunt; multæ ciuitates ei se dederunt. Barones de terra illa ferè omnes eidem homagium fecerunt. Rex Ioannes nimio terrore & timore perterritus aufugit; non multo pòst mortuus est. Barones Angliæ Henrico filio Ioannis Regis Angliæ statim adhæserunt, Ludouicum turpiter relinquentes, spreto moderamine iuramenti quod ei fecerant. Comperta ab eo proditione Anglorum Ludouicus rediit in Franciam. Præfatus Ioannes Rex Anglorum terram suam iam posuerat sub protectione Ecclesiæ Romanæ, & Papæ Innocentio de toto regno suo homagium fecerat. B

Per hæc tempora Simon Comes Montifortis factus est Comes Tholosanus, Innocentio Papa procurante, & Rege Philippo concedente, propter hæreticam prauitatem Albigensium, & propter apostasiam Raimundi Comitis Tholosani. Et cùm tota terra Albigensium dicto Simoni reddita fuisset, Albigenses & Tholosani contra iuramentum & homagium venientes, Tholosani contra ipsum ciuitatem munierunt, quam dictus Simon viriliter obsedit. Sed in ipsa obsidione lapide percussus, vitam in fide Catholica finiuit.

Eo tempore quo Philippus Rex Francorum magnanimus cœpit infirmari, cometes horribilis apparuit in Occidente, prætendens signum mortis eiusdem, & debilitatem Regni Francorum, pro cuius morte dolendum si funus haberet amicum.

Anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo vicesimotertio, pridie Idus Iulij obiit Philippus Rex Francorum illustris, apud castrum quod vocatur Medunta. Qui sensus & industria vir prudentissimus, virtute strenuus, gestis magnificus, fama præclarus, victoriosus in bellis, ac triumphis multis & magnis plurimùm gloriosus, ius & potentiam Regni Francorum mirabiliter dilatauit, & regalem fiscum ampliauit in multis. Multos etiam præclaros Principes terris, militibus, armis & opibus præpotentes, regno suo & sibi grauiter aduersantes debellauit viriliter & deuicit. Ecclesiarum quoque defensor maximus & protector. Istam præcipuè sanctam Ecclesiam, sancti videlicet Dionysij, speciali fauoris gratia, & quasi quodam amoris priuilegio fouit propensiùs & protexit, & quem habebat erga ipsam dilectionis affectum, multotiens effectu operis comprobauit. Porrò ipse ab annis teneris zelator fidei Christianæ vexillo crucis affixo humeris in sua iuuenili ætate contra Sarracenos in manu valida transfretauit, vbi in obsidione Aconitanæ vrbis, vsque ad eius consummatam debellationem plenámque recuperationem, præclarè & efficaciter laborauit. Ac postmodum vergens in senium, proprio filio suo primogenito non pepercit, quin eum mitteret bis aduersus hæreticos Albigenses cum magnis sumptibus & expensis. Et alia tam in vita sua quàm in suo decessu multa largitus est ad eiusdem negotij Albigensis subsidium & iuuamen. Prætereà dando pauperibus, & dona plurima charitatiuè per loca varia dispergendo, eleemosynarum fuit largissimus seminator. Sepultus autem est in Ecclesia beati Dionysij dignè C

A & honorificè, ficut tali & tanto Principi competebat. Ad ipfius enim exequias, quod non fine nutu & prouidentia Dei geftum effe videtur, affuerunt duo Archiepifcopi, videlicet Remenfis Guillelmus, Senonenfis Galterus: & viginti Epifcopi, videlicet de Romana Curia Coraldus Portuenfis Epifcopus Cardinalis, & Sedis Apoftolicæ in terram Albigenfium tunc Legatus. De Anglia Pandulfus Noruicenfis Epifcopus. De Remenfi prouincia, Catalaunenfis Guillelmus, Beluacenfis Milo, Nouiomenfis Girardus, Laudunenfis Anfellus, Sueffionenfis Iacobus, Syluanectenfis Garinus, Attrebatenfis Pontius, Ambianenfis Gaufridus. De prouincia Senonenfi, Carnotenfis Galterus, Altiffiodorenfis Henricus, Parifienfis Willelmus, Aurelianenfis Philippus, Meldenfis Petrus, Niuernenfis Rogerus. De prouincia Rothomagenfi, Baiocenfis Robertus, Conftantienfis Hugo, Abricenfis Willelmus, Lexouienfis Willelmus. De prouincia Narbonenfi, Fulco Tholofanus. Qui prælati de mandato domini Papæ, imò de ipfa potiùs, vt credibile eft, ordinatione diuina, pro negotio Albigenfi tunc temporis erant Parifius congregati. Miffam autem exequialem celebrarunt fimul Portuenfis Epifcopus, & Remenfis Archiepifcopus, vna voce ad duo altaria propinqua: ceteris Epifcopis cum clericis & monachis, quorum aderat innumera multitudo, affiftentibus & eis refpondentibus, ficut vni. Inter quos adfuit & Ioannes illuftris Rex Hierofolymitanus, qui in Franciam venerat, pro negotiis & neceffitatibus fanctæ terræ. Præfentibus
B ad hoc inclytis prædicti Regis Philippi filiis, Ludouico primogenito, & Philippo. Sæpedictus autem Rex Philippus tale condidit teftamentum. Legauit ad fubfidium terræ fanctæ trecenta millia librarum Parifienfium, videlicet præfato Regi Ioanni centum millia: Militiæ Templi centum millia: Hofpitali Hierofolymitano centum millia. * Datum eft de fuo Almarico Comiti Montifortis viginti millia librarum Parifienfium, ad vxorem eius & fuos de Albigenfi terra & manu hoftium reducendos. Præterea dedit quinquaginta millia librarum Parifienfium pauperibus eroganda. Magnam etiam fummam pecuniæ dicitur infuper erogaffe.

* Ex MS. Cod. Conceffit etiã Almarico Montifortis xx. millia librarum Parif. vt ipfe, vxor eius, & filij, in terra Albigenfi detẽti liberarentur.

A

HISTORIA DE VITA ET GESTIS PHILIPPI AVGVSTI FRANCORVM REGIS POST RIGORDVM.

Auctore GVILLELMO ARMORICO ipsius Regis Capellano.

Ex Codice MS. Viri Clarissimi Alexandri Petauij Senatoris Parisiensis recens in lucem emissa.

B

GESTA Francorum Regis Philippi magnanimi, quæ ipse præclarè gessit à primo anno inunctionis suæ, vsque ad XXVIII. annum regni sui, in archiuis Ecclesiæ beati Dionysij hieromartyris habentur, à magistro Rigoto eiusdem Ecclesiæ Clerico, satis luculentè elegantis stili officio perenni memoriæ commendata. Quoniam autem sequentia eiusdem Regis opera non minori laude, imò multo excellentiori præconio digna sunt, ego Guillelmus natione Armoricus, officiò presbyter, qui pro maxima parte non solum his, sed & præcedentibus eiusdem Regis operibus interfui, & ea propriis oculis aspexi, eadem gesta plano quidem, & vsuali eloquio litteris commendaui: non vt inde laudis aliquid videar vendicare, aut Chronographicus siue Historiographus vocari merear, sed ne tanti viri tam præclara gesta aliter quàm veritas se habet, à magnis & sapientibus doctoribus describi contingat. Et quoniam libellus ille magistri Rigoti à paucis habetur, & adhuc multitudini non communicatur, omnia quæ in eo plenariè continentur summatim tetigi, & prout oculis vidi & intellexi, huic libello meo proposui, quædam adiiciens breuiter prætermissa ab ipso, & ita præcedentia & subsequentia virtuosi Regis opera sub vno breuiloquo libello conclusi. Legant ergo viri literati, quibus est fœcundior ingenij vena, & intelligant historiæ veritatem, & sine falsitatis admixtione, stilo altiori & veridico carmine Regis Christianissimi & strenuissimi viri præconia extollant. Actus enim magnifici sibi sufficiunt, si fuerint veraciter & simpliciter enarrati, & stilum tantum veridicum sibi volunt, cùm ad sui extollentiam nullo indigeant adminiculo falsitatis. Sæpè enim fit vt scriptor dum placere quærit, gestorum seriem partis mendacio decoloret. Quod in enarrandis tam præclari viri gestis modis omnibus censui deuitandum. Et quia de Francorum regno sermo habetur, de eorum origine narratio nostra sumat exordium, vt cognita eorum origine, historiam gestorum competentiùs ordiamur. priùs enim de quolibet quis sit, quàm quid ipse fecerit inquirendum. C

Sicut igitur ex chronicis Eusebij, Hidacij, Gregorij Turonici, & aliorum plurimorum, & cuncta antiquorum relatione didicimus, Hector filius Priami quendam habuit filium nomine Francionem. Troilus filius eiusdem Priami Regis Asiæ similiter habuisse dicitur filium Thurcum nomine. Post euersionem itaque Troiæ multitudo maxima inde euadens in duos populos se diuisit, quorum alter sibi Francionem Regem præfecit, à quo Franci vocati sunt; alteri Thurcum sibi ducem elegerunt, à quo & Thurci nomen adepti sunt, qui cum eodem populo, qui eum de excidio Troiano sequuti sunt, in Scytiam inferiorem versus Septentrionem descendit, & ibi regnauit: Ab eo descenderunt Ostrogoti, Ypogoti, & Normani, & Gothi, & Wandali. Francio verò cum suo populo vsque Danubium venit, & ædificauit ciuitatem, quam Sicambriam nominauit, & regnauit ibi, & occupauit ipse, & qui cum eo venerant totam terram circa Danubium, & Tanaym, & circa Meothi-

A des paludes, qui creuerunt in gentem magnam.

Reuolutis autem ducentis & triginta annis, recesserunt ab eis viginti tria millia sub duce Hybor, locum regnandi commodiosiorem quærentes, & transeuntes per Alemaniam, Germaniam, & Austriam, venerunt in Galliam, & ædificauerunt ibi ciuitatem, nacti locum amœnissimum & commodosum super fluuium Sequanam, quam Lutetiam à lutositate loci vocauerunt: sibi autem à Paride filio Priami nomen Parisios imposuerunt, octingentesimo nonagesimo quinto anno ante incarnationem Domini, vel potiùs ἀπὸ τῦ Parisia Græco, quod sonat audacia, vocati sunt Parisij. Fuerúntque ibi ex quo à Sicambria recesserunt annis mille ducentis septuaginta, antequam Franci venissent, & longo tempore satis simplicem vitam ducentes, nec habebant Regem: sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, faciebat. Subditi tum Romanis ad regendum populum Consules sibi annuos secundùm consuetudinem Romanorum creabant, vsque ad aduentum Francorum.

Francio autem, & qui ab illo descenderunt, regnauerunt apud Sicambriam in partibus illis mille quingentis septem annis vsque ad Priamum Regem Austriæ, cui, cùm mortuus esset, successit Marcomirus filius eius. Cùm autem iidem Franci negarent tributum iuxta morem cæterarum nationum soluere Romanis, Valentinianus Imperator Christianus anno ab Incarnatione trecentesimo septuagesimo sexto B eos inde expulit; qui inde egressi prædicto Marcomiro, & Somnone filio Antenoris, & Genebaudo Ducibus, habitarunt iuxta ripam Reni inter Germaniam & Alemaniam, quæ regio vocatur Austria. Quos cùm idem Valentinianus multis prælijs insecutus fuisset, nec eos vincere potuisset, vocauit eos verè Francos, quasi ferancos à ferocitate. Virtus enim Francorum à tempore illo in tantum creuit, vt totam tandem Germaniam & Galliam vsque ad Pireneos montes sibi egregiis viribus subiugarent. Postea remanentibus ibidem, id est in Austria, Somnone, & Genebaudo, Marcomirus cum suis Francis per multa prælia venerunt Lutetiam, & inuenerunt ibi Parisios simpliciter degentes; & quum intellexerunt eos olim de eodem genere descendisse, confœderati sunt eis, & facti sunt populus vnus.

In diebus illis regnabat Valentinianus Imperator, Damasus Papa regebat Ecclesiam, Augustinus & Hieronymus sacram exponebant scripturam.

Euaserunt autẽ & alij de excidio Troiano, vt Helenus vates filius Priami, qui cum mille ducentis viris in regno Pandrasi in partibus Græciæ remansit: Antenor cum duobus millibus viris & ducentis in Thyrrenia habitauit: Æneas cum tribus millibus & quadringẽtis viris cum magno labore in Italiam est transuectus, cum Ascanio filio suo, cuius scilicet Ascanij filius Syluius nomine de nepte patris sui furtiuo concubitu genuit Bruthum; qui cùm adultus esset, trãstulit se in Græciam, & inuenit ibi de genere Troianorum, qui cum Heleno ibi remanserant, populum infinitum, & C factus est Rex eorum; cum quibus inde recedens adiuncto sibi Turno & Corineo, nauigio venit in partes Galliæ, vbi Ligeris flumen in Oceanum influit; & volentes sibi Galliam subiugare, pugnauerunt cum Gallis super ripam Ligeris, ibique interfectus est Turnus, & honorificè in pyramide nobilissima tumulatus, quæ vsque in hodiernam diem ibidem ostenditur, non procul à Turonis. Ab eodem Turno primam fundationem & nomen accepit ciuitas Turonica.

Brutus autem cum Corineo & aliis inde recesserunt, & in insulam, quæ Albion vocabatur, nauigio venerunt, & eam totam inhabitarunt, & à nomine Bruti Britaniam vocauerunt. Pars autem insulæ eiusdem à Corineo, qui in ea regnauit, Cornubia siue Cornugallia vocata est. Post multum verò temporis, inde multis prælijs à Saxonibus sub Orso & Hengisto ducibus lacessiti, repulsi sunt pro maxima parte in Armoricam, quæ nunc minor Britania nuncupatur. Nunc ad Francorum historiam reuertamur.

Marcomirus itaque à Parisiis honorificè receptus, eos docuit vsum armorum, & propter frequentes Latinorum & hostium incursus, fecit ciuitates murari, & factus est totius Galliæ defensor. Hic habuit filium quendam militem strenuum, nomine Faramundum, quem primum Francorum diademate insigniuit, tamen Christianus non fuit. Hic vt Parisiis placeret, ciuitatem Lutetiam mutato nomine Parisius vocari instituit.

Post Faramundum regnauit Clodius filius eius. Post Clodium Meroueus filius eius. Post Meroueum Chidericus filius eius. Chidericus genuit Clodoueum,

qui primus Regum Francorum factus est Christianus, & cum maximo Dei miraculo à beato Remigio Rhemorum Archiepiscopo baptisatus est. A

Dum beatissimus Antistes eundem Clodoueum Regem catechizaret, ampulla in qua erat sacrum chrisma casu, immò diabolo faciente, qui de tanto Christianorum commodo condolebat, fracta fuit. Viri & multi dissuaserunt Regi ne baptismum susciperet, dicentes, quòd si Deus eum voluisset fieri Christianum, ampullam frangi nullatenus permisisset: sed statim experti sunt quòd omnia cooperantur in bonum his qui secundùm propositum vocati sunt Sancti. Nam sanctus Antistes, videntibus Rege & aliis omnibus, sanctis precibus & lacrymis impetrauit à Domino ampullam cælestem plenam oleo angelico per manus Angeli à Deo sibi mitti, & palam omnibus inter manus & ipsius orantis deponi: quo non solùm idem Clodoueus, immò omnes Reges Franciæ in perpetuum consecrantur. In quo dignitas regni & Regum Franciæ incomparabiliter præeminet vniuersis.

Clodoueus genuit Clotarium; Clotarius Chilpericum: Chilpericus Clotarium; Clotarius Dagobertum, qui fundauit & munificè dotauit Ecclesiam hieromartyris Dionysij Areopagitæ. Dagobertus Clodoueum de Sancta Batildi genuit, Childericum, Clotarium, & Theodoricum: Childericus Dagobertum, sub quo fuit Ebroinus Maior domus, de quo habentur in vita Leodegarij: Dagobertus Theodericum: Theodericus Clotarium.

Post Clotarium regnauit Aubertus: Aubertus genuit Arnoldum: Arnoldus Sanctum Arnulphum postea Metensem Episcopum. Arnulphus genuit Anchisem vel Ansegisum: Ansegisus siue Ansegisilus Pipinum: Pipinus Carolum Martellum: Carolus Martellus siue ..... genuit Pipinum Breuem: Pipinus Breuis genuit ex Berta Carolum Magnum Imperatorem: Carolus Magnus Ludouicum: Ludouicus Carolum Caluum Imperatorem. Iste Caluus contulit Ecclesiæ beati Dionysij clauum & spineam coronam, & multa alia carissima dona. Carolus Caluus genuit Ludouicum Album siue Balbum: Ludouicus Rex Carolum Simplicem. B

In diebus illis venerunt Daci siue Dani de Scytia duce Rollone, & subiugauerunt sibi totam Neustriam, quam & Normaniam appellauerunt vocabulo composito ab his duobus nominibus *Nort*, quod sonat Septentrio, & *man*, quod sonat homo. Sed & Britanniam minorem, & multas alias regiones in regno Francorum depopulati sunt, & Ecclesias vniuersas destruxerunt; sed & Lunam Tusciæ ciuitatem in diebus illis florentissimam penitus euerterunt, putantes, vt dicitur, quòd illa esset Roma. Et inde reuersi in Franciam, tandem Carolo Simplici confœderati sunt. Nam & ipse Rollo filiam eiusdem Caroli Simplicis in vxorem ducens baptisatus est, & vocatus fuit Robertus, & omnes alij Normanni cum eo Christiani facti sunt anno ab Incarnatione Domini nongentesimo septimo.

De genere eiusdem Rollonis siue Roberti multis euolutis annis Willelmus nothus Dux Normaniæ, propter proditionem quandam, quam Heiraudus Rex sorori eiusdem Willelmi vxori suæ fecerat, in Angliam transfretans, ipsum Heiraudum bello confectum occidit, & totam sibi terram subiugauit. Et tunc defecerunt Reges de genere Saxonum, qui inde Britones expulerant violenter. C

Nam dictus Rollo genuit Willelmum Longam-spatam, qui Ricardum, post quem regnauit Robertus frater eius, qui genuit Willelmum nothum Regem Angliæ, qui Willelmum Regem, cui successit Henricus frater eius Rex.

De eiusdem Roberti genere Humfredus septimus ab eo Apuliam conquisiuit. Robertus filius eius cognomine Guiscardus addidit Calabriam. Illa tamen tota conquisitio ascribitur soli Guiscardo. Buamundus Siciliam adiecit. Sed & Rogerus Dux, qui postea diadema sibi imposuit, Africam superadiecit. Vnde & in scuto eius versus iste litteris aureis scriptus erat:

Apulus & Calaber, Siculus mihi seruit, & Afer.

Carolus Simplex genuit Ludouicum, qui nihil fecit: Ludouicus Lotharium, Lotharius Ludouicum, huius prosapiæ regalis vltimum. Quo sine hærede defuncto, Franci elegerunt sibi in Regem Hugonem Capet Ducem Burgundiæ siue Allobrogiæ. Hugo Capet genuit Robertum: Robertus Hugonem, Henricum, & fratrem eius Odonem tempore Leonis Papæ noni anno Dominicæ Incarnationis millesimo quinquagesimo. Post Henricum regnauit Philippus, qui genuit Ludouicum Grossum. Ludouicus Grossus genuit Philippum & Ludouicum. Sed Philippo in marti-

A reto beati Geruasij Parisius casu mirabili à porco quodam inter pedes equi sui veniente, in terram prolapso, & interempto, Ludouicus Pius successit patri suo Ludouico Grosso in regno. Ludouicus Pius quoque per miraculum in senectute sua Philippum magnanimum, qui nunc regnat, qui Adeodatus dictus est, pro eo quod pater eius sanctissimus semper postulabat à Deo prolem masculam, & supplicabat omnibus viris religiosis, vt super hoc pro eo orarent ad Dominum, quia multas habebat filias, & nullum filium, tandem exauditæ sunt preces eius, & datus est ei filius à Deo, iste scilicet Philippus qui modò regnat, qui natus est ei anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo sexagesimo quinto, mense Augusto, vndecimo Calendas Septembris, in festo Timothei & Symphoriani. PHILIPPVS AVGVSTVS.

Iste Ludouicus cùm omnes Abbates ordinis Cisteriensis iuxta consuetudinem suam conuenissent in eodem Monasterio, sicut solent singulis annis facere, prostrauit se in oratione manibus expensis in capitulo in medio eorum; & cùm clamarent omnes vt surgeret, nunquam voluit corpus de terra leuare, quousque illi oratione fusa ad Dominum, ex parte Dei omnipotentis certificauerunt eum, quòd in breui prolem esset masculam habiturus.

Incidentia. Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo quinto, Heudo, Comes qui Ducatum minoris Britanniæ tunc regebat, expellitur à Ducatu, cui successit Conanus paruus filius Alani Ducis. Heudo verò Comes receptus est à Ludouico Pio Rege Francorum: qui cùm haberet inimicitias & bella in partibus Lugdunensibus, misit eundem Heudonem cum exercitu in partes illas. Qui cùm probatissimus esset in militia, omnes bello confectos, & ipsum Comitem Matisconensem, qui aliis præerat, bello captum Regi pro voluntate sua de omnibus iniuriis satis facere coëgit.

B

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo tertio, Herueus Comes Leoniæ miles strenuissimus, qui in Anglia & in aliis locis multa bella præclara gesserat, vndéque monoculus factus erat, dolo captus fuit vnà cum Guidomaro filio suo, & retrusi sunt in carcerem apud castellum Nini. Haymo verò Episcopus Leonensis, vnà cum militibus & populo armis arreptis obsederunt castrum, quibus Conanus paruus Dux Britanniæ præstitit auxilium, & personaliter interfuit. Castro itaque oppugnato & per vim capto liberati sunt inde Comes Herueus, & filius eius. Vicecomes verò Fagi cum fratre & filio suo, qui dolum illum fecerant, incarcerati sunt apud Donglasium, & fame & siti interire coacti. Eodem anno fuit fames valida in eadem terra.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo nono, expulsus est Haymo Episcopus de Episcopatu suo, à Guidomaro fratre suo Vicecomite, propter quod Conanus paruus cum eodem Episcopo congregato exercitu intrauit terram Leoniæ, & pugnauit cum dicto Guidomaro, & filiis eius, & eos bello confecit iuxta Comanna in loco qui dicitur Mechuoet, quod interpretatur pudor fuit.

C

In diebus illis beatus Thomas Archipræsul Cantuariensis exulabat in Francia, & honorificè tractabatur, & recipiebatur à Ludouico Pio Rege Francorum Christianissimo.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo coronatus est Henricus primogenitus Henrici Regis Angliæ, qui beatum Thomam persequebatur.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo primo passus est beatus Thomas in Ecclesia sua, missis spiculatoribus ab Henrico Rege in crastino festi Sanctorum Innocentium. Paucis postea elapsis diebus interfectus fuit Haymo Episcopus Leonensis in festo conuersionis beati Pauli, in loco qui dicitur Rengar, quod interpretatur fides.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo nono consecratus est in Regem Philippus magnanimus in festo omnium Sanctorum, patre suo Ludouico Pio adhuc viuente septuagenario. Idem Philippus magnanimus audierat à coæuis anno ætatis suæ decimo quinto consodalibus suis, dum sæpius cum eis in palatio luderet, quòd Iudæi singulis annis vnum Christianum immolabant, & eius corde se communicabant: & ideò concepto ex hac occasione rancore contra eos, omnes proposuit eiicere de regno suo.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

In diebus illis sanctus Ricardus à Iudæis crucifixus fuit, & martyrium passus, cuius corpus requiescit in Ecclesia sancti Innocentij Parisius in loco qui Campellus dicitur, & fiunt ibi per orationes eius mirabilia vsque in hodiernam diem. A

Eodem anno quo Philippus magnanimus coronatus, Hebo in pago Bituriensi, Imbertus in pago Lugdunensi, & Comes Cabilonensis, cœperunt Ecclesias opprimere, & Clerum persequi, & libertates & immunitates Ecclesiarum euertere conati sunt. Sed Rex magnanimus primitias Ecclesiæ suæ Deo & Ecclesiis consecrare volens, congregato exercitu eos in manu forti debellauit, & libertates Ecclesiis reformauit.

Eodem anno multi Principes regni sui contra ipsum conspirationem fecerunt, sed ipse spe citiùs bello confectos & humiliatos in suam gratiam recepit. Inter quos erat Stephanus Comes Sacricæsaris castri, scilicet quod tempore Iulij Cæsaris Auaricon vocabatur: qui licèt esset ipsius Regis aulicus, frater scilicet Adelæ Reginæ, ipsum Regem bello attentare præsumpsit. Sed regiæ magnitudini resistere non valens, victus in breui fastu deposito ipsius Regis imperio colla submisit.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo, Regni verò Philippi magnanimi secundo in Ascensione Domini, imposuit sibi iterum Philippus magnanimus coronam in Ecclesia beati Dionysij, & inuncta fuit ibidem Elisabeth venerabilis Regina vxor eius filia Bauduini Comitis Hainellorum.

Eodem anno decimoquarto Calendas Octobris feria quinta obiit Ludouicus Rex piissimus, pater eiusdem Philippi magnanimi in ciuitate regia, & deportatum est corpus eius ad cœnobium quod ipse fundauerat, Ordinis Cisterciensis Barbeellum nomine, & conditum aromatibus ibidem honorificè tumulatum. B

Anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo octuagesimo primo, Philippus magnanimus Deo & Christo in primitiuis operibus suis placere quærens, prohibuit ne quis ludendo vel alio modo, caput, ventrem, vel aliud membrum Dei iurare præsumeret blasphemando. Et quia Iudæos odio habebat, & multas de eis in nomine Christi Iesu blasphemias audiebat, omnes debitores eorum à debitis absoluit, quinta parte totius summæ fisco retenta.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo secundo, omnes Iudæos de regno eiecit Philippus magnanimus, datis priùs induciis vendendi supellectiles suas, & parandi ea quæ necessaria erant egressuris, tanquam eos omnino eiiceret: domos autem & vineas, & alias eorum possessiones retinuit fisco.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo tertio fecit Philippus magnanimus Ecclesias in nomine Iesu Christi, & Sanctorum eius ædificari vbique per ciuitates & castella, in locis quibus erant synagogæ Iudæorum.

Eodem anno Philippus magnanimus de ampliatione regni, & rerum fisci sollicitus, nundinas quæ dicuntur sancti Lazari à domo leprosorum Parisius reduxit, & fisco applicuit de voluntate leprosorum & ministrorum loci, assignata eis ab ipso Rege annua pensione, secundùm æstimationem nundinarum, quam ipsi de fisco annis singulis recipiunt sine labore & tumultu. C

Eodem anno circumcinxit Philippus magnanimus nemus Vicenarum muro fortissimo, & delectabili, & inclusit ibi maximam multitudinem caprorum, & damorum, & ceruorum.

Eodem anno obiit Henricus iuuenis Rex Angliæ, cuius vxor erat soror Philippi magnanimi, in castro quod vocatur Martelli, decimo tertio Calendas Iunij. Cuius corpus delatum est in ciuitate Rothomagensi, & honorificè tumulatum.

Eodem anno interfecti sunt in pago Bituriensi Cotherilli, qui vulgo dicuntur Ruptarij, vno solo die septem millia, qui inuaserant fines regni, nemini parcentes, aut propter ætatem, aut propter sexum vel religionem, aut propter sacrum locum, qui omnes occiderent, aut diuersis tormentis ad refundendam eis pro redemptore sua pecuniam compellerent. Quo audito, à Rege misso exercitu in adiutorium hominum illius prouinciæ, omnes à summo vsque ad minimum trucidati sunt.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo quarto, fuit orta dissensio inter Philippum magnanimum, & Philippum Comitem Flandriæ patruum suum, qui nolebat ei reddere Viromanniam, quia sua erat de iure. Vnde & idem Comes in magna superbia duxit cursum suum cum immenso exercitu per terram Regis, cremando & deprædando eam vsque ferè ciuitatem Siluanectensem,

&

A & obsedit Bestisiacum. Sed superueniente Rege statim recessit, & obsedit Corbeiam oppidum florentissimum, & extremum eius vallum fregit. Rex autẽ collocato exercitu apud Compendium festinauit succurrere obsessis. Quo audito inde recessit Comes. Rex autem obsedit castrum quod Bouas appellatur. Comes autem metatus est castra è regione contra Regis exercitum, sed infra paucos dies mediantibus bonis viris pacificatus est Regi, Viromanniam ei restituens, & eius voluntati iuramento præstito per omnia se committens.

Tempus erat quo messis iam in culmum prodierat, & in spicas. exercitus autem Regis occupabat agrorum quatuor millia in circuitu. Messis verò fuit partim conculcata, partim falcibus resecata. Cùm autem postea messionis tempus adesset, superabundauit ibi messis in maiori quantitate, quàm priùs, & in vberiori fertilitate quàm in aliis locis. In loco autem Flandrenorum nulla spica potuit inueniri. Quidam canonici Ecclesiæ Ambianensis, cùm viderent messem omnino vastatam, vt dictum est, per Regis exercitum in terra de qua decimas expectabant, supplicauerunt aliis canonicis suis, vt damnum illud saltem in parte eis de aliis decimis misericorditer resarcirent. Illi autem consuluerunt vt tempus messionis expectaretur, & siquidem Dominus eos respiceret, bonum esset: sin autem petitioni eorum æquanimiter assentirent. Adueniente autem messionis tempore, diuino vt dictum est miraculo nullam passi sunt annonæ consuetæ iacturam.

B Factum est post aliquot dierum curriculum, Hugo Dux Allobrogum obsedit Vergiacum, & cùm admonitus à Rege nunquam vellet obsidionem dimittere, Rex collecto exercitu ad supplicationem Guidonis Domini eiusdem castri accessit, & Ducem ab obsidione fugauit. Nec multò pòst idem Rex Philippus frequentibus * Ecclesiarum, quas Dux opprimebat, motus obsedit Castellionem castrum nobilissimum super fluuium Sequanam situm, & cepit per vim, & coëgit Ducem vellet nollet restituere Ecclesiis & Clero triginta mille libras, quas eis abstulerat violenter, secundùm quod damna ab eo illata æstimata fuerunt.

* deest verbum.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo quinto, nupsit Margareta nobilis Angliæ Regina relicta Henrici Regis Angliæ iuuenis, soror Philippi Regis Francorum magnanimi, illustri Hungarorum Regi Beli nomine, eodem Beli Rege Hungarorum pro ea habenda Philippo magnanimo per solemnes nuncios supplicante.

Circa eadem tempora Philippus magnanimus pia & regali indignatione super intolerantiam luti vicorum Parisiacæ ciuitatis motus, fecit omnes vicos quadratis lapidibus pauimentari.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo sexto Philippus magnanimus, Deo semper sanctis operibus placere desiderans, fecit cimiterium publicum miræ & amœnissimæ amplitudinis in loco, qui ad sanctum Innocentium Parisius

C Campellus dicitur, muro lapideo circumcingi & ornari.

Eodem anno obiit XIV. Calendas Septembris Gaufridus nobilis Dux Britanniæ, Comes Richemontis, filius Henrici Regis Angliæ, quem cùm Philippus magnanimus mira dilectione amplecteretur, fecit condiri aromatibus, & in choro beatæ Mariæ Parisiis corpus eius honorificè tumulari, & in signum dilectionis quatuor præbendas sacerdotales perpetuas in Ecclesia Parisiaca de bonis propriis instituit ad vsum quatuor sacerdotum, qui ibidem perpetuò pro defunctis debeant celebrare.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo septimo fuerunt quidam astrologi falsidici, qui audacissimè prophetare præsumerent ventum vehementissimum futurum in sequenti Septembri ab aquilone venturum, & omnia ædificia deleturum cum immensa hominum clade, & animalium. quod ad literam falsum fuit. Mysticè autem potuit intelligi de persecutione Saladini, qui eo tempore quo ventus ille dicebatur futurus esse, omnes Christianos in Orientali Ecclesia deleuit, ciuitatem sanctam Hierusalem cepit, & omnes alias ciuitates præter Tirum, Tripolim & Antiochiam, & pauca castra munitissima, quæ nunquam habere potuit.

Eodem anno in Nonis Septembris feria secunda hora diei vndecima natus fuit Ludouicus filius Philippi magnanimi ex Elisabeth vxore sua castissima.

Eodem anno scilicet septimo regni Philippi magnanimi, ætatis verò eius vigesimo secundo, orta est dissensio inter eundem Philippum & Henricum Angliæ Regem, pro eo quòd Richardus filius eius multoties requisitus nolebat hominium facere ei-

PHILIPPVS AVGVSTVS.

dem Philippo pro Comitatu Pictauiæ, patre suo in hoc ei consentiente. Idem etiam A pater eius in præiudicium Philippi Regis tenebat Gisortium & alia municipia Gisortio appendentia, quæ data fuerant à Ludouico Pio, Henrico Regi Angliæ in dotem cum Margareta filia sua. Sed eodem Henrico sine liberis iam defuncto, & eadem Margareta Regi Hungariæ Beli nupta, dos reuerti debebat ad hæredẽ. Quod cùm ei post multas admonitiones negaretur, collocato exercitu in pago Bituriensi, intrauit fines Aquitanicos, & cepit per vim oppidum florentissimum, nomine Vrsellodunum, quod vulgò dicitur Eussodunum. Cepit etiam Cracaium, & depopulatus est terram totam vsq; ad Castrum Radulphi, & multas munitiones euertit, & obsedit Castrum Radulphi. Sed & Henricus Rex Angliæ & Richardus Comes filius eius collocato exercitu steterunt ex aduerso. Philippus autem magnanimus indignatus animo ordinauit acies ad pugnandũ cum illis. Sed illi audaciam Francorum, & magnanimitatem Regis non ferentes, missis nunciis viris religiosis, iudicio regalis Curiæ se in omnibus submiserunt.

Paucis postea elapsis diebus, peccatis nostris exigentibus Saladinus Rex Syriæ, & Ægypti, cepit sanctam ciuitatem Hierusalem, & totam terram promissionis, præter Tripolim & Antiochiam, & pauca castra munitissima, quæ nunquam Sarraceni obtinere potuerunt. Sed & sanctam crucem iam asportauerat, occisis in bello ferè omnibus Christianis.

Eodem anno in festo sancti Lucæ mensis Octobris, obiit Vrbanus Papa tertius, cui successit Gregorius octauus, qui sedit tum per octo hebdomadas dierum, cui successit Clemens tertius natione Romanus. B

In sequenti Ianuario in festo sancti Hilarij, celebratum est colloquium apud Gisortium inter Philippum magnanimum, & Henricum Regem Angliæ: in quo colloquio vterque eorum Domino inspirante crucem assumpsit, & ferè omnes eorum proceres & Prælati Ecclesiarũ. Locus autem ille vocatus est S. Ager, propter cruces ibi assumptas.

Anno ab Incarnatione Domini M. C L X X X V I I I. celebratum est Concilium Parisius à Philippo magnanimo, in quo infinita hominum multitudo cruce signata est.

Modico pòst elapso tempore Richardus Comes contra pactiones inter ipsum & patrem suum Henricum Regem ex vna parte, & Philippum Regem ex altera apud Gisortium firmatas, collocato exercitu intrauit terram Tholosæ, quam Comes sancti Egidij tenebat feodaliter à Rege Francorũ. Qua occasione orta est dissensio iterũ inter Reges. Philippus autẽ Rex magnanimus cum ingenti exercitu intrauit terram eorum, & cepit nobile Castrũ Radulfi, Busancaicum, & Argentonẽ, & Leurosiũ. Dum autẽ ibidẽ esset Rex in obsidione, & exercitus aquarũ penuriâ affligeretur, torrens quidã qui ibi erat, & tempore pluuioso aquas aliquas habere cõsueuerat, tunc autem ardore æstatis penitus erat desiccatus, diuino miraculo superabundauit aquis, ita vt vsq; ad satietatẽ biberẽt homines & iumẽta, & balnearẽt in eo. Sed Rege inde digresso ad solitã rediit siccitatẽ.

Inde digressus obsedit montem Trichardi, & turrim fortissimam, in qua erant quinquaginta milites, penitus euertit, & alia castra quamplurima, & totam Alummam cepit, & montem Luronis, & inde Regem Angliæ cum exercitu ad confinia Normanniæ C diuertentem viriliter insequens, Vindocinum obiter cepit.

Sed cùm Rex Angliæ vsque Gisortium, & idem Rex Franciæ vsque castrum quod Caluusmons dicitur, peruenisset, & à se per quatuor milliaria distarent, die ad colloquendum de pace assignato, Philippus Rex & Franci stabant per campos sub ardore solis, quem vix poterant sustinere. Henricus verò Rex Angliæ & Normanni ante introitum Gisortij sedebant, quasi pro tribunali sub vmbra cuiusdam vlmi patulæ, cuius rami densissimi in altitudine octo pedum à terra eleuati reflectebantur in se concameratione quadam, & terræ spatium non modicum operiens, non solùm vmbrâ, sed & amœnitate placita gratum suo gremio sessorium tam fatigatis quàm & spatiantibus offerebant, & oblatum eadem liberalitate præstabant.

Indignati itaque Philippus & Franci de quiete Regis Angliæ & suorũ, & de suo ex solis intolerantia exsiccatu, cùm pax colloquio biduo durãte interuenire non posset, arreptis armis ad locum perniciter aduolãt, & Rege Angliæ cum suis inde turpiter fugato, multis occisis, & in fluuium, dum castellum subeunt, mersis, ipsam vlmum quasi in silua lignorum securibus excidunt, & in securi & ascia deiicientes, penitus sternunt. Manè secuto Rex Angliæ primò Vernonẽ, deinde Paciacum veniens, terram Francorũ vsque Meduntam concremauit. Quod Philippus cõcipiens, licèt suum iam exercitum diuisisset, & pro parte licentiasset, Meduntam cum paucis veniẽs, & inde pertransiens,

A vsque ad exercitum Regis Angliæ perueniens, ei confligere nitebatur. Sed Rex Angliæ contracto & reuocato exercitu, in castro quod Ibreia dicitur se recepit.

Euolutis postea aliquot diebus Richardus Comes confœderatus est Regi Philippo, pro eo quòd pater suus contradicebat ei reddere vxorem suam sororem Regis Philippi magnanimi.

Eodem anno quarto Nonas Februarij, feria quinta, hora noctis quarta fuit eclipsis Lunæ vniuersalis, & durauit per tres horas. Quarto Idus eiusdem mensis in vico quod Argentolium vocatur, paulo ante ortum auroræ, visa est à quibusdam Luna descendere ad terram, & post moram modicam, visa est iterum ascendere.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo nono Philippus magnanimus congregato exercitu apud Nongentum oppidum in Perticensi pago mouit inde, & virtute magna expugnauit castrum nomine Feritatem Bernardi, & montem fortem Rotroldi, & obsedit nobilissimam vrbem Cenomanicam, quam cepit vsque ad arcem, & satis ignominiosè inde fugauit Henricum Regem Angliæ cum septingentis militibus, & infinita multitudine armatorum. quem cùm ita fugasset, arcem oppugnauit & cepit.

Inde cursu rapido ad vrbem florentissimam Turonorum duxit exercitum, sed ponte diruto à ciuibus & hominibus Regis Angliæ, cùm non pateret ei via qua posset ad eam accedere, nec traiectus in fluuio Ligeris inueniretur, ipsemet hasta, quam manu

B gestabat, in equo sedens, vadũ quærebat, & tandem vado præter spem & consuetudinẽ illius amnis inuento, exercitum transduxit, & ciuitatem infra paucos dies vi cepit.

Vrbe Turonica capta, factum est colloquium inter Reges, & pax est reformata inter eos in loco qui dicitur Columbarium, paucisque diebus euolutis dum adhuc in partibus illis esset Philippus Rex, obiit Henricus Rex Angliæ in castro Kinonis, & sepultus est in cœnobio monialium quod dicitur Fonsebraudi; cui successit Richardus *filius* eius, & firmata est pax inter ipsum & Philippum magnanimum, & restituit ei *Philippus* ciuitates Turonensem & Cenomannem, & castrum Radulphi cùm toto feodo: & idem Richardus quittauit eidem Philippo Regi & successoribus eius in perpetuum Essoldunum, cùm omnibus pertinentiis suis, & quidquid iuris poterat in Aruernia reclamare, quæ tamẽ omnia iure belli sibi poterat retinere Rex Philippus.

Eodem anno obiit Elizabet Regina vxor Philippi magnanimi, & sepulta est in Ecclesia B. Mariæ Parisius, pro cuius memoria cõstituti fuerunt in eadem Ecclesia duo perpetui sacerdotes, assignato vnicuique eorum annuò reditu quindecim librarum.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo nonagesimo in festo S. Ioannis Baptistæ arripuit Philippus Rex iter eundi in partes transmarinas in obsequium sanctæ Crucis, cura regni commissa Adelæ matri suæ, & Guillelmo Remorum Archipræsuli; & venit Ianuam ciuitatem Italiæ, vbi intrauit mare, testamento priùs condito, & omnibus ritè peractis.

C Tempore eodem Richardus Rex Angliæ cum suis mouit, iturus in obsequium sanctæ Crucis, & venit Massiliam, & intrauit mare.

Eodem tempore de mandato Regis Philippi, quod in recessu suo dederat, erecti sunt muri in circuitu ciuitatis Parisiacæ à parte boreali, vsque ad fluuium Sequanæ, cum turellis & portis decentissimè aptatis.

Venit itaque vterque Rex nauigio cum exercitu suo vsq; Mechinam, siue Messanam Siciliæ ciuitatem, & Rege Philippo mediante reformata est pax inter Regem *Siciliæ* Tãcredum & Ricardum Regem Angliæ super dotalitio sororis ipsius Regis Angliæ. Ibidem distribuit Philippus Rex plurima donaria proceribus & militibus suis, propter rerum suarum iacturam, quam in mari orta tempestate passi fuerant.

Reuolutis paucis diebus Rex Angliæ submonitus à Philippo Rege, vt sororem suam sicut tenebatur iuramento astrictus desponsaret, & vt in medio Martij ad transfretandum paratus esset, neutrum facere voluit, imò in vxorem duxit Berengariam filiam Regis Nauarræ, & iter suum differre volebat vsque in sequentem Augustum.

Philippus autem Rex submonuit proceres per iuramentum, quòd ad idem tenebatur, quibus assentientibus Philippus Rex intrauit mare, & cum prosperitate venit Acharon, & applicuit in vigilia Paschæ.

Rex autem Richardus postea nauigans venit Cyprum, & eam cum Imperatore suo & filiam Imperatoris, & vniuersos eius thesauros asportauit, & tandem venit

Acharon, & inuenit muros ciuitatis iam fractos, & viriliter à Philippo Rege & Francis expugnatos. A

Fredericus Imperator cum infinita multitudine Theutonicorum & aliorum in obsequium sanctæ Crucis similiter proficiscens, inter Niceam ciuitatem Bithiniæ & Antiochiam, viam vniuersæ carnis ingressus est. Cui successit in Imperio Henricus filius eius.

Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo nonagesimo primo obiit Clemens Papa, cui successit Celestinus natione Romanus.

Eodem anno in Autumno fuit tanta pluuiarum nimietas, quòd messis ferè tota in campis, dum adhuc esset in folliculis germinauit. Vnde contigit quòd in toto anno illo vix inueniebatur panis qui comedentibus nauseam non prouocaret.

Eodem anno mense Augusti, ægrotauit Parisius Ludouicus filius Regis Philippi paruulus. Sed tantæ processiones & orationes factæ sunt pro eo ad Dominum, quòd in breui, & maximo Dei miraculo restitutus est integerrimæ sanitati. Interim virtus Francorum indefessa ciuitatem Acharon cepit mense Iulio; illis qui ibidem erant Sarracenis vitâ, sola tamen, concessâ eo pacto, vt omnes Christianos qui in captione Saladini erant, & sanctum lignum viuificæ Crucis restituerent Christianis. Quod quia postea Saladinus aut noluit, aut non potuit facere, prædicti Sarraceni & omnes alij qui tenebantur capti, exceptis paucis magnis viris, interfecti sunt extra portas ciuitatis Acharon, numero septem millium, & eò ampliùs. B

Eisdem temporibus fuit eclipsis Solis in vigilia sancti Ioannis Baptistæ in septimo gradu Cancri, Luna exstante in sexto gradu eiusdem signi, & cauda draconis in duodecimo, & durauit per quatuor horas antequam ciuitas Acharon caperetur. In obsidione Acharon mortui fuerunt illustres viri, Theobaldus Comes Dapifer Francorum, Hugo Dux Burgundiæ, Philippus Comes Flandriæ, Comes Clarimontis, Comes Perticensis, & multi alij proceres, & viri clarissimi.

Rhemis metropoli Francorum occiditur sanctissimus Leodiensis Episcopus, missis apparitoribus ab Henrico Imperatore, qui fingentes se eiectos ab Imperatore, eundem sanctum Episcopum, cùm ab eo fuissent amicabiliter recepti, & apud eum diu tanquam amici fideles conuersati, nacta spatiandi occasione extra muros ciuitatis eductum occiderunt.

Interea Richardus Rex Angliæ frequentes mittebat nuncios ad Saladinum, & mutua dona recipiebat ab eo, & ideò Philippus Rex eundem Richardum Regem suspensum * habebat. Postea idem Philippus Rex morbo grauissimo detinebatur. Nam vt quidam dicunt, venenum à proditoribus porrectum hauserat, vnde & tanta infirmitate grauatus est, quòd & vngues manuum & pedum, & capillos, & ferè omnem cutis superficiem amisit, vnde de consilio suorum fidelium cõmissa captiuorum cura, & totius rei summa Duci Burgũdiæ, & aliis quos ad hoc sufficere præsumebat, quingẽtis militibus cum sufficienti sumptu, de fisco eius ministrato ad defensionem sanctæ terræ dimissis, repatriare disponens, Romam venit, & visitatis Apostolorum liminibus, à Celestino Papa cognato suo benedictione recepta, paucis diebus ante Natiuitatem Domini in Franciam est reuersus, sanitati aliquantulum restitutus. C

* f. suspectum.

Sequenti Martio Iudæi quendam Christianum permittente Comitissa Campaniæ apud castrum, quod Braiam vocát, spinis coronatũ, & fustigatum per vicos crucifixerũt. Quo audito, Philippus magnanimus Christianitati cõpatiens, in propria persona ad prænominatum castrum accedens, octuaginta Iudæos, & ampliùs comburi fecit.

Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo nonagesimo secundo mense Nouembri, vigesimo die mensis, fuit eclipsis Lunæ particularis in septimo gradu Geminorum, & durauit per duas horas.

Postmodum crescente iniquitate & malitia hominum, intimatum est Regi Philippo, quòd ad suggestionem Richardi Regis, missi erant de populo Arsacidarum quidam vt eum occiderent, eodem modo quo Corradum Marchionem Montisferrati apud Acharon illis diebus occiderant. Propter quod idem Rex Philippus sui corporis habuit de cætero custodes fidelissimos, & ipse ferè semper clauam æream vel ferream in manu gestauit, & sui custodes similiter habuerunt de cætero consuetudinem gestandi clauas in manibus vsque in hodiernum diem. Rex verò valdè turbatus, misit nuncios ad Vetulum Regem Arsacidarum, vt significaret ei per octo, &c.

A Apud Arsacidas opinio vulgaris, & Deo odibilis obseruatur. Quidquid enim à domino suo eis vel de homine occidendo, vel de re alia imperatur, si obedierint credunt statim patrato scelere se saluari. PHILIPPVS AVGVSTVS.

Nec multò pòst summa rei Henrico Comiti Campaniæ commissa, Richardus Rex repatriauit. Sed quia multos offenderat, multos metuens dissimulauit & habitu & splendore quantum potuit eminentiam regalem, tamen in terra Ducis Austriæ cognitus & captus, traditus fuit Henrico Imperatori, & in carcere diu detentus, datis demum pro redemptione centum millibus marcharum argenti, dimissus post labores multos & pericula infinita, tandem in Angliam est traiectus.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nonagesimo tertio, Philippus magnanimus cepit Gisortium, & totum territorium Vellicassinum, & confinia Neustriæ pro maxima parte, & restituit Ecclesiæ beati Dionysij Nouum castellum, quod Rex Angliæ ei abstulerat, & iniustè detinebat.

Tempore illo obiit Saladinus Rex Syriæ & Ægypti, & successerunt ei duo filij sui, Saphadinus super Syriam, & Meralicius super Ægyptum.

Eodem anno Philippus magnanimus duxit in vxorem Indeburgim sororem Kanuti Regis Dacorum in ciuitate Ambianensi, quæ eodem die quo benedicta & coronata fuerat, per sortiarias vt dicunt maleficiata, ab ipso Rege cœpit minus diligi, B & iure thori & carnis debito priuari, & demum ab ipso consanguinitate probata separata est. Tamen à Francia non recessit, necessaria vitæ à fisco recipiens.

Februario sequente Philippus magnanimus cepit ciuitatem Ebroicensem, Nouumburgum, vallem Redolij, & multa alia municipia, & Rothomagum obsedit, sed non cepit.

Anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo nonagesimo quarto, Michael Decanus Parisiensis, vir Theologus & sanctus in Patriarcham Hierosolymarum est electus: sed antequam illuc iter arriperet, factus est Archiepiscopus Senonensis.

Eodem anno, Philippus magnanimus obsedit Vernolium, & viriliter per tres septimanas expugnauit. Eo autem ibidem existente, Ioannes frater Richardi Regis Angliæ, qui cognominatus est sine terra, qui Philippo Regi confœderatus in fraudem fuerat, accedens ad eos qui ex parte Regis Philippi Ebroicas custodiebant, & os dolo circumueniens, decapitauit omnes, & capita palis affixit in circuitu ciuitatis, arcem tamen non obtinuit. Quo audito Rex Philippus obsidionem Vernolij dimisit, & Ebroicas veniens, cum furore ciuitatem incendio consumpsit, & inde transiens, & terram Normanicam deuastans, Guillelmum Comitem Lercestæ virum strenuissimum in quodam nemore cum multis armatis militibus deprehensum bello confecit, & cepit, & carceri mancipauit cum multis aliis.

C In fine sequentis anni Ecclesia beatæ Mariæ Carnotensis casuali incendio consumpta est, sed pòst à fidelibus incomparabiliter miro & miraculoso tabulatu lapideo reparata est.

Interea Richardus Rex Angliæ congregato exercitu Bellummontem, castrum videlicet munitissimum super fluuium Ridulam situm recuperauit, & quasdam alias munitiones. Et dum Rex Philippus per terram Comitis Blesensis iter faceret, idem Rex Richardus positis insidiis in loco qui dicitur villa Belfou, sarcinarios Regis cum denariis & varia supellectile potenter abduxit, & multùm damnificauit Regem, amisso ibidem sigillo & libellis computorum fisci.

Interea Ioannes sine terra cum Comite Dauid, & Comite Arundellæ & ciuibus Rothomagi, & infinita multitudine Neustricorum obsedit vallem Redolij. Quo audito Rex Philippus magnanimus à Bituria vbi erat, maxima cum paucis armatis itinera faciens, ex improuiso superueniens, castra eorum irrupit, & omnes in nemora propinqua fugauit, multis dum fugerent captis, & interfectis.

Eodem anno Henricus Imperator Calabriam, Siciliam, & Apuliam bello sibi subiugauit.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nonagesimo quinto, Richardus Rex remisit Philippo sororem suam, quam in vxorem ducere debuerat, quæ statim data in vxorem Comiti Pontiuicij siue Pontiui, & treugis redditis & guerra recepta Philippus Rex vallem Redolij, quam munitam tenebat, solo adæquauit, ipso Rege Richardo hoc vidente, & acerbiter indignante.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

A Eodem anno fuit fames valida in terra propter nimiam cōmotionem aëris, & tempestates, quæ frequentes acciderant anno præcedenti. Sed Rex Philippus & eius exemplo clerus & populus, & proceres vniuersi eleemosynas faciunt largiores, & pauperum subleuant egestatem.

Tempore illo Hildefonsus Rex Castellæ opprimebat nobiles viros regni sui, & ignobiles exaltabat, & militibus neglectis, rusticos armis induebat, & nobilibus præferebat; & ideò offensus illi Deus vindictam retribuit indilatam. Nam eodem tempore Hemanmelinus Rex Moabitarum Hispaniam intrans, pugnauit cum eodem Rege Castellæ, & eum vicit, quinquaginta millibus Christianorum bello occisis.

Eodem anno Richardus Rex obsedit castrum fortissimum quod Archas vocant. Sed Philippus magnanimus cum suis Francis superueniens, eum inde fugauit, & paululum procedens portum famosissimum, & villam opulentissimam, quæ Depa dicitur super mare Anglicum, in fortitudine magna intrauit, combussit, & prædam maximam & spolia pretiosa inde abduxit. In suo tamen inde reditu, dum per forestas iter faceret, Rege Richardo in insidiis latitante, & insultum in eos ex improuiso faciente, perierunt multi extremi agminis viri.

Qui imperat Ruptariis & Cotarellis Marchaderus Essoldinum capit, & munit ad opus Richardi Regis.

B Intolerabilis aëris intemperies ingruit, pluuiæ & tempestates: messis in folliculis germinat; fames valida inde exoritur. Sed Rex Philippus eleemosynas facit largiores, & Prælatos & Principes, & omnes diuites ad hoc ipsum, & ad sustentationem pauperum excitat & inducit, vt in anno præcedenti.

Fulco presbyter, & eius discipuli prædicant verbum Dei, & multi ab vsuris exercendis cessant, vsuræ multæ restitutæ fuerunt.

Collecto iterum exercitu, Philippus Rex ex vna parte, & Richardus Rex ex altera ad pugnandum parati stabant in pago Bituriensi iuxta Essoldunum. Ibidem Richardus Rex in se reuertens armis depositis præter spem omnium accessit ad dominum suum Philippum Regem, flexisque genibus fecit ei hominium, & pax fuit inter eos reformata & iurata.

Anno Domini millesimo centesimo nonagesimo sexto facta est subita aquarum & fluminum inundatio, & pontes in multis locis diruti, & villæ plures depressæ. Sed clero & populo ad Deum clamantibus, & frequentes processiones celebrantibus, ipso Rege Philippo inter primos nudis plantis incedente, cessauit illa illuuies.

Eodem anno Balduinus Comes Flandriæ apud Compendium fecit hominium domino suo Philippo Regi. Idem verò Philippus paucis diebus interiectis duxit in vxorem Mariam filiam Ducis Morauiæ & Boëmiæ, & Marchionis Histriæ.

C Breui exinde lapso tempore Richardus Rex spreta sacramenti religione dolo cepit castrum in territorio Biturigum, quod Virsonem vocant, & concremauit, propter quod orta est denuo discordia inter ipsum & Regem Philippum.

Eodem tempore Philippus Rex obsedit castrum munitissimum, quod Albamarna vocatur, in qua obsidione sedit septem hebdomadas dierum & ampliùs.

Interim Rex Richardus data custodibus pecunia obtinuit Nonancuriam, & muniuit viris armatis & victualibus, & inde diuertens direxit exercitum versus Albammarnam, vt obsidionem amoueret. Sed primo congressu in fugam versus plures de suis amisit. In ipso congressu captus fuit Guido Thoarcensis, qui postea fuit Dux Britanniæ accipiens in vxorem Constantiam matrem Arturi, minorem Ducissam Britanniæ.

Capta Albamarna & funditus euersa, Philippus magnanimus potenti virtute & mirabili insultu recuperauit Nonancuriam, & milites strenuos plures, & arcubalistarios, qui ibidem erant ex parte Richardi, cepit.

Idibus Septembris eiusdem anni obiit Mauricius Parisiensis Episcopus vir sanctæ recordationis, plenus operibus & eleemosynis, in senectute bona, & sepultus est in Cœnobio sancti Victoris. Qui inter cætera opera sancta laude digna, quatuor Abbatias fundauit, dotauit, & ditauit, cui successit Odo Soliacensis, frater Archiepiscopi Bituris.

Anno Domini millesimo centesimo nonagesimo septimo Balduinus Comes Flan-

A driæ spreto hominio suo & fidelitate, qua tenebatur Philippo Regi, confœderatus est Richardo Regi, & Reginaldus de Dono-Martini, cui tanquam dilecto & fideli suo Rex Philippus Comitissam Boloniæ dederat in vxorem, & totum Comitatum cum ea.

Henricus Imperator eodem anno obiit, qui quàm multos Episcopos & Archiepiscopos trucidauerat, & Ecclesiam Romanam, sicut & antecessores sui oppresserat. Summus Pontifex electioni Philippi fratris eius obuiauit, & Othoni filio Ducis Saxoniæ fauit.

Obiit eodem anno apud Acharon Henricus Comes Trecensis, Rex Hierosolymorum constitutus.

Obiit eodem anno Maria Comitissa Trecensis mater dicti Henrici Regis ex parte patris, & Regis Angliæ soror ex parte matris.

Celestinus Papa obiit eodem anno, cui successit Innocentius tertius natione Romanus, qui priùs Lotharius vocabatur. Et adhuc durabat sterilitas & fames.

In diebus illis miles quidam in territorio Viromannico mortuus reuixit, & per multos dies vita fruens, nec manducans nec bibens multa futura dicebat, incredibilia tamen.

Apud Rosetum Briæ vicum, dum sacerdos conficeret, vinum visibiliter in sanguinem, & panis in carnem visibilem in ipso calice versa sunt.

B In territorio Carnotensi hostia in manibus sacerdotis versa est in carnem in villa quæ dicitur Bailloilum. In territorio Parisiensi in castro quod dicitur Marliacum, spiritus quidam loquebatur hominibus, in domo cuiusdam pauperis hominis, dicens se esse animam cuiusdam hominis de Sicilia nomine Roberti. In multis locis ros melleus pluit è cælo, fames tamen adhuc durabat.

Mense Iulio eiusdem anni Philippus Rex cum ducentis militibus & paucis armatis de Medonta Gisortium vadens, habuit obuium Regem Richardum cum mille quingentis militibus, & infinita Cotarellorum & aliorum multitudine. Sed Rex magnanimus indignans retrocedere, magnanima temeritate per medium eorum transiuit, & viriliter pugnans per Dei manum sanus euasit. De militibus autem suis capti fuerunt in conflictu illo nonaginta. Hoc autem infortunium ideò credimus ei accidisse, quia Iudæos in terram suam contra omnium opinionem reduxerat, & quasdam Ecclesias contra consuetudinem suam fuerat aliquantulum persequutus.

Vnde Dominus & hoc infortunium, & aliud quod sequitur, ei immisit. Nam Rex tantam ignominiam se passum fuisse indignans, quasi vindicaturus infinita militum & armatorum multitudine congregata, intrauit Neustriam, & cepit eam vastare. Sed infra paucos dies contra voluntatem & iudicium procerum suorum soluit exercitum, & ad propria vnumquemque remisit.

Richardus verò Rex occasionem ex hac trepiditate Philippi, & ex fortunæ munere nactus, cum Marchadero qui imperat Cotarellis siue Ruptariis, pagum Bellouagensem ingressus, non solùm patriam deprædatus est: sed & ipsum Episcopum, & Guillemum de Melloto viros nobiles, & strenuos bellatores, dum prædas vellent excutere, & patriam defensare, cepit, & diuturno carceri mancipauit: & eleuatum est cor eius in tam magna superbia, quòd etiam vicos Parisiacos suis militibus partiretur.

C

Vires quidem eius & audacia creuerant quidem maximè ex defectione Comitis Flandriæ, & Comitis Boloniæ: qui non soli Philippo Regi magnanimo domino suo, immò & Ludouicus Comes, & ferè alij omnes proceres regni defecerant, quidam clam, quidam palàm, se infideliter ab eius obsequio retrahentes.

Propter hoc Innocentius Papa misit Petrum Capuanensem Legatum, virum prudentem & Theologum, in Franciam, pro pace reformanda inter eos, qui vix obtinuit treugas quinquennes inter eos fidei pignore interposito confirmari.

Dum hæc aguntur in Francia, Philippus Dux Suauiæ fater Henrici Imperatoris, consilio & auxilio Regis Francorum innixus maximam imperij partem obtinet. Otto verò filius Ducis Saxoniæ non minorem eo partem imperij euincit, fretus auxilio Regis Angliæ auunculi sui. Quorum vterque coronatus est in Regem super Germaniam contentiosè, & multa inter se prælia commiserunt.

In diebus illis in sinu Armorico in finibus Ocismorum, dæmon quidam intrauit in quendam militem ad quoddam conuiuium discumbentem, & eum vexans ho-

 A

minibus loquebatur apertè. Cùm autem vocatus esset sacerdos, & venisset ad domum, ipso ingrediente clamauit dæmon, quia liber quem sacerdos habebat in sinu, eum maximè puniebat. Erat autem liber exorcismorum. Dicebat etiam quòd non propter militem illum missus fuerat, sed vt in aliis partibus magis noceret. Tandem exorcisatus post dies aliquot recessit.

Circa eadem tempora quidam miles nuper defunctus, siue vt veriùs loquar, dæmon sub eius specie, forma, veste, & equo, quibus ante infirmitatem qua mortuus est, apparuit eadem diœcesi cuidam militi suo spatianti post cœnam & deambulanti per agros, quibus eadem die messis collecta fuerat, & dixit ei; ascende. At ille ascendit ad dorsum ipsius super clunem equi, qui eum vt ei videbatur portaret. Et cùm eum sic portasset ducentis passibus vel ampliùs, vidit turbam magnam quam dinumerare non poterat equitum ibi expectantium. Qui cùm increparent ipsum militem de mora quam fecerat, & miles responderet, Eamus ergo, dictus miles qui ascenderat cum eo in equum, tunc primò horrore percussus se proiecit in terram: sed pedibus stare non valens, iacuit ibidem vsque mane inter duos sulcos stipula obsitos, plenus formidine & horrore. Eodem mane vidi egomet ipsum coram Episcopo loci, hæc vt acciderant referentem, & locum mihi & aliis ostendentem.

Non multo pòst quidam alius vir nobilis in eadem diœcesi mortuus apparuit cuidam mancipio suo, scilicet suo Glebæ, & dixit ei vt ex parte eius diceret executori testamenti eius per cuncta signa, vt legata & eleemosynas suas fideliùs dispensaret, B quia constabat ei quòd ipse fraudem in his faciens, partem sibi non minimam retinebat. Et hæc dicens, digitis cunctis coxam rustici prendidit, & recessit. Vestigia autem digitorum apparuerunt diu postea in coxa rustici per quinque loca nigrefacta turpiter & adusta. Hæc & similia in regione illa frequenter accidunt, nec videntur indigenis admiranda.

Anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo nonagesimo nono, visitauit Deus regnum Francorum. Nam Richardus Rex occiditur in pago Lemouicensi, vbi obsederat castrum quoddam nomine Calax, in passione Domini septimana prima, occasione cuiusdam thesauri ibidem vt dicebatur inuenti. Quidam enim miles de turri emisso quadrello ipsum in scapula vulnerauit, & ita infra paucos dies obiit.

Statim eo mortuo Philippus magnanimus post Pascha capit Ebroicum & munit, & municipia circum adiacentia. Comes Namurtij frater Comitis Flandriæ cum duodecim militibus electis apud castellum, quod Cencium vocant, in patria Neruiorum, quæ Flandria nunc vocatur, capitur.

Arturus puer Dux Britanniæ minoris, Andegauum ciuitatem nobilissimam & Cenomanum capit, & inde turpiter fugat Ioannem sine terra patruum suum, qui in Angliam nauigans coronatur in Regem. Arturus verò facit Philippo magnanimo hominium de Comitatu Cenomannico, & Andegauico, & Turonensi, & adducitur Parisius. C

Treugæ firmantur inter Ioannem Regem, & Philippum Regem. Comes Flandriæ & alij, qui defecerant Regi Philippo, cruce se signant.

Petrus Capuanus Apostolicæ Sedis Legatus, conuocato concilio apud Diuionem oppidum Allobrogum totum regnum Franciæ interdixit, pro eo quòd Rex vxorem suam non exhibebat, & superinductam tenebat. Et hoc factum fuit in festo sancti Nicolai: sed executio sententiæ dilata fuit vsque post Natalem, & non multò pòst Philippus Rex misit solemnes nuncios ad dominum Papam.

Anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo pax reformatur inter duos Reges. Ludouicus filius Regis Philippi matrimonium contrahit cum Candida filia Hildefonsi Regis Castellæ nepte Ioannis Regis. Comes Boloniæ contra meritum suum recipitur in gratiam Philippi Regis.

Eodem anno Octauianus Ostiensis & Vellertrensis Episcopus Apostolicæ Sedis Legatus mittitur in Franciam; ad cuius suggestionem Rex à se superinductam abiecit superficie tenus, & vxorem suam recepit in suam gratiam semiplenam, carnis debitum ei non reddens.

Anno Domini millesimo ducentesimo primo Theobaldus Comes Trecensis cùm esset viginti quinque annorum obiit. Eodem anno Ioannes Rex Parisius à Philippo Rege honorificè recipitur, & multis donariis honoratur.

A Philippus puer, & Maria soror eius, quos Philippus Rex ex superinducta genuerat, à Papa Innocentio legitimantur. PHILIPPVS AVGVSTVS.

Eodem anno, Octauiano Domini Papæ Legato adhuc in Francia existente, obiit eadem superinducta Regina, Maria scilicet, & sepulta est honorificè in quodam Cœnobio monialium in Ecclesia beati Corentini distante à Medunta castro per sex millia passuum, vbi Philippus Rex ædificauit Abbatiam centum viginti virginum, quæ ibidem sub præcepto Abbatissæ Domino iugiter famulantur.

Interea frequens querimonia deferebatur Philippo Regi magnanimo à partibus Aquitanicis de Ioanne Rege, pro eo quòd idem Ioannes Rex filiam Comitis Engolismensis, quam Hugo Brunus vir inter Aquitanicos nobilissimus desponsauerat, eidem Hugoni, & Comiti Angi, & Gofrido de Lisinia in Britannia maiori, in eius seruitio demorantibus abstulerat fraudulenter. Ad faciendum sibi hominium etiam de Ducatu Aquitaniæ, Turoniæ, & Andegiæ Comitatu submonebatur à Philippo Rege. Idem verò Ioannes Rex tandem pepigit, quòd super his omnibus mandato Curiæ domini sui se supponeret, & die assignata concessit infirmiorem securitatem duo castra Philippo Regi magnanimo interim possidenda; ita videlicet quòd si ipse iudicio Curiæ parere aliquatenus detrectaret, ipse Rex Philippus eadem castra sibi & successoribus suis in perpetuum retineret. Mittuntur ergo nuncij à Philippo Rege ad prædicta castra, videlicet Tilerias, & Botauant, confiscanda. Sed Ioannes B Rex, qui pacti immemor, eadem eis castra tradere recusauit, & ad diem iudicio præfixum nec venit, nec responsalem misit. Et nota quòd Richardus Rex paucis antea elapsis annis, cùm firmatæ essent treugæ inter ipsum & Philippum Regem, firmauerat in fluuio Sequanæ, in loco qui Portus Gaudij nuncupatur, quandam munitiunculam, inde vt terram suam quocunque modo recuperaret paulatim procedens: in insula iuxta vicum Andeliacum aliam forteritiam firmauit, & ædificauit ibidem super ripam Sequanæ à parte Orientali villam amœnissimam in loco munitissimo. Ex vna enim parte circuibat eam fluuius prædictus, & ex alia stagnum amplissimum & profundum: ex quo stagno duo riui, quorum vterque amnis vocari poterat, in vtroque introitu villæ in fluuium Sequanam deriuantur, & super vtrumque riuum ædificauit pontes, & turres lapideas & ligneas, tam in introitibus, quàm in circuitu erexit, propugnaculis & fenestris arcubalistaribus iniectis.

Imminebat eidem villæ rupes excelsa circundata ex vna parte fluuio Sequana, & ex aliis partibus colliculis eiusdem ferè altitudinis, vallibus interiectis. In illa igitur rupe præexcelsa ædificauit arcem, & circumcinxit muro altissimo, & fossis profundissimis in viuo lapide excisis, & extra fossas illas explanauit collem, & muris & turribus altissimis circumsepsit: sed & tertium collem inclusit fossis profundissimis interpositis, & totum muro lapideo altissimo & fossis vndique præmuniuit, totámque munitionem illam vocauit Gaillardum, quod sonat in Gallico petulantiam. Inde C procedens quatuor millibus passuum ædificauit aliam munitionem super ripam Sequanæ, quam vocauit Botauant, quod sonat pulsus in anteriora, quasi diceret, ad recuperandum terram meam in anteriora me extendo.

Rex itaque Philippus videns quòd illusus esset à Ioanne Rege, qui nuntios suos vacuos & spe sua frustratos ad ipsum remiserat, cum magna multitudine armatorum dictam munitionem de Botauant obsedit, cepit, & funditus euertit: & inde transiens in magna virtute Arguellum & mortuum mare cepit, & Gornacum obsedit. Erat autem Gornacum oppidum amœnissimum in quadam planitie aquosa situm, muro lapideo & fossatis latis & profundis aquis plenis cinctum, viris multis & bellicosis refertum, cui imminebat stagnum decentissimum planum & plenum, aggere artificiali lato & alto retenta. Vt igitur Rex Philippus spe sua expeditiùs frueretur, quodam artificioso ingenio vsus aggerem incidi & perforari fecit, quo rupto videres quasi nouum & subitum diluuium, non minori cursu nec acriori hiatu, quàm Rhodanus in Ararim descendit, aquas voraginosas eructare, & per prata, per sata, & per domos, quasi cladem à Deo immissam irrumpere, & omnia in præcipitium dare, & muros Gornaci non solùm eruere, sed & secum inuoluendo tortuosa rapiditate deferre, & nisi ij qui in arce & oppido erant sibi præcauissent, & exeuntes montana & nemorosa petereut, Deucalionæis fluctibus interiissent.

Gornacum itaque sic captum Philippus Rex magnanimus refirmauit, & sub tuta custodia sibi retinere decreuit, & suis successoribus in perpetuum. Loco eodem

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Arturus cingulum militiæ de manu Philippi magnanimi induitur, qui & Mariam filiam eiusdem Philippi Regis desponsauerat, & factus miles recepta à Rege pecunia & licentia, cum militibus intrauit Aquitaniam, & obsedit Mirabellum. Vocatis, sed non expectatis Britonibus, & Bituricis, & Allobrogibus. Quos quia non expectauit, licèt ad eum accedere properarent, sed de paucitate quam habebat & de nouitate militiæ suæ temerè confisus, fidem Pictonicam in breui expertus est nullam esse. Nam superueniente Ioanne Rege patruo suo, bello ibidem confectus & captus est, & alij qui cum eo erant. A

Tempore illo Philippus Rex obsidebat castrum Archarum, sed audita fama prædictæ factionis obsidionem relaxans direxit acies versus Aquitaniam, & obsedit Turonim, quam cepit, & concremauit. Nec multò pòst Ioannes iterum Turonim cepit, & penitus cum toto castro destruxit.

Interea Flandrensis, Blesensis, Perticensis Comites, & alij proceres, qui Philippo Regi domino suo defecerant videntes se per mortem Richardi Regis auxilio & consilio destitutos, cruce assumpta iter sanctæ peregrinationis arripientes venerunt in ciuitatem Venetiorum, & fœdere inito cum Duce & ciuibus & militibus Venetianis, nauigarunt in Sclauoniam quæ est Dalmatia & ceperunt ciuitatem Sardias, & restituerunt eam Duci Venetorum, & inde venerunt Constantinopolim, & non sine magno Dei miraculo & virtute strenua oppugnarunt eam, & ceperunt, & factus est ibi Balduinus Comes Flandriæ Imperator. B

Anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo secundo Philippus Rex congregato exercitu intrauit Aquitaniam & multa municipia cepit. Et dum inde rediret, Robertus Comes Alençonis se dedit illi, & totam terram suam voluntati eius commisit. Inde transiens, Conchas & vallem Redolij cepit.

Paulo ante tempus illud Ioannes obsedit Alançonem, quo audito Philippus magnanimus cùm non haberet tempus congregandi arcessit exercitum magnis itineribus ad castrum quod vocatur Moretum, vbi milites multi conuenerant cum armis & bellicosis equis tyrocinandi causa: quos secum adducens, & magna itinera faciens, properauit vt liberaret obsessos. Sed Rex Ioannes cum exercitu ab obsidione recedens, dimissis papilionibus & machinis & vstensilibus variis, fugâ se saluauit.

Circa eadem tempora idem Ioannes Rex cum immenso exercitu obsedit castrum quod Bruerolos vocant, sed Francis superuenientibus opere infecto non sine rerum suarum dispendio recessit.

Interea venerabilis Abbas Casemarij Cisterciensis Ordinis mittitur à summo Pontifice in Gallias pro reformanda concordia inter Reges, sed appellatione ex parte Philippi Regis & Clericorum ac Procerum regni interposita, negotium illud imperfectum remansit.

Eodem anno Ioannes Rex habebat Arturum in carcere, & cepit Dolum, & vastauit Filicerias, & totam terram illam. C

Mense Augusto eiusdem anni in fine mensis, Philippus magnanimus Radipontem per tres septimanas viriliter expugnatum cepit cum viginti militibus strenuis, & aliis plurimis bellatoribus, qui castrum defensabant.

Inde apposuit vt obsideret Gaillardum, cuius oppugnatio quantum valeat in principe prudentia cum virtute manifestè ostendit. quod lectori facilè patebit, si ea quæ sequuntur diligenter attendat.

Primò quidem obsedit illam munitionem quam suprà memorauimus in insula sitam, & metatus est castra. ex vna tamen parte Sequanæ à plaga Meridionali, & erectis petrariis & machinis bellicis cœpit lapidibus emissis damnificare propugnacula & hordecia. Sed inclusi parum curabant huiusmodi iactus lapidum, & sagittarum, & quorumlibet missilium, tutò latentes in cryptis & gnaticis: nec patebat accessus ad illos, quia igne immisso iam cremauerant pontem à parte obsidionis, alio ponte quo ibatur in villam sibi seruato. Videns igitur Rex quòd sic nihil proficeret, fecit de diuersis portubus adduci naues innumeras, non quidem concauas sed planas, quibus homines & iumenta & carri solent transuehi ab vna ripa Sequanæ in aliam ripam, & coniunxit eas lateratim ab vna ripa vsque in aliam ripam, & fecit fieri pontem miro ligneo tabulatu, sed & naues quæ sustentabant pontem fecit stabiles palis fortissimis hinc inde fixis, & turres per loca. Sub ponte verò super qua-

A tuor naues latissimas erexit duas turres ligneas, cratibus hinc inde consutis, & indissolubili clauatura munitas, & valdè arduas. Ponte itaque facto transduxit quàm maximam exercitus sui partem vltra Sequanam, & ipsemet transiuit cum eis, & fixit tentoria ab altera parte Sequanæ, & obsedit insulam duplici obsidione. PHILIPPVS AVGVSTVS.

Interea Ioannes Rex Angliæ non multum distabat à loco illo, & maximum congregauerat exercitum. Qui quoniam non audebat de die congredi Francis, excogitauit eos fraudulenter aggredi. Misit itaque Cotarellos sub profundo noctis silentio & Ruptarios cum paucis militibus ad illos qui remanserant vltra Sequanam, non quidem ad illos qui erant in castris, sed ad inermes Riballos & alios qui solent sequi exercitum propter onera deportanda & huiusmodi similia officia quæ magni viri indignantur. Adorti sunt ergo eos quos extra castra inuenerunt somno & vino oppressos, & occiderunt ex eis ducentos & ampliùs. Exoritur clamor in castris, surgunt velociùs & fugiunt ad pontem in tanta frequentia vt pons frangeretur, nec potuerunt ponte fracto transire vltra Sequanam, nec habere adiutorium ab illis qui erant in ponte illo, sed milites & alij melioris animi, inter quos specialiter erat Willelmus Barrensis, armis arreptis fugientibus obsistunt, & eos stare cogunt, & transeunt vociferando vsque ad hostes, & eos virtute laudabili conuertunt, multis occisis & pluribus retentis. Illis itaque vix fugatis, ecce naues cursoriæ
B plenæ viris armatis aurora illucescente adueniunt per medium alueum fluminis, sed ab exercitu iam vt dictum est turbato, & sibi cautiùs vigilante spe citiùs compertus est eorum aduentus. Stipantur itaque cunei super vtramque fluminis ripam, & super pontem qui iam reparatus erat, & ascendunt arcubalistarij & viri bellatores in terras illas quas prædiximus. Illi tamen qui erant in ripis non potuerunt aliquo modo prohibere, quin illi qui in galeis erant per medium aluei venirent vsque ferè ad pontem. Illi autem qui erant in turribus ligneis lapides, tela, & quælibet missilia & arcubalistis & manibus & machinis quibuscunque tanta virtute in eos peruoluerunt, quòd eos, vellent nollent, cum maximo sui damno retrocedere compulerunt.

In exercitu Franciæ erant iuuenes leuissimi periti in arte nandi, inter quos erat quidam Gaubertus nomine Medontensis. Erat autem vallum quoddam ex roboribus duplicibus lateratim vinctis ab vna ripa ad aliam in medio ripæ ad impediendum viam nauium per aquam ad succursum Francorum descendentium. Vallum mirabili virtute & strenua leuitate prædicti iuuenes dissipauerunt per loca varia, & fregerunt, manuum & pedum remigio ad illud aduecti. Sed & ad insulam eodem remigio accedentes, ignem immiserunt in vallum quoddam ligneum quo forterícia claudebatur in circuitu, & penitus cremauerunt. Nudati itaque vallo, & muris per loca plurima iam quassatis, cùm non possent in propugnaculis iam perfractis
C stare, aut de loco ad locum per plana castri discurrere vt solebant, propter frequentes lapidum iactus & propter missilia super ripam à turribus descendentia, se cum castro & omnibus rebus suis voluntati Regis submiserunt. Capto itaque castello insulæ facile fuit villam, quæ est insula, & rupem Gaillardi oppugnare. Pontibus itaque reparatis, & tam villa quàm insula bene munitis, posuit ibidem Rex Philippus armatos viros & victualia & perpetuas vigilias, ne fortè aufugerent illi qui erant in rupe, & duxit exercitum ad Ratispontem, vt suprà commemorauimus.

Singulis autem diebus confligebant obsessi cum nostris, non quia nostri inuaderent illos, cùm non possent propter rupis arduitatem & altitudinem & loci munitionem: sed obsessi tanquam viri probi & bellicosi descendebant quotidie ad plana, & pugnabant cum illis, & eos damnificabant, & damnificabantur ab illis.

Tempore vindemiarum reuersus Rex Philippus ad obsidionem Gaillardi, videns locum inexpugnabilem voluit inclusos attenuare fame, vt tandem locum faciliùs expugnaret. Et fecit fieri fossas duplices ducentorum pedum in altitudine, à stagno inferiori vsque ad supercilium montis, & inde vsque ad fluuium Sequanam in circuitu castri includens inter fossas & castrum, valles .... circuibant castrum ex omni parte, & fabricauit brestachias duplices per septem loca, castella videlicet lignea munitissima à se proportionaliter distantia, circundata fossis duplicibus, quadrangulis pontibus versatilibus interiectis, impleuitque hominibus armatis non solùm castella illa, imò & omnem interiorem superficiem fossarum, & ita circumsepsit obsessos tam fossis quàm hominibus, adeò vt nec aliquis ad eos acce-

PHILIPPVS AVGVSTVS.

dere posset, nec aliquis ex eis auffugere vllo modo. Nostri autem, qui erant in excubiis, nihil timebant exteriùs propter fossas, nihil interiùs, quia obsessi non poterant congredi ad illos, cùm pauciores eis essent, & castrum dimittere non auderent. Et sic tota hieme illa tenebantur inclusi propter loci illius admirabilem munitionem. Multi indigenæ cum rebus suis infra castri ambitum se incluserant, sed Rogerus & alij, quibus cura commissa erat, videntes propter tantam multitudinem victum sibi posse deficere, emisit à castro multos, inermes videlicet & imbelles, fortes tamen retinens ad pugnandum. Quod cùm semel & iterum fecisset, Rex Philippus videns per hoc inclusos posse obsidionem diutiùs sustinere, dedit edictum illis qui erant in obsidione, vt vlteriùs neminem exire permitterent de castello. A

Victualibus autem attenuatis, Rogerus iterum segregauit omnes quos credebat fore sibi necessarios, & idoneos defensioni castri, & omnes alios emisit viros & mulieres & paruulos numero quadracentos & ampliùs, quibus emissis clausum fuit ostium castri. Qui cùm à nostris prohiberentur exire, & in castrum redire non possent, repulsi tam à suis quàm à nostris, & lacessiti telis, manserunt in vallibus intermediis & in cryptis, miseram vitam & inopem ducentes per tres menses, solis herbis quæ tamen in hieme non inueniebantur nisi rarè, & aqua pura miserabiliter sustentati. De hostibus quidem non est mirandum si eos non admittebant, sed de illis qui eos eiecerant non solùm est mirandum, sed & dolendum qui erant & amici eorum & cognati. Quem enim non moueat indignatio, cùm videat illos morti exponere suos, quibus debuerunt illud quantulumcumque participare communiter quòd edebant, ab illis quidem miseris canes qui de castro eiiciebantur deuorati sunt. Inter eos quadam mulier fortè peperit, cuius fœtus statim comestus est ab illis. Gallina quædam à castro volauit fortè inter eos, quam illi qui inter eos fortiores erant statim cum pluma & stercore deuorarunt. B

Eorum igitur plurimis fame extinctis, contigit, quòd quadam die Rex Philippus transiret per pontem in insulam, vt videret obsidionem suam, qui cùm clamorem miserorum audisset, cognita illorum miseriâ omnes liberari præcepit qui viuebant ex eis, & testatus est qui vidit quòd eorum quidam cùm exissent ex eis adhuc habebat coxam canis in manu qua vescebatur, accepto tamen cibo ferè omnes mortui sunt.

Sequenti Martio congregauit Philippus Rex exercitum, & accessit ad obsidionem Gaillardi, & fecit applanare cliuos interiores per loca, & erexit ibi machinas & petrarias. Sed & viam fecit tectam & reconditam roboribus & cratibus à supercilio montis vsque ad fossas castri, per quas tuti erant qui portabant aggerem, & implebant fossas castri. Sed & castellum altissimum roboribus & cratibus contextum erexit, & duxit vsque ferè ad fossas & musculos ductiles, sub quibus tutò latebant qui expugnabant castrum. Sed & obsessi se non minus strenuè defendebant petrariis & mangonellis vtentes, quibus impediebant & damnificabant nostros, & multos de nostris sagittis arcubalistariis occidebant, & lapidibus missis à mangonellis. C

Erat ibi quædam turris lapidea miræ latitudinis & altitudinis, quasi in quodam angulo in se recipiens duos muros, & sibi compaginans ex vtroque latere protensos. Hanc obtinuerunt Franci sub via tecta, & sub musculo ad oras fossæ venientes hoc modo. Cùm fossæ nondum essent impletæ aggere nisi vsque medium, Franci non ferentes moram immiserunt scalas, & descenderunt per eas parmis prætentis, & statim peruoluerunt easdem scalas in aliam partem fossati, & ascenderunt per eas vsque ad pedem turris, & ceperunt sub primis latitantes resecare lapides picis & celtibus, & fecerunt foramen quo latere poterant, murum à dextris & à sinistris cauantes, & roboribus breuibus appodiantes ne subitò caderet super illos. Et cùm satis cauatum esset, immisso igne roboribus illis, per viam qua venerant recesserunt: & roboribus igne consumptis, turris subitò corruit, & impleuit fossatum, ditque viam Francis qua irruerent in castrum. Sed omnia ædificia quæ erant in illo vallo & eorum impetum tardauerunt. Cessante igne obtinuimus primum vallum, secundum verò erat cum maiori difficultate.

Ioannes Rex erexerat Capellam quandam excelsam valdè extra muros ipsis muris contiguam iuxta foriças, quod quidem religioni contrarium videbatur. Imminebat

PHILIPPVS AVGVSTVS.

A nebat itaque fenestra quædam in latere orientali, quam videns Petrus Bogis, quem à breuitate nasi, lusoriè tali nomine vocabamus, iuuenis quidem probissimus & virtute probatus, accessit cum paucis, & quæsiuit, vixque inuenit non procul à fluuio minorem fossarum breuitatem, & transiens venit ad prædictam fenestram, nec valens ad eam attingere, nec habens scalam qua ascenderet, incuruato & ascenso dorso cuiusdam socij sui saltum faciens fenestram manu attigit, & ibidem diu pendens mira leuitate se intromisit, & fune immisso socios suos ad se traxit. Quo comperto inclusi immiserunt ignem & capellæ & omnibus ædificiis, séque receperunt infra tertium vallum in quo arx erat, & ita secundum vallum nobis vacuum demiserunt: Bogosio & illis qui cum eo erant in crypta quadam latitantibus, donec incendia cessauerunt. Nos autem putabamus eos esse incendio iam extinctos. Ad tertium verò vallum sub quidem musculo venientes nostri minarij murum minauerunt, & tribus lapidibus magna petraria, quæ chadabula vocabatur, emissis, pars muri cauati corruit, & patuit foramen per quod introierunt satellites nostri, & milites, & omnes quotquot interiùs inuenerunt ceperunt, milites quadraginta, & satellites centum viginti, & alios multos. Sicque in tribus septimanis cepit Rex Philippus totum Gaillardum, & ipsum mirabiliter refirmauit, & sibi retinuit, positis municipibus & victualibus copiosis.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo tertio Philippus magnanimus statim post octauas Paschæ cum ingenti multitudine armatorum intrauit

B Neustriam, & venit vsque ad oppidum quod Falesiam vocant propter firmitatem rupis qua sedet & circumdatur tota villa. Quam cum per septem dies obsedisset, licèt multorum iudicio inexpugnabilis videretur, ciues damnum domorum & rerum suarum metuentes, conniuentibus satellitibus & his qui in arce erant, voluntati Regis se & castrum totum dederunt. Idem fecerunt Cadomenses & Baiocasitæ, & ita spe citiùs obtinuit Rex Philippus omnia municipia circumadiacentia.

Sed & Guido de Toarchia, qui Ducatum Britanniæ tunc regebat, cum quadringentis militibus & immenso Britonum exercitu intrauit Neustriam à parte inferiori, & obsedit montem Beati Michaëlis: qui licet situ naturali, & ascensu difficili & quotidiano maris refluxu satis esset inexpugnabilis & munitus, Rex tamen Angliæ muris & propugnaculis & turribus ligneis & lapideis circumcinxerat ipsum in superioribus partibus, ita vt crederetur à nullo hominum posse capi. Cum igitur consuetudo maris illius sit secundum incrementum & decrementum Lunæ singulis lunàtionibus magis vel minus crescere vel decrescere, erat forte luna tunc temporis decrescens circiter diem septimum decrementi eius post plenilunium, vnde & refluxus maris plus solitò decrescebat, & minus tumescebat, fueruntque quatuor dies continui quibus mari refluens partem quam maximam littoris à parte orientali intactam & siccam reliquit vsque ad introitum villæ. In illo ergo intermedio temporis

C Britones Armorici, quibus natura maris illius bene est cognita, montem obsidentes, & scientes in breui futurum esse, quòd totum littus per duo millia passuum in circuitu montis bis in die naturali operiretur fluctibus, ne castrum inexpugnatum relinquerent, fracta portâ qua vnicus patebat aditus in villam, ignem immiserunt in domos, qui statim omnia corripiens, & iuxta [illegible]aturam in superius fastigium ascendens, omnem fortericiam cum domibus ciuium, & officinis Monachorum, & tota Ecclesia (quod referens doleo & horresco,) consumpsit, & in cinerem redegit. Hoc facto, Abrincas & in eodem furore ceperunt, & pagos quamplurimos incenderunt: & sic sæuiendo, & omnia deprædando, vsque Cadomum venerunt. Vbi Rex Philippus eos expectans, communicato cum eis verbo, eos remisit ad pontem Vrsonis & Moretonium, adiuncto eis Comite Boloniæ, & Vvillelmo de Barris, cum plurimis militibus Francis, & etiam ruptariis, qui apud Falesiam se ei dederant. Ipse verò cum reliquo exercitu suo in partes Rhotomagicas est reuersus, & cepit per vim fortericiam, quam vulgus Barbancanam vocant, quæ erat firmata in capite pontis Rhotomagicæ ciuitatis. Ciues vero ponte fracto vires eius quantum licuit retardantes, per quadraginta dies & ampliùs nunc induciis, nunc prælijs intermixtis, raris tamen & leuibus, suam deditionem prorogantes, ad vltimum ei se dedere, & ciuitatem tradere sunt compulsi.

Rex quidem Ioannes iam in Angliam transfretauerat, summam rei & curam municipiorum ruptariis miserabiliter derelinquens. Vnde & minori sumptu & par-

PHILIPPVS AVGVSTVS.

—— ciori labore & breuiori tempore potuit Philippus Rex non solùm Rhotomagum, A verum vniuersam Neustriam debellare, quæ à tempore Rollonis Daci vsque ad diem illum à dominio Regum Francorum, non tamen à fœdo recedens, ab hæredibus eiusdem Rollonis Ducibus & Regibus per trecentos annos & eò ampliùs est possessa, reddendo tamen Regibus Francorum seruicia annua secundum consuetudinem feodalem. Nunc autem ab ipso tanquam à vero Domino possidetur & regitur firma pace.

Interim Cadocus, & qui cum eo à Rege missi sunt, ciuitatem Andegauorum ceperunt. Sed & ipse Rex sequenti anno intrauit Aquitaniam, & ciuitatem Florentissimam Pictauorum cepit, & obsedit simul duo castra munitissima Kinonem & Lochas, non solum munitione, verùm & ædificiis & habitatoribus & situ amænissimo præclara. Cum igitur cepisset arcem munitissimam, quam Richardus Rex dudum * possidebat. Superueniente autem hieme dimisit, circa vtrumque castrum multos strenuos bellatores, qui tota hieme & obsidere castra, & frequentes pugnas cum defensionibus committere non cessabant. ipse vero in Franciam est reuersus.

* *aut aliquid simile.*

Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo quarto statim post Pascha collocato exercitu Philippus Magnanimus accessit, ad eos qui ex parte eius obsidebant Lochas & eas viriliter expugnans cepit, & tradidit eas viro nobili Drogoni de Melloto. Inde Kinonem venit, & strenuè oppugnans cepit, & sibi retinuit. milites autem & plures bellatores in vtroque oppido captos apud Compendium & per B alia oppida carceri mancipauit, in castro locharum cœpit Girardum de Archiis.

Anno Incarnationis Dominicæ M. C C V. Vicecomes Thoarcij viro inter Aquitanos genere & potestate maximus, mediante fratre suo Guidone Duce Britanniæ confederatus Philippo Regi, & dedit ei Rex Laudunum oppidum nobilissimum cum Senescalia totius Pictauiæ, sed orta inter eos discordia, neutrum potuit in modico tempore possidere.

Eodem anno pridiè Nonas Iunij obiit Adela Regina mater Philippi Regis & sepulta est iuxta patrem suum Theobaldum magnum Comitem Trecarum Palatinum in Cenobio Pontiniacensi Cisterciensis ordinis.

Eodem anno orta simultate inter Philippum Regem & Vicecomitem Thoarcensem, & Guidonem fratrem eius Ducem Britanniæ, Philippus Magnanimus Pictonum rebellionem semel & finaliter domare desiderans cum ingenti exercitu accessit Nannetum ciuitatem Armoricorum florentissimam, quæ ei statim reddita fuit, & idem Guido se omninò voluntati eius submisit. Inde Rex vniuersam Pictoniam pacificatam, vt credebat relinquens per Neustriam in Franciam reuersus; statim habuit nuntios certos de aduentu Ioannis Regis qui Rupellæ applicuerat, & veniens Kinonem missis satellitibus, & militibus muniuit vrbem Pictauim, & alia castra quæ ibi habebat, & reuersus est in Franciam. Confederatus est autem Vicecomes Thoarcensis & multi alij Pictaui Ioanni Regi, cum quibus Andegauum veniens, C eam cepit, & totum territorium Andegauense, & Nannetense pagum, & Redonense, & totam terram, quæ dicitur mediana deuastauit, & concremauit, & multiplicata sunt mala in terra.

Rex autem Philippus congregauit exercitum, & intrauit Aquitaniam. Ioannes enim Rex audito eius aduentu, iam in partes illas diuerterat, & vastauit totam terram Vicecomitis. Ioannes ibidem cum exercitu suo existente, sed ei congredi non audente, misit legationem. Ioannes Rex supplicabat pro pace simulatoria, & die statuta super pace, tanquam colloquium cum Rege Franciæ initurus, dum Philippus Rex Franciæ super his deliberat & cum nuntiis loquitur, Ioannes Rex clam recessit, & cum Rex Franciæ ipsum in crastino, loco nuntiis assignato, ad colloquium expectaret, ipse iam Rupellam & portum tenebat, vnde in Angliam repedauit.

Sequenti mense Decembri facta est ex pluuiis viuentibus, * tanta aquarum inundatio, quanta à sæculo audita non est. Parisius pons, qui paruus dicitur, corruit, per vicos aqua eleuabatur vsque ad secunda tabulata domorum, nec poterat aliquis domum suam, vel alienam, intrare, vel exire, nisi nauigio, sed oratione facta & processione à Clero & populo, aqua recessit.

* *ingentibus.*

Eodem anno obiit Bartholomæus Turonorum Archiepiscopus, cui successit vir sanctissimus Gaufredus Archidiaconus Parisiensis, qui sedit anno & dimidio.

Anno Incarnationis Dominicæ M. CCVII. obiit Galtherus Rhotomagensis Ar-

A chiep. & vacauit sedes ferè per annum. Philippus Rex iterũ collecto exercitu Aquit. intrauit, & vastauit terram Vice-Comitis Thoarcij, Parthenacũ cœpit, & quamplures munitiones circumpositas euertit, quasdã vero munitas sub custodibus sibi retinuit.

Anno Dominicæ Incarnationis M. CCVIII. obiit Odo Parisiensis Episcopus, cui successit Petrus Thesaurarius beati Martini Turonensis, frater Galteri Camerarij.

Eodem anno Henricus Marescallus, Willelmus de Rupibus & Vice-Comes Meleduni cum trecentis militibus Francis conflixerunt in Pictauia, contrà Sauaricum de Malleone & Vice-Comitem Thoarcensem, qui cum magna armatorum multitudine inuaserant terram Regis Franciæ, & prædas adducebant & præualuerunt eis, & præda excussa, bello eos confecerunt, cœperunt XI. milites Pictauos, armis probatos, inter quos fuerunt Hugo frater Vice-Comitis, Henricus de Lisiano filius eiusdem, Portaclea, & alij.

Eodem anno obiit Philippus Imperator Electus, quo defuncto Otho nitebatur per Romanum Pontificem Imperium obtinere. Eodem anno Galo Cardinalis mittitur legatus in Franciam à Summo Pontifice.

Eodem anno ferè omnes proceres Regni Franciæ, & Prælati Cruce Domini in pectore signati, terram prouincialem & Albig. visitauerunt ad extirpandũ varias hæreses, quæ in partibus illis pullulauerant, & fidem Catholicã pro posse suo eneruabant.

B Anno Domini M. CCIX. apud Karnopolim castrum nobile quod nunc Compendium appellatur, induit Ludouicus Primogenitus Philippi Regis cingulum militiæ de manu patris sui, cum tanta solemnitate & conuentu magnatum Regni, & hominum multitudine & largiflua victualium & donorum abundantia, quanta ante diem illum non legitur visa fuisse, in die sancto Pentecostes.

Anno ab Incarnatione Domini XCVI. Regnante Domitiano anno Imperij eius XV. passus est beatus Dionysius, elapsis post CC. tribus annis & XX. venit Marchamirus in Galliam, ab aduentu eius vsque ad Clodoueum primum Regem Francorum Christianum, fluxerunt centum anni.

A captiuitate vero Troiæ vsque ad initium regni Clodouei, anni M. DC. LX.

Iheronimus incepit cronica sua ab anno Incarnationis Dominicæ CCC. XXVII. anno Imperij Constantini Magni XIX. & cessauit sub Theodosio Magno.

Ab eodem tempore inceperunt cronica sua Gennadius, & Idacius Episcopus Lemicæ vrbis Hispaniarum, & scripserunt gesta notabilia vsque ad tempora Clodouei.

Quæ sequuntur in MS. codice excusa sunt in Rigordo de verbo ad verbum (quamuis sint Guillelmi Armorici) & adscripta. Pagina 49. his verbis Regnante Francorum Rege Magnanimo, *&c. vsque ad paginam 66. in quã postrema verba in linea sexta sunt hæc.* A primo Galli cantu vsque post Solis ortum diei sequentis, *ita vt bis illa edenda in eodem Volumine non censui. Et scripta sunt in codice MS. quæ inferius sequuntur.*

C ANno Domini millesimo ducentesimo decimo quinto arripuit iter eundi in Albigenses Ludouicus filius Philippi Crucesignatus, cui venit obuiam Simon ille nobilis Comes Montisfortis apud Pessulanum. Qui recepta à Pessulanis purgatione canonica, & cautione de fide Catholica de cætero firmiter obseruanda, duxerunt exercitum vsque Tolosam, & eam obsederunt. Tolosanis autem pro pace supplicantibus, turrellis & propugnaculis ad voluntatem Ludouici Simon Comes ex condicto dirutis, obsidio est sublata sub hoc pacto, quòd omnibus hæreticis conuerti nolentibus de ciuitate eiectis, Catholici viuerent & mandatis Apostolicis obedirent.

Eodem anno in Pascha ciues Colonienses pacti sunt pecuniam Ottoni reprobo, vt recederet ab eis, & absoluerunt eum ab omni debito quod eis debebat, & dederunt ei insuper sexcentas marchas argenti: & ipse post Pascha clam recessit, & post eius recessum vxor eius filia Ducis Brabantiæ sub specie viri peregrini similiter recessit à Colonia, & secuta est virum suum.

Interea Fredericus Rex obsederat castrum munitissimum nomine Weerdam, in quo propter loci munitionem Otto reprobus posuerat prisones suos, videlicet duodecim obsides quos habebat à ciuibus Aquisgrani, & Episcopum Monasteriensem quem ante biennium ceperat in quadam Ecclesia, & duos Comites, & multos alios: quos omnes Rex Fredericus oppugnato per septem hebdomadas oppido, & demum capto, liberauit, & liberos ad propria remisit. Inde obsedit Estriuellam, & cepit. Inde Aquisgranum accedens, honorificè est receptus, & diademate totius Teuto-

nicæ coronatus, consumptis ibidem aliquot diebus cum gaudio tantæ solennitati debito equitauit Coloniam, & imposuit idem sibi coronam propter loci & ciuium reuerentiam & amorem. A

A tempore quo Teutonici obtinuerunt Dinastiam Imperij, hæc semper apud eos consuetudo quasi quædam lex inuiolabiliter obseruatur, quod electus Imperator nunquam coronatur à Papa Romano, nisi prius fuerit Rex coronatus Aquisgranis, & postquam ibidem semel tulerit coronam, nihil restat nisi vt in Imperatorem Romæ à summo Pontifice coronetur. Et hoc fit propter reuerentiam & maiestatem Caroli Magni cuius corpus requiescit ibidem. Eodem die quo Rex Fredericus coronatus fuit ibi Crucem assumpsit terræ Hierosolymitanæ viriliter succursurus.

Interea Reginaldus Comes Boloniæ seruatur in carcere in turre noua Peronæ, nec est qui intercedat pro eo. Sed & Comes Ferrandus non potest Regi efficere quod spopondit. Nam ciues Valencianenses seruili præsumptione malunt dominum suum diutius in carcere sic squallêre, quàm videre ruinam turrium aut murorum suorum.

Eodem anno Ioannes Rex Angliæ Crucesignatus est, & statim oritur bellum intestinum in Anglia. Comites, proceres, & vniuersi ferè populi insurgunt in Regem, propter quasdam consuetudines seruiles, & exactiones, & angarias intolerabiles, quibus affligebantur Anglici. Sed Rege tantam seditionem non valente sufferre, satisfactum est proceribus & populis vt volebant.

Seditione illa sedata Ioannes Rex misit Archiepiscopum Dinasdinensem & alios solemnes nuncios in Franciam ad Philippum Regem, humiliter petens, vt aliquam partem terræ suæ quam bello adquisierat, ei pro certa pecuniæ quantitate reddere dignaretur, quibus idem Rex Magnanimus, breuiter & regaliter respondit, mirabile & inauditum esse, vt Cruce signatus terram vellet emere, qui potius distrahere deberet si suæ peregrinationi insisteret, sicut debet, sibi autem pecuniam abundare, & in desiderio se habere, terram potius emere quam vendere, si fortè alicubi inueniret venalem, iure patrum suorum bello tandem acquisita velle modis omnibus retinere, nec participem admittere in eisdem. B

Robertus de Corcon Apostolicæ sedis Legatus & multi cum eo sub eo adhuc prædicabant publicè per vniuersum regnum Gallicè, & multos Cruce signabant indifferenter, paruulos, senes, mulieres, candos, cæcos, surdos, leprosos, propter quod multi diuites Crucem tollere abhorrebant, quia huius confusio præsumebatur potius impedire negocium Crucis, quam posse succurrere sanctæ Terræ, sed in prædicationibus suis quibus videbatur velle placere populo, plusquam necesse esset diffamabant Clerum, turpia dicentes, & confingentes coram populo de vita eorum, & ita inter Clerum & populum materiam scandali & schismatis seminabant, propter quæ & propter quædam alia grauamina tam Rex, quam Clerus vniuersus, qui ipsum Legatum, sedem Apostolicam appellauerant. Potens est tamen Dominus hæc omnia pro voluntate sua sedare, & Terram sanctam de manibus inimicorum Crucis per infirma mundi si voluerit liberare, qui potens est filios Israël de lapidibus suscitare. C

Licet Ioannes Rex Angliæ Senatui & populo regni sui corporaliter iurauisset paci stare inter eos firmatæ & XXIII. Barones de primoribus regni, de eius mandato in ipsius animam ad ipsum iurassent, hoc addito, in ipsius iuramenti forma, quod si Rex quam pacis formam venire præsumeret vllo modo, ipsi eiusdem Regis licentia arma mouerent licitè, quàm ipsam ipse tamen religione iuramenti contempta, pacem sic iuratam & firmatam nullatenus voluit obseruare, & ita guerra est inter eos damnabiliter reincepta. Ipse verò Ioannes (qui cum Rex esset iam se fecerat vasallum, nempe Ecclesiæ Romanæ sub mille marcarum argenti annua pensione) impetrauit à Papa pacem pro nulla.... & super iuramento præstito dispensari cum ipso. Cum igitur Barones & Ciues Londoniæ specialiter, & alij castellorum, & ciuitatum populi cum multo rerum & corporum dispendio guerram aliquandiu sustinuissent, demum inito consilio vocauerunt Ludouicum primogenitum Philippi Regis filium, & datis obsidibus, & iuramentis præstitis, ipsum ipsi dominum profecerunt, qui statim patre suo penitus dissentiente dictos milites probatissimos cum multitudine satellitum in eorum misit auxilium, firmiter eis spondens quod eos quamprimùm commodè posset fieri, sequeretur. Ipsi itaque sic missi tam ciuitatem Londonias quam alia municipia, & ciuitates per totam hyemem vna cum Baronibus, ab insultibus & violentia Ioannis Regis per multa prælia defensabant.

A In diebus illis Ioannes Rex obsedit ciuitatem Ronestriam, & tandem ciues ad deditionem coëgit.

Interea Sancti Patres scilicet vniuersi Ecclesiarum Prælati, vocati à Papa Innocentio tertio Romæ celebrant Concilium generale Septuaginta vnius Primatum & quadringentorum Episcoporum, præter alios inferioris dignitatis, mense Nouembri, anno Incarnationis Domini millesimo ducentesimo decimo quinto, Pontificatus vero eiusdem Innocentij anno decimo octauo. In eodem Concilio excommunicauit idem Papa multis contradicentibus Barones Angliæ & complices eorum. Sed & Comitem sancti Ægidij qui vocabatur Tolosanus, & eius filium, damnatos de hæresi, videbatur velle restituere ad terras suas, quas eis Catholici vna cum Simone nobili Comite Montis fortis mandato Romanæ Ecclesiæ per Dei adiutorium abstulerant, & de eiusdem Papæ licentia possidebant, quod ne fieret vniuersum ferè Concilium reclamabat.

Anno millesimo ducentesimo decimo sexto Dominus Papa anxius de succurrendo Regi Angliæ Vassallo suo misit Gualam Presbyterum Cardinalem in Franciam, qui cùm modis omnibus procurare laboraret ne Ludouicus in Angliam transfretaret, & id efficere non posset, significauit Domino Papæ nauigium paratum esse & milites cum armis iam positos in procinctu. Impetrato à Christianissimo Rege Philippo saluo transitu, per terram eius in Angliam transuectus est. Papa vero certificatus de B rumoribus excommunicauit nominatim ipsum Ludouicum, & quosdam consiliarios ipsius, & generaliter omnes qui Vassallo suo Regi Angliæ faciebant guerram.

Philippus autem Rex nolens aliquatenus notari de periurio super treugis dudum percussis cum Rege Angliæ, licet Rex Angliæ easdem treugas iam sæpius violasset, totam terram filij sui & aliorum Baronum qui cum eo erant confiscauit, & obtulit se manum contra eos grauare, si Ecclesia eum super his debere amplius facere iudicaret. Papa tamen eum nihilominus de fauore filij sui suspectum habens, Archiepiscopo Senonensi & eius Suffraganeis literas destinauit, in quibus notabat ipsum Regem excommunicatum esse. Propter quod Synodo apud Meldunum congregata, vniuersi Primates regni proclamauerunt quòd ipsum Regem propter hoc excommunicatum non haberent, nisi de voluntate Papæ fierent certiores.

Cum hæc aguntur in Francia, ipse Papa de transitu Ludouici in Angliam certioratus, inconsolabiliter dicitur doluisse, & volens se ad vindictam armare, fecit sermonem ad Clerum & populum sumpto hoc themate à prophetia: *Mucro, mucro euagina te, & lima te vt interficias & splendeas*, & in ipso sermone solemnizauit excommunicationes in Ludouicum & in suos, & vocatis Notariis cœpit dictare sententias duras & intolerabiles contra Philippum Regem & contra regnum suum.

Talia eo cogitante, Dominus qui in omni articulo ipsi Philippo Regi consueuit adesse, mucronem quem in alios euaginari & limari fuerat exhortatus, in ipsum C conuertit. Nam primo tertianam passus & in breui curatus, Medicis ignorantibus, Deo sic vt credimus disponente, incidit in acutam, quam cum multis diebus fouisset, nec à cibis quibus in magna quantitate ex consuetudine vescebatur, vtpote illius ægritudinis ignarus, abstineret, demum paralysi percussus, & ad vltimum in lethargiam prolapsus, vitam finiuit. Cuius finis, quia in multis negotiis rigorem nimium quam maximè attendere videbatur, lætitiam potius quàm tristitiam generauit subiectis. Animæ tamen eius propitietur ille, cuius vice inter homines fungebatur. Sedit autem octodecim annis & mensibus sex. Obiit autem quinto Idus Iunij. Cui successit Cincius natione Romanus, qui in ipsa consecratione Honorius est vocatus. Nunc ad ea quæ gerebantur interim in Anglia stilum vertamus.

Eodem igitur anno in Pentecoste præcedenti applicuit Ludouicus insulæ quæ dicitur Thanet cum paucis militibus. nam maior pars exercitus ipsius, orta tempestate nubilosa, & ventorum discordia, retro versi ad eosdem portus à quibus nauigare ceperant sunt repulsi. Post triduum mari pacificato secuti sunt Ludouicum, & venerunt ad insulam illam, in qua ipse erat eorum expectans aduentum. Die illa & hora qua Ludouicus applicuit, Ioannes Rex erat cum immensa multitudine armatorum prope mare, expectans ipsum Ludouicum, sciens ipsum venturum, & volens vt dicebat ei congredi, antequam post nauigandi tædia & marinos fœtores Francigenis inconsuetos spiritum resumeret, aut quocumque se edulio recrearet. Quo comperto, statim ipse Ludouicus arma arripuit, & marini fœtoris oblitus ar-

PHILIPPVS AVGVSTVS.

matorum non considerans paucitatem, licet vt dictum est maior pars sui exercitus absens esset, ad locum quo stabat Ioannes cum suo exercitu properauit: Ioannes verò licet triplo maiorem haberet exercitum, castra relinquens, promissionis suæ & regalis superbiæ non recordans, tutiùs elegit fugere quàm pugnare. A

Ioanne itaque Rege in fugam verso, Ludouicus recollectis militibus suis, qui vt dictum est tempestate orta per diuersa loca dispersi fuerant, consumptis paucis diebus apud Tanetam, Londonias venit, & à Londonianis cum gaudio est receptus. Inde obsedit Ronecestriam, & cepit: inde reuersus per Londonias Cantuariam cum gaudio est receptus, & cùm multa oppida & municipia obtinuisset, dederunt ei manus Rex Scotiæ & multi alij proceres, & adhæserunt ei. Sed & Vvillelmus Longa spata frater ipsius Ioannis Regis transtulit se ad partem Ludouici, & eum iuuit, hac sola speciali causâ ductus, quia ei certo innotuit relatore, dictum Ioannem Regem cum ipsius vxore rupto fœdere naturali commisisse incestum, dum ipse esset in Francia carceri mancipatus. Rex itaque Ioannes viribus suis diffidens trans Humbrum in partes Noricas secessit. Ludouicus verò ad portus rediens, introitum Angliæ liberare volens omninò, castrum inexpugnabile quod Doroberuia dicitur, vulgò autem *Doure*, obsedit & per multum tempus oppugnauit, sed non cepit. Demum enim malitiam Ioannis Regis Domino terminante, idem Ioannes vitam finiuit. Quo mortuo, Guala Cardinalis Henricum filium eius nondum duodennem coronauit. Et statim præfatus Vvillelmus & multi alij, qui in odium patris contra ipsum cum Ludouico pugnabant, ipsi filio facto nouo Regi reconciliati sunt, & Ludouico penitus defecerunt. Porro maxima erat in obsidione victualium penuria, sed & pecunia qua stipendia exercitui ministrarentur deficiebat. Rex enim Philippus excommunicari metuens nullum adiutorium filio faciebat, per multos super hoc nuntios requisitus: Vnde idem Ludouicus consilio inito, treugis datis & receptis, in patriam repedauit. Pater tamen eius tanquam vir Christianissimus nec etiam verbo ei communicare voluit. B

Anno itaque ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo decimo septimo, viribus vt potuit recollectis, & pecuniâ ab amicis plurima, insufficienti tamen, extracta, in Angliam est reuersus, & castrum prædictum viriliter oppugnauit. Cùm itaque tam ipse quàm eius exercitus in obsidione illa ferè per annum sedisset, vires ipsius debilitari cœperunt, maximè ex defectione Vvillelmi Longæ spatæ, & aliorum Anglicorum. Interea Guala Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus collecto exercitu Anglicorum illorum, qui filio Regis Angliæ nouo Regi fauebant, obsedit Linconium. Quod cum nuntiatum esset Ludouico, inito consilio misit illuc Robertum filium Vvalteri cum Thoma Comite Partici, & Simone Pissianita, & quammaxima multitudine Anglorum qui cum eo erant. Quibus aduenientibus, pars aduersa soluta obsidione statim fugit, & insidiis positis reuersi sunt subitò, & irruerunt in nostros ex improuiso, & pugna commissa interfectus est inprimis Thomas ille nobilis Comes Partici, cùm nondum complesset vigesimum secundum ætatis suæ annum. Sed & Robertus filius Galteri, & infinita multitudo qui cum eo erant capti fuerunt. Simon Pissianita, & milites Franci, qui militabant cum eo, visa fortitudine partis aduersæ, & impotentia partis suæ, cautè recedentes à campo tristes & victi ad Ludouicum venerunt. Tunc mœror & luctus omnium & lamentatio per castra. Hoc audito in Francia Robertus de Corteneio cognatus Regis, & multi alij magni viri, collecto exercitu mare ingressi sunt vt succurrerent Ludouico. Dum autem essent in medio mari, compererunt paucas naues leui cursu de Anglia venientes, quibus compertis fecit Robertus de Corteneio nauem, in qua erat, dirigi ad eas, credens de facili eas occupare posse. Naues autem aliæ sociorum ipsius non sunt secutæ eum. Sola ergo nauis illa congressa quatuor nauibus Anglicis in breui superata & capta est, & Eustachius cognomento Monachus, miles tam mari quàm terra probatissimus, & Droco Romam rediens Clericus, & multi alij qui in eadem naui capti fuerunt, decollati sunt. Et ita hoc viso omnes aliæ naues Francorum ad portum, à quo processerant, nimio timore perterritæ redierunt. Ludouicus igitur amisso omni succursu tam per mare quàm per terram, pace prout potuit inter ipsum & nouum Regem Angliæ reformata, recepta à fisco pecunia, scilicet quindecim millibus Marcharum argenti pro reditu, obtenta ad sumptus Regis Angliæ à summo Pontifice sibi & suis omnibus absolutione in patriam repedauit. C

PHILIPPVS AVGVSTVS.

A Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo decimo octauo obiit Odo nobilis Dux Burgundiæ Crucesignatus, qui condito testamento pecuniam sufficientem & milites & viros armatos misit pro se in obsequium sanctæ Crucis, ad succurrendum sanctæ Terræ.

Eodem anno in festo beati Ioannis Petrus Parisiensis Episcopus, & Galterus Camerarius, Herueus Comes Niuernij, * & multi alij boni milites, & aliorum hominum multitudo, iter arripuerunt Sanctæ peregrinationis in obsequium Sanctæ Crucis.

Eodem anno in vigilia Assumptionis, quidam latro Anglicus natione cum aliquot diebus in superioribus vestitudinibus Parisiensis Ecclesiæ latuisset, nactus demum occasionem vncino deorsum immisso arripere, nitebatur pelues argenteas cum candelabris argenteis, quibus cerei perpetuò lumine ante magnum altare relucebant. Cerei autem eleuati corripuerunt igne pannos sericos, quibus Ecclesia in tantis solemniis ornabatur, & consumpsit ignis, antequam incendio possent aliqui subuenire, DCCC. marcarum pretio æstimatos.

Proh dolor! eodem tempore sanctus Comes Simon in obsidione Tolosæ, quam ipse cum aliis Catholicis pro fide Catholica obsederat, vulneratus in capite petra missa de petraria, fuit martyrio coronatus.

Eodem anno obiit Otto reprobus Imperator in castro Brunsvveig, priùs restitutis B omnibus quæ occupauerat de Ecclesiæ, & Imperij rebus, absolutione nihilominus impetrata, qua per multos annos fuerat innodatus.

Eodem anno tertio Calendas Octobris facta est pruina asperrima septem diebus continuis, & congelati & inaniti sunt racemi pro maxima parte qui colligebantur adhuc.

Eodem mense, tertio Calendas Nouembris factum est gelu asperum continuè vsque in festum beati Nicolai niuibus plerumque interiectis, adeo vt omnes viæ desiccarentur, omne lutum durescеret, & stagna & flumina famosa, maximè Sequana & Ligeris, gelarentur, & viantibus gradibilia se præberent. Austris itaque modico tempore flantibus, cùm asperitas frigoris cessauisset ad tempus, ecce subitò Boreas cum horrore subito reuertitur, & durauit gelu continuè & nix ferè continua vsque medium Martij sequentis: Et tunc demum gelu vix cessante, frigus tamen & ventorum intolerantia non cessauit, adeo vt in medio adhuc Maij vix paucæ spicæ in * fingulis, in vitibus quoque rarissimi palmites apparerent. Vnde & propriis oculis vidi multis in locis terras in quibus seges frigore nimio deperierat iterum coli & denuo seminari. * *singulis*

Eodem anno in Autumno vniuersitas Christianorum qui erant in Terra Sancta obsedit ciuitatem famosissimam Damietam in confinio Ægypti super Nilum sitam, quæ Memphis antiquitus dicebatur, & oppugnauerunt illam per annum. In fine anni C exierunt de exercitu Christianorum quidam circiter decem millia, & pugnauerunt contra Saracenos qui eorum castra obsederant, & victi sunt ab ipsis. Ibidem cap. est Galterus Cambellanus, & Milo electus Beluacensis, & multi alij Christiani.

Eodem anno in hieme Herueus de Leone vir inter Britones armis & diuitiis potens, cùm esset in obsequio Sanctæ Crucis apud Acharon, mortuo ibidem Mornano Vice-Comite Fagi sororio eius, cupiditate terræ eiusdem occupandæ ductus, contra salutem suam & prohibitionem Patriarchæ Hierosolymitani, & Christianorum, qui ibidem erant, iter iterum arripuit in patriam redeundi. Cuius occasione multi alij, qui valde esse succursui Sanctæ Terræ necessarij potuissent, iter similiter arripuerunt cum eodem numero sexdecim millia. Qui omnes cùm iam essent prope terram in littus iuxta Brondusium, nec distarent à terra quantum arcus tribus iactibus emittere potest, subita & inaudita tempestate exorta, vespere & nocte tota & sequente die vsque in vesperum laborantes, nauibus demum fractis septem numero, omnes perierunt naufragio, paucis circiter octoginta, euadentibus, tabulis & aliis nauium fragminibus adhærentes. Ita qui cupiditate terræ occupandæ Dei seruicium intermisit, iusto Dei iudicio terra caruit, & honore sepulchri, anno Domini M. CC. XIX.

Eodem anno perseuerauerit ventorum rabies, ab occidente flantium continuè toto Martio & Aprili, & licet agri, stratæ, vici, & plateæ desiccarentur; fluuij tamen; quamuis non plueret, adeò tumuscebant, quasi contra naturam temporis,

PHILIPPVS AVGVSTVS.

& aëris qualitatem, quod prata, virgulta, vici, & vineæ, & sata vicina fluminibus non sine colonorum iactura stagnarent toto Aprili & vsque medium Maij mensis. Parisius etiam infinitæ domus infinitis obsidebantur fluctibus, quòd non nisi nauigio intrabantur, & pons qui paruus dicitur aquis inundantibus suum viatoribus officium denegabat. Maio mense fere iam medio. A

Item circa festum beati Ioannis, & vsque ad gulam Augusti pluere non cessauit, propter quod & messis, & vindemia tardius sunt collectæ.

In Ascensione Domini eiusdem anni arripuit iter eundi in Albigesium missus à patre suo Ludouicus primogenitus Philippi Regis filius, & cum eo Petrus Dux Britanniæ, Nouiomensis, Siluanectensis, Tornacensis, & multi alij Episcopi, Comites & Barones, & infinita militum & peditum multitudo. Inueneruntque Almaricum Comitem filium sanctissimæ memoriæ Simonis Comitis Montisfortis in obsidione Miromandæ, quam cum eodem A. ceperunt, & interfecerunt omnes municipes cum mulieribus & paruulis, omnes indigenas vsque ad quinque millia. Inde profecti obsederunt Tolosam, & tepide oppugnauerunt eam, quibusdam de nostris perniciosè impedientibus negotium crucifixi, sicque infecto negotio redierunt in patriam, minus laudis quàm vituperij reportantes.

In vigilia Assumptionis beatæ Mariæ eiusdem anni, dum vigilia celebraretur, facta sunt tonitrua, fulgura, & fulgetræ quales anteà non fuerunt, frequentérque tonuit in illis diebus, adeò vt in crastino natiuitatis beatæ Mariæ fulmen de sursum veniens in campanariam turrim beati Dionysij, quæ miræ erat altitudinis, Gallum auratum cum lebete deaurato prostrauerit de turris summitate in terram, durauítque ignis fœtens ipsos lapides & ligna consumens per biduum. B

Eodem anno vindemia passa est multa inconuenientia. Pluit enim continuè tempore quo florere debuerat. pruina fuit maxima die lunæ in fine Augusti, qua vineæ sunt adustæ. In fine verò Septembris, quando racemos colligere solebamus, factum est gelu asperrimum per tres septimanas, nec maturuerant racemi, & nix profunda ruit & cooperuit terram per multos dies, & ita fere totum vinum amisimus in vniuerso Regno Franciæ. Racemi demum collecti adeò vsti erant, quòd nihil aliud esse videbantur, quàm Artinum torculari iam pressum, nec vidi aliquem qui iactaret se habuisse vini quartam partem æstimationis suæ quamlibet vini viridis & immaturi, posteà non cessauit pluere continuè vsque in Calendas Februarij, tantáque aquarum inundatio fuit, quòd stagna, pontes, molendina quamplurima, & domicilia corruerunt.

A

VVILLELMI BRITONIS, ARMORICI, PHILIPPIDOS, LIBRI XII.

SIVE GESTA PHILIPPI AVGVSTI REGIS FRANCIÆ, versibus heroicis descripta.

Editio Petri Pithœi à mendis innumeris repurgata, & locis aliquot auctior facta, Ope duorum Codd. MS. quorum vnus est in bibliotheca Alexandri Petauij Senatoris Parisiensis, alter penes Philippum Loyaulté in eodem Senatu Patronum.

B

MATERIA TOTIVS HVIVS LIBELLI.

GESTA *Philippi Magnanimi à-Deo-dati Francorum Regis aui sancti Ludouici Regis Franciæ, metricè, pulchrè, & valdè subtiliter composita: Qualiter fuit contra Sarracenos vltra mare, & qualiter acquisiuit Normanniam à tribus Regibus Angliæ successiuè regnantibus, scilicet Henrico, Richardo, & Ioanne: & qualiter deuicit Ferrandum Comitem Flandriæ in ponte Bouino, & duxit eum captum, & posuit eum in carcere Parisiis in turre Lupara; & Comitem Boloniæ cepit in eodem bello Bouino, & fuit incarceratus in castro Peronnæ, qui erat in adiutorium Ferrandi contrà Regem. Et Imperator Otho Saxo, qui etiam erat & fuerat in auxilium dicti Comitis Flandriæ Ferrandi, victus in dicto bello per Francos, fugit de bello illo cum suis Saxonibus & Teutonicis, multis tamen de ipsis & aliis nobilibus captis & vinculatis per Francos. Et multa alia pulchra eius gesta & victoriæ hîc describuntur. Vnde propter tam famosam eius victoriam factam contra Ferrandum & contra Othonem Flandrorum adiutorem in dicto bello de Bouinis, fecit dictus Rex Philippus fundari vnum honorabile Monasterium tunc extra vrbem Siluanectensem, quod vocauit Victoriam, & adhuc vocatur Victoria ratione victoriæ supradictæ, & ibi sunt Abbas & Canonici Regulares Ordinis sancti Victoris Parisiis. Obiit autem præfatus Rex* PHILIPPVS *anno Domini* M. CCXXIII. *apud Meduntum, & regnauit* XLIII. *annis. Cui successit* LVDOVICVS *filius eius, qui fuit pater sancti* LVDOVICI, *eodem anno. Sed istud vltimum hîc non habetur, quia actor finiuit Opus suum, scilicet Vvillelmus Brito.*

Hæc sunt in codice veteri.

C

PHILIPPVS AVGVSTVS.

A

LVDOVICO PRIMOGENITO
PHILIPPI MAGNANIMI A-DEO-DATI
FRANCORVM REGIS,
WILLELMVS BRITO ARMORICVS, S.

AD laudes, Ludouice, tuas magnique Philippi,
Quo genitore tibi, sibi Principe Francia gaudet,
Pocula Castaliis mihi musa liquoribus offert,
Instimulatque meum Phœbeo pectus oëstro,
Rursus vt aggrediar prolixius edere theuma;
Cui licet ingenium se nostrum iudicet impar,
Non tamen inde animum studeo reuocare, sed ausus
Excusare meos tali præsumo colore.
Gesta Ducis Macedûm celebri describere versu B
Si licuit, Galtere, tibi, quæ sola relatu
Multiuago docuit te vociferatio famæ:
Si sua gentili mendacia cuique poëtæ
Grandisonante fuit licitum pompare boatu:
Si tibi, Petre Riga, vitium non esse putaui
Vbere de legis occultos suggere sensus,
Quos facis vt leuibus verbis elegia cantet,
Fortia facta virûm numero breuiore coarctans,
Quæ potius pede Mœonio referenda fuerunt,
Cur ego quæ noui, proprio quæ lumine vidi
Non ausim magni magnalia scribere Regis?
Qui nec Alexandro minor est virtute, nec illo,
Vrbi Romuleæ totum qui subdidit orbem.
Quod probat Ecclesiæ fauor, & defensio Cleri,
Qui videns illo sub Principe, pacis amica
Libertate fruens subicit sibi quoslibet hostes.
Bis senos Macedo, bis Iulius octo per annos
Promeruit celebres vix continuare triumphos:
Viuida Karolidæ virtus triginta duobus C
Annis continuis habuit quos vinceret hostes,
Donec Theutonicos, Othonem vicit, & Anglos,
Flandrigenasque vno confecit Marte Bouinis.
Ergo qui tanto expectas succedere Regi
Vt primogenitus, vt herilis sanguinis hæres,
Dignus qui dignè digno decoreris honore,
Illius atque tuis assurgere laudibus, & te
Auctorem dominumque velis præstare libello
Ammiranda tui patris, & tua facta canenti.
Qui sibi præscribit titulum nomenque Philippi,
Crescat vt ex titulo maior reuerentia libro,
Audeat & tanto sub nomine tutior ire
In medium, lædique minus liuore pauescat.

Petro Karloto Philippi Regis Francorum filio S.

Tu quoque fautor ades, Karlote, simillima Regis
Magnanimi proles, cui te natura creatrix
Vt regale genus signis probet indubitatis,
Corporis esse dedit similem mentisque vigore:

PHILIPPVS AVGVSTVS.

A Cuius iam sequeris vestigia, cuius in æuo
Tam tenero mores iam nunc imitaris & actus.
Si modo te, fratresque tuos, magnumque parentem
Vt potui, dignos celebraui carmine digno:
Si tibi totius animi virtute dicaui
Exhaustum subito tenui de fonte libellum,
Imposuique tuo Karlotida nomine nomen,
Vt tua lectoris laus perpetuetur in ore,
Et virtus etiam post mortem nescia mortis
Famaque Karlorum viuat post fata superstes,
Quam soli faciunt vrnas euadere vates,
Dum scriptis faciunt veterum meminisse minores:
Quorum fama perit, pereunt vbi carmina vatum.
Hoc quoque propitio cœlesti sydere vultus
Vel semel illustra, gratumque impende fauorem,
Vt per te vigeat, vt te tutore, magistros
Errorum cuneos facie contemnat aperta.

B

CATALOGVS MATERIÆ
PRIMI LIBRI.

Regali primus insignit honore Philippum;
Iudæos abiicit; blasphemos lex noua punit;
Hæreticos iuges mittit breuis ignis ad ignes;
Campellos mundat, & celsis mœnibus ornat;
Hostes Ecclesiæ reprimuntur, & impete primo
Vtraque victori cedit Castellio Regi,
Et Coterellorum perimuntur millia septem,
Iudæosque omnes Braiæ cremat ignea fornax.
Clero Remensi respondens ore diserto
Rex, res pro rebus, pro verbis verba rependit.

VVILLELMI PHILIPPEIDOS
LIBER PRIMVS.

C

PRælia magnanimi præclaraque gesta Philippi,
Armipotente manu teneris quæ gessit ab annis,
Carmine veridico summatim dicere conor:
Pauca referre volens de pluribus, & quis ad vnguem
Omnia vel dictare queat, vel claudere metro,
Vel mandare biblis, memori vel mente tenere?
Non indigna foret istis vel musa Maronis
Theologi, cineres Troiæ qui vexit ad astra:
Vel qui supposuit Troiam victoribus Argis,
Erroresque vagi dignè celebrauit Vlyssis.
Non his sufficeret famæ Lucanus amator,
Vel qui tam sapido Thebaida carmine scripsit,
Vt queat ad plenum digno memorare relatu
Tot victos hostes, tot bella, tot obsidiones,
Tot benè gesta domi, tot militiæ probitates.
Non est qui puteum tam latum tamque profundum
Exhaurire queat, ne dum qui non habet in quo
Hauriat, aut restem, vel vasa capacia tanti

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Ponderis. in toto pars quælibet, est mihi totum. A
Toti dico vale, vix audeo tangere partem.
Ergo age, Musa, viri tam præcellentis honori
Insudare lubens studeas, & ab illius anno
Incipe, quo primum sceptro radiauit eburno
Rex nouus: iste noui limes tibi carminis esto,
Deinde quibus sub eo meruit pollere triumphis
Francia, prosequere, quo milite colla subegit
Neustria Francigenis, Anglorum Rege fugato,
Historiamque sequens, procedas ordine recto,
Littora tuta legens ne demergare profundo:
Sic tamen vt primum memores, quæ gentis origo
Francigenæ fuerit, quis tanti nominis auctor,
Quæ regio in partes Francos emiserit istas.
Scis etenim, quis sit, de quolibet esse sciendum,
Antea quàm sciri liceat quid fecerit ipse
Fac pelagus me scire, probes quo carbasa laxo,
Vt percurrantur leuiore sequentia cursu.
Obseruandus enim modus est in rebus, & ordo.
Christe Dei splendor, virtus, sapientia, Verbum, B
Qui patris æterni prodis æternus ab ore,
Qui verè es verbum, lumen de lumine vero,
Deque Deo vero verus Deus, vnus & idem,
Atque coæternus patri cum flamine sacro;
Te precor incipiens, adsit tua gratia præsens,
Vt mihi subueniat, vt me per confraga syluæ
Ducat inoffenso pede, ne caliget acumen
Mentis, quæ sine te nescit qua debeat ire.
Te sine nil lucet, sine te via nulla patescit.
Syderis Eoi tu lux, tu disiice mentis
Nubila, cœlesti radio, tu luce superna
Da sensus lucere meos: tu scribere dextram,
Tu linguam dictare doce, tu me rege recto
Tramite, tu præsta promptas in carmina vires:
Tu via, tu ductor, tu nauis, tu Palinurus.
Tu mihi fac tutos saxosa per æquora cursus.
Postquam iudicio Priameia regna latenti
Vindicis ira Dei Græcorum tradidit igni,
Qui per peccantes pœnam peccantibus addit: C
Flagitiis hominum quoniam salubriter vtens,
Quos scit adhuc longo dignos sordere reatu,
Francio Priamida satus Hectore, patre sepulto
Grande supercilium Græci victoris abhorrens
In cineres Asia tota cum Troade versa,
Quærere disposuit patriam sibi commodiorem,
Quam sibi fata darent acquirere sorte vel armis.
Cui se lecta manus iuuenum coniunxit, vt eius
Exilij Comites fierent, sociique laboris.
Quem, quia per nimiam probitatem illius & actus
Proueniebat eis honor & victoria multa,
Præfecere sibi posito diademate Regem,
Seque vocauerunt communi nomine Francos;
Vt dicti Franci, quibus esset Francio rector,
Nomine sint imitatores rectoris & actu.
Qui cum Rege suo ratibus vix nabile flumen
Danubij transnant, & non procul eius ab amne
Vrbs ab eis dicta est fundata Sicambria fundo,
In qua regnauit cum Francis Francio primus,

Et

A Et sibi suppostuit Regnum totaliter illud,
Austria, Theutonico quod habens idiomate nomen,
Tempore possedit Francorum natio longo
Vndecies centum ter sex & quatuor annis
Antea quàm Christum genuisset virgo beata,
Postque Deum natum sex septuaginta trecentis.
Vt se vitali viduauit Francio flatu,
Creuit in immensum stirps nobilis illa, fuitque
Viribus egregiis, numeroque ita multiplicata,
Vt satis vna capax regio non esset eorum.
Discedunt igitur ab eis Ibor, * & numerosa
Copia Francorum, numero tria millia denis
Millibus adiuncta geminatis, excipe turbam
Fœminei sexus, & qui gerere arma nequibant.
Finibus egressi patriis, per Gallica rura
Sedem quærebant, ponendis mœnibus aptam,
Et se Parisios dixerunt nomine Græco,
Quod sonat expositum nostris, Audacia, verbis:
Erroris causa vitandi, nomine solo
B A quibus exierant Francis distare volentes.
At iam Sequanio surgebat littore cunctis
Vrbibus vrbs speciosa magis, bona cuius ad vnguem
Commendare mihi sensus breuitate negatur
Quæ caput est Regni, quæ grandia germina Regum.
Educat, & doctrix existit totius orbis.
Cui quamuis verè toto præluceat orbi,
Nullus in orbe locus, quoniam tunc temporis illam
Reddebat palus & terræ pinguedo lutosam,
Aptum Parisij posuere Lutetia nomen.
In qua manserunt degentes simplice vita
Temporibus multis, gentili more regentes,
Se populósque suos, reddendo tributa quotannis
Debita Romanis, legesque sequendo paternas.
At Francos nunquam vis vlla Valentiniano
Præpost superare fuit, licèt illos sæpius armis
Romano imperio tentasset subdere, quos cum
Cerneret inuictos & nullo marte domandos;
Hos verè dicam Francos, ait, immo Ferancos
C Quos facit indomita virtus feritate feroces.
Tunc præerat Priamus Rex Austricus omnibus illis,
Qui cùm naturæ soluisset debita, Regnum
Francorum tenuit succedens filius eius
Marcomirus ei, superans probitate parentes.
Tandem scripsit eis hæc verba Valentinianus
» Annis, France, tibi bis quinque remitto tributum,
» Et mihi te facio sub vinclo pacis amicum,
» Si mihi militiam, donec superetur Alanus,
» Præstiteris, qui se Romanis exhibet hostem,
» Præsumitque suo iuga nostra repellere collo:
» Tantum præstat eis animi consueta rapinis
» Armatæ plebis rabies, & copia gentis,
» Et prærupta iugis species horrenda locorum,
» Montibus & scopulis nulli penetrabilis hosti.
His Marcomirus gaudens, Francique Quirites
Accedunt dictis, & congrediuntur Alanis,
Strageque crudeli sic debacchantur in illos,
Ex toto numero quod nemo remansit eorum,
Qui non à Franco sit milite decapitatus,

** Ibor fuit quidam Francus nobilis, Princeps super XXIII. M. Francorum.*

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Aut mortis diuersa pati tormenta coactus; A
Exceptis natura quibus pugnare negabat.
Quod factum cunctis visum est mirabile, lausque
Francorum toto diuulgabatur in orbe.
Annis ergo decem finitis, Roma tributum
A Francis repetit: empta sibi sanguine Franci
Libertate suo dicunt se corde feroci
Malle pati exilium, patriâque excedere tota,
Quàm Romæ subici sub dura lege tributi.
Et cùm post mortem Romana Valentiniani
Debilitata foret Respublica, Francus ab illis
Finibus egressus valido sibi marte subegit
Germanos cum Theutonicis, nec non Alemannos,
Tungros cum Belgis, Saxones cum Lotharingis,
Et quicunque iacent populi per Gallica rura;
Sequanium donec longè veniatur ad amnem.
Viuere nec poterat aliquis Dux, aut Comes, aut Rex,
Qui non virtuti Francorum cederet vltro.
Parisios igitur postquam cognouit eadem
Stirpe fuisse satos à qua descenderat ipse, B
Firma pace facit miles sibi Francus amicos,
Francorumque vocat fratres, & fœdere iugi
Vnus fit populus Franci cum Parisianis.
Vrbs quoque Parisius meruit tunc primo vocari,
Cui prius indiderat situs ipse Lutetia nomen.
A qua Francigenæ progressi cum Pharamundo
Marcomirigena, quem iam genitor suus illis
In Regem dederat, terrarum quicquid habetur
A pelago, quod nos hodie distinguit ab Anglis,
Vsque sub Hispanos fines portusque remotos,
Qui Caroli Metæ populari voce vocantur,
Totum militia sibi supposuere potenti.
Et sic terra fuit Francorum nomine dicta
Francia, cuius erat antiquum Gallia nomen.
In qua regali Pharamundus primus honore,
Exclusis penitus Romanis, fulsit: eidem
Filius ipsius Clodius successit. At ille
Regia decedens Merouæo sceptra reliquit,
Patris iure sibi faciens succedere natum. C
Is Childericum genuit, Regemque paterno,
Et successorem moriens sibi iure creauit.
Ille Clodouei Regis pater extitit, inter
Francorum Reges qui primus credere Christo,
Et sacro meruit Baptismi fonte renasci;
Quem cùm Euangelico conuersum dogmate, Sanctus
Remigius sancto chrismare pararet oliuo,
Ecce dolens inimicus homo, qui semper honori
Inuidet Ecclesiæ, fregit funditque liquorem †
Vt, sua cui natura modos dat mille nocendi,
Hoc faceret facto Regem rescindere votum,
Aut saltem differre aliquas Baptisma per horas,
In tanto, si non in toto, offendere gaudens,
Vt meritum Regis motu quocunque minoret:
Qui magis est animos quàm corpora lædere pronus.
Quo viso, commota manus pagana, suorum
Hoc virtute Deûm conclamant esse patratum,
Nec Regem mutare vias debere priores,
Quas vsque huc tenuit eius generatio tota;

† *Vas quo liquor sacratus conseruabatur.*

Quod nec velle Deum res tam manifesta doceret, PHILIPPVS AVGVSTVS.
A Qui sanctum est passus oleum cum vase perire,
Ne Rex tactus eo, Christi se lege ligaret.
At sacer Antistes erecto lumine sursum
Cum manibus meruit sacra per supplicamina, sacrum
Cœlitus emitti cum sacro vase liquorem,
Ipso Rege palam cunctisque videntibus ipsum,
E cœlo missus quem detulit angelus illi,
Quo Rex sacratus fuit idem primus, & omnes
Post ipsum Reges Francorum ad sceptra vocati,
Quando coronantur oleo sacrantur eodem.
Sicque fit vt solum metuens amittere Regem,
Dum fraudem struit Ecclesiæ fallaciter hostis,
Se dignum effecit Francos qui perderet omnes.
Nam cùm pagani miracula tanta viderent,
Se faciunt omnes renouari fonte perenni.
Quis verò cui Rex Regi successerit ex tunc
Tempus ad hoc, præsens serie tibi lector aperta
Scire dat hæc oculis subiecta fidelibus arbor,
In qua se primum Pharamundus ponit, eo quòd
B Francorum primus terra regnauit in ista,
Et tamen affirmat communis opinio primum
Esse Clodoueum, quia Regum credere primus
In Christum meruit, gentili errore relicto,
Quo velut à trunco procedens linea monstrat,
Quæ sit descendens series, quæ collateralis.

* * * * *

Annus millenus centenus septuagenus 1179. *Hîc deest Arbor illa Regum.*
Nonus erat post virginei sacra tempora partus,
Tradere quando pius sceptrum regale Philippo
Proposuit genitor veneranda luce, beatæ,
Quam sibi sanctificat Assumptio sancta, Mariæ.
Cumque essent Regni primores, quosque decorat
Pontificalis apex, ad gaudia tanta vocati,
Instaretque dies quo Rex debebat inungi,
Ipsum cum famulis comitante ætate coæua
In Cuisiam traxit venandi gratia syluam:
Hic aprum soli visum sibi fortè secutus
Vt puer, vt prædæ laudisque cupidine ductus,
C In nemus obscurum, nullo comitante, cucurrit.
Cumque procul positus à venatoribus esset,
Nec iam venantum voces nec cornua posset
Latratusve audire canum; quasi fumus & vmbra
Protinus ex eius oculis euanuit ille
Deceptiuus aper, aprum si dicere fas est,
Qui tantam voluit nobis infligere plagam,
Tam subitóque suum Francis auferre Philippum,
Patri erat & Regno qui solus & vnicus hæres.
At puer ad socios cùm vellet ab indè reuerti,
Nec reperire viam potuit, nec tendere quorsum
Debeat, agnouit, nullo consorte; duobus
Continuis errans media cum nocte, diebus,
Solo se solius equi solamine solans,
Irrequieta ferens vestigia, proh timor! ibat
Per salebras partesque tuens, per deuia quæque,
Quò ducebat eum huc illuc Acrisius error.
Tristibus interea multum quæsitus amicis,
Vespere sub lucis, post tædia iusta, secundæ,

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Vix tandem inuentus, aliquando tempore lecto A
Decubuit, multa ex causa ægrotare coactus.
Horror enim & biduana fames compresserat illum
Continuusque labor, cunctisque inamabilis error.
Præteriitque dies illi præfixa sacrando.
Hæc tamen, haud dubium, tentatio contigit illi,
Vt Deus hoc casu meliorem redderet illum,
Attentumque magis curare negotia Regni.
Res etenim tanto quæ præsignitur honore,
Quam facit optari propria excellentia dignam,
Quanto differtur, quanto pertingere ad illam
Conatu grauiore datum est, hoc grauior, hoc fit
Carior, hoc studio maiore meretur amari.
„ Vilet enim qui se nullo conamine præstat:
„ Diligiturque magis res acquisita labore.
Hoc etiam facto noster confunditur hostis,
Qui bona semper amat corrumpere semina, quæ cùm
Non offerre queat, saltem differre laborat
Commoda nostra, bonis semper contrarius actis.
Nec nocet ille, nisi quantum permittitur illi B
A Domino, qui nos probat exercetque per illum,
Vt tandem victo nos tentatore coronet,
Semper & in nobis virtus exercita crescat.
Ergo necesse fuit aliud præfigere tempus,
Quo iam sanatus Rex ad diadema veniret.
Annis ante dies elapsis quatuor illos
Ipsius genitor peregrini more profectus
Orandi studio deuota mente petiuit
Ecclesiam, Thomæ qua Martyris ossa quiescunt,
Cuius virtutes totum redolere per orbem
Ille facit cuius pro nomine passus obiuit.
Rex pius ante sacrum stans Martyris ante sepulchrum
Cum lachrymis fudit has inter cetera voces:
„ Hospes sancte, tuum deuotio nostra minori
„ Exilium solata fuit, quàm vellet honore:
„ Tu tamen * Ecclesiæ pro libertate fugatus

* tantum.

„ Sanctificare meum te dignans exule Regnum
„ Septenos iustè atque piè viuendo per annos
„ Corde recepisti placito quod nostra facultas C
„ Dispensare tibi poterat, patribusque sacratis
„ Quos tecum exilio fidei damnauerat hostis.
„ Tu ficta post hæc ad propria pace vocatus,
„ Quando relinquebat tua me præsentia tristem,
„ Tu mihi dixisti, nec mens qua spiritus hospes
„ Sanctus erat, sinet effectu sua verba carere,
„ Tu mihi dixisti: Compassio, Rex pie, qua me
„ Tanquam conciui, non exule semper es vsus,
„ Muneribus qua me assiduis solatus alebas,
„ Exilio qua mille dabas solatia nostro,
„ Pectore fixa meo stat & omni tempore stabit,
„ Meque sui memorem pietas tua semper habebit:
„ Cui per vota fide me taliter obligo pura,
„ Vt quæcunque voles, quæcunque poposceris à me
„ Pro te prove tuis, nullam patiare repulsam,
„ Quando mihi à Domino fuerit collata potestas.
„ Sic promisisti, sic te mihi sponte ligasti.
„ Nunc verbi memor esto tui, nunc & locus & res
„ Exigit, vt facias quæ te tuus orat amicus,

A „Immo verò seruus tibi subditus: ecce potens es,
„Largitur Deus ecce tibi quicquid petis ipsum.
„Ecce tuis redeunt meritis ad propria sani
„Omnes infirmi, tua qui suffragia poscunt.
„Tutelæ committo tuæ, pater alme, Philippum:
„Hunc tu conserues, huius tu facta secundes,
„Huic prior esse velis causa protector in omni,
„Hunc solum commendo tibi: tu patris amorem,
„Tu tutoris agas in eum, pater optime, curam,
„Quem mihi Sanctorum meritis precibusque virorum
„Atque tuis, iam decrepito senioque labanti
„Hæredem diuina dedit clementia solum.
Quod tam sancta patris sint vota à Martyre sancto
Exaudita, sequens factum resque ipsa probauit.
Nam patris eius eum pietas, meritumque beati
Martyris adiuuit, seque ipse per omnia talem
Reddidit, vt donis dignus cœlestibus esset.
Immo sibi Sanctus proprij specialiter illum
Sanguinis vltorem elegit, statuitque per illum,
B Perque suos olim natos, radicitus omne
Patricidarum genus extirpare cruentum:
Idque viro cuidam sancto diuinitus idem
Ostendit Martyr, & eidem dicere iussit,
Certior vt fieret Domino sua bella placere.
Distuleritque vir ille, licet rem prodere visam
Omnibus his pene extinctis, bellante Philippo
Res sibimet facit ipsa fidem, factoque probatur
Martyrij vindicta ipsi commissa fuisse.
Iamque dies aderat cunctis optata Nouembris,
Quæ caput est mensis, quæ cunctis sanctificata
Iamdudum Sanctis, nunc longè sanctior extat,
In qua sceptrifero fulsit redimitus honore
Magnanimus sacro Rex delibutus oliuo,
Quo Deus angelicis manibus virtute parato
Diuina, nostris concessit Regibus vti,
Vt sacrentur eo soli specialiter illi,
Qui successiuè Francorum sceptra capessunt.
Quo maior nostri patet excellentia Regni,
C Dignior vt verè Rex noster Rege sit omni,
Quem sacrare suis Remorum Metropolites
Cum comprætsulibus habet illo crismate sacro
Hoc ad opus solum quod cœlica fudit oliua.
Hoc & non alio perfudit membra liquore
Carolidæ nostri, Guillelmus Præsul in vrbe
Remensi, patrum seruato more suorum:
Imposuitque sacrum capiti diadema verendo,
Conniuente simul Cleri Populique fauore.
Tam speciale decus Christi dignatio præstat
Nobis Francorum qui congaudemus honori.
Sic Regem nostrum sibi Rex cœlestis amicat,
Sic super exaltat terræ præ Regibus illum,
Quem facit vt solum sacra consecret vnctio cœli,
Vnguine cum reliqui sacrentur materiali.
Tunc pater eius erat annorum septuaginta,
Ad Dominum qui mox anno migrauit eodem:
Ipseque quindenum non dimidiauerat annum.
Tantum primæuo pubescens flore duobus
Mensibus adiectis septem geminauerat annos.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

A

Qui postquam solus habuit moderamina Regni,
Iam liber propria se libertate gubernans
Protinus arbitrio Domini se mancipat omni
Corporis atque animi virtute, videlicet à quo
Ipse datus fuerat specialis gloria mundi.
Primáque facta suo cupiens sacrare datori
Iudæos, quibus est odio Deus, Ecclesiæque
Lex, & sacramenta, suo priuauit amore.
Deinde relaxauit illorum debita cunctis
Qui rem debebant illis, quamcunque, retenta
Parte sibi quinta pro Regni iure tuenda.
Nam tenui censu fuerat pater, & nihil illi
A patre collatum fuerat, nisi sola potestas.
Vt qui legitimus hæres succederet illi.
Quippe pij prælarga manus genitoris in vsus
Membrorum Christi fiscum vacuauerat ære,
Et poterat totum sibi tollere, si voluisset,
Nec præiudicium super hoc fecisset eisdem,
Tanquam seruorum res & catalla suorum.
Nec mora de Regni totius abegit eosdem

B

Finibus, & nocua * Regnum putredine soluit,
Indulto miseris tamen apto tempore, quo res
Seque suosque parent ad iter, prout exigit vsus.
Tunc Synagogali cedente superstitione,
Ecclesias fecit sacrari pro Synagogis,
In quocunque loco Schola vel Synagoga fuisset,
Diuinum cultum per vicos amplificando:
Neve Dei pereat, egeant si forte ministri,
Seruitium, dotat largis loca dotibus illa.
Postea constituit & sanxit lege nouella
Per totum Regnum, ne blasphemare quis esset
Cor cerebrumve Dei, vel membrum quodlibet, ausus:
Sic, vt qui legem fuerit transgressus eandem,
Quinque quater solidos teneatur soluere Christi
Pauperibus, vel flumineas iaciatur in vndas:
Vt sic detraheret homines à præuaricando
Et reuocaretur paulatim pessimus ille,
Quo nimium prauo fœdatur Gallia, ritu,

C

Pro nihilo causaque leui, quasi dilacerando
Membra beata Iesu, vel turpiter improperando
Illi, pro nostra probra quæ tulit ipse salute.
Pulsis Iudæis, sanctóque rigore fugatis,
Dehinc perscrutari citius facit hæresiarchas
Simplicium falso qui fallunt dogmate corda,
Incautas animas occulta fraude necantes:
Qui bona coniugij reprobant, qui carnibus vti
Esse nefas dicunt, aliasque superstitiones
Inducunt, breuiter quas tangit epistola Pauli,
Omnes qui fidei saperent contraria nostræ.
Quos Popelicanos vulgari nomine dicunt.
De tenebris latebrisque suis prodire coacti
Producebantur, seruatóque ordine iuris
Conuincebantur, & mittebantur in ignem,
Ad tempus flammam passuri materialem,
Deinde gehennales passuri iugiter ignes.
Indulgere tamen Deus ipsa mortis in hora
His potuit, puro si pectore pœnituerunt,
In Cruce qui pendens legitur dixisse latroni

* *vacha.*

PHILIPPVS AVGVSTVS.

A ,,In Cruce pendenti: Iugi donabere vita,
,,Et capies hodie paradisi gaudia mecum.
Hoc illi meritum fidei, contritio cordis,
Et quæ gratuitos præcedit grauia motus,
Contulit extremo supplicanti in limine vitæ.
Sic omnes Regni fines purgauit vbique
Omnibus hæreticis, Iudæorumque nefanda
Perfidia, quorum sordescit fœnore mundus.
Nec toto poterat in regno viuere quisquam
Legibus Ecclesiæ qui contradiceret, aut qui
Catholicæ fidei non consentiret in omni
Articulo firmus, aut sacramenta negaret.
Parisij locus est, Campellos nomine dicunt,
In quo communi tumulantur corpora iure
Quotquot defungi vita contingit in vrbe.
Hic cuiuis hominum suibusque patere solebat
Spurcitiis, scopibus sordens & stercore multo,
Et, quod peius erat, meretricabatur in illo:
Et sic defunctis iniuria magna fiebat,
B Sacratoque loco, quibus est tribuendus vbique,
Præcipiente Deo, timor & reuerentia semper.
Huic Rex diuini zelo succensus amoris
Indignans fieri poliandro probra sacrato,
Corpora Sanctorum quo plura sepulta quiescunt,
Quadratos lapides circumdedit, atque politos
Ædificans muros in circuitu satis amplos,
Et satis excelsos, castris aut vrbibus aptos.
Et sic ille sacer locus est mundatus ab omni
Sorde, datusque fuit honor ex tunc debitus illi.
Dum Rex magnanimus eliminat omnibus horis
Francorum scelera scelerumque potenter amicos,
Catholicámque fidem nouus in Regni nouitate
Hæresibus pulsis stabilire per omnia gaudet,
Hebo Bituricus, & Guido Comes Cabilonis,
Imbertusque ferox, qui castrum Belli-Iocense*
Subditione sua castellaque plura tenebat,
Ecclesiæ Christi, simul Ecclesiæque ministris
Cœperunt inferre modis dispendia multis
C In patriis, vbi plus sibi quisque licere putabat.
Rex ætate puer, animo maturus & armis,
Illos spe breuius bello confecit, & omnes
Ecclesiæ pedibus submittere colla coëgit.
Tamque manu forti prædonibus institit illis,
Quod quicquid tulerant Clero Clerive colonis,
Præcedente prius emenda restituerunt.
Sic nouus ille sua Rex in nouitate suorum
Primitias operum, sic primula prælia Christo,
Ecclesiæque suæ deuota mente sacrauit.
Sic noua militiæ gaudens insignia nouit
Initiare Deo: sic tyro nouus, Crucifixi
Defensare suis patrimonia maluit armis,
Quam tyrociniis se circumducere vanis,
Pomposumve sequi famæ labentis honorem.
Sicque merebatur vt adhuc venientibus annis
Promoueat Dominus lætis successibus illum,
Tyronisque sui per prospera dirigat actus
Quod superest, signis inuisere talibus illum
Dignatus, facieque illi se ostendere nuda.

*Belliocense.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

In castro syluis Aquilina quod vndique cingit, A
Cui Sanctus nomen Leodegarius aptat,
Dum fortè audiret Missæ mysteria, vidit
Presbyteri in manibus qua sacra leuantur in hora,
Miri splendoris puerum, studioque frequenti
Angelicos ciues assistere cominus illi.
Quo viso, in faciem lachrymis procumbit obortis,
Et Domino cordis totum se mactat in ara,
Qui sua quando vult, cui vult secreta reuelat.
Sed nec de populo, qui circumstabat idipsum
Promeruit quisquam vidisse, nec ipse sacerdos.
Soli se Regi detexit mystica virtus,
Cui soli dignè poterat res tanta patere,
Vt qui promptus erat Clerum Ecclesiamque tueri,
Promptior & signo longè deuotior isto
Ad virtutis opus reliquo se accingat in æuo.
Cui de secretis fidei sic indubitanter
Constitit, vt sciret quanta virtute saluti
Consulat humanæ sua per mysteria Christus,
Quotidie patri, qui se veraciter ipsum B
Sub panis specie pro peccatoribus offert.
Quando à Catholico tractantur sacra Ministro,
Seruata Ecclesiæ forma quam tradidit ipse.
Rex sextumdecimum nondum compleuerat annum,
Ecclesiamque Dei sic tutabatur, vt omnes
Athletam Christi protestarentur eundem,
Et defensorem fidei, Clerique. Sed ecce
Plures de Regno Proceres, Comitesque Ducesque,
Æui pensantes in eo momenta tenelli,
Non animi vires, nec quo teneatur amore
Vassallus domino, vel Regi miles, eodem
Proposito conspirantes, communiter ipsum
Infestare parant, belloque lacessere Regem.
Præcipuéque Comes Stephanus, qui mœnia Sacri
Cæsaris & ditis pro magna parte tenebat
Prædia Bituriæ celebrem patientia Bacchum,
Quamuis vassallus & Regis auunculus esset,
Vtpote cuius erat soror Adela regia mater,
Indicit bellum Dominoque suoque nepoti. C
Sed qui mollis adhuc, tener, inconsultus, eorum
Mente putabatur, nec se defendere posse,
Quàm distans à re sit opinio protinus ille
Conclusit liquido, Regem se Marte probauit,
Corde senem, facto iuuenem, vi mentis adultum,
Speque sua vacui merito sensere seuerum
Quem spreuere pium: & quem vincibilem reputabant,
Intellexerunt inuictum viribus esse.
Et quem censebant æui sub lege teneri,
Inuenere nihil annis debere vel æuo.
Non procul à fluuio Ligeri Castellio castrum
Fertilibus florebat agris, cui flumen amœnum,
Hinc latus exornat, reliquum vineta coronant
Turribus excelsis, muris fossisque * superbum,
Nullius vt vires sibi diceret esse timendas:
Tunc etiam Stephanus Comes ipsum muniit armis,
Frumento, validisque viris, & milite multo.
At rapido cursu Rex festinauit, & illud
Gnauiter obsedit, cepitque vigore potenti

* valisque.

A Spe citius, captumque solo prostrauit, & iræ
Motibus indulgens radicitus incinerauit,
Vicinumque solum, missis cursoribus, omne
Prædis, agricolis, rebus spoliauit opimis.
Tunc verò Stephanus irrecuperabile damnum
Esse videns (intellectum vexatio quippe
Iam dederat) supplex vestigia Regis adorat,
Armis depositis sua reddens omnia secum
Ipsius arbitrio. Quem Rex, rancore sepulto,
Gratanter recipit, & donat amore priori.
Cuius ad exemplum reliqui quicunque negarant
Obsequium Regi, misso pro pace rogatu,
Mox ab eo recipi meruerunt corde benigno,
Semper enim primis * à componentibus illis *
Insuit hic animus, & naturalis amica
Sorte beans animum, dos dote beatior omni,
Quod quanto stantem ruit irreuocatus in hostem,
Tanto mente pia strato reuocatur ab hoste,
Vt nunquam veniam supplicanti deneget hosti.
B Qualiter irato satis est prostrasse leoni
Corpora, pugna suum finem capit, hoste iacente.
His ita compositis, & firma pace ligatis,
Transmisso Ligeri, rebus feliciter actis,
Rex redit in patriam, spatiumque per vnius anni
Terra silet, nullos bellorum passa tumultus.
Vix bene finito Dux Odo Allobrogus anno
Opprimit Ecclesias, pacemque Monasteriorum
Indignans animo turbat, Clerique quietem:
Gente potens, diues opibus, ditissimus armis,
Belligerisque viris, quos Diuio nobile castrum,
Ædua quos mittit vrbs antiquissima, plena Augustodunum.
Diuitiis, multisque tumens legionibus olim,
Romulidisque fide iunctissima, gente superba
Assiduis bellis plusquam vicina fatigans,
At modo nulla ferè raris habitata colonis,
Nobilibus vicis, vbi gaza domusque fuere
Pro gaza syluas monstrat, pro gente miricas.
C Quam Rex Arturus Romæ subduxit, eandem
Postea Noruegus euertens Rollo redegit
In nihilum prorsus, vix vt vestigia restent.
Frugifero iocunda solo nihilominus illi Bealna.
Cum multis suberat aliis vinosa Bealna
Indicens cerebris vino fera bella rubenti.
Chothia, Semuris, Flauignia, Muxis, Auallo
Terra ferax, & tota fere Burgundia diues,
Et felix si pace sui fruerentur alumni,
Eius erat patrio ditioni subdita iure:
Sic tamen, vt Regi super his obnoxius esset:
Insuper & castrum Castellio nomine, vicus
Nobilis, Allobrogum decus, & munitio Regni,
Quem fluuius medium retinenti perluit vnda
Sequana, nobilium pater instructorque virorum,
Nulla quibus toto gens acceptior orbe
Militia, sensu, doctrinis, Philosophia,
Artibus ingenuis, ornatu, veste, nitore.
Vnde timens Regem Dux præmuniuerat illum
Omnibus ad bellum rebus quibus est opus, armis
Robustisque satellitibus, cum milite multo:

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Sufficiensque viris frumentum prouidus Heros
Congerit, & farcit castellum rebus abunde,
Ne quid desit eis in toto tempore belli.
Hurdari turres & propugnacula, muros
Subtus fulciri facit, aptarique fenestris
Strictis & longis, vt strenuus arte latenti
Immitat lethi prænuntia tela satelles.
Vrget, & instanter nihilominus amplificari
Atque profundari cingentes mœnia fossas,
Nullus vt accessus pateat pugnantibus extra,
Vt parte ex omni sit inexpugnabile castrum.
Rex igitur mittit pacis monitiua benignè
Scripta Duci, suadetque malis desistere cœptis.
Dux fit ab admonitu peior, grauiusque proteruit,
Ecclesiæ damnis, nec se compescit ab ira,
Quin magis & Clerum grauet, & patrimonia Christi.
Rex sacros iterans monitus nil proficit, imò
Fortiùs accendit dum vult reuocare furorem;
Materiamque mali grauioris concipit in se
Rege malum prohibente furor. Sic fabula quondam
Ouidiana refert plus concepisse furoris
Penthea dissuasu procerum, dum tollere seruit
Orgia de medio, dum fata minantur Aceste.
In puero sperni nec se pro Rege teneri
Rex puer indignans, volat ocius agmine rapto,
Et Burgundinos festinat inire recessus,
Milite non multo comitatus. Nam grauis ira
Non permittebat satis expectare vocatos.
Et iam post tergum Campana Briennaque rura
Liquerat, & Trecas, nam Barri mœnia velox
Præterit, & Muxis infert se mœnibus hospes
Nobilis, expectans tribus agmina noctibus illic
Quinque sequebantur illum properando manipli.
Quem mora dum triduo Muxæa in valle teneret,
Innotuit certis exploratoribus illi
Quàm sit munitum Castellio, qualiter armis,
Quótque quibusque viris Dux Odo repleuerit illud.
Sed nec forma loci tantis munita decenter
Præsidiis, nec præstantissima corpora tantæ
Militiæ, castrum qui tutabantur ab intus
Illius exterret animum, quin protinus ipsum
Obsideat, subito circumdans agmine muros
Tempore quo neque nox, neque lux, sed vtrumque videtur,
Quo piger oppressos aperiri somnus ocellos
Vix permittit adhuc, quin placidissimus implet
Rore papauereo venas, puer impiger illo
Tempore circuitum castri, qui continet in se
Ingera multa soli, signis occurrit & armis,
Nec patet egressus, prodire volentibus extra
Qui non militibus foret obsitus atque maniplis.
Interea Solis aurora præambula terras
Exuerat tenebris, & lux est reddita mundo,
Ciues è stratis surgentes denique cingi
Vndique se cernunt, ascendunt mœnia, portas
Agmine confuso festinant obdere, curtes
Et pluteos humeris comportant mœnibus altis
Si qua ruina patet farcire foramina certant.
Hic labor exercet formicas quando viator

A Aut baculo pastor illas percussit: at illæ
Nunc huc nunc illuc discurrunt ordine nullo
Fragmina cellarum studio reparare frequenti
Certantes, caueis simul ebullire videres.
Haud secus obsessi mixtim per mœnia, vicos
Et plateas currunt, mirantur qualiter omnes
Tam subito potuit Rex circumcingere muros,
Vnde tot innumeris obtexere millibus, agros,
Vnde tot armatos, tam paruo tempore, quisquam
Accito potuit vno componere cœtu.
At Rex, vt nullum sibi tempus in obsidione
Perdere contingat, instat, noctúque diéque
Ipsemet imprimis animos pugnantibus addit.
Mangonellorum tormentis saxa rotantur
Ictibus assiduis, hurdicia fracta recedunt,
Et disiuncta patent per * propugnacula pinnæ,
Cratibus intextis, & parmis vndique iunctis,
Iam pede non segni fossarum summa tenentes
B Crebra cateruatim iaculantur tela manipli,
Audeat vt nullus summos ascendere muros,
Currere nec solito per propugnacula more,
Vt vel tela ferant, siue auxiliaria saxa
Quæ defensores murorum mittere possint.
Aggere complentur fossæ, murosque sub ipsos
Scalis erectis, agili leuitate satelles
Quo Rex ipse loco se munit semper in omni
More cirogrilli velox in mœnia repit.
Iam Male vicinus mira leuitate Manasses,
Iam Barrensis eques festinus in agmine primo,
Scalas ascendunt totis virtutibus vsi,
Stantque super muros victis cedentibus, atque
Agmine condenso summam prendentibus arcem,
Vt saluare queant modico vel tempore vitam;
Omnibus expositis quas tam præpinguis habebat
Vicus opes, quas militibus Rex donat habendas,
Atque satellitibus virtutis præmia dignè,
Capta sibi retinens fiscalis corpora iure.
Protinus arx ipsa breuiùs spe fracta resedit,
C Incumbensque solo patuit victore recepto,
In qua sunt capti ciues, cum milite multo,
Innumeri, sed & ipse Ducis iustissimus hæres
Cum reliquis capitur, qui postea Dux fuit Odo.
Se Dux ergo videns non posse resistere tantis
Viribus, & nato metuens quem vincla tenebant,
Proiicit ampullas, & mentis amara superbæ
Cœpta retroponit, humilis iam denique factus
Iniustámque fouens, ipso se iudice, causam
Sero recognoscit quantum deliquerit in ius,
Inque suum dominum, cui se peccasse fatetur:
Et genibus flexis sese regalibus vltro
Submittit pedibus, supplicans vt quicquid eidem
Rex velit, infligat, statuat de seque suisque
Quicquid ei placeat statuendo, vindice pœna
Infligi debere reo quam iudicet ipse.
Rex igitur, cuius pietas excedere vota
Nouerat, & merita supplicum cui corde benigno
Est propriè proprium misereri, & parcere semper,
Hostem conuersum lætis complectitur vlnis,

* propugnacla ruma.

Guillermus Barrensis.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Ac in amicitiam recipit, solitúmque fauorem. A
Reddit ei terras, vicos, & nobile castrum,
Cuncta sibi retinere licet de iure liceret,
Quæ iustis subducta Duci possederat armis.
Sed iuri præferre pius Rex maluit æquum,
Cum quibus & natum, quem vix sperauit, inemptum
Restituit: sed & antè tamen facit Ecclesiarum
Damna resarciri, quàm quicquam reddat eidem,
Quódque fidelis ei sit in omni tempore vitæ
A Duce sufficiens fit Regi cautio, missis
Obsidibus, plegiis, iuramentóque recepto.
Nec mora Bituricas exercitus ibat in oras
Vt Scotellorum * vim sæuitiámque retundat,
A quibus Ecclesiis, aut vasis Ecclesiarum,
Personisve sacris, rebusve, locisve sacratis
Nullus præstabatur honor, reuerentia nulla,
Nil iuueni virtus, puero nil debilis ætas,
Nil effœta seni, nil nobilitas generoso,
Nil toga ruricolæ, nil frocus Religioso,
Nil fragilis sexus mulieri, nil sacer ordo B
Presbytero prodest, quin decollentur ab ipsis
In quocunque loco contingat eos reperiri,
Si modo præualeant illi vel fraude vel armis.
Sed tamen antè necem multos cruciatibus iidem
Torquebant variis, aut longa morte necabant,
Vt nummos ab eis prius extorquere valerent.
Quos tamen excepit legio sic regia, quod sunt
Interfecta die simul vno millia septem,
Et quicunque fuga necis euasere periclum,
Dispersim tota regione fuere fugati,
Postmodo non ausi Regi Regnove nocere.
Terra Briensis habet castellum nomine Braiam,
In qua Iudæos plures Comitissa Brenensis,
More suo nummos dantes ad fœnus, habebat.
Contigit vt fidei nostræ confessor, agrestis
Quidam, quamplures solidos deberet eisdem:
Qui cùm non esset soluendo, contulit illis
Arbitrio Comitissa suo punire misellum,
Præcipuè quoniam Iudæis probra tulisset: C
Christi membra ferox exponens hostibus eius
Fœminea leuitate, Dei priuata timore.
Taliter expositum nudant, spinisque coronant,
Per vicos, per agros, sic spinea serta gerentem
Fustigant colaphis, feriunt, cæduntque flagellis,
Denique tractatum malè tollunt in Cruce, cuius
Hasta latus, plantas claui palmasque cruentant,
Vt Domini penè similis sit passio serui.
Quo Rex audito nimia turbatus ab ira,
Et sancto Christi zelo pia corda comestus,
In propria veniens persona, præpete cursu,
Quotquot apud Braiam Iudæos repperit omnes
Igni supposito Domini pugil incinerauit
Nonaginta nouem, flamma sic vindice, Christi
Dedecus vlciscens ignominiásque suorum.
Tempore cuiusdam guerræ, Rex prodigus æris,
Cùm res exigeret numerare stipendia multis,
Clerum Remensem petiit, scriptoque rogauit,
Vt sibi subsidium fieret, quo gratior illi

* *Coterellorum.*

Nota hic quod ad confusionem suam Clerus Remensis renuit opem Regi Philippo.

Ad

A Ad tantos vellet sumptus impendere gratis,
Vt solet Ecclesia patronos sæpè iuuare. PHILIPPVS AVGVSTVS.
Qui pro Rege suo Regi suffragia summo
Fundere cum precibus aiunt se iure teneri,
Non solidos dare, vel censum, ne postea fortè
Ecclesiæ pariant ex consuetudine damnum.
Postmodo cùm bello fruerentur pace sepulto
Rex Proceresque sui, res ardua, protinus egit
Clerum Remensem versa vice poscere Regem
Restellæ, Cocij, Comites, Dominúsque Roseti, *Regitestēsis Comes, & Codiciaci Dominus.*
Non attendentes Regisve Deive timorem,
Certatim Ecclesiæ patrimonia dilapidabant,
Damnosis populum Clerumque premendo rapinis.
Gaudet, & hoc breue Rex responsum dedit eisdem:
»Vos prece me sola nuper iuuistis, eadem
»Lege relata nunc vice prælia vestra iuuabo.
Dixerat, & scripto Comites rogat, Ecclesiarum
Vt spoliis Cleroque velint desistere damnis.
Acriùs hoc illi perstant, grauioraque damna
B Clero non cessant inferre, locisque sacratis:
Nec magnum reputant Comites à Rege rogari,
Qui minimo potuit illos compescere iussu.
Denique cognouit Clerus (vexatio quippe
Rem docuit) quanto studio quantóque labore
Debeat Ecclesia sibi quærere Regis amorem.
Summoperéque eius sibi procurare fauorem,
Quo sine defendi nequeunt patrimonia Christi,
Mox Regi supplicant & se peccasse fatentur,
Atque satisfaciunt plenè super hoc, quod ab illis
Nil tulit auxilij contrà sua bella petiti.
Protinus accingens se Rex ad bella, cohortes
In Comitum terris effundit, cogit & illos
Plurima damna pati, donec quæcunque tulissent
Ecclesiæ populis, vi compellente, coacti
Præcedente priùs emenda, restituerunt.
Vno dehinc anno belli secura quieuit
Terra, nec in toto quis contradicere Regi
Audebat Regno, guerramve mouere propinquo.
C Tam iucunda suo populum pax more beabat.
Sed tam continuæ, tam sanctæ gaudia pacis
Ferre diu nequiit sors inuida, rursus ad arma
Nos Bellona vocat. maioribus vtere velis
Nauita, maius enim pelagus tibi restat arandum.

CATALOGVS MATERIÆ
SECVNDI LIBRI.

Subiugat Atrebati Comitem Flandrósque secundus.
Victus lite Comes, ciet arma, ruitque cremando
Per patriam: sed Rex citus aduolat, & fugat illum.
Probis vi fractis Regi Comes omnia reddit.
Gaufridi post fata Ducis Regisque minoris,
Prima duos inter oritur discordia Reges.
Vxellodunum capiunt, Castrúmque Radulphi
Oppugnant Franci. Sed iam pugnare cateruis
Dispositi, redeunt ad pacis fœdera Reges.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

INCIPIT LIBER II.

A

HActenus acta leui cecinisti regia plectro,
Quæ pubertatis inito vix tempore gessit;
Nunc memorare velis, Polymnia, Flandria quanto
Iam pubescentem motu irritauerit illum,
Qua virtute animi simul * illi restiterit Rex,
Iuraque restitui sua fecerit integra fisco.
Nec taceas quibus hæc causis, atque Anglia post hanc
Magnanimi offensam meruere incurrere Regis.
Scis etenim, tibi nam dedit hoc obliuio nomen.
Octauus decimus Regi virtutibus aucto
Annus agebatur, sensúque vigebat & actu.
Flandrensis Comes interea vir magnus, & acer
Consilio, generis illustris, nominis alti,
Qui Regem puerum sacro de fonte leuarat,
Vnde suum nomen, sicut mos exigit, illi
Indiderat, quo nunc exultat Francia victrix,
Plurima quæ Regis debebant esse, tenebat. B
Nam Desiderij mons, Roia, Nigella, Perona,
Cumque suburbanis, vrbs Ambia sub ditione
Eius erant, & quod plus est, Viromannia tota:
Nullo iure, nisi quòd Rex ad tempus habenda
Hæc eadem senior dederat Ludouicus eidem,
Et puer acta patris Rex confirmauerat illi
De facili. Quid enim non impetraret ab illo,
Cuius erat tutor, didascalus, atque patrinus?
Rex super hoc semel ac iterum conuenit eundem,
Vt sibi restituat ea quæ spectare sciuntur
Ad fiscum propriè, nec Regni iura minores,
Quæ debent magis augeri de iure per illum
Qui datus est doctor illi, custosque fidelis.
Et ne deterius ob idem contingere possit,
Flectere tentabat viuis rationibus illum,
Vt quæ non sua sunt, sine vi, sine lite resignet:
Pacificisque minas verbis regalibus addit.
Nam fore se nulli manifestè clamat amicum, C
Quem re velle sua fiscum priuare videret.
At Comes hæc contra dabat allegamina Regi:
„Hæc mihi donauit genitor tuus, hæc meministi
„Te mihi regali iam confirmasse sigillo.
„His veris titulis mihi ius acquiritur in re,
„Quam repetis Regni. Nolis turbare quietem,
„Ne fiant hostes tibi qui parere tenentur.
„Non decet vt tanti sit pactio friuola Regis.
„Non decet vt Regis fiat reuocabile verbum.
„Esto quod nullum mihi ius sit rebus in istis,
„Vt loquar absque meæ præiudicio rationis,
„Possideo tamen hæc per teque tuumque parentem:
„Iusque mihi defendit in his possessio sola.
„Nam possessorem compelli dicere, quo rem
„Possideat titulo, nimis inciuile videtur.
„Nec tamem hæc nobis erat allegasse necesse,
„Cùm res à dominis licitè data sit mihi veris.
„Sic bona nempe fides, titulus sic iustus ab omni
„Excusat culpa nostri fundamina iuris.
„Nec tibi ius nescire licet, quo nemo sibi rem

* puer

A ,,Iuste collatam sine culpa amittere debet. PHILIPPVS AVGVSTVS.

Sic allegabat pro se Comes, ociùs illi
,,Rex ita respondet; Paucis tibi sic quoque verbis
,,Moliar auxilio iuris concludere multa.
,,Quod meus ad tempus genitor tibi cessit habendum
,,Perpetuare nequit præscriptio tam breuis, & quod
,,Hæc tibi me iactas iam confirmasse, vigorem
,,Quæ datur à puero possessio non habet vllum.
,,Hæc mihi sufficiunt, possum tamen addere pauca.
,,Quidam nuper erat qui, te censore, paternum
,,Restitui sibi iustitia mediante petebat.
,,Cui reus aiebat; Tibi competit actio nulla,
,,Frater, in hoc casu, quia quam tibi nunc petis à me
,,Res, concessa mihi fuit à te dum puer esses.
,,Nunc quia creuisti, repetis quæ sponte dedisti,
,,Quæ iam possedi te coram, pluribus annis.
,,Absit vt effectus tam friuola verba sequatur.
,,Te, Comes, obitum nondum reor esse, quod illi
B ,,Dixeris, aut tua quæ fuerit sententia, quando
,,Dixisti primum donum nil iuris habere.
,,Omnibus & primum hoc pariter dicentibus, & sic
,,Ille sua re, te censore, potitus abiuit.
,,Vis aliis aliud, aliud tibi dicere iuris?
,,Absit; quam tuleris legem patiaris oportet.
,,Desine plura loqui, quia si mihi prædia fisci
,,Reddere distuleris vltrà, quid iusta petenti
,,Vis cum iure queat Domino conferre, videbis,

Verba ferens grauiter Comes ista, repatriat, inde
Conuocat auxilium, ruit agmine multiplicato
Lecta manus iuuenum: nec oportet cogere quenquam,
Cùm sua quemque trahat in Regis damna voluntas.
Feruet amor belli. Communia Gandauiorum
Turritis domibus, gazis, & gente superba
Instructas armis acies bis millia dena
Et plures, propriis expensis, donat eidem.
Auxilium bello sequitur non impare fastu,
Ipra colorandis gens prudentissima lanis,
C Execranda iuuans legionibus arma duabus:
Atrebatumque potens vrbs antiquissima plena
Diuitiis, inhians lucris, & fœnore gaudens,
Auxilium Comiti tantò studiosius addit,
Quo caput & princeps Flandrensis, & vnica Regni
Sedes existit, tenuit quam tempore in illo
Comius Atrebates, quo Iulius intulit arma
Gallorum populis. Nec Brugia defuit illi
In strepitu tanto, quin pluribus adiuuet illum
Millibus, in bellum fortissima corpora mittens.
Brugia quæ caligis obnubat crura potentum:
Frugibus & pratis diues, portúque propinquo.
Dan quoque villa nocens, Dan verè nomine, Dan re,
Dan olim nostris damnosa futura carinis,
Adiuuit nostros bello pro viribus hostes.

Insula postellos nihilominus exerit arma
Hostica, non paucas arma in bella phalanges.
Insula villa placens, gens callida lucra sequendo:
Insula, quæ nitidis se mercatoribus ornant,
Regna coloratis illuminat extera pannis,
Vnde reportantur solidi, quibus illa superbit.

Philippus Augustus.

Insula magnanimo male fida futura Philippo
Proditione sua: tamen in sua damna ruerunt,
Dum pro Ferrando sua mœnia versa recepto,
Turritasque domos viderunt incineratas,
Seque capi, perimique simul sub milite Franco.
Nec minus & Sancti populus venerator Homeri*
In Comitis partes iuratus millia multa
Mittit ei iuuenes clara virtute coruscos,
Cum quibus Hedinum, Grauelinga, Bapalma, Duacum
Diues, & armipotens, & claro ciue refertum,
Indignata capi numero dant agmina bellis.
Sed nec Ysangrinos cum Belgis, & Bloctinos
Rixa vetusta tenet, intestinique furores
Se quibus infestant, alternatimque lacessunt.
Quin iurata ruant in prælia, Francigenisque
Dum pugnant, veteres iuuat intermittere pugnas.
Quid moror hæc referens per singula? Flandria tota
Vltro belligeros in prælia trudit alumnos,
Vtpote qui Francos odere latenter, & ipsos
Infensos Regi Comitis noua fecerat ira.
Flandria gens opibus variis & rebus abundans,
Gens intestinis sibimet damnosa ruinis,
Parca cibis, facilis expensa, sobria potu,
Veste nitens, membris procera, venusta decore,
Splendida cæsarie, vultu rubra, candida carne,
Innumeris piscosa vadis, & flumine multo
Fossatisque vias ita præpedientibus, vt vix
Introitus pateat, venientibus hostibus, extra
Tuta satis, si bella sibi ciuilia desint.
Frumento quam ditat ager, naualia merce,
Lacte pecus, butyris armentum, piscibus æquor,
Arida gleba foco siccis incisa marescis.
Raris sylua locis facit vmbram, vinea nusquam
Indigenis potus, Tethidi miscetur auena,
Vt vice sit vini multo confecta labore.
Rebus & ornatu diuersa colore refulgent
Agmina, crispantur vexilla mouentibus auris,
Arma repercusso duplicant sua lumina Phœbo.
Territat horrisonus aures innitus equorum,
Puluerulenta terunt pedibus sola, puluere pensant
Aëra, vix etiam pressis retinentur habenis,
Quin equites rapiant cursu per inane rotato.
Ordine composito gradientibus vndique turmis,
Corde sub angusto vix iam sua gaudia claudens
Sæuit atrox in bella Comes, victorque videtur
Iam sibi: præsumit tam multis millibus arma
In sua iuratis, bellumque volentibus vltro
Ipsum vel facili Regem iam vincere pugna,
Vel pro velle suo tali sibi pace ligare,
Quòd rebus nihil amittat de litigiosis.
Iamque leonino rictu bacchatus in hostem,
Ardet & absenti iamiam confligere Regi.
Impete mox vasto Corbeiæ mœnibus agmen
Applicat, & primo fortuna dante fauorem
Impetui vallum, quod erat munitio prima,
Vt capit, fractis muris incendia miscet.
Omnia confundit, iræ permittit habenas,
Diffugiunt ciues, & se secura receptant

** Audomari*

Flandriæ status.

A B C

A In loca, consilium prudens prudenter adepti.
»Cedere nempe docet, currenti Naso furori.
Opposuit medium flumen natura fluentum
Qui burgum vallo disterminat exteriori.
Hic obstat Comiti, ne vires transferat vltra;
Tam bona ne pereat sub eodem villa furore,
Cedat & indigno victoria tanta repente.
Tunc Comitis votum spes intercepta fefellit
Et fortuna pedem retro dedit, obice paruo.
Ciuis enim cautus pontes iam ruperat omnes,
Damnis damna cauens, maiora minoribus, vt se
Castoreus propriis ementulat vnguibus ipse,
Ne perdat totum, malens amittere partem,
Ignoto nobis naturæ munere doctus
Non instare sibi pro se venabula, nec se
Corpore pro toto venantibus esse petendum,
Sed pro parte sui cui scit medicamen inesse.
Continuo fessi metantur castra sub ipso
Vespere per ripas latéque patentibus aruis,
B Oblatísque cibis, & somno corpora curant.
Sic obsessa fuit multis Corbeia diebus
Magnanimóque fit hæc res denique nota Philippo.
Dum parat ergo Comes acies transferre per amnem
Vt magnum turmis cingentibus vndique burcum* *id est, burgum
Impiger obsideat, missis à Rege maniplis
Ac equitum cuneis*, castrum munitur & armis, *al. turmis,
Et rebus; quibus obsessis audacia crescit.
Exultant ciues, Comitísque furentibus extra
Agminibus, vires & bella frequentia miscent.
Nil ita proficiens Comes, & non absque pudore
Inde recessurus, equites qui posteriora
Agmina conseruent, ne prodeat hostis, & ipsis
Vulnere damnifico, tanquam fugientibus, instet,
Cautè disponit, ac præcedentibus ipse
Addit se socium turmis cum milite multo,
In medio ponens fretos virtute minori
Cum plaustris & equis, honoratis rebus & escis.
Tali quippe volunt distingui castra tenore.
C Deuastans igitur à dextris atque sinistris
Omnia, trans Ysaram pernicibus aduolat alis.
Nec cessat populos populari, ducere prædas,
Incinerare domos, in vincula trudere captos,
Syluanectensem donec peruenit ad vrbem.
Quanquam non potuit subitò penetrare sub ictu
Defensam muris & gentibus. omne quod extra
Muros inuentum est, perimit, capit, abstrahit, vrit,
Vt pars non maneat illæsa diocesis vlla.
Domni-Martini Comitem nil tale timentem,
Cuius erat nomen Comes Albericus, ab ipsa,
Dum prandet, mensa leuat, ac ita terret, vt acto
Postico fugiens, vix se subduxerit illi.
Nobile castellum rebus spoliatur opimis,
Totaque planities, quæ castro subiacet illi,
Tam speciosa bonis, tam diues, tam populosa,
Flandrorum libitu ferro vastatur & igni.
»Nil, ait, est actum, nisi Flandro milite portas
»Parisius frango, nisi paruo ponte dracones,
»Aut medio vici vexillum pono Chalauri.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Dissuadent proceres mentis concepta malignæ. A
Quippe timent Regem qui iam properabat*, & ipsis
Affectabat in his vires opponere planis.
Ergo ne Comiti damnosa superbia forte
Ista foret, lituis clangentibus vndique cogunt
Agmina per patriam passim currentia totam,
Bestisiumque petunt, obiter nihilominus omnes
Prædando villas, solitoque furore cremando.
Dum noua Bestisios perterritat vndique muros
Obsidio, votoque Comes suspirat inani,
Tempore tam paruo tam forte retundere castrum,
Syluanectensi Rex agmina fundit ab vrbe:
Ad quam cùm multis cursu properaret anhelo,
Nil cupiens nisi quod Comes expectaret, & ipsi
Iudice fortuna bellum committere vellet.
At Comes infecta festinus ab obsidione,
Pulueris indicio certus de Rege propinquo,
Per Quisam fugiens, comitante pudore, recessit.
Iamque fatigatis fugiendo per inuia turmis
Cùm saltem modicæ foret indulgere quieti B
Vtilius, fessosque cibis refouere Quirites,
Chosiacas vltor temerarius obsidet arces.
Mox tamen inde fugit aduentum Regis abhorrens,
Speque sua vacuus Flandras secessit in oras.
Rex dolet ereptum Comitem sibi, frendit, & iræ
Occultare nequit fractos* suo pectore motus.
Nam rubor in vultu duplicatus prodit apertè
Quàm grauis illustrem trahit indignatio mentem.
Qualiter in Lybicis spumante leuncula rictu
Saltibus, vngue ferox, & dentibus asper aduncis,
Fortis & horrisonos anno iam pene secundo,
Cui venatoris venabula forte per armos
Descendere leui stringentia vulnere corpus.
Colla rigens hirsuta iubis, desæuit in hostem
Iam retrocedentem, nec eum tetigisse volentem,
Cùm nihil ex facto referat nisi dedecus illo.
Nec mora, nec requies, quin iam deglutiat ipsum,
Ni prudens hostis prætenta cuspide scuto
Vnguibus obiecto, dum dat vestigia retro, C
In loca se retrahat non irrumpenda leoni.
Sic puer in Comitem Rex debacchatur, & ipsum
Subsequitur presso relegens vestigia gressu,
Quem quia sublatum fato sibi vidit iniquo,
Quem tutabatur totiens fuga tutior armis,
Propositum mutans fines subit Ambianenses,
Vt Comitis manibus tam claram liberet vrbem,
Quam munire Comes contra præsumpserat ipsum.
Multaque castra quibus vrbs circumcluditur ipsa,
Ne quis de facili vires perducat ad ipsam
Ni priùs illa solo studeat prosternere castra.
Inter quæ castrum Bobarum nomen habebat
Clarius, & titulis, & gente situque decorum,
Turribus & muris, fossis, valloque superbum,
Cui præerat Comitis iuratus in arma Radulphus
Hugonis genitor, qui Regi postea bellum
Cum reliquis mouit, Regni patriæque nefandus
Proditor, vt digna premeretur denique morte
Victus, & à bello fugiens, quem misit humandum

* parabat,

* rectos

A Neptuno rabie ventorum naufraga puppis.
Certus erat Bobas Regem transire Radulphus, — PHILIPPVS AVGVSTVS.
Vnde tumens animis & spe sublatus inani,
Castrum militibus multoque satellite tutum
Efficit, atque cibos superaggerat * intus, & arma: — * aggregat
Ausus ab ingressu primos arcere maniplos,
Atque ipsi portas venienti claudere Regi.
Rex vbi Bobarum sibi mœnia nolle parere
Audiit, exultat, & se gaudere fatetur
Inuenisse viam, qua vires exerat, & rem
Præconcepta diu virtus producat in actum.
„Quæ nisi se factis exerceat, arida marcet,
„Nec se prodit, vbi præsentem non habet hostem:
„Si verò fuerit exercita, crescit, & auget
„Fructus ipsa suos, quos donat amantibus ipsam.
Curritur ad vallum, pedites cum milite, quorum
Corpora tuta latent scutis protecta sinistris
A iactu lapidum, & mortem præeunte sagitta,
Ascia dum dextris, bisacuta securis, & ensis
B Fulgurat, & lorica latus præmunit vtrumque.
Ac velut in sylua lignorum, protinus ipsas
Excidere fores, vallum mox ocius omne
Deiecere solo, fossataque summa tenebant,
Quæ sola impediunt ne muri suffodiantur.
Interea pluuiæ vel grandinis instar ab intus
Infestant lapides & missile quodlibet illos,
Quos incessanter hostes iaculantur ab alto.
Francigenis nostris illis ignota diebus
Res erat omnino quid balistarius arcus.
Quid balista foret, nec habebat in agmine toto — Balista.
Rex quenquam sciret armis qui talibus vti.
Vnde magis promptus, & ad arma paratior omnis
Miles habebatur, dum pugna sit intus & extra.
Hic se defendit, hic enim oppugnare laborat.
Dedecus hic Regis vlciscitur, ille tueri
Contendit patriæ famam, dominique, suamque.
Sic neuter dubitat, hic ne vincatur, at ille
Vt vincat, pugna totas effundere vires.
C Cratibus interea, pluteis, & robore crudo
Murilegus struitur, sub quo secura lateret,
Dum studet instanter fossas implere, iuuentus.
Fossis tam plenis parmas ad mœnia miles
Appodiat, sub eisque secare minarius instat
Celtibus & piccis imi fundamina muri:
Et ne forte cadens super illos murus ab alto
Sternat, & indigna concludat morte cauantes.
Fulcitur breuibus truncis lignisque rotundis
Pendula pars muri, quæ desuper imminet illis.
Sic vltra medium tutus cauat vndique murum
Fossor, & vt vidit sibi iam satis esse cauatum,
Ignibus appositis prudens in castra refugit.
Sæuit, &, absumpto penitus fulcimine, murum
Vulcanus prosternit humi. cum puluere fumus
Eripiunt oculis solem: quo denique viso
Obsessi fugiunt, sed non indemniter omnes.
Nam iuuenum ferrata manus per fragmina muri,
Per fumum flammamque ruunt, multosque trucidant,
Et multos capiunt, multos fuga saluat in arce,

Quam duplici muro rupes facit ardua tutam. A
Machina confestim vario fabricata paratu
Surgit, & innumeris irritat iactibus arcem.
Nunc Mangonellus, Turcorum more, minora
Saxa rotat, nunc verò minax Petraria verso
Vi iuuenum multa procliuiter axe rotatur
Retrogrado, tractis ad terram funibus acta
Damnificos funda fundit maiore molares
Incircumtusos, & magni ponderis vt vix
Tollatur manibus bis quatuor vnus eorum;
Quali dextra Iouis iacit ira fulmen in hostes
Terrigenas, si quando volunt Diis bella mouere.
Et iam rima patet per muros plurima, iamque
Per loca plura tot ictibus arx illisa fatiscit.
Hoste fatigato dum se defendit, & vltra
Non nisi rarus erat qui muris staret in altis,
Omnibus ad tutas fugientibus vltro garittas.
Dum Rex magnanimus arcem confundere summam
Taliter accelerat, dum vires viribus addit.
»Ecce recollectis Comes vndique viribus, Assum, B
»Clamat, & oppono tibi me pro ciue tuendo.
»Viuere permittas obsessos. Viribus aude
»Te conferre meis. Quæ gloria vincere paucos?
»Maior erit, multoque magis speciosa tibi laus.
»Tot simul in plano confligere cominus vno,
»Ictu fortunæ litem fac terminet ensis.
»Cui fortuna dabit & virtus vincere, vincat.
Talia vociferans Bobis expellere Regem
Posse putans, leuium verborum callidus astu
Non procul à Regis castris sua castra locare
Præsumit, verùm Rex indignatus apertis
Emicuit castris, correptis impiger armis
Quam Comes obtulerat auidus committere pugnam.
Vesper iam sero, iam sole sub æquore merso,
Illico Guillelmus volat Archiepiscopus ille
Nobilis, egregia qui clarus origine, clarum
Nobilitate genus animis geminabat, eorum
Vnus, Apostolico quibus est à Cardine nomen,
Reginæ frater & Regis auunculus, is se C
Obiicit ardenti, bellique calore furenti.
At reliqui proceres & præcipue Theobaldus
Præsulis eiusdem frater, cui Belsia tota,
Cui Blesense solum suberat, Dunenseque castrum,
Et spatiosa nimis regio, castellaque plura;
Vrbs quoque Carnotum, quam ciuis tam numerosus,
Tamque potens clerus, & tam prædiues opimant,
Ecclesiæque decus, cui stemmate, mole, decore
Iudicio par nulla meo reperitur in orbe.
Quam, quasi postpositis specialiter omnibus, vnam
Virgo beata docet Christi se mater amare
Innumerabilibus signis gratosque fauore,
Carnoti dominam se dignam sæpe vocare:
Cuius & interulam cuncti venerantur ibidem,
Qua vestita fuit cùm partum protulit agnum,
Qui mundi peccata tulit, qui sanguine mundo
Mundum mundauit à primi labe parentis:
Qui thronum mundum sibi sanctificauit eandem,
Sic vt virgo manens matris gauderet honore.

A Hi duo præ cunctis, zelo maiore, benignis
Corripiunt monitis, & amico famine Regem:
» Inclite Rex, bellum tempus non exigit istud.
»Non debet Rex tam validus confligere cuiquam
»Tempore sub noctis, prius est disponere turmas
»Militibus, dare præpositos, aliisque maniplis:
»Vt quem quisque locum teneat, quis quemque sequatur,
»Absque errore sciat, castrensis vt exigit ordo.
»Rex bone, ne faxis, ita te ne spreueris, vt qui
»Innumeris solus præferri millibus, optes
»Ordine tam lapso, caput obiectare periclis.
»Cras potius pugnare decet sub tempore locis,
»Quo quis ab hoste suum discernere possit amicum:
»Non de fortunæ temerè confidere vultu,
»Sed virtutis opus certis præsumere signis.
» Absit, vt incipiat hosti dare Francia causam
»Lætitiæ, vel se dubiis committere fatis,
»Quæ semper victrix felicibus extitit actis,
»Colla superborum calcans virtute potenti.
B Talibus alloquiis vix iram flectere Regis
Vix retinere queunt, & vix in castra reducunt.
Talis Alexander castigabatur ab omni
Milite, cùm medios muro se incitit in hostes,
Vnde fuit paucis vix succurrentibus hosti
Vt raptu, multo perfusus membra cruore.
Postquam nota fuit tanta indignatio Regis
Attrebatæ Comiti, metuit sibi, castraque velli
Imperat, vt totus exercitus exeat vltra
Amnis aquas. parent Flandri, tentoria vellunt,
Transque meant flumen, & ibi sua castra locantes
A castris Regis procul è regione steterunt.
Protinus eiusdem noctis sub tempore scriptis
Et prece sollicitat Guillelmum cum Theobaldo,
Vt prudenter ad hoc studet inducere Regem,
Quorum doctor erat & auunculus eius vterque,
Quòd concedat ei treugas saltem octo diebus.
Quas simul obtinuit illis mediantibus, in se
C Fastu deposito tandem Comes ipse reuersus,
Armis proiectis Regem submissus adorat,
Cunctaque restituit, quæ Rex repetebat ab illo,
Vtque suo domino fuit ex tunc subditus illi.
Pace reformata redeunt ad propria læti,
Ille quòd obtinuit fisco sua prædia reddi,
Is quia restitui meruit sibi Regis amorem
Amissumque diu placita cum pace fauorem.
Nec damnum reputat, vbi quæ non sunt sua perdit.
Sic regio qua lata patet Viromanica tota
Ambianensis humus pariter cum Santeriensi,
Vbertate soli Regi cessere Philippo.
Tempus erat quo iam falx pratis curua minatur,
Quo seges in culmen prodit, cùm flore cadente
Spica parat tenerum de se producere granum:
Tunc damnosa magis fit conculcatio messis.
Sed tamen in campis tenuit quibus obsidionem
Rex circa Bobas, rediuiua renascitur omnis
Conculcata seges, & multo fertiliore
Quàm prius ornat agros specie, granaria fructu.
Ast vbi Flandrorum manserunt agmina castris

Nulla ſeges viruit, totoque refloruit anno. A
Sic ſcit ab iniuſtis Dominus dinoſcere iuſtos.
Sic Deus à falſo nouit diſcernere verum.
Sic differre ſuos ab amicis redocet hoſtes,
Cultoreſque ſuos ſignis demonſtrat opertis.
Claſſica per vicos reſonant, per caſtra, per vrbes
Regis in occurſum Clerus cum plebe feruntur:
Quanta foret mentis iubilatio, voce canora,
Et lætabundo plauſu, veſtiſque nitore
Teſtantes, laudeſque Dei gratanter agentes,
Cuius tam facilem pietas immenſa triumphum
Contulerat Regi, ſine vulnere militis vllo,
Et ſine conflictu quo corpora clara virorum
Communi damno Regni luctuque parentum,
Vt fieri ſolet in bello, potuere ſub ictu
Fortunæ dubio, damnoſo funere mergi,
Qui melius patriæ viuunt, & gaudia Regno
Cognatiſque ſuis claris virtutibus addunt.
Nos alia ex aliis referenda ad bella vocamur,
Themaque prolixum res geſta propinat & vrget; B
Vt poſt bella ſtilus ſe Flandrica vertat ad Anglos.
Iam poſt bis denos effluxerat vnus & alter
Annus Carolidæ, quem iam Regina parentem
Nobilis Eliſabeth Ludouici fecerat ortu.
Rex verò iuuenis Henricus clara propago
Anglorum Regis, dum patri bella moueret,
Germaniſque ſuis, ſub eodem tempore ſoluit
Debita naturæ, Margaritamque Philippi
Germanam Regis viduam triſtemque reliquit,
Poſtea quæ Belæ fuit vxor tradita Regi,
Hungros, Dalmatios, Pannonitaſque regenti:
Ex qua cùm proles primo ſuſcepta marito
Nulla eſſet, bona quæ ſuus illi ceſſerat olim
Nubenti genitor, Giſortum, & prædia multa
Rex ferus Anglorum violenter adeptus, eidem
Reginæ fratríque ſuo debere negabat
Reſtitui, dicens in re ſibi ius aliena.
Nec mora Gaufridus eiuſdem natus, in ipſum
Patrem dira mouens reliquis cum fratribus arma, C
Campellis moriens viduauit ſe duce fines
Armoricos Britonum. ſic in genus illud apertam
Incipiente Deo vindictam reddere morti
Martyris egregij Thomæ, quem dirus eorum
Occidit genitor conſtanti morte volentem
Canonicus Regem, Clerum, Eccleſiamque ſtatutis.
Pictauuſque Comes eiuſdem regia proles
Nomine Richardus, titulis vir clarus & actis,
Cui mox defuncto primogenitura parente
Regia ſceptra dedit, nullo mediante, Philippo
Eſſe tenebatur homo ligius atque fidelis,
Et tanquam domino iurando iure ligari,
Reddere ſeruitium quod ius feodale requirit.
Quod pater illius fieri prohibebat, & illum
Subdere ſe Regi nulla ratione ſinebat.
Intumuit ſuper his virtus inuicta Philippi;
Indigneque ferens ſibi debita iura negari,
Cum minimè deceat tam claræ ſtirpis alumnum
Iure ſuper proprio tot ſuſtinuiſſe repulſas,

A Arma parat, verbisque putat turpe amplius vti.
Regis ad edictum coeunt in bella Quirites, PHILIPPVS AVGVSTVS.
Cumque satellitibus equites, Proceresque, Ducesque
Sponte ruunt, quos Regis amor natiuaque virtus
Exacuunt potius vitæ in discrimen ituros.
Non vis vlla trahit; aut iussio, tantus inescat
Bellicus ardor eos ad honorem vincere Regis.
Rex vbi collectas ex omni parte cohortes
Vnanimi bellum voto præsumere vidit,
Et desiderio vehementi cingier armis,
Biturica cursu facili digressus ab vrbe
Radulios penetrat fines, & nobile castrum
Vxelloduni sibi subdit in impete primo,
Cum patria tota tam diuite, tamque potenti
Vt sibi sufficiat, nec sit mendica bonorum
Multa quibus regio se lamentatur egere.
Copia quam Cereris ditat, quam Bacchus inundat,
Qui comportari desiderat inde remotas
B In partes quantoque magis portatur, eo fit
Fortior, & temerè potatus inebriat omnes
Qui dedignantur Thetidem sociare Liæo.
Postea Crazaium castellaque plurima frangens,
Villas & vicos populis opibusque repletos
Depopulans, Castrum peruenit ad vsque Radulphi.
Clauduntur portæ, iuuenes in mœnia scandunt,
Seque ferunt morti succumbere malle, tuenda
Pro patria, quàm se sine bello dedere victos.
Rex è conuerso pugnæ se accingit, & omnem
Conatum impendit, & vires viribus addit,
Possit vt extructo clausos excludere* claustro: * educere
Vixque moras tolerat quibus instrumenta parentur.
Turribus & muris nimis altas atque profundas
Fossis interior burcus securus ab omni
Hoste videbatur, & inexpugnabilis esse,
Nempe potens armis, & multo ciue superbus,
Præter eos quos Rex Henricus miserat illis,
Auxilium, donec properantius afforet ipse.
C Rex tamen audet eos ex omni claudere parte,
Nec bellatorum numerus quibus interiorem
Summopere cura incumbit defendere burcum,
Nec situs ipse loci, nec turbo missilium qui
Grandinis in vernæ morem descendit ab alto,
Terret eum, nec Rex quem festinare sciebat,
Quin expugnet eos, instans noctuque dieque,
Vinea construitur, testudo texitur, vt sub
Illis tuto latens muri queat ima subire
Fossor, & erectis ipsum succidere parmis.
Grandia saxa graui petraria ducta rotatu
Emittit crebris aries compulsibus actus.
Fronte ruit summas ferrata frangere portas,
Cratibus & lignis rudibus belfragia surgunt,
Turribus alta magis & mœnibus, vnde valerent
Agmina missilibus telisque quibus liceat vti
Deuexosque hostes facili prosternere iactu.
Nec tamen interea cessat balista vel arcus:
Quadrellos hæc multiplicat, pluit ille sagittas.
Funda breues fundit lapides, glandesque rotundas.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Aptantur muris scalæ, leuibusque satelles
Passibus ascendit, sed dum nimis acceleratur, A
Multi labuntur, multisque tenentibus vnca
Mœnia summa manu multa virtute resistit,
Dum sibi, dum patriæ pugnans cauet hostis ab alto.
Nunc contus, nunc claua caput, nunc vero bipennis
Excerebrat; sed nec bisacuta, sudisve, vel hasta,
Occia, vel gladius ducit; furit intus & extra
Irreuocata ruens extrema in fata iuuentus.
Talia dum dubio sub martis agone geruntur,
Ecce Comes Richardus adest, genitorque suus, quos
Innumerabilibus stipabant agmina signis,
Nec procul à Regis figunt tentoria castris.
Mox dictata breui scribunt hæc famina Regi:
» Integra vel nobis patrimonia nostra relinques
» Cumque tuis Francis citus in tua iura recedes:
» Vel, quæ sit virtus in bello nostra, videbis.
» Nil medium. pugnare quidem vel abire necesse est.
» Cessent cursores, cesset pequichinus, & ignis
» Terminet vna dies longæ certamina litis, B
» Ius à non iusto dirimat fortuna manusque.
Hæc oblata nimis Regi placet optio; cœptum
Intermittit opus. acies ad prælia certo
Ordine disponit, vt subsit quæque tribuno
Scala suo, turmæque suus sit cuique magister:
Ne quisquam dubitare queat, quis obediat, aut quis
Imperet, aut cuius vexillum quisque sequatur;
Vel quot quisque viros habeat sua signa sequentes.
Vnusquisque suas acies dux instruit, vt sint
Ad bellum prompti, nilque illis desit eorum
Quæ pugna exposcit, cum pugnæ venerit hora.
Iam stabant acies modici discrimine campi
A se distantes, & mens erat omnibus vna
Conatu toto totas expendere vires,
Vincere vel vinci, nec erat vox vlla sonusve
Inter eos, expectabant dum buccina sæuum
Perstreperet, signum clangens in fata ruendi.
Sed Deus in cuius manibus sunt corda potentum,
Semper in articulo positos qui respicit, vt qui C
Cùm magis iratus fuerit, memor est misereri,
Noluit hac tantos inuoluere clade potentes,
Qua licèt immeriti poterant occumbere multi.
Nam mox Richardus Comes & pater eius ab illo
Tacti, qui mentes conuertere nouit & actus
In melius pro velle suo, procul arma minasque
Eiiciunt, humilique gradu, ceruice repressa,
Accurrunt, manibus protensis, poplite flexo,
Atque suum pacem Dominum veniamque precantur,
Omnes excessus mox emendare parati.
Annuit, & gaudet sine bello victor haberi
Rex pius, & veniam dat eis pacemque rogatam,
Vxseloduna sibi retinens sola pacis in arram.
Pacis vallantur iurando fœdera iure
Et pœna, quam qui pacem violauerit, ausu
Quolibet incurrat, & soluere debeat vltro.
Discedunt læti Proceres, patriamque reuisunt
Quisque suam; gratesque Deo cum laudibus omnis

Cum

A Cum Clero populus, cum milite ciuis agebant.
Hic requiem tibi Musa velis parare secundam,
Fortius vt cursum curras qui tertius instat.

CATALOGVS MATERIÆ TERTII LIBRI.

Tertius euerti Solimam dolet à Saladino.
Se cruce consignant Reges, sed lite suborta
Inter eos, iterum capit oppida multa Philippus.
Gisortum fugit Henricus, qui pace negata
Se vinci, cædique suam dolet anxius vlmum.
Vlcisci se deinde parat, iuxtaque Medontam
Pictauus pugna dum Barras vincere tentat,
Victus abit. Qui mox deserto patre, Philippum
Transuolat ad Regem, sibi sponsa à patre negata.
B *Vi Turonum frangit Cenomanumque Philippus.*
Pax fit, & Henrici finit se in fine libellus.

INCIPIT LIBER III.

INtellectus hebet, ratio caligat, abhæret
Fauci lingua, manu calamus languente stupescit,
Voti non meminit mens carminis immemor, ori
Subtrahit assueti cor flebile neumatis ausum,
Dum nequit amisso lamenta negare sepulchro.
Quod nostris Dominus culpis offensus, eodem
Sicut & placuit, Idumæis tradidit anno,
Passus vt Ægypti Syriæque tyrannus & vrbem
Sanctam destrueret Saladinus, & ipsius ipsum
Sacratæ lignum crucis asportaret, & omnes
Christicolas perimens terram pessundaret omnem,
Quam Deus almifluo sacrauit sanguine nati
Quando mori voluit pro mundi vita salute.
Compatiens igitur Rex miti corde Philippus
Damno communi malè quo loca sancta videbat
Tractari, cultumque Dei decrescere, totis
Visceribus doluit, Domini se velle sepulchrum
C Visere proponens, quantoque cor illius igne
Ferueat interius, signo notat exteriori.
Nec minus Anglorum zelo Rex motus eodem
Richardusque Comes vexillo se crucis armant.
Exemplo quorum Proceres, Comitesque, Ducesque,
Ordoque Militiæ minor, Ecclesiæque ministri,
Et multi de plebe viri, non impare voto,
Signo se signare crucis properanter auebant.
Par desiderium cunctos habet, vnica mens est
Omnibus, vnus amor sanctæ succurrere terræ.
Non tulit hæc inimicus homo, qui semper amaro
Felle tumens, pacis studet exturbare quietem:
Omni qui studio sacrum corrumpere semen
Gestit, & in Domini zizania seminat agro.
Cuius ab instinctu lis orta repullulat inter
Richardum rursus Comitem Regemque Philippum.
Nempe ferox vrbem Tholosanam inuaserat iste
Iniusto Comitem Raymundum marte lacessens,
Qui Sancti Comes Ægidij Tholosæque vocatur,
Qui Regi suberat feodali iure Philippo.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Quem cùm non posset monitis compescere, bello A
Appetit, & multo comitatus milite, rursus
Rex in Bituricas sua dirigit agmina partes,
Atque capit mira Castrum leuitate Radulphi,
Et Buzancaium leuitate expugnat eadem,
Argentonque audax simul obsidet, atque Lebrosum,
Et breue, vi summa, capit infrà tempus vtrumque.
Dumque moraretur ibi Rex, afflixit aquarum
Agmina penuries riuos siccauerat omnes
Sol nimius; sed nec virtus diuina Philippo
Defuit, immò suo dignum monstrauit amore.
Torrens plenus aquis hyemali tempore quidam
Esse solebat ibi, sed tunc iam tempore multo
Siccus erat, quem sic plenum ros missus ab alto
Reddidit, vt flueret per valles gurgite vasto
Æstiui contra naturam temporis, vndas
Eructans nimias, qui lucidus atque profundus, B
Agminibus potum dedit & iumenta refecit.
Se rapit inde gradu propero, Montemque Tricardi
Obsidet, & multum consumit temporis ante
Quàm capiat, quia vis natiua locique per arctos
Ducta gradus series, summo murata labore,
Municipumque manus fortissima, præpediebat,
Quo minus ille breui locus expugnabilis esset.
Quo demum capto, Rex totam funditus arcem
Euertit, capiens equites quater octo decemque,
Et bellatores alios quasi pene trecentos.
Hinc Montem-Luzonis adit, nec fræna retorsit,
Donec tota fuit Aluernia subdita Francis.
A cuius facie Rex Anglicus inde refugit,
Inque Neüstrinos abijt fugiendo recessus.
Quippe sequebatur illum Rex præpete cursu.
Quem tamen impedijt, ne consequeretur eundem,
Vindocinum, quod ei portas aperire negauit.
Castrum forte nimis, populosa gente repletum,
Quod Lidericus aqua subterfluit amnis amœna.
Cui tamen haud prodest quicquam munitio ducta
Circuitu triplici, nec tantæ copia gentis C
Quin vi cogatur libito se dedere Regis.
In quo Rex equites captos in vincula trusit
Sexaginta duos, arcem murosque tuentes,
Roberti Comitis Mellenti signa secutos,
Qui tunc Richardi Comitis miser arma iuuabat:
Tam dulcis patriæ desertor, tamque potentis,
Quæ generat Bacchum superis dare pocula dignum.
Iusta tamen ducebat eum pro tempore causa,
Cùm foret Anglorum feodali iure ligatus
Regibus atque viros illis deberet & arma,
A quibus & villas & plurima castra tenebat.
Vnde nec admiror, cùm sic obnoxius illis
Esset, si parti pro posse fauebat eorum,
Quamuis à nostro Comitatum rege teneret.
Bolonium verò Comitem, qui vincla Peronæ
Expertus, celsa modo squalet in arce Guleti,
Squalebitque diu, quem causa trahebat vt illo
Tempore Ricardum Comitem sequeretur, & Anglos,
Ipsis nullius fundi ratione ligatus?
Iam tunc fortuna quæ postea contigit illi

Velle

A Velle videbatur quod ei contingeret olim.
Vindocino capto Regisque in iura recepto,
Gisortum petijt cursu Rex præpete, Regem
Quò fuga contulerat Anglorum, qui tamen illum
Concilium de pace rogat. Datur ergo dierum
Treuga trium, qua pacis agant de fœdere partes.
Haud procul à muris Gisorti, qua via plures
Se secat in partes, prægrandi robore quædam
Vlmus erat visu gratissima, gratior vsu
Ramis ad terram redeuntibus, arte iuuante
Naturam, folijs vberrima; roboris imi
Tanta mole tumens, quòd vix bis quatuor illud
Protensis digitis circundent brachia totam,
Sola nemus faciens tot obumbrans iugera terræ,
Millibus vt multis solatia mille ministret:
Quæ gremio viridi vestito gramine fesso
Grata viatori sessoria præstat, & omnem
Introitum villæ spacio specieque decorans,
B In biuio portæ per quam Mons-Caluus aditur,
Tutos à pluuia spatiantes reddit & æstu.
Syrius ardebat solito feruentius & sol
Altus agebat equos, duplicatáque solis ab æstu.
Findebat siccos Iouis intolerantia campos.
Rex igitur Francus astantibus vndique Francis
Camporum in medio solem tolerabat & æstum.
Rex vero Anglorum gelida residebat in vmbra,
Atque sui patula proceres vtrinque sub vlmo,
Dum redit, itque frequens ab eis interpres ad istos
Mutua verba ferens, & ab istis missus ad illos,
Ridebant Angli dum sic ardere viderent
Francigenas, ipsis gaudentibus arboris vmbra.
Tertia colloquium lux continuauerat, & pax
Nulla valebat adhuc Regum componere lites:
„Est vbi sæpè grauis mouet indignatio mentes
„Ingenuas, meritisque doloribus exacuit se,
„Innatis addens stimulos virtutibus, ira
Indignata cohors Francorum, motaque iusta
Bile super risu quo subsannatur ab Anglis,
C Quos tutabantur à solibus arbor & vmbra,
Ipsi dum nudo patiuntur sub Ioue solem.
Acriter arripiunt animis ardentibus arma,
Vnanimesque pari leuitate feruntur in illos.
Ast illi primo conflictu gnauiter illos
Excipiunt, & eis parili virtute resistunt,
Inque vicem feriunt simul & feriuntur, & ira
Inflammante animos, subitò crudescit vtrinque
Pugna; sed absque mora, cessit victoria Francis.
Nam Rex Henricus domino confligere nolens,
Aut potius metuens; elegit tutius esse
Ad tempus fugere, & fortunæ cedere forti,
Quàm belli dubio temerè se credere fini,
Præsertim cui de meritis diffidere causæ
Conscia mens suadet, tanquam qui iusta negabat.
Fit fuga, nec cuneos satis explicat vna ruentes
Porta; cadunt multi, turbæque superuenientis
Calcantur pedibus, nec adest qui tollere lapsos
Curet, vel dextram morituro tendat amico.
Vrgetur proprio satis vnusquisque timore,

A

Et qui se solum saluat putat esse beatus,
Soliusque sui satis est meminisse salutis.
Area nec portis, quamuis satis ampla patescit,
Sufficit agminibus simul ire volentibus vltra
Quin multos vtrinque viros effundat in amnem.
Dumque nimis properè gladios vitare laborant,
Haurit eos subitò species contraria mortis.
Interea Franci, solita feritate, suprema
Agmina concidunt, capiunt, & cæde peracta
Arboris in truncum gladios strictasque secures
Conuertunt, quem rex Anglorum cingere ferri
Pondere non modico multoque sategerat ære,
Hancque sibi sortem conclusit in arbore, dicens:
„ Truncus vt hic scindi nequit, aut à cespite velli,
„ Sic nec Francigenæ poterunt mihi tollere quicquam.
Hunc cum perdidero, simul hanc volo perdere terram.
Tam stolidæ ad Francos emissio conditionis
Venerat, vnde magis ardenter in ipsius ibant
Roboris exitium ferro turgentis & ære.

B

„ Sed quæ vis aut ars virtutem præpedit, vt non
„ Consummare queat feliciter omne quod audet?
Nil ferrum, nil æs, nil vis humana decori
Profuit arboreo, quin corruat igne cremanda,
Quæ modo tot ramis tantoque virebat honore,
Et Vulcassinæ foret vnica gloria vallis.
Nunc (pudor & luctus patriæ totius) ab ipso
Funditus est euulsa solo sed adhuc locus ipse
Ostentat, qualis fuerit dum tota vireret,
Nam noua progenies fruticum succreuit ad instar
A terra sensim steterat qua nobile lignum.
Quæ numerum vincens syluam facit ordine pulchro,
Ne non hæredes tam nobilis arbor haberet.
Victor cum Francis victoribus inde recedens
Vespere iam sero se Caluo monte recepit
Carolides. At rex Anglorum tristis & exspes
Indignans multumque dolens super arbore strata,
Immo super damnis fuerat quæ passus, eodem
Se Vernone die recipit, comitante timore.
Nec tamen audet ibi, nisi sola nocte, morari,

C

Paciaci sibi tuta magis fore mœnia credens.
Conuocat ergo suos & tali voce fideles
Alloquitur; nimiam verbi modus indicat iram.
„ Heu! quantus pudor est totiens retrocedere, quantum
„ Dedecus à paucis tot millia posse fugari?
„ Nec bello conferre manum, nec Francigenarum
„ Corda superba semel, non dico vincere, saltem
„ A fastu reuocare parum quo semper abundant,
„ Quo nos, quo cunctos sibi suppeditare laborant!
„ Ille quidem dominus meus est, dominumque vereri
„ Ius iubet & ratio, nec ei confligere tutum est.
„ Sed quid ego? qui me vestrum non iuuerit. vltum
„ Dedecus ire meum, nunquam mihi fiet amicus,
„ Sed meus hostis erit, & me sibi sentiet hostem.
„ Si Regi bellum committere iure vetamur,
„ Cui tanquam domino subici ratione iubemur;
„ Tot nobis castella patent, tot rura, tot vrbes,
„ Quæ læuiter cursu confundere possumus vno.
Richardo Comiti placuerunt verba parentis

Addecens

A „Addens pauca, quibus sic incipit: Ecce paratas
„Mille acies tua quæ præcepta sequantur habemus,
„Sunt etiam nobis equitum tria millia, quorum
„Vnus ego, sed dextra magis gladiusque probabunt.
„Nec Gaufridus abest Lisinanicus, vnus in armis
„Qui satis est contra Francorum corpora centum.
„Et quid Hirundellæ, vel eum quem Cestria misit
„Radulphum, vel quo gaudet Licestra Iohannem?
„Præterea Comites, & quos Pratellica tellus
„Nutriuit fratres, Halgomaridemque potentem
„Viribus, armata nullum virtute secundum.
„Quid Paganellos referam, geminosque Leones
„Britigenas fratres Herueum cum Guidomarcho,
„Quorum præsidio generosa Lionia pollet?
„Hic nuper coram nobis durissima pugno
„Tempora fregit equi, mortemque subire coegit,
B „Ichonomumque sui patris, nihilominus ictu
„Solius pugni, prægrandi corpore monstrum
„Coram patre suo, morti succumbere fecit.
„Tales nos gerimus, tales in bella venimus,
„Tales, chare pater, tales tua castra sequuntur.
„Prætereo reliquos, quorum satis est tibi virtus
„Cognita. Sunt alij, sed nec virtutis egeni
„Millia dena quater in equis, peditumque cateruæ
„Innumeræ. Quæ nos segnes mora detinet? aut quæ
„Segnities nostros ignaua bituminat actus?
„Cur alis quasi viscatis hærere videmur?
„Imus, an ignauas victi sine vulnere dextras
„Tendimus, ad libitum nobis dominentur, vt ipsi,
„Qui nobis odio semper nostrisque fuerunt?
„Quinimò dum res vocat, & sors expediamus
„Agmina, curramus properè, subitòque Meduntam
„Obsideamus: erit manibus iam subdita nostris,
„Ni per nos steterit. Solus Garlandicus Heros
„Seruat eam, & pauci pedites cum milite raro.
„Remis Remorum Præsul se transtulit, at Rex
„Solus cum paucis est Caluimontis in arce:
C „Flandricus Atrebatum dimisso Rege recessit.
„Iam Comes Henricus Trecas Barrumque reuisit,
„Vdonémque Ducem Burgundia læta recepit.
„Iam Castriduni redijt Theobaldus ad arces.
„Bituriam Stephanus, Simon Sparnonis amœna
„Rura tenet, Bellum-montem Mattheus adiuit.
„Iam Mons exultat Clarus veniente Radulpho.
„Pertica Rotroldo gaudet nemerosa recepto,
„Et reliqui Proceres armorum longa perosi
„Tædia, iam proprios læti visere penates.
„Hæc mihi cuncta liquent exploratoris ab ore,
„Qui non auderet vllo me fallere verbo.
„Dum licet, vtamur fortunæ munere: semper
„Et nocet & nocuit dilatio longa paratis.
Consilium Comitis Procerum manus approbat omnis,
Nec fuit inuentus inter tot millia quisquam,
Qui summo se non offerret ad omnia voto,
Qui sciret Regi damnosa futura Philippo,
Francigenisque suis, quos naturaliter omnes
Oderunt, queis cùm nequeant probitate nocere:
Garrulitate nocent solita, linguæque veneno.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Exacuunt igitur verbis mordacibus iras, A
Séque cohortantur in damnum Francigenarum
Cunctorumque cadunt in idipsum consona vota.
Surgitur, hospitioque suo se quisque receptat,
Lætantesque cibis & somno corpora curant.
Posteà vix summos aurora rubescere montes
Fecerat, & valles nondum primordia lucis
Attigerant, interque canem distare lupumque
Nullus adhuc poterat aliquid discernere visu.
Raucisono lituus clangit per castra boatu,
Cuius ad horrificum clangorem, corpora stratis
Tollit, & induitur raptim leuis arma iuuentus.
Exierat portis exercitus omnis, iterque
Rectum quo petitur vrbs Parisiana tenebat.
Iamque duobus erat processum milibus, & se
Nondum protulerat toto Sol aureus orbe.
Vt pede non fausto terram tetigisse Philippi
„ Se videt Henricus, cursoribus imperat, Ite, B
„ Ite cateruatim, nulli iam parcite villæ:
„ Igne cremate domos, homines occidite, qui se
Tradere noluerint, vinclis abducite prædas,
Et patriam Galli dira confundite clade.
Paret ei ferro munitus & igne satelles,
Séque per hostilem patriam diffundit vbique,
Et domini præcepta sui crudeliter implet.
At Rex, militibus vt erat stipatus vtrinque,
Passibus incedens lentis, spe ductus inani
Per medium tendebat iter, facilique putabat
Posse Meduntenum sibi vi pessundare castrum,
Et iam Cauforium, Buxis, Neufleta, Breuallis,
Mondreuilla, Iois, Fauerilli, villa Menardi,
Mesnilium, Collis, Alnetum, Landula fumant.
Iam Fontanetum, Lomazaia, Barrulus ardent.
Omnia momento sub eodem corripit ignis.
Abducunt prædas, homines in vincula retrudunt,
Se spoliis onerant, intactum nil manet, omnem
Excidio patriam fortuna inuoluit eodem.
Gaudet, & expleri refugit mens impia Regis, C
Dum per circuitum fumos videt vndique volui,
Ruraque tot subitis simul ignibus incinerari.
Et iam constabat, nostratibus indice fumo,
Perque relatores, Regem Londonis adesse
Millibus innumeris, vt nostros vndique muros
Obsidione premat, quos si vi ceperit, omnem
Frugiferi villam speciem conuertet in agri,
Ciuibus eiectis vel turpi morte peremptis.
Talibus ille minis hoc impetrare studebat
Territus vt ciuis concedere vellet eidem
Spontè quod in medio figat vexilla Medontæ,
Imperiumque ferat Anglorum Gallicus vltrò.
„ Sæpe sed à facto verbum distare videmus.
„ Nec semper ferit ad libitum quicunque minatur.
Non ita sunt Franci faciles terrore moueri,
Quos magis audaces vis efficit ipsa minarum,
Quos concepta minis magis indignatio fortes,
Et magis attentos propriæ inuigilare saluti,
Reddit, & illatis vindictam reddere probris.
Armantur ciues & progrediunturapertis

In

A In planum portis, quibus & Garlandicus addit
Se socium, cum quo quinquagenarius hosti
Obuius egreditur animis instructus & armis.
Quos vbi compositos se defensare paratos
Stare procul vidit Rex Anglicus ordine pulchro,
Obstupuit, signóque dato clangore tubarum
Agmina contraxit dispersa, gradúmque repressit.
Tunc nimis admirans hæc secum pauca susurrat:
„ Quid notat hæc Francæ dementia gentis, & vnde
„ Vnius villæ populo præsumptio tanta
„ Nascitur? innumeras vt iam expectare phalanges
„ Audeat, & cùm sint numero vix millia quinque,
„ Omnibus his vires opponere velle videntur:
„ Quærere qui potius latebras, & claudere portas
„ Debuerant, non sic gladiis occurrere nudis.
„ Et tamen esse potest quòd Rex sibi prouidus illis
„ Miserit auxilium, vel forsitan ipsemet infra
B „ Mœnia cum multo se milite continet, vt cùm
„ Cœperimus conferre manum, ruat impiger in nos
„ Ex improuiso, totúmque exterreat agmen.
Hæc dicens, acies paulùm retrocedere iussit,
Inque Soedrinis iuncto stetit agmine planis,
Dispositique acies, per scalas, perque cohortes
Ordine compositas recto, vetuitque vagari
Ne quis & à serie secedere quolibet ausu
Præsumat temerè, donec secreta Medontæ
Pleniùs agnoscat, & tunc deliberet, ipsi
Quid magis expediat, an ad Ibram signa reflectat,
Siue Medontenas tentet suffringere portas.
Nec minus vt vidit ipsum retrocedere, digna
Laude Medontensis iugi Communia, cœpit
Agmine non laxo procedere, Pongibouémque
Exsuperat cliuum. Qua te, Communia, dignam
Laude feram, tibi quæ præconia digna rependam?
Anglorum Regem quæ te virtutis adegit
Gloria velle sequi? Magna est tibi causa triumphi,
Ipsum te propter passu cessisse vel vno,
C Et terrore tui vultus abiisse retrorsum.
Si mihi sufficeret dicendi tanta facultas,
Quantum velle datur, vt quod mens concipit intus
Dicere lingua queat, tua fama celebrior esset,
Et maior: totus dignam te laudibus orbis
Diceret efferri. si quam tamen hæc mea, si quam
Carmina sunt habitura fidem, si me patiatur
Liuor forte legi, tu posteritatis in ore
Semper eris, viuetque tuum per secula nomen.
Hoc tibi lingua tui munus largitur alumni: *Guillelmus Armoricus.*
Ingratum tibi ne me nutriuisse queraris
Vndenis tibi quem cano iam vertice lustris,
Patria Britigenum duodennem misit alendum,
Iam tunc Castalij sitientem pocula fontis.
Nuncius interea spirante citatior austro
Mittitur ad Regem, sed iam præuenerat illum
Certa fides facti, quæ proueniebat ab igne
Et fumo Calui quos montis ab arce videbat:
Vnde citus laxis sua præcedebat habenis
Agmina, dum nimio festinat adire Medontam
Affectu, tanquam cui damna domestica cordi

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Plus inerant, quem visa grauis iactura suorum
Vrgebat properare magis, quem millia dena
Pone sequebantur pedites, equitesque trecenti.
Haud secus Hispanas Karolus properabat in oras
Quando Marsilij corruptus múnere Regis
In fœlix Ganelo Francorum tradidit alas,
Dum cupit indignæ vindictam reddere stragi,
Qua Dux Rollandus post inclyta bella, Ducésque
Bis seni, quorum florebat Francia laude,
Sarracenorum manibus cecidere cruentis
Sanguine Ronceualum generoso nobilitantes.
Calcibus assiduis latus indefessus vtrumque
Cornipedis fodiens, respersus puluere vultum,
Impexos crines quos obuia flumina sparsim
Turbabant fluuioque genas sudoris inundans,
Iam quasi mutatus facie, nec cognitus vlli,
Tendit iter medium portam per vtramque Medontæ,
Pongiboui donec cliuo stetit impiger; illic
Expectando suos, dat ferrea tegmina membris.
Regis ob aduentum gaudet Communia, seque
Ad virtutis opus, magis exhortatur, & armat.
Rex quoque lætatur, & grates reddit eisdem
Quòd sic instructos armis inuenerit illos
Egressos portis se defensare paratos.
Iam bellatorum modo quos præuenerat, omnis
Venerat ad Regem numerus. Proceditur ergo
Agminibus iunctis, & idem facientibus agmen.
Rexque suique simul, studio feruente, fideles
Mente pari sitiunt Anglorum attingere Regem,
Quem sibi præcise confligere velle putabant.
Sed tamen ipse suis dederat iam signa maniplis
Retrocedendi committens vltima curæ
Agmina Richardi Comitis, Comitique Licestræ.
Et iam Solis equi flexo temone diurni
Non procul antidotum * gaudebant esse * laboris,
Quos expectabat gremio refouere tepenti
Thetis ouans, poteratque viæ iam meta videri,
Qua sibi nocturnam gaudent sperare quietem.
Et iam transierat exercitus ardua collis,
Septima pars cuius, quam tota caterua Philippi,
Maior erat numero, tamen expectare timebant.
Karolides igitur vicina crepuscula noctis.
Esse videns hostémque gradus flexisse retrorsum,
Vlteriùs fugitiua sequi vestigia nolens,
In medio plani stetit, vnde recesserat, hostis.
Haud tulit hæc Baro Barrarum nobilis hæres
Armipotentis, eques animi Guillelmus equestris,
Ordinis exemplar, famæ decus, inclyta gentis
Gloria Francigenæ, speciosus corpore, præstans
Viribus, omnimoda morum bonitate repletus.
Quem cum præ cunctis sic extollit, videatur
Nil vt abesse bonis de naturalibus illi,
Ipsa suum miratur opus natura, suo qui
Applaudens operi speculum sibi fecit in illo,
Exemplúmque capit quo cætera formet ab ipso.
Is se clam medio furatus ab agmine Regis
Armigeri spoliat clypeo latus, & rapit hastam:
„ Et quis, ait, mecum veniet? quasi fixus in illo

* Antipodum
* f. ab oris

Ecce comes Pictauus agro nos prouocat, ecce
Nos ad bella vocat. Rictus agnosco leonum
Illius in clypeo, stat ibi quasi ferrea turris
Francorum nomen blasphemans ore proteruo:
Oblitusque fugæ nihilominus ecce superbit,
Et nisi repererit pugnam, male sanus abibit.
Vado videre virum propius. Sic fatus aperto
Prosiliit campo. sequitur Melloticus Heros,
Hugoque quo domino tuus Alencuria multùm
Creuit honor, per quem canitur tua fama per orbem:
Et Baldoinus, Forniualidesque Girardus.
Hi paucique alij stimulante cupidine laudis
Eminus admissi post Barrica signa feruntur,
Armigerique suis dominis qui deësse nequibant,
Et Ribaldorum nihilominus agmen inerme,
Qui nunquam dubitant in quæuis ire pericla.
Sic olim Ionathas ignaro patre suisque
Armiger ascendit reppendo per ardua montis,
Deque Philistæis bis denos ense trucidans
Millia, mille virum solus dare terga coegit.
Vt Comes erecta Guillelmus cominus hasta
Vidit Hirundelæ velocior alite, quæ dat
Hoc agnomen ei, fert cuius in ægide signum,
Se rapit agminibus medijs, clypeoque nitenti,
Quem sibi Guillelmus læua prætenderat vlna,
Immergit validam preacutæ cuspidis hastam.
Quem simili leuitate volans Ocestricus; hasta
Sternere vibrata momento tentat eodem.
Sed neque vis Boreæ Rodopen labefactat, & Hismon
Præualet vndarum violentia nulla mouere
Quamuis impulsu gemino circumtonet ipsum.
Nec Barrensis eques geminato cominus ictu
Corruit, aut aliquo flectit sua corpora motu.
Cuius non caruit successu lancea primum,
Vna dum Comitem prosternit equumque ruina.
Nec minus inuersa reliquum ferit improbus hasta,
Præcipitemque solo resupinis cruribus vrget.
Ac sonipes ruptis per deuia liber habenis
Diffugit, exponens prædam se cuilibet hosti.
Fit fragor, & strepitus geminatur colle propinquo,
Dum sonipes simul & comites labuntur, & arma.
Tertius occurrit Heros Pictauus, & idem
Regis progenies, Rex protinus ipse futurus:
Quem simul agnouit Guillelmus, lancea cuius
Integra restat adhuc, gaudet, nec gaudia celat,
Inuenisse parem cum quo pat pugna sibi sit.
Non tamen expectat illum. sedit obuius illi,
Fraxineamque viri propensis viribus hastam
Sub medio figit vmbone, nec ipse minorem
Ictum Richardi dextra feriente recepit.
Vtráque per clypeos ad corpora fraxinus ibat,
Gambesumque audax forat, & thoraca trilicem
Disilit, ardenti nimium prorumpere tandem
Vix obstat ferro fabricata patena recocto,
Qua bene munierat pectus sibi cautus vterque.
Hic dum ferre nequit impulsus vtraque tantos
Frangitur, & clarum dat lancea fracta fragorem.
Nec tamen à manibus trunci cecidere, sed illis

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Arma deportans

B

C

PHILIPPVS AVGVSTVS.

A

Ingeminant ictus circum caua tempora crebros.
His quoque consumptis, nec dura ferentibus arma,
Acrius insurgunt nudatis ensibus, & se
Ictibus alternis & cædi & cædere certant.
Nec fingunt iras, sed apertè dextera nudat
Corde tumens odium, rimatur & intima vultus,
Si quà mucrori viam morti reperire valeret.
Tunc non posse dolens manifesta vincere pugnâ
Guillemus Comes insidias molitur, equíque
Per latus obliquum capulo tenus impulit ensem.
Sensit, & vt vidit genibus titubare remissis
Quadrupedem, prudens ab equo descendit, & ipsum
Stans pedes, & rectus firmo pede perculit ictu
Tam duro Comitem, quòd toto corpore stratum
Altior insurgens subiecta strauit arena.
Vtque magis noceat mucrone peremit eodem
Eius equum, Comitemque super prouoluit eundem.
Cur? quia non poterat ipsum vel ducere captum
Aut armis spoliare, neci vel tradere victum
Solus, & hostili circundatus vndique turma,
Qui non cessabant iaculis simul atque quadrellis,
Eminus & missis in eum sæuire sagittis,
Cùm non auderent accedere cominus illi,
Vel conferre manum, vel se committere pugnæ.
Stabat enim firmus vt Barra repagula firmans
Agminis hostilis medio facilique rotatu
Se circumducens, nunc hos nunc obruit illos.

B

Sic aper à canibus circumlatratur, vbi se
Cùm nec iratum, cùm nec fuga tuta, nec hosti
Appropiare potest, in quem sua sæuiat ira,
Nunc caput in renes obliquat, nunc vice versa
In dextrum læuumque latus circum rotat ora,
Et quos consequitur transfindit dente recuruo.

Concurrunt socij, Comitemque in puluere stratum
Tollere festinant, iacet ille supinus equino
Lapsu contritus, armorum pondere multo
Moleque corporea pressus; tamen inde leuatur
Absque mora, tam præcipuis adiutus amicis.

C

Sistitur in pedibus, & equo dat membra recenti,
Seque cohortatur vt Barras frangat, & ipsum
Vel ducat viuum, vel ibidem cogat obire.
Ille autem multo perfusus membra cruore
Vix pede stat recto. clypeus lacer atque foratus
Mille locis horret iaculis hærentibus ipsi
Hiricio similis, tamen illum tangere nemo
Cominus est ausus, quin mox perimatur ab ipso.
„Tunc Comes exclamat: Barras, gaudete Quirites,
„Fregimus, in manibus sunt Baræ denique nostris.
Nulla potest nobis iam barrula tollere Barras.

Talia iactantem læua ferit hasta sub aure
Hugonis dextra nisu vibrata potenti.
Flectitur in dextrum latus ille, nec hasta tenorem
Fracta tulit, nec eum lapsu plagave notauit.
„Tunc ait, inuictum sic vincere posse putasti
„Barrarum dominum tardilicèt, ecce venimus
„Auxilium fessis laturi in tempore Barris.
„Cesset ab ore tuo iactantia talis, & vnde
„Nouimus, & qui te, quam sit tua casta memento

Mater

A „ Mater, & inuictos ne blasphemaueris vltra
„ Francigenas, & eis discas non posse resisti.
Hæc dicens ensem sic circumuoluit, & ipsi
Instantem circum caput omne ferit, quod ab inde
Vrget eum nimis attonitum reflectere gressus:
At Droco Mellotides totis conatibus instans
Marcellum deuoluit equo, Comitemque Licestræ
Associat lapsis; dumque hos instanter & illos
Sternere festinat, erecto cominus ense
Aduolat, & Comitum turbatus strage suorum
Petrus fronte ferit media Pratellicus ipsum
Qua malè tectus erat retro labente galero,
Dum sua virtuti plusquam sibi dextera seruit.
Nobilis ingenti signatur vulnere Baro,
Cuius adhuc signum gerit, & geret ipse patentem
Fronte cicatricem; Furit eius filius, & se
Neglecto, ruit in medios Droco iunior hostes:
B Deijcit, impellit, cædit, ferit, impedit, omnem
Virtuti miscet fortunam, dum iuuat omnes
Impendisse patris vuindictæ vulneris iras.
Forniualus Petrum, Baldoinusque Radulphum,
Hugoque Fulconem, Robertus sternit Hericum.
Sic vno Franci voto grassantur in illos.
Quamuis pauca manus, bello tamen ardua virtus,
Feruida vis, proba strenuitas, vis inscia vinci,
Defectum numeri gladio sub vindice supplet.
At Droco restricto iam vulnere, casside rursus
Induitur, Guillelmus equum iam nactus in armis
Se renouat, multosque ferit, multisque feritur
Ictibus, effuso pinguescunt sanguine campi.
Amissis errant dominis per rura caballi,
Hastis, & iaculis dumescunt plana Soendri,
Syluaque fit subitò modo quod fuit area nuda.
Armis terra latet contecta. iacere videres
Hic homines ibi quadrupedes in limine mortis.
Et iam rarescunt acies, fuga turbida campi
Nudat vtrumque latus, fugit irreuocabilis hostis,
Dum nequit ardentem Francorum ferre furorem;
C Nec reperire queas in tantis millibus vnum,
Qui sua mille velit calcaria vendere libris.
Quò fugitis? reuocate animos, in bella redite,
Aut saltem medio vestigia figite campo.
Non est qui vobis instet, qui vestra sequatur
Agmina, pene caret numero generosa iuuentus.
Proh! post quem fugitis? pudeat, proh, mille Quirites,
Atque alios plures quos ornat bellica virtus,
Quos genus egregium summo præsignit honore,
A vix terdenis tanta leuitate fugari.
Hesperus interea confinia noctis agebat,
Duxerat & mundo tenebras absentia Solis,
Aurea luna vicem cuius supplere parabat
Orbe ferè medio mundi per climata lucens,
Victores redeunt, quos rumor ab hostibus omnes
Aut interfectos aut captos esse ferebat.
Bis sex adducunt equites, quater octo pedestris
Ordinis, & plures linquebant semisepultos.
Nec minus armigeri, Ribaldorumque manipli
Ditati spolijs & rebus quisque redibant.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Buccina rauca sonat, reditum iam nocte sub ipsa.
Nec mora Rex & cœtus ouans rediere Medontam,
Et læti somno se curauere, ciboque.
Anglicus ex illo Rex tempore non fuit ausus
Armato nostros adoriri milite fines.
Ast modicum Barrensis eques post tempus ab omni
Vulnere sanatus, quasi tyro nouellus in arma
Se reuocat, flagratque nouo probitatis amore,
Inuigilatque bonis sic actibus, vt nisi semper
Præteritis aliquid addat, nihil æstimet actum:
Et dum nil aliud quærit nisi laudis honorem,
Se magis atque magis, oblitus posteriorum,
Per virtutis opus extendit in anteriora.
Richardus verò, interea petit à patre sponsam
Restitui sibi iure suam quam turre reclusam
Viliter Henricus Rex dira mente tenebat,
Contra ius sponsique sui fratrisque Philippi,
Fratrem germana fraudans, vxore maritum,
Se super incestus suspectum crimine reddens,
Corrupisse nurum fama vulgante notatus.
Quapropter patri merito se subtrahit ille,
Seque reconciliat sub amica pace Philippo.
Mensis erat cuius Iacobi sacrat atque Philippi
Passio principium, tunc cùm nascentibus vuis
Mane solet madido damnosior esse pruina,
Agmina Karolides Nongenti congregat, vnde
Victrices cuneos ad Bernardi feritatem
Applicat, & castro vi fracto, protinus vrbem
Genomanorum subita premit obsidione.
Quam Rex Henricus equitum peditumque cateruis,
Innumeris fretus clausam tunc forte tenebat,
Ad quam Vindocino modo festinauerat ipse,
Vt contra Francos & natum clauderet illam.
Sed postquam sciuit portis instare Philippum,
Dat sua terga fugæ, nec limina flectere retro
Audet, cui subitas dederat timor anxius alas,
Dum fugit oblitus famæ & regalis honoris,
Donec Alançonis tuta se clausit in arce.
Continuo fugiens viginti millia cursu
Mox fractis vrbem portis exercitus intrat
Expositam prædæ. spolijs onerantur opimis
Quadrigæ, iumenta grauat pretiosa supellex,
Serica vestis, ebur, & argentea vasa, numisma
Ponderis incerti, plumisque tumentia ditis
Ornamenta thori diuersorumque colorum
Ridentes panni. Nimio sub fasce gemiscunt
Colla, nihil tamen inde minus mortale cor ardet.
Quamuis sit plenum, quamuis plus tollere prædæ
Inuentæ nequeat, spolijs nec gaudia tanta
Concipit ablatis, quin plus sit triste relictis.
Interea patrem sequitur Richardus, & illi
Inde reuertenti nimis admiranda recurrit,
Immò dolenda magis vrbis spoliatio facta
Tam subitò, patrum ius & speciale suorum
Auxilium, generosa suæ cunabula gentis
Demolita videns, non miror si dolet. At Rex
Munificus tanto solamina grata dolori
Donat ei totam cum ciuibus omnibus vrbem,

Cumque

A Cumque suburbanis tot ditia rura colonis.
Inde iter accelerat Turonis * festinus ad vrbem,
Quam geminum nitida flumen circumfluit vnda,
Hinc Liger, hinc Carus, medio sedet inter vtrumque,
Clara situ, speciosa solo, iucunda fluentis,
Fertilis arboribus, vberrima fruge, superba
Ciue, potens Clero, populis numerosa, referta
Diuitiis, lucis & vitibus vndique lucens.
Quam sacrosancti præsentia corporis ornat
Præsulis eximij Martini, gloria cuius
Omnibus Ecclesijs summum decus accumulauit.
Quæ cùm sit Britonum caput & metropolis, vna
Bis senas sub se Cathedras lætatur habere.
Cuius vt agnouit aduentum Regis, in vndas
Præcipitat Ligeris pontem, ne transferat vltra
Rex acies, facili subiturus mænia cursu.
B Sed quæ virtuti vis aut cautela resistit?
Quis cohibere potest animum virtute calentem?
Rex quodam duce Ribaldo vada tentat vbique
Donec inundantis medio se fluminis hasta
Appodians, ripa subitò stetit vlteriori;
Inuentoque vado quasi per miracula, contra
Spem, contra fluuij naturam, transijt absque
Remigis officio per aquas exercitus omnis.
Vt siccum tetigit acies hastata virorum,
Haud procul à muris se protinus obtulit illis
Planities, castris sedes aptissima, cuius
Lambit vtrumque latus Ligeris Carique fluentum;
In medio segetes aut prata virentia rident,
Et raris vineta locis, aut fertilis arbor
Tempore pruna suo, pira, cerasa, mala ministrans
Aut alneta, quibus muniret castra satelles.
His facit in planis sua Rex tentoria figi
Quæ videt vtilia fructu, visuque decora.
Et iam nocturnas noua lux ammouerat vmbras,
Reddideratque diem Solis præsentia mundo,
Irrequieta manus peditum, quibus omnis vbique
C Est onerosa quies scalas ad mœnia Rege
Ignorante leuant, nec adest qui mœnibus illos
Arceat, aut cui sit audacia velle tueri
Vrbis circuitum tantus tremor occupat omnes.
Vectibus oppositis tantum portisque seratis
Omnes municipes, omnis se ciuis in arce
Clauserat: hanc solam deffendere posse putabant.
Ergo cateruatim pedites in mœnia scandunt,
Perque gradus subeunt, vicos, portasque recludunt
Introrsum, sociosque suos hortantur adesse.
Denique militibus notum Regique fit istud.
Mirantur, gaudentque simul, gratesque Deo Rex
Lætabundus agit, eius qui prosperat actus.
Introeunt quicunque volunt, fit protinus ipsam
Rege iubente, pari voto, concursus ad arcem.
Septuaginta viros equites peditesque trecentos
Gascolides secum Gilebertus habebat in arce,
Qui præfectus erat, & Constabularius illis:
Qui tantas non posse videns refringere vires,
Maluit intactam post vrbem, tradere Regi
Arcem, re penitus salua sociisque sibique,

* Turones

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Quàm post conflictum se denique dedere victum. A
Anglicus interea pacem rogat, & licèt ægra
Febre laboraret, calida Chinone relicta
Vsque Columbare pro pacis amore venire
Sustinuit: cum quo Rex pacem fecit, & ipsi
Pictauum solida sub pace reconciliauit,
Sub tali forma, quòd vterque, vel alter eorum
In Syriæ partes ipsum comitetur iturum.
Pacificare tamen nequiit cum patre Iohannem,
Cui bellum infelix alia iam parte mouebat,
Esse mereretur vt mortis causa paternæ,
Addens fraude sua patrio tormenta dolori,
Cor luctu crucians dum febris sæuit in artus.
Iamque suprema dies illi Chinona reuerso
Post triduum occurrit, qui fonte sepultus Ebrardi
Per proprios victus natos, & obire coactus
Abbreuiasse suæ lugetur tempora vitæ. B
Fœlix, si Regis regum studuisset haberi
Gratus, & illius metuisset lædere seruos.
Felix, si sancti Thomæ, fratrumque suorum
Non interfector, sed amator amasset haberi.
Felix, si proles illi sua chara fuisset,
Ipseque charus eis, genuit quos omine læuo,
Ipsius exitij causam mortisque futuros.
Hinc tibi scire licèt homo quid sit gloria mundi,
Quid luxus, quid opes, quid honor, quid summa potestas,
Cui nuper dare vix poterant castella vel vrbes
Hospitium, nec ei capiendo sufficiebant.
Quem formidabat Regni pars maxima nostri,
Nomine quam feodi Francorum à Rege tenebat
Neustria, Pictones, Andis, Vasconia, Santo,
Armorici, Bitures, Aluernicus, Anglia tota,
Multi præterea populi quos æquore lato
Circuit Occeanus, cum Regibus atque tyrannis
Subijciebantur illi seruire coacti:
Nunc satis arma domus totum concludit, & ex his
Quos genuit nullus interfuit eius honori
Supremo, aut saltem corpus perduxit ad vrnam.
Heu! quid anhelamus ad mundi gaudia? quid sic C
Infrunita trahit vos ad terrena voluntas?
Sis locuples sis pauper, idem est, mors omnibus æqua,
Imperiosa manu fortunam terminat omnem.
Ergo dum viuis caueas, homo, perdere vitam
Nescia quæ finis post luctus gaudia præstat:
Ne post lætitiam pereuntem flamma gehennæ
Te cruciet, ne te mors torqueat inscia mortis,
Quam patiens semper & nunquam viuit in illa.
Irrequieta solet grauis esse locutio, vires
Confractas reparant moderata silentia linguæ.
Expedit ergo breui tibi Musa quiescere pausa,
Vt mage facundam requies te tertia reddat.

CATALOGVS

A

CATALOGVS
QVARTI LIBRI.

Quartus Richardo confert patre sceptra sepulto:
Qui mox Ierusalem properat cum Rege Philippo.
Trinacriis hyemant in finibus, vnde simultas
Non sinit ire simul ambos. cedit Cyprus Anglis.
Francigenis Acharon, Gaza, Ascalo Iopen vtrisque.
Ægrotat, repetitque solum natale Philippus.
Richardus rediens capitur, sed & inde redemptus
Francigenum bellis multa virtute resistit.
Francos obtruncat damnosa fraude Iohannes.
Galterus renouat amissa chyrographa fisci.

INCIPIT QVARTVS LIBER.

B

Lege patrum veteri Richardum, patre sepulto,
Efficit Anglorum primogenitura Monarcham:
Qui sublimatus constans in amore Philippi
Mansit, eum tanquam dominum reuerenter habendo:
Nec fuit inter eos anno discordia pleno,
Pace ligante bona gemini commercia Regni.
Anxius interea vix Christo reddere votum
Proposito nuper sancto, quod vouerat illi,
Dum properat, vigili sibi prouidet omnia cura.
Tanti procinctus sibi quæ desiderat vsus,
Quæ sibi deposcit series tam longa viarum.
Præmunit validis se pugnatoribus, & tot
Quot satis esse putat ad tanta negotia, tota
Delectos patria bellis & pace robustos.* * *probatos*
Millenus centenus erat deciesque nouenus
Quo petiit Francus Rex regna marina Philippus,
Fruge, leguminibus, argento, carnibus, auro,
Rebus, equis, armis, biscocto pane, meroque
Innumeras onerat naues, & classe parata,
Propulsus zephyri spiramine mouit ab vrbe
Italiæ clarum posuit cui Ianua nomen:
Hebdomadisque tribus Tyrrhena per æquora vectus,

C

Læuus habens Romam, dexter Carthaginis arces,
Post tempestates, post multa pericula, multas
Passus iacturas, Trinacribus appulit oris.
Pharita dum classis legeret freta, forte suborta
Tempestate rates iam rumpebantur, & vndis
Pene tegebantur, nisi nauita cautus in æquor
Emisisset equos, fruges iactasset, & escas,
Vasaque plena mero. nec contradicitur illi,
Immo suam rem quisque iacit, sua perdere malens,
Funere quàm nullo vitam finire sub vndis,
Reque sua potius quàm corpore pascere pisces.
Nec reputat damnum, quo mortis prorogat horam
Tempore vel modico. Sic nauibus exoneratis
Esset cùm noctis medio plus temporis actum,
Nec cessaret adhuc vis tempestatis, & æther
Cogeret attonitos iam desperare salutem,
Et tonitru & nimbo tenebrisque tenentibus astra
Fulgura quas nimio rumpebant crebra stupore,
Rex animo forti stupidos affamine tali
„Solatur: Cesset timor omnis, visitat ecce
„Nos Deus ex alto, tempestas ecce recedit,

PHILIPPVS AVGVSTVS.

„ Iam matutinas Claræuallensis ad horas A
„ Concio surrexit, iam sancta oracula sancti
„ Nostri haud immemores in Christi laude resoluunt,
„ Quorum pacificat nobis oratio Christum:
„ Quorum nos tanto prece liberat ecce periclo.
Vix benè finierat, & iam fragor omnis & æstus,
Ventorumque cadit rabies, pulsisque tenebris
Splendiflua radiant & luna & sidera luce.
Sicque data cunctis, ad Regis verba, salute
Nox abit, & flatu classem ducente secundo,
Auxiliante Deo, magna non absque suarum
Rerum iactura, læti euasere periclum,
Atque alacri plausu portum subiere salutis.
Tunc Rex larga suis gazis effundit apertis
Dona, quibus veniant illis obliuia iactus,
Ne Christi athletis vel equi vel pabula desint.
Rex quoq; Richardus properans haud segnius illo B
In Crucis obsequiū (constrictus ad hoc tamen ipsum
Iure tenebatur iurando) mouit ab vrbe
Massilia, rebus ita præmunitus & armis,
Electisque viris, vt non minor ipse Philippo
Viribus, ac alijs quæ præsens postulat vsus,
Esse videretur. Hinc Tusca per æquora ductu
Veliuolo raptus, numerosa classe Sycanos
Ingreditur portus, nil passus in æquore damni,
Gaudia Francorum renouans Regisque Philippi,
Qui tunc Messina nouus hospes in vrbe manebat.
Exultant Siculi, gaudet Trinacria tota
Hospitibus tantis, tot habentibus agmina secum.
Quos Rex Tancredus magno suscepit honore,
Ditia qui gentis Siculæ tunc fræna regebat,
Insidiis, mixta vi, septra potenter adeptus.
Rex Guillelmus erat nuper defunctus, & eius
Vxor Richardo gaudebat fratre Iohanna:
Nec quo se viduam consolaretur habebat,
Nec qui posset erat hæres succurrere Regi.
At soror eiusdem Constantia; Rege sepulto,
Iure volebat ei succedere prole carenti.
Tancredus, fuerat qui Regis auunculus, illam C
Non patiebatur patriis succedere sceptris,
Præsumens nullo succedere iure nepoti,
Seque nouum Regem spoliata nepte creare.
Illa tamen Regis Henrici cùm foret vxor,
Qui fuit Imperium Romanum tempore nactus
Post modico, facta est Regina iuuante marito.
Quæ simul Imperij & Regni diademate fulgens,
Restitui prorsus meruit sibi iura paterna.
Postea quæ genuit Fredericum, qui modo regnat,
Theutonicos cum Romanis Siculisque gubernans.
„ Heu! quàm mutari leuis est affectio mentis
„ Humanæ! quàm se diuersis motibus aptum
„ Exhibet humanum cor, suggestoris iniqui
„ Fraudibus illectum, qui suplantator amoris
„ Semper agens odium, lites serit inter amicos;
Quosque videt iunctos aliqua discriminat arte,
Vt sibi subijciat disiunctos, quos superare

Non

PHILIPPVS AVGVSTVS.

A Non valet alterno dum consociantur amore,
Dum stant, dum temerè non incuruantur, vt hosti
Sit via, cui nullos est supplantare potestas,
Præter eos qui se incuruant vt transeat ille.
Nosque nimis faciles sumus illi cedere, qui nil
In nos iuris habet, nisi quantum cedimus illi:
Imino si volumus, quantum temptamur ab illo
Vnde resistamus satis intra nosmet habemus;
Quod nobis virtus præstat diuina, nec vllus
Cogitur esse malus, nisi sponte receperit hostem.
Nam suggestori subicit nos sola voluntas,
Quæ si defuerit, peccatum nullus habebit.
Reges ecce duos amor vnus, spiritus idem,
Vna fides vnit, & sic conglutinat, vt nil
Hic amet aut fugiat, nisi quæ fugit aut amat ille.
Tantus ad alterutrum ligat ardor amoris vtrinque.
Sed durare diu dilectio tanta nequiuit
B Inter eos. Richardus enim quod corde tegebat
Nactus oportunum tempus detexit, & illum
„ Talibus alloquitur: Bone Rex, cui Francia paret,
„ Cuius ego miles, cui sum iuratus in arma,
„ Cui tanquam domino fateor me iure teneri,
„ Quem tremit Ægyptus, regioque Palestica, cuius
„ Præstolatur opem Domini crux atque sepulchrum,
„ Audito cuius Saladinus nomine pallet,
„ Iam sua, iam victi tendunt tibi brachia Parthi,
„ Inclinatque tuis Acharon sua mœnia signis.
„ Ne quæso tibi displiceat quod detego verbum,
„ Germanam tibi reddo tuam, causamque latentem,
„ Qua compellor ad hoc, à me, rogo, quærere noli.
„ Ipsa quidem nupsit mihi per sponsalia tantùm,
„ Nil vltra: nec eam noui carnaliter vnquam.
„ Et iam iuncta thoro est mihi Berengaria Regis
„ Filia Nauarræ, sacrum iam copula carnis
„ Consummauit opus, facti caro iam sumus vna.
„ Nulla quidem causa est quòd eam dimittere possim,
„ Amodo cùm mihi sit & lege & carne iugata.
C „ Sunt Comites, sunt Barones, quorum soror vni
„ Rex venerande, tua meliori fœdere nubet.
Obstupet, & nimia Rex obmutescit ab ira:
Post tamen hoc breuiter sermone reconuenit illum:
„ Si mihi germanam reddis, nihilominus omne
„ Germanæ dotalitium mihi reddere debes.
„ Quæ cum germana tibi sunt data nomine dotis,
„ Nunc ad me debent redeunte sorore reuerti,
„ Sed nihil ad præsens queror, aut peto: nolo minari.
„ Maius opus superest, sine lite, quod instat, agamus,
„ Seruitioque crucis instemus, & eius honori
„ Qui mundi peccata tulit, pro cuius amore
„ Taliter externis peregrini viuimus oris
„ Saluas concedo treugas tibi, dum crucis arma
„ Seruitio tuleris, dein meque meosque timeto.
Regis verba placent Richardo, nil petit vltra:
Treugarum talis concessio sufficit illi.
Non tamen exhibuit liquido se corde Philippo
Ex tunc siue suis; nec verò Philippus eidem
Mente fuit placida. Qui cùm iam quinque fuissent
Mensibus hybernis Sicula in regione morati,

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Anglorum Regem monuit Rex noster, vt vna A
Aggrediatur iter secum, Dominique sepulchro
Succursum præstet, sicut iurauerat illi.
Noluit ille tamen, Siculis sed mansit in oris,
Auxilium præstans Tancredo in prælia Regi,
Infestabatur quibus vndique. Proinde Philippus
Rex cum Francigenis Zephyris dat carbasa primis
Vere nouo, & læua Græcos à parte relinquens
A dextra Pharios, Cretam Cyprumque secundis
Præteriens velis, Acharon illabitur vrbi
Paschæ nocte sacra quem sic cœlestis agebat
Gratia, quo firmis sacræ solemne diei
Exigeret plantis, quo iam præcesserat ille
Inclytus eximiæ Iacobus virtutis Auennas,
Et iam cum paucis audax obsederat vrbem,
In Domino solo confidens, qui pius illi
Misit oportuno succursum in tempore gratum,
Qui præsto semper est confidentibus in se. B
Nauibus egressi firma vestigia planta
Figere congaudet exercitus, & sua saltu
Corpora dant sabulo, læti post longa marini
Tædia discursus, grata potiuntur arena,
Intus & exterius aura meliore refecti.
Nec mora per campos & per conuexa locatis
Certatim castris, ex omni parte coronant
Vrbem, ne quiuis euadere possit ab illa,
Aut laturus opem dare deforis arma vel escas.
Castra solo vigilant, seruat naualia classis
Dein vallo munire student fossisque profundis
Omnem circuitum castrorum, nec minus alte
Per loca Bristegæ castellaque lignea surgunt,
Ne subito Saladinus eos inuadere possit.
Qui non cessabat pugnas miscere frequentes
Christicolis, & eos incessere nocte dieque,
Quamuis confusus & victus semper abiret:
Nec pudet assiduè vinci, victumque fugari
Turpiter, & charos conflictu perdere crebro;
Dum dolet obsessis nullum dare posse salutis C
Consilium, vel eis succurrere qualibet arte.
Nec mora detinuit Richardum longa Sicanis
Finibus; immo Cypron adijt totamque duobus
Mensibus expugnans clara virtute subegit
Ipse sibi, victamque suo cum principe cepit.
Cypris enim regio quamuis coleretur in illo
Christus Græcorum ritu, tamen impediebat
Christicolas cruce signatos, Dominique sepulchro
Ferre negabat opem, Saracenisque fauebat.
Mox Cypro victa spolijs ditatus & auro,
Festinat Acharon, quam fractis vndique muris
Obsessi vita tantummodo dedere salua
Orabant, quorum solo pro munere vitæ
Christicolas omnes quos vincula dura tenebant
Saracenorum, Saladinus cum cruce sancta
Reddere pactus erat Francis Regique Philippo.
At Rex Catholicus donec Rex Anglus adesset,
Cui fore se socium promiserat ipse fidelem,
Dum crucis obsequio seruire studeret vterque,
Nolebat tanto solus gaudere triumpho,

Expectans

Expectans socium cui dimidiaret honorem,
Quem soli sibi contulerat clementia Christi
Gentis & inuictæ vis inuictissima bello,
Seruitio Christi multo conspersa cruore.
Postea nolebat Syrus, vel forte nequibat
Verbo stare suo, pactumve tenere Philippo.
Vnde quidem iusta Richardus bile tumescens,
Præsertim sibi non contradicente Philippo,
Magometicolas omnes, quos vrbe reclusa
Inuenit numero quasi bis sex millia, fecit
Verticibus cæsis efflare in tartara vitas.
Vrbe refirmata* reformata positis custodibus omnes
Vici Christicolis & prædia distribuuntur,
Ecclesiasque nouas, vbi Christi nomen adorent,
Ædificant, ridet subito mutata locorum
Et rerum facies. iam Magometus ab omni
Exulat ore procul, iam per totam regionem
Catholicæ cultus fidei se pandit vbique.
Vnus & vndecies centum deciesque noueni
Transierant anni postquam Deus est homo factus,
Quando cepit Achon, gens Gallica, Rege Philippo,
Crastina Quintiles data cùm produceret Idus.
Hinc quoque progreditur exercitus, & sibi muros
Ascalonensis vrbis pessundare gaudent,
Qua fuit Herodes natus, qui millia centum
Quadraginta dedit morti cum quatuor, ortu
Principis æterni metuens amitere Regnum;
Inter tot credens pueros occidere Christum.
Hinc duce Richardo, Ioppem, Gazamque triumphant
Insignes olim factis illustribus vrbes.
Hanc fama celebrem Centurio reddidit olim,
Angelico monitu qui Petri dogma secutus
Purgari meruit, & sacro fonte renasci.
Ast illam Sampson bellis insignibus, & vi
Antea collata nulli, nec postea, sæpe
Contudit, & multis confecta cladibus vrbe
Portarum valuas signis atque ære nitentes
In manibus portans stetit alti vertice montis:
Qui tandem moriens cæcatus coniugis astu
Extinxit plures quàm viuus strauerit hostes.
Quæ res gesta notat, quod Christus morte sua nos
Viuificans nostram crucifixerit in cruce mortem:
Proque sua, sibi quam elegit degentibus ipse,
Ecclesia moriens, vectes & ferrea claustra
Fregerit, & fortis armati fortior arma
Captiuans, victor spolijs ascendit in altum.
Sed nondum Moysi faciem Iudæa videre,
Dum de lege legit paleas, non grana, meretur.
Solus cum paucis hæc inter agenda Philippus
Febre graui tactus, crebroque tremore fatiscens
Infirmabatur, Acharonque iacebat in vrbe,
Tantaque scaturies, tantus calor illius ossa
Totaque membra fuit ita depopulatus, vt omnes
A digitis vngues caderent, à fronte capilli.
Vnde putabatur, & nondum fama quiescit,
Illum mortiferi gustum sensisse veneni.
Gratia sed nobis diuina pepercit in illo,
Ne mutilata suo lugeret Francia cornu

*refirmata

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Tam cito, cuius erat studiosa sedulitate
Postmodo continuæ pacis fruitura quiete.
Languit ergo diu, sed enim per tempora longa
Paulatim gradibus cœpit reualescere lentis.
Cumque nequiret ibi sanari prorsus, amico
Hortatu procerum, cum consilió medicorum
In patriam statuit natiuaque rura redire.
Sed prius expensas tribus annis sufficientes
Militibus numerat quingentis de propria re
Mille quibus decies pedites adiungere curat,
Qui vigili satagant studio curaque fideli
Illius vice pro Domini pugnare sepulchro.
Allobrogumque Duci causam committit eorum.

Milites templi.

His igitur curis vigili ratione peractis,
Rex iter æquoreum spirantibus arripit auris:
Qui Romam veniens, celebri donatur honore
A Celestino Papa, qui tertius vrbi
Nominis illius præerat, tangebat & ipsum
Tertius illustri regali sanguine stirpis.
Cumque satis dignè à patribus sanctoque Senatu
Esset honoratus, tandem dimissus abire
Dorsa per abruptæ Radicophons ardua, cliuis
Inuia limosis, quo vix aut ire viator,
Aut remeare potest, Montis laureta Caprini
Præterit, & Montis Hardonis per iuga cœlo
Proxima, planitiem Ligurum subit, inde Ceneis
Lassatum scalis, Moriana valle, salebras
Præteriendo graues, cepit Burgundia demum.
Cumque mora modica, post aspera saxa, Cotique *
Colliculos, Isaramque vado Rodanumque carentes,
Se recreasset ibi medio iam mense Nouembri,
Sanus & in vultu solito ridente rubore
(Reddimus vnde Deo grates) in propria venit.

** Catique*

At rex Anglorum Iopen Gazamque, vel vltro,
Vel vi perdiderat: mittebat enim Saladino,
Et Saladinus ei varia vice scripta, sibique
Pacificabat eum Saladinus munere crebro.
Et iam Blesensis Theobaldus, iamque Philippus
Flandrensis Comites, iam Vindocinensis & ille
Quem Giemus, quem Mons Clarus, quem Pertica misit,
Terrea spiritibus, viduarant vasa beatis:
Illustris Stephani contristant funera Sacrum
Cæsaris, Vldonis mortem Burgundia plorat.
Sed nec parcendum Iacobo mors impia duxit,
Cuius ob indignam mortem tristantur Auennæ.
In toto locus est Regno rarissimus, in quo
Non habeat causam lachrymandi quilibet, aut ob
Amissum dominum, vel fratrem, siue propinquum.
Natos hic queritur amissos, ille parentem,
Hic eiulatur cognatos, alter amicos.
Hic famulum, hic socium, patruos hic, ille nepotes.
Tanta peste cadunt proceres in funera nostri,
Quos omnes sibi mors Acharon asciuit in vrbe.
Tunc Rex Richardus multis infessus * ab illa
Cogitat egressu tacito discedere terra.
Dissimulat Regem, paucisque trieribus * æquor
Sulcat, & Ioniæ progressum denique ponto,
Adria suscepit: à dextro remige littus

** infestus*

** triremibus*

Misit

Misit in Illyricum, quo nauibus ille relictis
Imperiale solum cultu Templarius intrat
Priuato, vt tectus habitu securior iret.
Ille quidem multos magnates læserat, vnde
Dum metuit multos multis se dissimulabat.
Dux tamen agnouit illum tuus, Austria, cuius
Partibus in Syriæ tentoria ruperat, atque
Indignis nimium probris affecerat illum.
Heu! quis fortuitos casus euadere possit,
Prospectumque sibi fato vitare periclum!
„ Sæpe fit insidiis peior vis obuia casus.
Fatorum serie contingit sæpè, quòd hostis
Plus improuisus solet explorante nocere.
Quid prodest versare dapes, seruire culinæ?
Quid iuuat officio dominum vilescere serui?
Quid flexisse viam, vestes mutasse, suoque
Se famulo Regem finxisse minore minorem?
Nil Minturnensi Mario latuisse palude
Profuit, aut Thetidi natum sub veste pudenda
Virgineis miscere thoris *, Licomedis in aula.
„ Nec rex celatur, nec mons absconditur, ipsa
„ Regia maiestas nunquam se passa latere,
„ Quicquid agat, Regis personna patebat vbique;
„ Quæsitasque negans sibi caligare tenebras
„ Proditur, & mediis latebras non inuenit vmbris,
„ Dum quocunque specu proprio splendescit ab igne.
Ecce latens capitur, & ab illo quem metuebat
Ille magis, quem plus vitare volebat, ab illo
Ecce latens capitur, qui non quærebat eundem,
De quo nulla sibi suberat spes inueniendo.
Anno præterito magnus Fredericus abhorrens
Tædia longa maris, Cilicum per plana petebat
Ierusalem, cruce signatus cum Theotonicorum
Millibus innumeris, qui cùm properanter adiret
Nicæam, pagis degressus ab Antiochenis
Sole calens, dum se medij feruore diei
Balneat incautè cuiusdam gurgite riui,
Interceptus aquis fit mortis præda repente.
Quo subit Imperium defuncto filius eius
Henricus, patrij iuris successor & hæres.
Nec tantum promouit eum successio gentis
Quàm Cleri & Procerum super hoc electio iuuit.
Est etenim talis dynastia Theutonicorum,
Vt nullus regnet super illos, ni prius illum
Eligat vnanimis Cleri Procerumque voluntas.
Tali ergo Henricus successerat ordine patri,
Tuncque moram Magontina faciebat in vrbe,
Cùm Regem Anglorum Dux obtulit Austricus illi,
„ Quem sic alloquitur: Tu nuper regis amicus
„ Vsurpatiui contra nos bella mouebas
Impia Tancredi iuratus in arma, meamque
Vxorem patris solio priuare volebas,
Nuper & in Syria Saladini exennia palpans
Christicolas Christi crucis hostibus exposuisti,
Dum Gazan, Ioppen, Ascolonemque sine armis
Et sine conflictu subuerti sponte tulisti

* choris

Dynastia est dignitas habendi vel eligendi Regem sic v. c.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Imperiique mei proceres occidere quosdam,
Et malè tractare plures non erubuisti:
Immò tuum dominum nostri genitoris amicum,
Et fratrem nostrum voluisti tradere Parthis,
Vt mutilata suo lugeret Francia cornu.
Ne sua quæ retines iniustè iura reclamet.
Non tulit vlteriùs, ac si resideret auito
Innixus solio, vel in aula Linconiensi,
Aut medio Cadomi, quasi cultus immemor in quo
Captus habebatur, regaliter, ore diserto,
Corde leonino, vocem prorupit in istam:
„Prodeat in medium qui me de proditione
„Arguat, armatus veniat, subeatque duellum
„Me contra, si me super hoc conuincere possit.
„Non tamen vsque adeo virtus mihi deficit, vt me
„Fidentem de iure meo solitoque vigore
„Vincere quis possit, fiat quod iure cauetur.
„Lex mihi ni parcat, mortem non deprecor vltra.
„Si pro germanæ pugnaui iure, suumque
„Denique ius per me Tancredus reddidit illi,
„Imperium facto vestrum non læsimus isto.
„Parce precor nostris erroribus atque labori,
„Parce precor patriæ, meus Heu! quam depopulatur
„Frater, Francigenum in me qui mouet ipsius arma.
„Dum moror hic captus, mea Rex castella Philippus
„Diruit ad libitum, Gisorti mænia frangit*
„Iam sibi Paciacum, sibi iam subiecit Hibream,
„Iam Bellummontem cepit, castrumque leonum,
„Tu nouus es Princeps, instant tibi prælia, quæstu
„Multiplici video multoque numismate valde
„Nunc opus esse tibi, si vis superare tot hostes
„Quot modo contendunt tibi se præstare rebelles.
„Mille dabo argenti marchas tibi centuplicatas,
„Meque tibi sceptrumque meum subiecta fatebor.
„Commoda nulla tibi confert mea captio, nulla
„Laus est armatum palmis affligere* Regem.
„Iam nimis afflicto sine me succurrere Regno.
Annuit his princeps dictis, & mitior infit,
Claruit & paucis eius sententia verbis:
„Sicut dixisti facias, & liber abito.
Rex igitur dictum re firmat, & inde recedit
Liber, & Albidiam post tempora longa reuisit.
Anglia Rege suo gaudet veniente, Iohannes
Exulat, & Regi Francorum inuisus adhæret.
At iam Rodoliæ Vallis qua pascua lambit
Sydereis Audura vadis, qua lapsus in amnem
Famæ maioris, maius sibi nomen adoptat,
Qua procul hinc in se ridentem suscipit Aruam,
Nomen ei donando suum, qua Ridula pratis
Irrigat, arridens ridentibus, arua Bruonnæ:
Quicquid ab hinc spatij Fontem patet vsq; Serenum,
Vnde oriens hortis fluit vtilis Epta satisque,
Donec Sequanio procul hinc se perdit in amne,
Karolides validis totum possederat armis,
Qui prudens munit armis castella virisque,
Et fossata nouat, fractasque redintegrat arces,
Firmior vt multo quæuis munitio fiat,
Quàm prius extiterit, modica ne perdat in hora

*fregit

*confligere

Quæ

Quæ ſibi cum magno ſunt acquiſita labore.
Attamen Ebroicam ſtudio maiore refirmans
Armis & rebus & bellatoribus vrbem,
Pluribus inſtructam donauit amore Ioanni,
Vt ſibi ſeruet eam, tamen arcem non dedit illi.
Ille dolo plenus qui patrem, qui modo fratrem
Prodiderat, ne non & Regis proditor eſſet,
Excedens Siculos animi impietate tyrannos,
Francigenas omnes vocat ad conuiuia quotquot
Ebroicis reperit, equites ſimul atque clientes,
Paucis exceptis, quos ſors ſeruauit in arce.
Quos cùm depoſitis armis feciſſet in vna
Diſcubuiſſe domo, tanquam prandere putantes,
Euocat è latebris armatos protinus Anglos,
Interimitque viros ſub eadem clade trecentos,
Et palis capita ambuſtis affixit, & vrbem
Circuit affixis, viſu mirabile, tali
Regem portento quærens magis angere luctu.
Talibus obſequiis tali mercede rependens
Millia marcharum, quas Rex donauerat illi.
Tali quippe modo circumuenientibus Anglis
Horſus & Hengiſtus olim necauere Britannos
Patricios omnes ad prandia falſa vocatos,
E quibus euaſit ſolus Salebericus Eldo,
Qui rigidum nactus fortunæ munere palum,
Mille viros ſternens, indemni corpore fugit,
Ac hoſtes bello renouato poſtea vicit.
Tam deteſtanda pollutus cæde Iohannes
Ad fratrem properat, ſed res tam flagitioſa
Non placuit fratri. Quis enim niſi dæmone plenus,
Omninoque Deo vacuus, virtute redemptus
A vitiis nulla, tam dira fraudò placere
Appetat, aut tanto venetur crimine pacem?
Sed quia frater erat, licet illius oderit actus
Omnibus odibiles, fraternæ fœdera pacis
Non negat indigno, nec eum priuauit amore
Ipſum qui nuper ſceptro priuare volebat.
Tempore Rex illo caſtellum Vernolienſe
Iam tribus hebdomadis obſederat, improba cuius
Gens nimis & Francos aſſueta laceſſe lingua
In fore caſtelli Regem depinxerat ipſum
Armatum claua: ſed nec ceſſabat amaris
Irritare probris mutam viuentis idæam.
Sed iam magniloquos faſtus omninò repreſſit,
Vertice demiſſo Regem veneranter honorans,
Francorumque iugum portans ceruice coacta:
Seque dolet mutilam muris & turre ſuperba,
Quo Qex ſtrauit humi, ſumptu diſpendia paſſæ,
Diſcat vt hoc damno linguæ compeſcere damnum.
Qui poſtquam certus de proditione Iohannis,
Et gentis de nece ſuæ fuit, obſidionem
Soluit, & irarum ſtimulis agitatus, ad omne
Excidium partis aduerſæ totus inardens
Ebroicas primo ſic incinerauit, vt omnes
Cum domibus ſimul Eccleſias conſumpſerit ignis.
Inde cremando domos, prædando rura Kaletum
Intrat, & obſeſſis Richardum ſubmouet Archis.
Quem fuga dum raperet, equites fera bella gerebant

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Cum Francis, media se defendendo foresta. A
In quo conflictu, Liecestricus ille Iohannes
Inclytus egregiis mundo notissimus actis
Matthæo totis Marlitæ viribus hastam
Impingit per vtrumque femur: Matthæus & illum
Pectoris in medio ferrata cuspide pulsum,
Quamuis vnda fluat coxa ex vtraque, cruoris
Corporis immensi signare caractere terram,
Atque ipsum cogit superatum vincla subire.
Sed nec Francigenæ reliqui sine laude recedunt,
Dum claros actis viginti quinque Quirites,
Innumerósque ligant alios, plurésque trucidant.
Haud procul hinc portus fama celeberrimus atque
Villa potens opibus florebat nomine Deppe.
Hanc primum Franci sub eodem tempore gazis
Omnibus expoliant, spoliatam denuo totam
In cinerem redigunt, & sic ditatus abiuit
Cœtus ouans, quòd tot villa non esse, vel vrbe B
Diuitias, aut tam pretiosas diceret vsquam.
Inde reuertentes, posito Richardus in arcto
Cuiusdam nemoris egressu milite multo,
Cum famulis leuibus loca nactus commoda fundi,
Damnificauit eos, & multos cepit eorum
Agminis extremi spoliis rebusque grauatos.
Dehinc Bellummontem celer in sua iura reducens,
Bituriam subiit. sequitur pernicibus alis
Karolides ipsum: quem cùm sentiret adesse
Anglicus, insidias iterum molitur eidem.
Est inter Fractam Vallem Blesenseque castrum
Non multum celebri Belfogia nomine vicus,
Perplexus lucis, & vallibus horridus atris,
Quò dum fortè suis Rex cum Baronibus esset
Mane ferè medio prandens, nihilominus ibant
Agmina cum bigis & equis portantibus arma,
Vasaque, resque alias castrorum quas petit vsus.
Emicat è latebris subitò Rex Anglus, inerme
De facili vulgus ornatum rebus & escis
Dissipat, occidit, abducit, plaustra reducit, C
Sarcinulas, & equos, cophinos & vasa culinæ
Mensarumque, quibus argenti splendor & auri
Vasis præ reliquis pretium pretiosius addit.
Nec parcit raptor nummis quibus arcta tumebant
Dolia, nec saccis quibus ornamenta latebant
Scripta tributorum fiscique chryrographa, nec non
Cum reliquis rapitur rebus regale sigillum.
Tantaque passus ibi Rex est dispendia, vicum
Vt verè dicas à bello & fraude vocatum.
Nec dum prima quies populis, clamatur ad arma:
Arma viri rapiunt mixtim, non curat an eius,
An socij sint arma quibus se quilibet armat.
Arma sibi capiunt quæ proxima carpere possunt.
Sed iam se spoliis prædo prædaque potitus
Sparserat in lucos prudens vallesque remotas,
Qua Rex non poterat armatas ducere vires.
Qui simul aspexit hostes non esse sequendos,
Cœptum pergit iter, amissaque cuncta nouari
Imperat, & cura maiore nouata tueri,
Qui sibi pro rebus amissis vel meliora,

Aut

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Aut æquè pretiosa quidem reparare valebat
De facili, sed scripta quibus prænosse dabatur
Quid deberetur fisco, quæ, quanta tributa,
Nomine quid census, quæ vectigalia, quantum
Quisque teneretur feodali soluere iure,
Qui sint exempti, vel quos angaria damnet,
Qui sint vel glebæ serui, vel conditionis,
Quove manumissus patrono iure ligetur;
Non nisi cum summo poterit rescire labore.
Præfuit huic operi Galterus iunior ille
Hoc graue sumpsit onus in se, qui cuncta reduxit
Ingenio naturali sensusque vigore
In solitum rectumque statum, præstructus ab illo
Esdra, qui docuit reparare volumina legis
Atque Prophetarum, Psalmos Itideque* libellos,
Et Testamenti simul omnia scripta prioris,
Quæ cuncta impietas olim Chaldæa cremarat,
Vrbs quando sancta est à Principe capta Cocorum
Rege sub Assyrio, qui Regem lumine cassum
Cum captiuato populo tulit in Babylonem:
Cui laxatiuus inter conuiuia potus
* Fraude datus stomachum* ignominiosæ
Mœroris facta est mortisque in carcere causa.

* itidemque

Ioachin, siue Sedechian.

Domni Martini Comes interea Reginaldus
Boloniam toto Comitissam cum comitatu
Cui Rex addiderat, & Balduinus honoris
Iure Palatini clarus, proauisque superbus
Helisabeth frater Reginæ, Hennauius, atque
Flandricus Archicomes, Francorum Rege relicto
Regis ad Anglorum partes iam transtulerant se.
Multi præterea Barones eius amici
Occultè facti tecta illi mente fauebant,
Qui magnos sibi quosque viros in amore ligabat,
Cordaque Francigenum sibi venabatur auara
Muneribus crebris promissorumque lepore,
Argentum dum largus eis dispergit & aurum,
Ornamenta, cibos, exenia, prædia, villas.
Sed non Barrensem potuit corrumpere donis.

Contigit haud multo decurso tempore posthæc,
Virgo Dei mater quæ verbo se docet & re,
Carnoti dominam, laudabiliore paratu
Ecclesiam reparare volens specialiter ipsi
Quam dicat ipsa sibi, mirando prouida casu
Vulcano furere ad libitum permisit in illam,
Vt medicina foret præsens exustio morbi,
Quo Domini domus illa situ languebat inerti,
Et causam fabricæ daret illa ruina futuræ,
Cui toto par nulla hodie splendescit in orbe:
Quæ lapide exciso surgens noua corpore toto
Sub testudineo iam consummata decore
Iudicij nihil vsque diem timet igne noceri.
Multorumque salus illo prouenit ab igne,
Quorum subsidiis operis renouatio facta est.
Hostis enim generis humani semper iniquus,
Semper amat damnis superaddere damna, nec vnquam
Velle bonum, vel amare potest: mala non tamen vlla
Irrogat ipse, nisi Domino permissus ab ipso.
Sicque agit, vt facto semper delinquat in omni,

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Et tamen ex eius Deus actibus vtilitates A
Prospicit humanas, & vel peccamina punit.
Aut hominum reprimit à fastu corda superbo,
Iustificetur adhuc præsenti vt verbere iustus,
Et sordens sordescat adhuc examine iusto.
Firmat enim iustum morum patientia custos,
Obstinat iniustum vitiis implexa voluntas.
Sicque fit, vt facto bonus & malus hostis eodem
Nobis proficiat sibi dum nocet ipse suisque.
Non quia simpliciter bonus aut velit aut queat esse,
Sed quòd sit malis ipse bonis occasio nostris.
Sic mala Iudæis, nobis bona passio Christi,
In vitam nobis, in mortem transiit illis,
Eiusdemque rei quæ tam fuit vtilis orbi
Passio nos saluat, Iudæos actio damnat.
Æternoque placet patri hæc, dum displicet illa.
Et quia iam nostrum reddit tam durus anhelum
Callis equum, breuiter hic respirare sinatur, B
Vt leuius requiem post quartam currere possit.

MATERIA LIBRI V.

Quintus habet strages & particularia bella.
Rodolia de Valle fugat Rex obsidionem.
In triduo properanter agens iter octo dierum
Richardus Britones, capto Virsone, molestat.
Arturum patruo tamen illi reddere nolunt.
Dangutum vertit, simul Albumarumque Philippus:
Ipsius vnde volens Richardus castra leuare,
Vincitur, inque genu telo Gaillone feritur.
Nemurci Comitem capiunt tria millia Franci.
Vallorum obiurgant Beluaci Præsule capto.
Richardus voluit subito retinere Philippum
Milite cum raro, Curcellis forte meantem,
Quominus indignans filum illius Atropos occat.

LIBER V.

INterea sterili Comes obsidione Iohannes
Vallem Rodolij sub iura reducere fratris
Tentabat, cum quo Dauid Comes, Eboracensis C
Præsul, Hyrundellæ dominus verbosa superbæ
Rothomagi multitudo, siceræque tumentis
Algia potatrix, Lexouea fontis egena,
Quæ pro fonte maras gaudet potare lutosas,
In quibus à tergo bufoni bufo cohæret,
Quæ næuis sparso subicit se rana marito,
Frumentique parens Velgis, durique Caletes,
Oximijque sitos sterili se colle gementes,
Isti cum multis aliis communiter omnes,
Vnanimi voto, castrum expugnare volebant.
Sed iam cum populo miles conuenerat omnis,
Proxima quot poterant loca mittere Francigenarum
Auduræ rippis metati castra nitentis.
Ad quos Biturica Rex festinauit ab vrbe.
In triduo, mirum, complens iter octo dierum,
Nec descendit equo, nec membra quiete refecit
Vel modica, sudore fluens, & puluere sparsus
Sicut erat, transit Auduræ per vada primus.
Nec mora detinuit Francos, quin protinus ipsi
Contigui, solita leuitate ferantur in hostem.

Nec

Iam perturbatum: nec iam sua turpe putantes
Ignauæ dare terga fugæ, nemorisque propinqui
Lustra subire magis, quam se defendere pugna.
Diffugiunt equites proiectis eminus armis,
Vt leuius fugiant. pedites capiuntur, vbi se
Victori cursu nequeunt auferre pedestri.
Bituricis iterum cùm Rex in finibus esset,
Obsedit simili Bruerollas sorte Iohannes,
Turpiter indigenæ quem soli exinde fugarunt.
Ad Regis cursum redeo, quem more gigantis
Octo tribus complere dies potuisse stupesco.
Et quis non stupeat ipsum cum cætibus, armis
Munitum, penna quasi remige, non pede vectum,
Tempore tam modico, tot continuasse dietas?
Quis pede pennato cursorius aut peregrinus
In patriam voto cupiens remeare peracto,
Se iactare potest aliquando millia centum
Quadraginta tribus ita perrexisse diebus.
Non tanto post Narbazanem Bessumque refertur
Magnus Alexander olim properasse volatu
Festinans Dario dum Bractra subire perempto.
Talis Parisios memoratur adisse diei
Vnius spatio Senonensi Cæsar ab vrbe,
Quando Romanis eiectis Camulogenum
Parisij Regem sibi præsumpsere creare,
Illis Rothomago quem Neustria miserat vrbe,
Quare obsessa fuit, & capta Lutetia rursum.
Postea Rex iterum Richardus, Rexque Philippus,
Haud procul à Bituris stabant pugnare parati
Verùm Richardus animum reuocauit ab armis,
Solo se monitore fruens, & tactus ab illo
In cuius sunt corda manu, viresque potentum,
Seque sui libito domini submisit ad omne
Ipsius imperium penitus parere paratus.
Sacramenta nouat fidei, dominoque fidelem
Se fore iurat idem sub amica pace, sed infra
Temporis articulum pacem reuocauit eandem:
Quam quoniam facto violare nequibat aperto,
Famæ garrulium formidans, si manifesta
Existat domino sine causa fronte rebellis,
Occultè fieri procurat quòd manifesto
Non audet bello, faciens in canone fraudem
Et sic bellorum causam mouet arte latenti,
Cogatur primus vt bella mouere Philippus,
Præstet & inpostæ quasi ius iniuria menti,
Quo sibi sit licitum iam mota repellere bella.
Flumine Sequanio portus qui gaudia portans
Nomen habet, transfert in Belgica rura meantes,
Et qui Rodoliam festinant pergere Vallem.
Insula flumen ibi gemino discriminat alueo,
Fluminis in medio terræ communis vtrique.
Rex ibi Richardus celsam cum mœnibus arcem
Ædificat contra iuratæ fœdera pacis.
Cumque Philippus eum super hoc reprehenderet, ille
Excusabat se cauto fallaciter astu,
Dum facit vt lateat iniuria iuris in vmbra,
Seque cauillosa deceptio palliet arte.
Sed quamuis Regi de fraude liqueret aperta;

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Non tamen hæc animum res eius mouit ad arma. A
Perstat, seque alias Richardus vertit ad artes.
Prouocat in causam dominum Virsonis, eumque,
Ordine peruerso, iudex effectus & actor,
Conuenit iniusta coram se lite, super re
Ad Regis de iure forum spectante Philippi.
Non tulit indignans animi vir fortis, & vsque
Parisius veniens Regi mouet inde querelam.
Quàm foret ante tamen ad propria rura reuersus,
Omne quod eius erat subito Richardus adorsus,
Virsonum totum spoliat, capit, ipsius omnes
Destruit igne domos, prædas abducit opimas.
Proh dolor! eximium castrum splendoris abundans
Omnibus ad castri faciunt quæcunque decorem,
In nihilum redigit dolus improuisus, & hostis
Nec dum suspectus, nondum de iure timendus:
Quo non fertilius, quo non speciosius vllum
Biturigum fines modo perlustrabat apricos. B
Hinc etenim dextrum Sigalonica plana serenant
Frugifero iocunda solo, latus inde sinistrum
Lene fluens per prata virentia Carus amœnat,
Arboribus cultisque placens, patiensque carinæ,
Piscibus & multis iuuat vtilitatibus ipsum.
Rex vbi cognouit, quam sæpius antea fraudem
Expertus fuerat, missis qui Bituricana
Oppida munirent famulis, & milite multo,
Richardus simili ne fraude preoccupet illa,
Danguttim multis legionibus obsidet, vnde
Cùm Richardus eum conatus sæpe fuisset
Pellere, nec posset, Anduram transit, & ecce
Iam nonam circum Nicolaus munere captus
Tradit ei domus Vrsinum pauperrima villa
Cui fuerat; qui cum sensisset quàm scelerosa
Factio sit, fidei commissum sic violare,
Castellúmque sui domini sic prodere, Templi
Suscipiens habitum Syrias aufugit in oras.
Sed Rex Dangutto capto priùs impiger illuc
Tendit, & in fisci castellum iura reducit: C
Et quos Richardus illic dimiserat, omnes
Clausit compedibus vinctos in turre Medontæ
Quos Gascelinus seruabat, vir probitate
Splendidus, armorum studiosus, fortis & audax,
Dapsilis, & super afflictos pia viscera gestans.
Is dum præstat eis & potum largus & esum,
Sæpius in mensa patiens discumbere secum,
Incautus sibimet, medio dum potat eorum
Occidit à Sathanæ membris occisus, in ipso
Quo bibit articulo cultro sub corde recepto.
Conceptaque diu sic proditione patrata,
Occulta dudum limatis fraude cathenis,
Ostia recludunt, graduumque per ardua passu
Decliui ad terram descendunt turre relicta.
Cúmque tenebrosa fisi caliginis vmbra
Iam per posticos fugere in diuersa pararent,
Per totum subitò castrum turbore leuato
Concurrunt ciues, valuas crepitantibus obdunt
Et mox penè omnes capiunt, qui mane sequenti
Vultibus erectis sursum tollente gibeto

Digna

A Digna Ioui fiunt oblatio, iure leuati
A tellure procul, nec cœli in sede recepti,
Cùm neutro recipi mereantur vtrique perosi
Quos in se occillare sinit vix pendulus aër.
Pœna minor merito, si tantò sola daretur
Pœna hæc flagitio, verum magis illa timenda est
Exutos quæ carne manet punitio manes.
Richardus vero Britones inuasit, eosque
Cladibus affecit miserandis, castraque plura
Euertit, pagos malè depopulatus & vrbes,
Nec pueris parcens nec adultis, quin etiam ipso
Quo veneranda die celebratur passio Christi,
Multos occidit gladio multosque coegit,
Mortis inaudito molimine sæuus, obire
Ignibus & fumo, caueas & viscera terræ
Ingressos, mortis formidine quæ fugientes
Consequitur quocunque loco, quocunque recessu.
B Non tamen à Regis Britones ditione Philippi
Francorumque fide tanta feritate retraxit.
Sed nec eos induxit ad hoc vt reddere vellent
Arturum, patruo pro quo mala tanta ferebant.
Quem Guidenocus Venetensis Episcopus illo
Tempore seruabat puerum, Regique Philippo
Postea restituit sanum, qui cum Ludouico
Parisia puero puer est educatus in aula,
Indemnisque annos plures exegit ibidem.
Sed periit, patruo simul eius copia facta est,
Tutus ab externis, manibus truncatus amici.
Nec mora, Richardus Britonum de finibus exit,
Atque cateruatim comitantibus vndique signis
Per Baiocarum lolieta, per arua Caletum,
Præter Bellouagum propero rapit agmina cursu,
Iactans se Regi confligere velle Philippo,
Si non confestim discedat ab obsidione,
Qua sex hebdomadas consederat Albimarensis
Castelli muros scopulis & colle locatos.
C Eligit ergo bonis de militibus meliores,
De quorum mage fisus erat virtute fideque,
Vt secum veniant irrumpere castra repente.
Inter quos specialis erat fortissimus armis
Guido Thoarcites, Britonum Dux post breue tempus
Qui fuit, Arturi sumpto cum matre Ducatu.
Cum quibus Hugo venit Brunus Lisinanicus heros,
Et cum militibus Guillelmus Malleo multis.
Rex ita Richardus belli feruore calescens,
Talibus auxiliis dum vincere cogitat omnes,
Vsque sub ipsa gradu prorumpit castra citato.
Cuius in occursum non segnius euolat extra
Castra Comes Simon, Baro Barrensis, Alanus
Brito Dinamites, solium * cui nuper auitum
Richardi iniustè abstulerat violentia Regis.
Cum quibus electi iuuenum, quibus ardua virtus,
Et bellis assueta manus, nil esse timendum
Dictitat, ac vrget, tendant vt in ardua semper.
Quos simul aspexit leo fortis adesse, furore
Indomito, nouiterque viros per signa virorum.
Qualiter in tauros Lybici furit ira leonis,
Quos videt elatis in pascua cornibus ire,

Lolium est granum quod dicitur yuraie, quod abundat in illis partibus Normaniæ.

* *solum*

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Agmine conserto sese defendere promptos, A
Nec dare terga fugæ, nec eos tamen audet adire,
Dum non præsumit quod ei vectoria cedat.
Haud secus obstupuit Rex nobilis hoste propinquo,
Dum nec eos audet inuadere, nec tamen illum
Nobilitas animi permittit abire retrorsum.
Illud honore caret, sed plus habet vtilitatis,
Vtilitate vacat istud, præcellit honore
Vtile postposuit demum Rex fortis honori,
Quem retinere studet quantumlibet. Impiger ergo
Cuspide demissa manuum, calcaribus vrget
Congrediturque viris alacri leuitate, virique
Congrediuntur ei; pugnatur vtrinque vicissim,
Hastas confringunt, hebetantque frequentibus enses
Ictibus, & nudis agitur res dira cutellis.
More suo Barrensis eques desæuit in hostes,
Dum facit, ense viam qua Regem possit adire, B
Dum Regi conferre manum desiderat ipsi,
Tres equites prosternit equis, nec curat eosdem
Cogere vincla pati, dum plures sternere tendit.
Interea Comitis nec dextera cominus alget,
Nec reliqui proceres pugnant virtute minori:
Nec Pictaua manus minor est probitate, minusve
Laudis agunt, feriunt hostem, feriuntur ab hoste,
Sternuntur, sternunt, capiunt, capiuntur & ipsi.
In dubio est, nec scitur vtra victoria parte
Stare velit, cui propitium fortuna fauorem
Præbeat; Euentu dubio pars vtraque pugnat,
Donec Rex inter tot millia vidit Alanum
Cassida qui medio reparat in limine lapsam.
Stabat agro, quem cùm nouisset ab agmine denso
Exit, & erecta plano secontulit hasta,
Festinatque viro rapido se iungere cursu.
Nec minus vt Regem conspexit Brito venire,
Se parili voto collidere gaudet eidem.
Lancea sed Regis clypeo quassata forato
Frangitur, & voto Regis parere recusat.
Nec Regis clypeum Britonis forat hasta. sed vltra C
Dissiliens abiit, manuque sub ilibus acta,
Inter vtrumque femur, preacuta cuspide caudæ
Iuncturam rumpens, ibi demum fracta quieuit.
Rex quadrupesque cadunt, sed mira Rex leuitate
Surgit, & aptat equo citiùs spe membra nouato.
Et iam terga fugæ mandabant agmina turpi:
Rex quoque non poterat tantos sufferre furores.
In primis capitur Britonum Dux Guido futurus
Cum multis aliis. Franci fugientibus instant:
Nudatur campus, fugientes chara relinquunt
Pignora, ter denos equites aliosque minores
Quinquaginta viros. Ast toto Francigenarum
Ex numero nullum tetigit vel captio vel mors.
Gaudia pro tanto Franci per castra triumpho
Exercere student, expugnatumque diebus
Quadraginta nouem, captum vix denique castrum
Funditus euertunt, vix vt vestigia restent.
Rex Richardus abit tristis nimiúmque tumenti
Corde ferens equitum dispendia tanta suorum
Seque fuga campum turpi nudasse, nec vllum

De

A De tot Francigenis dubij in certamine Martis
Vel donasse neci, vel saltem ducere captum.
Nec multo post hæc Gaillonis cingere muros
Obsidione volens, ibat prope mœnia castri,
Explorando vias quibus ascensu leuiori
Difficilique minus arcem penetrare valeret.
Quem dominus castri summa de turre Cadocus
Intuitus, iaculum balista misit ab arcu,
Perque genu Regis in equi latus impulit ictum.
Vertitur in gyrum quadrupes, dominumque suorum
Vix tulit ad cætum lethali cuspide læsus,
Gaillonis domino, viuat modo, multa minantem.
Qui cùm post mensem medicamine plaga potenti,
Et docta resecante manu sanata fuisset,
Fortior & multo solito indignantior iras
Suscitat, & frendens sitit arma vigore resumpto:
B Vt coluber vetula nudatus pelle, nitenti
Ad Solem tergo dentes armare veneno
Perstat, & expectat in quem sua spicula figat,
Quemve noui perimat primo liuore veneni.
Protinus externis Anglorum finibus agmen
Vallorum immensum numero vocat, vt nemorosa
Per loca discurrant, ferroque ignique, furore
Innato, nostri vastent confinia Regni.
Gens Wallensis habet hoc naturale per omnes
Indigenas primis proprium quod seruat ab annis.
Pro domibus syluas, bellum pro pace frequentat,
Irasci facilis, agilis per deuia cursu,
Nec soleis plantas, caligis nec crura grauatur,
Frigus docta pati, nulli cessura labori.
Veste breui, corpus nullis oneratur ab armis.
Nec munit thorace latus, nec casside frontem,
Sola gerens, hosti cædem quibus inferat, arma,
Clauam cum iaculo, venabula, gesa, Bipennem,
Arcum cum pharetris, nodosaque tela vel hastam
Assiduis gaudens prædis, fusoque cruore.
Raro fit vt quis ibi subeat, nisi vulnere, mortem.
C Si cui quis proprium sine cæde obiisse parentem
Improperare queat, summum putat esse pudorem.
Caseus & butyrum cum carnibus haud bene coctis
Delitiosa viris reputantur fercula magnis,
Arboris infixæ trunco, quas sæpe prementes
Sic etiam comedunt expresso sanguine tantum.
Hæc vice sunt panis, pro vino lacteus humor.
Hi nostros fines, aditus vbicunque patebant
Prædantes inconsolabiliter cruciabant:
Cum senibus iuuenes, pariter cum prole parentes
Quos ita constrinxit exercitus Ardelianæ
Vallis in ingressu, turmis prudenter & ante
Et retro dispositis, quòd eorum morte ruisse
Viderit vna dies tria millia bisque ducentos.
Facta mouent regem Richardum talia, nec se
Claudere corde potest, grauis indignatio totam.
In sua tres vinctos ergastula forte tenebat
Francigenas, quos mox, audita strage suorum,
Præcipitans sæuus alta de rupe deorsum
Littore Sequanio, muros vbi postea ruppis
Gaillardæ struxit, ferali turbine missos

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Iudicio nequam nocuit nil tale merentes, A
Offibus & neruis toto cum corpore fractis,
Protinus exoculat ter in ipso carcere quinos,
Monoculumque ducem dat eis, vt sic regat illos
Francorum ad Regem: qui iusta concitus ira
Anglos supplicio simili mulctauit eodem
Sub numero, tractosque simul de carcere Regem,
Vnius illorum duce coniuge, misit ad Anglum;
Atque alios scopulo tres præcipitauit ab alto:
Ipsum Richardo ne quis putet esse minorem
Viribus aut animo, vel eundem forte timere.
Prouidet his qui propter eum sunt exoculati,
Atque releuati quibus illi rebus egebant,
Vt sat eis sit quod ad vitæ competat vsum.
Inde per irriguas valles vada transuadat Eptæ
Richardus fines ingressus Bellouagenses,
Immensasque hominum prædas pecorumque, peremptis
Pluribus, abducit. præsul ruit obuius illi B
Beluaci, cum quo Guillelmus nobliis ille
Melloti dominus, patriam defendere tentat,
Quos Marchaderi sic clausit rupta, quòd ambo
Dum patriæ pugnant capti vinctique cathenis
Carcere multa diu clausi tormenta tulerunt
Idem Præsul erat Roberti clara propago,
Qui Grossi fuerat Lodouici regia proles:
Et sic natus erat Regi patruelis, at illum
Nil iuuat Ecclesiæ Prælatio, nil sacer ordo,
Propria nil probitas, generis nil gloria tanti,
Quin inclusus ita minimus de plebe satelles
Carcere pœnali per multos squaleat annos.
Elapso posthæc non multo tempore frater
Flandrini Comitis, & erat Nemurcius idem
Iure Comes, patrio confinia Lensica multo
Milite dum lustrat capitur, sociique bis octo
Qui comitabantur ipsum, quos Regis amici,
Illas dum partes ex eius parte tuentur,
Bello confectos compellunt vincla subire.
At Rex Anglorum conceptam Præsule capto
Lætitiam nec corde potest includere totam, C
Atque suo pugnam domino committere toto
Corde sitit, quocunque velint se vertere fata
Cuius cum mille & quingenti militis esset
Armati numerus, bellatorumque minorum
Millia dena quater, & Marchaderica rupta
Excedens numerum, certus de Rege Philippo
Mœnia Gisorti, quod solus pene petebat,
Iuxta Curcellas galeato milite campos
Et valles implet, per Vergica rura cohortes
Ordinat armatas, pateat via ne qua Philippo.
Qua, quò tendebat, Gisortum possit adire.
Nescius ille doli, vel vbi rex Anglicus esset,
Cuncta Medonteno dimiserat agmina castro,
Nilque sibi metuens ducebat in agmine tantum
Quadraginta quater equites, centumque clientes.
Et iam transierant Curcellas, mœnia quarum
Fregerat, & dominum captum Rex duxerat Anglus
Robertum, plaga crudeli in vertice cæsum.
Vt vidêre viris coopertas vndique valles

Armaque

A Armaque per campos solis duplicantia lucem
Obstupuêre nimis, nec erat via libera qua se
A dextris possent emittere, siue sinistris.
Rex tamen impauidus per iter quod ceperat, ibat:
Quem Male-vicinus per habenas cepit, & ipsum
Talibus alloquitur, furiata mente, Manasses
Consilio siquidem fortis, sed fortior armis:
„Quo ruis, ô perite? quibus iam possumus armis
„Auxilium præstare tibi? cur velle videris
„Sponte tuos & te cæcis inuoluere fatis?
„Qualiter hæc tam pauca manus tot millibus ausit
„Pugnare, vt vitam saltem vna protegat hora?
„Non tot Alexander Græcos in prœlia duxit,
„Non tot Achon ratibus Xerxes transnasse putatur,
„(Epotasse licèt dicatur flumina prandens)
„Quot nos expectant. nunquid non cernis, vt omne
B „Præpediatur iter, nec quò transire queamus
„Vallibus aut agris aditus patet? Ociùs ergo
„Dum licet, & nondum nos vndique circuit hostis,
„Fræna retorquentes loca nos in tuta feramus:
„Vel potius tu solus abi, nec te pudor vllus
„Detineat, dum nos pugnando resistimus hosti.
„Funeris est nostri facilis iactura, sed in te
„Totius posita est & spes & gloria Regni:
Te solo, nihil est timeat quod Francia, sano.
Plura locuturo nimia Rex feruidus ira,
„Absit vt incœptum pro quolibet hoste relinquam,
„Dixit, iter, refugove gradu vestigia vertam.
„Nos via regalis Gisortum ducat oportet.
„Absit, vt in Regno nos terreat aduena nostro,
„Si nobis via, si campi, vallesque negantur,
„Vt nunquam pateat aditus qui nos ferat extra,
„Ense viam faciat medios sibi quisque per hostes.
„Hoc duce perficiemus id quod cœpimus. absit
„Vt fuga Francorum Regi queat improperari.
„Virtus non numerum pensat, sed corda virorum.
Dixit, & egregia medium probitate per agmen
C Prosilit, vnanimes parili leuitate feruntur
Francigenæ quasi vir vnus. mucrone corusco
Dilatat sibi quisque viam, nec multa morati,
Pugnando Regem statuunt in plana, fugatis
Hostibus & stratis quam pluribus atque peremptis,
Vt modo promisit, recto se calle ferentem:
Qui dum illæsus abit, fugit improbus hostis, & ægra
Mente dolet, quòd eis ita victis victor abiret.
Interea pugnant Francæ decora inclyta gentis,
Damnificántque hostes rubricantque cruoribus herbas:
Et dum non possunt tot millia vincere pauci,
Vt de fallaci fortunæ fidere vultu
Præsumant quandoque minus, pars maior eorum
Cedere dum nescit, dum vinci nescia pugnam
Incessanter agit, capti retinentur ab hoste.
Marlicius capitur Matthæus, cumque Philippo
Nantholide Petrus, cui Sus cognomen habetur:
Et Galterus erat Portæ qui nomine notus,
Ac alij Proceres bello præclara iuuentus
Nonaginta duo, quos ordo decorat equestris,
Egregij generis omnes & nominis alti.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Pons quoque Gisorti, quo ferrea porta subitur,
Dum tot ferre nequit cursu properante meantes,
Frangitur, & secum plures in flumine fundit.
At Regis sonipes medium cum Rege per amnem
Indemnis ripam se vexit in vlteriorem.
Sicque fit ex numero quòd Rex non perdidit omni
In fluuio quenquam mersum campove peremptum.
Rex verò Anglorum cum nonaginta duobus
Militibus captis victor sibi visus, abacto
Gaillardum petiit primi iam tempore somni,
Lætus & exultans, vix gaudia tanta receptans.
„ Proh! quàm gnara nihil mens est humana futuri!
„ E heu! quam cæcos oculos habet, vt sibi nunquam
„ Præteritos memoret casus, metuatve futuros,
„ Nil ventura cauens, tantùm præsentia curans!
Hæc cedet Richarde, tibi victoria damno,
Inque breui fiet quòd eam gessisse, tuoque
Te domino quocunque modo pugnasse, pigebit,
Cui tua te docuit nunquam confligere mater,
Sed domino deferre tuo reuerenter honorem:
Cum tibi quadrello medium per corporis acto
Mors erit in foribus, dum te nec passio Christi
Nec Quadragenæ cohibent sacra tempora bellis.
Hac tibi morte calax * tuus est homicida futurus.
Quid temerè gaudes? quid te victore superbis?
Stulte quid exultas? quid te sic vexat inanis
Gloria? lætitia præsenti rumperis, & quid
Crastina sit latura tibi non respicis hora,
Aut quo fine queant præsentia gaudia claudi?
Gloria quàm fallax, quàm sors humana vacillans
Rerum metitur fines prudentia. cur non
Gratus agis grates Domino? cur das tibi soli
Quæ dedit illius tibi permissiua voluntas?
Insanis si tale tibi contingere semper
Posse putas, nec se pręsens status amodo mutet,
Tanquam stare velit passu fortuna tenaci.
An nescis dominæ mores? quos tollit in altum
Absque mora casu grauiore reducit ad imum.
Semper agit præ se lapsum sors læta latentem.
Exaltatur enim cordis tumor ante ruinam
Quæ premit incautos, improuisoque cadentes
Supplicio afigit, quod homo de iure meretur,
„ Dum parit ipse sibi propriis incommoda factis,
„ Vt qui præsumit de se, qui noluit esse
„ In culpa sapiens, in pœna denique discat
„ Quam se debuerit humilem præstare triumphans.
Tunc equidem magis est reprimenda superbia semper,
Quando Dei nobis miseratio subiicit hostem;
Quando dat immeritis mundi labentis honores,
Ne dantis donum simul amittamus, & ipsum
Qui nobis solus hæc omnia donat & aufert.
Rex, cui te iactas temere incussisse timorem?
Quem vicisse putas potius te vincit & ipse,
Per medias acies ipsum retinere volentes
Dum facit ense viam, confundens teque tuosque
De te deque tuis inuicto Marte triumphat,
Et verè multos sibi plus acquirit honores
Euacuando tuas, tam raro milite, vires,

Quàm

A Quàm tu cum multis paucos retinendo Quirites.
Illius est igitur, iam non tuus, iste triumphus.
Temporis haud multum post hæc effluxerat, & iam
Post Quadragenæ medium veneranda fideli
Præbebat celebrem populo se passio Christi:
Lemouica regione procul, mirabile factum,
Contigit. in Calacis patria dum vomere quidam
Rusticus imperio domini, cui nomen Achardus,
Sulcat humum viciam miliumve saturus in illa,
Census absconsos in arato repperit agro,
Inuentósque suo domino detexit, at ille
Sustulit inde latens paucis sub testibus aurum,
Vt perhibent qui rebus amant mendaciter vti.
Cognita Richardo res præconante fit ista
Garrulio famæ quæ magna minoribus addit,
Et gaudet miscere loquax mendacia veris.
B Dulciloquo famæ garritu lætus, omissis
Omnibus, huic operæ nisus accommodat omnes,
Vt quocunque modo, vel vi, vel amore, repertum
Reddere thesaurum sibi compellatur Achardus.
Primo scribit ei, nec proficit. ergo cohortes
Concitat, & Calacis se mœnibus applicat armis
Horridus, & minis confundere cuncta minatus,
Ni sibi suspectum mox ille refuderit aurum.
Supplicat, & sacris treugas petit ille diebus
Transierint saltem donec solemnia Paschæ
Criminis immunem se protestatur, & eius
Ignarum facti quod Rex imponit eidem.
Se quoque promittit passurum mente benigna
Quicquid eis super his Francorum Curia dicet,
Quæ Regni Proceres distinguere * debet, & ipsum.
Rex magis inde furens surdescit ad omne quod ille
Proponit verbum, non attendit rationes
Non ius, non æquum. quod ei placet, hoc sibi rectum
Iudicat, & toto nisu instat prendere castrum.
Iam pars murorum ruerat quammaxima, turris
Ipsa labat, nec habet quo se defendat Achardus.
C Est vbi dat vires sibi desperatio, quod fit
Quando premit miseros fortuna miserrima rerum,
Quando fit vt nequeant iam deteriora timeri.
Sex equites pugnant in turre, nouemque clientes
Qui certant totis defendere viribus arcem:
Quoque minus se posse vident euadere mortem,
Hoc magis audaces morti pugnando resistunt.
Nec timor vllus adest vbi spes est nulla salutis.
Pro iaculis tabulata, trabes, & fragmina turris
(Missile quando manus aliud non inuenit vllum)
Certatim iaciunt, nec cessant multiplicatis
Iactibus hostilis numerum attenuare cohortis.
Atropos interea Clothon Lachesimque sorores
„Talibus alloquitur: Quid tantum Clotho ministras
„Vnde neat Lachesis Richardi Regis ad vsum?
„Quid iuuat immerito tantum impendisse laborem,
„Quem nimis, vt video, patientia nostra superbum
„Efficit, & nobis reddunt bona nostra rebellem?
„Munere qui nostro nimium præsumit abuti,
„Tanquam victurus semper, nunquamque potestas
„Sit mihi, quando velim quod nectis rumpere filum,

* distringere

PHILIPPVS AVGVSTVS.

A

„Qui sacros violare dies tempusque beatum
„Quod Pater Altitonans, qui nos dedit ipse ministras
„Esse suas, proprij sacrauit sanguine nati,
„Audet auaritia nimiaque cupidine ductus:
„Qui domino percussa suo tot fœdera rupit,
„Quem voluit nuper comprendere. transeo fraudes
„Partibus in Syriæ gestas, Regnoque Panormi.
„Transeo naturæ violato iure querelas.
„Quæ te Clotho mouent ad nostram murmura vocem,
„Cùm sis nil aliud nisi vis, quam Summus ad esse
„Tempore quæque suo pater euocat vt libet illi.
„Vnde tenere colum tantùm potes, & nihil vltra.
„Tuque quid es, Lachesi, nisi sors, qua conditor idem
„Iam producta regit, vegetat, ducitque per esse.
„At mihi qui dominor cunctis, conuersio nulla est,
„Nil obstare potest, mea vis propellit abesse.
„Quicquid adesse venit per vos curritve per esse.
„Iam satis est, vrget patris irreuocabile verbum.
„Fac tua Clotho colus mardescere discat, & iste
„Detumeat, Lachesi, torques quem pollice fusum.
„Vtilius fusos potes imprægnare Philippo,
„Qui nos, qui nostrum patrem reueretur, & eius
„Exhibet obsequiis, & honorat vbique ministros.
„Quid trepidas, quid, Acharde, times? tua turris in arcto
„Nunc posita est, casumque timens iam libera fiet.
„Adiutrix tibi iam venio. quid spicula nulla
„Esse tibi dicis? in muro respice fixa.
„Sub trabe te iuxta quadratæ cuspidis vna
„Pendet arundo, breuis quam Richardus tibi misit.
„Dum dare te morti subitæ desiderat: hanc tu
„Porrige Guidoni balistam qui tenet arcum,
„Vt sua quæ misit Richardo missa remittat.
„Hac volo non alia Richardum morte perire.
„Vt qui Francigenis balistæ primitus vsum
„Tradidit, ipse sui rem primitus experiatur:
„Quamque alios docuit in se vim sentiat artis.
Atropos hæc. eius placuerunt verba duabus.
Clotho colum nutat, Lachesis sua pensa reponit.
Non minus interea Richardus mœnia circum
Itque reditque frequens, quem contemplatus ab arce
Guido nucem voluit balistæ pollice læuo,
Dextra premit clauem, sonat vna neruus, & ecce
In Regis scapula stabat fatalis harundo.
Omnia luctificus subitò per castra tumultus
Exoritur, miles repetit tentoria mœstus
Armis depositis, ruit in lamenta iuuentus:
Ad stratum primum Regem regale reducunt,
Parcius insiliunt victi mœrore manipli.
Obliti pugnæ lachrymas, non tela profundunt.
Obsessi exultant, nec iam se celat Achardus,
Depositoque metu per propugnacula tutus
Cum sociis gaudet discurrere, iam hoste remoto.
Interea Regem circum stant agmina mixtim:
Apponunt Medici fomenta secantque Chirurgi
Vulnus, vt inde trahant ferrum leuiore periclo.
Nec lethalis erat percussio, sed Medicorum
Rex & amicorum monitus audire salubres
Aufugit: vnde malæ Veneris dum gaudia sano

B

C

Præfert

Præfert consilio, mortem sibi nescius adscit
Atropos, & filum iam superat. Ocius ergo
Soluitur in mortem Rex inuictissimus, & quo
Anglorum sceptris melior non præfuit vnquam,
Si Regi seruare fidem, cui subditus esse
Lege tenebatur, Regemque timere supremum
Cura fuisset ei. Cuius cor Rothomagensis
Ecclesiæ Clerus argento clausit & auro,
Sanctorumque inter sacra corpora, in æde sacrata
Compositum nimio deuotus honorat honore:
Vt tantæ Ecclesiæ deuotio tanta patenter
Innuat in vita quantum dilexerit illum,
Cuius adhuc manes tanto dignatur honore.
At caput & reliquum tumulatum est cum patre corpus
Ad Fontem Ebraldi. Proh! quàm mutabilis ordo
Regnorum! quàm dissimiles sibi sæpe merentur
Regna Duces! succedit ei quo peior in orbe
Non fuit, omnimoda vacuus pietate Iohannes.
Frater erat. fratri fato succedit iniquo,
Cui magis Arturus succedere debuit, vt qui
De primogenito genitum se fratre gerebat.
Alea sortis ei nocuit, quia sæpe resistit
Indicio series nostro contraria fati.
Hic mihi Musa querens odiosæ tædia curæ,
„ Lassor, ait, metam placet hîc mihi figere. Regis
„ Exigit in tanti finiri fine volumen.
„ Fac habeat finem Liber & Richardus eundem.
„ Me suadet tecum labor indulgere quieti.
Vnum si demas, à Christo mille ducenti
Anni succedent, ad Regis fata Richardi.
Mentis segnities excusatoria semper
Verba dat ignauo, nec curat ei dare curam
Qua velit, expulso torpore, subire laborem,
Quo fieri fiat virtutis idoneus hospes,
Quæ gaudet torpore carens Comes esse laboris.
Sit breuis ergo quies, ne si mora fecerit vsum,
Langueat, & captæ dominetur inertia mentis.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

B

C

MATERIA SEXTI LIBRI.

In sexto patruus scelerat se cæde nepotis,
Hugonem Brunum spolians vxore Iohannes,
Gornacum meruit, & plurima perdere castra.
Arturus temerè præsumens credere Pictis.
A patruo captus tandem iugulatur ab illo.
Obsidet Andelij, quod dicitur insula, castrum,
Arturique studet vltor necis esse Philippus,
Cuius nocte parat irrumpere castra Iohannes.

INCIPIT LIBER SEXTVS.

POst alternatam requiem, post dulcia somni
Tempora, Musa, leues expergiscamur oportet,
Vt subeamus item pulso languore laborem.
Dicere restat adhuc quanta virtute Philippus
Gaillardum cepit, quàm forti mente Bouinis,
Munere diuino, stabili nos pace beauit.
Tinge tuæ calamum linguæ, quo verior extet,
Cordis attramento veraci. vera referri

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Facta volunt scripto, nec amant tam lucida ficto, A
Vt magis eniteant depingi gesta colore.
Historiæ verax veræ stylus est adhibendus
Quæ mendicatis lucere nitoribus odit,
Cui satis est propriæ radio lucescere lucis.
Iam post Regis erat Richardi fata Iohannes
Anglorum factus bubone Monarcha sinistro:
Qui patrum metuens amittere iura suorum,
Si non obtineat pacem cum Rege Philippo,
Follibus impletis argenti cautus & auri,
Sed cautus, commendat ei per munera supplex,
Vt sub eo teneat ea quæ Richarde tenebas;
Cetera quæ fuerant armis obtenta resignans.
Et sic abruptæ renouato fœdere pacis,
Se tanquam domino subici iurauit eidem
Iure feodali soluendo tributa quotannis.
Dumque videt vultu sibi fata fauere benigno, B
Impetrat eiusdem sub pacis tempore, neptis
Vt sua felici Ludouico fœdere nubat,
Candida candescens candore & cordis & oris.
Nomine rem signans, intus qua pollet & extra:
Quæ regale genus ducens vtroque parente,
Nobilitate tamen animi præcellit vtrisque:
Cuius adhuc genitor rex Hildefonsus Iberos
Rite regis, Regni Castellæ rector, & hæres;
Mater vero fuit Anglorum filia Regis.
At Comes Atrebati natarum cara duarum
Pignora cum Flandris Henaudinisque relinquens,
De patria tota tam diuite, tam speciosa
Se cruce signatum, cogente timore, relegat
Richardi metuens post Regis fata Philippum,
Cui periurus erat, cui se subduxerat hostes
Illius vetitis capitales dum iuuat armis,
Cum quo Blesensis Comes, & quos cauteriata
Corda remordebant parili quos labe notatos
Mens accusabat sceleris sibi conscia tanti,
Se cruce consignant simili formidine ducti,
Obsequiumque cruci spondent Dominique sepulchro. C
Dumque illuc pariter festinant, inter eundem
Constantinopolim capiunt dignáque peremptum
Induperatorem cogunt nece predere vitam,
Qui præsumebat regnare nepote necato,
Cui genitor moriens tutorem fecerat illum.
Mox Balduinum Franci communiter omnes
Præfecere sibi, summo vt decoratus honore
Imperium teneat Græcorum nomine solus,
Francorumqúe fuit ex illo Græcia frænis
Passa gubernari, nostro Ecclesiastica ritu
Sacramenta colens, Græcismi lege relicta,
Vrbibus in plerisque loquens idioma Latinum.
Bolonides etiam cruce se signarat, vt ipsi
Et sua cum reliquis crucifixo vouerat arma.
Noluit esse tamen Comes aut adiutor eorum
Aut Regis terrore suam dimittere terram,
Quem veniæ facilem norat, summéque benignum
Atque animo tam clementi suplicantibus esse,
Vt nunquam veniam conuerso deneget hosti.
Vnde licet varia vice iam defecerit illum,

Quamuis

A Qamuis indignum venia se sentiat, vt qui
Rumpere tot pacis formas præsumpserat, audet
Offenso suplicare tamen, veniámque precari:
Obtinuitque suplex facili suplicamine pacem
Quam dedit indigno bonitas innata Philippi,
Qui plusquam petere aut sperare auderet, ei se
Munificum exhibuit, adeo vt Comes ipse stuperet.
Nam bonus antiquas abigens à corde querelas
Non alio est Comitem deinceps dignatus amore,
Quàm si non fuerit aliquando læsus ab illo,
Passus vt illius sit filia lege iugali,
Nato iuncta suo sub firma pace Philippo.
Reueraque Comes fuit extunc fidus eidem,
Fortis & adiutor in prælia tempore longo,
Princeps quinque super Comitatus factus ab illo.
Dehinc quia semper erat Comes indiuisa Iohanni
B Regi proditio, nec se cohibere valebat,
Quin illam quocunque modo proferret in actum,
Pax indigna diu non digna sede morari
Se subtraxit ei qui dignus non erat illa,
Hostes ex propriis miser ignarusque futuri
Diuino sibi iudicio procurat amicis
Colligit & virgas quibus olim vapulet ipse.
Hugonis Bruni, Comitatu Marchia cuius
Rite regebatur, sponsam rapit, inque mariti,
Inque Dei præiudicium sibi copulat illam,
Cuius erat genitor Comes Engolemensis, & eius
Gaudebat genitrix patrueli Rege Philippo,
Filia quæ Petri fuerat Cortiniacensis,
Quem Grossus genuit Rex Regem post Ludouicum.
Præterea Comitis Augei nobile castrum,
Quod populi indigenæ Driencuria voce vocatur,
Obsidet, atque ipsum domino fallaciter aufert,
Hique duo Comites tunc in regione remota
Mandato Regis eiusdem bella gerebant,
Quos vbi fama suis de damnis certificauit,
Ac ignominiis tam turpibus & manifestis:
C Continuò ad Regem Francorum tendit vterque,
Iustitiamque petunt fieri sibi. Protinus ille
Obseruaretur vt iudiciarius ordo,
Præmonet, exhortans scriptis missisque Iohannem,
Vt factum sine lite suis Baronibus istud
Emendare velit, mentisque refringere motum,
Quo se Baronum priuabit amore suorum.
Ille dolo plenus, & fraudem fraudibus addens,
Fallere non dubitans quem sæpè fefellerat, illi
Talia præsumit fallaci scribere lingua.
„ His ego sum dominus, tu Rex mihi, vera fatebor,
„ Absit vt à veri mea tramite verba reflectam,
„ Absit vt à domini Regis ditione reflectam.
„ Ius tamen est, & tu rectum esse fateberis, vt qui
„ Sunt mihi subiecti subeant examina nostri
„ Prima fori, qui si defecero fortè, quod absit,
„ Iudicio Parium tunc me tractabo meorum.
„ Accedant igitur prius ad me, iudicioque
„ Stent nostro, faciam quicquid ius iusserit illis,
„ Consilióque illos Parium tractabo suorum,
„ Vel sine lite magis omni cessante querela,

PHILIPPVS AVGVSTVS.

„ Vt maiestatis saluetur gratia vestræ, A
„ Restituam plenè, nulla mihi parte retenta,
„ Omnia quæ per nos sibi adempta fuisse queruntur.
„ Fiat & vt nostro reuerentia maior honori,
„ Cùm sic pro causa nos sollicitetis eorum,
„ Cuncta resarciri faciam nihilominus illis
„ Plenè quæ per nos se damna tulisse probabunt,
„ Tu præfige diem quo pleniùs exequar ista,
„ Deinde satisfaciant vultu patiare benigno,
„ Si quid eos contra me deliquisse docebo.
Scripta placent Regi ficto condita lepore,
Assignatque diem, certumque locum, quibus ista
Ducat ad effectum stans verbo pacta Iohannes.
Sed qui vallato per scripta patentia pacto
Stare tenebatur, verax, ambago remota.
Non tamen vt pactus erat ad loca pacta venire,
Nec saluum præstare viris pendente querela B
Conductum iuris, vt postulat ordo, volebat.
Illusi redeunt Comites, Regemque reposcunt,
Audiat vt causas vtriusque Iohanne citato,
Qui se suspectum totiens reddebat, & esse
Non poterat iudex his quos spoliauerat ipse.
At Rex longa nimis patienter vincere malens,
Quàm subito damnare reum, ne forte quis ipsum
Alterius sibi ius putet affectare, Iohanni
Scribit item, scriptoque minas regaliter addit.
Ille pudore carens rem tam fallaciter actam
Nugis & tali studet excusare colore.
„ Audiat, & nostris placidè sermonibus aurem
„ Inclinare velit dignatio vestra benignam,
„ Quam diuersa trahant, quam summa negotia Reges
„ Vestra quidem plenè dominatio nouit, vt à quo
„ Tam laudabiliter regitur tam nobile Regnum.
„ Assignata dies siquidem fuit, attamen illa
„ Ardua causa nimis, & inexcusabilis vltra
„ Quàm credi possit nos absentare coegit.
„ Quod de conductu quereris, qui debuit illis
„ Præstari, saluo dominantis honore, necesse C
„ Non fuit hoc fieri, cum non possemus adesse
„ Quos inopina nimis alias occasio traxit.
„ Nunc veniant & quod iuris dictauerit ordo
„ Exhibeatur eis, cesset dilatio, totum
„ Curia litigium momento finiet vno.
„ Andegaui liti locus assignetur, & ipsi
„ Louduni expectent, donec mittatur ad illos
„ Qui tuto conducat eos saluoque reducat.
Talibus atque aliis vox deceptiua Iohannis
Verba dabat vaniloquiis, Regique placere
Dum putat ingratus magis esse meretur eidem,
Et dum blandiloquis vult illum fallere verbis,
Se magis atque magis elongat ab eius amore.
Et quamuis liqueat cunctis de mente maligna,
Quamuis ei possit licitè iam bella mouere,
Expectat patienter adhuc si forte malignos
In melius studeat mutare salubriter actus.
Corripit & scriptis monet asperioribus illum,
Indignansque nimis in verba minacior exit.
Denique consumptis per tot mendacia scriptis

Se

A Se Regi astringit vinclo maiore Iohannes,
Firmius & scripto vallat noua pacta patenti,
Obligat & sese duo fortia tradere castra
Bothauan & Tileras, sic assignanda Philippo
In contraplegium, quòd si defecerit vltra
Ex tunc sint Regis Francorum iure perenni.
Assignatque diem certum quo tradat vtrumque,
Et quo restituat comites, prout restituendos
Curia censuerit omni rancore sepulto.
Adueniente die nec verbo stare Iohannes,
Nec scripto voluit, nec pactas mittere treugas,
Vt possent tuti comites examen adire.
Dissimulare nequit totiens clementia Regis,
Quàm grauis iratam trahat indignatio mentem.
Exerit & iustis se motibus ira, nec vltrà
B Sustinet, vt sua fallaci fallacia prosit,
Ne totiens doleat dolus vtilis esse doloso,
Qui iusta gaudet in agentem lege reuerti,
Inque suum auctorem se iure reciprocat ipsum.
Obsidet ergo duo sibi quæ tradenda fuerunt
Oppida, si pacto voluisset stare Iohannes:
Hebdomadisque tribus valido pessundat vtrumque
Marte, sibi frangens muros, terræque coæquans,
Dehinc longum campum Mortis mare, dehinc leritatem,
Deinde Leonei subicit sibi mœnia castri.
Non procul hinc vicum populosa gente superbum,
Diuitiis plenum variis, famaque celebrem,
Rure situm plano, munitum triplice muro,
Deliciosa nimis speciosaque vallis habebat
Nomine Gornacum, situ inexpugnabilis ipso,
Et si nullus ei defensor ab intus adesset:
Cui multisque aliis præerat Gornacius Hugo.
Fossæ cuius erant amplæ nimis atque profundæ,
Quas sic Epta suo replerat flumine, posset
Nullus vt ad muros per eas accessus haberi.
Arte tamen sibi Rex tali pessundedit ipsum.
Haud procul à muris stagnum prægrande tumebat,
C Cuius aquam, pelagi stagnantis more, refusam
Vrget stare lacu sinuoso terreus agger,
Quadris compactus saxis & cespite multo.
Hunc Rex obrumpi medium facit, effluit inde
Diluuium immensum, subitaque voragine tota
Vallis abit maris in speciem, ruit impete vasto
Eluuies damnosa satis, damnosa colonis,
Culta, domos, vineta, molas, radiceque vulsa,
Præcipitans ornos fugiunt, & summa petentes
Culmina ruricolæ properant vitare periclum,
Nec res amissas curant dum corpora saluant,
Quique fugit saluus nihil amisisse videtur
Ipse sibi, tantus omnes inuaserat horror.
Non magis Ionias præceps Achelous in vndas
Se rapuit, quando indignans sua munera sperni
Per sata, per populos spumosa volumina ducens.
Cicladas è medio terræ disrupit, & amnem,
Per medium septem cum nymphis in mare voluens,
Vertice præcipiti prius insula quod fuit vna,
In multas secuit, sparsitque per alta coronæ
In speciem, solam Perimelen inde sequestrans,

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Quæ cùm nympha foret fuit illi cognita facto, A
Si Sulmone sati verax est fabula vatis.
Municipes fugiunt ne submergantur, & omnis
Se populus villâ viduat, vacuamque relinquit,
Nec metuit ne dum fugiat capiatur ab hoste,
Dum minus esse malum putat aut in vincula trudi,
Aut perimi gladio, quàm vitam perdere fluctu
Tam subito, flatumque suo priuare meatu,
Quem naturali letho decet ire sub auras.
Armis villa potens, muris munita virisque,
Arte capi nulla metuens, aut viribus vllis,
Diluuio capitur inopino, mœnia sternunt
Vndosi assultus, arces breuis eruit vnda,
Quæ modo nulla sibi tormenta vel arma timebant.
Rex vbi Gornacum sic in sua iura redegit,
Indigenas omnes reuocans ad propria, pacem
Indicit populis, libertatemque priorem. B
Deinde reædificat muros, vicosque, domosque,
Quos fera torrentis violentia strauerat vndæ.
Protinus Arturo, quem iam produxerat ætas
A puero in iuuenem, Francorum more vetusto
Cingula militiæ noua præbuit, atque Mariam
Desponsauit ei, per quam socer illius esset.
Qui mox acceptis à fisco sumptibus, atque
Militibus, pacisque viris à Rege receptis,
Festinanter abit Pictos inuadere fines,
In patruum prima cupiens sæuire procella.
Iam Wlcassinis, iam Pissiacensibus oris,
Et cum Carnoto Blesis post terga relictis,
Præcipiti Turonum gressu peruenerat vrbem.
Conueniunt Proceres illuc properanter ad ipsum,
Inter quos specialis adest Lisinacus ille
Gaufridus. cum militibus quinis quater, omni
Quos sibi de patria socios elegerat ipse,
Et cum Guillelmo Sauaricum Malleo misit
Ter denosque equites, & septuaginta clientes.
At Comes Augeus denos quater addit, & Hugo
Brunus ter quinos, isti maioribus iram C
Exacuunt odiis aliorum in damna Iohannis.
Quippe Iohannis eum violentia coniuge chara
Castello viduare suo præsumpserat istum.
Quos vbi nec plures Arturus vidit adesse,
Iure sibi metuit, patriamque inuadere terram
Non putat esse quidem tam raro milite tutum.
Consulit ergo duces primos, mentisque reuelat
Ambiguæ arcanum, quibus hoc sermone profatur.
„ Egregij Proceres, quorum Pictauia laude
„ Multisona toto celeberrima pollet in orbe,
„ Assiduis quorum est virtus exercita bellis,
„ Omnia nouistis quæ guerræ postulat vsus,
„ Vestraque fortunam discretio nouit vtramque.
„ Sæpe reor vobis vultu se præbuit æquo,
„ Sæpius erudiit sua vos tolerare flagella.
„ Me quæso vobis æuo sensuque minorem,
„ Quo sit summa modo res exponenda docete.
„ Rex bellatores quibus ad præsens opus illi est,
„ Neustrica pessundat sibi dum confinia bello,
„ Hoc ad opus præsens mihi dimidiare nequiuit

Herueum

A ,, Herueum Comitem, Hugonem Domnipetritam,
,, Allobrogos, Bitures, Imbertum Belliiocensem,
,, Ac omnes alios Barones Transligerinos,
,, Auxiliatores nobis concessit habendos.
,, Qui properant, & erunt hodie, reor, Aurelianis.
,, Quingentos equites mihi nostra Britannia mittit,
,, Et pugnatorum bis millia bina virorum,
,, Quos hodie vel cras dicunt Nannete futuros.
,, Vtile consilium nobis reor esse, quòd illos,
,, Si vobis sedet hoc quibus est prudentia maior,
,, Gratia vestra tribus velit expectare diebus.
,, Magnum sæpè bonum modici mora temporis affert.
,, Vt melius saliat, retrò dat vestigia cursor.
,, Non quæ contingunt, sed quæ contingere possunt
,, Euitanda docet sapiens incommoda: cùm sit
,, Tutius expectare suos in littore ventos,
B ,, Quàm rate iam fracta nautas errasse fateri.
,, Damnificare nequit nos expectatio tantum,
,, Quin afferre queat plus festinatio damni.
,, Vt video nostræ vix centenarius implet
,, Militiæ numerum, qui si mora paruula nos hîc
,, Detinet, ecce erimus quingenti & mille Quirites,
,, Cumque satellitis peditum ter millia dena.
,, Tunc poterit noster exercitus ire decenter
,, In patrui patriam, seque illi illidere tuto.
,, Noui me quantum patruus meus oderit, & vos
,, Quàm sit crudelis, sitiens quàm sanguinis, & quàm
,, Sæuiat in cunctos quos casus subicit illi:
,, Et modo nil curat quod ei Rex inferat, vt qui
,, Me solum querit, Regna mea sola proteruit,
,, Me, quoniam Regi faueo semperque fauebo,
,, Me, quia sceptra peto mihi debita iure paterno,
,, Me, quia germanam repeto, quam carcere clausam
,, Ipse tenet, metuens amittere Regna per ipsam.
,, Belsia granipàris non tot flauescit aristis,
Non tot in autumni rubet Algia tempore pomis,
Vnde liquere solet siceram sibi Neustria gratam,
C Saxa Caducellæ non tot feriuntur ab vndis,
Quot bellatores Normannia donat eidem,
Aut quot conductos númerata stipendia præstant
Quæ vena candente sibi pluit Anglica tellus,
Argentum potius quàm fortes gignere alumnos.
Iam Docilum cepit, & quos inuenit in arce
Dira morte crucis tormenta subire coegit.
Inde abiens totam patriam vastauit ab vsque
Restillo donec Redonem perueniatur.
Vtque reor Ligerina parat transire fluenta,
Aduentus nostri non inscius, idque mouet me
Quod mihi Rex hodie scripto mandauit aperto,
Vt prudenter iens studeam mihi cautus haberi,
Nec tentem patrui terras inuadere, donec
Qui properat miles aduenerit, vnde quid ista
Re super expediat, discretio vestra videbit.
His verum Arturus suadebit & vtile verbis
Orandi textum dignis rationibus ornans,
Et benè digna fuit vox tam matura fauorem
A circunstanti cœtu cum laude mereri.
At Picti, quibus est fidei mutatio semper,

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Grata comes varia vice qui didicere fauorem A
Non huic, non illi venalem exponere Regi.
Nulla tamen quibus est gens acceptatior armis,
„ Respondent breuiter: Paueant virtutis egeni,
„ Ignaui metuant, virtus Pictonica Regem
Non timet ignauum, veniat si viribus audet
Fidem forte suis, noua si se infudit eidem
Venula virtutis, ignauia si probitatem
Inueterata sinit illius visere mentem.
Nulla metus causa est audacia tanta Iohannis,
Non est vt veniat vbi nos præsumat adesse.
Tolle moras tibi, iam dilatio libera non est.
In Mirabelli genitrix Regina Iohannis
Turre sedet, cuius suasu mala cuncta Iohannes
Perpetrat, Hugonem sponsa priuauit amata,
Te Regno, Comitique tulit tam nobile castrum.
Obsideamus eam, victoria summa labore
Continget facili, captæ ob commercia matris, B
Omnia restituet quæ nobis abstulit ille.
Interea Proceres venient, nostrique Britanni.
His animum verbis stimulant illustris ephebi,
Et magis audacem faciunt, cupidúmque triumphi,
Vt primæ iuuenem virtutis amore calentem,
Nil præsumentem sibi posse resistere tantis
Adiuto sociis, tanta probitate probatis.
Iam Mirabelli muros Pictonicus ardor
Fregerat, Arturumque Ducem certamine primo
Duratura breui dederat victoria lethum.
At Regina nihil summa metuebat in arce,
Certa quòd ad matrem natus properabat, vt illam
Marte vel insidiis confuso liberet hoste,
Qui licèt innumeris stipatus millibus esset,
Non audebat eos inuadere tempore lucis,
Vnde dato signo iubet agmina stare parumper,
Affaturque suos tali sermone fideles:
„ Iniustum nemo bellum arbitrabitur esse,
„ Natus ab infido quo matrem liberat hoste,
„ Cùm nos iusta trahat in bellum causa, quis vnquam C
„ Incertus dubitet, an sit victoria nostra?
„ Debetur iusto victoria iusta duello,
„ Certa triumphari pars est contraria iuri,
„ Quam vicere timor & desperatio dudum.
„ Ergo relegetur animis audacibus omnis
„ Formido, fortique animo properemus in hostem,
„ Quem Dominus nobis superandum contulit vltro.
„ Tutius esse tamen illos inuadere nocte
„ Arbitror, oppressos somno, vinoque grauatos,
„ Dum sibi nil metuunt, dum post mera postque laborem
„ Per diuersa quies loca sparsim detinet illos.
„ Hac igitur bene nocte precor sit quisque paratus,
„ Vt sine conflictu iam vinctum vinciat hostem,
„ Hospitio dum quisque suo dormitat inermis.
Guillelmus vero de Rupibus ille maligni
Nouerat insidias & perfida corda Iohannis,
„ His ita respondet: Hostes tibi subiiciemus
„ Hac in nocte tuos, si vis iurare quòd horum
„ Afficies nullum morte, aut in carcere claudes,
„ Præcipuéque tuum sub amica pace nepotem

Suscipies,

A „ Suscipies, & ei reddes mediante tuorum
„ Consilio procerum quicquid sinè iure tulisti:
„ Sic quoque quod Ligerim nullus transibit eorum
„ Quin potius patria capti seruentur in ista,
„ Donec compositum fuerit nos inter & ipsos.
Fallaci respondet ad hæc Rex impius ore.
„ Sic fore iuro tibi sicut Guillelme petisti,
„ Sitque fideiussor super his Deus, & tibi testis,
„ Si iuramentum, quod coram tot tibi præsto
„ Patriciis, dicto vel facto venero contra,
„ Sit vobis licitum mea iussa relinquere, nemo
„ Me pro Rege habeat, mihi nullus obediat, ex tunc
„ Publicus efficiar vobis atque omnibus hostis.
Quem non infatuet talis iuratio? quis non
Regis verba putet iurantis pondus habere?
Qui sic iurabat, qui sic in verba vocabat
B Contra se testes homines & numina cœli?
Procedunt igitur, & iam piger astra Bootes
Flexerat, & lento girabat plaustra rotatu,
Pauselumque poli medio se luna ferebat:
Per Mirabelli vicos vox nulla sonabat,
Nullus erat vigil in portis, sopitus habebat
Hospitio se quisque suo, somnoque vacabat.
Furtiuo armati ingressu aggrediuntur inermem,
Innumeri paucos iaciunt, stratique iacentes
Vincla pati cogunt, armis & veste carentes,
Mirandoque modo sine bellis bella geruntur:
Se non victori victoria suggerit vltro,
Hostis deuicto non vincens hoste triumphat,
Captus non victus hostis vincitur ab hoste,
Omnia peruerso contingunt more Iohanni,
Non tuba congressum cecinit, lituusque regressum,
Vt fur ingressus, vt latro regressus abiuit:
Trans Ligerim contra sua iuramenta Iohannes
Captos abducens, violato fœdere pacti.
Protinus abscedit ab eo Guillelmus, & omnes
Andegaui, Turones, Cenomannique quibusque
C Antea charus erat, fit publicus omnibus hostis,
Qui mox Arturum iubet vt Falesica turris
Inclusum seruet, donec deliberet ipsum
Qualiter interimat ita cautè, quòd nec ab illo,
Nec per eum quisquam sciat interiisse nepotem.
Ast alios quos ordo viros decorabat equestris,
Pene quater denos in corpore carcere clausit
Lege data, clausis quòd edulia nulla darentur
Amplius, aut humor quo guttura sicca maderent,
Mortis inaudito generi succumbere cogens.
Sed magnos clarosque viros, & honoribus auctos,
Maiestate graues, & nobilitate superbos,
Non sic ausus erat morti dare. Quippe timebat
Illorum consanguineos, fortesque propinquos,
Diuersisque locis per castra, per oppida sparsos
Seruari cautè præcepit, nec sinit illos
Esse simul, sibi ne solatia mutua præstent.
Interea famulos, de quorum mentibus ipse
Præsumit potius, promisso munere, verbo
Allicit occultè, exhortans vt qualibet arte
Morte latente suum curent mulctare nepotem.

PHILIPPVS AVGVSTVS,

Non tamen inuenit præsens instantia quemquam,
Qui tanti vellet sceleris patrator haberi.
Indè igitur iuuenem translatum in turre vetusta
Rothomagi clausit. & iam peruersa voluntas
Illius ad iuuenis custodum venerat aures.
Sed neque Guillelmus Braositas proditionis
Infandæ voluit fautor seu conscius esse,
Venturumque malum per præcedentia prudens
Signa notans, Regi coram Baronibus inquit:
„Nescio quid latura tuo fortuna nepoti
„Amodo sit, cuius custos huc vsque fidelis
„Te mandante fui, sanum vitaque fruentem,
„Omnibus illæsum membris tibi reddimus illum,
„Tu nostræ facias alium succedere curæ
„Qui curent, si fata velint, feliciùs ipsum.
„Anxia me rerum satis angit cura mearum.
Sic fatus Baro, se transtulit inde Braosam
Seque ministerio sceleris curæque remouit.
At Rex cui soli vita est nepotis, (innisa)
Quem stimulat solum patrandæ conscia cædis
Mens sua, clam cunctis procuratoribus aulæ
Sese procurat tribus absentare diebus,
Vmbrosi latitans Molinelli in vallibus. vnde
Quarta nocte breui media de nocte faselo
Nauigat oppositi medium per fluminis alueum,
Rothomagumque petens, portæ qua turris aditur
Substitit in portu, refluo quem Sequana fluctu
Vnoquoque die bis certis influit horis,
Et breue post spatium refluit, siccumque relinquit.
Tamque repentinos operatur causa meatus,
Soli nota Deo, nec eam comprendere sensu
Humano potuit, poteritve in secula quisquam:
Causa latet, sed res ita nobis se manifestat.
Occeanus quotiens lunaribus æstuat horis,
Ordine retrogrado proprios quasi tendat ad ortus,
Sequana refluere sub eisdem cogitur horis,
Fluctibus inflatis quasi retro pulsus ab ipso.
Inque oculis istud nimis est mirabile nostris,
Quod tantus fluuius, tam latus, tamque profundus,
Tramite decliui de tam regione remota
Tanta mole fluens tam crebris cogitur horis,
Sic crescente mari sibimet contrarius ire,
Et tanto terræ spatio retrocurrere, quo vix
Currendo possit quiuis tribus ire diebus.
Quæritur, & merito, qua vi sic scandere sursum
Dulcem cogat aquam, maris immaturus amaror:
Aut aqua salsa nimis est dulci fortior amne,
Aut aqua dulcis aquam nimis indignanter amaram
Odit, & insipidæ misceri Thetios vndæ,
Aut mare cùm sit aquis retro mater euntibus amnis
Maiori minor obsequitur, seruitque parenti
Crescentem vt fugiat reuerenter, eamque sequatur,
Retrogradam matris semper studiosus honori,
Quæ magis ad tantos faciat sententia motus.
An nulla ex istis sit opinio conscia veri,
Quærite vos quibus est occultos scire potestas
Naturæ cursus, qui cùm mortalia tantum
Corda stupere solent, diuinum pectus habentes;

Omnia

A Omnia nouistis sub certas ponere causas
Esse patens vobis physica qui dicitis arte,
Quis concursus agat, vel quæ complexio rerum
Brecceliacensis * monstrum admirabile fontis,
Cuius aqua lapidem qui proximus accubat illi,
Si quacunque leui quiuis aspergine spargat,
Protinus in nimios commixta grandine nimbos
Soluitur, & subitis mugire tonitribus æther
Cogitur, & cæcis se condensare tenebris,
Quique assunt testesque rei esse petebant,
Iam mallent quòd eos res illa lateret, vt ante
Tantus corda stupor, tanta occupat extasis artus,
Mira quidem res, vera tamen multisque probata.
Fœlix qui rerum has potuit cognoscere causas,
Quas Deus ignotas voluit mortalibus esse:
Si fas est hominis censeri nomine talem
B Subleuat humanis quem tanta scientia rebus.
Nobis humanam qui sortem viuimus, infra
Rem satis est sciri, nesciri causa sinatur.

* Breccebanensis

Rex ergo in portu, solito quem more repleat
Fluctus, stans celsa in puppi de turre nepotem
Per puerum iubet educi, secumque phaselo
Collocat, & paulum digressus abinde recessit.
At puer egregius positus iam in limine vitæ,
Nomina ne desint sceleri tam flagitioso:
„ Patrue, clamabat, parui miserere nepotis,
„ Patrue parce tuo, bone patrue parce nepoti,
„ Parce tuo generi, fraternæ parcito proli.
Hæc eiulantis prendens à fronte capillos,
Aluum per medium capulo tenus impulit ensem
Impius, & rursum generosa cæde madentem
Ceruici impressit, tempusque bipertit vtramque.
Hinc quoque digrediens quasi per tria millia, corpus
Defunctum vita subiectis inijcit vndis.

Ecce Neronis opus, quo post præclara virorum
Funera nobilium, post charos postque propinquos
Tormentis varijs quos interfecit, vt esset
C Solus in Imperio, materni visceris aluum
Findere præsumpsit, forulumque propaginis, in quo
Conceptus fuerat, de quo processit ad ortum,
Inspexit, tandem proprio se perculit ense,
Cerdonum metuens subulis incurrere mortem.

Ecce Iudas alter, Herodes ecce secundus,
Qui pueros inter Messiam perdere quærens,
Ne Regnum perdat proprios occidere natos
Postea non veritus, & Regnum perdidit, & se,
Dum reliquos metuens natos sibi guttura rupit.

Sic & Iudæis statuit crucifigere Christum
Consilio Caiphæ, metuens amittere gentem
At que locum. Sed eo crucifixo, perdidit omne
Perdere quod metuit translatus in extera Regna,
Seruitioque datus, quem Vespasianus in omnes
Dispersit ventos priuatum Regis honore
Atque Sacerdotis, quod vir desideriorum,
Et Moyses olim fore sic cecinere Prophetæ.
Sic tibi continget Artuti morte Iohannes.
Eius per vitam metuisti perdere Regnum,
Eius per mortem vita Regnoque carebis.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Antea quàm fato fieres Ludente Monarcha, A
Patris ab ore tui, Sine-Terta nomen habebas.
Ne pater ergo tuus sit in hoc tibi nomine mendax,
Hæc tibi mors addet rem nominis huius & omen.
Nam tibi fatalis venit hora, nec est procul à te,
Qua factus mortem cunctis odiosus ob istam
Fies, & viues sine terra pluribus annis.
Postea priuatus Regno, priuabere vita.
Ante tamen mortem multas operabere fraudes,
Multos occides, multos damnabis iniquè,
Dignior vt pœnis fias grauioribus vri
Dum culpis nunquam cessas super addere culpas,
Ne te se inueniat aliquando gratia dignum.
At tibi Calliope requies alterna placere,
Antidotumque solet gratum præstare laboris
Fac tibi sexta grauem leuet hic pausatio curam,
Plenius vt memores ea quæ dicenda sequuntur. B

MATERIA SEPTIMI LIBRI.

Gaillardi sedem describit septimus. at Rex
Obsidet Andclij quod dicitur insula castrum,
Nil bellum nauale valet vel agreste Iohanni.
Nans sub aquis vallo Gaubertus subijcit ignem.
Insula mox capitur, fossisque ac turribus arcem
Rex circumseptam sex mensibus obsidet, absens
Emitit populum Rogerus, parcat vt escis
Quos famis atra lues scopulis extinxit & antris.
Vere nouo rediens renouat Rex obsidionem,
Gaillardumque capit multa vi, tempore multo,
Et tota demum fugat è regione Ioannem.

INCIPIT SEPTIMVS LIBER.

VOluerat interea rapido se circulus axe,
Retrogradata trahens obliquo sydera motu,
Vicinæque dabat brumæ iam scorpio signum,
Cœperat & gelidis tellus canère pruinis
Frondifluis aspersa Comis quas frigidus humor,
Et Boreæ ramis violenta strauerat altis. C
Intermissa breui languescunt bella quiete,
Depositis rediens armis ad propria miles,
Et peditum turmæ sua rura reuisere gaudent,
Lætificantque suos & mutua gaudia iungunt,
Donec paulatim Borealis transeat horror,
Rursus vt armatos æstas in bella remittat.
Iamque reuestierat tellus se floribus, herbis
Luxuriabat ager, medio post tempora cursu
Veris erant, cùm Rex iratus in arma cohortes
Rursus agit, properans vt talio digna Iohanni
Tandem retribui possit pro morte nepotis,
Pro tot flagitiis, pro tot furialibus actis,
A quibus ille miser se refrænare nequibat.
Qui tamen assiduis exploratoribus vtens,
Cautus erat mortis vitare pericula, seque
A Regis facie procul absentare studebat,
Et loca deuitans, ad quæ venturus erat Rex,
Callebat fugiens tutos penetrare recessus.
Quo Rex comperto, terras conuertit in eius

A Ferratas acies quas vertere mallet in ipsum,
Si cohibere fugam, seseque accingere pugnæ
Vellet, & oppositis concurrere frontibus ipsi.
Est locus Andelij qui nunc habet insula nomen,
Quo secat in geminos se Sequana frugifer alueos,
Nec longè refluens in se redit & facit vnum,
Inque sui medio clausam premit vndique terram,
Cuius planiciem tantus tumor vrget in altum,
Quòd circumfusis aperiri non timet vndis,
Æqua superficies ex omni parte rotundo
Orbiculata sinu se non obliquat in vllum
Diuaricans cuneum, sed finibus ipsa suis se
Limitat, vt nullus discirculet angulus illam.
Hunc Rex Richardus turri muniuerat olim,
Et circumdederat vallis & mœnibus altis,
Ædificans intus penetralia Regia dignos
B Principibus summis habitari rite penates,
Pontibus erectis quibus vtraque ripa petatur.
Iactibus inde tribus quantum girata lapillum
Mittere funda potest, rupes præcelsa sub auras
Tollitur æthereas, summaque crepidine visus
Effugit humanos, tanto tumet ardua gibbo,
Quæ parte ex illa fluuij qua despicit vndas
Si quis eam aspiciat obliqui luminis orbe,
Ardua quàm turris aliud nihil esse videtur,
Cæmento & saxis operosè structa quadratis.
Tam latere plano, tam recto vertice surgit
Aëra per medium tanquam velit astra subire.
At parte ex alia, qua solis respicit ortum,
Eiusdem dorso minus alta tenore decenti
Planities speciosa iacet, se longior ampla
Vallibus horrescens latere ex vtroque profundis,
Quæ cunei in formam sese protendit adusque
Montis descensum, qui proximus imminet illi,
Valle tamen media medium impediente meatum.
Huic natura loco satis insuperabile per se
Munimen dederat, tamen insuperabiliorem
C Arte quidem multa Richardus fecerat illum,
Duplicibus muris extrema clausit, & altas
Circuitum docuit per totum surgere turres,
A se distantes spatiis altrinsecus æquis:
Eruderans vtrumque latus, ne scandere quisquam
Ad muros possit, vel ab ima repere valle.
Hinc ex transuerso medium per planitiei
Erigitur murus, multoque labore cauari
Cogitur ipsa silex, fossaque patere profunda,
Faucibus & latis aperiri vallis ad instar
Sic vt quàm subito fiat munitio duplex,
Quæ fuit vna modo muro geminata sequestro:
Vt si forte pati partem contingeret istam
Altera municipes queat & se tuta tueri.
Inde rotundauit rupem, quæ celsior omni
Planitie summum se tollit in aëra sursum,
Et muris sepsit extremas desuper oras,
Castigansque iugi scrupulosa cacumina totum.
Complanat medium, multæque capacia turbæ
Plurima cum domibus habitacula fabricat intus.
Vmboni parcens soli, quo condidit arcem.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Hic situs iste decor, munitio talis honorem, A
Gaillardæ rupis per totum prædicat orbem.
Karolides igitur cupiens tam nobile castrum
Subdere Francigenis, cuneos primum inferiori
Castello applicuit, gremio quo Sequana claudit
Fluminis in ripa latè tentoria figens.
Municipes omni nisu se velle tueri
Proclamant, & ne subito rumpantur ab hoste
Rumpunt, & ruptum mergunt in flumine pontem.
Protinus erigitur petraria plurima, quæ non
Assiduo cessat lapides emittere iactu,
Paliciumque triplex, quod erat Gaillardica subtus
Mœnia, quadratis palis & robore duro
Vsque sub extremas protensum fluminis oras,
Vt flumen nostris innabile nauibus esset,
Francorum iuuenes, quibus est incognita nandi
Hæc erat, euellunt, scinduntque securibus, & dum B
Id faciunt, lapides & spicula rupis ab alto
Vertice nimborum ritu iaciuntur in illos,
Quæ plerique cauent scutis atque assere multo
Opposito plerique necem patiuntur honestam,
Dum patriæ laudi, dum pugnant Regis honori.
Nec cessauerunt donec via preuia facta est,
Qua classis veniens de sursum vectitat escas,
Resque alias quibus est opus his qui castra sequuntur.
Protinus adduci naues Rex imperat amplas,
Quales Sequanios per portus nare videmus,
Quadrupedes quæ ferre solent carrosque per amnem,
Has facit in medio lateratim flumine mergi
Ordine continuo castri sub mœnibus ipso
Inferiùs, quas ne rapidæ ferat impetus vndæ,
Palis infixis funes vncique coherceant,
Postibus erectis pontem trabibusque dolatis,
Has super extruxit, tulit, & sine remigis vsu
Xerxis ad exemplum vestigia sicca per vndas
Tam latè fusas, interque capedine tanta
Distantes, ripis minimè capientibus ipsas,
Vt verè possis illas æquare marinis, C
Non minor æquoreis quando tumor inflat easdem.
Erigit & geminas turres in quatuor amplis
Nauibus arboreis truncis & robore crudo,
Quos multo vincit ferro multisque retortis,
Vt sint munimen ponti, castroque nocumen,
Quas ita subtili series super edita ductu
In sublime leuat, vt ab illis mittere miles
Iactu tela leui deuexa in mœnia possit,
Et sic obsessos varia grauat obsidione,
Illos oppugnans parte incessanter ab omni.
Velgica rura patent cursoribus, vnde refertur
Præda in castra recens, & copia tanta ciborum,
Quòd sibi castrenses nihil vltra deesse querantur.
Nil manet illæsum, villæ nudantur & agri,
Et sic accrescunt epulæ pugnantibus extra,
Quæ male decrescunt his qui defendere castrum
Et se * concertant. Non est via qua quis ad illos
Quodlibet auxilium possit conferre vel escas.
Interea varias versans in pectore curas,
Auxilium nota mendicat ab arte Iohannes.

* *secum*

Vt

PHILIPPVS AVGVSTVS.

A Vt quod ei sub sole dies audere negabat,
Audeat obscura de nocte irrumpere castra.
Ergo Marescallo cordis secreta reuelans,
„O mihi consilij custos fidissime, dixit,
„Accipe selectos equites Guillelme trecentos,
„Et famulos in equis tria millia, sume clientes
Mille quater pedites, tecum Lupicarica rupta
Fac eat, ite simul tenebrosæ noctis in vmbra
Atque repentino regalia castra tumultu.
Cùm iam luna suos absconderet aurea vultus,
Illa ex parte leues irrumpite fluminis vndæ
Rex modo per pontem partem transiuit ad illam.
Omnes penè equites vltra cum Rege mearunt,
Et Barrensis eques, & quos Campania misit,
Belligerique viri quibus est audacia maior.
Hac ex parte Comes Robertus mansit, & hæres
B Hugo Noui castri, Simon & rupta Cadoci
Hi se clauserunt prope ripas, ingeniorum
Cura quibus pontemque data est à Rege tuendi.
At per plana iacent Ribaldi cum Piquichinis,
Et qui res propter venales castra sequuntur,
In quos de facili nostrum exsaturare furorem
Fas erit, vtque libet satis exhaurire cruoris.
At Brandine tibi Martinus sit Comes Archas,
Et qui rostratis ratibus secat æquor Alanus
Pyratas secum assumat, quibus vtitur ipse
Cum Grenesim rebus iuuat expoliare, vel ossam.
Sumite cum reliquis modo quos mihi Flandria misit
Millia terna virum, sociis succurrite vestris,
Quos nimis auxilio, quos scitis egere ciborum,
Septuaginta rates quibus est cursoria nomen,
Quas pelagi struxit Richardus, & amnis ad vsum,
Atque alias omnes quascumque potestis habere,
Rebus quæ sociis desunt farcite, cibisque.
Ite per oppositum remis ducentibus amnem,
Regalemque leues fluuio prouoluite pontem,
Castellumque meum rebus munite negatis.
C Qui si de facili pontem resecare nequitis,
Bellando prohibete manus, ne transferat vltra
Rex, succursurus his quos habet altera ripa.
Hoc autem inculco vobis, & sæpe redico,
Vos, qui per flumen, vos qui per plana venitis:
Hæreat hoc memori vobis in corde, quod vno
Tempore bella gerat, & eodem cœtus vterque
Si vobis aderit dextro pede Mursia, mane
Vos sequar, vt nostri consumem prælia Martis.
Sic mandata suis solitus dare rusticus olim,
Dum lupus eius ouem dumis euiscerat aspris:
„I, famulo clamat, in dumum, tu quoque pastor
„Perplexos irrumpe rubos, tu verò bubulce
„Hoc penetrato specus, ego cum cane tuta tuebor.
Haud secus armatos in summa pericula mittit,
Cum quibus ipse tamen non sustinet ire Iohannes
Paretur Regi, mora nulla moratur ituros.
Arma viri capiunt, classis naualia linquit,
Egreditur castris velociter agmen vtrumque.
Hi per aquas, illi terræ per plana profecti,
Insomnes ducunt tenebrosa silentia noctis,

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Dum properant bello dare tempora danda sopori. A
Dimensus spatiis horarum tempora certis
verbere iam triplici se castigauerat ales,
Altisono lucem qui gutture præcinit almam.
Fit subito tetra castris irruptio nocte.
Quippe Marescallus festinum duxerat agmen
Per terram breuiore via, dum per vada classem
Sequana multiplici vertigine tardat euntem.
Ribaldi, mercatores, & vulgus inerme
Ebria post Bacchi potamina semisepulti
Cæduntur gladiis exertis more bidentum.
Plurima turba ruit inopina morte, priúsque
Corpore vita fugit, quàm corpus sentiat ictum,
Sic nimio pressi vino somnoque iacebant.
Nec mora terrificus it per tentoria clamor.
Expergefactos subito mora voluit ad amnem
Vt per aquas natent quia pons non sufficiebat, B
Vt posset tranferre simul tot millia plebis.
Obstat eis Barrensis eques mucrone corusco,
Cum quo Bolonides Gaucherus, Guido Mathæus,
Et reliqui qui turpe putant non esse priores.
" Quò fugitis, clamant, quò terga ostenditis? hostes
" Vestra facit fuga victores, ignauia vestra
" Ignauos facit audaces, dum ceditis hosti,
" Dum sinitis letho quod vos occidat inulto,
" Dum percussorem percussio nulla repellit.
Talia dicentes pauidos in bella reducunt,
Confortantque viros, & in hostem mente feruntur
Vnanimi, fortique manu retrocedere victum
Qui modo victor erat cogunt, furit ensis, opusque
Exigit inuictis animis quod suggerit ira.
Lumina per ripas, & per conuexa locorum
Ociùs attollunt, faciúntque diescere noctem,
Accendunt alij lichnos, hi ligna pyrarum
In strue congestant, hic straminis, ille miricæ
Fasciculos addit, hic pinguia larda ministrat,
Hic oleum flammis infundit, materiesque
Lucis adurgetur succrescere, tota repente C
Noctis abit facies, caliginis exulat vmbra.
Post equites primos ita lumine multiplicato
Agmina festinant, & Barrica signa sequuntur.
Dumque cateruatim pons traiicit arma virósque,
Frangitur, & nimio se fasce fatiscere fatur.
Mox tamen absque mora puncto reparatur in ipso,
Officiumque suum properantibus vt modo præstat.
At Barrensis eques, atque inuictissima virtus
Agminis egregij postquam dignoscere apertè
Fas fuit hostiles accenso lumine vultus,
Martis opus peragunt, pulsúmque viriliter hostem
Conficiunt, capiunt, occidunt, proditioni
Præmia nocturnæ merita vice digna rependunt,
Et mala conuertunt in eos quæ corde malignos
Parturiente dolos aliis inferre volebant.
Iamque quiescebant acies (nondumque sopori
Se dederant, & lux sub mane rubescere primo
Cœperat, & radios tremulis crispabat in vndis:
Ecce leonino classis cursoria fluctus
Impete Sequanios prora findebat acuta,

Arma

A Arma virosque ferens. Iterum clamatur ad arma,
Arma viri arripite, & ripas vos fundite circum,
Præcipuè pontem defendite, scandite turres.
Talibus exciti clamoribus, ociùs assunt,
Corripiuntque animis certatim ardentibus arma.
Scandit in arboreas turres Iordanus & Eldo
Raderides, Pauius, Perigas, Tarinus, & illi
Ars est nota quibus vsu balearica longo,
Et quos præcipuè virtus inuitat, vt indè
Incircumcisos possint iactare molares,
Desuper & ferri massas, ignesque globatos,
Et pice fluentes ollas, ruditerque dolata
Pondera truncorum, titiones, ligna, sudesque.
Stant in ponte viri, quos ordo decorat equestris,
Quos inter Barrensis erat, cum Simone Guido,
Et Maleuicini fratres, dominusque Morentij,
B Acalij, quorum probitas diffundit in æuum
Nomina, nulla quibus mors est aut captio curæ,
Quorum sola sibi virtus habitacula cordis
Sic dicat, vt quoquam cor se non vertat ab illa,
Dum cor & omnimodos cordis sibi vendicat actus,
Motibus indignans comes esse vagantibus extra.
Nec minus ad ripas armis instructa virorum
Accelerat clypeata manus, fluuiúmque coronant.
Nec cessant lapides, nec cessant mittere tela.
Rem gerit hic funda, iaculis hic, ille sagitta,
Vix tamen ad classem poterant attingere iactus,
Lædere vel nautas, vel eos qui bella gerebant.
Tramite tam recto, tam cauto remige flumen
Per medium volitans, ripam vitabat vtramque.
Iámque propinquabant ponti, strictumque tenentes
In manibus ferrum, postes succidere pontis
Audebant, & quæ substabant postibus alnos:
Sed tolerare diu nequiere pluentia tela
Grandinis in morem, lapides, truncosque trabales,
Feruentesque picis ollas, & pondera ferri,
Quæ descendebant in eos de turribus altis.
C Sed nec Guellelmus, nec cætera turba Quiritum
Ponte super contis, sudibus, mucronibus, hastis,
Cessabant variis affligere mortibus illos.
Hic fluuio lapsus Thetidi se mandat humandum,
Nereidumque choros pro funeris orat honore.
Hic ratis in medio morientem mortuus ipse
Corruit in socium, supremáque basia donat,
Gaudet & infernas Comiti comes ire sub vmbras.
Hic pede truncatur, oculis hic, auribus ille,
Visceribus ruit hic fusis, hic gutture rupto,
Huic sudis infringit femur, illi claua cerebrum,
Huic mucrone manus abscinditur, ille securi
Perdit vtrumque genu, nec adhuc pugnare recusat
Donec eum superinfundens pix cogit abire.
Ille per os ferro gemit expirare recepto,
Non posse assuetos animæ præstare meatus,
Transmisso cadit in tempus per vtrumque quadrello,
Gallinæ similis, quam plurima nare forata
Expellit Boreæ * nido recubare volentem.
Trabs prægrandis erat extema pontis in ora,
Ponderis immensi, quadrato robore, quam vix

* Beroe

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Bis deni carro tauri portare valebant: A
Quæ propulsa super illos de ponte, carinas
Oppressit geminas, & proram fregit vtramque,
Afflixitque viros postes & ligna secantes.
Tunc primum retrocesserunt, prorisque reductis
Obuertunt puppes & tonsis æquora pulsant
Intenduntque fugæ, victi, nec in agmine toto
Vllus erat qui non in corpore vulnus haberet,
Præter eos quos iam vi mors illata premebat.
Sed nec eos licuit nostratibus impediente
Amne sequi, quos dum fas est producere certant
Eminus, & iaculis & saxis atque sagittis.
Gaubertus tamen & Lodulus Galiota, Thomasque
Cuique Latinatrix dat nomen lingua Iohannes,
Bis binas agiles habuerunt forte galias,
Quisque suam, bellisque viros naualibus aptos.
Quatuor hi per aquas fugientibus acriter instant, B
Prælia miscentes, dumque ire propinquius audent,
Promeruere duas auferre fugacibus alnos,
Cum nautis aliisque viris & rebus & escis.
Hic Gaubertus erat ita doctus in arte natandi,
Quod sub aqua poterat millenis passibus ire.
Hic igitur testas prunis ardentibus implet
Et clausas mira sic arte bituminat extra,
Ne posset penetrare latex vllatenus illas.
Tunc se fune ligat qui dependebat ab ollis,
Atque immersus aquis clam, nulli visus, adiuit
Vallum quod duplici circumdabat vndique muros
Circuitu, lignis & multo robore structum:
Emergensque vadis ignem succendit ab illa
Parte Gaillardæ rupis, quæ respicit arcem,
Qua nullus defensor erat, quia nulla timebant
Damna sibi parte ex illa contingere posse.
Vnde tuebantur partes studiosius illas,
A quibus vrgebat illos instantior hostis.
Corripit absque mora Vulcanus lignea valli
Vincula, quique obeunt castelli mœnia vicos
Inuoluitque globos mixtis per inane fauillis, C
Solibus adiutus nimiis & flatibus Euri,
Qui nimis intenso spiramine flabat ab ortu,
Gaubertique dolos fidens athleta iuuabat.
Qualiter Enceladus ardenti fauce vapores
Euomit ignitos, ambustaque saxa per Ethnam:
Haud secus absumit bristegas, valla, domosque,
Et quæ reddebant tutos hurditia muros,
Furtim Gauberti succensus fraude fideli
Ignis edax, omni spolians munimine muros
Lætitiæ testis clamor per castra leuatur,
Et lætabundo conscendit ad astra boatu,
Tristitia signum sonat inter mœnia luctus,
Et consternatis hærebant mentibus omnes,
Qui nullum sibi subsidium præstare valebant,
Nec tuti latitare intus, nec scandere muros,
Scuta foras, pluteos, propugnatoria, scalas
Vertant in cinerem, Cithereius omnia coniunx
Turba minor ratibus fugiunt, & nando per vndas.
Quorum quamplures ignem vitare volentes,
Suffocat alterius contraria vis elementi.

Hi

A Hi criptas, illi curuas subiere garitas.
Ast aliis latebras testudo vel angulus addit,
Vt miserè lateant donec vis transeat ignis.
Nauigio Franci nec adhuc consederat ardor,
Accelerant, capiuntque viros diuersa latentes
Per loca, quos vesana fames, quos vicerat ignis.
Tunc Rex castello post tot certamina tandem,
Postque tot assultus, tanta virtute potitus
Cuncta reædificat vel vi destructa vel igne,
Et pontes reficit cautus quos ruperat hostis,
Selectisque viris castellum munit & armis.
Hoc inter castrum vicinaque mœnia rupis,
Grandis erat vicus circundatus vndique muris,
Immensique capax populi, qui protinus ex quo
Insula capta fuit, linquentes propria sursum
Cum reliquis subeunt tutæ tutamina turris.
B At Rex vt propriis viduatum ciuibus vltro
Tam clarum burcum, tam fortia mœnia vidit,
Primo satellitibus & milite mœnia complet:
Omnia deinde nouis habitacula ciuibus ornat,
Quos benè securos faciebat ab hoste propinquo
Waltersis legio, numerosaque rupta Cadoci,
Cui Rex quotidie soli proseque suisque
Libras mille dabat, castrensis mutua luctæ
Distribuente aliis numerata stipendia fisco.
Inde Ratispontem magna virtute per vnum
Expugnans mensem subicit sibi, claraque ballo
Corpora magnanimum cepit quam plura virorum,
Qui castrum defendebant ex parte Iohannis,
Cuius perspicuo radit * latus Andela riuo,
Fertilibusque satis pratisque decorat & hortis,
Sequanioque caput non hinc procul occulit amne.
At vero rupes Gaillardica non metuebat
Obsidione capi tum propter mœnia, tum quòd
Vallibus ambita scopulisque rigentibus esset,
Omni parte sui lapidosis obsita cliuis,
Quæ si nil aliud quo muniretur haberet,
C Solo tuta situ poterat satis esse locali.
Illuc ergo suis cum rebus contulerat se
Gens vicina locis, vt ibidem tutior esset.
Instrumenta videns Rex tormentalia in illum
Posse vel assultus conferre iuuamen, vt alta
Muros rupe sitos quauis infringeret arte,
Mentis acumen ab his alias diuertit ad arces,
Vt nido possit, quo Neustria tota superbit,
Qualicunque modo quocunque labore potiri.
Per cliuos igitur, & per conuexa cauari
Fossato duplici terram iubet, vt quasi meta
Intransgressibili castri latus ambiat omne,
A fluuio ducens multo conamine fossas
Vsque supercilium montis, qui desuper exit
Altior in cœlum, deuexaque mœnia temnit
Sic procul à muris, vt vix attingat ad illas
Balista duplici tensa pede missa sagitta.
Protinus in medio fossarum lignea turris,
Et septena duplex facit vt munitio surgat
Tantæ structuræ tantique decoris earum
Quælibet, vt possit vrbi decus addere magnum,

* rodit

PHILIPPVS AVGVSTVS.

A

Sic vt quot pedibus præcedit prima secundam,
Tertia se tanto spatio seiungat ab illa:
Sic reliquas eadem turres dimensio signat,
Vt distent à se spatiis æqualibus omnes.
Has igitur replet famulis & milite multo,
Et vacuis ferrata locis locat agmina toto
Circuitu, vigiles distinguens ordine tali
Semper vt alterna vigilent statione viritim,
Qui fabricare sibi castrensi more casellas
Arboreis ramis & sicco stramine norunt
Se quibus à pluuia tutos & frigore brumæ
Efficiant, illi * per tempora longa futuri.
Cumque sit introitus ad muros vnicus, ad quem
Secta per obliquos amfractus semita ducit,
Hunc cura maiore facit nocteque dieque
Vt seruare vigil studeat custodia duplex,
Deforis vt possit ad castrum nemo venire,
Audeat aut castro valuis exire reclusis,
Quin occidatur, aut viuus detineatur.
Talia magnanimus hosti dare cingula nouit,
Sic dare materiam sibi qua prouerbia vulgus
Lætificosque creare iocos & cantica posset,
Vt canerent zona tot millia clausa sub vna,
Et tam fœcundo turgentem germine nidum,
Quem demum cogant excludi tempora veris.
His aliisque sibi pariunt dum gaudia verbis,
Hostibus impingunt luctus, causasque doloris.
Iulius haud alia legitur virtute iugosa
Durrachij spatia & campos murasse patentes,
Vsque sub Hadriacos cementans mœnia portus,
Ne Pompeianis Romanorúmque cateruis
Declinare fuga bellum ciuile liceret,
Sceua vbi vulneribus membro confossus in omni
Pompeij fregit vires, saluauit & arces
Solus, & æternæ meruit præconia famæ.
At qui Rogerus, & quos angustia maior
De conseruandis epulis castróque premebat,
Millia tot populi pasci non posse videntes
De facili, cùm nulla cibos spes esset habendi,
Præter quos illis præsens accommodat hora,
Quingentos homines sexus vtriusque reclusit
Emittit foribus, quò casus ducat ituros:
Postque dies paucos totidem dimittere rursus
Cura fuit, quos hostilis miserata caterua
Nec retinere volunt, nec morti tradere, tanquam
Mendicos, miseros, & vulgus inutile bello.
Quo Rex audito vetuit ne deinde sinatur
Extra castellum locuples seu pauper abire
Amplius, & quotquot ad eos mittantur ab intus
Ad portas telis illos iaculisque repellant,
Vt simul absumant epulas. Quibus attenuatis,
Postquam dira fames affligere cœperit illos,
Armis depositis in vincula sponte dabunt se,
Cùm nec castellum nec se defendere possint.
Hoc metuens iterum Rogerus, deligit omnes
Dinumeratque viros, quibus est bellare potestas,
Quos animus virtute calens robustat & ætas,
Vt castro maneant, epulas quibus æstimat ipse

B

C

* illic

* stricta.

Quas

A Quas habet ad præsens totum satis esse per annum,
Personasque alias quibus est infirmius æuum,
Aut sexus, quas debilitas quæcunque molestat
Segregat, vtque velint exire licentiat omnes.
Emittens illa vice castro mille ducentos,
Non dubitans certæ miseros exponere morti,
Nec curans qualis inuoluerit exitus illos,
Dum saluare studet castellum per breue tempus.
Inscia turba mali quod erat sensura propinqui,
Ordine confuso post terga relinquere portas
Gaudet, & vnde suæ spem roborat ipsa salutis,
Absque mora grandem ruit expertura dolorem.
Haud secus examen effusum sole calenti
Vase cauernoso veteri cum matre relicta,
Rex nouus vrget apes alias transferre penates,
Multiplices densant giro inuersante volatus
B More niuis, quam ventus agens per inane volutat.
Quos vbi nostra cohors videt ebullire deorsum,
Perque latus cliui mixtim petere ima supini,
Deformes vultu, pannosos tegmine, telis
Et iaculis procul emissis grassantur in illos,
Et properare retro, sursumque recurrere cogunt.
Ad portas properi redeunt, sed iam fore clausa
Horrifico miseris proclamat ianitor ore:
» Nescio vos, alias vobis iam quærite sedes,
» Non vltra finitur vobis hæc aula patere.
Quique super muros astabant spicula mittunt,
Et lapides in eos, consternatosque repellunt,
Hortanturque procul à mœnibus ire remotos
In valles, quo non possint attingere iactus.
Quid facient miseri, cùm sint hinc inde repulsi,
Et quid agent medios quibus est via nulla per hostes,
Nec conuersari licet amplius inter amicos,
Et quo diffugiant locus est per deuia nullus?
Ecce nocentior est & sæuior hoste propinquus,
Imo propinquior est, & amicior hostis amico.
Non equidem miror si non permittit abire
C Hostis eos quibus est nullo deuinctus amore,
Quos licitè poterat occidere siue ligare,
Cum nullæ iubeant inimico parcere leges †. † ciuiles nō diuina.
Sed nullo fas est mihi declarare relatu,
Quàm sit inhumanus is qui susceperat illos,
Tempore iam multo factus conciuis eorum,
Nunc omni eiectos tutamine priuat & aufert
Propria quæ tulerant, quando timor anxius illos
Castello inclusit, cum rebus edulia cunctis.
Vallibus & caueis erant, omnique ciborum
Spe prorsus vacui, multis vtcunque diebus
Sustentabat eos, genus heu! miserabile vitæ!
Simplicis humor aquæ vicino è flumine sumptus.
Contigit vt pareret ibi quædam femina, cuius
Fœtus adhuc à matre rubens calidoque cruore,
Vnguibus infixis discerptus, matris ab aluo.
Est in momento multos transfusus in aluos.
Hoc Gallina modo, quæ lapsa volando deorsum
Decidit inter eos cum plumis, ossibus, & cum
Stercore adhuc calido raptim glutitur ab ipsis.
Ventribus immergunt quæ cedunt omnia denti,

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Seque cadaueribus demum pauere caninis. A
Nam prudenter agens Rogerus, iusserat omnes
Mœnibus expelli catulos, vt parceret escis,
Quos fatis damnata cohors tantummodo pelle
Vnguibus abrupta rodebant dente voraci.
Sed nec ad extremum parcebant pellibus ipsis.
„ Nil sibi turpe putat homo, nil absumere vitat,
„ Ex quo dira fames inuitat ad omnia dentem,
„ Quæ sola inuictos vincit, sola asserit vrbes.
Non olim Perusina fames, sed nec Mutinensis
Obsidio, nec apud Caudinas vulnera furcas,
Tam miserabilibus animas anxere flagellis.
Non ita Petreius consorsque Afranius eius,
Et Romana phalanx illorum signa sequentes,
Cæsareis clausi sub Ilardæ mœnibus armis.
Inter quas * Licoris & lene fluentis Iberi
Defecere siti, licet illos stercus equinum B
Suggere compulerit sitis intolerantia diræ.
Pleno luna quater à fratre remotior orbe
Fulserat & totiens abscondita fratre propinquo,
Succensos iterum cornuta nouauerat ignes:
Angit adhuc miseros, nec spes est vlla salutis
Indefessa famis finiri nescia pestis,
Excrucians stimulis nunquam cessantibus illos,
Mirandóque modo nec viuunt, nec moriuntur,
Nec vitam retinere queunt, nec perdere sola
Quam retinet stimulante fame ius fluminis hausti
Temporis id circa Rex è Gaillone profectus
Venerat Andelij castrum visurus, & illos
Mœnia qui rupis vigili statione coronant.
Cumque super pontem multis comitantibus iret,
Conclamant miseri miserabiliter simul vno
Ore, fames illos quantum clamare sinebat:
„ Esto propitius, miseris miserere, misertus
„ Rex pie ni fueris, iniusta morte perimus.
„ Hîc inuisa fames nostros depascitur artus
Tempore iam multo, nos hîc crudelior hoste
Exposuit noster pesti conciuis amaræ,
Qui nos exclusit sine causa mille ducentos, C
Vix hodie superat numerum pars altera nostri.
Rex vt semper erat facilis, supplicantibus, vt qui
Natus erat miseris, misereri & parcere semper,
Fletibus his motus ita circumstantibus inquit:
„ Dimittatis eos exire, cibóque refecti
„ Quò mens quæque ferat indemniter ire sinatur.
„ Absit vt afflictis per nos afflictio crescat.
„ Non decet vt nobis mors ascribatur eorum
„ Qui nimis afflicti nullum iam lædere possunt.
Dixit, & emissis tribui iubet omnibus escas.
Qui cùm permissi caueis exire fuissent,
Vidimus inter eos quendam, miserabile visu!
Qui coram perstabat adhuc portare caninam,
Cúmque iuberetur illam dimittere, dixit:
„ Non dimitto cibum, quo longo tempore vixi,
„ Donec pane satur fuero. Tunc abstulit illam
Vnus ei, panemque dedit, quem protinus ori
Appositum poterat vix masticare, sed ipsa
Frusta tamen malè fracta vorax ingurgitat aluo,

* aquas

Tanto

A Tanto longa fames languore affecerat illum.
Et iam finis erat hyemis, tellusque calore
Impraegnata nouo flores gignebat & herbas,
Quos colit, & zephyro commendans Flora marito,
Orat vt almifluo spiramine purpuret hortos,
Floribus vnde comas comis Dea comat amantum.
Rex non posse videns tam lenta mœnia rupis
Obsidione capi, nisi demum tempore longo
Impatiens animo mora, quam grauat omnis in omni
Facto, quod virtus sibi suggerit aggrediendum.
Qui quotiens aliquid operis sibi sumit agendum,
Fortiter aggreditur, & fini fortius instat.
Feruidus incaeptor & consummator acerbus,
Congregat armatas sub primo vere cohortes,
Castraque metatur in summo culmine montis;
Amnis & vsque latus vtrimque per ardua cliui
B Vt quocumque modo ad muros accedere tentet,
Tempus & abbreuiet arcem quo prendere possit.
Quid non virtuti succumbat? quid ferat arcem
Ingeniumve hominis, mens cuius in ardua tendit?
Ecce ligonellis à culmine montis ad vsque
Descensum vallis, fossataque prima, deorsum
Eruderatur humus, scrupulosos iussa tumores
Ponere, descensus vt ab alto fiat ad imum.
Protinus ampla satis multa properata securi
Fit via sub trabibus iunctim sibi collateratis,
Quas sustentabat paries intextus vtrimque
Postibus infixis telluri robore multo,
Per quam securi lapides, ramalia, truncos
Comportant, viuoque graues cum cespite glebas
Aggere congesto fossata implere studentes,
Pluribus inde locis marrae duriquae ligones
Tollentes cum vepre rubos fruticosaque tesqua,
Colliculos, cliuique latus mitescere cogunt:
Et subitò in planum quod erat decliue redacto,
Se rudis asperitas procul absantare docetur.
Area per totos gaudet planescere campos.
C Et sic artificum studio vigilante labore
Carpentata breui loca per diuersa, quod vllo
Posse modo fieri nullus sperauit ibidem,
Cum mangonellis petraria plurima surgens
In muros lapides & saxa rotantia mittit.
Et ne de muris iactu venientia crebro
Spicula cum telis vibrantibus atque sagittis
Artifices laedant, & qui tormenta trahentes
Iactibus insistunt, paries mediocriter altus
Texitur inter eos, & mœnia vimine lento
Cratibus & palis, vt eos tutetur, & ictus
Excipiat primos, frustrataque tela repellat.
Parte alia turres, quibus est Belfragia nomen,
Roboribus crudis compactae, atque arbore multa
Intactis dolabra ruditer, quibus ascia solos
Absciderat ramos, sic educuntur vt vsque
Aëra sub medium longo volumine tendant,
Vt doleat murus illis depressior esse.
Hic Blondellus erat Pergas, aliique viri, quos
Regi reddiderat ars balistaria charos
Ditatos ab eo villis, & rebus, & aere,

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Qui non cessabant obsessos vulnere crebro A
Lædere missilibus, & passim mittere letho:
Ast alij sparsim loca conuenientia quærunt,
Quisque sibi quo funda breui stridore lapillos,
Et balista queat iaculari, arcúsque sagittas,
Quas, vbicunque patent quarnelli siue fenestræ
Obsessi nequeunt totiens impunè cauere.
Interea grossos petraria mittit ab intus
Assiduè lapides, mangonellusque minores,
Et pugillares iacit improba dextera petras.
Nec balista vacat, nec funda, nec arcus ibidem.
Nullus erat toto qui duceret otia castro,
Officium re quæque suum incessanter agente,
Armis vt paribus intus pugnetur & extra.
Vtque magis reliquos animet pugnantibus, ipse
Rex immixtus erat galeatus, & agmine primo
Cotidie nunc hos nunc illos gnauiter hortans, B
Vsque super fossas veniens, parmamque sagittis
Et iaculis opponebat, quæ tempora circum
Sibila crebra dabant, & in ægide fixa rigebant.
Rupis in extremo cuneo, quæ vergit ad Eurum,
Ardua turris erat, cui collateratur vtrinque
Murus, quem strictus compaginat angulus illi,
Ordine qui murus gemino productus ab vsque
Maiori vallo latus ambit vtrumque minoris.
Hanc primum obtinuit tali gens nostra vigore.
Postquam fossatum vidit iam penè repletum,
Scalis immissis properè descendit in ipsum,
Impatiensque moræ scalas obuertit ad oram
Fossati reliquam, supra quam in rupe locata
Turris erat, sed nulla tamen quamuis satis esset
Longa, pedem muri contingere scala valebat,
Nec rupis cristam qua turris pes erat imus,
Sed nimis audaces cultris ac ensibus ipsam
Rupem quisque forat, vbi pes se figat & vnguis,
Et sic rependo superantes aspera rupis
Perueniunt turris ad fundamenta repente,
Perque manus socios sua post vestigia tractos
Participes operæ faciunt, certantque minare C
Arte sibi nota latus & fundamina turris,
Parmis protecti, ne forte ruens super illos
Missilium posset retropellere turbo cauantes,
Donec visceribus muri latuere cauati,
Truncis suppositis, subitò ne corruat in se
Pendula pars muri, pariens sibi damna virisque.
Queis simul incisum satis est, supponitur ignis,
Et fugiunt ad tuta viri, ruit Ilion ingens,
Ingentemque ruens strepitum facit, haud minus illo
Quo fuit Hectoreus puer * olim raptus ab vlnis
Flebilis Andromaches, Priami quem cæde madescens
Misit Achilleides in terram corpore fracto.

* Astianax filius 20 Hectoris.

Voluitur astripetens sinuoso turbine nubes,
Flammis cum fumo mixtis, & puluere tanto
Quantum tanta potest de se eructare ruina.
Tunc quoque Rogerus hora succendit eadem
Omnia quæ poterat vallo consumere in illo
Ignea vis, ne quid foret ex his vtile Francis.
Ardebat, nec adhuc ardor consederat ignis,

Et

A Et iam per flammas Franci fumosque ruebant,
Accensi clamore virûm, & clangore tubarum,
Agminibus densis vallum murosque replentes:
Præ cunctisque suum vexillum in parte Cadocus
Turris semirutæ fixit qua celsior extat.
Et quæ fossatum latum nimis impedit illos,
Hanc castri partem, quod adhuc distinguit ab illa,
Et murus qui se opponit turritus in altum,
De facili nequeunt vallum exsarcire secundum,
Quo modo se pauidus fugiens incluserat hostis.
At famuli, quorum est gladio pugnare vel hastis
Officium, Bogis, Eustachius, atque Manasses,
Auricus Grauier, & eorum concio fida,
Vndique circumeunt muros indagine facta,
Si qua fortè queant aditus reperire, quibus se
Mœnibus impinguant, vt pugnent cominus hosti.
Contiguam muris in summo colle Ioannes
B Ædem preterito quandam construxerat anno,
Castelli latere in dextro, quod respicit Austrum,
Inferior cuius pars præstabatur ad vsus
Rerum, quæ penoris se sub conclaue recondi
Seruarique volunt Pars verò suprema Capellæ
Officio famulans ad Missæ sacra patebat,
Quæ nullam exterius portam, sed ab intus habebat,
Qua penetrabatur sursum vnam, aliamque deorsum.
Inferiore foris in parte fenestra patebat,
Qua lucere penum Solis dabat aurea lampas.
Bogius hanc contemplatus, fidique sodales,
Corporis ac totis animorum viribus vsi,
Arte quidem mira se per fossata trahentes,
Surrepunt manibus pedibusque per ardua collis,
Et demum summam clam perducuntur ad arcem.
Hinc comitum scapulis sustollens se leuitate
Bogisius mira, per apertam membra fenestram
Iniicit, & socios dimisso fune viritim
Attrahit, & secum sub idem conclaue locatos
Hortatur penoris valuas succidere ferro,
Ociùs & subitis turbare tumultibus hostes.
C Fit sonus, & raucum dant ostia fracta fragorem,
Dum cupidi properant iuuenes erumperè: sed mox
Postquam municipum nimius fragor impulit aures,
Illuc se vertunt, congestis vndique lignis
Ignem supponunt, vt sic aut ardeat intus,
Aut via non pateat qua prodeat hostis ad illos.
Sed virtutis opus incendia nulla retardant,
Nullaque magnanimos vis aut mora præpedit actus
Vt patuere fores, nudatis ensibus ignes
Per medios saliunt, & iam penus ardet, & omne
Cum domibus castrum, fugit ilicèt hostis, & ignes
Et subita arma virum, seseque receptat in arce,
Quam nimis excelsam murata in rupe locatam
Tempore adhuc multo defendere posse putabant.
Vixque omni ex numero modo quem Rogerus habebat,
Qui pugnare queant bis nonaginta supersunt,
Tot vita defuncta iacent ibi corpora passim,
Totque quiescebant lethalia vulnera passi,
De quorum vita spes nulla dabatur amicis.
Incinerata iacet specialis gloria castri,

PHILIPPVS AVGVSTVS.

A

Murorumque perit decus & munitio tota,
Egregiusque locus nullo iam gaudet honore.
Nosque putabamus aliis cum rebus eadem
Bogisium sociosque suos periisse ruina,
Quos longo tutata fuit spelunca recessu,
Qua modo municipes lapides & tela cauebant.
Vix minuebatur fumus, vix flamma sedabat,
Bogius egreditur testudine, perque rubentes
Excurrit prunas, sociisque iuuantibus ipsum,
Funibus abruptis, pontis versatilis axem
Inuersum, qui stabat adhuc, se sternere cogit,
Vt pateat via Francigenis per limina portæ.
Qui properant, arcemque parant irrumpere summam,
Bogisium fugiens qua se modo clauserat hostis.
Pons erat in imo, quo scandebatur in arcem,
Excisus saxo, quem sic diuiserat olim
Quando profundauit fossas Richardus vtrinque.

B

Huc faciunt reptare catum, tectique sub illo
Suffodiunt murum: sed non minus hostis ab illa
Parte minare studet, factoque foramine nostros
Retro minatores telis compellit abire.
Vnde nec in tantum murus resecatur ab illis,
Vt casum metuat, sed mox ingentia saxa
Emittit cabulus, nequiensque ferre dehiscit,
Per mediumque crepans pars corruit altera muri,
Altera pars stans recta manet, patuitque foramen,
In sua damna ruens, quod ab intus foderat hostis.
Quo viso properanter eunt per fragmina Franci
Repentes manibus, subeuntque foramine murum,
Et capiunt omnes per vim, quia nullus eorum
Victori se sponte dedit, quinimmo reluctans.
Quantumcumque potest capienti quisque resistit.
Rex ita Gaillardo per prælia multa potitus,
Cuncta reædificat vel ab ipso diruta, vel quæ
Improbus appositis destruxerat ignibus hostis,
In triplo melius & fortiùs intus & extra,
Antea quàm fuerint muros & cetera firmans.

C

At rex Anglorum nimium confusus & exspes,
Nullaque iam se posse videns defendere castra,
Cùm sic perdiderit castellum fortius omni
Castello, quod posse capi nulla arte putabat.
Cogitat occultè Normannica linquere rura,
In quibus ipse sibi tutum negat esse morari,
Dum timet à propriis ne decipiatur amicis,
Omnes dum merito metuit qui læserat omnes.
Sic miserum sceleris animus sibi conscius angit,
Res miser ipse suas, Pontem qui dicitur Archæ,
Atque Molinellos, & Montis mœnia fortis
Diruit, vt patriam faciat sine viribus esse,
Deinde recessurus furtim iam classe parata,
Agmina præfecit toti ruptarica Regno,
Archada præcipuè Martinum cum Lupicaro,
Extremumque vale faciens petit Anglica Regna,
Postmodo Normannas nunquam rediturus ad oras.
Iamque fatiscentem, ferulæque ad verbera surdum
Tempus erat Guillelme tibi desternere mulum,
Teque breui longo reparare quiete labori.
Tres etenim tibi restat adhuc his addere libros,

Compleat

A Compleat vt totum denarius ordo volumen,
Vt qui Galtero te nosti voce minorem
Saltem librorum numerus te comparet illi,
Ni nouus emergat inopina re tibi casus,
Quo dandus sit forte Libris prolixior ordo.

MATERIA LIBRI OCTAVI.

Subditur octauo Normannia tota Philippo.
Rex Turonos Pictosque domat, Guidone subacto.
Exhæredatur Raymundus. Turba fidelis
Hæreticos contra cruce se communit & armis.
Infinita necant illorum millia Franci.
Occidit Regem Petrus armiger Arragonensem.
Rex dolet hæreticos non posse iuuare Ioannes,
Inque Deum famulosque suos vlciscitur iram,
B *Qua Deus ipse suo pro crimine corripit illum,*
Romipetas seruosque crucis ferus impedit Otho.

INCIPIT LIBER OCTAVVS.

SOluerat interea zephyris melioribus annum
Frigore depulso veris tepor, & renouari
Cœperat, & viridi gremio iuuenescere tellus,
Cùm Rea læta Iouis rideret ad oscula mater,
Cùm iam post tergum frixi vectore relicto
Solis Agenorei premeret rota terga iuuenci,
Rex agit armatos in prælia rursus, vt omnis
Hac vice Francigenis Normannia subiiciatur.
Vicus erat scabra circundatus vndique rupe,
Ipsius asperitate loci Falesa vocatus,
Normannæ in medio regionis, cuius in alta
Turres rupe sedent & mœnia, sic vt ad illam
Iactus nemo putet aliquos contingere posse.
Hanc Rex innumeris circumdedit vndique signis,
Perque dies septem varia instrumenta parabat,
Mœnibus vt fractis villa potiatur & arce:
Verum Burgenses, & præcipuè Lupicarus,
C Cui patriæ curam dederat Rex Anglicus omnem,
Elegere magis illæsum reddere castrum,
Omni re salua cum libertatis honore,
Quàm belli tentare vices, & denique vinci.
Inde petit Cadomum, quæ iam tribus ante diebus
Quàm Rex venisset tradi poscebat eidem,
Villa potens, opulenta, situ speciosa, decora
Fluminibus, pratis, & agrorum fertilitate,
Merciferasque rates portu capiente marino,
Seque tot Ecclesiis, domibus, & ciuibus ornans,
Vt se Parisio vix annuat esse minorem;
Quam Kaius dapifer Arturi condidit olim,
Vnde domus Kaij pulchrè appellatur ab illo,
Nostro sponte iugo se subicit, & sibi tali
Facto in perpetuum Regis mercatur amorem,
Se sine lite capi dum sustinet, & sine bello,
Ac Regi secum tot clara suburbia tradit.
Exemplumque eius vrbs Baiocena secuta
Regi subiicitur, & tota diocesis illa.
Cumque diocesibus tribus illi tres sine bello
Sese sponte sua præclari nominis vrbes

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Subiciunt, Sagium, Constantia, Lexouiumque. A
Interea Britonum Dux Guido cum legione
Britigenæ gentis fines inuadit Abrincos,
Finibus à Britonum quos limitat vnda Coethni.
Est locus in medio situs æquore, sic tamen vt non
Æquor semper ibi stagnet, sed cotidianis
Et fluit & refluit vicibus crescente sorore
Phœbi, consuetas seu decrescente per horas,
Suscipiens ab ea maiores siue minores
Crescendi motus; & sic locus ille marinis
Fluctibus ambitur nunc, & nunc littore sicco.
Cuius causa rei latet, atque latebit in omni
Tempore nos, quibus est luteis habitatio vasis.
Hoc attende tamen, prudensque intellige lector,
Quòd cum planetis feriæ cuiuslibet horas
Ordine partimur, quo disponuntur & ipsi
Vnoquoque die tres ad minus aptat earum B
Luna sibi, non his tamen omnibus intumet æquor,
Immò die toto bis tantum littora stagnant,
Tendit & in septem crementum quodlibet horas,
Et decrementum totidem, sicque ordine iugi
Cuncta fere pelagus crescendi seu retrahendi
Non nisi sub lunæ motu momenta resumit.
Vnde autem luna hoc habeat quæ conferat illi
Causa quòd Occeanus magis illo tempore crescit,
Quando plena nitet vel quando renascitur illa,
Temporibusque aliis cur ipse minoribus idem
Fluctibus intumeat, tanquam se motibus aptans,
Et variis lunæ vicibus, quibus illa vicissim
Sumere crementum detrimentumque videtur.
Cur iterum maiora ferat crementa quotannis,
Cur duplo maior solito tumor eleuet illum,
Scilicet autumni & veris sub tempore, quando
Esse solet paribus spatiis nox æqua diei.
Rursus an à luna maris hæc inflatio fiat,
An magis à pelago fluat hæc variatio lunæ,
Cùm pelagus luna constet prius esse creatum,
Posteriusque sui nunquam sit causa prioris, C
Nullaque res habitum trahat à non ente vel actum,
Rursus an alterutri neutrum sit causa mouendi,
Sic ne ferant eadem similes per tempora motus,
Motus vt iste illi nihil illi debeat ille,
Quærite quos mundi labor implicat, & tamen istud
Quærere nostra fides prohibet: comprendere nulla
Mortale ingenium valet hoc ratione vel arte.
At res & rerum causas qui condidit illas
Solus dinoscit, solus disponere nouit.
Illi cuncta patent soli, qui cuncta creauit,
Non fixos homini fines homo transgrediaris,
Neu quæ scire nequis inuestigare labores.
Bestia quæ montem tangit lapidata peribit.
Rem satis est sciri, nesciri causa sinatur.
Nos igitur nihil hac nos scire in parte fatentes,
Sic rem prosequimur, vt non intacta sinamus,
Quæ sunt magniloquis non indicussa magistris,
Qui cùm mortales essent cœlestia sensu
Humano voluere sequi, secreta patere
Absque Deo temerè sibi cœlica velle putantes.

At

A At nobis satis est vix nos ea scire fateri,
Corporeis nostrum veniunt quæ sensibus in cor,
Quæ sub lunari prope nos regione geruntur.
Hîc summo rupis in vertice scemate miro
Condidit Ecclesiam deuotio Christicolarum,
Angelico monitu sibi quam sacrauit honore
Perpetuo Michael Archangelus, vt famuletur
Christo semper ibi Monachorum concio sancta,
Quo vix perque gradus ascenditur, inferiusque
Pendula villa domos plures habet & speciosas,
Et populi multi satis ampla sede capaces.
Qui locus in cœlum se taliter eleuat, vt dum
De longe aspicitur aliud nihil esse videtur,
Ardua quàm turris hominum fabricata labore,
Quam soli est operata sibi diuina potestas,
Et satis Angelicis gaudebat tutus haberi
B Præsidiis, nullo dispendia tempore passus.
At simul ædificans muros ibi cura Iohannis
Prætulit humanas vires cœlestibus armis,
Quemque tuebatur cœlesti milite Christus,
Muniuit sacrum humano munimine montem.
Ex tunc causa loco pereundi inuenta sacrato:
Nam fera Britigenum rabies non inscia quando
Fluctus adesse solet, vel quo sit tempore littus,
Ad montemve quibus pateat via sicca diebus,
Fluctu interstitiis lunaribus abbreuiato,
Vi fore confracta subeunt, incendia miscent,
Igneque supposito domibus, vis ignea sursum
Scandit, & Ecclesiæ decus omne locumque sacratum,
Resque Monasterij cremat insatiabilis omnes.
Hinc cum Britonibus ascendens Guido maniplis,
Vicinas sibi signiferis obsedit Abrincas
Colle sitas, inter seram seminamque supino
Pisciferos amnes multo salmone feraces,
Cumque suburbanis regi pessundedit vrbem,
Hinc abiens illi castra omnia subiiciendo,
Vsque domum Kaij vicos & rura cremando,
C Tandem venit vbi Rex expectabat eundem,
Dans populis noua iura suis, aliosque magistros,
Fœcundasque ab eo grates cum laude reportans,
Ipse suique omnes re sic feliciter acta
Iam spoliis pleni gaudent remeare Coethnum.
At simul innotuit sancti combustio montis
Magnanimo Regi domuumque ruina sacrarum,
Atque Monasterij tota incinerata supellex,
Compatitur prius Ecclesiæ rerumque ruinis,
Et ne fiat eis deinceps iniuria talis,
Præcipit vt pereat munitio tota Iohannis,
Et sua militiæ cœlesti castra resignans,
Humanis bonus excubiis loca sacra resignat,
Largifluaque manu Monachos iuuat in renouando
Sarta tecta libros & cetera quæ furor ignis
Soluerat in cinerem, quæ nobiliore paratu,
Quàm prius extiterant, iam restaurata videmus.
Sic mala conuertit Deus in bona, sic miseretur
Nobis quando magis irasci credimus ipsum:
Verbere sic propter peccata flagellat amico
Quos amat, vt prauos studeant abducere mores:

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Sic ferit vt sanet, sic vulnerat vt medeatur. A
Hinc Rex magnanimus tota regione subacta
Vrbi Rothomago victrices applicat alas,
Quam sibi supposuit vix octoginta diebus.
Nam duplices muri fossataque tripla profundo
Dilatata sinu, numerosaque copia gentis,
Et speciosa nimis fluuij stagnantis abyssus,
Dissimilem nostris reddebant viribus vrbem.
Rothomagensis item Communia corde superbo
Immortale gerens odium cum Principe nostro
Vinci malebant, eius quàm sponte subire
Imperium, vel ei quicquam præstare fauoris.
Succubuit demum mutilata cornibus vrbe,
Muros ipsa suos truncare coacta, suisque
Sumptibus antiquam subuertere funditus arcem,
Maxima Vernolio parilis solatia fati
In commune ferens, doleat, ne sola dolere B
Parciùs vt soleant distinctæ mœnibus ambæ,
Pœnáque par feriat quos culpa coinquinat æqua,
Amodo ne Regi casu quocunque repugnent,
Neue repugnantes iuga nostra repellere possint.
Sic fuit ex toto Normannia subdita Franco,
Quod nullo casu contingere posse putauit
Normannique omnes per plurima bella subacti,
Multaque pro non Rege suo dispendia passi.
Dénique sunt Regi proprio seruire coacti.
Tempore, quo Simplex in sceptris Karlus agebat,
Normannos patriam Noruergia misit in istam,
Grandibus euectos duce sub Rollone......
Qui paganus erat, vir prudens, strenuus armis,
Christicolæ populi sitiens haurire cruorem.
Hic cum multorum saturasset cædibus enses,
Vicos inuicta vi depopulatus & vrbes,
Pestiferum extendens in plurima Regna furorem:
Demum Carnoti cùm mœnia frangere vellet,
Virgo Dei genitrix, quæ se dignata vocare est
Carnoti dominam, tulit illi luminis vsum,
Vincibilemque dedit populo qui diligit ipsam. C
Vt sic exterius aliquanto tempore cæcus
Luce mereretur Christum interiore videre.
Qui fugiens victus, maiori parte suorum
Amissa, factus humilis, tum denique Christo
Credidit, & meruit vitali fonte renasci.
Proinde suæ gaudens illum Rex Karlus honorat
Coniugio natæ, cum qua Normannia pacis
Fœdere sub firmo datur illi nomine dotis.
Iam tamen ipse suis ipsam acquisiuerat armis,
Inuida cui partus optatos Iuno negauit,
Exortem prolis faciens excedere vita.
Rollo tamen iungens aliam sub lege iugali,
Viribus inuictis patriam totaliter illam,
Et sua post illum tenuit successio tota.
Donec post annos virtus diuina trecentos
Illam restituit per prælia multa Philippo.
Quam tenet, & tenuit, longumque tenebit in æuum.
Quæ prius antiquum cum Neustria nomen haberet,
Post à Normannis habuit Normannia nomen,
Quo gaudent patrij memores idiomatis esse,

In

A In quo North Boreas, homo man sonat. Inde vocatus
Normannus priscæ meminit patriæque tribúsque.
Postquam succubit Franco Normannus, & omnis
Terra Philippinas suscepit Neustria leges,
Indignante diu portauit vertice Regis
Mite iugum, dominumque nequit nescire priorem,
Quamuis ille status seruilior esset eisdem,
Aduena cum grauibus oneraret legibus illos.
Rex malens bonus esse malis assuescat amando,
Vt sibi paulatim populos, ne se peregrinis
Consuetudinibus arctari forte querantur,
Iudicia & leges non abrogat, immò tenenda
Omnia confirmat generaliter hactenus illis
Obseruata, quibus non contradicit apertè
Ius, aut libertas non deperit Ecclesiarum.
Quædam aut in melius iuri contraria mutans
B Constituit pugiles, vt in omni talio pugna
Sanguinis in causis ad pœnas exigat æquas,
Victus vt appellans siue appellatus eadem
Lege ligaretur, mutilari aut perdere vitam.
Moris enim extiterat apud illos hactenus, vt si
Appellans victus in causa sanguinis esset,
Sex solidos decies cum nummo solueret vno,
Et sic impunis amissa lege maneret.
Quod si appellatum vinci contingeret, omni
Re priuaretur, & turpi morte periret.
Iniustum iustus hoc iustè Rex reuocauit,
Reque pares Francis Normannos fecit in ista.
Præterea motu proprio, nullo suplicante,
Indulsit Monachis & Clero, vt fiat ab illis
Canonico deinceps Pastorum electio ritu.
Nam Rex Anglorum ius vsurpauerat illud
Vsque modo, vt solus Pastores ipse crearet.
Nam quotiens Pastore carens Prælatica Sedes
Ciuili letho naturalive vacasset,
Protinus Ecclesiæ bona cuncta vacantis ab ipso
Vsurpata suos conuertebantur in vsus.
C Sicque Dei sponsam viduans, quantum ipse volebat.
Cogebat placito sibi demum nubere sponso
Istáque causa fuit aliis specialior, ob quam
Ense trucidauit Thomam trux ille beatum,
Qui tam peruersos ritus abolere volebat.
Hæc Rex vt iuri contraria iuris amator,
Filius Ecclesiæ ob matris reuocauit amorem:
» Est mihi proclamans cura hæc, quæ spectat ad ensem,
» Importuna satis cum solicitudine Regni.
» Diuinis diuina viris tractanda relinquo,
» Est curare satis laico laicalia, cura.
» Nolo immortales animas quæ curat abuti.
» Præsint Ecclesiis, præsint Conuentibus illi
» Præesse quibus dederit concors electio, sicut
» Sacrosancta iubet sanctorum sanctio patrum.
Dixit, & vt facto firmauit dicta, cohortes
Hinc procul armatas alias agit in regiones,
Singula distribuens loca particulariter ipsis
Agminibus, bellis simul vt pluraliter vtens
Pictauos, Turones sibi subdat, & Andegauitas,
Instabilis fidei varioque fauore vicissim,

Victus actor nō vltra admittebatur ad legitimas actiones, videlicet ad iudicandum ad testificādum, &c.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Nunc hunc, nunc illum, consuetos fallere Regem. A
Nec mora Guillelmus sibi qui de Rupibus aptat
Cognomen, fortis vir corpore, fortior armis,
Cumque sua nulli rupta parcente Cadocus,
Andegauum irrumpunt, captamque viriliter vrbem
Totam subiciunt, eiusque suburbia Regi.
Cuius Guillelmi Rex inclita facta fidemque
Attendens, ipsum Comitis vice, munere largo
Totius patriæ dominari iussit, & vrbi.
Cui quamuis totum donasset Rex Comitatum,
Non tamen vsurpat Comitis sibi nomen habendum,
Imo Senescalum quasi se minuendo vocauit.
Henricus verò modicus vir corpore, magnus
Viribus, armata nulli virtute secundus,
Cuius erat primum gestare in prælia pilum.
Quippe Marescalli claro fulgebat honore.
Cum legione Troum veniens à Rege recepta, B
Castro vi capto longam post obsidionem,
Incinerat villam, murosque obtruncat & arcem.
Hinc quoque progrediens victor Pictonibus ire
Obuius audebat, qui terram Regis adorti
Vicos, agricolas deprædabantur & agros:
Et licet inter eos esset Hemericus, * & Hugo, (*Henricus)
Et cum Guillelmo Sauericus, Portacleasque,
Atque alij quales equites Pictonia gignit,
Quorum fama canit per totum nomina mundum:
Non tamen aut vires Henricus abhorret eorum,
Aut numerum, quamuis numeri foret ipse minoris,
Et tanto conferre manum feruentiùs ardet,
Quo magnos fortesque viros ibi nouerat esse.
Iamque graues spoliis varijs prædisque redibant,
Perque vadum deforme luto repedare parabant,
Difficiles vbi densa vias alneta tegebant,
Per patriæ loca fida suæ tuto ire putantes.
Expectabat eos audax Henricus ibidem,
In patriaque sua Pictos ad bella vocabat.
Qui cùm maiorem iam partem exisse vadosis
Illorum vidisset aquis, campúmque tenere, C
Impediente luto reliquos, exultat, & ecce
„ Tempus, ait, socij, quo se manifestet in armis
„ Vestra, locumque videt probitas quo proferat actu
„ Ardorem virtutis amor quem pectore gestit.
„ Nunc rogo, nunc quanto vobis sit amore Philippus,
„ Exprimat audaci virtus, & dextera facto.
„ Iam video trepidare viros, iam terga parare.
„ Palma fere vobis pugnandi præuenit horam,
„ Vltro se manibus offert victoria vestris.
„ Neue minor paucos sit gloria vincere casu,
„ Gratia fortunæ vobis prouidit in isto.
„ Nam postquam vestras acies videre cateruas,
„ Ecce suas omnes cætu clausêre sub vno,
„ Vt leuiùs possint vinci communiter omnes,
„ Conflictuque breui, vt doleant succumbere vobis:
„ Ecce fatigati veniunt, spoliisque grauati.
„ Nec vos hoc moueat, quòd signis ecce leuatis
„ Ostentant sese defendere velle videri:
„ Vos à pugnando sic deterrere putarunt
„ Et ficto vestras terrore telidere vires.

Cognita

,, Cognita si tamen esset eis intentio vestra,
,, Illis si plenè vestra de mente liqueret,
,, Iam vidissetis ostendere terga viasque
,, Iam per diuersas cœtu fugisse soluto.
,, Segnities abeat, audacia prodeat, ecce
,, Quicquid in hac aliquid regione valere videtur,
,, Temporis articulo superare potestis in vno.
,, Vincatis victos, trepidis instetis, & omnes
,, Suppeditat Pictos victoria vestra Philippo,
,, Totaque sponte subit eius Pictonia leges.
Vna breuis multos consummat pugna triumphos.
Dixit, & eiaculans trifidi se fulminis instar
Pictones volat in medios, ictuque supinat
Portacleam primo, vacuamque relinquere sellam
Vi facit & consignare caractere terram.
Nec reliqui cumites pugnam virtute minori
Arripiunt, sternuntque vires, traduntque ligandos
Armigeris, ipsi reliquos dum fortiter obstant.
Nam Sauericus, & hi quibus est audacia maior,
Turpiter vt socios sic aspexere ligari,
Dispersos reuocant, profugos in bella reducunt,
Collapsos releuant, & equis tellure leuatos
Restituunt, bellumque nouant, rigidoque resistunt
Marte viris; æquis animis pugnatur vtrinque,
Hastis nil agitur, gladius solusque cutellus
Mortifer afficiunt alternis agmina plagis.
Sic sibi coniunctum sic de prope quilibet hostem
Inuenit, vt feriat, atque vt feriatur ab illo.
Et iam Pictonum quod adhuc alneta tenebant,
Agmen vt aspexit socios concurrere Francis,
Non audent vltra procedere, sed retrouersi
Se malunt solos saluo saluare regressu,
Quàm dubio socios belli sub fine iuuare.
Quo viso, campum viduat pars maxima, seque
Subducit Franco ardenti quem ferre nequibant.
Diffugiunt omnes. Sed nec Sauericus abhorret
Ipse viam multos post se fugiendo relinquens,
Nec curat quantos ibi quisquam linquat amicos
Quiuis se potis est solum subducere morti.
Sic victis victor Pictis campoque fugatis,
Quinquaginta duos equites, centumque clientes
Ad Regem misit vinctos Henricus, & omne
Omnibus excussit spolium, prædámque reduxit:
Cunctaque restituens nostris ablata colonis,
Cetera diuisit sibi victricique cateruæ.

Rex verò interea sibi iam subiecerat vrbem
Pictauim, totumque solum quod spectat ad illam,
Loudunumque ferax Cereris, Bacchique Niortum,
Cum Monsteriolo, Parthenecioque rebelli,
Armatisque viris per singula castra locatis,
Qui patriam faciant eius sub nomine tutam,
Agmina Chinonis ferrata reducit ad arces.

Iste Senescalli vicus de nomine Chaij
Nomen habet, quem cùm primus fundauerit ipse,
Fundatum voluit sibi nomine reque dicari,
Cui pendragoridæ Regis largitio totum
Neustrinumque solum donarat, & Andegauense,
Vt pariter fieret isti, Dux, & Comes illi.

Iste Chaius Arturi magni filij Pendraconis Senescallus, fuit Dux Normanniæ, & Comes Andegauensis.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Villa referta bonis circundata mœnibus altis, A
Inter aquam montemque situ splendescit amœno.
Arx autem scopulis circumcingentibus alta
Rupe sedet, quam sic ex illa parte rubenti
Amne Vigenna ligat, hinc circumcludit hiatu
Horrendo vallis, rectoque tenore sub altum
Aëra productus naturæ munere cliuus,
Vt non Gaillardo se iactitet inferiorem,
Siue situ naturali, seu mœnibus altis,
Aut defensorum numero, siue vbere glebæ.
Bellouagensis erat ibi vinctus Episcopus arcta
Compede, Conanusque Breuis qui nunc dominatur
Belligero Britoni, quem terra Leonica nutrit,
Quam pater ante suus tenuit Guidomarchus, amico
Fœdere coniunctus Francis, Regique Philippo:
Corpore qui tam fortis erat, quod fregerit vno
Tempus equi pugno, soloque peremerit ictu B
Præpositum ipse suum prægrandi corpore monstrum,
Cui pugno duri perfregit verticis ossa,
Vnde magis festinat idem Rex prendere castrum,
Soluat vt inde suos recluso carcere charos.
Quinque fere nouies stadijs distabat ab illo
Nobile castellum, quod Lochia nomine dicunt,
Cui nec fruge solum, nec Baccho vitis auara est.
Endria cui magnum decus addit & vtilitatem,
Ducibus irriguis hortos & prata rigando,
Qui cùm sit gratus visu, fæcundus & vsu,
Multimodo patriam iuuat oblectamine totam
Hoc collatiua castrum paritate videri
In nulla dispar Chinoni dote sinebat
Municipes armis, natura situ, manus arte.
Hic patriæ toti præerat ferus ille Girardus,
Seruus, & à seruis oriundus vtroque parente,
Cui satis obscurus ortum dedit Athia pagus.
Is Turonum totam vestauerat, Ambadiumque,
Et patriam totam cum vicis omnibus, in qua
Editus atque alitus fuerat bubone sinistro,
Quamuis supplicij seruus foret Ambadiensis. C
Peior enim quauis est peste domesticus hostis,
Præcipuè qui colla premit pede libera seruo.
Lochia Chinonemque simul Rex obsidet, atque
Vix anni spatio longo sibi subdit agone.
Tantæ molis erat tantas euertere turres
Innumerósque capit equites, multosque clientes,
Vi castrum multa qui tutabantur vtrumque,
Cumque alijs vinclo vinctum maiore Girardum
Carnopoli tenuit in carcere tempore multo,
Supplicio affligens digno pro crimine seruum.
Exigit iste locus, nisi nos maiora vocarent,
Aduentum Regis breuiter memorare Iohannis,
Per mare qui veniens gentis cum millibus Anglæ,
Pictonum voluit fines auferre Philippo:
Continuóque suum leuitas Pictaua fauorem
Illi restituit, ipsumque in prælia iuuit.
Sed celeri leuitate superueniente Philippo,
Vix illi licuit profugæ se reddere classi,
Véliuoloque suam vitam saluare recessu,
Pluribus expositis morti, dum classe parata

Rupellæ

Rupellæ in portu festino remige transnat,
Venerat vnde modo partes fugitiuus ad Anglas.
Mox omnem patriam sua Rex in iura reducens,
Hæc sibi Pictones vinclo maiore reuinxit,
Quo solitum variare fidem cor nouit eorum,
Sed quæ firma satis innexio Prothea nectat,
Nec Pictos constringit amor, nec Prothea nexus.
Nec minus hic etiam, si nobis fortè vacaret,
Dicere tempus erat breuiter vel tangere bellum,
Quo Comes Aluernæ regionis Guido nepotem
Perdidit, & natum, qui dum collegia sancta
Præsumit spoliare bonis, nec parcere sacris
Virginibus meminit, sibi dum confiscat earum
Cuncta Monasterij, crux, ornamenta librosque,
Et bona cuncta quibus viuebat concio sancta,
Nec vult regali monitu compescere mentem,
Misso cum multis equitatu à Rege maniplis:
Denique confectum bello quamplurima castra
Perdere se doluit totali cum Comitatu.
Talibus Ecclesiæ Rex damna vlciscitur armis,
Tam rigida Cleri prædones reprimit ira:
Vt qui non parent monitis, parere coacti
Vindictæ saltem ad tempus mansuescere discant,
Et breuior sit eis deinceps peccare facultas.
Quorum etsi mentes penitus compescere pœna
Non valeat, multum tamen his subtractio rerum
Impedit, affectus ne perducatur ad actum.
» Priuat enim effectu multum sub tracta facultas,
» Culpaque fit breuior quam patrat sola voluntas.
» Debeturque minor peccato pœna minori.
Neue putes Regem pro se hoc egisse, sed omnem
Impendisse operam Domino Dominique ministris,
Cuncta Monasteriis fecit bona restitui * quæ *qua
Perdiderant, dono post donat cetera largo,
Nulla sibi retinens, Guidoni Domnipetritæ,
Quæ cum Guido diu tenuisset, denique fatis
Morte satisfecit, Archembaldumque reliquit
Hæredem, qui nunc patrio tenet omnia iure,
Quæ meruit miser ille suis amittere culpis.
Qui modo priuatam ducens pro tempore vitam,
Quæ sua nuper erant alienigenis data plangit,
Quos adipe expleri rerum videt ille suarum,
Esuriente suis cum successoribus ipso.
Hoc solo miseram solans solamine vitam,
Quod Comitem simili Raymundum crimine lapsum,
Qui Sancti Comes Egidij Tholosæque vocatur,
Amisisse videt vrbes & castra. Quot annus
Fertur habere dies, tot villas ille celebris
Nominis & famæ Francorum à Rege tenebat,
Cui subiectus erat feodaliter, inque secundo
Per vinclum carnale gradu coniunctus eidem.
Sed postquam Ecclesiæ cœpit contrarius esse,
Catholicæ fidei defensans improbus hostes,
Hæresiarcharum fautor, populique fidelis
Nequaquam & Cleri metuens inimicus haberi,
Nec consanguineum sibi Rex, nec habere fidelem
Dignatus, cœpit contra illum bella mouere.
Vtque illi liceat punire licentius illum,

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Quamuis sciret idem proprio de iure licere,
Impetrare studet à summo Præsule sacra
Scripta, quibus pariat indulta remissio cunctis
Spem veniæ, contra hæreticos qui bella mouerent,
Per quos temnebat Christi Prouincia legem,
Et se pestiferi fœdabat peste veneni.
Dehinc quia nec Papæ monitis, nec Regis amico
Consilio Comes ille ferus parere nolebat,
Vt saltem reprobos cuiuis exponeret hosti,
Aut per se puniret eos vt iura iubebant:
Immò tuetur eos, & eorum praua per ipsum
Secta viget, dum non prohibendo fit vnus eorum
Rex & Papa simul, exponunt omnibus illum,
Et res & patriam totam quæ spectat ad illum,
Vt qui præualeat armis & viribus illi
Tollere quid proprios licitè conuertat in vsus,
Et dominus fiat rerum quas auferet illi. B
Rex igitur primus zeli feruore superni
Corde pio motus, ter millia quinque virorum
Ad proprios sumptus instructos rebus & armis,
Dans exemplum aliis, in Christi prælia misit.
At reliqui Proceres, equites, Comitesque Ducesque,
Prælati Ecclesiæ, nec non & nobile vulgus,
Omnes penè viri gladios qui ferre valebant,
Spe ducti veniæ Christi sua pectora signo
Consignant, vt quod calet intus lateat extra,
Illásque in partes iter aggrediuntur ituri.
Ergo Dei pugiles aciebus mutiplicatis
Vsque Biterrensem festinant ociùs vrbem,
Ad quam turba frequens confluxerat hæreticorum.
Fortis enim & nimium locuples populosaque valde
Vrbs erat, armatisque viris & milite multo
Freta; sed Albigei maculis infecta veneni.
Quam virtus modico sub tempore Catholicorum
Frangit, & ingressi sexus vtriusque trucidant
Millia bis triplicata decem, quos absque virorum
Maiorum assensu vulgi furor immoderatus,
Et Ribaldorum dedit indiscretio morti,
Interimens mixtim cum non credente fidelem, C
Nec curans esset quis vitâ, quis nece dignus.
Hinc procedentes Carcasoneatida cingunt
Agminibus densis vrbem, quam tempore paruo
Gnauiter expugnant, & eam se dedere cogunt,
Tali condicto quòd nil ex vrbe ferentes
Bellator, ciuis, ætas & sexus vterque,
Sola contenti vita, sine veste, sine armis,
Arcto postico, quod vix foret exitus vni,
Vnus post alium studeant exire viritim,
Cuncta relinquentes libito bona Catholicorum,
Agros, arma, pecus, gazas, vineta, penates,
Et quamcumque locus rem tam præclarus habebat.
Quo facto replent vtramque fidelibus vrbem
Catholici pugiles, & sacramenta Deique
Seruitium fieri procurant ordine recto,
Quod regione malus error corruperat illa.
Inde reuertuntur, patriámque reuisere gaudent,
Quisque suam, solo dimisso Simone Monti
Qui præerat forti Comes. Ille fideli

Corde,

Corde, manu forti, Papalia iussa secutus,
Et subiens onus impositum ceruice volenti
Tale videretur ne frustra nomen habere,
Hæreticos omnes tota regione fugauit,
Quos occidendos comprendere forte nequibat,
Non castrum, non vrbs, munitio nulla ferebat
Illius occursum, quin mox succumberet illi,
Quamuis pauca manus illum sequeretur in armis.
Supplebat numerum probitas immensa, fidesque,
Et sic tota ferè Christi Prouincia legem
Auxiliante fuit Domino subiecta per illum.
Confugit ergo comes Raymundus ad Arragonensis
Auxilium Regis, qui congregat agmina Regno
Quotquot habere suo poterat, nec defuit illi
Fusinus Comes, & Tholósanæ copia gentis,
Massilijque viri, quosque illi misit Auigno,
Albia chara, Nemaus, & quos misere Nauarri,
Et quos nutrierat Carcasso, Comésque Bicorrus.
Conueniunt omnes numero bis millia centum,
Mente vna cupidi cum Simone vincere Francos,
Et dare vel morti, patria vel pellere tota:
Armis instructi, sed nec virtutis egeni,
Quorum semper erat probitas exercita bellis,
Et feritas assueta neci, cædique dicata.
Hi tantis certant cum Simone viribus, vt vix
Se sociósque suos defendere posset ab illis,
Cuius erant equites cum quadraginta ducenti
Septuaginta in equis famuli, peditesque trecenti,
Cum quibus ipse volens fortunæ cedere forti,
Murelli tuta cautè se clausit in arce.
Christus enim sanctis ita consulit, vt vir ab vna
Se fugiendo bonus aliam conseruet in vrbem,
Est etenim cautè vis euitanda malorum,
Ne quod mente parant perducant semper ad actum.
Immo etiam sanctis fuga, sæpius expedit ipsis,
Quo super, ipsius nos instruit actio Christi,
Dum subit Ægyptum fugiens Herodis ab ira,
Inconsulta trahat ne nos audacia, sponte
Velle mori cùm nostra videt discretio quàm sit
Vtilior nostræ mortis dilatio quàm mors.
At Rex Arragonum, totusque exercitus eius,
Murellum fixis circundant vndique signis,
Nec se moturos iurant, nisi Simone capto,
Catholicisque viris eius qui signa sequuntur.
Intra Murellum cum Simone contulerant se
Personæ primi multæ, pluresque secundi
Ordinis, & Cleri quamplurima turba minoris, *Clerici cõsilio, non armis pugnant.*
Arma quibus tractare negat lex Ecclesialis
Qui sacra cœlestis doctrinæ verba pluentes,
Consilium præstant aliis qui belligerantur,
Et bello superant inimicos spirituali,
Exemplo Moysi pugnante precantis Hebræo,
Quo sursum tollente manus vincebat Hebræus,
Depressis autem manibus, Moyséque tacente,
Victorem victor Amalech vincebat Hebræum.
Et ne plus omnes quàm commoditatis haberent,
Neve grauis foret illorum præsentia castris,
Exercebat eos vigor indefessus ad omne

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Quod castrensis opus sibi sollicitudo requirit, A
Plusque laborabant populo manualiter omni,
Sola hæc quæ mortem poterant inferre cauentes.
Omnes hi pariter communi anathemate Regem
Arragonum feriunt, qui illum in bella iuuabant,
Qui nitebantur Christi peruertere legem,
Qui peruersores legis releuare volebant,
Vt Domini gladio percussit primò feriri,
Promptiùs & nostro possint à milite cædi.
Ipse etiam vt vidit tot millibus, vndique Simon
Se circumcingi, nec corpora se tot habere
Singula quot numero centenos hostis habebat,
Consulit, & tali compellat famine Francos.
» Magnanimi proceres Troiana stirpe creati,
» Francorum genus egregium, Karolique potentis,
» Rollandique cohæredes, & fortis Ogeri
» Qui patriæ tam dulce solum, tot castra, tot agros, B
» Qui villas tot deliciis opibusque fluentes,
» Qui tot amicorum, tot pignora coniugiorum
» Chara reliquistis pro Christi lege tuenda:
» Ipsum præ mentis oculis habeatis, & ipsi
» Vos commitatis soli, pro cuius amore,
» Pro cuius tot bella fide, tot vicimus hostes,
» Qui solus potis est nobis conferre salutem,
» Qui solus nos eripuit de mille periclis,
» Qui solus nunc eripiet præsente periclo.
» Tunc etenim se debet homo committere soli
» Puro corde Deo, cùm quid ratione geratur
» Ex se non reperit, cùm quod natura vel vsus
» Consilium præstat, omni vacat vtilitate.
» Obsidet hæc, & nos gens tam numerosa necare
» Dira mente sitit, iam fractis mœnibus istis
» Castellum irrumpent, spatio iam temporis arcto
» Nos capient, mortique dabunt, & nostra ferarum
» Morsibus & volucrum lanianda cadauera spargent,
» Funeris vt tali contenti simus honore,
» Nostraque tam nitidis tumulentur membra sepulchris,
» Sic & in errorem Prouincia tota redibit, C
» Sanctorumque fides & sacramenta peribunt.
» Sic ne capi satius & honestius esse putatis,
» Et sanctæ fidei legisque videre ruinam,
» Quàm pugnando mori non omnes tollet inultos
» Mors ita nos, numerum quin attenuemus eorum,
» Qui Domini gladio iam promeruere feriri,
» Vt citiùs gladiis mereantur cedere nostris.
» Nunc rogo sanctorum memores estote virorum,
» Simonis & Ionathæ ac Iudæ Mathatianitarum,
» Et sancti patris illorum, fratrúmque priorum,
» Sacra quibus donat Machabeis pagina nomen,
» Quorum laus canitur, & Festa coluntur vbique,
» Qui tot tam fortes extirpauere tyrannos,
» Idolatrasque omnes tota regione fugarunt
» Idola frangentes, loca sacra reædificantes,
» In quibus ante Dei cultura solebat haberi,
» Omne quod Antiochus fœdarat sanctificantes.
» Tu Guillelme mihi fratrem quem nobilis ille
» Barrarum dominus, genitrix cùm nuberet illi
» Nostra, dedit frater nobis vterinus vt esses,

Nunc

PHILIPPVS AVGVSTVS.

A ,, Nunc animo, nunc quæso manu, te semine tanti
,, Ortum demonstres, imitatoremque parentis.
,, At tu Guido Comes, quo Principe Sydoniorum
,, Exultat regio, pariterque Philistica tellus,
,, Qui verè meus es germanus vtroque parente:
,, Nunc nunc scribatur virtus vtriusque parentis
,, Mente tua, vt patribus simili probitate proberis.
,, Te quoque te moneo Rocij dominator Alane,
,, Qui tot sub nostro fecisti Rege triumphos,
,, Qui te cum reliquis hæc in certamina misit:
,, Vosque alij Proceres communiter esse velitis
,, Et patrum & patriæ memores, genus vnde tulistis,
,, Ne patres sibi dissimiles, ne dulcis alumnos
,, Patria degeneres doleat genuisse, quod absit.
,, Præcipuè Regis summi studeatis honori,
,, Cuius mane nouo pugnabitis hostibus, ipse
,, Dux velit & Princeps pro se pugnantibus esse,
B ,, Sic fiat sicut fuerit diuina voluntas.
Dixit, & assensu cœtus totius in vnum
Conclamante sonum, nullo variante fauorem,
Somnis nocte data, sub prima luce suorum
Primitias operum Domino sacrat, Ecclesiamque
Matutinus adit, vt cum solemnibus horis
Audiat officium, quo Christi passio rerum
Sub specie nostram typicè repetita salutem
Effectu haud dubio renouat. Mox omne recenset
Robur, & ex vno tres efficit agmine turmas.
Protinus armati cursu rapiente reclusis
Egressi foribus hostile feruntur in agmen,
Vt leo qui caudæ sibi verbere suscitat iras,
Dum ruit armento vaccarum damna daturus,
Quas videt oblitas, iam viso graminis illo
Herbosis mussare procul sub vallibus Idæ.
Sic Domini pugiles parili leuitate retectis
Ensibus, oppositos idem impetus vrget in hostes.
Quo viso Arragones gaudent, veroque furore
Insanire putant, & ob hoc gratantius illos
C Excipiunt, quos sponte mori iam velle putabant.
Audaces igitur feriunt, feriuntur & ipsi,
Ictibus & primis æqua virtute resistunt,
Et condensatis ex omni parte coronant
Agminibus, ne fortè fugam quis tentet eorum,
Quos in momento consumere posse putabant,
Inque breui spatio concludere millia centum
Inter se putauere viros vix mille ducentos.
Iam latet, & penitus Francorum turma videri
Non valet à tantis circumuallata cateruis.
Pugna recrudescit, ictus geminantur, & hastis
Nil agitur, gladij rimantur viscera nudi,
Nec iam par animis animus, non ictibus ictus,
Non pugno pugnus, non vires viribus æquæ.
Nam quemcunque hostem Francus ferit, illico lapsus
Corruit, & vitam tenues exsufflat in auras.
Si quis adhuc viuens ab equo ruit, ociùs illum
Dilaniant pedites, & ei vitalia soluunt,
Dum properant equites alios aut cogere labi,
Vt peditum manibus rumpantur guttura lapsis,

De bello Murelli.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Aut in equis ipsis occidere vulnere crebro.
Rex furit Arragonum, sic cædi se sua coram
Pignora chara videns, nec eis succurrere posse,
Piget eum, tentátque suas in Simone vires,
Indignans aliis concurrere. quippe minores
Quoslibet indignos regali iudicat ictu.
Cautior occurrit, pugnæque peritior, illi
Simon, & lateris flexu cauet illius hastam,
Quæ medias veniebat ei transfigere costas.
Tunc Regis dextra perniciter eripit hastam,
Et signum regale simul quod pendet ab hasta,
Quod populum tanti faciens meminisse triumphi,
Nunc cum vexillo Romana pendet in æde.
At Rex exerto comitem ferit ense, sed ipsum
Fortior insurgens, rapto de vertice cono,
Fortiter à sella Comes eleuat, inque vigentis
Circumflectit equi collo, manibusque duabus
Gnauiter amplexum Regem portare volebat,
Et viuum seruare, neci quia tradere tantum
Fas non esse virum Comiti putat, vt pius hosti,
Vt bonus esse malo populo laudetur ab omni.
Nititur ille viro elabi, multoque labore
Vix duro amplexu sublabitur, inque virenti
Gramine stare volens, prostratus corpore toto
Concidit, & fulua iacuit resupinus arena.
Arragones Comitem circumstant, & magis illum
Debellare student, quàm Regem tollere terra.
Ille velut turris stat firmus, & ense rotato
Dissipat instantes & multo sanguine pingues
Reddit agros multaque virum se strage coronat.
Armiger vnus erat Comitem prope, nomine Petrus,
Non indignus eques fieri, vel gente * vel annis:
Occiso qui lapsus equo pedes ibat, & ipse
Penè ducenta virûm dederat iam corpora letho.
Iamque gulæ Regis ferrum thorace reducta
» Aptabat cui Rex clamans, Rex, inquit, ego sum,
» Tolle manum, cohibe, & noli occidere Regem,
» Sed potius viuum serues tibi multa daturum
» Millia marcharum pro solo munere vitæ.
» Petrus ad hæc: Modò te vidi, cùm non procul essem,
» Pectora velle tuo transfigere Simonis ense,
» Méque peremisses, & Francos vi simul omnes,
» Si vultu tibi propitio fortuna fuisset:
» Dignus es ergo mihi succumbere, qui mihi mortem,
» Qui Comiti, qui Francigenis inferre volebas.
» In te solus homo moritur, sed mors tua nobis
» Omnibus & nostris est collatura salutem.
» Rex es, ego Regis opto interfector haberi.
» Hæc mea dextra tibi regalia guttura rumpat,
» Qui de gente tua mutilauit membra ducentis,
» Quot dicas Comitum manibus cecidisse meorum,
» Cùm mihi tot soli data sit necuisse potestas
» A Domino, cui te fecisti improuidus hostem.
» Expedit ergo tuis vt eos comitere sub vmbras,
» Ne sine Rege suo paueant occurrere Diti,
» Quem si forte queas per vim tibi subdere vel tu
» Rex ibi solus eris, vel conregnabis eidem.
» Propitiore tamen fato si vincere quæris,

* Marte

A ,, Et causa meliore tibi pugnare necesse est,
,, Vade, nec oblitus fueris quæ munera Charon
,, Exigit, ille quidem nequaquam trans Styga sistet
,, Teve tuosve, nisi tuus illi spiritus ante
,, Naulum persoluet, & porriget ore trientem,
,, Quem penes eiusdem sunt omnes conditiones.
,, Non domino seruus, non Rex à milite differt.
,, Nil vires forti, nil diuitiæ locupleti,
,, Purpura nil Regi, cum paupere diues eodem
,, Omnes vase bibunt, potus datur omnibus idem.
Hæc dicens, ferrum regali sanguine spumans
Traxerat, & vulnus alio geminauerat ictu.
Protinus Arragones amisso Roge per agros,
Per valles fugiunt. Fusinus cum Tholosano
Ostendunt Comites iam terga fugantia Francis,
Et quicunque necem possunt euadere, vitam
Auxiliante fuga pedibus saluare laborant,
B Plantis, non gladiis magè se debere volentes.
Stabat adhuc Tholosana phalanx prope fluminis vndas,
Millia dena quater in papilionibus altis,
Obseruans aditus castri è regione sinistra,
Ne quis ad obsessos veniat vel prodeat extra,
Qui ferat aut quærat illis quodcumque iuuamen.
Quos cùm vidisset Bernardus Præsul eorum,
Qui tunc cum reliquis Murelli in turre manebat,
Expectare quasi bellum renouare vollentes,
Significauit eis, vt se conuertere vellent
Ad rectam veramque fidem, Comitique fideli
Corde reformari, finemque imponere bello.
Ast illi famulum pietatis verba ferentem
Cædere theutonico non erubuere flagello,
Et cum verberibus indigna opprobria passo
Vix licuit paucis cum dentibus indè reuerti,
In signumque illis à sancto præsule missam
Præsumpsere stolam variis discingere plagis.
Qua super vt Comiti re certificatio facta est,
A Domini bello summa cum laude reuerso
C Quamuis Arragonum satis esset strage grauatus,
Lassatique viri post bella quiete foueri
Exigerent potiùs quàm rursum in prælia mitti,
Egreditur portis, cum quo non mente minori
Quàm si nulla die gessissent prælia toto
Illa inuicta cohors inimica in castra feruntur.
Non audet Tholosana phalanx exire furenti
Obuia Francigenæ, numero sed fisa suorum
Séque putans infra sua castra resistere paucis,
Obstruit introitus, & se defendere tentat,
Sed breue per tempus Domini viduata fauore
Terga dat, & tantos nequiens sufferre furores:
Sed cædi patitur, & cedit turpiter hosti
Vt vi fracta lupus ingressus ouilia nocte,
Non sedare sitim, aut carnes immergere ventri
Dente petens auida, gregibus tantummodo rumpit
Guttura lanigeris, & strages stragibus addit,
Sanguinis illecebras dum sicca fauce ligurit,
Et calido stomachum potus dulcore saginat
Haud secus illa Deo deuota per illius hostes
Turma necando ruit, gladiisque vltoribus iram

Exequitur Domini, sibi quam geminauerat ille A
Desertor fidei populus, comes hæreticorum.
Nec spoliare illos, nec quemquam prendere curant,
Sed tantùm assiduo rubricatis ensibus ictu
Effuso vitam victis cum sanguine tollunt.
Inque die virtus Francorum claruit illo
Tanta, quòd adiunctis ter millia quina duobus
Millibus ad Stygiam lux miserit vna paludem,
Dextraque texit eos tanto diuina fauore,
Quòd tantum exciderent ex agmine Francigenarum
Octo peregrini, quos reperit hostis inermes.
Quorum spiritibus lutea compage solutis
Christus perpetuæ largitur gaudia vitæ,
Nomine pro cuius cruor est effusus eorum.
Non minor hac iterum victoria contigit illis
Circa tempus idem, quando victricibus armis
Xantos, Burdigales, Blauios, Pictones, & Anglos, B
Innumerosque alios variis à partibus illuc
Contra Catholicos mittente Iohanne profectos
Simonis edomuit virtus, & nobile robur
Gentis Francigenæ numero breue, viribus ingens,
Quæ summa meruit efferri laude per orbem,
Multa triumphali dum cædit millia ferro.
Vnde quidem pauci fugientes cum Sauerico,
Quem Rex Anglorum temerè præfecerat illis,
Vix vitam saluare fugâ meruere pudenda.
Quo mox audito, furiata mente Iohannes
Indignans sibi nec fraudes nec bella valere,
Arma quibus contra Francos nil proficiebat,
In Christum famulosque suos conuertit, eisque
Imputat ignaua quòd mente resistere Francis
Non valet, & tanquam Deus hæc infligat eidem
Supplicia immmerito Domino confligere soli,
Et Domini seruis animo contendit atroci.
Vlciscens igitur in Christi membra Philippo
Se toties victore mari terraque fugatum,
Et quòd nullus ei conatus cedit honori,
Ecclesias spoliat, Cleri bona diripit, omnes C
Ruricolas ciuésque bonis proscribit auitis,
Flagitiisque miser variis ruit in scelus omne.
Laxat fræna gulæ, maculátque libidine corpus;
Arctat auaritiâ cordis penetrale, nec vnquam
Attenuare sitim valet accumulatio census,
Quóque magis sedare illam sitit accumulando,
Hoc magis illius animum cremat ardor habendi,
Semper vt inueniat artes, quibus improbus omnes
Qui sibi subduntur argento priuet & auro,
Quos spoliare nequit, vel strangulat ense, vel arctis
Compedibus vinctos longa nece cogit obire,
Quos vesana fames in carcere suffocat ipso.
Prælatos etiam sacris è sedibus omnes
Eiicit, & tota Anglorum regione relegat.
Vt procul amotis Cleri populique patronis,
Res sibi liberiùs acquirere possit eorum:
Non parcit Monachis, aut quos Cistercius Ordo
Candidat, aut habitus denigrat Cluniacensis,
Merlini vt pateant tandem problemata vatis,
Quem dixisse ferunt: Olim dominabitur Anglis
Argento vrticas & lilia qui spoliabit,

Abentes

A Albentes Monachos nigrosque; Per hæc duo signans
Organa suspendet, Clerus tacet omnis, vbique
Vox à laude Dei, nec sacramenta, nec vllum
Ecclesia officium celebrat, septemque per annos
Se paganismi fœdat tota Anglia ritu.
Interea sanctos pascebat Francia patres
Sedibus eiectos propriis, quibus alta Philippi
Magnanimi pietas tutum præstabat asillum,
Vtque onus exilij tolerent, tolerantibus, atque
Ecclesiæ fiscique bonis compassus alebat.
Nec minus hac ipsa sub Pentecoste Iohannis
Otho nepos Regis Saxonicus, omine læuo
Quem sors extulerat ad summi culmen honoris,
Fleret vt Imperium sordere Nerone secundo,
Vrbis Romuleæ fines & iura beati
Vastabat Petri, patrimonia propria serui
Seruorum Christi, quæ verè nouerat esse
B Iuris Apostolici, sibi vi rapiebat, & armis
Romipetas, & qui sanctæ succurrere terræ
Ibant, ex voto quos crux assumpta tueri,
Et tutos præstare omni debebat ab hoste,
Suppliciis animo variis subdebat amaro,
Hos spolians, illos occidens, membra quibusdam
Amputat, obscuro multos in carcere claudit,
Extorquere queat vt plura numismata clausis,
Si quem paupertas tutum iubet ire, flagellis
Cæditur in patriam, vestigia vertere iussus,
Sedis Apostolicæ ne limina possit adire,
Obsidet introitus villarum, publica nulli
Strata patet, nullis aditus dat semita tutos,
Armatus valles & confraga prædo coronat.
Ne queat hac vllus, aut illac ire viator,
Pontes & gladiis & vispillonibus horrent,
Vt quotquot venient spolient vi, nulla facultas
Visendi Romamve datur, Dominive Sepulchrum,
De media plerosque via docet ire retrorsum
Rumor, & infectis remeare ad propria votis,
C Ne sua cùm nequeant indemnes soluere vota
Præsumant certo sese obiectare periclo.
„ Propter enim votum nulli est in damna ruendum,
„ Cùm melius possit alio sub tempore solui.
Sed ne continui nos frangat cura laboris,
Intercidat Opus breuis hîc pausatio nostrum
Tempore vel modico, qua respirare queamus.

MATERIA NONI LIBRI.

Schismaticos parat in nono delere Philippus.
Bolonides Regnum turbat, profugusque Iohanni
Othonique fidem, Ferrando complice, iurat.
Concilium celebrant cum Rege Suessone Franci,
Quo se schismaticis statuunt communiter hostes.
Albidiamque forent cùm iam transire parati,
Subiicit Æneadis & se & sua sceptra Iohannes,
Damnum Dan infert classi, totusque crematur
Cum regione locus, Ferrandi proditionem
Flandria tota luit Francorum perdita ferro.
Sed miserabilius perit omnibus Insula fallax.
Tornacum Flandri septem tenuere diebus.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

INCIPIT LIBER NONVS.

Rex ita dum sæuit in Christi membra Iohannes,
Ecclesiamque pari ferus Otho furore molestat,
Hic Anglos, hic Romipetas enormiter angens;
Audit, & innata motus pietate Philippus
Ecclesiæ damnis, Cleri populique ruinis
Compatitur, Christíque dolet decrescere cultum.
Audit, & vltorem Domini Ecclesiæque fidelem
Se fore promittit, animóque in vota ligato
Contra schismaticos magno ciet arma paratu,
Communémque iuuat priuata iniuria causam.
Bolonides etenim se iam subduxerat illi
Othonis reprobi partes Anglosque secutus,
Non veritus iam ter ignominiosus haberi,
Quo coram cunctis magis infamaret eundem
Tertia proditio; triplicatáque factio culpæ,
Proditionalis pœnis grauioribus illum
Afficiat, dignumque æterno carcere reddat.
Nescius ergo suum se procurare nocumen,
Nec præ corde videns olim sibi quanta suísque
Præsenti infelix pariat dispendia facto,
Transit ad Othonem, summo quem lætus honore
Suscipit, & nequam sibi fœdere colligat Otho,
Neve venenosas moueat dubitatio mentes,
Firmat amicitiæ iuratio fœdus iniquæ,
Se reliquo fidum, tanquam sibi iurat vterque,
Auxilia vt contra Francos sibi mutua præstent,
Inque Dei seruos animo grassentur eodem,
Quos de Francorum Regno propellere iurant,
Si modo se dederit illis fortuna benignam.
Indè per Albicomas populos, patriámque feracem
Quam Scaldus fœcundat aquis, Lidusque profundis
Flandrum littus adit, vbi primum nactus ad Anglum
Nauigat, & tali compellat famine Regem.
» Si factis condigna meis pensare Iohannes
» Præmia fortè velis, obseruatóque rigore
» Iustitiæ tractare reum, pietate remota:
» Non prius accipiet breuis hæc oratio finem,
» Quàm tua me gladio iubeat censura feriri,
» Occius vt facias caput hoc à corpore velli.
» Me scio nempe tuum merito amisisse fauorem.
» Nam tibi nil Franci, nil Rex, nil bella tulissent
» Gallica, ni clipeus imprimis noster adesset.
» Vnde nec admiror si me sic oderis, vt me
» Tollere de medio tua quàm citò cogitet ira.
» Sed quoniam fructum mea confert mors tibi nullum,
» Vitaque nostra potest tibi commoda multa referre,
» Viuere commodiùs tibi me permitte, meoque
» Si sapis, à iugulo gladios procul esse iubeto.
» Nam quòd se mihi Rex manifestè prodidit hostem,
» Qui caput exilio nostrum damnauit, & omni
» Me sine iure mei spoliauit iuris honore,
» Hoc procuratum stabili fuit ordine fati.
» Prospectúmque patris æterni examine iusto,
» Vt me subtraheret Francis occasio iusta,
» Insperata tuis addens solatia fatis.

Nam

A „Nam tibi polliceor, & cœli numina testor,
„Aut tibi restituet sine bello cuncta Philippus,
„Aut tibi ceruicem dabit hæc mea dextra philippi.
„Nec labor iste grauis, faueat cùm Flandria nobis,
„Ferrandúsque Comes, & cum Saxone Louannus,
„Et Pictauorum manus inuictissima bello,
„Theutonicúsque furor, & laudatissimus armis
„Otho nepos vester, solus qui præsidet Orbi,
„Romanum Imperium per bella potenter adeptus,
„Qui pictauensem Comitatum tam benè rexit,
„Saxonumque tenet patria ditione Ducatum.
„Tu bone Rex in pace sede, tantúmque ministra
„Militiam & censum, quorum tibi copia magna est.
„Ast ego, Guillemusque Comes Salebericus olim,
„Quem tibi prouidit naturæ gratia fratrem,
„Post Richardi obitum ne prorsus fratre careres,
„Cetera peruigili curabimus omnia mente.
B „Ne qua autem nostris lateat dubitatio verbis,
„Simone fratre meo valletur sponsio nostra
„Obside, cumque illo coniux nihilominus eius
„Addatur Comitis Pontiui filia, neptis
„Francorum Regis, cumque his nostra insuper vxor
„Rege sat * Stephano quæ cùm sit nata Mathæi,
„Quarto iuncta gradu te sanguine tangit auito.
„Omnis duplicitas abeat, sit pactio firma.
„Accedit dictis atque addit pauca Iohannes:
„Immo ego, Pictonesque mei, Nannetica rura
„Andegauimque omnem subitis terrebimus armis.
„Vos & Ferrandus Viromannibus arma feretis.
„Otho nepos noster Remis instabit, & illis
„Partibus armiferis quas irrigat Alba fluentis,
„Et Materna vago tendens per plana recursu,
„Heruæusque Comes nobis est iure ligatus
„Iurando, tamen occultè, donec locus assit
„Et tempus, quo cum reliquis sibi consociatis
„In Gastinensios desæuiet & Senonenses:
„Vt circundetur hostilibus vndique turmis,
C „Ne qua parte manus nostras euadere possit
„Impius ille tuo qui te spoliauit honore,
„Surripuitque patrum mihi iura antiqua meorum,
„Robertosque suos in te commouit, vt ipsi
„Et non ipse magis te deiecisse putetur.
Dixit, & extensis Comitem circumligat vlnis,
Atque Comes Regi strictis amplexibus hæret,
Alternamque fidem per mutua basia iungunt,
Inque vicem sibi se iurant fore corde fideles,
Seruitiumque Dei Francorum expellere Regno,
Francis deuictis, interfectoque Philippo.
Quæ cuncta in melius diuina potentia vertit,
Sacrilegosque suis laqueis sinit illaqueari,
Vt semper doleat dolus in se iure reuerti.
Quàm satius Reginalde tibi, quàm rectius esset,
In crucis obsequium proficisci, votaque Christo
Reddere, quæ dudum vouisti te cruce signans,
Et verbo dare te Regi factoque fidelem,
Cui iuratus eras, qui tot tibi dona tuisque,
Tot villas, tot opes, tot honores contulit vni,
Ipsius vt dono Comitatus quinque teneres,

* sata

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Teque suo socerum nato pateretur haberi:
Non Domino contra ire tuo, Regníque quietem
Sic motu turbare nouo, totúmque per Orbem,
Te luctus dare materiam, causámque doloris.
Si Moretolium tibi Rex tulit, Andelotúmque,
Iudicio quia stare negas, quod Curia sanxit,
Non tamen in dominum deberes bella mouere
Tam citò, sed potiùs vultu supplicare modesto,
Vt tibi det veniam, téque in tua iura remittat.
Si supplex humilísque redis, positóque tumore
Poscere te patitur innata superbia pacem,
Omnia restituet tibi protinus, & potiora
Dona dabit, solitúmque bona cum pace fauorem,
De cuius bonitate fuit te fidere dignum.
Scis etenim quantas tibi iam donauerat iras
Quàm tua multotiens iniuria læserit illum,
Quàmque sibi charum te postea fecerit ipse.
Nunc quia consilio nolens parere salubri,
Corde indurato ruis in tua damna scienter:
Vade tuisque para virgis tibi verbera, Reges
Atque Duces tecum in mortem in vincula mitte,
Quorum corda tuæ linguæ inuiscata veneno
Arte tua nosti sic infatuare, quòd ipsi
Non videant cæcos in quanta pericula ducas,
Quæve illis subitus paret infortunia casus.

Hac & sequentia vsque ad versum Agmina &c. edita iampridē Antuerpiæ 1534. sub hoc titulo. Bellū quod Philippus Frācorum Rex cum Othone Augusto, Anglis, Flandrisque gessit, annos ab hinc ccc. conscriptum, sed omnibus ferè in versibus interpolatum, vt ipse qui edidit Iacobus de Meyere profitetur in initio. Bellū Philippi, gallorum Regis absterso paululum barbarie interpolatum.

Vrbs antiqua sedet gremio telluris opimæ,
Belligeris populosa viris, vicisque decora,
Qua speciosa magis fœcundaque ditibus aruis
Ad circumpositas se Francia porrigit vrbes,
Quæ parte australi Tempe Meldensia tangens
Et Syluanectim protendi passa penes se,
Beluaco occidua fieri contermina gaudet,
Carnopoli media quæ se distinguit ab illa,
Syluanectensis dum rura diocesis arctat,
Trans Ysaram nimis ausa suas protendere metas,
Lauduno Remisque situ confinis amœno.
Nouionum ad Boream, Trecas attingit ad Eurum,
Et Cathalaunensi non se disterminat vrbe.
Indice quæ fama cùm sit fundata Sueuis
Exulibus, merito fortita est Suessio nomen.
Lenifluis piscosus aquis quam ditat & ornat
Mitis Atax, Latias doluit qui ferre carinas,
Itala cùm Gallis inferret Iulius arma,
Auxona cui faciunt nomen vulgare moderni,
Qui tibi cum tollat natiuum Vidola nomen,
Ipse suum perdit Isara maiore receptus.

Hic quoniam facilis locus est quo confluat omnis
Absque mora, varias gens circumfusa per vrbes,
Francigenum ductor Prælatos Ecclesiarum,
Et toto Proceres de Regno congregat omnes.
Quorum stans medius placido sic incipit ore,
More suo breuitate studens substringere verba:

» Sanctorum ô ciues, quos Ecclesiasticus Ordo
» Vicinat cœlo, vosque ô venerande Senatus,
» Quorum militia multos iam vicimus hostes,
» Quot damna Ecclesiis Othò Rex atque Iohannes
» Intulerint plenè nouit discretio vestra.
» Vnde Petri virga meritò percussus vterque,

A ,, Fit subici dignus gladio quoque materiali, *Philippvs Avgvstvs.*
,, Cùm non sufficiat correptio spiritualis,
,, Vt compescat eos, cùm fiant deteriores,
,, Inque malum magis audaces anathemate lato.
,, Quapropter quicunque sciens communicat illis,
,, Traditus est Sathanæ, pœnæ factique sodalis.
,, Vnde mihi vestrum Domino seruante fauorem,
,, Mens mea proponit Anglorum inuadere Regnum,
,, Vt dignè feriat pœnæ vindicta Iohannem
,, Aut ignominia Regnum comitante relinquat,
,, Seruitiúmque Dei tandem renouetur ibidem,
,, Anglia quo caruit septem & multo amplius annis.
,, Francia schismaticos & Cleri quoslibet hostes,
,, Debellare solet, & castigare rebelles,
,, Quicunque Ecclesiæ iussis parere recusant.
,, Nec fuit hoc nostro neglectum tempore, nec vos
B ,, Hoc ad opus nostrum vestra hactenus arma negastis.
,, Nunc ergo, ô socij bellorum, nunc rogo vires,
,, Quisque suas domino præstet qui præstitit illas.
,, Nec cuiquam dubitare licèt quin gratia præsens
,, Ipsius adiutrix pro se pugnantibus assit.

Dixerat. At Proceres, venerandaque Curia sancti
Concilij palmas alacres ad sydera tendunt,
Et conclamantes voto communiter vno,
Tam sanctum Regis, tam commendabile laudant
Propositum, seséque in idem discrimen ituros
Vnà promittunt, promissáque pignora * firmant ** pignore*
Iurisiurandi. Primus Lodouicus, & Odo
Allobrogus, Comes Heruæus, & Bellijocensis
Guischardus iurant, iurat Sauaricus id ipsum
Ad tempus varians Pictonum more fauorem.
Dux quoque Louaniæ Regis gener, * atque Nemurci, ** genus*
Et Barri Comites, & Guido Domnipetrinus,
Vindocinique Comes, cum Trecensi Comitissa,
Et Robertigenæ, Britonum Dux nomine Petrus,
Et Robertus cui frugis vastatio casu
Agnomen puero dederat, fraterque Iohannes
C Illorum, cui Brena dedit cognomen & ortum,
Cum genitore suo Roberto iam seniore:
Qui cùm fortis adhuc membris animoque vigeret,
Protestabatur tali se prole beatum.
Quem Beluacensis comitatur Episcopus eius
Germanus, quorum Regis patruelis vterque est.

Hos odium maius priuataque causa mouebat,
Vt strepitu maiore arment in bella cohortes,
Cum quibus, antea quàm Regni esset publicus hostis,
Immortale odium & guerram Reginaldus habebat,
Et quia Rex ab eis non defendebat eundem,
Iustius esse sciens neutris præstare iuuamen,
Quàm fieri malè gratus eis dum subuenit istis,
Vt sine defectu parti foret æquuus vtrique,
Irritare suum dominum præsumpsit, eique
Est inferre minas multis præsentibus ausus,
Nec super his iuri monitus parere volebat.
Solaque causa quidem fuit hæc cur exulet ipse
Omnis Baro, Comes, Dux, rector, Episcopus, Abbas,
Cum reliquis membris, Regni se fœdere firmo
Sponte ligant Regi, viresque in prælia spondent.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Rex vbi Francigenas tam prono pectore bellum A
Accepisse videt, Proceres ad propria mittit,
Vt propriis satagant domibus disponere, réque
Disposita certum redeant post tempus ad ipsum.
Ipse incunctanter iubet arma ratesque parari,
Assignatque diem Maij quæ dena Kalendas
Susequitur, qua Bolonico se littore classis
Exhibeat latura viros armisque parata,
Omnibus & rebus quas res tam summa requirit.
Quò cùm venissent Rex ac exercitus omnis,
Omnibus instructa rebus iam classe, suosque
Expectante nothos, tempusque meantibus aptum.
Solus Iberigena Ferrandus defuit, ille
Solus noluerat vires promittere Regi,
Nec se cum reliquis iurando iure ligare
Quippe ligatus erat per iuramenta Iohanni,
Et Regi Othoni, sic procurante nefandam B
Bolonide fraudem, per quam nihilominus ille
Proditor, & dignus fieret scalere cathenis.
Hic Ferrandus erat Hispanus gente, nepósque
Nobilis illius Mathildis Portigalensis,
Quæ sata Rege fuit Comiti sponsata Philippo,
Qui cùm prole carens Acharon moreretur in vrbe,
Baldoinus ei successit, quem soror eius
Hennuuiusque Comes illi genuere nepotem,
Reginæ Elisabeth fratrem, qui postea Regi
Bella mouens, Regno exiuit, factusque Monarcha
Imperium tenuit Græcorum tempore multo,
Postea quem Tracum Dux interfecit ibidem.
Cui cùm nec proles vlla esset mascula, natæ
Florebant geminæ in patria, spes grata nepotum:
Quas enutriri tenerè faciebat, vt alti
Sanguinis hæredes, Regis tutela Philippi,
Qui primogenitam, postquam de patris earum
Constitit interitu, totali cum Comitatu
Ferrando vxorem donauit munere largo,
Eius ad hoc amitæ suplicamine ductus & astu,
Ignarus facto quæ tali damna sequantur. C
Postquam Ferrandus Comitem se vidit, & altum
Ex humili, magnum de paruo, & paupere ditem,
Detrectare iugum cæpit regale, modumque
Quærebat fieri quo posset liber ab illo.
Vnde nec erubuit Regis contemnere verbum,
Et domino contraire suo, nec adesse vocatus,
Quamuis pactus erat Regi Paribusque, quòd æqua
Mente ferat quicquid super his Rex imperet illi,
Stans verbo potius quo se constrinxerat Anglis,
Vt cùm transierit Francorum exercitus omnis,
Debellaturus Anglos Regemque superbum,
Desolata suis temerè cum Rege patronis
Arbitrio pateat ipsius Francia tota,
Ipseque cum Flandris Regni pulcherrima vastet,
Proque suo libitu de Regno & Rege triumphet.
Ista proculdubio Ferrandus mente fouebat,
Hæc se facturum iurauerat ipse Iohanni.
Insidiosa foret fraus vtilis insidioso,
Ipsi si soli prænosse daretur eandem,
Sed nihil occultum quod non quandoque patescat,

A Nil ita secretum quod non aut fama reuelet,
Aut sapiens viuo deprendere calleat astu,
Tam certis signis quàm famæ murmure fiunt,
Quæ facturus erat Ferrandus nota Philippo
Propositum mutat, mutato tempore classem
Præcipit vt properet Sauaricus ducere Danum,
Pictonésque sui quibus ars piratica nota est,
Atque Latinato Galiota cum Ludouico,
Cumque sua nulli rupta parcente Cadocus,
Littore Bolonico diffunditur in mare classis:
Vixque satis quo currat habet, nimis arcta videntur
Æquora tot ratibus, austris spiramina desunt,
Vela quibus tot sparsa queant sinuare per vndas.
Quæ si cuncta velis vno defigere visu,
Frons oculis tua linceis armetur oportet.
Quòd si sub numero comprendere forte labores
B Nauibus Argolicis quas Eurus in Aulide longo
Tempore detinuit, iter impediente pelasgum
Neptuno, ne Troia cadat quam struxerat ipse,
Quingentas bis quinque rates & quatuor adde.
Quò se non vertit, egeat ne prorsus egestas,
Quam sibi non mendicat opem, qui non habet ex se
Auxilium sibi sufficiens instante periclo,
Præcipuè sibi cùm se fortior imminet hostis,
Viribus & causa quo se videt esse minorem,
Seque suos meminit læsisse scienter amicos,
Omnia prætentat, omnes se vertit ad arces,
Hostibus ex ipsis fieri sibi curat amicos,
Quorum subsidiis alios eludere possit.
Sæpiùs erudiunt peruersas verbera mentes,
Plusque flagellando seruilis pœna timorque
Proficit, vt reprobos reproborum reprobet actus,
Quàm diuinus amor, aut exhortator amicus
Possit ab assuetis reuocare reatibus illos.
Contritum simulans fallaci corde fatetur
Tantorum scelerum se pœnituisse Iohannes,
Audet Apostolicis dare sub pietatis amictu
C Verba viris, qui sunt à Cardine nomen adepti,
Et Patrum Patri blando suplicare precatu,
» Vt veniam præstet errantibus: Omnia, clamans,
» Restituam Clero, Regni depono coronam,
» Indignum qua me fateor, vassallus haberi
» Ecclesiæ volo Romanæ, diadema resigno
» Petre tibi toto cum Regni iure. mihi Rex
» Amodo Petrus erit, ego Petri miles habebor.
Acceptans Pater ista Patrum commenta Iohannis
Gaudet, & in partes Pandulphum destinat illas.
Cui cùm firmasset per scripta patentia pactum,
Iureque iurando de pactis stando Iohannes
Illius in dextra sceptrum regale resignans,
Se Papæ Regnumque suum sic mancipat, vt sit
Vassaldus de Rege nouus, de Principe miles,
Regnet vt ipse tamen sub Petri nomine, marchas
Argenti propter soluendo mille quotannis.
HocRegnum Anglorum decorauit honore Iohannes,
Hoc generi prædulce suo decus addidit, vt sint
Reddere constricti Romanis rite tributum,
Priuati sceptro cum libertatis honore.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Ergo relaxatur sententia, cautio rerum
Restituendarum fragili munita sigillo,
Quæ fuit effectu post hoc caritura supremo.
In patriam Clerum reuocat, dant cantica signum
Lætitiæ, officiúmque Dei renouatur vbique.
Classis prima quies Calesi fuit, altera portu
Fit Grauelinga tuo, quò Rex aciesque pedestri
Perrexêre via, cui ciues omnia secum
Exponunt bona, quæ vicus tam diues habebat.
Noluit ille tamen villam spoliare, sed illam
Sicut erat domino Lodouico cessit habendam.
Inde mouens iterum classis legit æquoris vndas,
Quod Blœtinorum candentia littora lambit,
Quaque marescosos extendit Flandria campos,
Et qua bellipotens media inter prælia terram
Sulcat Ysangrinus gladio munitus & hasta,
Qua sola Furnus arat finibus vicina marinis,
Quaque ruinosos ostendit Belga penates,
Semirutasque domos Regni monimenta vetusti,
Neomus armipotens vbi bella frequentia gessit,
Quem nunquam sibi præualuit Romana potestas
Subicere omninò, certisve ligare tributis,
Belga Couinnorum Lucano teste repertor,
Belga potens opibus, armis, & viribus, olim
Romanis valde infensus, tantaque per orbem
Laude celebratur, quòd ab illo Gallia priscum
Belgica nomen habet, Regni pars tertia Galli.
Hinc quoque digrediens flatu propulsa secundo
Portum læta subit à damno nomen habentem,
Qui tam latus erat, tantæque quietis, vt omnes
In se sufficiat nostras concludere naues,
Quo valde speciosus erat Dan nomine vicus
Lenifluis iocundus aquis atque vbere glebæ,
Proximitate maris portuque situque superbus.
Hic Sauaricus opes cunctis è partibus Orbis
Nauigio aduectas supra spem repperit omnem,
Infecti argenti massas, rubeique metalli,
Stamina Phœnicum, Serum, cicladumque labores,
Et quas huc mittit varias Hungaria pelles,
Granaque vera quibus gaudet squalata rubere,
Cum ratibus vino plenis, Vasconia quale
Vel Rupella parit, cum ferro cumque metallis,
Cum pannis rebusque aliis, quas Anglia, vel quas
Flandria contulerat, illuc mittantur, vt inde
In varias partes mundi dominísque reportent
Lucra suis, quibus est spes semper mixta timori.
Sorte comes dubia, subitique angustia casus,
Omnia quæ pyrata rapax Sauaricus, & eius
Dira cohors in idem sibi concinnante Cadoco,
Indigenis contra percussæ fœdera pacis
Diripuere sibi, sociis iuuantibus ipsos,
Non veriti violare fidem, pactumque negare
Quæ nostris peccata reor nocuere carinis.
Rex verò interea patriam sibi subiugat omnem,
Vndique dispersis per rura patentia turmis
More locustarum, quæ terræ plana tegentes
Se spoliis ornant, prædasque abducere gaudent.
Mox subduntur ei sola formidine summo

Premiserant enim pacem Danicis pro certa quātitate pecuniæ, sed auiditate rerū aliarum ducti mentiti sunt eis.

Mœnia

A Mœnia Casselli pendentia vertice montis.
Quæ cùm militibus benè muniuisset & armis,
Impiger Ypreias propero subit agmine partes,
Et sibi cum multis castellis subicit Ypram.
Hic mentitus item Regi Ferrandus adesse
Noluit, illius quia iam susceperat vxor
Infœlix quæ non benè vertat dona Iohannis.
Quo magis iratus acies Rex explicat vltra,
Nec cessat donec sibi Brugia subiciatur,
Cum tot nobilibus quibus est circundata vicis.
Inde Suessonico Comiti iubet, Hangesidæque
Alberto, vt Dani maneant pro classe tuenda,
Adiciens illis cum quadraginta ducentis
Militibus, bellis expertos millia dena.
Hinc procul amotos fines postremaque Regni
Flandrorum penetrat, iuuat indagare recessus,
B Et populos gelidam qua Flandria respicit Arcton,
Qua se Brabaneis procul hinc conterminat aruis,
Qua Guilliquino fieret contermina Regno,
Si mare se medium non interponat vtrique,
Lidus vbi Scaldo commixtus ad æquoris vndas
Nomen ferre suum Scaldo superante vetatur.
Illuc ergo suas tandem Rex applicat alas,
Vt Gandauorum fastus obtundat, & ipsos
Inclinare suo ceruicem denique Regi
Illi se cogat subiectos esse fateri,
Nomine quem solo vix ipsi nosse volebant.
Quorum dum portas clausas sibi frangere vellet,
Instrumenta parans quibus oppugnare superba
Mœnia festinet, mediasque irrumpere turres,
Nuncius ecce ferens à Dano scripta citato,
Castra subit gressu, tristique ita clamitat ore:
„ Hesternum, Rex, ante diem Salebericus Heros
„ Boloniusque Comes, cum gentis millibus Anglæ
„ Belligeris subito ratibus longisque galeis
„ Applicuere simul propè nos, vbi faucibus arctis
„ A pelago refluit in Danica littora fluctus.
C „ Iam sua per speculas Bloetinus signa leuauit
„ Omnis Ysangrinus, Furnites, Belga sub vno
„ Cœtu Ferrando Comiti se consociarunt,
„ Et nostris cum Bolonide iam nauibus instant,
„ Littore quæ lato temerè sibi dissociantur,
„ Quas vno simul esse sinu securius esset.
Ille volebat adhuc superaddere multa, sed ecce
Nuncius alter adest, dictisque superserit ista,
Sincopat & medios vix intellectus anhelo
Ore sonos, trepido suspensus pectora cursu.
„ Iam quadringentas sibi sublegere carinas,
„ Nec patet egressus qua cætera classis in altum
„ Si velit ire queat. Sic porticus Anglica fauces
„ Militia obseruat, littusque coronat vtrumque,
„ Nec secura manet gremio naualis in ipso
„ Defensore carens, facilique parata rapinæ
„ Nec Guillelmus habet pullus ferrata tueri
„ Dolia quo possit, quæ plena numismate turgent,
„ Quo solet ipse tuis numerare stipendia castris,
„ Pollice dispensans fiscalia dona fideli,
„ Dum sua Pictones spolia auxiliante Cadoco,

PHILIPPVS AVGVSTVS.

„Quæ modo Danitis rapuerunt fœdere fracto, A
„Cura maiori tua quàm & naualia seruant,
„Solus cum paucis Robertus Pissianites
„Sustinet incursus, & villæ claustra tuetur,
„Germanosque Duces conflictu amisit in ipso.
„Obsidet hostilis portas exercitus omnes,
„Omnia perdidimus si tu cunctaris adesse.
Hæc cùm dixisset, Regi porrexit vterque
Scripta Suessonici Comitis signata sigillo,
Per quæ constaret illos vera esse locutos.
„ Vt dictis est facta fides, Rex, nulla moretur
„Nos mora consilij, rebus succurrere lapsis
„Festinemus ait, operis iam quicquid habetur
„Præ manibus valeat, non est mihi vincere tanti
„Gandauos, vt pro Gandauis tanta subire
„Damna velim, socios cum classe amittere nostros.
„Sed quia non facilem præbet se Flandria, per quam B
„Agmina tanta queant properato incedere gressu,
„Ducere quadrigas quibus est summasque necesse
„Expedit vt leuibus aliquis præcedere turmis
„Nos velit, vt sociis medio dum pone venimus
„Tempore, spes crescat, & consolatio nostris.
Dux Britonum Petrus onus hoc pro munere magno.
Sponte subit, qui cum quingentis vespere sero
Militibus castris egressus, membra quiete
Non releuans, ad nos peruenit mane sequenti,
Tertia cùm nondum foret hora exacta diei
Lætitiam nobis addens gratumque iuuamen.
Quem Rex vt potuit pro tanta mole secutus,
Spe citius Danum peruenit luce secunda,
Cuius in aduentu perterritus hostis ab illa
Parte fugit, qua nos vrgebat solis ab ortu.
Quem sequitur laxis Dux Burgundinus habenis,
Heruæúsque Comes, & quos Campania misit.
Solis ad occasum nos liberat hoste fugato
Regia progenies Ludouicus, & inclitus ille
Barrarum dominus, quos millia multa sequuntur
Roboris inuicti iuuenes, probitate probati.
At Rex, quique eius lateri specialiter hærent, C
Quos sibi bellorum socios ex omnibus ipse
Delegit, porta egreditur, quæ vergit ab Arcto.
Sed quia fossatis iter impedientibus, hosti
Non possunt facie opposita concurrere, paucos
Occidunt, paucos capiunt, tamen vsque carinas
Cædere dum fugiunt non cessant turpiter illos.
Imo nec in ratibus ausi remanere, retracto
Quippe mari siccum naues nauale tenebant,
Se carabis procul à terra scaphisque reducunt:
Dumque cateruatim subeunt naualia multi
Morte cadunt, multi capiuntur littore in ipso
Formesellarum dominus Galterus, & ipse
Bolonides capitur, sed caris cognitus idem
Cognatisque suis ipsi qui iure timebant,
Ne Rex pro culpæ merito iam puniat ipsum,
Exutus notis insignibus, atque maniplis
Immixtus, ne notus item capiatur ab vllo,
Cum damno sinitur multorum liber abire.
Cuius equum, cuius clipeum, galeamque nitentem,

Balenæque

PHILIPPVS AVGVSTVS.

A Balæneque iubas ceu cornua bina gerentem,
Cùm iam victores post pugnam in castra redissent,
Vidit, & agnouit Rex atque exercitus omnis.
Nec mora per totam feruent incendia terram,
Millia mille domos simul incinerare sub vno
Momento gaudet effrena licentia flammæ.
Quicquid conspicuum, quod pulchrum diuite gleba
Flandricus axis habet pelago conterminus Anglo
Igniferi tota non cessant nocte cremare.
Iamque dies aderat, Pentecostesque beata
Gaudia per totum celebranda fideliter orbem
Orbita finito iam vere reduxerat anni.
Post igitur Missæ solemnia, cùm dape nondum
Aut sapido Bacchi recreasset membra liquore,
Galterum iuuenem Rex, Bartholomea, Garinúmque
Alloquitur, votumque suum dilucidat illis.
B His etenim solis re confidenter in omni
Enucleare animum secretaque vota solebat.
„ Quis me teste Deo zelus commouerit Anglas
„ Visere velle plagas, plenè discretio vestra
„ Agnouit, quo me, vos scitis, nullus honorum
„ Ambitus, aut rerum delectamenta trahebant.
„ Solo diuini zelo ducebar amoris,
„ Noster vt Ecclesiæ oppressæ succursus adesset.
„ Nunc autem aduentus sola formidine nostri
„ Cum sua subdiderit Romanis sceptra Iohannes,
„ Sique satisfactum Pandulpho iudice Clero,
„ Qui nostro in Regno quàm pluribus exulat annis,
„ In melius mutante statum iam sorte benigna,
„ Et nos propositum nostrum mutemus oportet.
„ Damna carinarum mihi quas Ferrande tulisti
„ Brugia restituet, & quos in vincla tenemus
„ Sexaginta viros, quos gloria maior honorat,
„ Inter eos omni qui se pro ciue ligarunt,
„ Millia marcharum mihi sexaginta daturos,
„ Próque suis quos victa dedit conciuibus Ypra
„ Æra soluturos sub eodem pondere nobis,
C „ Non minus hæc eadem nos damna tulisse dolebit.
„ Et quia difficile est reliquas educere portu,
„ Anglica cùm classis aditus obseruet, & æquor,
„ Nec via sit pelagi nostris benè cognita Francis:
„ Omnes præcipio, rebus priùs exoneratas
„ Omnibus, in cinerem redigi, nec sit mora dicto,
„ Quin omnes hodie videam simul igne cremari.
Nec reputo damnum quod pars aduersa resarcit.
De proprio & triplici redeunt dispendia lucro.
Flandria tota ferè nostris iam subiacet armis,
Et quod adhuc superat satis est superabile nobis.
Quo bene completo poterit victoria talis
Sufficere ad præsens. magni est mihi causa triumphi
„ Quòd Regnum Anglorum per nos sibi Roma subegit.
Dixit, & vt dictum res est regale secuta.
Hinc abit, & geminas faciens properando diætas,
Gandauos iterum reduci premit agmine muros,
Quos sibi cum pacto subici fecisset eodem
Brugia quo se illi nuper subiecit, & Ypra.
Audenardenum præter rapit agmina castrum,
Dedidit Arnulphus quod mox indemniter illi,

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Re penitus salua, certi sub fœdere pacti, A
Quod non per multum seruauit temporis ille.
Hinc quoque Cortraci vi mœnia capta subiuit,
Nos vbi barbaricæ post verba incognita linguæ
Sub qua longa diu fueramus tædia passi,
Demum natiuæ cognouimus organa vocis.
Insula post triduum modica fuit obsidione
Vertice demisso Regi parere coacta.
Quam multo benè firmatam Rex milite munit.
Atque satellitibus. quibus omnibus Athius Hugo
Præfuit, vt villam, vicino seruet ab hoste.
Nam fieri poterat, quòd postquam abscesserit indè,
Ferrandus subitò adueniens sibi subiget illam,
Gaudeat & ciuis domino seruire priori.
Quod meritò metuens in vico nomine Darnel
Rex fabricare nouam studuit quantociùs arcem,
Qua sua gens tuta esse queat, arcemque tueri. B
Obtinet hinc abiens sub quarta luce Duacum,
A propria sibi Ferrandi à lege solutum,
Sub ditione sua quod adhuc tenet, atque tenebunt
Francorum Reges post ipsum iure perenni,
Postmodo supponi doleat ne Rege minori,
Vt gladio doluit meritas exoluere pœnas
Flandria regali proprio sibi denique damno
Non licuisse videns gremium dare proditiosis,
Dum collata luit Ferrando dona Iohannis,
Impetrata viros à Rege licentia lætos.
Ad proprias digna sedes cum laude remittit.
Nec mora Sequanias in partes Rege reuerso,
Bolonides iterum, coniuratique tyranni,
Rex quibus Anglorum numerosa stipendia belli
Irritamentum loculis fundebat apertis,
Agmine densato renouant in prælia vires,
Immemores modo se victos, cum classe relicta
Littus in Hallandum leuibus fugere phaselis,
Et Guilliquinum Comitem sibi consociarunt,
Qui viscosa sequens dona & promissa Iohannis,
Quinque virûm decies adiuuit millibus illos. C
Post tamen inque breui sese subtraxit eisdem,
Iram magnanimi nolens incurrere Regis
Dein contra pacti iuramentique tenorem,
Quo nuper sese constrinxerat Insula Regi,
Ferrando fœdus ferit, & clam nocte reductis
Proditione seris portarum claustra recludit,
Cúmque suis introducit legionibus ipsum.
Francigenæ verò, quos Rex dimiserat illic
Municipes, patriæ custodes, proditiosos
Vt sensere dolos, cautè se in turre receptant,
Arreptísque armis solita virtute resistunt
Ferrando, Flandrisque suis, sed in impete primo
Dum subeunt armis nondum sua corpora tecti,
Non omnes potuere necis vitare periclum,
Quin aliqui fuerint capti plerique perempti.
Interea cursu festinant agmina rapto,
Quæ Rex iratus partes educit in illas,
Incunctanter auens correpto tempore charis
Auxilium conferre suis, quos hostis in arcto
Sic premit, vt pressis spes iam sit nulla salutis.

Qui

Qui cùm venissent, muros indagine facta
Cingere non curant, ne sit mora forte periclo,
Dum ciues instant Francos excludere turri.
Ex improuiso quæ Salis respicit ortus
Ad portam veniunt, strictoque repagula ferro
Confringunt valuas, summa vi cardine verso
Discludunt, murosque priùs quàm scandere fas sit
Indigenis, vicos subeunt, primoque furore
Ignibus appositis pulcherrima quæque domorum
In terram faciunt procumbere, vertice verso.
Sicque fit vt fiant maiora incendia damno,
Ciuibus infidis quàm ferrum aut dextera pugnans.
Sufficit excessus vlcisci, sola dolosos
Vulcani rabies quam spirans Æolus auget.
Nec tantum iunctos lateraliter improba vicos
Incinerat, verùm procul inde volante fauilla
Quicquid habebatur pulchri intra mœnia, flammæ
In nihilum redigit vno violentia puncto.
Cum domibus pereunt omnes, vitare periclum
Quos infirma vetat ætas, aut debile corpus,
Qui pedibus, qui fortis equo fugiendo recedit,
Se gemino retrahens hosti, flammæque furori.
Et post Ferrandus dumos & deuia quæque
Mente subit pauida, talos ad limina portæ
Semper habens, vultus non audens flectere retro,
Neve labatur, aut passum fortè vel vnum
Perdat iens, læuam seu dextram vix sinit horror
Respicere, esse loco se tutum non putat vllo.
Iam perimi, iam iamque capi sibi visus ad omnem
Qui venit à tergo strepitum pallescit, & omnis
Neglecta facie sanguis subit abdita cordis,
Vt lateat, trepidóque ferat solatia cordi.
Sic metuens metuendo metu pœnam luit ipsô,
Pœnaque fit præsens pœnæ formido sequentis.
Plus tamen adiuuit fortunæ dextera victos,
Quàm fuga, vel cursus, quo se saluare studebant.
Humida nam tellus carecto fœta palustri,
Et viscosa tegens limoso viscera plano,
Interiore sinu subeunte calore vaporans,
In noctis faciem conuerterat aëra, tristes
Exhalans mixto nebulas humore calori,
Vt vecti visus vix se vectoris ad aures
Extendat, nec quis præcedat quisve sequatur,
Quis veniat iuxta poterat dignoscere quisquam.
Vnde sequi tantum licuit nostratibus illos,
Quo villæ dabat vsque furens incensio lucem,
Cùm medias Sol per nebulas lucere nequiret,
Innumeros tamen occidunt, pluresque retentant,
Quos Rex perpetuos emptori cuilibet omnes
Vendidit in seruos, & vinxit * stigmate iugi.
Insula tota perit miseræ seruata ruinæ.
Quicquid enim tota sibi flamma cremabile villa
Repperit absumsit, reliquum instrumenta deorsum
Ferrea deiiciunt turre, strictique ligones,
Nec turris, quam Rex fabricauerat, integra mansit,
Ne quid ibi maneat habitabile denuo Flandris.
Hinc quoque Casselli sub eodem summa furore
Mœnia deiecit, simili ne proditione

* *iussu stigmate iungi.*

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Deficerent illi Ferrando forte recepto.
Vrbs erat & rebus & ciue superba potenti, A
Nomine Tornacum, Scaldi contermina ripæ;
Quam gentilis adhuc Rheni transgressus abyssum
Clodius in gladio primus possedit & arcu,
Quæ cùm seruisset illi & successoribus eius,
Postea Francorum nunquàm ditione recessit.
Hanc cum Ferrando Reginaldus fraude latenti
Obtentam de nocte nouem tenuere diebus,
Raudulpho patrante dolos, Moritania cuius
Imperio suberat, vir fortis, consilioque
Astutus nimium, qui se fingebat amicum,
Immò tenebatur vrbi fidissimus esse,
Præsulis & Regis homo ligius, & feodali
Iure tenens ab eis terrarum quicquid habebat.
Sed ne fraus illis lucrosa diutiùs esset,
Rex Sancti Pauli Comitem, fratremque Garinum, B
Tornacum misit, pugnatricesque cateruas
Associauit eis, fortissima corpora bello,
Qualia Sequaniis producit Francia ripis.
Qui licèt hostili numero minor esset eorum
In duplo numero, tamen auxiliantibus vrbe
Ciuibus expellunt, Regique viriliter vrbem
Restituunt, & ne Raudulpho proditio sit
Impunis, vicos inuadunt eius, & vsque
In nihilum redigunt pro tantæ motibus iræ,
Nobile nec castrum Moritania, tam speciosum,
Tam præmunitum, murisque situque locali,
Atque viris, vires vt nullius esse timendas
Diceret ipsa sibi, cauit commune periclum
Funditus à fundo excisum, & cum plebe sepultum,
Quique laborabant ipsam defendere ab intus,
Omnes à Francis capti occisive fuerunt.
Nunc vtinam, nunc Phœbe velis Helyconidas omnes
Inspirare mihi, spirans spiramine sacro,
Quicquid Cyrrhæis sacri spiratur ab antris,
Quicquid Castaliis potus hauritur ab vndis.
O nunc Lucani ruat in me siue Maronis C
Spiritus, aut saltem Thebani vatis imago,
Non vt Pythagoræ vano phantasmate ludar,
Qui sicut garrit Troiani tempore belli
Panthoides Ephorbus erat, dum credit ab vno
Corpore posse animam transfundi in corpora multa:
Verbo quem solo terræ cœlique creator
Infundendo creat Deus infunditque creando.
Sed tantùm vt merear vestigia lambere sola,
Vnius similis in carmine factus eorum,
Ne sensus breuitate mei præclara Philippi
Fama relentescat præconij effecta minoris.
Occupat ecce manum Libri distinctio noni,
Qui geminos audet simul affectasse triumphos.
Et licèt ad primum trepidet, nec sufficiens sit,
Vt totum capiat in se, vix ecce secundum
Sustinet, vndecimi consumet pagina Libri,
Tam festinanter cupit insudare Bouinis,
Rex vbi bellorum summam conclusit, & hostes
Marte triumphauit vno finaliter omnes.
Quod quantò grauius tractari sentio, tantò

A Sponte minus subeo metuens succumbere moli,
Ni tua, Phœbe, meos confortet gratia sensus,
Te scio te solum noui penetrare superni
Posse patris solium. supera tu solus ab arce
Descendens gratis inspiras quicquid habetur
Pectoribus vatum per totum scibile mundum.

MATERIA DECIMI LIBRI.

Vincitur in decimo Rex Anglicus à Lodouico.
Transfretat ad Pictos, quibus auxiliantibus ipse
Robertum bello iuuenem capit insidioso.
Deuastat patriam veniente autem Lodouico
Turpiter à Monachi confusus rupe fugatur.
Agmina iam pugnæ componit & instruit Otho.
Nec minus & Francos parat hortaturque Philippus,
B *Agmine confuso post Francos aduolat Otho,*
Rexque intermisso somno redit obuius illi.

INCIPIT LIBER DECIMVS.

ÆOlus obscuro Zephyros emiserat antro,
Et iam rorifluis impragnans nubibus almum
Tellurus gremium, risu meliore, senecta
Temporis abiecta, iuuenescere fecerat annum
Iupiter, atque pecus Hiblæum sole recepto
Gaudebat lucem producere nocte retracta,
Et iam post sacræ conceptum Virginis anni
Transierant vnus bis sex & mille ducenti. 1213.
Detinuisse videns hyemali horrore remoto
Æquora, Rex Anglus acies & millia gentis
Congregat Angligenæ, quo secum classe parata
Per mare veliuolum Rupellæ in littora transfert:
Vt dum Bolonides, Salebericus Hugo, Comesque
Flandricus, & reliqui quibus ipse stipendia donat,
Francorum irritant Regem fallacibus armis,
Nec conferre manum tamen audent marte propinquo,
Vt grauiora ferant ex lento tædia bello,
C Ipse procul positas in partes exerat arma,
Quo non de facili possunt attingere Franci,
Regibus esse manus longas quasi nescius, ac si
Mittere non possit illuc vel adesse Philippus.
Protinus Augeus Comites & Marchicus, atque
Barones alij, quos nobilis educat illa
Instabilis fidei, sed valde bellica tellus,
Restituunt illi solita leuitate fauorem.
Omnibus ergo simul ipsum comitantibus, vrbem
Obsidet, & subitis ambit Nannetica signis,
Nec Robertigenæ Britonum Dux Petrus & eius
Robertus frater, & corda ferocia Francûm,
Militibus diues quos Francia miserat illis,
Audacesque viri, quos illa Britannia gignit,
Obdere vel leuiter extrema repagula curant,
Eius in occursum potius mucrone retecto,
Egressi pugnam committere gnauiter audent.
Ille fugam capere, & dubio non credere marti,
Agmina paulatim sua retrocedere malens,
Cogitat insidiis illorum affringere vires,
Quos bello vinci non posse videbat aperto.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Nec sua successu caruit meditatio fraudis.
Nam cùm vidisset illos accedere Petrus,
Nec tutum procul esse sequi tot millia paucis,
Agmina contraxit, & in vrbis claustra reduxit,
Non nihil esse putans quòd sic exterruit illos,
Vt fugiant pauidi procul obsidione soluta,
Non sine iactura rerumque hominúmque suorum.
At non Robertus voluit sine laude reuerti
Dum nimis insequitur profugos improuidus vltra
Quàm satis est, donec pugnandi copia facta est
Cominus & multo Pictonum sanguine mucro
Drocensis rubuit, multosque in tartara misit,
Multos in terra moribundo corpore strauit.
Iamque fatigatus à tanta strage redibat
Cum sociis bis quinque viris, quibus esse timendum
Nil sua permittit virtus fortissima rerum,
Si sciat insidias edocta cauere, sibique
Prospiciens casu prudens habeatur in omni.
Sed dum nil aliud nisi se producere curat,
Nec memor est finis quando incipit, & cómes esse
Non procuratur Diomedi semper Vlysses,
Ignotos cadit in laqueos vir corpore fortis,
Dum nimis est simplex sola vi corporis vti,
Nec fraudem cauet in alio quam non videt in se.
Non metuit falli qui numquam fallere nouit,
Nec timet insidias vir nescius insidiari.
Prosiliere viri subitò fulgentibus armis,
Quos fruticum medio Rex occultauerat Anglus
Inque fatigatos extollunt arma nocentes,
Nec multum luctati omnes in vincula trudunt,
Quos mox infidus Rex misit in Anglica Regna,
Vt magis angustet patrio procul orbe remotos.
Protinus Andegauim nullo munimine cinctam
Ingressus, lapide incæpit murare quadrato.
Qua vix diuitior vrbs aut ornatior vsquam
Esse potest, clari vel clarior vbere Bacchi,
Circumquáque nihil nisi vites impedit agros,
Quæ pariunt potum Normannis Britigenisque,
Nec dominos vnquam permittunt æris egere.
Quam Liger agento prælucens ambit ab Austro
A borea rubens mediam Meduana pererrat,
Qui suus inde fluens quasi per duo millia lapsus
In Ligerim, nomen perdit, mutatque colorem:
Et sic tres vnus Ligeris, Meduana, Vigenna,
Efficitur fluuius, qui rura Britannica multa
Fertilitate iuuans, naualibus oppida ditat,
Deliciis villas variis & rebus adornat,
Piscosoque sinu gremium Nannetis inundans,
Millia salmonum murenarumque ministrat
Britiginis, quos inde procul commercia mittunt
Chara diu dum seruat eis Galatina vigorem
Cum variis redolens gariophila gingiber herbis.
Tum facit innumeris pinguescere mercibus vrbem,
Vt toto in Regno nihil vlli debeat vrbi,
Nec procul hinc vastum mare dum petit impete vasto,
De dulci subito fieri miratur amarus.
Tunc Comes Heruæus, cui tot Rex dona Philippus,
Tam latam donarat humum, cum Rege Iohanne

Fœdus

A Fœdus init tacitè, quæque illi erat vnica proles,
Illius nato spondet sponsalia natæ.
Karolides igitur rumoribus excitus istis,
Ocius in tota Viromanni Bolonioque,
Armis atque viris per castra vrbesque locatis,
Qui Regni fines tueantur ab hoste propinquo,
Optans si casus sinat occursare Iohanni,
Festinanter adest, Chinonem præterit atque
Loudunum profugo parat intercludere classem
Sed colubri nullus iter inuestigat, & alto
Labentis frustra sequeris vestigia pinus,
Pellacisque viri, motæque per aëra pennæ
Litus aras si forte viam indagare laboras
Horum semper & est & erit via cognita nulli.
Iam fuga contulerat pauidum festina Iohannem
Burdigalos versus fines Petragoras vltra.
B Ergo gradu reduci pictonia rura cremando
In Flandros Rex vertit iter, quia iure timebat,
Ne maiora ferat sibi damna in partibus illis.
Iamque Thoarcenos rapiunt incendia vicos,
Et cum Toleto Bercella Vietaque fumant,
Oppida plura quibus addit fortuna crematrix,
Oppida diuitiis variis & rebus opima,
Oppida quadratis super edita turribus, atque
Mœnibus excelsis & aquosis obsita fossis,
Vbertate soli nulli vnquam obnoxia terræ.
Nec cessant donec veniant Castrum vsque Radulfi.
Hic Procerum cœtu stipatus vtrimque fideli
Rex breuiter verbis illos affatur amicis.
„ Nate vides qualis nos vrgeat vndique casus.
„ Hic Pictaua manus, Regisque caterua Iohannis,
„ Inde instant cum Bolonida Ferrandus & Otho,
„ Regis & Anglorum frater cum mille cateruis,
„ Quos omnes mihi Bolonius Comes addidit hostes,
„ Quos omnes in me armauit. Tu nate manebis
„ Hic cum militibus demptis de mille ducentis.
„ Ast ego cum reliquis Othonem visere vado,
C „ Innumeramque manum quæ se commisit eidem.
Dixerat, innumeras grates agit ille parenti,
Quòd committit ei tam summa negotia soli
Materiamque sibi virtutis suggerit, vnde
Perpetuam possit cum laude acquirere famam.
Vix bene Sequanium post terga reliquerat amnem
Rex cum Francigenis, cùm iam latebrosa relinquens
Cursitat in plano vultus ostendere gaudens,
Millia mille viros ducens in bella Iohannes
Andegauim transit, patriam deuastat adusque
Credonem, Monachi rupem confundere demum
Funditur horrescens armis verbisque minatur.
Obsidet introitus, & propugnacula multis
Iactibus irritat, muros conatur & arcem
Frangere tormentis, nec cessant tela, nec arcus, * Hi
Hæc * dum mittuntur, illi dum spicula mittunt,
Aëra per medium sonitu stridere frequenti.
Nec minus obsessi celsis è turribus omni
Se vi nituntur defendere, tela, sagittas,
Truncata emittunt tabulata, & robora quæque,
Nec parcunt ipsis trabibus tignisque domorum,

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Nec curant quæ damna ferant, dum damna repellunt. A
Ingorrandus erat vir corpore maximus, ampla
Fronte patens, oculis saliente rubentibus igne,
Crine nigro, facie laruata, pectore grosso,
Turritis altè scapulis, ceruice reducta
Inflatus bucca, rictu deformis, aduncus
Naso membra rigens membris æquanda gygantum,
Cordis inhumani tanta feritate tumescens,
Tanta brutescentis animi ruditate, quod inter
Humanam pecudumque necem nihil esse putaret,
Qui quoniam assiduis violentus prædo rapinis
Fregerat Ecclesias, fractura Monasteriorum
Addiderat nomen proprio famosius illi.

Enguerrand Brisemonstier.

Hunc præcedebat cum parma garcio sub qua
Nil sibi formidans obsessos damnificabat
Assiduè, poterat nec ab illis damnificari,
Asseribus latis dum parma protegit ipsum,
Quam nexu taurina regit septemplice pellis. B
Pontius à Castro balista armatus & arcu
Contemplatur eum, miramque subinuenit artem.
Texit in occulto tenui sub tegmine bissi
Funiculum, quem nec facili quis rumpere possit,
Et quod mira magis res est, comprendere nisu,
Tunc humili nodo studet indè ligare sagittam,
Vnit vbi duplex capiti se penna cauato:
Et ne successu frustretur dextra cupito,
Si volet incassum cum toto fune sagitta,
Se prope funiculi caput vnum in stipe nodat,
Cum reliquo in parmam pennata volauit arundo.
Pontius hærentem lino parmam atque sagittæ
Dum retrahit, puero parmam in fossata secuto
Nescius existit inopinæ occasio mortis.
Ast horam supra fossati corpore nudo
Stans Engorrandus venientes non cauet ictus,
Digna morte ruens, multosque occiderat ipse.
„ Pontius exclamat, nec risum continet. Hinc te
„ Rex procul amoueas, & nos in pace relinquas,
„ Ne casu te consimili contingat obire. C
Frendit, & irarum Rex vapulat intus & extra
Motibus, exhortánsque suos astare parumper
Longiùs à castro & muri vicina cauere,
Acriter obsessos punire minatur, apertis
Ipsi ni foribus festinent reddere castrum.
Erigit & furcas signum terroris & iræ,
Continuatque dies septem ter in obsidione,
Non tamen his illi terrore minisve mouentur,
Quin castrum prompti defendere sint magis & se.
Interea Ludouicus adest cum præmemorato
Militiæ numero, seties quem mille sequuntur
Armati pedites, & equis duo millia vecti,
Gnauiter edocti bellum instaurare clientes.
Et licèt in triplo numerus præcederet hostis
Illorum numerum, tamen illis Regius hæres
Audebat conferre manum, breuibúsque Iohanni
„ Significare notis: Aut accingaris oportet
„ Occiùs ad pugnam, vel ab obsidione recedas.
Hæc ideo mandauit ei vir nomine dignus,
Non indigna patri dignè succedere proles,

A Ne si fortè minus ipsum præmuniat ante
Quàm confligat ei, cum denique vicerit illum
Non virtutis opus, verùm dolus esse putetur.
Rex rescribit simili breuitate Iohannes:
„ Si venies, nos inuenies pugnare paratos.
„ Quàm citiùs venies, citiùs venisse pigebit.
Dixit, & ad pugnam se præparat ordine certo,
Agmina sub propriis disponens quæque magistris.
Fulgurat ex alia Ludouicus parte, suorum
Agmina præcurrens equitum, cui quælibet hora
Longa videbatur, quæ pugnæ prorogat horam.
Quem solus præit Henricus, qui corpore paruus,
Mente gygas, hominis dignus maioris honore,
Iura Marescalli cunctis prælatus agebat.
Agmina Guillelmus Françorum pluribus augens
Agminibus sequitur, dominans qui Rupibus alti
B Principium generis, & nomen traxit ab illis.
Eiusdem lateri gener illius vnicus hæres
Hæret Amalricus, qui pulchro corpore fortis
Fortior est animo qui de Credone trahebat
Et genus & nomen, & erat dominator eidem.
His parere datæ cum Sablolio Molihernæ
Candetum, cum Segreio, Brio, Baugia, Ludæ,
Durscallúmque vadis vbi sarta adiutus Hienæ
Te mixtum Liderice sibi rapit in Meduanam,
Quique suos posuit muros prope flumina Salmur
Mixtus vbi Ligeri fluuio nigrante Vigenna
Amittit nomen ferragineumque colorem.
His sibi Guillelmus & Amalricus sociatis,
Quatuor auxerunt Ludouici millibus agmen.
Hi duo præ cunctis rupti maiore cachinno,
Indignabantur iactantia verba Iohannis
Illum admirantes tantum expectasse sub armis,
Qui nihil vsque modò nisi furtim audere solebat,
Voce Thoarcites cui sic aiebat acerba:
„ Te nimis audacem noui tibi copia plusquam
„ Sit satis, est gentis. tu Regis Parisiani
C „ Audebis nato confligere, qui venit ad te
„ Milite cum raro. si tu expectaueris illum
„ Aut cras aut hodie, quàm fortior ille sit armis
„ Experire tuis, aut tu robustior illo.
„ Ast mihi commodius satis est seruare Thoarcum,
„ Dum tu conaris Monachi subuertere crotam,
„ Dum nondum sentis valeat quid Sequana: flexis
In gyrum frænis, Francorum quàm fera virtus.
Dixit, & vt prudens se transtulit inde Thoarcum.
Rex autem vt vidit Regis vexilla, probosque
Per sua signa viros agnouit, qui modo pugnax,
Qui modo victor erat, scriptoque tonabat & ore,
Armis nudato proiectis vertice, cùm iam
Cepissent equites pugnare latenter, abiuit,
Consuluitque fugæ sola formidine victus,
Arrepta transnans Ligerina fluenta faselo.
Aufugisse ducem postquam sensere minores,
Neglecto fugiunt post ipsum per vada bello,
Intereuntque vadis quamplurima millia, dum non
Possunt ad libitum præsto reperire faselos,
Qui dum nare volunt armis ferroque grauati,

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Audaces nimium nimia formidine facti,
Flumine depressi flatu priuantur & aura,
Neptunique mori quàm Martis turbine malunt, A
Intolerabilior quamuis hac morte sit illa,
Qua sibi consimilis animam non suscipit aër,
Nec minus interea clauis, mucronibus, hastis
Afficiunt Franci diuersis mortibus illos,
Qui subterfugiunt fluuiali flumine mergi,
Quærentes aliquas sibi per conuexa latebras.
Hoc in conflictu doluit cecidisse Capellæ
Qui Regis præerat ad sacramenta Sacerdos,
Et Rupi dominans forti Paganus, ab acto
Per corpus telo vulnus lethale recepit,
Sed tamen ad Rupem peruenit viuus, ibique,
Post tempus modicum nimis indignatus obiuit.
Qui cùm gente potens, & auis spectabilis esset,
Castellum rupémque tenens, qua fortior esse B
Nulla potest, cùm sit nulli expugnabilis hosti,
Nunquam Francorum voluit subscribere Regi
Nunc iacet, & Rupes domino succurrere fortis
Non potuit, quin rupe ferat mors fortior illum,
Ipsáque post Domini mortem fit subdita Franco.
Hugoque passus idem, quem plebs agnomine Brunum
Lemouicana vocat, vir nomine clarus & ortu,
Diuitiis & honore potens, dum Marte Iohanni
Subuenit iniusto Martem sibi sensit iniquum.
Cumque istis obeunt multi, quos prædicat alti
Nobilitas generis, celatve ignobilis ortus.
Egreditur castro post tædia longa satelles,
Demum gauisus ventos haurire salubres,
Seque bonis onerat variis, & rebus opimis,
Quæ multa in castris fugiens neglexerat hostis
Vt leuiùs fugeret res proiicientis & arma,
Ex auro calices, argentea vasa, virorum
Fulgida nobilium gestamina, murice tincti
Ornamenta thori, cophinisque reposta seratis.
Copia nummorum vena fabricata nitenti,
Textaque barbarico tentoria regia filo, C
Vasa culinarum, mortaria cuprea, pelues
Electro rubeæ, squalentes ære lebetes,
Armaque per campos passim iactata nitore
Argenti multoque auri pretiosa rubore,
Ad libitum vulgi manibus rapiuntur auaris.
Nec mora vicinis adduci portubus alnos
Imperat, & rapidum Ludouicus transfretat amnem.
Sed quia iam tulerat fuga maturata Iohannem
Longiùs à facie Francorum se retrahentem,
Cui nullo in casu desiderat obuius esse,
Baronesque alios loca per diuersa timoris
Sparserat anxietas, Francorum nobils hæres
In patriam totam modò qui susceperat Anglum,
Agmina diffundit vicos & castra Thoarci,
Quæ Vice sunt comitis ferro populatur & igne.
Victor & Andegauim post pauca reuertitur, vrbis.
Vt muros terræ prorsus complanet, eo quòd
Anglorum nuper Rex ædificauerat illos:
Cumque suburbanis in iura paterna reducit
Totius Andegauis Comitatum, compedibusque

Alligat

Alligat inuentos ex parte Iohannis ibidem:
Indigenas verò tali sub pace recepit,
Vt deinceps ipsi maneant patrique fideles.
Hoc nomen Ludouice tuum victoria toto
Prædicat in mundo, titulósque meretur honori
Perpetuare tuo, felixque accommodet omen,
Quo tibi successus ad bella sequentia fiat.
Has modò bellorum felix feliciter actas
Excipe primitias, immensaque gaudia mente
Concipe, qui tantum tot habentem millia gentis
Conflictu primo meruisti vincere Regem,
Visere nunc diuersa stude castella vicissim,
Et patriam tutare tuam, dum magnus ad altum
Fulminat Escaldum genitor dum subiugat hostes,
Dum procul extremis Flandrorum pugnat in oris,
Sicque manum properat supremam apponere bello,
Vt vix præueniat eius tua palma triumphum.
Tam sibi continuis exultat Francia palmis,
Vt vix à prima possit distare secunda:
Vt qui duplicibus victos in fine reuestit,
Vestra Deus gemino consummet bella triumpho.
Sed doleo quoniam minuit tua gaudia funus
Triste Marescalli, qui febre grauatus acuta
Nec multo post tempus idem compage soluta
Corporis, indigno tristauit funere Francos,
Nulli militiâ, nulli probitate secundus,
Nulli siue fide seu postponendus honore,
Nullus honorare Ecclesiam Ecclesiæque ministros,
Nullus erat Regi seruire fidelior illo.
Miles erat Regis & Christi, sicque gerebat
Acta viatoris, vt mox de milite ciuis
Esse mereretur supera susceptus in Aula.
Albericus idem fidei, probitatis, honoris
Ipsius frater habuit, qui dum crucis olim
Obsequio insistens Syriam cum Rege profectus,
Vi portas Acharon penetraret missus ab vrbe,
Ignis eum vinclis absoluit corporis, & sic
Finales meruit decimas exoluere Christo,
Vt cum martyribus se laureolâ redimitum
Decurso brauium stadio gauderet adeptum.
Iam super Escaldum tentoria reprobus Otho
Fixerat, & tantis Moritania sola cateruis
Non poterat præstare sinum, properata remotis
Castra locis figunt, stipulis & carice tecta.
Pars solis solem ramalibus arcet & imbrem,
Pars subeunt per rura casas, pulsísque colonis
Ad tempus dicunt in re sibi ius aliena, *Ad tempus ius in re aliena.*
Castrorum ritu sibi cuncta licere putantes.
Territat inprimis nostri confinia Regni
Othonis socer Henricus, cui mille cateruas
Exhibet, & plures Brabancio, sæuior alter
Quo nusquam est populus bello, aut assuetior armis.
Excitat ex alia Lotharingos parte bilingues
Dux suus, auriuolis replicantes agmina signis.
Qui cum simplicibus soleant sermonibus vti, *Lotharingi sapientiores sunt in opere quã verbo.*
Non tamen in factis ita delirare videntur.
Quos inter Gallos & Theotonicos speciosa
Et fœcunda magis tellus alit vbere glebæ,

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Hoc habetur in principio libri passionis beati Quintini & Sanctorum Crispini & Crispiniani, Fusciani & Gentiani martyrum Domini.

Millibus à Mosa distans, vbi Mosula paucis A
Leucos & Methes speciosis irrigat vndis.
Ac Treuerim Vogesis quem Riciouarus ab oris
Præsidis officio fungens sub Maximiano
Adueniens, Sanctos pro Christi lege peremit,
Tot simul & mediis immersit fluctibus omnes,
Vt miraretur fieri se Mosula rubram
Sanguine Sanctorum, laticis variante colorem
Dux quoque Lemburgis acies ciet Ardaniorum
Nec tamen ipsius Galeranus filius ipso
Cum patre dignatur Othonis fautor haberi,
Regis amicitiam & Francorum perdere nolens,
Saxonesque suo furibundi cum Duce tanto
Lætius arma mouent, quo dudum compatriota
Illorum fuerit, & eisdem sanguine iunctus
Nondum Rex, nondum sublimis facibus Otho.
Conradum Comitem misit Tremonia, cuius B
Imperio Waphalæ parent regionis alumni,
Et quos Ruma rigat piscoso flumine, tuque
Linquere Randerodas gaudes Gerarde paternas,
Francigenum vt bello possis sentire rigorem.
Nec minus Otho Comes venit de Thinquenebreco,
Et Comitem, quem Theutonici dixere Pilosum,
Vt iuuet Othonem regio Traiectica misit,
Mosa vbi maiori collapsus flumine, nomen
Non tamen amittit, sed Renum nominis audens
Dimidio priuare sui Rimosa vocatur.
Nemurcique Comes primæua ætate Philippus,
Cognatus Regis, Regem tamen impetit armis,
Parte licet Petrus pater ipsius esset ab ista
Althisiodori dudum Comes atque Niuerni,
Constantinopolis qui post ad sceptra vocatus
Imperiale manu Papæ diadema recepit.
Sed non præualuit sacro residere curuli,
Durachij captus à principe Cumaniorum.
At Hugo, cui Bolonide, iunctissimus hæret,
Qui vobis fuerat dominari natus, at idem
Maluit & Regis inimicus & exul haberi, C
Ciuili quàm pace frui, Regique subesse,
Cuius germanam faciens tibi collateralem,
Participemque thori, meretricis captus amore,
Circumducebas bellorum tempore in ipso,
Quæ generosa nimis soldaria facta, relicto
Coniuge castra suo priuabat significato.
Regis & Anglorum frater, Saleberia cuius
Se gaudet ditione regi decies triplicata
Copulat Anguigenæ secum ter millia gentis,
Quorum tu numero temere confisus & vmbra,
Audes Othoni indignam promittere palmam,
Et quis sub numero comprendere possit Yprei
Agminis examen acierum multiplicata
Millia, quæ portis vomuit Gandauus apertis,
Belga quot, & rabies bloetina, quot Insula turmas
Mittat, Ysangrinusque furor, Grauelinga quot addat
Agmina cum Furnis, quot Brugia millibus agros
Contegat armatis, aut Audenarda propinquo
Viribus atque fide Cortreio consociata,
Quos equitum cœtus per vicos perque casellas

Collectos

A Collectos armet in damnum Flandria Regis,
Corde tenens memori quales exoluerit anno
Præterito pœnas, quantas perpessa sit ipsa
Iacturas tunc pro meritis à Rege Philippo.
Quando Ferrandus nummos suscepit ab Anglis,
Quos malè nunc vertit, nec adhuc se pœna coercet,
Illum nausifico crucians pedoris odore.
Hos multósque alios, quos enumerare morosum est,
Auxilium Comiti Ferrando Flandria donat,
Vt solus Regi videatur posse suísque
Securè conferre manum, tot millibus illum
Præterit ac causæ merito confisa Deoque,
Non curat numerum Francorum viuida virtus.
Quos inter Barrensis erat non vltimus vnus,
Multorum supplens defectum viribus, & cum
Gerardo Seropha Maleuicinus Petrus ille
B Vt petra qui firmus verbo se firmet & actu,
Nec te Rupensis Guido, nec Montinianum
Galonem taceam, qui mente immobilis vt mons,
Vexillum regale die portauit in illo.
Hugo Marolides cum fratre Iohanne. Petrúsque
Reminij rector pagi, cum pene ducentis
Militibus, quales Campanicus educat axis,
Efficiunt animis scalam concorditer vnam.
Præclarique viri tecum de Montemorenci,
Quos eduxisti Mathee, Comésque Iohannes
Bellimontensis, & Sacrocæsaris ortum
Et cognomen habens Stephanus, vir nomine clarus,
Seque gradu generis referens à Rege secundum,
Et dominans Harnis Michaël, Hugoque Malaunus,
Post Campanenses acie glomerantur in vna.
At Robertigena senior Robertus in Anglos
Quotquot habere potest equites agit, vt pote cuius
Filius in vinclis angustabatur eorum.
Quem Baluacensis comitatur Episcopus, eius
Frater, & amborum regali à stirpe nepotes
Lauduni Præsul, & quem Castellio nuper,
C Nunc verò Sancti pauli Comitatus honorat,
Gaucherus, quo nemo alius laudatior armis.
Pontiuij Comitem comitantur in arma Poheri,
Qui generosus auis, longè generosior alti
Sanguinis existit vxore sorore Philippi
Magnanimi Regis, Richardi quæ fuit vxor,
Quam fratri intactam Richardus reddidit olim,
Nauarræ Regis vt filia nuberet illi.
Hinc Sancti Thomas Galerici nobilis hæres,
Gamachiis dominans, vicósque, & plurima sub se
Castra tenens, clarus dominatu, clarior ortu,
Quinquaginta parat equites in bella, clientes
Mille bis, audaces animis & robore fortes.
Roboreus verò cum Thoma fratre Iohannes
In scala Regis Regi lateraliter hærent,
Et Longi Stephanus campi dominator, & illi
Septuaginta equites illi quos Neustria misit,
Neustria fida satis, imò fidissima Regi,
Parcere mordaci si linguæ vellet in illum.
Hinc fremitu maiore trahit Burgundicus Odo
Belligeros in bella viros, Burgundia quales

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Naturæ dono producere nouit alumnos. A
Cuius virtutis tremor, & reuerentia famæ,
Crescit in immensum longè per Regna, quod ipse
Absens distringit, & solo nomine terret,
Trans Ararim populos quos flumen Duber oberrat,
Et quæ trans Rodanum regio iacet vsque Viennam,
Et Pontarlicios, abies quos plurima ditat,
Fauce iugi positos vbi Duber suscipit ortum,
Atque Salinenses angusta in valle sedentes,
Defecata quibus flammarum ardore ministrat
Limpha salem puteis, mirabile, tracta duobus,
Vnde Bisuntina sua condit edulia vallis,
Lingones & Vogesos tangens Alemannia fines
Totaque terra patens à Francis vsque sub Alpes,
Et regio dorsis quæ monticulosa iugosis
Fruge tamen multa, dapibus, Bacchóque redundans
Vrbibus egregiis ambit vicísque Lemannum, B
Impete quem Rhodanus vasto præterfluit, & dum
Ipse laci medio fluuius triginta rapit se
Leucarum spacio, vallatur vtrinque lacu sic,
Quòd stans vnda laci fluuio non obstat eunti,
Nec secum ipse lacum fluuius rapit impete stantem,
Sed neque vel lacui coit amnis, vel lacus amni.
Haud secus Alphæos fugiens Arethusa furores,
Littore ab Eleo littus fluit vsque Sicanum,
Quo rursum emergens dulci rigat arua fluento
Siciliæ, speciéque iuuat fructúque colonos,
Labentique suo tam longa per æquora riuo,
Doris amara suam non intermiscuit vndam,
Nec vim dulcis aquæ salis immutauit amaror.
Dux igitur nimio belli percussus amore
» His breuiter verbis Regem adit: Hac vice saltem
» Vsque laboremus hostes attingere nostros
» Nam licet à patria graue sit tam sæpè venire,
» Plus tamen in patriam sine marte redire grauamur.
Et quid Galterum iuuenem, quid Bartholomeum,
Quid Garlandensem Guillelmum, Musa, tacemus?
An quoniam cum Rege domi bellóque morantur, C
Et Rex raro solet illis sine pergere quoquam?
Quod cuncti norunt memorare superflua res est.
Hi siquidem reliquis Regi socialius assunt,
Consilióque iuuant & bellatoribus ipsum,
Quotquot habere suos ad sumptus cuique dabatur.
Interea Comitissa senex, quæ Portigalensis
Filie Regis, ob hoc solùm Regina vocata est,
Ferrandique erat ipsa quidem germana parentis,
Hesperidum ritu cupiens ventura doceri,
Sortilegos nobis ignota consulit arte.
Nec tamen ipsa, reor, erat inscia præstigiorum,
Quæ solet Hispanos præsaga tholeta docere.
Sortibus ergo datis, tali problemate falli
Digna fuit, vero æquiuoca sub voce latenti.
» Rex ab equo multa iuuenum vi stratus, equorum
» Tundetur pedibus, nec eum continget humari
» Altisonoque Comes plausu post prælia curru
» Vectus, Parisiis à ciuibus excipietur.
Hinc magis audacter Ferrandus in arma furebat,
Non intellecto gaudens ænigmate sortis

Ambiguæ

Ambiguæ vana cupidam spe fallere mentem,
Ne solus duplici fallatur Apolline Crœsus.
Dehinc Otho, Comites Ferrandum Boloniumque
Secreto alloquitur, & eis sua vota reuelat,
Maioresque Duces verbo non priuat eodem.
» Si solus Rex Francorum non esset, ab hoste
» Quolibet in mundo tuti possemus haberi,
» Et totum gladiis mundum supponere nostris,
» Quo solo contra nos impendente fauorem,
» Et Cleri causam propriam quasi semper habente
» Nos ita præsumit anathemate Papa ferire,
» Atque fide nostros Proceres absoluere nostra.
» Qui dum Sicanio se Regi præstat amicum
» Audet in Imperium vires extendere nostrum,
» Qui genus in nostrum semper grassatur & ipsum,
» Qui tam largus opes pluit & donaria nobis,
» Regem præsumit exhæredare Iohannem.
» Huic igitur soli conatu insistere toto
» Expedit, hic solus primo occidatur oportet,
» Qui solus nostros prouectus impedit, & se
» Opponit nobis, omnique fit hostis in hoste.
» Quo mox extincto reliquos vincire potestis
» Ad libitum, Regnumque iugo supponere nostro.
» Et sic partiri nobis, quod tu Reginalde
» Appropries tibi cum tota Viromanne Peronam,
» Parisium Ferrande tibi concedimus, Hugo
» Beluacum, Drocas habeat Salebericus Heros,
» Castrum Nantonis Gastinetumque Girardus,
» Cum Wlcassino Corradus habeto Medontam,
» Et reliqui Proceres habeant quod quilibet optat.
» Nemo ex hoc numero nisi non donatus abibit.
» At Senones, & terra ferax à flumine Ytumna
» Vsque locum quo Sequanio Lupa confluit amni,
» Et quæ Moretum Montemque interiacet Argi,
» Hærueo Comiti volo dimittatur habenda.
» Quam præconcessit iam noster auunculus illi,
» Clerum autem & Monachos quos sic exaltat amatque,
» Protegit, & vigili defendit corde Philippus,
» Aut occidamus, aut deportemus oportet,
» Sic tamen vt pauci maneant, quibus arcta facultas
» Sit satis, oblata tantummodo qui stipe viuant,
» Villas & decimas maiores miles habeto,
» Et quibus est curæ respublica, qui populos, qui
» Pugnando faciunt in pace quiescere Clerum.
» Illo quippe die, quo me diademate primum
» Reddidit insignem Patrum Pater Imperiali,
» Hanc promulgaui legem, in scriptisque redactam
» Iussi per totum seruari firmiter Orbem,
» Ecclesiæ decimas oblataque munera tantum
» Possideant, villas nobis & prædia linquant,
Viuat vt hinc populus, habeatque stipendia miles.
» Nunc quia lege mihi Clerus non paret in ista,
» Nonne grauare manum? nunquid non debeo magnas
» Cum villis decimas illi auferre licenter?
» Nunquid non possum legem superaddere legi?
» Tuditæ Karoli villas qui noluit illis
» Tollere, si decimas ipsis tulit ille, mihi non
» Villas cum decimis auferre licebit eisdem?

PHILIPPVS AVGVSTVS.

A

,, Condere qui possum leges, & iura nouare,
,, Imperium solus teneo qui totius Orbis,
,, Nonne licet nobis hac Clerum lege ligare,
,, Rebus vt oblatis contenti, primitiisque,
,, Iam discant humiles magis esse minúsque superbi.
,, Quàm satius, quàm commodius me iura nouante
,, Impiger hæc tam culta noualia miles habebit?
,, Et villas tot deliciis opibusque fluentes,
,, Quàm genus hoc pigrum fruges consumere natum,
,, Otia quod ducit, tecto quo marcet, & vmbra
,, Qui frustrà viuunt, quorum labor omnis in hoc est
,, Vt Baccho Venerique vacent, quibus inflat obessis
,, Crapula colla thoris, onerátque abdomine ventres.
,, Vnde ego, quamprimum prædicta in lege rebellis
,, Papa fuit nobis Montemflasconis, Aquamque
,, Pendentem Bitral, Radichofonis, ardua Sancti
,, Quiriaci castrum, Bisturbica mœnia, Biccum,
,, Vicósque innumeros, castellaque plurima, diues
,, Roma quibus circumuallatur, protinus ipsi
,, Fortior eripui, multoque potentior armis,
,, Ipso quæ teneo nolente, diuque tenebo.
,, Quamuis Imperium mihi supplantare laboret,
,, Præsumens nostrum promittere ius Frederico.
,, Sed mora consilij non est modò libera nobis.
,, Ecce Bouinarum pontem post terga reliquit
,, Francigenum ductor, hodie sua castra sub vrbe
,, Tornaco figet, Scaldi prope fluminis vndas.
,, Et licet illorum numerus qui baiulat arma
,, Militiæ vix esse queat pars tertia nostræ,
,, Ecce ad nos veniunt vt nobis congrediantur,
,, Ecce nec expectant vt nos vadamus ad illos.
,, Tantum habet ille animi, tanta est præsumptio Franci
,, Militis, vt nullum dubitet tentare periclum
,, Quod dicunt, quod agunt exploratoris ab ore
,, Veridici totum mox nostræ infunditur auri,
,, Ignorant vt credo quot agmina nostra sequantur
,, Signiferi, nostræ quàm fortia corpora gentis,
,, Qui Comites, qui totve Duces, quis Theutonicorum
,, Sit furor in bello, quo turbine torqueat ensem,
,, Corpora quàm rigido ferrata biperciat ictu.
,, Sed veniant, vt eos hæc omnia re doceamus,
,, Parisio nec sit pudor à Saxone doceri.
Dixerat, at Proceres vno concorditer ore
Sic fore promittunt, iurantque fideliter omnes
Obseruaturos se quicquid dixerat Otho.
Vtque cauere magis queat vnusquisque periclum,
Vt certo socium signo discernat ab hoste,
Confestim per terga cruces & pectora ponit,
Quisque sibi peditesque manus famulique minores
Funiculis laqueis onerantur siue capistris,
Quo facilè iniiciant victis iam vincula Francis,
Quos in egressu primo vincire putabant.
Certificauit enim Regem super omnibus istis
Haud dubiæ fidei vir quidam religiosus,
Illa nocte, diem quæ belli præueniebat
In castra occultè Louannorum à Duce missus,
Qui licèt Othonis socer esset, homoque fidelis
Nuper erat tamen vxor ei data filia Regis,

B

C

A Et quàm condensis via sit perplexa saliẽtis,
Quàm limosa palus, quàm carice iuncus acuta
Impediat medios Moritana in rura meatus
Edocuit, quàm vix equus aut rota transeat illac.
Consilium Rex ergo nouat, paucisque nouatum
Detegit; Otho iterum ne se scire omnia iactet,
„ Tunc ait: Ista nimis via perniciosa quadrigis
„ Esse potest & equis, sed eis sine quis velit ire,
„ Aut pugnare pedes, à nobis sit procul istud
„ Teutonici pugnent pedites, tu Gallice pugna
„ Semper eques retrò vertamus signa, Bouinas
„ Prætereamus, item Cameraci plana petamus,
„ Hostes vnde gradu facili possimus adire.
„ Absit enim vt videam natalia rura, priusquam
„ Me duce Francus ouans Othonis dicta refellat,
„ Veriùs vt doceat Saxonem Parisianus,
„ Quam Saxo iactet à se debere doceri,
B „ Et tibi Dux Odo, quereris qui sæpè venire,
„ Terminet vna dies Franco victore laborem.
Dixit, & audita velli tentoria Missa
Imperat, & gelido sub mane redire Bouinas.
Cur ita te iactas Otho? cur ensibus enses
Theutonicos Francis frustra præferre laboras?
Francorum rubuit gladiis Saxonia dudum,
Cùm meritas subiit Karolo sub vindice pœnas.
Qui nullum superesse marem permisit in illa,
Illius gladio qui corpore longior esset.
Vix è conspectu Tornaci se tulerat Rex,
Cùm suus Othonem petit explorator, & illi
Intimat attonitum nimio terrore Philippum,
Francigenasque suos fugiendo redire Peronam,
Deceptusque suum dominum decepit. At ille
Frustra concipiens animoso gaudia corde,
Arma rapit, portasque furens post terga relinquit:
Totus & egrediens exercitus vndique densis
More locustarum legionibus occulit agros,
Non ramis perplexa virentis sylua salicti,
C Non iuncosa palus cetis * obsessa lacunis, * cecis
Non limo tellus, carecto & glutine sordens,
Tardat eos, metuunt ne Franci trãsierint iam,
Antea quàm possint illos attingere pontem,
Inque vicem hortantur calcaribus acriter vti,
Vt magis accelerent, indiscretique propinquum
Non metuunt casum, & meritò labuntur in ipsum.
Quo ruitis peritura manus, malè prælia tractat
Impetus. An Regem sic vertere terga putatis,
Quin vobis ausit versa concurrere fronte?
Non decet vt terror vestri deterreat illum,
Non decet vt propter vos aufugisse putetur,
Qui solum hoc optat, vt vobis fortè repertis
In plano planè bello confligat aperto
Inque breui id vobis nuda ratione patebit.
Vltimus exierat post omnia signa Garinus,
Syluanectensis nondum sacratus ad vrbis
Electus Cathedram, Regis specialis amicus,
Ardua tractabat cum Rege negotia Regni.
Hic, dum præcedunt crispantibus agmina signis,
Postremo tacitè digressus ab agmine paulùm

Philippvs Avgvstvs.

Vicecomes Meledunẽsis, miles peroptimus & nobilis.

Ambiti. i. circumpositi lateribus armaterum.

Cæpit iter versus Moritania tendere rura
Cumque noui cupiens aliquid deprendere casus
Passus millenos iam perexisset ad Austrum,
Cum paucis quos intererat Meledunicus Adam
Ascendit tumulum quo campus fortè tumebat,
Luminis vnde procul emittere posset acumen.
Et cùm vidisset acies feruere per agros,
Nec posset visos vno desigere visu,
Tot clypeos præferri astris splendoribus ausos,
Tegmina tot capitum solis replicantia lucem,
Tot latera ambiti liuere viredine ferri,
Tot vexilla leui motu irritantia ventos,
Tot cœtus equitum, tot equorum ferrea membris
Tegmina proceris circumdata dixit ad Adam:
» Hi veniunt, nec se credunt attingere posse
» Tempore nos satis aptato, tu colle sub isto
» Expectabis adhuc, intellecturus eorum
» Pleniùs & numerum & mentem, dum vado Philippum
» Certificaturus, alij non crederet ipse.
Sic fatus volat ad Regem. vix sustinet ille
Credere, præsumat quod quis tractare sacrato
Bella die, soli sibi quem Deus ipse sacrauit.
Continet ergo gradus, & præcedentia stare
Signa iubet, loquiturque suis hoc ordine charis:
» Ecce quod optabam Dominus mihi contulit vltro,
» Ecce supra meritum, præter spem gratia nobis
» Sola Dei confert quod votum præterit omne,
» Quos per circuitus spatiosos, perque viarum
» Discursus varios modò conabamur adire,
» Ecce ad nos vltro Domini miseratio ducit:
» Frangat vt ipse suos per nos simul & semel hostes,
» Hostibus ille suis nostro mucrone secabit,
» Membra sibi faciet nos instrumenta secandi,
» Ille idem percussor erit, nos malleus, ille
» Totius auctor erit belli, nos verò ministri.
» Nec dubito quin se victoria conferat illi,
» Quin hostes proprios, quibus est infensus, & ipse
» In nobis vincat, & nos vincamus in ipso.
» Iam Patris Patrum gladio meruere feriri,
» Qui præsumpserunt illum spoliare, suisque
» Ecclesiam priuare bonis, solidosque quibus se
» Nunc quoque sustentant, Clero Monachisque tulerunt
» Pauperibusque Dei, quorum maledictio damnat,
» Et damnabit eos quorum querimonia cœlum
» Dum penetrat coget illos succumbere nobis,
» E contra nobis communicat, & precibus nos
» Adiuuat Ecclesia, & Domino commendat vbique.
» Per loca certa tamen pro nobis pronius orant,
» Maior in affectu quibus est dilectio nostra,
» Vnde spei solido rogo robore consolidati
» Hostes Ecclesiæ vos hostibus exhibeatis.
» Non mihi, sed vobis, & Regno vincere vestra
» Pugna velit, Regni curam & diadematis vnus
» Quisque gerens caueat, proprium ne perdat honorem
» Pugna tamen cordi minus est mihi, quòd maculari
» Ista sacra dies aspergine sanguinis odit.
Dixerat, & Franci læti clamore paratos
Se pugnare ferunt pro Regni & Regis honore.

Concilium

Consilium tamen hoc sedet omnibus, vsque Bouinum
Vt proficiscantur, hostis si fortè diei
Parcere sacratæ velit, & differre duellum,
Donec lux bello licitam se crastina præstet.
Præterea locus est munitior ille tuendis
Sarcinulis, rebusque aliis quæ castra sequuntur,
Cùm nusquam pateat à dextris atque sinistris
Continuis spatiis iter impediente palude,
Transitus, excepto satis arcto, ponte Bouino,
Quo quadrupes se siue bipes euoluat ad Austrum,
Ac parte ex illa latis patet area campis,
Grataque planities cereali gramine vernans,
Quæ protensa satis spatio per rura patenti,
Sanguineum à Zephiro, Cesonem tangit ab Euro.
Dignus cæde locus, & sanguine commaculari,
Sanguinis & cædis medius communis vtrique.
Continuo pontem Rex sic facit amplificari,
Corpora quòd bis sex lateraliter ire per ipsum
Cumque suis possent tractoribus ire quadrigæ.
Ecclesiam Petri sacratam nomine iuxta
Fraxinea Rex Sole calens residebat in vmbra,
Haud à ponte procul, quem iam pars maxima cœtus,
Dilatam sperans in crastina tempora pugnam,
Transierat, mediumque diem Sol altus agebat.
Dumque pararet ibi modicè indulgere quieti,
Nuncius accurrens cursu festinus anhelo,
„ Agmen in extremum, clamat, iam prosilit hostis,
„ Nil Campanensis acies, nil sufficiunt hi
„ Quos modo misistis, vt eos retropellere possint,
„ Dumque illis obstant, & eos tardare laborant,
„ Continuò egerunt bis iam duo millia passu.
Motus ad hanc vocem Rex ilico surgit, & intrat
Ecclesiam, Dominóque suum commendat agonem,
Finitáque breui prece mox egressus, Euntes
„ Festinemus, ait, sociis succurrere nostris,
„ Non irascetur Deus arma quando feramus
„ Illos si contra sacrato tempore, qui nos
„ Impugnant, sed nec Machabeis est reputatum
„ Ad culpam, quòd se per Sabbata sancta tuendo,
„ Hostiles sancto vires repulere trophæo.
„ Immò die pugnare magis nos conuenit ista
„ In qua pro nobis Domino generaliter omnis
„ Supplicat Eccesia, cui nos præstamus amicos.
Hæc dicens, armis corpus præmunit, & alto
Insilit altus equo, lituumque horrente boatu
Circa ipsum cursu reduci festinat in hostem.

MATERIA VNDECIMI LIBRI.

Vndecimus varias strages habet, Imperiali
Standardo mundi dominum se disputat Otho.
Sub serie certa disponunt agmina Reges,
Euticioque sua mox improbitate perempto,
Ferrandus prima superat Campania pugna.
Coram Rege cadit Stephanus, Saleberius alto
Præcipitatur equo Beluaci præsulis ictu.
Rex cadit, Otho fugit, Francis victoria cedit.
Bolonius capitur, post omnes denique victus.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

INCIPIT LIBER VNDECIMVS.

CHristophori Iacobique dies post gaudia festi, A
Primus erat Domini cui dant à nomine nomen
Christicolæ, verum gentiles Solis eundem
Esse volunt, primam qui sibi dicat illius horam.
Nomen enim dat cuique suum planeta diei,
Cui primam dat quæque dies specialiter horam
Ordine quo prisci designant tempora vates.
Vidit vt Otho suo Francos cum Rege leuatis
Ad pugnam signis ita festinanter adesse,
Quos solo audierat victos terrore reuerti,
In patriam fugiendo suam; miratur, & exspes
A læua paulum retrahit vestigia parte,
Componensque acies gressus obliquat ad Arcton,
Quas ita continua serie protendit in amplum,
Occupet vt prima armatorum fronte virorum
Directè extensa passus duo millia terræ: B
Sic etiam Rex ipse suæ protendere frontis
Cornua curauit, ne fortè præanticipari
Aut intercludi tam multo possit ab hoste.
Mox Otho Imperij declarans signa, volensque
Iam quasi promeriti rem prælibare trophæi,
Standardum ædificat, miroque insignit honore:
Imperij vt fasces tanto illustrante paratu,
Se dominatorem totius disputet Orbis.
Erigit in carro palum, paloque draconem
Implicat, vt possit procul hinc atque inde videri,
Hauriat & ventos cauda tumefactus & alis,
Dentibus horrescens, rictusque patentis hiatu.
Quem super aurata volucer Iouis imminet ala,
Tota superficies cuius nitet aurea, solis
Æmula, quo iactat plus se splendoris habere.
Ast Regi satis est tenues crispare per auras
Vexillum simplex cendaco simplice textum,
Splendoris rubei, lethania qualiter vti
Ecclesiana solet certis ex more diebus.
Quod cùm Flamma habeat vulgariter aurea nomen,
Omnibus in bellis habet omnia signa præire, C
Quod Regi præstare solet Dionysius Abbas,
Ad bellum quotiens sumptis proficiscitur armis.
Ante tamen Regem signum regale tenebat
Montiniacensis vir fortis corpore Galo,
Seque acies ambæ directè respiciebant,
A se distantes modico discrimine campi
Vultibus oppositis, nec adhuc vox vlla sonabat.
Otho magnanimus contra è regione Philippum
Stabat in ornatu valde aureus Imperiali.
Drocarum dominus cum Gamachiensibus, & cum
Pontiuiis à Rege procul sic stantibus, vt non
Ipsius à serie series distaret eorum,
Bolonio Comiti se contra ponit & Anglis,
Cui magis infensus odiis erat ipse veternis,
Et læuum cornu conserto marte coronant.
At dextro in cornu spatiis à Rege remotis
Fulminat in Flandros acies Campanica, Duxque
Allobrogum, & Sancti Pauli Comes, atque Iohannes
Bellimontensis, & quos Medardicus Abbas
Miserat, immensa claros probitate clientes

Tes

Ter denos decies, quorum exultabat in armis
Quilibet altus equo, gladioque horrebat & hasta,
Valle Suessonica quam fortia corpora surgunt.
Quos inter Regemque viri virtute corusci
Astant continua serie, scalasque suorum
Quique magistrorum densant dum buccina sæuum
Obstrepat, vt celeri leuitate ferantur in hostem.
Interea electus leuis istos ambit & illos,
Hortaturque suæ vigilent vt quisque saluti,
Fortiter vt patriæ pugnent & Regis honori,
Sintque suæ memores gentis, quæ semper in omni
Conflictu victrix hostes confregit, id autem
Summoperè caueant, ne ipsos numerosior hostis
Cornua protendens fortè intercludere possit,
Ne serie series sit longior hostis eorum,
Ne scutum miles faciat de milite, sed se
Quisque suo fronte opposita sponte offerat hosti.
Cúmque morarentur, nec dignarentur aperto
Credere se campo, seriesue excedere Flandri,
Impatiens Suessona phalanx suadente Garino,
Cornipedes quanto potuerunt currere cursu,
Inuadunt illos, nec miles it obuius illis
Flandricus, aut motus aliquod dat corpore signum,
Indignans nimium quòd non à milite primus,
Vt decuit, fieret belli concursus in illos,
Neue verecundentur ab his defendere, si se
Prorsus abhorrescant, cùm sit pudor vltimus alto
Sanguine productum superare à plebis alumno,
Immoti statione sua non segniter illis
Excipiunt, sternuntque ab equis, pluresque nec illis
Parcendum ducunt famuli, sed turpiter illos
Iam perturbatos stationem soluere cogunt,
Seque velint nolint defendere. Sicque superbos
Nobilitate viros, & maiestate verendos,
Non puduit demum pugnare minoribus ipsis,
Afficiuntque illos atque afficiuntur ab illis
Ictibus & plagis. Famulis sed denique spretis,
Et genus & proauos Eustatius à Maquelinis
Qui trahit egregios, se contulit æquore plano
Sæpiùs ad mortem Francorum voce superba.
Ingeminans sequitur Galterus cum Buridano.
Hic de Guistella, de Furnis venerat ille.
Flandrinique equites, odium quibus improba Regis
Flandria magnanimi teneris infudit ab annis,
Militibus properant rapido occursare volatu.
Iamque perhorruerat lituorum clangor, & omnes
Hinc atque indè acies commixtæ in fata ruebant.
Harnensis Michaël clamanti funera Francis
Obuiat, & medium forat illius ægidis hasta.
Ast illum inferiùs Eustatius impetit, atque
Per sellam, per equi costas agit improbus hastam:
Et domini per vtrumque femur cadit hic, ruit ille,
Vixque potest hastile suis euellere coxis.
Hugo Malaunites accurrit, Reminidesque
Petrus, quos sequitur acies Campana, Comesque
Bellimontensis cum Sacrocæsariensi.
Nec mora te Gauchere tenet, dominumque Morencij,
Se quibus opponunt Flandrorum mille cohortes.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Ferrandusque suis animos dum pugnat adaugens, A
Hastis confractis, mucronibus atque cutellis
Insistunt, Dacisque securibus excerebrant se
Ictibus alternis, & equorum viscera rumpunt
Demissis gladiis, dominorum corpora quando
Non patitur ferro contingi ferrea vestis.
Labuntur vecti lapsis vectoribus, & sic
Vincibiles magis existunt in puluere strati.
Sed nec tunc acies valet illos tangere ferro,
Ni prius armorum careat munimine corpus.
Tot ferri sua mambra plicis, tot quisque patenis
Pectora, tot coriis, tot gambesonibus armant.
Sic magis attenti sunt se munire moderni,
Quàm fuerint olim veteres, vbi millia mille
Vna sæpè die legimus cecidisse virorum.
Nam mala dum crescunt crescit cautela malorum,
Munimenque nouum contra noua tela repertum est. B
At Michaël sociis tellure iuuantibus ipsum
Se leuat, & quamuis coxam grauet eius vtramque
Plaga duplex, commendat equo sua membra recenti,
Inuento vt multis aliis sessore carenti,
Cuius humi dominum prostrauerat Hugo Malaunus.
Ast Hugonis equi Galterus in illibus ensem
Demittit, peditemque facit. pedes ergo, pedumque
Se gressu firmans hosti vicinat, & ictus
Ingeminans ipsum cogit se dedere victum,
Cum quo etiam capitur Buridanus, qui quasi ludens
Clamabat, nunc quisque suæ memor esto puellæ.
Tunc Michaël illum qui mortificauerat eius
Cornipedem, vulnusque duplex inflixerat illi,
Quærit, & inuentum rigidis sic implicat vlnis,
Et galea abstracta vultum cum gutture nudat,
Quòd via fit Franci gladio, qui dum necat illum,
„ Vt tua nunc saltem Eustati præsumptio cesset,
„ Mortem quam Francis inclamas accipe dixit,
„ Te perimit Francis serio dum fata minaris.
Huius causa necis tibi sola superbia linguæ est;
Nec te seruari sinit ad commercia viuum,
Vt multos alios qui te moriente ligantur. C
Ast alia Dux parte furens Burgundicus, inter
Hostiles cuneos agili circumrotat ensem
In Flandros Henorasque manu, sed dum nimis audax
Fortunæ securus, & hos prosternit & illos,
Oblitúsque sui nimium prorumpit in hostes,
Admitti gladios doluit vectoris in aluum,
Qui ruit, atque Ducem secum in tellure volutat.
Cui, dum multiplici latus vndique malleat ictu
Hostilis rabies, assunt perniciter alæ
Allobrogum, dominoque ferunt in tempore gratum
Subsidium. Pars carne nimis ferroque morantem
Surgere sustollunt, Pars pugnat & amouet hostem,
Qui nimis instanter illum retinere laborat.
Pars alium quo scandat equum perniciter aptat,
Et iam factus eques requiem captare rogatur,
Donec se modicum recreet, flatumque resumat.
Immo, ait, amidum me vectoris in hostem
Decorisque mei memorem calor excitat iræ,
Dedecori decus est vindictam reddere nostro.

Valde corpulentus erat.

Dixit

A Dixit & in medios velut amens se iacit hostes.
Nec minus audacter Flandrum ruit agmen in illum,
Densantur cunei Allobrogum, dominique ruinæ
Vectorisque sui fieri vult quilibet vltor,
Tantaque fit totis pugnantum immixtio campis,
Tam prope se inuoniunt percussi & percutientes,
Quòd vix elongare manum, quò fortiùs ictus
Inculcare queat, spatium datur aut locus vlli,
Quæque armaturæ vestis consuta supremo
Serica cuique facit certis distinctio signis.
Sic percussa patet, sic intercisa minutis
Pictatiis pendet, dum demolitur eandem
Tunsio crebra nimis clauæ mucronis & hastæ,
Quod vix à sociis hostes dignoscere possunt.
Cruribus inuersis iacet resupinus arena.
Hic latere obliquo ruit, alter vertice prono
B Labitur, atque oculis exhaurit & ore saburam.
Hic eques, ille pedes vinclis se mancipat vltro,
Dum perimi magis odit ibi quàm viuere victus.
Quadrupedes autem passim per rura videres
Exsufflare animas, alij disrupta per aluum
Exta vomunt, alij procumbunt poplite flexo:
Absque suis alij dominis discurrere, seque
Gratis sessori cuiuis offerre vehendo.
Vix aliquis locus est, quo non aut corpora strata
Inuenias, vel equos extrema in morte gementes.
Et quis erit dignus dignè memorare vigorem
Gaucheri Comitis, quo summis viribus ille
Quique illum sequitur armati militis agmen,
Per medias acies, per confertissima Flandræ
Millia militiæ trifidi transiuit ad instar
Fulminis. Imbellésque velut dispergit anates
Accipiter, quando atra fames iecur vlcerat eius,
Quoslibet oppositos sibi dissipat alter Ogerus,
Perque hostes medios mucrone viam sibi nudo
Ampliat, instantes à dextris siue sinistris:
Obruit hos, istos occidit, vulnerat illos.
C Inde sinu facto, miranda strage peracta,
Parte alia rediens simili probitate Quirites
Implicat innumeros, quasi pisces rete retentos,
Vtque ascendentes fallit Gaubertus alosas
Retibus oppositis vada sub piscosa Medontæ:
Sic facit implicitos equites vel fata subire
Gaucherus, vel sic victori offerre ligandos:
Respiciensque suis ex consocialibus vnum
Eminus in numero prospexit ab hoste teneri.
Mox caput inflectens collumque amplexus Iberi,*
Per medias acies iterum prorumpit: At illum,
Dum ruit, hostilis non cessat dextra ferire
Non tamen ille caput aut dextram subrigit antè
Quàm venit ad socium, tunc se leuat, enseque stricto
Omnes qui socium retinebant sternit, & illum
Liberat, & secum viuum sanumque reducit.
Tunc primum Flandri cœpere timore moueri.
Pondus enim belli totum se inclinat in illos.
Non tamen aut campo discedere, terga vel hosti
Ostentare volunt, tanta indignatio mentes
Obsidet illorum, seruandique ardor honoris,

* idest, equi

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Vt malint pugnando mori, vel vincla subire, A
Cædereque & cædi, quam se fugisse notari.
Et dum se laxant acies, Flandrique tepescunt,
Hugo Marolides Aciensis Gilo per hostes
Ferrando medios properi confligere tendunt,
Vulnere qui læsus iam multò lentiùs ibat,
Perque diem totum requiem non fecerat armis.
Cum quibus ipse diu luctatus, denique victus,
Forti fortunæ cedens se, ne perimatur,
Dedidit; Ast eius omnes tunc signa sequentes
Mors inuisa rapit, vbi sese dedere nolunt.
Taliter in dextro cornu Bellona furebat,
Et se Francigenis vultu victoria læto
Pollicitabatur. Casu tamen ante secundos
Euentus illis se demonstrabat amaro
Vt sit amabilior lætus post tristia finis,
Præteritique mali præstent obliuia risus. B
Interea pugnæ in medio Rex ense relicto
Fulgurat Othoni oppositus, qui millibus ante
Se peditum triplici firmauerat obice vallum,
Bolonidesque sibi simili prospexerat arte
Inque chori speciem pedites triplicauerat ipsos,
Vt quotiens vellet per eos inuaderet hostem,
Seque receptaret quotiens opus esset in illis.
Cúmque moram faceret Regi confligere nolens
Otho prior, Rex impatiens, dilatio nunquam
Cui placet, & pugnæ desiderio nimis ardens,
Theutonicos medio peditum præsumit adire.
Dumque nimis properat aciem penetrare pedestrem,
Mox hastas hastata manus configit in illum,
Quarum cuspis erat longa & subulæ instar acuta,
Et nonnulla velut verubus dentata recuruis
Cuspidis in medio vncos emittit acutos.
His igitur Regem pedites incessere telis
Non cessans, nequeunt tamen eius flectere corpus
In dextrum læuumve latus, vel pellere sella,
Ense nec impediunt quin illos disgreget, vltra
Progrediens, multos sternens populosque trucidans. C
Sicque viam sibi per medios nihilominus hostes
Sternit, ad Othonem properat dum tramite recto.
Donec ei quidam reliquis audacior, inter
Pectus & ora fidit maculas toracis, & vsque
Qua ligno iunctum est ferri transegit acumen
Per collare triplex, & per thoraca trilicem
Impulsu valido menti regione sub ipsa,
Carni contiguum prohibens à vulnere ferrum.
Dumque ad se vellet hastam reuocare trahendo,
Restitit vncino maculis hærente plicatis.
Viribus ille trahit maioribus, auxiliumque
Dante sibi turba, prolapsum corpore toto
Ora facit prono terræ procumbere Regem.
Sternitur indigno stratu regale loco, nec
Strati calce * frui sinitur quem calcibus inde
Quadrupedes, manus hinc contundit barbara telis.
Mox tamen erectum rectis insistere plantis
Vis innata facit, sed adhuc sub gutture fixa
Hærebat cuspis, maculis implexa reductis,
Et suprema plicis tunicæ super arma nitentis.

* pace

Qua

A Quam dum Francigenæ retrahunt, hostesque repellunt,
Dumque paratur equus, quo Rex ascendere possit:
Ecce Otho veniens, furibundaque Theutonicorum
Sæuities, Regem morti punisset ibidem
Proh scelus! & tristi tristassent funere mundum,
Et perimi satis à facili potuisset ab illis,
Dum iacet, éque solo ne se leuet impedit hostis,
Ni Barrensis eques festinans, Francigenæque
Gloria se gentis interposuisset eisdem:
Qui processerunt paucis cum Rege relictis,
Theutonicosque coegerunt in fine fateri,
Se verè Francis collato marte minores,
Debeat vt super hoc fieri collatio nulla.
Vt saltu Rex præpes equo se reddidit, ira
Totus inardescens, totusque in limine pœnæ,
Quam mox infligat pediti qui strauerat illum,
B Sæuior effectus, lapsúque nocentior ipso,
Illos in pedites studet exercere furoris
Primitias, ipsi fuerat qui causa ruinæ:
Quam variis omnes plagis affecit, vt omnis
Qui vel forte manum temerè præsumpsit in illum
Mittere, vel sacrum telis perstringere corpus,
Corpore truncato Stygias eat exul in vmbras:
Pœna discat vt hac, quàm sit temerarius ausus
Pollutis manibus personam attingere sacram.
At læuo in cornu, qui nulli marte secundus
Bolonides, pugnæ insistit. cui fraxinus ingens
Nunc implens dextram, vix vlli baiula qualem
In Bacchi legimus portasse Capanea cunas,
Quam vix fulmineo deiecit Iuppiter ictu.
Nunc culter vitæ impatiens, nunc sanguine pugni
Mucro rubens, gemina è sublimi vertice fulgens
Cornua conus agit, superasque educit in auras,
E costis assumpta nigris quas faucis in antro
Branchia balenæ Britici colit incola ponti,
Vt qui magnus erat magnæ superaddita moli
Maiorem faceret phantastica pompa videri.
C Ac velut in saltus scopulosa Bieria saltu
Præcipiti mittit ingenti corpore ceruum,
Cuius multifidos numerant à cornibus annos,
Mense sub Octobri nondum Septembre peracto,
Annua quando nouis Venus incitat ignibus illum,
Cursitat in ceruos ramosa fronte minores
Omnibus vt pulsis victor sub tegmine fagi
Connubio ceruam solus sibi subdat amatam.
Haud secus è peditum medio, quibus ipse rotundo
Vt castro caua se circumsepserat arte.
Prosiliens volat in Thomam, Robertigenasque
Drocarum Comitem, Beluacenumque Philippum,
Bolonides, quos Francigenis magis omnibus odit,
Ipsius à Regno fuerant qui causa fugandi.
Cui latus astipat Heros Salebericus, Hugo
Bobigena, Arnulphus Audenardenus, & Angli
Militis examen patris minus arma volentis.
Stant contra oppositis Thomas Gallericus armis
Gamachios Wimosque sciens, Robertigenæque,
Pontijusque Comes Drocensis atque Poheros:
Quique suos factis & voce hortantur in illos

Pediti singulare pro plurali collectiue.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Hastis coniectis, strictis mucronibus ambæ
Se sibi continuant acies, repetuntque vicissim
Ictus alternos, crudoque cruore cruentas
Compellunt herbas variare rubore virorem.
Interea Rex Otho manu furibundus vtraque
In Francos dum cæca sinit fortuna securim
Vibrat, dumque istos sternit, dum vulnerat illos,
Non tamen illorum potis est effringere vires,
Terroremque animis inducere fortibus vllum.
Qualiter ille Brias Flegreis horridus armis,
Centenis manibus fidens, & corpore grandi,
Terrigenis animos audax audacibus addens,
Ausus cœlicolis bellare, Iouique superno.
Vt verò iustas Superûm regnator in iras
Exarsit, dextram iaculis cœlestibus armans,
Fulmina pro manuum numero iaculatur in ipsum,
Nec vita vult prorsus eum priuare, sed igne
Cœlesti ambustum supponit rupibus Æthnæ,
Ignes perpetuos vomiturum fauce supina.
Non secus in Francos Otho desæuit, eorum
Per medium frustra sperans impunis abire,
Inque ipsum Regem simili sæuire flagello,
Quem circumuallant furibundæ milia gentis.
Hic claua horrendus, hic formidabilis ense,
Hic sudibus, telis hic dimicat, ille bipenni,
Hic verubus, cultris alter subularibus arctas
Scrutatur thorace vias, galeæque fenestris
Qua ferro queat immisso terebrare cerebrum.
Nec minus Othonem pergebat adire Philippus,
Nil aliud cupiens, nisi soli possit vt ipsi,
Alter vt Æneas Turno, pugnare secundo.
Et iam destructo primo in certamine vallo,
Hastigerisque viris diuersa strage peremptis,
Per medios equites iam festinabat ad ipsum.
Sed neutri ad reliquum est via libera tam glomerato
Agmine, tam iunctis pars vtraque dimicat armis.
Sternuntur plures, sed strages Theutonicorum
Densior est, cùm more suo Barrensis in illos
Sæuiat impinguans effuso sanguine campos,
Et Petrus Maleuicinus, fortisque Girardus,
Asue cognomen non dedignatus habere.
Cum reliquis quorum mens vinci nescia, solum
Optat, vt aut vincat, aut pugnando moriatur.

Quos contra Comes Otho furit, cui Tinqueneburgis
Parebat regio, Guerardus Randerodensis,
Et quo Theutonicos inter præstantior vllus
Non erat, aut maior membris, aut corde, Girardus,
Hostimalis contra Francos emissus ab oris:
Qui tantæ famæ, qui tanti nominis erat,
Vt vix Othonem Saxonia præferat illi.
Innumerique alij, qui, dum victoria nutat
Dum vultu fortuna pari blanditur vtrisque,
Viribus immensis solitoque furore resistunt
Francigenis, nec adhuc rabies Alemannica, quàm sit
Francorum virtute minor, se scire fatetur.

Ast vbi Saxonum tandem Rex attigit agmen,
Francigenique suum viderunt se prope Regem,
Quem tanta leuitate in equum ascendisse stupebant,

Theutonicis

Theutonicis horror, Francis audacia creuit,
Eius in aduentu feruore calentis & ira.
Ergo reuiuiscit pugna, ac si nulla fuisset.
Hactenus alternis sternuntur stragibus agri:
Sternuntur domini quidam sine vulnere, multos
Et dominos & equos lapsu mors tollit in ipso,
Vt moriens vecto faciat solatia vector:
Ne domino amisso scandi indignetur ab hoste.
Sunt qui interfectis proprijs vectoribus ipsi
Dum pedibus stantes pugnant quos casus eisdem
Errantes offert in equos ascendere gaudent,
Nec curat proprio priuatus forte repertus
An sit equus socij, cui se commendat, an hostis.
Tam festinanter properant in bella redire.

Hic Longi Stephanus Campi dominator, iniquo
Sidere cui filum iam rumpere Parca parabat,
Cùm membris esset immensis, atque vigorem
Adderet immenso, vires audacia forti,
Ante ipsum Regem multo circundatus hoste
Obstantes nunc ense secat, nunc corpora forti
Prensa manu, quando spatium non inuenit ictus,
Hinnisonis depellit equis, nunc mixta peremptis
Viua coaceruans aliena tabe voluptat.
Nunc multos lapsis & ferri pondere pressis,
Inque ipso lapsu fracto quandoque cerebro,
Aut collo, aut costis, vita sine vulnere priuat.

Et quasi se soli victoria debeat illi,
Dum desæuit in hos, & ab his se vertit in illos,
Nec requiem capit, & nec ad horam cessat ab ictu,
In cerebrum casu ferrum subulare recepit,
Incertum cuius dextra impingente, fenestras
Per galeæ medias, quibus est ocularia nomen,
Per quas admittit ocularis popula lumen:
Quando nusquam alias in toto corpore præstant
Armamenta viam, qua stringant vulnera corpus.
Frigore continuo lethali membra rigescunt,
Hostilemque super stragem, quam strauerat ipse,
Fundit equus dominum; cuius rapit ignea sursum
Vis animam, corpus terrenum terra recepit.
At Barrensis eques cùm iam subiecta cruore
Arua cruentasset multo, fastidit inertes,
Et vinci faciles, quorum spreto agmine solum
Tendit in Othonem, sed iam per lora tenebat
Petrus eum Maleuicinus, deque agmine denso
Fortiter implexis dextra luctante lupatis.
Extricare volens, turba impediente nequibat.
Aduolat, & strictum dat eidem Scropha cutellum
Pectoris in medio, nec cedere ferrea ferro
Arma volunt, quibus Otho suos munierat artus.
Replicat, inque ictum dextra indignante Girardus
Acrius insurgit, sed equus ceruice leuata
Obuiat, & casu venientem suscipit ictum,
Perque oculum in cerebri medio lethaliter ictus
Se leuat, inque pedes stans vt capra posteriores,
De Petri manibus ruptis extricat habenis,
Et consternatus girauit se retro, fræno
Castigare genas rupto nequeunte superbas.
Dumque calor plagæque grauis dolor attonat illum,

PHILIPPVS AVGVSTVS.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Virapit à turba dominum: sed proxima cùm mors A
Longius ire vetet, terræ procumbit, & vna
Othonem secum moriens in puluere fundit.
Ostimarensis * adest cursu rapiente Girardus,
Descendensque suum domino vectoris egenti
Præstat equum, pedes ipse manens. O mira fideli,
O laudanda fides in milite! ne pereat Rex
Exponit miles sese spontaneus hosti,
Seu victus duci, seu morti occumbere certus,
Barrensique ausus concurrere, gnauiter illum
Impedit Othonis fuga ne impediatur ab illo.
Qui sibi iure timens, lateri non parcit equino,
Dum memor est celeri solum saluare fugâ se.
Nec curat quantos belli in discrimine charos
Negligat expositos cædi mortisque periclo,
Doctior ad præsens propriam curare salutem,
Quàm certus vinci frustra succurrere victis.
Instat enim Guillelmus ei, requieque negata B
Iam tenet acer eum per posteriora thorosi
Arma humeri, galeamque inter collique tumorem
Fortiter infixis digitis à vertice conum
Vellere dum vellet, & guttura rumpere ferro,
Ecce pilosus adest Comes & Guerardus & Otho
Tinqueneburnites, & quem Tremonia misit,
Et numerosa manus Saxonum, qui fugientem
Consociant, dominique fugæ solacia præbent,
Vt sociatus eis habeat minus ipse pudoris,
Hi se Guillelmo obiiciunt socialibus omnes
Auxiliis, nec mille vni pugnare pudebat.
Quem quia non poterant equitem superare, per eius
Illia vectoris gladios in viscera mergunt.
Vixque manu ipsius dominum eripuere tenaci,
Qui rursus mandare fugæ sua terga studebat.
Ast illi Guillelmum obeunt, vnumque putabant
De facili peditem tam multo milite vinci.
Ille autem pedes in medio vestigia firmat,
Seque habet inter eos irati more leonis,
Nunc cultro, nunc ense furens, nec se pedes illis
Exhibet audacem minus, aut virtute minorem, C
Quàm si staret eques, tanta leuitate cateruam
Circumuallantem se proterit, impetuosas
Illorum rabies animoso robore frangens.
Cúmque diu solus se defendisset ab illis,
Et per circuitum multos strauisset eorum,
Succursurus adest illi Gallericus Heros,
Cúmque illo pedites duo millia robore fortes,
Instructique armis, dominoque per omnia fidi,
Quos cum militibus decies sex associari
Ex omni sibi gente sua curauerat ipse.
Nec mora Barrensis in equum conscendit, eoque
Dimisso, cuneus, modo qui circundabat ipsum,
Laxatur, repetuntque fugam haud indemniter omnes.
Nam summi inter eos Otho Comes atque Pilosus,
Corradus Waphalus, Guerardus Randerodensis,
Cum multis aliis qui nobilitate præibant,
Sponte manus in vincla dabant, ipsique teneri
Vincirique orant potiùs quàm perdere vitam.
Franci etenim tantis instabant cædibus ipsis,

* Suprà, Hosmarensis

Quòd

Quòd quicunque fuga neglecta forte resistens,
A Dedere se vel pro vita suplicare moratur,
Confestim quàm sit gustatio mortis amara
Sentit, & ingreditur sedes nouus hospes Auernas.
At procul hinc acies in læuo prælia cornu
Æquis miscebant animis, & vtrique pari se
Impendebat adhuc parti fortuna fauore,
Sanguineis Bellona rotis vtrosque pererrans
Tincta cruore manus, vestes, & pectus, & arma,
Effusosque auida sorbescens fauce cruores,
Millia mille neces & vulnera spargit vbique,
Spéque sui incerta partem suspendit vtramque,
Castra super dubiis victoria dum volat armis.
Sed cunctata breui diuino numine vultum
Mutat, & in Francos totum fluxisse volatum
Gaudet, & aduersæ penitus spem tollere parti.
Nam Beluacensis vt vidit Episcopus Angli
B Germanum Regis, qui cùm sit viribus ingens
Angligenæ longo dederant agnomen ab ense,
Sternere Drocenses, & damnificare frequenti
Cæde sui fratris acies, dolet, vtque tenebat
Clauam forte manu, sic illum dissimulato
Præsule percussit in summo vertice fracta
Casside, quod sterni tellure cogit eundem,
Corporis & longi signare caractere terram.
Et quasi celari facti tam nobilis auctor
Possit, neve queat Præsul gerere arma notari
Dissimulare studet quantum licet, atque Iohanni
Seruit adhuc patrum cui iure Nigella suorum,
Hunc vincire iubet, & sumere præmia facti.
Sic plerosque alios claua sternebat eadem.
Militibus super hoc titulum palmamque resignans,
Accusaretur operam ne forte sacerdos
Gessisse illicitam, cui nunquam talibus inter
Esse licet, ne cæde manus oculosque prophanet.
Non tamen est vetitum defendere seque suosque
Dum non excedat positos defensio fines.
Angligenæ dominum postquam videre ligari,
C Nimirum attoniti quos capula donaque Bacchi
Dulcius alliciunt, quam duri munia Martis,
Se campum nudant fugiuntque per auia sparsim,
Quo fuga præcipites, quo mixto horrore timori
Casus agit, sociumque fugæ Bolonicus Hugo
Se facit illorum, nec eum fugisse pudebat,
Qui modo præ cunctis bellum affectabat, & ipsum
Bolonidem irridens, timidum infidumque vocabat,
Quod dissuaderet pugnandum, nec fore tutum
Diceret in plano vires opponere Francis,
Quorum virtutes, quorum bene nouerat actus:
„ Tu fugies, aiens, lepus vt fugitiuus, ego autem
„ Aut interfectus, aut passus vincla manebo.
Hac ergo Ardanidæ longi Saxones ab illa
Parte fugæ intendunt, Waphali cum Theutonicorum
Millibus inde abeunt, hinc se Brabancio cursu
Subducit Francis, hac Flandricus, Anglicus illac,
Nec reperire dolent aliquas per plana latebras,
Cruda quibus lateant saltem dum vulnera stringant,
Horrendi saltem dum transeat hora furoris,

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Dum satur ad loculi gladius velit ora reuerti, A
Dum Franci modica cessent à cæde vel hora
Qui persistebant hos cædere, funibus illos
Innodare suis, quibus ipsi Francigenarum
Impete sub primo dexteras arctare putarunt.
Cùmque latus belli fuga iam nudasset vtrumque
Stabat adhuc peditum medio se sæpe receptans
Bolonides, nec sæuus adhuc cessabat amica
Damnificare suo cognataque pectora ferro
Hostis amicorum patriæque exosus alumnos,
Nec patrij dulcedo soli, nec sanguinis vlla
Communis pietas, nec amicæ vincula carnis,
Nec Regi & domino iuratio præstita dudum
Mollierant, diram fundendo à sanguine mentem
Nec vinci à quoquam virtus effræna sinebat,
Et cuicunque manum iunxisset victor abibat.
Tam cautè, tam se prudenter agebat in armis, B
Tam liquido Francis traxisse parentibus ortum
Belligerando ipsum probitas innata probabat,
Degenerémque licèt tibi culpa effecerit ipsum,
Non tamen istius pudeat te Francia culpæ,
Nec facies super hoc rubeat tua. non modò primum
Incipiunt partus parientibus esse pudori.
Sæpe fit vt pariat prauos bona mater alumnos,
Et mala sæpè parens sanctos alit vbere natos.
In peditum vallo totiens impunè receptus
Nulla parte Comes metuebat ab hoste necari.
Hastatos etenim pedites inuadere nostri
Horrebant equites, dum pugnant ensibus ipsi,
Atque armis breuibus, illos verò hasta cutellis
Longior & gladiis, & inextricabilis ordo
Circuitu triplici murorum ductus ad instar
Cautè dispositos non permittebat adiri.
Quæ res vt Regi patuit ter mille clientes
Hastis armatos in equis emisit in illos,
Vt perturbatos stationem soluere, séque
A tam perplexa faciat laxare corona.
Exoritur clamor nimius, stragesque cadentum C
Armorumque fragor audiri non sinit æris
Clangentis sonitum. Cadit omne in vulnera vulgus,
Quo se Bolonidæ sterili vallauerat arte,
Dum putat in vanum Francis illudere solus,
Ipse quibus pugnare aliis fugientibus audet,
Nec vitam dignare fugæ dignatur inerti.
Nil miseros longa arma iuuant, nil dacha bipennis,
Nil Comes ipse suum nequiens defendere vallum.
Nil priuare potest virtutem fine cupito,
Sola est quæ superat finaliter omnia virtus,
Cui vis nulla vel ars roburve in fine resistit,
Omnia suppeditat, supereminet omnibus vna.
Hæc Francis semper comes esse domestica gaudet,
Hæc Francos in fine facit gaudere triumpho.
Omnes interimunt, omnes in tartara mittunt,
Bolonidemque suo discludunt prorsus asilo.
Ille autem vt totos fugientibus vndique campos
Feruere conspexit, & vix superesse decem ter
Ex equitum peditumque omni legione suorum,
Ne vel velle capi, seu vinci sponte putetur,

Francigenas

A Francigenas ruit in medios, quem quinque sequuntur
Vix socij, reliquos cingentibus vndique Francis,
Quoque ligarentur spatium vix dantibus ipsis.
Et quasi solus eos iam vincere debeat omnes,
Tanquam nulla die gessisset prælia toto,
Viribus & nisu toto furibundus in illos
Sæuit, & ad Regem medio festinat eorum,
Vitam non dubitans eius pro morte pacisci,
Affectansque simul illô moriente moriri.
Ibat fortè pedes Petrus, cui nomen & ortum
Insignem Turella dedit, vectore perempto,
Dum nimis hostiles audet prorumpere turmas.
Qui fieri miles & origine dignus & actu,
Charus habebatur & clarus Regis in aula.
Hic cum Bolonidem bellum renouare videret,
Et conferre manum, nec adhuc se dedere velle
B Immo renascenti virtute resistere multis,
Festinans accessit eò, læuaque leuauit
Tecturam funibus quæ latis ferrea latam
Ventrem velat equi, teneroque sub inguine dextra
Mucronem impegit, & equi vitalia rupit,
Enseque retracto lato manantis hiatu
Infecit virides aspersio sanguinis herbas.
Quo viso, quidam fidis ex eius amicis
Aduolat, & Comitem prensis ardenter habenis
Inuehitur dictis & amico famine in ipsum.
Qui nolente Deo fugientibus vndique cunctis
Staret adhuc solus victores vincere certans,
Procurans proprio sibimet suspendia facto,
Non metuens merita se præcipitare ruina,
Quam leue cum reliquis posset fugiendo cauere.
Talia prosequitur, & eum per fræna seorsum
Nolentem retrahit, vt equo mandare nouato
Terga fugæ faciat, cui tota mente resistit,
A bello nequiens animum reuocare superbum.
„ Malo, inquit, saluo vinci pugnando pudore,
„ Vincere quàm fugiens, vitam postpono pudori.
C „ In bellum redeo, quicquid mihi fata minentur.
Dixerat. At neruis iam se laxantibus vltra
Stare nequibat equus, tunc Coudunita Iohannes
Adueniens cum fratre suo Quenone frequentes
Ingeminant ictus Comiti caua tempora circum,
Cumque suis ipsum vectore & milite pronis
Verticibus strauere solo, iacuitque supinus
Ipse Comes pressa sub equino pondere coxa.
Dumque ligant fratres Comitem, venit ecce Iohannes
Cum vera re nomen habens à Robore verum,
Qui Comitem velit aut nolit se dedere cogit.
Cumque moraretur à terra surgere, frustrà
Auxilium expectans, & adhuc euadere sperans,
Affuit è famulis electi garcio quidam
Ipsum præcedens Cornutus nomine fortis
Corpore, mortifero horrebat cui dextra cutello.
Hic ocreis vbi se iungit lorica, volebat
Immisso Comiti vitalia rumpere ferro.
Sed thorax ocreis consuta patere cutello
Indissuta negans Cornuti vota fefellit.
Circuit, atque alias se garcio vertit ad artes.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Cornibus amotis balenæ & casside tota
Ingenti faciem nudatam vulnere signat.
Iámque parabat ei guttur resecare, nec vllus
Arcet eum, quin mox occidat si queat illum.
Opposita tamen ipse manu Comes obstat, & à se
Quantumcunque potest mortem elongare laborat.
Sed rapido cursu veniens Electus abegit
Ipsius à iugulo ferrum, famulique repressit
Ipse sui dextram; quem cùm nouisset, ad ipsum
„ Exclamat Comes: O ne sic Electe necari
„ Me bone permittas, ne me patiaris iniquo
„ Sidere damnari, ne garcio funeris auctor
„ Gaudeat esse mei, melius me Curia Regis
„ Damnet, & infligat merui quam incurrere pœnam.
Dixerat. Electus è contra taliter illi:
„ Non morieris, ait; Sed cur ita surgere tardas
„ Surge citò, Regi iam præsenteris oportet.
Hæc dicens terra nolentem surgere cæsum
Cogit, & aspersum vultus & membra cruoris
Flumine, vix in equum sua membra leuare valentem,
Cum magno tollit plausu, vix denique victum,
Atque Nigellensi dat eum seruare Iohanni,
Qui gratum Regi munus præsentet eundem.

MATERIA DVODECIMI LIBRI.

Partitur prædas duodenus, Corde benigno
Rex Comitem recipit, grauiterque redarguit ipsum.
Gaudia regali referuntur vbique triumpho.
Mors optata nimis trahit in sua iura Iohannem.
Simonis indigno tristatur funere mundus.
Petrus Amalricum Britonum Dux Marte triumphat.
Territat igniuomus Francorum corda cometes.
Rex obit, vnde dolent omnes, in gaudia luctum
Conuertunt Regis miracula sanctificati,
Et Regni nouitas Ludouico cælitus vncto.

INCIPIT LIBER DVODECIMVS.

FRancorum gladios nimia iam cæde rubentes
Vix foruli agnoscunt, quosque emisere nitentes
Tabo sordenti mutatos pene repellunt.
Iam desunt restes, iam desunt vincla ligandis,
Turba ligandorum numero præit ipsa ligantes.
Iamque parante suam luna producere bigam,
Solis ad Oceanum curuo quadriga rotatu
Ibat, & eius equi laxo themone diurni
Non procul antidotum gaudebant esse laboris,
Quos expectabat gremio refouere tepenti
Thetis ouans, poterátque viæ iam meta videri,
Qua placidæ sperant se commendare quieti.
Protinus in reditum litui sua classica mutant,
Et reuocant sparsas tonitru leuiore cateruas,
Signa reuertendi grato reuocamine dantes.
Tunc demum licuit Francis insistere prædæ,
Et spoliis armisque hostes spoliare iacentes.
Isti præda placet dextrarius Ardinis, * illi
Runcinus caput ignoto dat fune ligandum.
Hi neglecta legunt per campos arma, nitentis

* al. Ardius, & Ardennæ silua.

Prædo

A Prædo fit hic clipei, gladij vel caßidis ille.
Hic ocreis contentus abit, lorica fit illi
Præda placens, vestes & tegmina colligit alter
Fortior & forti magis est obnoxius ille,
Sarcinulatorum qui prædo meretur equorum
Esse, vel absconsi forulis prægnantibus æris,
Aut carpentorum, quæ primum Belga putatur
Carpentasse sibi cùm regna coercuit olim,
Aurea vasa quibus & non temnenda suppellex,
Et multo Serum sudata labore latebant
Vestimenta, peregrinis regionibus ad nos
Quæ deferre solet animi mercator auari,
Multiplicare studens ex re quacúnque lucellum,
Vnamquámque rotis camera interuecta quaternis,
In nihilo patitur thalamo differre superbo,
Quo noua nupta nouum sibi vult hymenea parari,
Vimine tam nitido splendet contexta patenti
B Tot res ventre capit, tot edulia, tot pretiosos
Ornatus, spoliis tot sufficit vna vehendis,
Vt vix sufficiant iumenta bis octo trahendæ.
Carrus, quo reprobus erexerat Otho draconem,
Quem super auratis aquilam suspenderat alis,
Cogitur innumeras in se sentire secures,
Fragminibusque dolet ignis cibus esse minutis
Nec saltem vt superent fastus vestigia tanti
Cúmque suis pereat damnata superbia pompis.
Ast aquilam fractis reparatam protinus alis
Rex hora Regi Frederico misit eadem,
Hoc sciat vt dono fasces Othone repulso,
Iam nunc diuino translatos munere in ipsum.
Continuò spoliis oneratus morte propinqua
Cœtus ouans in castra redit; Regique superno
Gratus agit grates grato Rex corde, tot hostes
Qui tam propitio dedit illi vincere nutu.
Fiat & vt tantæ memor ætas postera palmæ,
Syluanectensis extra vrbis mœnia Cellam
Condit, & imponit illi Victoria nomen,
C Quæ largis dotata bonis se Canonicali
Religione regens Abbatis gaudet honore,
Conuentúsque sacri, quos de Victoris ouili
Angelico assumpsit Regis prudentia dignos
Commendare Deo ipsius populique salutem,
Moribus insignes, mundum carnemque perosos, *Vnde quidam dicit: Cùm bene pugnaris, cùm cuncta subacta putabis Quæ nos infestat vincenda superbia restat.*
Per quæ sola duo nos improbus allicit hostis:
Hisque triumphatis leuis est cum Dæmone pugna,
Cum nil vincendum nisi sola superbia restet.
O pietas, ô mira fides in Rege? quis vnquam
Rex Hebræorum, quis Princeps, quis populi Dux
Tanta pace animi, tanta pietate refulsit,
Vt non puniret capitalem protinus hostem
Maiestate reum læsa, dominique peremptor
Qui fieri voluit, & perducturus ad actum
Si licuisset erat conceptum mentis iniquæ,
Vasallo infido voluit Rex fidus haberi,
Qui seruare fidem iuratam noluit illi,
Quem licitè poterat quouis extinguere letho,
Cui debebatur culeus & simia, culpam *Hæc est pœna parricida,*
Rex pius indulsit, pro pœnis præmia, pacem

PHILIPPVS AVGVSTVS.

clandebatur in sacco cum simia, gallo, & colubro, & deinde iaciebatur sic in fluuium.

Pro bello, vitam indigno pro morte rependens, A
Quin etiam verbis pauidum solatur amicis.
„ Ne paueas, fido fac vixeris amodo corde,
„ Flagitiisque nouis me non accenderis in te.
„ Assistes lateri nostro non vltimus, immò
„ Quàm prius extiteris mihi charior efficieris.
„ Tu tibi tu caueas recidiua labe relabi
„ In laqueos, similesque iterum patrare reatus,
„ Ne tibi deterius possit contingere, teque
„ Indignum omnino clementia nostra repellat.
Sic ait, & vinclis seruari iussit honestis.
Post triduum verò Rege existente Bapalmis,
In reditu à bello, fuit illi fortè relatum
Nescio quo retegente dolos misisse latenter
Othoni Comitem post bellum vespere serò,
Et Regi & Regno præiudicialia scripta.
Quo mox comperto, nimiam commotus in iram
Subiecto terrore s[illegible]os Rex exit in istos: B
„ Tu genitorque tuus corrupti munere dudum
„ Anglorum regi Henrico fauistis, & in me
„ Natalisque soli conciues arma tulistis,
„ Qui Rex vester eram, cui vos feudaliter ambos
„ Iure ligabat honor Comitatus militiaris
„ Cingula qui dederam tibi primitialia iuris,
„ Pace reformata nos inter, postea pacis
„ In præiudicium post patris fata tui, me
„ Bello impugnasti renouato Rege parentis
„ Richardo post fata sui mihi bella mouente.
„ Quo mox extincto, factus mihi denuo amicus
„ Vxorem tibi iam cùm gratia nostra dedisset,
„ Boloniæ toto Comitissam cum Comitatu:
„ Non multo posthæc elapso tempore factum est,
„ Vt simul à nobis Comitatus quinque teneres,
„ Et tua nata mei coniunx est facta Philippi,
„ Est & facta tui neptis mea Simonis vxor.
„ Sic mihi te donis, sic te per chara ligabam
„ Pignora, te contra ne me scrupulosa moueret
„ Suspicio, ad vomitus solitos ne forte redires, C
„ Cùm se peruersi facilè in consueta reuoluant.
„ His tamen ingratus cuncta hæc à mente relegans,
„ Proque bonis mala retribuens, me sponte relicto,
„ Cum membris Belial, qui pacem odêre Deúmque,
„ Nequitiæ fœdus patriæ desertor inisti:
„ Complicibúsque tuis conniuens, in caput istud
„ Coniuratus, eis siccarius arma tulisti.
„ Cumque tibi hoc totum solita pietate remittens,
„ Immeritam merita vitam pro morte dedissem,
„ Ausus es exacto vix vespere nocte sequenti
„ Post bellum renouare dolos, mentisque venenum
„ Instillare notis, scriptoque retexere fraudem,
„ Othonisque animum prece sollicitare dolosa,
„ Vt bellum renouet, nósque impugnare retentet.
„ Talis es, & maculis macules cùm talibus orbem,
„ Quamuis indignus sis amodo viuere, vitam
„ Non tamen amittes, iugique in carcere viues,
„ A scelere vt saltem dum sis in compede cesses,
„ Et si mente nequit propelli praua voluntas,
„ Consueto saltem manus impediatur ab actu,

Affectuque

A Affectuque suo careat suggestio linguæ.
His dictis (neque enim Comitem mutire patrati
Conscia mens sceleris, aut respondere sinebat)
Mox inclusit eum ferrata in turre Peronæ,
Compedibus vinctum geminis, breuibusque cathenis;
Seruarique iubet posito custode fideli
Milite se decimo Guillelmo Pruniacensi.
Regis & Anglorum Drocensis fratre recepto
Turris honoratur, vt patri reddere natum
Quandocunque suo cupiat pro fratre Iohannes,
Nanneti insidiis quem circumuenerat, & mox
Cum sociis vinctum bis senis trans mare mittens,
Iam custodierat in carcere tempore multo.
Hoc tamen ille diu concedere distulit, vt qui
Semper erat cum fratre suum genus omne perosus;
Egregiosque indigna pati malebat ephebos,
B Exeat à pœnis quàm commutatus vterque.
Ast alios Comites, Waphalum cum Raderodensi
Tynqueneburgenum Othonem, Comitemque Pilosum,
Ingenuosque viros, proceres, equitesque minoris
Nominis innumeros diuersa per oppida Regni
Seruari mandat Rex ob commercia census,
Propria prout redimi sinat vnumquemque facultas;
Largiter indulgens quicquid natura, vel vsus,
Nobiliumve petat sibi consuetudo virorum,
Nulla vt personis vel honori iniuria fiat.
At Ferrandus equis euectus fortè duobus
Lectica duplici themone vehentibus ipsum,
Nomine quos illi color æquiuocabat, vt esset
Nomen idem Comitis & equorum, Parisianis
Ciuibus offertur Luparæ claudendus in arce:
Cuius in aduentu Clerus populusque trophæum
Cantibus hymnisonis Regi solemne canebant.
Tunc patuit Ferrande tibi Pytonicus error,
Compulit in vanum qui te sperare, quòd vrbs te
Exceptura foret magno regalis honore.
Lege quidem fati non est lex æquior, æquo
C Omnia iudicio Deus ordinat, æquius ista
Sorte nihil, quòd eos voto conformis eorum
Sors ligat in villis quos Otho spoponderat illis,
Quásque daturus erat iurati fœdere pacti,
Lætificasset eum pede si victoria dextro,
Fitque vt quisque loco tormentis seruiat illo,
Cui dominaturum cupida se mente putauit.
Fitque locus pœnæ qui sperabatur honoris,
Commutatque spei confusio gaudia luctu.
Agmina Pompeius olim pyratica fregit,
Et Mithridatem nato mediante subegit
Cunctantem sumpto mortem accelerare veneno,
Ne sub Romanis natum regnare videret,
Vel nato efficeret ipsum sors dura minorem.
Postmodo Regna ferè pessundedit omnia Romæ
Quæ mare trans Græcum pars tertia continet orbis.
Cæsar post Gallos, post plurima Regna labore
Conquisita graui, quibus imminet occiduus Sol
Latè dilatans ius Imperiale per orbem,
Terga licèt flauis ostenderit ipse Britannis,
Pompeium vicit, vt magno maior, & omni

Hic desinit editio Belli Bouinum anni 1534. de qua suprà.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Prælatus capiti Princeps foret vnicus orbis,
Vt dominaretur super omnes Roma sub ipso.
Roma tamen neutri sic exultauit eorum,
Nec tam lætifico cecinit Pæana canore
Intraturo in equis Capitolia quatuor albis,
Francia quàm celebri post consummata Bouinis
Bella, suo exhibuit festum solemne Philippo,
Nec tam magnificos meminit iubilasse triumphos.
Post hæc cùm Titus & Vespasianus Helya *
Funditus euersa, Templóque in plana redacto,
Iure tibi Iudæa locum gentémque tulerunt:
Qui candelabrum, tabulas, & fœderis archam,
Et Domini mensam cum multo pignore sancto
Procurauerunt Romanis addere gazis,
Atque Aaron virgam, quæ cùm foret arida prorsus
Fronduit, & subito produxit amygdala flore,
Virginis intactæ typicans noua gaudia partus,
Semper & in seruos pretio venundare vili
Téque tuumque genus, & in omnem spargere ventum,
Sic peccata Deo tua castigante per ipsos.
Hanc tibi finalem meruit Caluaria pœnam,
Qua præsumpsisti nostrum crucifigere caluum,
Hanc præsignauit vrsorum irrisio facta
In pueros Bethlehem sancto conuicia nati
Dum faciunt, caluúmque vocant; Hæc omnia dudum
Ora Prophetarum tibi præcinuere tuorum,
Ne vel nescires quantum peccare parares,
Quantave tam diros sequeretur pœna reatus,
Peccaresque minus saltem formidine pœnæ,
Ingrueretque minor peccato pœna minori.
Sola dabat plausus in tempore Regibus illo
Roma suis, nec cura aliis erat vrbibus vlla.
Aut Romanorum saltem exultare trophæis,
Aut sumptus aliquos illorum impendere pompis.
Nunc quocunque loco lati patet area Regni,
Oppida quæ tot habet, in se tot castra, tot vrbes,
Tot sceptris dignos Comitatus, totque Ducatus,
Quæ tam multa subest patribus Prouincia tantis,
Iura diocesibus quorum vnusquisque ministrat
Pluribus innumeras dictans edicta per vrbes.
Quælibet vrbs, vicus, castellum, pagus eodem
Exigit affectu communis gaudia palmæ,
Et sibi dat proprium commune quod omnibus extat,
Vt generalis eat loca per specialia plausus,
Et simul vna ferat victoria mille triumphos.
Nil toto sonat in Regno nisi plausus vbique.
Omnis condicio, fortuna, professio, sexus,
Ætas, hymnisonis intendunt cantibus. omni
Gloria laus & honor Regi cantatur ab ore.
Nec solum cantu vel gestu corporis, ardor
Exprimitur mentis, verum per castra, per vrbes,
Classica per vicos resonant, vt multiplicato
Concentu maiore sono se vota reuelent.
Neve putes illos expensis parcere, miles,
Ciuis, villanus, radiant in murice, nullum
Indumenta tegunt nisi samnis, byssus, & ostrum.
Rusticus ornatu dum fulget Imperiali
Se stupet, & summis componi Regibus audet,

* id est Hierusalē, sic dicta ab Ælio Imperatore, qui eam readificauit.

Ex

Ex habitu tantum sibi mens præsumit, vt ipsum
Esse hominis vestis mutare aliena putetur.
Nec satis est vlli sociis par esse nitore,
Si nulli è multis aliquo præfulget amictu.
Sic sibi concertant præcellere vestis honore.
Cerea non cessant per totam lumina noctem
Cunctorum in manibus tenebris clarere fugatis,
Vt nox in faciem conuersa repente diei
Tantis luminibus tanto fulgore diescens,
Stellis & lunæ, Nil vobis debeo, dicat.
Talia per cunctas attollere gaudia villas
Sola quidem populos dilectio Regis habebat.
Parisius verò præcunctis vrbibus addit
Plausibus & iubilis & lætitiæ generali
Sumptus maiores, & delectabiliori
Ludos exequitur studio, celebresque choreas,
Præcipuè quos Palladij dulcedo laboris
Allicit alma sequi vitæ documenta beatæ,
Pleniùs & multo se splendidiore paratu
Accingunt palmæ, vt festum regalis honorent.
Perque dies octo totidemque celebria noctes
Gaudia continuant, & eo deuotiùs instant
Lætitiæ, quo Rex magis est dilectior illis,
Cuius eis cura pacis præstante quietem
Securi curæ dominis in séque feruntur,
Solius vt studium cura vexentur eorum
Pectora, diuersas non admittentia curas.
Pax erat in toto populis gratissima Regno,
Rexque gubernabat Regnum populúmque paterno
Affectu cunctos & amans, & amatus ab illis.
Nulli damnosus, nulli grauis, omnibus æquus,
Omni præcipuè Cleri protector ab hoste,
Sícque benignus erat quòd amico pacis amicos
Corde fouens, malefactores puniret acerbè.
Vnde vocabatur omni reuerenter ab ore
Cleri Rex, patriæ pater, Ecclesiæque columna:
Nec sciri poterat magè diligat an populum Rex,
An Regem populus, & erat contentio dulcis
Inter eos super his, vter vtri charior esset,
Quem penes alterni vis esset maior amoris,
Tam puro nexu dilectio colligat ambos.
Iamque Bouinei post belli tempora quartus
Annus erat, cùm Rex post tot patrata per ipsum
Crimina priuatur Regno vitaque Iohannes.
Pellitur à patria trans Humbri flumina longè,
Damnatus Cleri populique examine iusto.
Nam proprio fuerat genitori occasio mortis,
Proditor & fratris, interfectórque nepotis,
Illo qui fuerat ad Regnum iustior hæres.
Sublimare loco cuius gens Angla volebat
Te Ludouice, suum tibi patre negante fauorem:
Pontificis nolens offensam incurrere summi,
Qui nitebatur releuare ad sceptra Iohannem.
Sic igitur Regni priuatus honore Iohannes,
Atque sui iuxta prænostica nominis, expers
Omnino terræ, tandem malefactor haberi
Cessat, eique malos mors denique terminat actus.
Cui mox Gualo, vicem qui Patrum Patris agebat,

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Ipsius prolem Henricum succedere fecit. A
Qui cùm vix annos bis quinque ætatis haberet,
Vngitur, & Papæ per iuramenta ligatur,
Subditus vt sit ei semper, soluatque tributum
More sui patris, ab eodem sceptra tenendo.
Non minus hoc ipso sub tempore reprobus Otho,
Brunisij ægrotans tam longo anathemate demum
Absolui meruit, & amara reconciliato
Corporis atque animæ consortia dissociat mors.
Non multò posthæc Simon, magis vnde dolendum,
Martyris in palma ratio nisi flere vetaret,
Inclytus ille Comes Tholosanam dum obsidet vrbem,
Quæ fidei nostræ contraria suscipiebat
Hæreticos, nec adhuc pestes euitat eorum,
Raptus ab hac subitò lachrymarum valle beato
Martyrio ad sedes meruit migrare supernas.
Gaudia Martyribus addens conciuis eorum
Factus, vbi æthereа cum Christo regnat in aula. B
Visio cuius eum sic pascit sola, quòd ipso
Dum semper fruitur nunquam fastidia sentit.
Cuius ab interitu valde pars Catholicorum
Infirmata dolet, & pars aduersa superbit.
Sed nec Amalricus eiusdem nobilis hæres
Patris onus subiens, ætate insufficienti,
Tot contra fortes solus pugnare valebat.
Tunc Rex magnanimus pereunti in partibus illis
Compatiens fidei, pietatis semper abundans
Visceribus, super afflictos, tam grande periclum
Antidotare volens ad sola stipendia fisci
Sexcentos equites & millia dena clientes
Armis instructos, animoque & corpore fortes,
Misit Amalrico succursum in tempore gratum.
Et sic ad tempus vis hæresiana repressa est,
Catholicusque vigor etiam nunc præualet illic.
Elapsis post hæc annis quasi penè duobus,
Multos turbauit vsque ad meditullia Regni,
Emergens subitò discordia particularis
In Britonum regione, maris qua littore Thetis C
Orbis terrarum & Regni confinia finit.
Nec patet vlterius quicquam, nisi pontus & aër,
Qui quantum pateant vltra nullatenus vlli
Nosse datum, nulli satis indagabile factum est.
Expediens nempe est, licèt id scit scibile paucis,
Bellorum motus etiam patientibus ipsum,
Cùm Deus in toto sine causa nil agat orbe,
Nil fieri faciat quod non aliquos ferat vsus.
Qui cum causarum sit causa immobilis ipse,
Fixas mobilibus causas dat rebus inesse.
Qui mala quæ patimur nostrum conuertit in vsum,
Elicit & nobis ex nostris commoda damnis.
Qui facit vt bellum patientibus vtile fiat,
Ne vitiis alimenta quies diuturna ministret,
Occupet & nimio torpore ignauia mentes.
Nam virtus exercitium, quo crescere possit,
Semper amans, capit ex ipso crementa labore,
Præsentique malo nostri ferrugo reatus
Leuius excoquitur, ad tempus vt erudiat nos
Pœna breuis, multoque minor quàm flamma gehennæ,

Quæ

A Quæ ſine fine reos pœnis diſtringit amaris.
Turbandæ pacis occaſio prima fuerunt
Britigenæ Comites Conanus cum Salomone,
Iuſta tamen belli fuit illis cauſa mouendi.
Nam Britonum Dux Petrus eos ſpoliarat auitis
Fortior ipſe bonis, nec eis dimiſerat, vnde
Caſtigare famem friguſque repellere poſſent,
Qui fuerant nati dominari pluribus alto
Sanguine progeniti, factis & nomine clari.
Nec minus eſſe patet, quòd Dux in parte fuiſſet
Iuſtus eis, quoniam multa ipſi forte tenebant,
Quæ potius Dux debuerat de iure tenere.
Sed vir gente potens & eiſdem fortior armis
Indignante ferens animo ſibi iuſta negari,
Subripuit cum iure ſuo ſibi ius alienum,
Nec ſeruare modum nouit vis effera, quando
B Omnia dat forti qui ius negat arma tenenti.
Abſtulit ergo viris totum patriáque fugauit
In nemora & valles deſertaque luſtra ferarum.
Qui quotiens poterant illis dare damna ſuiſque,
Pluribus adiuti ſociis, abducere prædas
Inſtabant, vincire homines, euertere villas.
Quos cùm Dux vellet confundere funditus, ecce
Mouit Amalricus bellum Credonicus illi,
Qui proclamabat in quodam ius ſibi caſtro,
Quo Dux dicebat illum nil iuris habere,
Coram Rege ſuper hoc iuri ſtare paratus,
Viribus ille ſuis fidens, non iudiciorum
Ambiguo fini, ſtrepitu ciet arma ſuperbo,
Atque Ducis terram ferro populatur & igni,
Guirchinoſque capit muros, Caſtrumque Briani.
Dimiſſis igitur Conano cum Salomone,
Quorum iam partem Britonum pars magna iuuabat,
Dux in Amalricum conuertit bella, ſuóſque
Cum ſanguineis Proceres inuitat, vt ipſi
Impertire velint contra tot bella iuuamen.
Cumque hæc dura duos duraſſet guerra per annos,
C Dux incurrebat diſpendia multa, nec vlla
Pars indemnis erat, aut intacta Ducatus.
Quippe Leonenſes hac illum ex parte fatigant,
Cumque Trecoritis Goelonnes & Rohanitæ:
Hinc ſub Amalrico Cenomanenſis, & omnis
Andegauenſis eques, Turonique, & quiſquis ab vſque
Carnoto laudis aliquid vel honoris habebat,
Francorumque manus quammaxima cum Sagienſi
Agmine, Biturigumque caterua, Coméſque Niuerni:
Quos commune genus vel amor ſociauerat illi,
Vel cenſus, quo nulla magis res nutrit amorem,
Nil magis accendit equites, nil fortius armat,
Ignauos animat, vires imbellibus addit
Audaces pungit, in mortem trudit inermes,
Liuorem membris depellit, vulnera ſanat,
Potio nulla animos lenire ſalubrior ægros.
Illum autem ſequitur Britonum pars maxima, qui ſe
Intrepido præſtant animo dominoque Ducique,
Quorum ſubſidio fretus, monituque fideli,
Ingentes animo regali concipit auſus,
Proponítque ſemel patriæ ſuccurrere toti.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Non curans igitur quamtum Conanus in ipsum
Sæuiat, aut Salomon, aut quanta in partibus illis
Prædarum aut hominum patiatur damna, per ipsos
Iam finire parat tam longæ tædia guerræ,
Et simul atque semel aut vinci aut vincere quærens,
Audax in campo iuxta vineta Briani
Pugnat Amalrico, & clara virtute triumphum
Consequitur, capiens ipsum, multósque Quirites
Et Proceres, vinci quos nemo posse putauit,
Cùm numerus maior numero Ducis esset eorum,
Ipsique inuicti cum summo laudis honore
Hactenus extiterint conflictu semper in omni.
Sic Britonum probus auxilio laudabile nomen
Promeruit, patriamque suam saluauit ab hoste,
Verè Francigenam verè regalis alumnum
Se generis probitate probans, pronepos Ludouici,
Nobiliorque nimis patrueli Rege Philippo.
Inde Leonenses, ex hoc certamine quamuis
Illorum valde pars debilitata vacillet,
Guerrificare Ducem per se nihilominus audent,
Perque dies illi multos virtute resistunt
Longanimi, demumque bona lis pace fugatur,
Qua redeunte Duci solito ligantur amore
Et sua restitui sibi iura merentur ab illo.
Quid lachrymas? quid mœsta doles? cur ora relaxas
Singultu occulto? cur cœlo lumina figis
Musa? quid ignotos astrorum suscipis ortus?
Cur rutilare nouum sic admirare cometem?
Ecce Philippei præcessit funeris astrum,
Astrum quo mundus dolet, & cœlestia gaudent,
Hospitis aduentu tanti exhilarata propinquo.
Ecce vocant illum nubes & sydera cœli,
Certus vt ipse suæ per tam manifesta salutis
Signa suos actus placitos sciat esse superno
Astrorum Domino, ne fortè subhorreat eius
Spiritus, aut trepidet luteo de vase resolui,
Seque creatori victis iam dæmone, mundo,
Carnis & illecebra victrici reddere letho,
Et si fortè alias legimus minitante cometes
Crine, rei euentum præsignificare futuræ,
Non tamen vsque adeo aut tanto fulsere rubore,
Vt cùm nocte dies septena reluxerit astri
Lumine flammiuomo commixta nube rubori,
Vt solet ardenti fumo lucente casella,
Stramineam si fortè domum vis corripit ignis,
Flammeus, immixtas vapor eructare * fauillas.
Hunc signi numerum * poscebat vita Philippi,
Hoc meritum numero voluisti pandere serui
Christe tui, sciat vt se terque quaterque beatum,
Corpore vt aque animo felix transcendat ad astra.
Quem benè completus hic septenarius, illam
Ducit ad octauam quæ sursum est nescia finis.
Non igitur stupeas, non te dolor anxiet, immo
Si contristauit te mors, victoria mortis
Lætificet, cùm iam videas crebrescere signa,
Per quæ cum Christo victa iam morte probatur
Viuere, cui vita dignè seruiuit in ista.
Et si vitæ eius studuisti gesta referre,

* eiectare

* id est, septenarium.

Maiori

Maiori studio referas & mortis honorem.
Quemque, ipso viuente, Librum finire putasti,
Exequialis honor fac terminet, & specialis
Gloria, Christus eum quo fine beatificauit.

De Cometa qui praeuenit infirmitatem Regis.

TErruerat populos radio noua stella minaci,
Nec vulgus cessabat adhuc variare tumultus,
Quid portenta noui non intellecta sequatur.
Nec dum mensis erat post hoc elapsus, & ecce
Inuadit febris Regis quartanica corpus,
Quem cùm quarta dies æstu torqueret anhelo,
Cessabat mediis tamen ægrotare diebus,
Et sic febris erat interuallata, vigorem
Quòd nec membra suum perdebant siue colorem,
Nec minus ipse sua leuitate & viribus vtens,
Sollicitúsque sui curare negotia Regni,
Oppida more suo diuersa studebat & vrbes
Visere, præsertim quibus ille reædificandis
Impendens operam, muros fabricabat & arces.
Quotquot enim fiscus vrbes habet, oppida, vicos,
Ad proprios sumptus murauit, & omnia vidit
Impensis murata suis dum viueret, idque
Plus admirandum sonat auditoris in aure
Laudarique magis dignum, quòd in omnibus istis
Vexauit nullum census exactio, nullum
Vt fieri solet à multis angaria læsit.
Cuiuscunque domus, fundus, seu vinea propter
Fossas aut turres periit, seu mœnia, damni
Totius pretium patiens à Rege recepit.
Et licèt hæc Regni emendatio publica cunctis
Ciuibus & populo communiter vtilis esset,
Noluit vt fieret aliis onerosa, sed omne
Sola subiuit onus pia munificentia Regis.
Qui postquam primos rigores sensit, & eius
Sacra repente tremor febrilis viscera torsit,
Continuò scopat hominis vas interioris,
Hospitiumque parat mundum, quo cœlicus hospes
Gaudeat adueniens placita sibi sede morari,
Delicias reputat qui corde quiescere mundo,
Nec venit ad mentes nisi lotas sorde fugata.
Mox testamento finali quicquid habebat,
Mobilis ipse rei proprio determinat ore,
Et dispensandum terræ Hierosolymitanæ,
Pauperibusque Dei scripto designat aperto,
Diuisim faciens quis quid ferat inde notari.
Inde ferè totum vexatus febre per annum,
Nec minus officio membrorum gnauiter vtens,
Attigerat quintum mensem, quo Syrius ægris
Ingeminare solet Solis cum febre calores,
Et postquam Verbum caro factum est tertius annus
Currebat cum quinque quater post mille ducentos. 1223.
Iamque propinquabat lux mundo flebilis, in qua
Se viduaturus erat Orbis Regna Philippus,
Qui iam regnauit annis feliciter actis
Quadraginta tribus, iustis pius, acer iniquis,
Corripiens reprobos cum mansuetudine, semper

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Corde pio solitus æquum præferre rigori,
Quem Christo, vitæ cùm dilexisset in omni
Tempore, dilectum sibi plus in fine probauit.
Nam Rex Hierusalem, & qui summa negotia summi
Pontificis vice disponens contra hæresiarchas
Missus erat, partes Tholosanas qui maculabant,
Totius & regni Sanctorum concio patrum,
Concilium tunc Parisius generale tenebat,
Procurante statum Ecclesiæ reparare Philippo,
Quem mare peruerti citra lugebat & vltra,
Quo sine cum reliqui nil diffinire valerent,
Quamuis torreret ipsum intolerantia febris
Continuæ, proprio geminata & temporis æstu
Communi propriam postponens vtilitatem,
Parisius medicis contradicentibus ibat,
Paciacoque mouens ad Concilium properabat,
Summam virtutum cupiens hanc esse suarum
Vt per eum status Ecclesiæ fideique resurgens
Catholicum sumat ipso moriente vigorem.
Quem fidei similis Martini feruor agebat,
Qui sibi cum præscita dies foret vltima vitæ,
Fratribus & sanctis hoc prædixisset, adire
Non ideo metuit Candatum, vt pacificaret
Schisma quod Ecclesiam vico turbabat in illo,
Ecclesiæ pacem Cleróque relinquere gaudens.
Voto haud dissimili properans Rex vsque Meduntam
Venerat. hic illi sacra post mysteria postquam
Vitalis vitæ dedit eucharistia pastum,
Occurrit suprema dies æuique beati
Terminus. hic illum speciosa morte resolui,
Hic sanctæ voluit animæ Deus esse receptor
Crastina Quintiles data cum produceret Idus.
Exoritur clamor, resonant lamenta, fatiscunt
Guttura singultu, lachrymis sinus omnis inundat,
Planctum non est qui proprium leuet, aut alienum,
Nec minui possunt nimij per verba dolores,
Dum cogit linguam anxietas hærere palato,
Nil sonat in tota nisi vox funesta Medunta.
Nulla domus, vici pars nulla, vel angulus est, qui
Non obsurdescat gemitu, fletuque madescat.
Luctum causa mouet eadem, dolor omnibus idem
Quos tamen excruciat specie non vna doloris.
Hic pectus feriens vlulat, secat ille genarum
Vngue superficiem, vestes hic, ille capillos,
Sunt qui præ nimio mœrore nec hiscere possunt,
Promentes labiis tantum suspiria lassis
Quos eiulari cordis timor impedit, intus
Absorbente ira quod plangi debuit extra.
Sunt quibus assuetas vires rapit extasis vmbra
Mortis imagineæ pauimenti in puluere pressis.
Et quis contineat lamenta? videns Ludouicum
Flumine compluturn lachrimarum hinc, inde Philippum,
Et Proceres Comitesque, & forti corde Senatum,
Et cum militibus famulos, aulæque magistros,
Implere attonitam mœstis mugitibus aulam.
Sic qui subdiderant gentes & Regna Philippo,
Nulla quibus potuit feritas obsistere, quorum
Viribus edomitæ pestes & monstra quiescunt,

Edomat

A Edomat extincti Regis dolor, atque ita turbat	Philippus Augustus.
Vt meminisse sui immemores sint atque suorum
Vix est qui poscat aut præstet aromata, vix est
Balsama qui memoret infundere, sic rationem
Obtenebrat mentis vix incentiua doloris.
Corpore condito regaliter, inde feretro
Vt decet impositam mortalis processio glebam,
Principis inuicti scapulis subuectitat altis.
Cúmque foris portam, quæ Parisiana vocatur,
Exissent, quantum ter agat balista sagittam,
Deposuere solo cum sancto fasce feretrum,
Alternos oneri dum se supponere certant,
Assignantque locum quo crux erecta Philippi
Nomine sacretur quadris celata columnis.
Quo fieri cœpere loco miracula nuper
Crebra, Deo meritum mox declarante Philippi,
B Ecclesiámque nouam, requiem qua Regis honorent,
Protinus ædificant infra breue tempus ibidem,
Personásque sacras, & religione probatas
Instituunt Domino vt semper famulentur in illa.
Inde iterum tendunt sancto cum corpore sursum
Gaudeat vt Sanctus Dionysius hospite tanto
Ecclesiam docorare suam, qua corpus humatum
Petra tegit iuxta Dagobertum; spiritus aula
Fulget in angelica ductore receptus eodem.
Idque Patri Patrum Dionysius ipse sequenti
Nocte reuelauit, ne quis regnare Philippum
Cum Christo dubitet, re tanto teste probata.
Ampliat exequias, multoque insignit honore
Bertrandus, summi qui Pontificis vice fungens
Se Prænestinam decorabat Præsule plebem,
Basilica regione satus, vix nobilis ortu,
Religione sacer, habitu Cistercius. Assunt
Regni Primores, Procerésque, virique potentes,
Sanctorúmque fere patrum omnis concio, nutu
Spiritus occulto quos sanctus adegerat illuc,
Ex multa causam ob aliam regione gregatos:
C Omnibus vt certa constet ratione, sub vmbra
Concilij, quod Parisius celebrare putarunt,
Procurasse Deum decus exequiale Philippi.
Scilicet vt tot honoraret Magnatibus illum,
Cuius honorari finem debere sciebat.
Debet enim quæ principium mediumque sibi res
Est sortita bonum, finiri fine beato.
Totum quippe bonum bonus exigit exitus esse.
Affuit & summo vir honore & laude Iohannes
Rex Acharon, Francus atauis, Campanicus ortu,
Debuerat quo Rege regi Hierosolyma, quæ nunc
Ægypti dolet & Syriæ seruire tyrannis,
Quæ mala nos per nostra quidem peccata meremur,
Dum nec abhorremus ingrati viuere Christo,
Nec culpis cessamus adhuc superaddere culpas,
Quarum nos meritum meritos amittere nuper
Reddidit Ægypti regionem cum Damieta,
Vnde modo pulsus citra mare venerat idem
Rex, imploraret vt opes à Rege Philippo.
Qui donauit ei sanctisque iuuantibus ipsum
Fratribus Hospitij Templique à nomine dictis,

Cura quibus specialis inest pro posse Sepulchrum
Viuendo sacra sub religione tueri, A
Millia marcharum quinquagesies triplicata,
Dispensanda Cruci famulantibus atque Sepulchro.
Vnde fide certa fas est præsumere nobis,
Quòd famulis immensa suis miseratio Christi
Sanctam restituet terram mediante Philippi
Et merito & censu, nec ad hoc mora longa futura est.
Nec minus Archipater Remorum cum Senonensi
Galtero Guillelmus adest, qui Regis in aula
Præcipui, clarum genus alto sanguine ducunt.
Nec non Bituricus Turono cum Præsule Primas,
Et qui Rothomago Theobaldus præsidet vrbi,
Vir precibus vix flexibilis, nimiique rigoris.
Et Lugdunensis, quo Gallia tota solebat,
Vt fama est, Primate regi, causasque referre
Difficiles, vt ibi lis vltima litibus esset: B
Nec mittebatur Romam lis vlla, nisi quam
Lugdunense forum per se finire nequisset.
Cuius honoris adhuc memor est epigramma sigilli,
Quique monetatur datur ad commercia census.
Sacratique patres quos suffraganeus illis
Ordo lege dedit subici metropolitana,
Quorum prima duos tetigit quos mentio, tanta
Gratia, tantus honor insignes reddit, vt alter
Lingonica de sede sit ad Remense vocatus,
Ex inspirata regimen mereatur vt idem
Bis senis sibi subiectis gaudere cathedris.
At Galtere tibi cùm confirmata fuisset
Parisiani apicis electio, mox Senonensem
Ad cathedram raperis, vt dum te lingua malorum
Insequitur, prosit tibi nescia, * qua mediante
Pluribus vt præsis cathedra priuatus es vna.
Quique tibi fieri non erubuere rebelles,
Nunc tibi subiectos premit indignatio maior,
Afficit & grauior confusio, cùm videant te
Sic sublimatum, sic Christo actore potentem,
Illos vt maiore queas distringere freno, C
Quàm si Parisius specialis Episcopus esses.
Sed tibi non talis est vultus non eadem mens.
Non ita Parisij te, non ita tu docuisti
Parisios, non hos sacra dat tibi lectio mores,
Ore tibi docto multos celebrata per annos,
Vt mala compensare malis stimulante vel ira
Vel rancore velis. Odij meminisse benignæ
Non est mentis opus, quam miti in pectore gestas,
Quo posuit thronum tibi Philosophia perennem,
Quo perfecta viget vtriusque scientia legis,
Quam toti mundo legis ore manuque fideli.
Nec Guillelme tibi Cathalauni Præsul auaro
Copia præcipuos cornu diffudit honores.
Qui Thomæ lugenda tui post fata nepotis,
Inuida quem rapuit primæuo in flore tibi mors,
Angligenum fines aggressum cum Ludouico,
Dignus es inuentus & Episcopus & Comes esse,
Sufficienter onus dispensaturus vtrumque,
Subsit vt hæredi iusto tibi Perticus axis,
Vt cui nobilitas gemina est à sanguine Regum,

* id est, innocentia

Nobilitatis

A Nobilitatis apex gemino splendescat honore.

Quòd Papa sciuit mortem Regis per miraculum.

TEmpore magnanimi quo Regis humatio facta est,
Signina tunc Papa moram faciebat in vrbe,
Talis vbi facta est ostensio cœlitus illi.
Quidam ciuis erat in eadem nobilis vrbe,
Cui Iacobus nomen, vir honestus, & illius hospes,
Qui summi vice Pontificis peccamina punit,
Æger & extinctæ sic ductus ad vltima vitæ,
Quòd reualescendi spes nulla dabatur amicis,
Cumque oleo sancto quasi iam moriturus inunctus.
Iuxta quem Iacobi commendat epistola ritum
Stramine supposito morientum more iaceret,
Visio cœlestis confortat taliter illum.
B Visus ab ætherea Sanctus Dionysius illi
Arce venire fuit, magno splendore relucens,
Quem præcedebant induti vestibus albis
Angelici ciues, ipse autem veste rubebat.
Quem prope Rex stabat candente Philippus amictu,
Corporeo visu quem nunquam viderat ille,
Sed tamen auditu famam benè nouerat eius.
„ Tunc prior hæc Sanctus. Festina surgere, vade,
„ Dic Iacobo Papæ vice qui delicta reorum
„ Audit, & absoluit confessos ritè reatus,
„ Congrua diuersis adhibens medicamina morbis:
„ Sum hieromartyr ego Dionysius, iste Philippus
„ Francorum Rex est, luteo qui fasce solutus
„ Hunc fuit ante diem, facias absoluat vt ipsum
„ Papa, potestatis illius numine soli,
„ Quæ fuit à Christo cum claui tradita Petro.
„ Fac domino commendet eum, Missamque celebret,
„ Cuius in culpis venialibus ipse pietur.
„ Miles ad hæc; Quis ego tantæ vt mysteria possim
„ Ferre rei? qui nec de lecto surgere possum,
„ Mortis in articulo positus, nec credere Papa,
C „ Nec Iacobus volet ipse mihi, delirus habebor
„ Si præsumo viris proponere talibus ista.
„ Sanctus item: Fili cesset timor omnis, habeto
„ Firmam corde fidem stabili, sanatus ad illos
„ Ibis, & hæc inopina salus tibi lata repentè
„ Et Papam & Iacobum faciet tibi credere prorsus.
Dixit, & vt vere sciretur quod bonus esset
Spiritus, ægrotum plenè sanando probauit,
Aspergensque locum suaui perfudit odore.
Prosilit ille thoro sanus, vestigia morbi
Nulla manent, gaudet simul & miratur in omni
Parte sui nullum se iam sentire dolorem,
Fitque palam Iacobo verbum, summoque per ipsum
Pontifici, faciuntque fidem miracula verbo
Nullaque diuinis veniunt obstacula visis.
Altisiodoro Monachorum sanctus in vrbe
Conuentus sancti Germani nomen honorant,
Ecclesiam cuius ausi temerare latrones,
Vespere victorem doluit quo Flandria Regem,
Clam præsumpserunt res exportare sacratas
Deinde sacrista loci capsam stans ante beati

PHILIPPVS AVGVSTVS.

A

Præsulis, ipsius lachrymosa voce vocabat
„ Nomen, & eiulans clamabat: Cur ita seruum
„ Damnasti Germane tuum, quem criminis huius
„ Importuna reum damnabit opinio fratrum?
Quò te contuleras, vbi te diuersus habebas,
Dum tua præsumunt violare sacraria fures?
Quæ nostra in tantum potuit te offendere culpa,
Vt subterfugeres solito nos more tueri?
Protinus è sacra talis vox reddita teca,
Tunc ait: Hæc nobis cùm damna illata fuerunt,
Iuxta Cesonam, procul haud à ponte Bouino,
Cum Sanctis Francos aliis Regemque iuuabam,
Cui fuit auxilio victoria præstita nostro,
Quique ipsum per nos fecit superare tot hostes,
Iam faciet rebus vos exultare repertis.
Tot sanctos patres, tot prætextata virorum
Millia nobilium Rex procurauit adesse
Cœlestis sancti supremo Regis honori.
Ac velut Ambrosio Martini nobile funus,
Atque Seuerino patuit diuinitus olim:
Sic Regis palmam tam longè nunciat vno
Vespere Germanus, sic & Dionysius ipsi
Papæ commendat post sacrum funus eundem.
Sic voluit Sanctos testes Deus illius esse,
Sanctorum meritis quem vita nouerat æquum.
Sic certis illum signis designat amicum
Esse suum, vt liuor, atro qui felle tumescens
Pascitur in viuis, saltem post fata quiescat:
Vt nihil inueniat quod in illo mordeat vltra
Dente venenato, qui quod diuina potestas
Prædicat in toto populi clamoribus orbe,
Aut negat, aut aliqua peruertere nititur arte,
Publica quem dudum iubet obmutescere fama,
Ingeniumque fides occulta retundit amarum.

B

Conclusio Operis exhortatiua Ludouico nouo Regi.

C

HAc satis est Ludouice tenus cecinisse parentis
Me tibi gesta tui, dilucida poscimus, ecce
Ilia ducit equus crebro salientia pulsu.
Plurima sunt digesta quidem, sed plura supersunt,
Quæ tu committes aliis tractanda Poëtis,
Vberiore scient qui vena excudere versus,
Qui meliùs poterunt ac pleniùs omnia digno
Magnificare stilo sancti miracula Regis,
Signáque virtutum quibus illum cœlica virtus
Mirificat, ciuemque probat de milite factum.
Hi plectro grauiore canent exordia Regni
Clara tui, quantis iubilis & plausibus omnes
Iocundata nouum suscepit Gallia Regem
Quam celebri sumptu, quo lumine, quàm speciali
Ornata fuerint solemnizata diebus
Gaudia continuis toto celeberrima Regno.
His tu materiam præbebis carmine dignam,
Cum Baccho Rupella rubens, potuque superba
Classe frequentatur, quo nusquam crebrius alter
Aunisioque nihil Caprio debente Lyæo,
Se tibi subiciet, cùm iuris apostata nostri.

Succumbet

A Succumbet victus tibi cum Xantone Niortus,
Cùm post retrofluum pelago crescente Garunnam
In Pyrenæo figes tentoria monte,
Quo pipinite, sub nomine fixus, vtrisque
Certa sit vt Regnis distinctio Gallica, certus
Limes ab Hispanis discriminat arua colonis,
Dilatare tuos fines huc vsque teneris,
Ius patrum vt teneas nullo mediante tuorum,
Possideatque nihil in finibus aduena nostris,
Nec Regem regnare sines in pace nouellum,
Qui modo præsumit Anglorum sceptra tenere,
Quæ genitori eius subducta examine iusto
Te solum repetunt, tibi se quandoque reseruant
Vxoris pro iure tuæ tibi debita soli,
In quibus Angligenæ concors electio Cleri,
Et populi ac procerum tibi ius speciale parauit.
B Te vocat iste labor, tibi iam post Pascha paratus
Treugarum cùm finis adest, suplicamine multo
Quas iterum obtinuit à vestro patre Iohannes,
Omine tunc dextro feliciter arma capescens,
Auspitiis genitoris iens, ius incipe Regni
Integrare tui, & Regnum superaddere Regno,
Prima Thoarcenis indicens prælia muris,
Vt tibi Burdegalam leuior via fiat ad vrbem,
Quam tu Marcheio Comiti dabis, ille fidelis
Cùm tuus existet, atque illam debeat eius
Vxori propter nuptum donatio facta,
Quando fuit Regi dudum sponsata Iohanni.
Cúmque tibi fuerit Aquitania subdita tota,
Cùm nihil in Regno possederit aduena nostro,
Victrices alas Tholosanas transfer in oras,
Facque vt vera fides in partibus audeat illis
Ostentare caput, ritusque abolere prophanos,
Hæresis vt toto Regno procul exulet omnis.
Nec tibi des requiem, donec puer Anglicus armis
Victa, quibus nil iuris habet, tibi sceptra resignet,
Solus vt in Regnis habeas regnare duobus,
C Eradicato de nostris funditus hortis
Serpentis niuei toto cum stirpe veneno,
Vt Britonis tibi promittunt præsagia vatis.
Hic honor, hæc virtus, ista excellentia, cuncta
Hæc certa tibi dona fide promissa fuerunt.
Hæc Deus Helisabeth signo patefecit aperto,
Cùm sacrum portaret adhuc te pondus in aluo,
Quæ Carnotensi Dominæ dum supplicat, & te
Eius in Ecclesia precibus commendat eidem,
Sensit vbi primum sancto te ventre moueri,
Cœlitus accensas in eadem quatuor hora
Ignis corripuit nullo accendente lucernas
Ipsius ante oculos populique astantis ad aram,
Luxque satisfaciens Reginæ cœlica voto,
Et quanti ipsa esset meriti monstrauit apertè,
Et prouenturos tibi præcurrebat honores.
Sors etenim cœlestis ad hoc iam te illa ligabat,
Vt quæ bella pater inconsummata reliquit,
Consummanda tuis sint omnia protinus armis,
Finalémque dabunt super his tibi fata triumphum.
Tu tantum virtute velis & viribus vti.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

O mihi tunc, ô si maneat pars vltima vitæ
Spiritus exactæ, tua coner vt acta referre
Dignâ quibus studeat Sophocles vel Ibera poësis?
O si Galterus illo vel Egidius esset
Tempore, quàm claro niteant tua bella coturno?
Totus Alexander, & qui processit ab illo
Antiochus, bis sexque Duces plebs esse dolebunt,
Respectus splendore tui succumbet, & ipsa
De te composito mordax girapigra libello
Horum si similem mereatur habere Poëtam.

Karloto Thesaurario Turonensi, Philippi Regis filio.

AT tu, cuius amor omni mihi crescit in hora,
Vt libro sine laude tua supponere finem
Arbitror esse nephas, animi qui nobilitate
Argumenta refers generis clarique parentis,
Te liquido vt liqueat genitum genitore Philippo,
Qui carie lotus omni carismate carus,
Karlotus verum meruisti agnomen habere,
Qui proprium vero decorans agnomine nomen,
Moribus exponis & vita nomen vtrumque.
Dogmata quem docui primum puerilia, cuius
Tam dociles habilis fœcundat gratia sensus,
Vt mihi iam dignus habearis doctor haberi,
Quintus adhuc decimus tibi vix licet annus agatur.
Ad te currenti tibi se per vota liganti
Porrige Petre manum, vultuque recollige Librum
Propicio, dignumque legi fac protinus ipsum,
Natura studioque datæ tibi vi rationis,
Dux & corrector fieri digneris eidem
Quæ desunt supplens, resecare superflua callens.
Hic patris fratrisque tui præconia Regum
Excolit, hic stirpem Pipini & Francigenarum
Laudibus exequitur, primaque ab origine gentis
Successiua sequens generatim nomina primo
Carmen in octaui Ludouici terminat anno.

WILLELMVS BRITO ARMORICVS AD PHILIPPVM AVGVSTVM FRANCORVM REGEM.

Quæ sequuntur sunt ex Cod. D. Petauij.

NE metamorphosin numeris æquare puteris,
Sub numero numeros pone PHILIPPE tuos.
Bis sex milleni sunt illi in Codice versus,
Mille mihi nouies quindeciésque decem.
Vtque nihil numero superet vel desit vtrique,
Ter quinos illi subtrahe, quinque mihi.
Nam qui prælibant Librorum teumata versus
Nolo quidem numeris connumerare meis.
Vt sciat Lector quantum sit temporis actum
Descriptum meus hic erigit auctor opus.
Annis scripta fui tribus, emendata duobus,
Menda nec emendas paruit omnis adhuc.
Nam labor hic maior quàm scribere. neque vetabat
Et res & nouitas ipsa latere diu.
Insuper & spacium spacio Karlotis eodem
Est furata mihi quo fabricata fuit.

In

A In qua procedens humili per leuia passu,
Prætentauit equos nostra camœna suos.
Quam si fastidit extranea natio, mecum
Francigenum nobis sit satis ore legi

EPITAPHIVM PHILIPPI AVGVSTI FRANCORVM REGIS.

IN crucis hoc signo PHILIPPVS Rex ego signo,
Qui me confixi mundo clauis Crucifixi.
Cúmque meum nomen in amoris consonet omen,
Facto seruaui quod nomine significaui:
Hinc de mercede cœli securus in æde,
Quomodo Rege regi gaudebam, seruio Regi;
Francorumque tribus domitis per bella Tyrannis,
Quadraginta tribus rexi feliciter annis
B Bis sexcenteno bis deno cum tribus anno,
Postquam Iusticiæ solem tulit aula Mariæ
Sub caneri sidus data Iulij cum preit Idus,
A mundi regno translatus in æthera, regno
Cum verè viuis, factus de milite ciuis.
Post breuis hic æui requiem breuiter requieui,
Fitque loco celebris cum signis gloria crebris.

GESTA ALIA PHILIPPI AVGVSTI FRANCORVM REGIS.

Ex codice MS. viri clarissimi Alexandri Petauij Senatoris Parisiensis.

PHILIPPVS iste secundus LVDOVICO VII. patri suo successit in Regno Francorum; quantæ autem iste PHILIPPVS fuerit præstantiæ, quantum Regnum Francorum dilatauerit, qualiter muros vrbium & castrorum obrutos per totum Regnum erexerit, & turribus mirificis ornauerit, qualiter vrbis parisiacæ vicos & aliarum vrbium plateas castrorumque & villarum lapidibus sterni fecerit qualiterve Reges Anglorum qui semper contra Reges Francorum rebellabant, prouidentia sua à Regno suo eliminauerit, vrbibus, oppidis, villis, partim prouidentia, partim viribus ab eis substractis lippis & tonsoribus, senibus & iuuenibus est apertum. Tamen C quia res gestæ à memoria cito decidunt nisi scripto innouatæ aliqualiter reuiuiscant, pauca de multis huius PHILIPPI gesta in medium proferamus: De isto namque PHILIPPO Rege antequam nasceretur vidit pater suus talem visionem. Videbatur sibi, quod filius suus PHILIPPVS calicem aureum humano sanguine plenum teneret in manu sua, de quo propinabat omnibus principibus suis, & bibebant omnes in eo.

ISTE PHILIPPVS anno ætatis suæ quintodecimo viuente & iubente patre qui paralisi laborabat vnctus Remis in festo omnium sanctorum est in Regem Francorum. Hic Ducatum Normanniæ acquisiuit, Comitatumque Viromendesium, Pictauorum, Andegauensium, Turonensium, Cenomanensium, Clarimontis, sic etiam Bellimontis, hic etiam in patroni Regni Francorum Dionysij vt eiusdem gesta Regis luculenter ostendunt, semper & præcipuè post Deum sperans precibus & confidens omnes suos aduersarios viriliter subiugauit, Ferrandum etiam Flandriæ Comitem & ingratissimum Reginaldum Comitem Boloniæ sibi aduersantes in bello captos perpetuo incarcerauit, iste Philippus contra omnium opinionem & suum Edictum, iudæos quos eiecerat Parisius reuocauit; hic in Terram Sanctam pro eiusdem Terræ Sanctæ liberatione peregrinauit, cum multis Baronibus & Prælatis.

Huius Philippi temporibus quamplurimum florebat Parisius studium litterarum, nec legimus tantam aliquando fuisse in aliqua mundi parte scolarium frequentiam, quanta prædictum locum studendi gratia incolebat, quod non solum fiebat propter loci illius amœnitatem & bonorum omnium superabundantem affluentiam, sed &

PHILIPPVS AVGVSTVS. propter libertatem specialem & prerogatiuam defensionis quam idem Philippus Rex & antè ipsum pater eius scolaribus impendebant, quippe cum in litterarum notitia Regnorum & Regum gloriam non mediocriter consistere superius sit expressum. A

Huius autem Philippi prima vxor Ysabellis filia Balduini Comitis Hanoniæ quæ in Ecclesia beati Dionysij sibi est nuptialiter coniuncta, & regali diademate coronata, vbi etiam simul Rex ibidem Philippus secundo sibi regale diadema imposuit quo antè Remis fuerat coronatus, de hac suscepit Ludouicum octauum patrem sancti Ludouici Regis, Ysabelle verò Regina mortua, & in Ecclesia beatæ Mariæ Parisius sepulta, Rex Philippus aliam duxit vxorem nomine Ingeburgem FRANNICI Regis Danorum sororem quam posteà per nequam consilium dimisit, & aliam superduxit nomine Mariam filiam Ducis Boëmiæ quam contra Deum quinque annis tenuit, de qua duos pueros suscepit quos posteà Innocentius tertius legitimauit, scilicet Philippum Comitem Boloniæ & Clarimontis qui in Ecclesia beati Dionysij requiescit, & Mariam vxorem Ducis de Louem: hâc autem Maria post quinque annos dimissa primam scilicet Ingeburgem in gratiam recepit nuptialem.

Notandum verò quod prædicta Ysabellis de genere Karoli descendit, siquidem Karolus Dux Lotharingiæ de quo suprà diximus; frater scilicet Ludouici quarti sine herede defuncti quatuor pueros genuit, Karolum, Ludouicum, Ingeburgem, & Emeniardem, Emeniardis nupta fuit Alberto Comiti Namursiæ, de cuius progenie processit Balduinus Comes Hanouiæ cuis fuit filia ista Ysabellis vxor istius Philippi de qua genuit Ludouicum octauum patrem Ludouici sancti vt dictum est; dicunt igitur Karoli, progeniem Karoli recuperatam fuisse per istam Ysabellem & per descendentes ab ea quam quidem progeniem Karoli magni dicunt in Hugone Capucio defecisse. Verum licet ista Ysabellis de genere Karoli magni descendit, non oportet tamen per eam dicere progeniem Karoli recuperatam fuisse, quia Karoli magni progeniem supra diximus in Hugone Capet minimè defecisse, nam eum ibidem de eadem stirpe sufficienter probauimus descendisse. B

Quomodo huius tempore eleuatis sanctorum martyrum Scriniis apertoque sanctissimi Dionysij Scrinio, inuentum est ibidem eiusdem Caput pretiosum & de deprehensione erroris Parisiensium circa istud. PRÆFATO igitur Christianissimo Rege Philippo regnante, & in Terra Sancta pro Christi nomine peregrinante, Regni scilicet eius anno vndecimo, octauo Kalendas Septembris sanctissima beatissimorum martyrum Dionysij, Rustici & Eleutherij corpora cum purissimis vasis argenteis, in quibus diligentissimè sigillata continebantur, vt moris est cum Reges Francorum solent ad bella procedere, sunt extracta & super altare posita adiunctis ibi aliis corporibus sanctorum in eadem Ecclesia quiescentium, vt ibi omnes fideles ad tam sanctum spectaculum conuenientes cum gemitibus & suspiriis pro Terra Sancta liberanda, & etiam pro Rege Francorum præfato in eadem Terra Sancta tunc vt diximus peregrinante, & vniuerso comitatu suo puras manus cum Moyse leuantes ad Dominum preces funderent, quia non in armorum potentia, sed in Christi virtute & misericordia Christiani confidunt, nec in se, sed in Deo qui ita in paucis superat, vt in multis virtutem faciunt superantes, populos infideles inimicos crucis Christi ad nihilum redigentes. Sequenti verò beati Dionysij festo aperto vase argenteo, in quo sanctum corpus beatissimi Dionysij martyris continebatur, assistentibus Episcopis Siluanectensi & Meldensi & Ala Francorum Regina & multis Abbatibus & viris religiosis totum corpus cum capite exceptis sacris ossibus, de quibus suprà diximus est inuentum, & vniuersis Dei fidelibus qui de longinquis partibus orandi causa conuenerant, deuotissimè demonstratum. C

Est autem Parisiensium error intolerabilis salua ipsorum, iuxta quod decet, reuerentia, quod istius sanctissimi Dionysij caput, quod alias vt superiùs dictum est, & ostensum in præfato suo scrinio, præsentibus multis dignitatis magnæ personis cum suo sacro corpore est inuentum apud nos habeatur, cum tamen ex eiusdem sancti passione luculenter appareat caput, proprium post decollationem ad vicum qui olim catulliacus nunc verò sanctus Dionysius dicitur, angelico ductus regimine detulisse, nullumque rationabilem vel legitimum allegare possint titulum, quo dici possit quod idem sanctum caput iterum Parisius sit translatum, etiamque de quibusdam ossibus sancti Dionysij alibi, vt superius dictum est, translatis benè scriptum legimus; de hac autem mendosa capitis apud ipsos translatione nihil scriptum penitus inuenimus, præsertim cum & ipsi Parisienses non decollati hominis caput, sed Cæsariei testam cuiusdam

A cuiusdam hominis decapitati illam posteriorem tantum partem populis confluentibus ostendant; in hac certè factis & verbis & picturis obuiantes eis, qui de sancti Dionysij passione non solum ipsi, sed & vniuersæ Gallicanæ legunt & cantant Ecclesiæ, scilicet eiusdem sanctum martyrem non decapitatum ipsum, quin potius decollatum, siquidem in eiusdem sancti Dionysij, sociorumque eius Rustici & Eleutherij passione continetur, quod post nimia tormenta ad decollationem sunt flectere genua iussi, & iterum vno eodem momento hebetatis securibus secundum principis præceptum decollati sunt. quomodo autem quis decollatus dicitur nisi caput à corpore per collum penitus abscidatur, sed hæc inferius enarranda cuiusdam infirmantis & per sanctum Dionysium sanati visio manifestat.

Cesset igitur iam error præfatus ad cuius etiam remotionem præfatis sanctorum martyrum corporibus, cum suis scriniis vnde extracta fuerant, reuerenter repositis, retentum est sanctissimi Dionysij sanctissimum caput ac pro excitanda deuotione fidelium per vnum annum omnibus peregrinis venientibus est ostensum, decenterque postea in vase argenteo collocatum, quod postmodum venerabilis Matheus eiusdem Monasterij Abbas in alio vase aureo pretiosis lapidibus & mirabili opere decorato, B transferri per manus Reuerendi in Christo patris Symonis sanctæ Ceciliæ tunc Presbyteri Cardinalis, qui posteà Papa quartus appellatus est præsente Rege Franciæ Philippo filio sanctissimi Regis Ludouici sicut ad dictum cœnobium accedentes nunc aspiciunt vniuersi.

Verum hoc quod superius & nunc de præfati & pretiosi corporis beati Dionysij de suo scrinio facta ex speciali causa ostentione trahi ad consequentiam non oportet, cum Innocentius Papa tertius decreto statuerit quod antiquæ reliquiæ extrà capsas nullatenus ostendantur.

De quibusdam miraculis circa ista tempora per sanctum Dionysium factis. PRÆFATI Regis etiam Regni Philippi anno tertiodecimo in festo sacratissimorum martyrum Dionysij Rustici, & Eleutherij, quidam puerulus subitò mortuus à parentibus suis ad Ecclesiam sanctissimi Dionysij deuotissimè deportatus est, quem super altare autem corpora sanctorum ponentes & cum lachrimis & suspiriis *sancti Dionysi adiuua nos* clamantes meritis sanctorum martyrum & intercessionibus à Domino ressuscitatum coram vniuerso populo receperunt.

Eodem anno quidam arrepticius in eadem Ecclesia miraculosè per eorumdem sanctorum merita est curatus.

Eodem anno quidam homo Virsionensis per preces beati Dionysij apud Rhotomagum est de carcere liberatus.

De multis pretiosis reliquiis, quas præfatus Rex Philippus Monasterio beati Dionysij dedit. ANNO etiam Regni eiusdem illustrissimi Regis Philippi decimo quarto, in pignus C caritatis & dilectionis, quas erga sanctum Regni patronum Dionysium puro corde & conscientia non ficta erat astrictus, idem Rex Ecclesiæ eiusdem beati Dionysij contulit pretiosissimas reliquias, quas Balduinus Imperator Constantinopolitanus de sancta capella Imperatorum, quam os Leonis vocant cum timore & reuerentia præmissis ieiuniis & orationibus acceperat, videlicet de sanctissima cruce in qua saluator mundi pependit ad quantitatem vnius pedis in longum, in grossum vero quantum aliquis indice iuncto cum pollice claudere manu potest: De capillis etiam Domini nostri Iesu Christi pueri, de spinea corona Domini spinam vnam, costam vnam sancti Philippi Apostoli cum vno dente ipsius, de panno lineo albo in quo fuit saluator mundi in præsepio inuolutus. De ipsius etiam purpureo indumento, quas prædictas reliquias Christianissimus Rex Francorum Philippus Henrico Abbati beati Dionysij Parisius propria manu tradidit, quas prædictus Abbas cum pleno gaudio lachrymarum suscipiens regali munificentia exhilaratus psalmos cum cæteris orationibus psallendo vsque ad indictum venit, vbi processio Monachorum beati Dionysij cum albis & capis sericeis, nudis pedibus, cum vniuerso Clero, & populo obuiam eis occurrit, & data in eodem loco benedictione vniuerso populo circunstanti cum hymnis & laudibus pulsatis campanis vniuersis, in sanctissimi Dionysij Ecclesia in vasis auro puro tectis & pretiosis lapidibus reconduntur. per omnia benedictus Deus.

Quomodo Innocentius Papa tertius istis temporibus corpus sancti Dionysij Corinthiorum Episcopi Ecclesiæ sancti Dionysij Dedit. SED Regni præfati Christianissimi Regis Philippi anno trigesimo primo Innocentius Papa conuocatis Regibus & principibus prælatis

PHILIPPVS AVGVSTVS. & Pastoribus vrbe consilium celebrauit, vir autem venerabilis Abbas monasterij sancti Ariopagitæ Dionysij Henricus nomine, cum cæteris interesse non potuit quia prouectæ ætatis imbecillitas non permisit. Misit itaque virum religiosum & honestum Henricum eiusdem Ecclesiæ Priorem cum aliis personis, qui pro se & sua Ecclesia prout oportunius possent domini Papæ præsentiæ præsentarent soluto autem Concilio Dominus Papa in signum dilectionis quam erga cœnobium beati Dionysij habebat, & semper habuerat, præfato Priori missisque cum eo thesaurum impreciabilem, videlicet corpus sanctissimi Dionysij Corinthiorum quondam Episcopi quod bonæ memoriæ Petrus tunc sancti Marcelli præsbyter Cardinalis quondam sedis Apostolicæ gatus de Græcia tulit in vrbem, dedit vt illud secum cum honore debito in Franciam transferrent, & ex parte sua Ecclesiæ beati Dionysij præsentarent, omnibusque qui ad has sacras reliquias venerandas in præfata Ecclesia conuenirent, quadraginta dies de iniunctis sibi pœnitentiis authoritate Apostolica relaxauit: tradidit illis præterea super his, suæ largitionis testimoniales litteras sigillo sanctæ sedis Apostolicæ roboratas. præfatus vero Prior & sui cum gratiarum actionibus tam nobile, tam sanctum, tam denique venerandum suscipientes dispositum, gratuita summi Pontificis exhilarati munificentia, quam citius potuerunt propiciante deo cum sancto corpore in Franciam remearunt, quibus ad villam beati Dionysij accedentibus occurrit venerabilis Abbas & Conuentus cum processione solemni & albis & capis cericis induti cereis accensis, pulsatis Campanis vniuerso Clero & populo comitantibus, sicque cum hymnis & laudibus in beati Dionysij Areopagitæ Ecclesiam sanctissimi Dionysij confessoris Corinthiorum corpus sanctissimum introducitur, & vsque hodie ibidem cum honore Deo gratias custoditur.

Generalis sermo de gestis Philippi Augusti Regis & de eius deuotione præcipuè ad sanctum Dionysium, & de obitu eius, & de quibusdam miraculis ad eiusdem Philippi tumulum factis, & de signo circà eum per sanctum Dionysium facto.

Christianissimus itaque Rex Philippus strenuè Regnum rexit, multipliciter augmentauit, ornandæ æquitati & iustitiæ cura in omnes intendit summoperè custodiens veritatem, faciens iudicium passis iniuriam, pauperes fouens, misericors erga eos existens, vt posset dicere cum psalmista *misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*, sed & Ecclesias fortitudine brachij sui defendit, munificentiis ditauit, vt munificentiam & magnificentiam Regalem decebat, multa munera eis impertiens, præcipuè verò Ecclesiæ patroni sui Dionysij, cui amore feruentiori semper erat astrictus, multos honores, multa beneficia impendit, & vt de multis taceamus in morte eidem legauit sua exennia pretiosa videlicet duodecim millia librarum Parisiensium quæ habuit idem Monasterium, de quibus empti sunt redditus ad procurandos viginti Monachos vltrà numerum qui tunc erat.

Regnauit autẽ idem Rex Philippus Augustus annis quadraginta quinque & in Domino moriens, in prædilecta sibi sancti Dionysij Ecclesia honorificè est sepultus. Post cuius funerationem multi viderunt ad sepulturam eius claudos erigi, & cæcos ad lumen redire. Tale quoque miraculum contigisse de eo apud Senensem Ciuitatem Italiæ testificati sunt Domini Cardinales Iacobus & Romanus.

Quidam miles Senensis Iacobus nomine adeò infirmabatur in Ciuitate eadem quod desperaretur de eo ad extrema deducto, qui cum vltimum traheret spiritum exalaturus iam illum de domo sua deductus est in spiritu in plateam, vbi vidit infinitos transeuntes in equis & vltimo quendam barbatum longa facie aliquantulum rubea, capa indutum, & iuxta eum quemdam militem habentem tunicam albam, & pallium album ante pectus firmatum, dixitque sanctus infirmo. quis est hospes tuus? respondit infirmus magister Thomas Presbyter Cardinalis sanctæ Sabinæ; & sanctus; dic ei inquit vt summo manè surgat & eat ad Papam pro anima absoluenda ab eo Philippi Regis Franciæ, cui dixit infirmus quis es Domine? Respondit, ego sum Dionysius martyr, & iste stans iuxta me est ipse Philippus Rex Franciæ, & ægrotans, ad quem locum ducis eum Domine, & sanctus, ad vallem Iosaphath, & ægrotus, Domine, Cardinales & Papa super hiis mihi non credent, cui sanctus, hoc erit signum, anima tua à corpore tuo separari debebat hac nocte. & ecce sanus est factus. Cras cum Cardinali ad Papam accedit manumque ponens super caput infirmantis illum reportauit in domum, deinde cum Rege discessit & aliis in crastino comitatus Dominum Cardinalem ad Papam accessit fretus sospitate omnimoda, eique visa & iniuncta narrauit. quibus auditis

A auditis dominus Papa signo recognito & per Cardinalem prælato, elemosinas pro anima Regis fecit & statuit vt per totam Ciuitatem vigiliæ celebrarentur, & missæ & ipse cum magna reuerentia & deuotione, absolue quæsumus Domine, & cætera ad absolutionem pertinentia, decantauit.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

TESTAMENTVM PHILIPPI AVGVSTI FRANCORVM REGIS.

Ex veteri codice MS. nunc primum in Lucem editum.

IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Amen. PHILIPPVS Dei gratia Francorum Rex. Omnibus præsentibus & futuris salutem. Noueritis quod Nos anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo secūdo, mense Septembri, de rebus nostris, si aliquid humanitus nobis contigerit in hac præsenti ægritudine ordinauimus in hunc modum. In primis volumus & concedimus quod exequutores Testamenti nostri sine cuiusuis hæreditate percipiant de rebus nostris, & habeant quinquaginta millia librarum Parisiensium ad restituendum, secundum Discretionem sibi à Deo datam, à
B quibus Nos cognouerint aliquid iniuste percepisse, vel extorcisse, vel detinuisse, & hoc firmiter precipimus; vel viginti quinque millia marcas argenti, quadraginta solidos Parisienses pro marca. ITEM donamus benemeritæ vxori nostræ YSEMBOR * Reginæ Francorum decem millia librarum Parisiensium, quamuis ampliora eidem Reginæ possemus dare, sed nos ita taxauimus, vt ea quæ iniustè recepimus possemus, plenius emendare. ITEM legamus & donamus benemerito filio nostro LVDOVICO primogenito nostro ad defensionem Regni Franciæ........................ dos Parisienses pro marca, ita tamen quod nobis iuret, quod in deffensionem Regni, prædictam pecuniam expendet, vel in peregrinatos aliqua, si Deus ei inspiraret, quod eam faceret, si istud iuramentum sanè potest facere. ITEM donamus & legamus Abbatiæ, quam iussimus ædificari iuxta pontem de Charenton pro salute animæ nostræ, & poni ibidem viginti Sacerdotes de ordine Sancti Victoris, qui singulis diebus celebrent diuina pro salute animæ nostræ, ducentas & quadraginta libras Parisienses, in præpositura nostra Parisiēsi singulis annis percipiēdas in perpetuū, ad nuncios præpositurarum nostrarum, & duo millia librorum Parisiensium ad faciendū ibidem ædificia & Capellam. ITEM donamus & legamus Regi Hyerosolimitano, tria millia marchas argenti, & duo millia marcas argenti Domino Hospitalitij Tholosani, & totidē marcas argenti Tēplariis trāsmarinis, quas volumus quod Hyerosolimitano habeāt in presenti passagio marium ITEM donamus & legamus eisdem, videlicet Regi & Hospitalariis, & Tēplariis ad succursum terræ sanctæ transmarinæ centū & quinquaginta millia marcarum Argenti & quingentas marcas argenti; ita tamen quod Rex transmarinus, & Do-
C minus Hospitalitij & Templi teneant trecentos milites præter conuentus earumdem Domorū per tres annos, postquam treuga rupta fuerit inter ipsos & Saracenos scilicet de prædicta pecunia tenebit Rex Trāsmarinus centū milites, & Dominus Hospitalitij centum, & Dominus Templi totidem in diuersis territoriis. ITEM donamus & legamus pauperibus & Orphanis, & viduis, & leprosis XXI. millia librarum Parisiensium distribuenda per manus Testamentariorum nostrorum. ITEM donamus & legamus filio nostro PHILIPPO decem millia librarum Parisiensium. ITEM donamus & legamus seruientibus nostris duo millia librarum Parisientium. ITEM donamus & legamus, Abbatiæ Sancti Dionysij, in qua sepulturam elegimus, omnia Ludicra nostra cum lapidibus pretiosis & cruces aureas, & omnes lapides pretiosos, ita tamen quod pro salute animæ nostræ singulis diebus viginti Monachi præsbyteri celebrent diuina, & super hoc faciendo habeant hæredes nostri cartam Abbatis Capitulum in perpetuum faciendo. Hoc autem Testamentum & Legatum eo modo, quo præscriptum est, ordinauimus retinentes nobis plenariam potestatem addendi Legato vel detrahendi, vel mutandi circa idem Legatum, vel defaciendi secundum voluntatem nostram, & quotiescumque voluerimus. Huius autem Testamenti exequutores constituimus dilectos & fideles nostros GARINVM Syluanectensem Episcopum, & BARTHOLOMÆVM de Roia Franciæ Camerarium & fratrem HAYMARDVM thesaurarium Templi. Actum anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo secundo, mense Septembri, apud sanctum Germanum de Laiā. ITEM donamus & legamus Domui Dei Parisiensi singulis

* Isiburgi

PHILIPPVS AVGVSTVS. diebus viginti solidos Parisienses ad reficiendos pauperes ibidem percipiendos in præpositura Parisiensi in perpetuum. Quod vt perpetuum Robur obtineant prædicta, Sigilli nostri appensione confirmamus. A

EPITAPHIVM INGEBVRGIS SEV ISENBVRGIS REGINÆ FRANCORVM.

Quod est in Ecclesia S. Ioannis Corboliensis.

Hic jacet ISBVRGIS Regum generosa propago:
Regia quòd Regis fuit vxor signat imago.
Flore nitens morum vixit, patre Rege Dacorum,
Inclyta Francorum Regis adepta thorum.
Nobilis huius erat, quod in ortis sanguine claro
Inuenies raro, mens pia, casta caro.
Annus millenus aderat, deciésque vicenus,
Ter duo, térque decens, cùm subit ipsa necem. B

EPITAPHIVM PETRI CARLOTI EPISCOPI NOVIOMENSIS, PHILIPPI AVGVSTI FILII.

Quod in Ecclesia B. Mariæ Nouiomensis illi positum est.

NOVIOMI Præsul PETRVS iacet hîc tumulatus,
Quondam Francorum PHILIPPO Rege creatus:
Castus, formosus, iustus, mitis, generosus.
Transmare deuotè fuit hic cum Rege nepote,
Luce tua remeans Dionysi transiit anno
Bis sexcento quinquageno minus vno.
Qui legis exteriùs, intrinsecus aspice, plora.
Seriùs, aut citiùs veniet tibi funeris hora.

NOMINA MILITVM FRANCIÆ FERENTIVM Bannerias, tempore Philippi AVGVSTI Regis. C

HI SVNT MILITES NORMANIÆ ferentes Bannerias.

CONSTABVLARIVS Normanniæ.
Thomas de Homet.
Ingerrannus de Homet.
Radulfus Texon.
Fulco Peganellus
Ioannes Paganellus.
Guillelmus Bacon,
Rob. de Gurius.
Ph. de Vaacé,
Rob. filius Erneis.
Rob. Marmion.
Robertus de Corciaco.
Guill. de Reuiers.
Henricus de Bello-fago.
Ioannes de Bruecourt.
Fulco de Alneto.
Henricus de Ferreriis.
Gisslebertus de Aquila.
Guillelmus de Planes.
Rob. de Thebouill.
Ric. de Harecourt.
Dominus Nouiburgi.
Ioannes de Tornebu.
Galterus Pipardus,
Rob, Bertranni.
Dominus S. Celerini.
Ioannes de Pratellis.
Guillelmus de Pratellis.
Guillelmus de Mortuomari.
Cambellanus Tancaruillæ.
Heres Guillelmi Martelli.
Ioannes de Roboreio.
Obertus de Roureio.
Henricus de Estouilla.
Thomas de Pauellli.

Rich.

A Rich. de Willequier.
Ren. de Bosco.
Galfridus de Bosco.
Gilo de Hodenc.
Stephanus de Longocampo.
Robertus de Oisneual.
Petrus de Hotot.
Nicolaus de Montegni.
Ingerrannus de Montegni.
Simon de Beaussart.
Hæres de Gaci.
Hugo de Colunces.
Guillelmus Crispini.
Roger. Vicecomes.
Robertus le Borne.
Robertus de Iuriaco.
B Robertus Maleᴄt.
Dominus Croliaci.
Petrus Maleuicinus.
Castellanus de Gallione.
Comes de Alençon.
Dominus de Carroges.
Ioannes de Tilli.
Guillelmus de Semilli.
Rolandus Tauenel.
Rich. de Argentijs.

MILITES BRITANNIÆ.

ALanus filius Comitis.
Guihomar de Leonio.
Herueus de Leon.
Comes Guido de Toarcio.
Paganus de Malostricto.
Eudo filius Comitis.
Ioscelinus de Rohan.
Radulfus de Monteforti.
Guillelmus de Monteforti.
C Petrus de Loheiac.
Roaldus Vicecomes.
Guillelmus de Guirchia.
Herardus de Braim.
Berar. de Baim.
Andreas de Vitreio.
Galfredus de Filgeriis.
Guillelmus de Filgeriis.
Galfr. Giron.
Alanus de Castro-giron.
Guillelmus de Albigñ.
Iuhellus de Meduana.
Oliuerius de Dinan.
Ioannes de Dolios.
Galfredus Spina.
Oliuerius de Tinteniaco.
Herueus de Bellomortario.
Galfredus de Castro Briencij.
Galfredus de Ancenis.
Guillelmus de Cliçon senex.
Guillelmus de Cliçon iuuenis.
Guillelmus Richardus de Reuz.
Guillelmus de Boca. de Veuz.
Guillelmus de Plesseicio.
Bern. de Machequoleu.
Haculfus de Radiis.
Oliuerus de Roca.
Eudo de Ponte.
Rollandus de Reux.
Galfredus de Hiheric.
Alemannus de Albigñ.

MILITES PERTICI.

GVillelmus de Longo-radio.
Guillelmus de Locray.
Guido de Montedulceto.
Guillelmus de Follet.
Fulcherius Quarel.
Guillelmus de Feritate.
Hæres W. de Veteri-ponte.
Geruasius de Castello.
Hugo de Castello.

MILITES ANDEGAV.

SEnesc. Andegau.
Gaufredus de Rupibus.
Balduinus de Rupe.
Amalricus de Credone.
Guido Turpin.
Vicecomes sanctæ Susannæ.
Bernardus de Feritate.
Fulco Ribole.
Comes Vindocin.
Guido de Laual.
Paganus de Veges.
Dominus Castri-gonterij.
Alardus de Castrog.
Dominus de Montoire.
Guillelmus de Silliaco.
Lisiardus Heremita.
Eudo de Cortenerru.
Fulco de Roy.
Henricus de Musterol.
Giraudus Bellaij.
Dominus de Doé.
Dominus de Passauant.
Gaufredus de Losduno.
Theobaldus de Blazon.
Petrus de Brisaio.
Geruasius de Prill.
Hugo de Campocheurier.
Ioannes de Brueria.
Gaufredus de Vindocino.
Oliuerius de Doon.
Haimericus de la Faille.
Haimericus de Auerio.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Galfredus de Paluel.
Galfredus de la Gresille.
Renaudus de Insula.
Retroldus de Monteforti.

MILITES TVRONIÆ.

Dominus Ambaz.
Dominus Montisbasonis.
Guillelmus de Pressigniaco.
Barth. Bagani.
Barth. de Insula.
Haimericus filius Iuonis.
Hugo de Baucaio.
Iellanus de Bloz.
Neuellon de Fracta-valle.
Ioannes de Aleia.
Robertus de Perronaio.
Dominus de Monteforel.
Dominus de Rupe Corbon.
Dominus Haiæ.
Guido Senebaldus.
Garnerius de Donionio.
Gaudinus de Ramefort.
Hugo de Fontenellis.
Vicecomes Brociæ.
Dominus Cluiæ.
Rogerus Paletel.
Heres de Caluigniaco.
Guillelmus de Mirmande.
Dominus de Castro Meliand.
Guillelmus de Montlion.
Guillelmus Torpini.
Dominus Pruliaci.
Vicecomes Castri-Airaldi.
Ren. de Perate.

Comes Augi.
Comes Marchiæ.
Galfredus de Lesignem.
Ioannes Castanearius.
Guillelmus de Malolione.
Guillelmus de Asperomonte.
Guillelmus de Soldaio.
Herber. Turpin.
Saueri de Antenoise.
Sauaricus de Altanosa.
Rogo de Coé.
Rollandus de Montereuel.
Petrus Archardi.
Galfredus de Feritate.
Thebaldus de Matefelon.
Galfredus Godeschal.
Patricius de Chaorce.
Dominus S. Michaëlis.
Hugo Ridel.
Guillelmus de Erceid.
Simon de Samau.

Guillelmus de Meriaco. A
Simon Meingot.
Radulfus de Mortuomari.
Dominus de Montemorillon.
Guillelmus de Azaio.
Dominus Lochiarum.

MILITES FLANDR.

Comes de Hollandia.
Ioannes de Nigella.
Tierricus de Beura.
Boidinus de Prato.
Castellanus de Guistele.
Galterus & Girardus de Sotenguien.
Race de Gaure.
Arnulfus de Audenarde.
Ph. de Marleguiem.
Balduinus de Commines pater. B
Gilibertus de Borgelle.
Broissardus de Burguele.
Castellanus Tornaci.
Castellanus Gandaui.
Castellanus Insulæ.
Gaulterius de Formeseles.
Gaulterius de Hundetot.
Castellanus de Furnes.
Castellanus de Bergues.
Comes Guinarum.
Castellanus de S. Audomaro.
Hæres de Wauerin.
Aduocatus Betunæ.
Dominus de Hallu.
Petrus de Bruet.
Petrus de Mesnilio.
Balduinus de Commines filius.
Castellanus de Dauci.
Daniel de Corteraio.
Præpositus de Dauci. C
Castellanus de Raisse.
Ioannes de Lens.
Henricus de Baillol.
Castellanus de Ypra.
Guillelmus de Cresec.
Raboz de Rume.
Balduinus Constabularius.
Ioannes de Selinguehen.
Barthol. d'Aubi.
Gale de Copele.
Gerardus de Rodes.
Ioannes de Cisonio.

MILITES BOLON.

Comes Bolon.
Simon de Bolon.
Guillelmus de Fienes.
Ansellus de Kahieu.
Eustach. Buticul.

Dominus

A Dominus Hugo Queret.
Guillelmus de Montcaurel.
Guillelmus Tebrone.
Dominus de Montenaio.

MILITES PONTIVI.

COmes Pontiui.
Thomas de S. Walerico.
Galterus de Feritate.
Renaudus de Ambianis.
Guillelmus de Kehu.
Hugo de Fontanis.
Hugo Boteriu.
Galterus de Halecourt.
Hugo de Balloil.
Radulfus de Arrer.
B Guillelmus de Belloramo.
Rogo de Bauchain.
Theobaldus de Ambian.
Hugo de Auxi.
Hugo Candauene.
Iohannes de Maineriis.

MILITES COMIT. S. PAVLI.

COmes S. Pauli.
Robertus Fretel.
Hugo Tacon.
Gilibertus d'Auredoing.
Balduinus de Aria.
Eustachius d'Encre.
Balduinus de Crequi.
Balduinus de Pas.

MILITES ATTREBAT.

C DOminus Lud.
Hugo de Maloalneto.
Radulfus Plonquet.
Michaël de Harmis.
Eustat. de Nouilla.
Rob. de Beloes.
Alardus de Crosilles.
Castellanus de Bellomanso.
Guido de Chaumont.
Ing. de Hefoino.
Ingerrannus de Hesdino.
Guillelmus de Attrebato.
Hæres de Carenci.
Castellanus Attrebati.
Castellanus de Lens.
Dominus de Houden.
Hugo Hauet.
Dominus Ioannes de Longueual.
Aduocatus Morinensis.
Dominus Osiaci.

MILITES VIROMANNIÆ.

RObertus de Tornella.
Radulfus de Tornella.
Albertus de Hangest.
Bernardus de Plesseio.
Hellinus de Wauerin.
Hæres Radulfi de Roia.
Radulfus de Stratis.
Dominus de Moroil.
Hugo de Boua.
Ingerrannus de Boua.
Robertus de Boua.
Gauterus de Helliaco.
Castellanus de Perona.
Hæres de Hangest.
Castellanus Nouiom.
Radulfus de Claromonte.
Radulfus de Pratellis.
Ioannes de Roia.
Gilo de Marches.
Balduinus de Bellouidere.
Bartholomeus de Roia.
Gauterius de Aueniis & frater eius.
Henricus de Chessesio.
Radulfus Flamingus.
Castellanus de Nigella.

MILITES COCIACI.

INgelrannus de Cociaco.
Thomas de Cociaco.
Robertus de Cociaco.
Castellanus Cociaci.
Radulfus de Sarto.
Alanus de Rociaco.
Clarembaldus de Montchablon.
Fulcaudus de Berziaco.
Ioannes de Montgumbert.
Herueus de Busenci.
Guido de Villariis.
Ioannes de Tor.
Radulfus de Castro.
Hæres de Petraponte.
Alberricus de Buissi.
Radulfus de Escri.
Ioannes de Colduno.
Ansoldus de Ronquerolles.
Manasserus de Melloto.
Petrus de Milliaco.
Castellanus Beluaci.
Li Tonloiers Beluaci.
Zelonearius Beluacensis.
Radulfus de Gif.
Galterus Tirel.
Hæres de Argiis.
Comes Bellimontis.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Balduinus de Remis.
Rogerus de Rosaio.
Petrus de Triecoc.
Dominus Montis acuti.

MILITES WLCASSIN.

IOhannes de Tria.
Ioannes de Gisorcio.
Ioannes de Montecheurel.
Hugo de Caluomonte.
Guido de Rupe.
Hæres Guidonis Maliuicini.
Robertus de Pinquegni.
Petrus de Dimteburgo.
Matheus de Montemorenciaco.
Buticularius Siluanect.
Hæres de Ponte sancti Maxentij.
Ph. de Nantolio.
Guillelmus de Cornillon.
Gauterus de Alneio.
Guido de Nantolio.
Guillelmus de Barris.
Ioannes de Barris.
Odo de Barris.
Petrus de Barris.
Guillelmus de Barris iuuenis.
Hugo de Marolio.
Baldoinus Bretel.
Gilo de Aciaco.
Gautenus de S. Dionysio.
Henricus de S. Dionys.
Simon de Pissiaco.
Robertus de Pissiaco.
Robertus de Pissiaco iuuenis.
Dominus de Marliaci.
Dominus Caprosæ.
Castellanus Neelfæ.

COmes Suession.
Dominus Montisfortis.
Ioannes de Botenoruiller.
Ansellus de Tornan.
Guillelmus de Garlanda.
Ioannes Beliard.
Vicecomes Meledun.
Vicecomes Corbolij.
Balduinus de Corbolio.
Milo de Corteriaco.
Ferricus de Bronaio.
Rogerus de Cauda.
Hugo de Pompona.
Guillelmus Prunelé.
Paganus de S. Yonio.
Ansellus de Botainuiller.
Ioannes de Botenuiller.
Ioannes de Aurelianis.
Vrsio Camerarius

Guido filius eius.
Thomas de Brueriis.
Comes Barri super Sequanam.
Hugo de Magduno super Ligerim.
Ioannes de Baugenciaco.

RObertus de Cortenaio.
Henricus Marescallus.
Adam de Bellomonte.
Guillelmus de Milliaco.
Galterus de Nemosio.
Galterus iuuenis.
Galcherus de Iouign.
Stephanus de Sacrocæs.
Guillelmus de Torneello
Adam filius G. iuuenis.
Ield. de Bellouillari.
Stephanus de Fenis.
Iterus de Tociaco pater.
Iterus filius eius.
Al. duo fratres eius.
Droco de Melloto pater.
Petrus de Iouigniaco.
Guillelmus Cortenaio.
Bochardus de Vendroure.

COmes P. Altisiod.
VV. de Melloto.
Dominus de Sellenaio.
Vicec. S. Florentij.
Guido de Meleigny.
Barthol. de Poleigny.
Poncius de Monte S. Ioannis.
Dominus Rubeim-montis.
Hugo de S. Mauricio.
Ioscelinus de Aualone.
Asclinus de Merni.
Dominus de Noiers.

COmes Herueus.
Hugo de Vlmo.
Odo de Castellione.
Iterus de Fresneio.
Hæres Senesc. de Pogues.
Chauderon de Feritate.
Dominus de Luzi.
Dominus de Molins.
Dominus de Pierre pertuis.
Ioannes de Monte-regali.
Libesors.
Hugo de S. Verano.
Corbel.

COmes Sacritesaris.
Dominus Montis falconis.
Archembaldus de Soliaco.
Henricus filius.
Odo de Soliaco.

Robertus

A Robertus de Bomecio.
Dominus Exolduni.
Dominus de Charrocio.
Dominus de Lineriis.
Dominus de Cullen.
Dominus de Virsonet.
Dominus de Castro Meliand.
Guillelmus de Asaio.
Dominus Magduni super Euram.
Dominus Feritatis super Euram.
Dominus Feritatis Hubert.
Dominus Charentoneij.
Dominus Craceij.
Dominus Busencij.
Petrus Gar.

B Comes Robertus Droc.
Robertus filius eius.
Petrus filius eius.
Hugo de Crux.
Guillelmus de Thienges.
Girardus de Castell.
Guillelmus de Tornella.
Petrus de Charenton.
Dominus de Rinel.
Robertus de Conde.
Simon de Broies.
Guido de Chapes.
Ogerus de S. Chirone.
Galfredus de Vienna.
Odardus de Alneto.
Dominus de Asperomonte.
Dominus Renerius de Nongent.
Hugo de Florines.
Renardus de Choisel.
Renaudus de Dampetra.
Petrus de Bolermont.
Galfridus de Duelli.
Eustathius de Coslant.
Galcherus Destrepi.
Milo de Chaumont.
Arnulfus de Ceri.
Hugo de Rinel.
Comes Rociaci.
Henricus filius Comitis de Grandiprato.
Dominus de Cherisiaco.
Clarembaldus de Cappis.
Ioannes de Basoches.

MILITES CAMPANIÆ.

GVido de Galland.
Petrus Touqui.
Matheus filius eius.
Milo de Pougi.
Odo de Touqui.
Guillelmus de Monnast.
Garnerus de Triangulo.
Hæres Trianguli.
Dominus Montis mirabilis.
Robertus de Milliaco.
C Erardus de Brena.
Erardus de Casteneto.
Simon de Gienuilla.
Simon de Castrouillani.
Ph. de Planci.
Erardus de Villi.
Ioannes de Arcies.
Vicedominus Cathal.
Galcherus de Nantol.
Guillelmus de Nantol.
Andreas de Nantol.
Comes Iouign.
Comes Brenæ.
Comes Regi stestis.
Comes Grandisprati.
Comes de Chigny.
Galcherus de Remilli.
Hæres de Remilli.
Nicolaus de Basoches.
Dominus de Guengnorou.
Dominus de la Fesche.

MILITES BVRGVND.

DVx Burgundiæ.
Poncius de Granciaco.
Bernardus de Montebarri.
Dominus de Vergi.
Dominus de Monte S. Ioannis.
Galterus de Sumbrenon.
Dominus de Sauz.
Dominus de Trichastel.
Dominus de Til.
Comitissa Cabilon.
Comes Masticon.
Comes de Forés.
Guichardus de Belloioco.
Herueus de Safra.
Dominus de Bellomonte.
Dominus de Melesiaco.
Dominus de Verdun.
Bertrannus de Sandon.
Hugo de Vergi.
Dominus de Digona.
Dalmacius de Luzi.
Guido de Seueriaco.
Hugo de Caluomonte.
Gaufredus de Lines.
Roscelinus de Mamberol.
Dominus de Netremico.
Viceduns Camten.
Dominus de Bellonido.
Dominus de Kartier.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

NOMINA PRISIONVM QVI IN BELLO BOVINENSI CAPTI ANNO MCCXIV. TRADITI SVNT PRÆPOSITIS PARISIENSIBVS.

Per manus Magistri Guarini & Iohannis Paalée.

Ex veteri registro MS.

De Communia Nouiomensi.

Philippus de Mallenguen.
Ioannes de Hodebergue.
Simon de Saffebergue.
Thomas de la Conté.
Petrus de Brulle.

Communia Montis desiderij.

Gilo de Sarto.
Girardus de Barbais.
Balduimus de Montibus.
Honoratus ne Wanuer.
Gilo de Monte Sancto Aldegundis.
Tibaldus de Tremogne.

Communia Musterolij.

Galterus de Queurein.
Renerius de Murnac.
Guillermus de Vnguebert.
Nicolaus filius Peregrini.
Ebrardus de Iske.
Seherus d'Arreteguen.
Alexander de Barsele.
Lebertus d'Escolim.

Communia Suessionensis.

Sebertus de Mernac.
Conradus Comes de Tremogne.
Renelmus de Lampernesse.
Guillelmus de Estaue.
Robertus de S. Leonardo.
Guillelmus * de Bellomonte.
Fastres de Volers.
Renerus de Waure.
Terricus de Ligue.
Herbertus de Gaie.

* al. Castellanus Bellimontis.

Iudas & Ioannes Paalée.

Hellinus de Waurin.
Arnulphus de Landast.
Galterus de Guistele.
Iacobus de Ruest.
Petrus de Mesnillo.
Hellinus de le Tor.
Girardus d'Auelin.
Galterus Descon sellierz.
Henricus de Estinkeneborc.

Communia de Brueriis.

Arnulphus de Grimberge.
Seherus de Moscre.
Philippus de Waure.
Nicolaus de Hallut.
Bernardus de Hotemare.
Girardus de Randerode.

B

Communia de Hesdin.

Garnerus de Oringues.
Henricus Iursane.
Henricus Crassus.
Vrsio de Fretin.
Hellenus de Aquis.
Remondus de Waure.

Communia Cermacensis.

Gobertus de Estroem.
Rogerus Malect.
Philippus de Tonquerneles.
Guillelmus de Auerquin.

Communia Crispiac. in Lauduum.

Balduinus de Blanderque.
Terricus de la Hemede.
Arnulfus de Baenguein.
Ioannes de Roseruetes.

C

Communia Croandelerij.

Balduinus de Prac.
Rogerus de Bosco.
Robertus de Tienlemont.
Galterus de Waquene.

Communia Vesliaci.

Fastrez de Lignes.
Seherus de Hestru.
Radulfus de Malogue.
Guillelmus d'Auelin.
Stephanus d'Essentes de familia Othomis.
Godefredus de Willa.

Communia Corbeiæ.

Eustachius de Ruest.
Laurentius de Portigal.
Terricus de Mallenguen.
Ioannes de la Comté.
Eustachius de Malte.
Godefridus de Loscart.

Henricus

A Henricus de Spina.
Girardus Flamenc.
Terricus de Osguebert.

Communia Compend.

Radulfus Bigot frater Comitis Salesbir.
Robertus d'Auetieres.
Balduinus de Bondius.
Hugo de Mallers.
Renerus de Vime.

Communia Roiæ.

Arnulfus de Creeuqui.
Gislebertus Cornutus.
B Godefridus Brisetefte.
Galterus de Lombet.
Bernardus Probus de Vet.
Balduinus de Lens.

Communia Ambianensis.

Ricardus de Colonia.
Balduinus de Super sanctum Ligerium.
Ioannes de Gogniis.
Gislebertus de la Copele.
Conradus de Corasin.
Henricus Trosse.
Hugo de sancto Oberto.
Borrellus de Flechien.
Ioannes de Biez.
Balduinus de Perenchiis.

Communia Beluacensis.

Race de Gaure.
C Otho Comes de Tinqueneborc.
Vengueuent de Gruuingue.
Hugo de Ballolio.
Girardus de Grimberges.
Manasserus de Conti.
Gilo de Gamechmes.
Henricus Ruffus.
Robertus de Marque.
Terricus Widesenole.
Terricus de Bribais.
Otho de Ostemmara.

Isti sunt prisiones qui sũt apud Cõpendiũ.

Daniel de Masquelins.
Philippus de la Gastine.
Rogerus de Hauloguen.
Guillelmus de Vze.
Gerardus li Morz.
Ioannes de Herigniis.
} Isti sex capti fuerunt apud Cortrai.

Galterus de Aine.
Guill. de Hurupe.
} Isti duo capti fuerunt apud Dentum.

Ernulphus de Gaure, captus fuit apud S. Audomerum.
Alardus de Borguella captus fuit apud insulam, & Renardus scutifer eius.
Pariden d'Esperguen. Simon de Esplichi.
Isti duo capti fuerunt in magno bello.

Isti sunt redditi, vel Hostagiati.

Thomas Malesmains. Rex dedit istum Ingerranno de Corcellis pro redemptione sua.
Ansellus de Riueria. Hic redditus fuit Herueo de Busenci per Literas Regis patentes.
Arnulfus de Escallon. Hunc hostagiauerunt Nicolaus de Ballolio, & Petrus de Ballolio, & Alardus de Croisilles & Gilo de Danbi, super omne quod habent.
Rogerus de Wassalia. Hunc habuit Rex Ribaldorum, quia dicebat se esse seruientem.
Hugo de Gastina, guem hostagiauit Ioannes de Nigella super c. march.
Ren. de Croisilles habet Guidonem de Hodenc pro c. mar. qui habet filiam Othonis de arbre
Neuelo Marescallus Galterum de Balloler.
Comes Suessionensis Arnulphum de Aldenarda super c. marc.
Ioannes de Nigella Comitem Boloniæ.
Bartholomæus de Roia Comitem Ferrandum.
Comes Drocensis Comitem Salesbir.
Ingerrannus de Coci Galterũ de Bozies.
Comes Petrus filiũ Guillelmi auunculi.
Maior de Couchi Galterum de Spoil.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

A

NOMINA MILITVM ET ARMIGERORVM QVI PRO ALIQVIBVS DICTORVM PRISIONVM se plegios aut hostagios erga Philippum Regem constituerunt.

Ex eodem Registro.

Nomina plegiorum pro Manassero de Conty.

Robertus de Tornella de ccc. l.
Castellanus Bestis de c. l.
Guido Buticularius de c. l.
Guido de Soisi de c. l.
Radulfus de Claromonte de c. l.
Odo de Chauferi de c. l.
Petrus de Miliaco de c. l.
Rogues de Tornella de c. l.

Plegij pro Guillelmo de Caieu, quòd numquam erit aduersator Domino Regi, neque Domino Ludouico.

Galterus de Feritate de ccl. l.
Radulfus de Arenis de ccl. l.

Plegij pro Iacobo de Rües.

Petrus de Lambres de c. l.
Ioannes Dauion gener.
Radulphi Plonquet. de c. l.
Radulphus Plonquet de c. l.

Plegij pro Petro de Mesnin.

Hellinus de Waurin de ccc. l.
Domina Sibylla mater eius de cc. l.
Michaël de Harmes de c. l.
Hellinus auunculus de ccc. l.
Radulfus Poclet de c. l.
Ioannes de Arcies est plegius pro Rogero de Turno quod non ibit contra dominum Regem, super omne quod tenet de dño Rege.

Plegij pro Balduino de Lens per manum Niuelonis Marescalli.

Nicolaus de Beuri miles.
Letardus miles de Anequin.

Plegij Galteri de Guistele.

Michaël Constabularius Flandriæ de c. l.
Michaël de Harnis de c. l.
Mahalmus de Metta de c. l.
Comes Guisnarum de cc. l.
Girardus la Truie de c. l.
Bordinus de Meta de c. l.
Ren. de Crosilles de c. l.
Hellinus de Wauerin nepos de c. l.

Plegij pro Balduino de P. F. Prat.

B

Nicolaus de Beuri de cc. l.
Odo de Faiello de c. l.
Odo de Ham de c. l.
Droco de Moy de c. l.
Ioannes de Couduno de c. l.
Manasserus de Melloto de c. l.
Ioannes de S. Simone de c. l.
Adam Querez de c. l.
Hallinus de Wauerin nepos de c. l.

Plegij pro Geraldo de Grimberge.

Rob. de Brena de c. l.
Thomas de Coci de c. l.
Comes S. Pauli de cc. l.
Hellinus de Wauerin Senesc. de cc. l.
Michaël de Harues de cc. l.
Michaël Constabul. Fland. de cc. l.
Hugo de Mirabilimonte de cc. l.
Elenardus de Seuinghem de cc. l.
Robertus de Dors de c. l. C
Adam Kerez de c. l.
Michaël de Metreüez de c. l.
Ioannes de Fretin de c. l.
Balduinus de Crequi de c. l.
Gocell. de Spinaio de c. l.

Plegij pro Hellino de Wauerin.

Michaël de Halmis de cccc. l.
Hugo Tacous de cc. l.
Eustachius de Nouauilla pater & filius de cccc. l.
Michaël de Bolers de cccc. l.
Renaldus de Croisiles de c. l.
Hugo de Malo-alneio de domo sua.
Hellinus de Wauerin de v^{c}. l.
Radulfus Plonquet de ccc. l.
Galterus de Sorello de ij^{c}. l.
Castellenans S. Audomari de v^{c}. l.
Castellanus de Lens de cc. l.

Castellanus

A Castellanus de Bapalmis de v^c. l.
Hugo de Miralmont de cccc. l.
Ioannes de Montemirelli de M. l.
Guido de Doumapetra de M. l.

Plegij Philippi de Gastina.

Hugo Tacous de cc. l.
Gilebertus de Aria de cc. l.
Baldoinus de Querqui de cc. l.
Domina Sebylla de Wauerin de cc. l.
Castellanus S. Audomari de cc. l.
Arnulphus de Aldenarde est plegius pro Daniele de Masquelines de M. lib. super terram suam quam tenet de Rogero de Roseyo apud Doy.

B *Plegij pro domino Eustachio de Ren de tribus milib. librarum, tali modo quod si dictus Eustachius guerrearet dominum Regem, vel dominum Ludouicum filium eius vel terram domini Regis, quandiu dominus, Rex voluerit debitam iustitiam exhibere in curia sua Comiti Fland. vel ei iustitiam facere, ipsi teneantur reddere domino Regi dictam pecuniæ summam intra XL. dies postquam ab eo fuerint submoniti.*

Hæc sunt nomina plegiorum.

Injorrannus de Coci de ccc. l.
Guillelmus Auunculi de ccc. l.
Comes Suession. de cc. l.
Colinus de Rumegni de M. l.
Injorrannus de Boua de cc. l.
Otho de Arbore de cc. l.

C *Plegij pro Roberto de Rumes.*

Michaël de Halmes de ccL. l.
Hellinus de Gauchin de ccL. l.
Dominus de Estreelle de ccL. l.
Girardus la Truie de ccL. l.

Plegij pro Galtero de Ligne.

Girardus de Marque de cc. l.
Hugo de Bestis, de L. l.
Petrus de Remi de L. l.
Iacobus de S. Audomaro, qui habet terram subtus Dominum Martinum, de cc. l.

Plegij Fastræ de Ligne.

Ioannes de Masquelines de v^c. l. super totam terram suam.

Hostagij pro Galtero de Formeseles.

Willelmus Castellanus S. Audomari.
Iacobus Frater eius.
Hellinus de Wauerin auunculus.
Hellinus nepos Senescalus Fland.
Hugo de Miraumont.
Ioannes de Duaco.
Comes de Guisnes.
Michaël de Harnes.
Adam de Wauleincourt.
Balduinus Castellanus de Lens.
Quilibet istorum est plegius de L. marchis.

Hostagij pro Race de Gaure.

Comes Barri de cccc. l.
Baldoinus de Bello-videre de ccc. l.
Gilebertus de Aria de c. l.
Guillelmus de Renti de c. l.
Michël Constabulus Fl. de c. l.
Eustachius iuuenis de Villanoua de cc. marchis.
Iacobus de S. Audomaro de c. l.
Adam Kierés de c. l.
Rogerus de Roscio de ccc. l.
Nicolaus de Rumeniaco de v^c. l.
Michaël de Harnes de c. l.
Balduinus de Aria de cc. l.
ArnulphusComes deGuines de L. marc.
Balduinus Castellanus de Lens de c. l.
Robertus de Miliaco de cc. l.
Ioannes de Montemirabili de v^c. l.
Ioannes de Arcies de c. l.
Ioannes de Turno de c. l.
Hugo Tacon de cc. l.
Galcherus de Iouigniaco de c. l.

Hostagij pro Alardo de Burguela.

Nicolaus de Beuri de L. marchis.
Ioannes de Duaco de L. mar.
Balduinus de Quinci de L. mar.
Michaël de Harnes de L. mar.
Hugo de Miraumont de c. mar.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

A

EPISTOLA GVIDONIS DE BASAINVILLA DOMORVM MILITIÆ TEMPLI PRÆCEPTORIS IN REGNO HYEROSOLIMITANO.

De rumoribus partium Transmarinarum Regis Philippi Augusti tempore.

Ex MS. Exemplari Nicolai Camusati Canonici Trecensis.

VIRO *Venerabili in Christo patri, ac Domino Dei, gratia Aurelianensi Episcopo Frater Guido de Basainuilla domorum militiæ Templi præceptor in Regno Hyerosolimitano, salutem, & in beneplacito salutari eius dirigi.* PATERNITATI vestræ, quam sincero cordis affectu diligimus, pateat per præsentes, quod sani sumus & hilares, quod de vobis iugiter audire affectantes, De rumoribus cismarinis, & euentibus nunc de nouo, hoc certum teneat vestra discretio, quod Tartarorum exercitus per acies infinitas terram Turkiæ soldani Iconij cum omni potentia sua repugnante iam intrarunt, & depopulatis mœniis ciuitatum, quas ceperat violenter, & pretiosis omnibus asportatis, homines quos ore gladij interficere nequeunt, seu nolunt, ipsos perire faciunt in suis præliis contrà alias nationes, ob quod Soldanus Babyloniæ, & etiam Damascenus olim graui modo discordes, ad inuicem pacis concordiam inierunt, credentes eorum posse in aliquibus virtuti resistere, quorum potentia iam in fortiori eorum Brachio scilicet Soldano Iconij, qui est eorum collateralis & affinis, victoriosiùs triumphauit; de quorum aduentu non solum pagani, verum etiam Christianus populus dubitat cismarino. Nam Rege Armeniæ intelleximus referente, quod statim post hyemem ad Aprilis herbagium proponunt versus Hierusalem sua castra dirigere, & illam totaliter occupare. Quod si futurum est, vt multorum tenet assertio, Christianitas Cismarina disperiet, & Domus Domini replebitur omni genere immũdorum. præterea stupendum vobis valde referimus, & nostris temporibus inauditum. In partibus enim Amakæ vbi Mahometicum manet simulachrum, terræ motus fuit immensus, qui & multos muros subuertit, & domos, & ipsum Mahometi sepulchrum detulit in profundum, & triduo durante ad radices cuiusdam montis, ignem furoris Domini terra euomuit, qui & Mecham, & Mahometi sepuchrum, ac omnes regiones finitimas arsit, ardens lignum, lapides, homines, & etiam ipsam terram duobus passibus subtus terram deuorat, & consumit. Et iam sunt duo menses & amplius, quod sic arsit; nec potest ei humano ingenio resisti, sed fugiunt omnes antè faciem eius, & sicut qui viderunt hoc, testantur: hic ignis vadit in partibus Baldachiæ, vbi Sarracenorum caput est ardens die noctuque, aquam terram que omnem in momento consumens: alios rumores nescimus ad presens. Datum Achon die quarto Octobris.

B

C

EPISTOLA HVGONIS COMITIS SANCTI PAVLI AD HENRICVM DVCEM BRABANTIÆ,

De Constantinopolitanæ Vrbis expugnatione per latinos factâ Anno M.CC.II.

Ex Annalibus Godefridi Monachi, S. Pantaleonis apud Coloniam Agrippinam quos Marquardus Freherus Consiliarius Palatinus edidit.

PRÆCORDIALI *amico suo Henrico Duci de Louanio, viro nobili, Hugo Comes sancti Pauli.* STATVM pauperrimi exercitus Iesu Christi, nobilitati vestræ declarare desidero. Nouerit igitur serenitas vestra, quod Alexius filius Tirsacij * quondã Imperatorij Cõstantinopolitani, quẽ frater eius propter ambitionẽ Imperij excæcauit, venit ad nos apud Corfanti ibique genibus flexis, profusis lacrymis, vniuersitatem nostram exorans, quatenus Constantinopolim venientes cum ipso ei in auxilium præstaremus, vt ipse auunculum suum, qui erga patrem suum tantum scelus perpetrauerat, à regno per auxilium nostrum expelleret, quod per ambitionem sibi Vsurpauerat & iniustè possederat. Super hoc autem fuit inter nos maxima dissentio & ingens tumultus.

* F. Isacij.

A multus. Omnes enim damnabant ire Accharon: pauci fuerunt plusquam viginti qui Constantinopolim collaudassent, quorũ fuit vnus Marchio, Comes Flandrensis Comes Leudeuicus, & alij quorum nomina ad præsens reticentur. Qui omnes toti exercitui ostendentes manifestè, quod vis Iherosolimitana erat omnibus inutilis & dãnosa, ipsi essent inopes & vidualibus imminuti, nec esset aliquis inter eos qui milites ad stipendia & sariantos ad solidum detineret, vel qui petrarios faceret protrahi, nec alia instrumenta bellica produci. Tandem vero vix nobis acquieuerunt, tali tamen conditione, quod apud Constãtinopolim moram nullatenus facerent vltra mensem nisi voluntate sua propria morarentur. Responsum est eis, quod breuis mansio publicata non erat nobis necessaria, quia Græci nos minus formidarent, si breuis moræ spacium præscirent: attamen impetrauerunt à nobis, vt de mora solius mensis eis securitas præstaretur in palam, & ita factum est. Quo facto iuuenis Imperator nobis promisit, quod toti exercitui nostro per annum victualia largiretur integrum, & quod decem millia militum ad annum sanctæ terræ succursum ad sumptus suos haberet. Promisit enim quamdiu viueret ad stipendia sua se in terra sancta D. milites habiturum, & quod Duci veneti Centum millia marcarum argenti & totidem exercitui nostro erogaret. Quibus compositis & communi vtilitate concessis, Naues
B nostras conscendimus, de hinc ad portum Bucceauiæ octauo die applicantes: ab eo loco C. leucæ Constantinopolim vsque numerantur, à portu vero isto vsque Constantinopolim per strictum mare & velociter currens transitur. Inde per illud fretum nauigantes transiuimus brachium Sancti Georgij, & per portum cepimus ad firmam terram versus Iconium, qui portus distat à Constantinopoli vna leuca. Ibidem stupuimus valde admirantes super hoc, quod nemo amicorum nemo parentum iuuenis Imperatoris, qui nobiscum erat, seu aliquis nuncius eorum venit ad eum, qui ei statum Constantinopoli declararet. Non mora, Imperator imperium tenens Duci veneti, Marchioni, Comiti Flandrensi, Comiti Leudeuuico, & nobis, nuncios suos destinauit. Nos vero secretum inter nos ineuntes consilium diximus, quod Imperatoris nuntios nullatenus audiremus, nisi prius se ab Imperialis cathedra deponeret maiestatis: aliter ipsum vel eius nuncios nequaquam oscultaremus, nolebamus enim quod Græci muneribus attentarent, vel mollirent. Interim Imperatoris exercitus, in littore nobis opposito paratus erat nobis transitum inhibere, ostendens animositatis imaginem nobiscum præliandi. Quod videntes, ad peccatorum nostrorum cucurrimus confessionem, in Dei solum misericordia confidentes: postea nostras ordinauimus pugnas, deinde nos omnes armati intrauimus naues vsarias & Galeidas, quæ vasa nauigio apta C C. numero fuerunt, præter nauiculas & bargas. Cum vero Deo ducente vltra fuimus applicati, omnes Græci qui conuenerant, vt transitum nobis impedirent, ita Dei gratia à nobis elongarunt,
C quod aliquem eorum etiam volatu sagittæ vix potuimus attingere. Inde perreximus ad quandam turrim fortissimam, quæ Galatha nuncupabatur, in qua firmabatur cathena ferrea grossa nimis, quæ posita super ligna transuersa mare transnatabat, attingens vsque ad muros ciuitatis. Catena illa portum seruabat, iuxta quam naues & Galeidæ ciuitatis cum bargis erant, latere ad latus coniunctæ, nobis introitum prohibentes. In turri siquidem sæpè dicta erant Sarianti Anglici, Pisani, Leueniani, Dachi, ad eam protegendam constituti, qui exhibant turrim & introibant, sicut & quando volebant, ad sagittandum nostros. Super turri autem illa locuti fuimus cum Duce Veneti viro prudentissimo & discreto, dicentes ei quod nullomodo posset capi, nisi per minitores & petrarias caperetur. Respondit nobis, quod iuxta catenam antedictã faceret naues suas protrahi, suas erigens petrarias cum instrumentis variis super naues: nos quoque nostra faceremus ingenia erigi super terram: sic vndique turris obcessa Dei nostroque auxilio de facili caperetur. Dum autem hæc proponerentur, sarianti in turri latitantes nostris gentibus sagittando importunos faciebant assultus. Verum nonnulla vice in nos ferceunt salinationes. * quasi forent acriter retromissi, & suorum damna multimode sustinerent. Tertia vero die post tentoria nostra ibidem confixa illi deinde exeuntes acriter nostris quibusdam militibus & peditibus præter nos fecerunt insultus. Petrus vero de Braieleuel cum quibusdam militibus & sariantis armatus superueniens, hic eos cum festino impetu atrociter inuasit; quod ei non potuerunt resistere, nec ad turris refugium remeare: imo oportuit quosdam eorum nostris instantibus prosilire in mare, & ibi submersi

PHILIPPVS AVGVSTVS.

PHILIPPVS AVGVSTVS. fuerunt, quidam truncati, quidam vero retenti. Statim Deo mirabiliter operante turris absque bellico instrumento capta, & catena rupta fuit. Mox siquidem nauibus ciuitatis retro abeuntibus, naues nostræ liberum portum habuerunt, & quosdam eorum simul cum galeidis, nauiculis, & bargis ceperunt. Tunc vero nostris nauibus & nobis ordinatis ad pugnam, processimus iuxta littus ad quendam pontem lapideum distantem à turre prænominata vna leuca. Pons vero ille protensior erat paruo ponte Parisiensi, & erat adeo strictus, vt tres equites iuncti lateribus simul vix per illum possent transire, vadis profundis existentibus non poteramus alias transire, nisi multam faceremus torsuram. Si vero à nostro nauigio longè distaremus, fortasse periculum magnum incurrissemus & damnum. Cum peruenissemus ad pontem ipsum (dei patientia) nullo obstante transiuimus, & procedentes tentoria nostra fiximus inter palatium Imperatoris & palatium Boimond, & sic propinquauimus palatium quod Placherna dicitur, quod Sagittæ nostræ cadebant super palatium & infra palatium per fenestras; & sagittæ Græcorum super tentoria nostra. Hoc facto exercitum nostrum conclusimus grossis palis, & circumcinximus liciis, deinde instrumenta nostra bellica & petrarias ereximus ante muros. Dux Veneti vero super quamlibet nauim construxit de antemnis pontem altissimum in altitudine C. pedes habentem, & super quemlibet pontem poterant ire quatuor milites de fronte. Præterea quilibet vsarius mogonellum suum habebat erectum. Dum autem hæc fierent, Græci nobis pede & equo plures instanter fecerunt insultus: verum super hoc quam nos, deterius habuerunt. Quadam die maxima militum multitudo de quadam porta cateruatim egrediens, quæ porta patet à dextera parte palatij, superius exiliit, & nos prouocauit ad arma: quos nostri cum ingenti impetu & forti audacter repulerunt, quod multi eorum altero alterum inculcante corruerunt in fossas. Inter quos filius Ducis de Ducato, qui inter Constantinopolitanos fortior & pulchrior dicebatur, cum aliis quibusdam peremptus est. Crastina quoque die quædam cohors militum ciuitatis per portam Blachernæ exiuit ea parte, qua ingenia nostra bellica erigi feceramus: sed Deo iuuante retromissi sunt turpiter & potenter. Tunc quidem retentus est vir nobilissimus, potentior & in militia melior omnibus Constantinopolitanis, qui consiliarius Imperatoris erat. Die mercurij post ordinationem fuit propositum, quod in crastino fieret assultus ad ciuitatem, videlicet Dux Veneti per mare, Comes Flandrensis & Comes Leudeuuicus per terram assilirent, & Marchio cum illis. Ego siquidem & M. de Montmorensi & Marescalius campaniæ de sancto Tyrone, dum assultus fieret, custodiremus exercitum forinsecus inter vallum & campum, & sic fecimus. Facta autem ordinatione & proposito terminato, Dux & Venetij cum quibusdam de nostris, qui nauigio potenter instabant, prope muros nauibus applicatis, scalas muris acclinantes, intrauerunt eum virtuoso impetu ciuitatem, triginta turribus lucrifactis iuxta quantitatem atturbati & de ciuitate non modicum combusserunt. Nostri quoque suos per terram facientes insultus, scalis similiter muro appositis suas super muro posuerunt bannerias & vexilla. Minitores vero muros inferius subcauantes vnam turim strauerunt: Tunc Imperator ciuitatis incendio & nostris insidiis vndique coartatus constituit ad portas singulas, quæ ad campos exitum faciebant, turmas militum non paucorum, vt nos circumquaque assilirent, & inuasos inuoluerent & truncarent. Econtra nos similiter nostras ordinauimus pugnas. Comes Flandrensis cum suis, egoquoque cum meis, vterque in suo cuneo consistens fecimus autem custodiam, & equitauimus ordinate & coniuncti contra prælium nobis contrarium, eos adeo appropinquantes, quod eorum sagittarij & balistarij trahebant in nos, nostrique in ipsos. Cum ipsi viderent nos magnanimos esse & constantes, ordinate procedere & seriatim, & nos non posse faciliter expugnari vel corrumpi, ipsi valde perterriti & confusi sedentes nobis non ausi fuerunt (Dei gratia) dimicare nobiscum. Et sciatis, quod non fuimus in toto exercitu plures quam quingenti milites, & totidem equites, sariantes non habuimus pluries quam duo millia peditum: maior enim pars statuebatur ad ingenia nostra conseruanda. Videntes autem eos fugere & abire, noluimus insequi: ne forte per eorum dolos & insidias exercitui nostro, & bellicis machinis nostris, vel turribus, quas Veneti ceperant, damnum inferrent. Imperator vero nocte rediens, ad palatium suum, asseruit se in crastinum pugnaturum nobiscum: eadem autem nocte media Imperator latenter aufugit.

Die

A Die vero jouis, ſicut Imperator promiſerat debuimus pariter dimicare. In craſtino (deo cooperante) fuit ciuitas reddita nobis, & tunc fuerunt octo dies completi à ciuitatis obſidione. Tunc vero Tirſacus Imperator & Imperatrix vxor eius videlicet ſoror Regis Vngariæ, qui diu in honore carceris tenti fuerant & incluſi, nobis gratias multimodas referentes mandauerunt, quod per Dei gratiam & noſtrum auxilium fuerant à carcere liberati, & quod decus Imperij rehabebant, & nos in craſtino veniremus in palatium tanquam in noſtrum cum filio ſuo diu deſiderato, & ita fecimus, & manducauimus cum eis cum magnis exultationibus & honore ſolemni. Hoc equidem vos ſcire volo, quod eo vſque in negotium Saluatoris proceſſimus, quod Orientalis Eccleſia, cuius olim metropolis erat Conſtantinopolis, cum Imperatore & vniuerſo Imperio eius capiti ſuo Romano Pontifici, ſicut fuit antiquitus, renodata Romanæ Eccleſiæ ſe ſe eſſe filiam recognoſcit, & vult de cætero eidem more ſolito humiliato capite deuotius obedire. Ipſe etiam eiuſdem Eccleſiæ Patriarcha huic aſpirans operi, & applaudens, ſuæ dignitatis pallium à ſummo Pontifice recepturus Romanam ſedem vlterius adibit, & ipſe ſuper hoc cum Imperatore * iuramenti præſtitit cautionem. His igitur tot & tantis vti-
B litatibus prouocati, & ſpe ſancta bonorum futurorum detenti, apud ciuitatem præſcriptam propoſuimus hyemare: & hoc ideo fratribus noſtris, qui in transmarinis partibus noſtrum præſtolantur aduentum, curauimus nunciare, vt ipſi auditis noſtrorum rumoribus gaudiorum, quorum eos eſſe participes præoptamus, adminiculo ſanctæ ſpei ſuffulti nos Conſtantinopolim expectent. Noueritis & quod accepimus tornementum contra Soldanum Babyloniæ ante Alexandriam. Si quis ergo Deo vult ſeruire, cui ſeruire eſt regnare, & nomen habere militiæ conſpicuum & clarum, tollat crucem, & ſequatur Dominum, & veniat ad tornamentum Domini, ad quod ab ipſo Domino inuitatur. VALETE.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

EPISTOLA ALTERA EIVSDEM HVGONIS COMITIS AD COLONIENSEM ARCHIEPISCOPVM.

De captâ eadem ciuitate, & de BALDVINI Comitis Flandriæ in Imperatorem Conſtantinopolitanum electione.

Ex eiſdem Annalibus.

REVERENDO *patri ſuo, & Kariſſimo Domino, & conſanguineo ſuo. A. Dei gratiâ Colonienſi Archiepiſcopo. Baldeuuinus eadem gratiâ fideliſſmus in Chriſto Imperator, à Deo coronatus, Romanæ moderator & ſemper Auguſtus, Flandriæ, & Hannoniæ*
C *Comes, conſanguineus & fidelis ſuus, omnem beatitudinem vitæ, quæ nunc eſt. & futuræ.* CVM Chriſtianæ religionis Zelo, imo & noſtræ ſpeciali amore perſonæ, quæ circà nos aguntur, paternitas veſtra ſcire deſideret, Serenitati veſtræ declarandum eſſe decreuimus, quàm mira circà nos vſa ſit diuina clementia nouitate, quàmque non nobis quidem, ſed nomini ſuo gloriam dederit omnibus ſæculis admirandam. Mirabilibus eius circà nos ſemper mirabiliora ſuccedunt, vt etiam infidelibus dubium eſſe non debeat, quin manus Domini operetur hæc omnia: cum nihil ſperatum à nobis, aut prouiſum antè contigerit: ſed tunc demum noua nobis Dominus procurauerit auxilia, cum nihil humani videretur ſupereſſe conſilij. Et quidem, ſi benè meminimus, per litteras paternitati veſtræ tranſmiſſas, noſtri progreſſus, & ſtatus narrationem eò vſque deduximus, vt vrbe populoſa capta violenter à paucis, tyranno fugato ac filio Tirſachij Alexio coronato, mora noſtra promiſſa foret, & ordinata per hyemem: vt potenter obtinerentur, ſi quæ reſiſtere videbantur Alexio. Et nunc breuiter narranda ſuſcipimus, quæ circà nos poſteà contigerunt, eo prænotato, quod ſicut non opera hominum, fuere, ſed Dei, quæ Græcis intulimus: ita non opera hominum fuere, ſed Dæmonum, quæ cum Imperatore nouo, Græcoque per omnia Græcia nobis ex perfidia conſueta retribuit. Nos ſiquidem ne diſcordiæ fomitem inter nos & Græcos miniſtraret moribus noſtris aduerſa barbaries, de ciuitate exeuntes ex aduerſo ciuitatis interiacente portu ad preces Imperatoris caſtra poſuimus. Et ex inſperato, ſeu

PHILIPPVS AVGVSTVS. innata malitia, seu Græcorum seductus perfidia, animo recedit à nobis, cui tanta beneficia contulimus. Ipse enim in omnibus nobis promissis cum patre, patriarcha, & mole nobilium, periurus & mendax tot incurrit periuria, quot nobis præstitit iuramenta. Vnde nostro tandem destitutus auxilio prælia contrà nos meditatur in cassum: & nauigij, quod eum adduxerat & sublimauerat ad coronam, procurat incendia. Sed voto tam crudeli Deo nos protegente fraudatus, fit pars sua per cuncta deterior, & hominum suorum cædes, incendia, & rapinæ proueniunt. Imminente foris pugna, intus timoribus coarctatur, Imperatorem ei æmulum parantibus Græcis, ea occasione captata, quod nullum ad auxilium nostrum deberet habere confugium. Cumque eidem euadendi spes vnica restaret in nobis: iuratum sibi quemdem Morchuflum * nomine, Sanguine sibi propinquum, de quo pro beneficiis sibi impensis super omnes alios confidebat, mittit ad exercitum nostrum, qui Blachernæ palatium nobis sub Imperatoris & suo iuramento promittit in obsidium, donec nobis cuncta reddantur. Accedit ad palatium recipiendum nobilis Marchio: illudit Alexius Marchioni, & quod iam nobis dederat spretis obsidibus consueta periuria non veretur. Nocte insequuta Morchuflus Domino suo periurus, & nobis Græcis reddendi nobis palatij reuelat arcana, atque ex hoc in perpetuum eis eripi libertatem, & ad hoc modis omnibus veniendum esse declarat, nisi deiiciatur Alexius. Cuius proditionis merito tertius in vrbe Imperator attollitur. In dominum dormientem & rei nescium sacrilegas mittit manus, eumque carcere tetro includens, tertium Nicolaum quemdam, qui apud S. Sophiam Imperiales insulas nouiter vsurparat, traditum sibi à Græcis, qui eum creauerant, proditione rursus incarcerauit. Mortuoque post modicum Tirsachio, qui animum filij sui præ omnibus, (vt dicebatur) à nobis auerterat, acclamante Clero Græcorum, & populo, vt de terra tolleremur, in breui tantum sanguinem nostrum sitientibus Græcis, prælio contrà nos proditor indictus restaurat, vrbem machinis & propugnaculis muniuit, quorum numerum nemo viderat vnquam. Cumque murus miræ latitudinis, lapidibus minutis, cæmentoque tenacitatis & firmitatis antiquæ constructus, in altum valdè consurgens, turres haberet amplissimas pedibus circiter quinquagenis & paulo plus, minusve distantes inter quaslibet duas à parte maris, quo noster timebatur assultus, turris lignea erigitur super murum stationibus tribus aut quatuor multitudinem continentibus armatorum, nihilominus etiam inter quaslibet duas turres seu petraria seu magonellus erigitur. Turribus autem superériguntur ligneæ turres altissimæ stationum sex, super quam supremam stationem aduersum nos porriguntur scalæ, appodiationes ex vtraque parte & propugnacula continentes paulominus excelsis scalarum capitibus, quantum iacere in altum posset arcus à terra. Murum etiam ipsum murus circumcingit inferior, duplexque fossatum, ne muris vlla applicare valerent ingenia, sub quibus possent latitare fossores. Interim mari terraque nos attentat perfidus Imperator, nos semper Domino protegente & suos frustante conatus. Nam præter ordinationem nostram ad prædam victualium procul exeuntibus vsque ad mille animas hominum pugnatorum, Imperator occurrit in multitudine graui. Primo congressu dissipatur omninò cæsis captisque non paucis sine damno nostrorum, fuga ignominiosa consulens sibi clypeum abiicit, arma deponit, & nostris vexillum imperiale dimittit, nobilemque quam sibi præferri fecerat iconam, quam ordini Cisterciensi nostri dedicauere victores. Iterato nauigium nostrum flammis aggreditur, intempestæque noctis silentio sexdecim suas naues incensas, velis in altum expansis & inferiùs colligatis ad proram, flante fortiter Austro, nostras mittit in naues: sed Domino faciente cum multo labore nostrorum custodimur indemnes, & ardentibus nauibus clauis infixis catenis hærentibus nostrorum remigio trahunt in pelagus, & ab imminenti mortis periculo à Domino liberamur. Nos igitur eum terrestrè prouocamus ad pugnam, & ponte, atque amne transmisso qui exercitum nostrum separabat à Græcis, cuneis ordinatis antè portam diu stetimus, regiæ ciuitatis & palatij Imperialis quod Blankerna nuncupatur, in nomine Domini agminum Israël præcedente cruce viuifica, parati ad prælium Græcos excipere, si eis placuisset exire. Et quidem pro militiæ exercitio exeuntem nobilem quemdam nostri pedites trucidarunt. Sic in castra reuersi terrâ marique sæpiùs prouocamus, sed dante Domino semper ac triumphaliter obtinemus. Mittit ad nos pacis fictæ legatos perfidus incubator Imperij,

* Morzuflum.

A Imperij, postulat & obtinet cum Duce colloquium. Cumque eidem Dux magnanimus obiecisset quod nulla cum eo pacis posset esse securitas, qui Dominum suum carcere conclusisset, postposita iurisiurandi religione & fidei, & ipsi præcipuisset Imperium eidemque bona fide consuleret, vt Dominum suum restitueret & humiliter veniam postularet, nostras etiam pro se promitteret preces: & quod cum eodem Domino suo misericorditer si vellet agere deberemus. Ac quicquid contrà nos egerat venenosè, si rediret ad animum, imputare vellemus ætati lapsuique consilij: & ille vana verba subintulit, quia quæ responderet rationabiliter non habebat. Obedientiam autem Romani Pontificis, & subuentionem sanctæ terræ, quam iuramento & scripto Imperiali firmarat Alexius, adeo refutauit, vt vitam amittere præeligeret, Græciamque subuerti, quàm quod Latinis Pontificibus Orientalis Ecclesiæ subderetur. Noctu igitur insequenti Dominum suum latenter laqueo suffocat in carcere, cum quo ipsa die prandium sumpserat (vide) & claua ferrea, quam tenebat in manu latera morientis & costas inaudita crudelitate confringit: casuque vitam, quam laqueo extorserat, confingit ereptam. Hoc Imperiali sepultura concessa propalatum omnibus scelus funeris honore dissimulat. Sic nobis hyems tota perficitur, donec nauibus nostris scalis aptatis, & instrumentis bellicis præparatis, nos

B & nostra recipientes in nauibus V. id. April. hoc est, feria sexta ante passionem Domini vnanimiter pro honore sanctæ Romanæ Ecclesiæ & subuentione sanctæ terræ, nauali prælio inuadimus ciuitatem, & ea die non sine multo tamen sanguine fuimus tanta perpessi, vt inimicis nostris in opprobrium verteremur, quorum ea die pars fuit per cuncta superior: adeo vt tracta in terram Græcis cōpelleremur bellica nostra machinamēta relinquere, & infecto negotio ad ripam redire cogeremur aduersam ea die (vt videbatur) inutiliter fatigati. Conturbati verò plurimum & conterriti, sed demum in Domino roborati definito consilio rursus instauramur ad pugnam quartâ die, II. id. April. hoc est, feria secunda post passionem Domini, flante borea rursum applicamur ad muros scalis nauium scalis turrium applicatis cum multo labore nostrorū permultùm resistentibus Græcis: sed ex quo cominus gladios sensere nostrorum, non diu belli anceps durauit euentus: duæ siquidem naues pariter colligatæ, quæ Episcopos nostros Suessionis videlicet ac Trecensis deferebant, quarum erant insignia paradisus & peregrina, primæ scalis suis scalas turrium attigerunt, & fœlici auspicio peregrinos pro paradiso certantes hostibus admouerunt. Prima muros obtinent vexilla Pontificum, ministrisque cœlestium secretorum prima conceditur de cœlo victoria. Irruentibus igitur nostris cedit (Domino iubente) infinita multitudo pro paucis & propugnacula relinquentibus Græcis nostri audacter militibus portas aperiunt. Quorum cum Imperator, qui non procul à muris in tentoriis stabat armatus, conspicaretur ingressus: statim tentoria dereliquit &

C fugit: nostri cædibus occupantur, ciuitas capitur populosa, recipiuntur in palatiis qui nostrorum enses effugiunt, multâque cæde factâ Græcorum nostri sese recolligunt, aduesperascente iam die arma deponunt, de assultu palatiorum in crastino tractaturi. Suos recolligit Imperator, & crastinam hortatur ad pugnam, asserens quod nostros in potestate nunc habebant inter murorum septa clusos: sed nocte latenter dat terga deuictus. Quo comperto Græcorum plebs attonita de statuendo Imperatore pertractat, & dum mane facto ad nominationem cuiusdam Constantini procedunt, pedites nostri non expectata deliberatione maiorum ad arma prosiliunt & terga dantibus Græcis munitissima & fortissima palatia relinquuntur, totaque in momento ciuitas obtinetur. Diripitur equorum innumera multitudo, auri & argenti, sericorum, pretiosarumque vestium atque gemmarum, & omnium eorum quæ ab hominibus inter diuitias computantur, tam inæstimabilis abundantia reperitur, vt tantum tota non videretur possidere latinitas: & qui antea pauca negauerant, cuncta nobis diuino iudicio relinquunt, vt securè dicamus, vt maiora hiis mirabilia circa bellorum casus nulla vnquam narret historia vt impleta prophetia manifestè videatur in nobis quæ dicit: *Persequitur vnum ex vobis centum alienos*. Quia si inter singulos victoriam partiamur, quilibet ex nostris non pauciores aut vicit, aut possedit. Nunc autem non nobis victoriam vsurpamus, quod saluauit sibi dextra Domini, & brachium virtutis eius reuelatum est nobis. A Domino tantùm factum est istud, & super omnia mirabilia mirabile est in oculis nostris. Ordinatis igitur, quæ disponenda rerum poscebat euentus, ad electionem Imperatoris vna-

PHILIPPVS AVGVSTVS.

** inter quos erat Thomas Maurocenus, eodem tempore designatus Patriarcha Constantinopolitanus ad quem est decretalis in C. T. Ext. De Maior. & obedi C. S. Ext. de Iustic. & alis.*

PHILIPPVS AVGVSTVS. nimiter ac deuotè procedimus: & omni ambitione seclusa cum sex Baronibus venetorum, venerabiles viros, Episcopos nostros, Suessionis, Haluerstadensi ac Trecensi, & Dominum Bethlemitanum, qui à partibus transmarinis Apostolica auctoritate nobis fuerat delegatus, Acconæ electum, Abbatemque Lucedij, Imperatoris sub dominio nostro constituimus electores. Qui oratione præmissa (vt decuit) Dominica, misericordia Domini, personam nostram, quod à nostris meritis procul erat, vnanimiter ac solemniter elegerunt, diuinis laudibus Clero ac populo acclamante; sequentique Dominica, in qua iubilate Deo cantatur præcipiente Petro, *Regem honorificari, eique obediri quasi præcellenti*, & Euangelio annunciante, *Quod gaudium nostrum nemo tollet à nobis*: cum ingenti honore & tripudio, more etiam suo applaudentibus Græcis, ad honorem Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac subuentionem terræ sanctæ, gloriosè coronatum ad Imperij fastigia Deo & hominibus amabiles patres memorati Pontifices cum vniuersorum applausu & piis lachrymis sublimarunt. Aderant incolæ terræ sanctæ, Ecclesiasticæ Militaresque personæ, quorum præ omnibus inæstimabilis erat & gratulabunda lætitia exhibitumque Deo gratius obsequium asserebant, quam si ciuitas sancta Christianis esset B cultibus restituta: cum ad confusionem perpetuam inimicorum crucis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, terræ Ierosolimitanæ, se se Regia ciuitas deuoueret * quæ tam diu, tam potenter aduersaria stetit & contradixit vtrique. Denique diuina iustitia nostroque ministerio digna vltione perculsis & expulsis hostibus, Deus obedientibus terram nobis dedit omnium bonorum copiis affluentem, frumento, vino, & oleo stabilitam, fructibus opulentam, nemoribus, aquis, & pascuis spatiosam, ad manendum spetiosam, & cui similem non continet orbis aëre temperatam. Sed nec in his desidia nostra subsistunt, nec ab humeris nostris vexillum regale deponi: donec terra ipsa incolatu stabilita nostrorum partes debeamus inuisere transmarinas, & dante Deo propositum peregrinationis implere. Speramus enim in Domino Iesu, quod qui cæpit in nobis opus bonum ad laudem & honorem nominis sui, inimicorum crucis depressionem perpetuam perficiet, confirmabit solidabitque. Celsitudinem igitur vestram propensiùs exoramus in Domino, vt gloriæ huius atque victoriæ & spei præoptatæ, cuius ostium magnum nobis appertum est, velitis esse participes. Quod absque vlla nobis dubitatione continget, si terræ vestræ nobiles atque ignobiles, cuiuslibet conditionis aut sexus, eisdem desideriis accensos, ad nostras immensasque capescendas diuitias temporales pariter & æternas, non solum permissa licentia, sed salutaribus monitis accendatis. Vniuersis enim dante Deo sufficimus, quos nobis Christianæ Religionis zelus adduxerit. Vniuersos volumus simul & possumus secundum status suos, varietatemque natalium, & augere diuitiis, & honoribus ampliare. VALETE. C

* D. c. inter quatuor 8. Ex. de maior. & obed.

EPISTOLA BALDVINI IMPERATORIS AD OMNES CHRISTIANOS.

De eiusdem vrbis Constantinopolitanæ expugnatione.

Ex MS. exemplari, quod Ioannes Bolandus societatis Iesu Antuerpia transmisit.

ANNO 1204. BALDVINVS Dei gratia fidelissimus in Christo Imperator Constantinopolitanus à Deo coronatus Romanorum moderator semper Augustus, Flandrorum, & Haynensis Comes, VNIVERSIS *Christi fidelibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, prioribus, præpositis, Decanis, cæterisque Ecclesiarum prælatis, Ecclesiasticisque personis.* BARONIBVS, *Militibus, & Sargiantis, omnique populo Christiano, ad quos pagina præsens peruenerit in vero salutari, gratiam & salutem.* AVDITE qui longè ab Ecclesia, & qui propè admiramini & laudate Dominum quoniam magnificè fecit, qui antiqua miracula nostris renouare dignatus est temporibus & non nobis quidem, sed nomini suo gloriam dedit omnibus sæculis admirandam. Mirabilibus enim circa nos mirabiliora semper succedunt, cum etiam infidelibus esse non debeat dubium, quin manus

Domini

A Domini hæc omnia operetur, etiam nihil ſperatum à nobis, aut promiſſum antè contigit, ſed tunc demum nobis noua dominus procurauit auxilia, & nihil humani videtur conſilij ſupereſſe, & quidem ſi benè meminimus per litteras vniuerſitati veſtræ tranſmiſſas, noſtri progreſſus & ſtatus narrationem eo vſque deducimus, vt vrbs populoſa capta violenter à paucis tyranno fugato ac filio Yſachij Alexio coronato, mora noſtra præmiſſa foret, & ordinata per hyemem. vt potentes obtinerentur ſi qui reſiſtere viderentur Alexio, & nunc breuiter narranda ſuſcipimus, quæ poſteà circa nos contigerunt, eo prænotato, quod ſicut opera hominum non fuere, ſed Dei, quæ Græcis intulimus, ita non hominum opera, ſed dæmonum fuere quæ cum Imperatore nouo Græcoque, per omnia gratia nobis ex perfidia conſueta retribuit. Nos ſiquidem ne diſcordiæ inter nos & Græcos fomitem miniſtraret, moribus noſtris aduerſa barbaries, de ciuitate exeuntes, ex aduerſo ciuitates interiacente porta, ad preces Imperatoris caſtra poſuimus, & ex inſperata ſeu innata malitia ſeu Græcorum ſeducta perfidia, animo recedit à nobis, cui tanta beneficia contulimus, Imperator, & in omnibus eſt compatitus patre Patriarcha, & mole nobilium nobis præmiſſis, periurus & mendax, tot incurrit periuria, quot nobis præſtitit iuramenta. inde noſtro tandem deſtitutus auxilio prælia contra nos meditatur incaſſum, & in nauigium, quod eum adduxerat, & ſublimauerat ad coronam procurat incendia. ſed voto tam crudeli, Deo nos protegente fraudatur, fit pars ſua per cuncta deterior & hominum ſuorum cædes & rapinæ veniunt, imminente foris pugna, intus timoribus coarctatur, Imperatorem ei æmulum parentibus Græcis, ea occaſione captata, quod nullum ad auxilium, noſtrum deberet habere refugium, cumque ei euadendi ſpes vnica reſtaret in nobis iuratum ſibi quemdam Morchulphum nomine, ſanguine ſibi propinquum, de quo pro beneficiis impenſis, ſuper omnes alios confidebat, mittit ad exercitum noſtrum, qui Blahine palatium, ſibi Impetoris & ſuo iuramento promittit in obſidium, donec nobis cuncta promiſſa reddantur. Accedit ad palatium recipiendum nobilis Marchio, illudit Alexius Marchioni, & quos iam nobis dederat, ſpretis obſidibus, conſueta periuria non veretur. Nocte inſequuta Domino ſuo periurus, & nobis Morculphus, Græcis reddendi nobis palatij reuelat arcana, atque ex hoc in perpetuum eis eripi libertatem, & ad hoc modis omnibus veniendum eſſe declarat, niſi deiiciatur Alexius, cuius proditionis merito tertius in vrbe Imperator attollitur. In dominum dormiētem, & rei neſcium Sacrilegas mittit manus, eumque carcere teterrimo concludens iterum Nicolaum quendam, qui apud ſanctam Sophiam Imperiales inſulas nouiter vſurpauerat, traditum ſibi Græcorum qui eum creauerant, proditione rurſus incarcerat, mortuoque poſt modicum Yſarchio, qui animum filij ſui à nobis, præ omnibus, vt dicebatur auerterat, acclamante Clero Græcorum & populo, vt de terra tolleremur in breui, tantum ſanguinem noſtrum ſitientibus Græcis, prælia contrà nos, proditor iam dictus inſtaurat, vrbem machinis ac propugnaculis munit, quorum ſimilia nemo viderit vnquam, cumque murus miræ latitudinis, lapidibuſque minutis, cementoque tenacitatis & firmitatis antiquæ conſtructus, in altum valdè conſurgens turres haberet ampliſſimas pedibus circiter quinquagenis, paruulo plus minus diſtantes inter quaſlibet duas à parte maris, quo noſter timebatur aſſultus, turris lignea erigitur ſuper murum ſtationibus tribus aut quatuor multitudinem continentibus armatorum. nihilominus tamen circiter quaſlibet duas turres, ſeu petrina, ſeu mangonellus erigitur, turribus autem ſupereriguntur ligneæ turres ampliſſimæ ſtationum ſex, ſuper quæ ſupremam ſtationem aduerſum nos porriguntur ſcalæ, appodiationes, & propugnacula continētes, paulo minus excelſis ſcalarum capitibus, quam iacere in altum poſſet arcus à terra, murum etiam ipſum murus circumcingit inferior, duplexque foſſatum, ne muris vlla applicari valerent ingenia, ſub quibus poſſent latitare foſſores. interim terra, marique nos tentat perfidus Imperator, nos ſemper Domino protegente, & ſuos fruſtrante conatus. Nam præter ordinationem noſtram, ad prædam victualium procul exeuntibus noſtris, vſque ad mille animas hominum pugnatorum, Imperator occurrit in multitudine graui, primoque congreſſu diſſipatur omninò, cæſis, captiſque non paucis, ſine damno noſtrorum, fuga ignominioſa conſulens, ſibi clypeum abiicit, arma deponit & noſtris vexillum Imperiale dimittit, nobilem quoque ſibi præferri faciebat Yconiam, quam

PHILIPPVS AVGVSTVS.

B

C

PHILIPPVS AVGVSTVS.

A

ordini Cisterciensi nostri dedicauere victores. Iterato nauigium nostrum flammis aggreditur, intempestæ noctis silentio sexdecim naues suas accensas, velis in altum expansis, & in finem colligatis ad proram, flante fortiter Austro nostras mittit in naues, sed Domino faciente cum multo labore nostrorum custodum, indemnes, & ardentibus nauibus clauis infixis, catenis hærentibus, nostrorum remigio trahuntur in pelagus, & ab imminenti mortis periculo à Domino liberamur, nos qui terrestrem eum prouocauimus ad pugnam, & ponte atque amne transmisso qui exercitum nostrum separabat à Græcis cuneis ordinatis, antè portam diu stetimus Regiæ ciuitatis, & palatij Imperialis, quod Blaternè nuncupatur. in nomine Domini agmine Israël procedente cruce viuifica parati ad prælium Græcos excipere, si eis placuisset exire, & quidem pro militiæ exercitio exeuntem nobilem quemdam nostri pedites trucidarũt. Sic in castra reuersi terra marique sæpiùs prouocamur, sed dante Domino semper ac triumphaliter obtinemus, mittit ad nos pacis fictæ legatos perfidus incubator Imperij, postulat & obtinet cum Duce colloquium, cumque eidem Dux magnanimus obiecisset, quod nulla cum eo possit esse pacis securitas, qui Dominum suum carcere inclusisset, postposita iusiurandi Religione, & fidei ac fœderis inter quamtumlibet infideles firmiter obtinentis, & ipsi præcipuisset Imperium, eidemque bona fide consuleret, vt Dominum suum restitueret, & humiliter veniam postularet nostras etiam & pro se[illegible]omiteret preces, & quod cum eodem Domino suo misericorditer se vellet agere, deberemus & quicquid contrà nos egerat venenosum. Si rediret ad animum, imputare vellemus ætati, lapsuiue consilij; ille vana verba subintulit quia quod respõdit, rationabiliter non haberet, obedientiam autem Romani Pontificis, & subuentionem sanctæ terræ, quam & iuramento, & scripto Imperiali firmauerat Alexius, adeò refutauit, vt vitam amittere præeligeret, Græciáque subuerti, quam quod latinis Pontificibus Græcia subderetur. nocte igitur insequenti Dominum suum laqueo suffocat in carcere cum quo ipso die prandium sumpserat, inde & claua ferrea quam tenebat in manu, latera morientis & costas inaudita crudelitate confregit, casuque vitam quam laqueo extorserat confingit, ereptam, ac Imperiali sepultura concessâ, propalatum omnibus scelus funeris honore dissimulat. Sic nobis hyems tota perficitur, donec nauibus nostris scalis aptatis, & instrumentis bellicis præparatis, nos & nostra recipientes, in nauibus V. Idus April. hoc est feria sexta antè passionem Domini vnanimiter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & subuentione sanctæ terræ nauali prælio inuadimus ciuitatem, & eâdem sine multo nostrorum sanguine, fuimus tanta perpessi, vt inimicis nostris in opprobrium verteremur, quorum ea die pars per cuncta superior adeò vt tracti in terram Græcis compelleremur nostra bellica instrumenta relinquere, & infecto negotio ad ripam redire cogimur aduersam, ea die vt videbamur inutiliter fatigati, couturbati igitur multùm & conterriti, sed demum in Domino roborati diffinito rursum consilio instauramur ad pugnam, & quarto die secundo Idus April. hoc est feriæ secundæ post passionem Domini, flante Borea rursus applicamus ad muros, scalis nauium, scalis turrium applicatis cum multo labore nostrorum, permultũ resistentibus Græcis, sed ex quo cominus gladios sensere nostrorum, non diu belli anceps durauit euentus, duæ siquidem naues pariter colligatæ, qui nostros Episcopos Suessionensem, & Trecensem deferebant, quarum erant insignia paradisus & peregrina, primò scalis suis scalas turrium attigerunt, & felici auspicio, peregrinos de paradiso pro tantis hostibus admouerunt, prima muros obtinent vexilla Pontificum, ministrisque cœlestium sacramentorum prima de celo conceditur victoria, irruentibus ergo nostris Domino iubente cedit multitudo infinita perpaucis, & propugnacula relinquentibus Græcis, nostri audaciter militibus portas aperiunt, quorum Imperator qui non procul à muris adstabat armatus, conspicaretur ingressum, statim tentoria dereliquit & fugit, nostri cœdibus occupantur, ciuitas capitur populosa, recipiuntur in palatij Imperialibus, qui nostrorum enses effugerant, multaque cæde facta Græcorum, nostri sese recolligunt: aduesperascente iam die arma fessi deponunt, de assultu palatiorum in crastinum tractaturi. Suos recolligit Imperator, crastinam hortatur ad pugnam, asserens quod nostros in potestate nunc habeat inter murorum sexta conclusos, sed nocte latenter dat terga deuictus, q̃uo comperto Græcorum plebs attonita, de substituendo Imperatore pertractat, & dum mane .... facto ad cuiusdam Constantini nominationem procedunt pedites, non expectata deliberatione

A deliberatione maiorum ad arma prosiliunt, & terga dantibus Græcis fortissima & munitissima palatia relinquuntur, totaque in momento ciuitas obtinetur, diripitur equorum innumera multitudo, auri, & argenti, sericorum, pretiosarumque vestium atque gemmarum, & omnium eorum quæ inter diuitias ab hominibus computantur; tam inæstimabilis abundantia reperitur, vt tantum tota non videatur possidere latinitas, & qui admodum pauca negauerant nobis cuncta diuino consilio reliquerunt. Vt securè dicamus *quia maiora his mirabilia circa bellorum casus nulla vnquam narret historia*, vt impleta prophetia manifestè videatur in nobis quæ dicit. *Persequetur vnus ex vobis centum alios*: quia inter singulos victoriam partiamur, quilibet ex nostris non pauciores quàm centum obsedit & vicit; nunc autem non nobis victoriam vsurpamus, *quia saluauit sibi dextera Domini, & brachium virtutis eius reuelatum est in nobis.* A Domino factum est istud, & super omnia mirabilia mirabiliùs est in oculis nostris. Ordinatis igitur diligenter quæ disponenda rerum poscebat euentus ad electionem Imperatoris vnanimiter & deuotè procedimus. Et omni ambitione seclusa, cum sex Baronibus Venetorum venerabiles viros Episcopos nostros, Suessionensem, Haluestadiensem, Trecensem, Dominumque Bethlehemitanum, qui à partibus transmarinis, authoritate Apostolicâ
B nobis fuerat delegatus, Accaronensem electum, & Abbatem piccedij, Imperatoris nostri sub Domino constituimus Electores, qui oratione præmissa, vt decuit, Dominica, misericordiæ Domini personam nostram, quod à nostris meritis procul erat, vnanimiter ac solemniter elegerunt, diuinas laudes Clero, & populo pariter acclamante, sequentique Dominica, qua *iubilate* cantatur præcipiente Petro Apostolo Regem honorificari, eique obediri, quasi præcellenti, & Euangelio nunciante, quod gaudium nostrum nemo tollet à nobis, cum ingenti honore atque tripudio, more etiam suo applaudentibus Græcis, ad honorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac subuentionem sanctæ terræ, gloriosè coronatum ad Imperij fastigium Deo & hominibus, Amabiles patres, memorati Pontifices cum vniuersorum applausu & piis lachrymis sublimarunt. Aderant incolæ terræ sanctæ, Ecclesiasticæ, militaresque personæ, quorum præ omnibus inæstimabilis erat, & gratulabunda lætitia, exhibitum Deo gratiùs obsequium asserebant, quam si ciuitas sancta Christianis esset cultibus restituta. Cum ad confusionem perpetuam inimicorũ crucis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ terræque Hyerosolimitanæ se se ciuitas regia deuouerat, quæ tamdiu tam potenter aduersaria stetit, & contradixit vtrique. Hæc est enim quæ spurcissimo Gentiliũ ritu pro fraterna societate sanguinibus alterius æternis ebibitis cum infidelibus, ausa est sæpiùs amicitias firmare ferales, & eosdem diu mamella lactauit vberrima, & extulit in superbiam sæculorum, arma, naues, & victualia ministrando. Quid è contrario fecit, peregrinis magis edocere
C sufficiunt in omni genere Latinorum exempla, quam verba. Hæc est quæ in odium summi Pontificis Apostolorum principis nomen audire vix poterat, nec vnam inter Græcos eidem Ecclesiam concedebat, qui omnium Ecclesiarum ab ipso Domino accepit Principatum, & sicut recens eorum recolit memoria, qui viderunt Legatum Apostolicum, morte tam turpissima condemnauit, ita vt pro Apostolici culminis reuerentia, nec ipsam paginam presentem Sustineamus mortis illius recordatione polui. Cum nec inter martyres legatur vlla consimilis, licet pœnas eorum inuenerit ingeniosa crudelitas, hæc est quæ Christũ solum dedicat honore picturis, & inter ritus nefandos, quos sibi spreta scripturarum authoritate confinxerat, plerumque etiam facere consueuerat lauacri salutaris iterando iacturam. Hæc est quæ Latinos omnes non hominum nomine dignabatur, sed canum quorum sanguinem effundere penè inter merita reputabant nec vlla pœnitentiæ satisfactione Laïci Monachi penes quos Sacerdotibus spretis, tota ligandi atque soluendi consistebat authoritas. Hæc & eiusmodi deliramenta, quæ epistolaris explanare non valet Angustia, impletis iniquitatibus eorum, quæ ipsum Dominum ad nauseam prouocabant. Diuina iusticia nostro ministerio, digna vltione percussit, & expulsis omnibus Deum odientibus, & amantibus se se terram nobis dedit, omnium bonorum copiis affluentem, frumento, vino, & oleo stabilitam, fructibus opulentam, nemoribus, aquis, pascuis speciosam ad manendum, & cui similem non continet orbis, aëre temperatam, sed nec in his desideria nostra subsistunt, nec ab humeris nostris sustinebimus vexillum Regale deponi, donec terra ipsa incolatu

PHILIPPVS AVGVSTVS. stabilita, nostrorum partes debeamus inuisere transmarinas, & Deo dan[illegible]propositum peregrinationis explere. Speramus enim in Domino Iesu, quod qui cœpit in nobis opus bonum, ad laudem & gloriam nominis sui, & inimicorum crucis depressionem perpetuam perficiet, confirmabit, solidabitque. A

Vniuersitatem igitur vestram propensius exoramus in Domino vt gloriæ huius atque victoriæ & spei peroptatæ, cuius ostium magnum nobis apertum est, dignemur esse participes, quod absque vlla nobis dubitatione continget, si nobiles & ignobiles cuiuslibet conditionis, aut sexus eisdem desideriis accensi, ad veras, & immensas diuitias capescendas, temporales pariter, & æternas vnanimiter accurratis, vniuersis enim Deo dante sufficimus, quos nobis Christianæ religionis zelus adduxerit. Vniuersos volumus, scimus, & possumus secundum status suos, varietatesque natalium, & augere diuitiis, & honoribus ampliare. Specialiter autem Deo amabiles viros Ecclesiasticos cuiuscumque religionis, aut ritus in Domino postulamus, vt ad idem, populum Dei, potentibus verbis accendant, & exemplis edoceant cateruatim, & ipsi venire festinent in locis amœnissimis & vberrimis, non tam in sanguine, sed in multa libertate & pace, omniumque bonorum affluentia Ecclesiam plantati, salua semper vt decet in omnibus suorum licentia prælatorum. VALETE. B

EPISTOLA EIVSDEM BALDVINI IMPERATORIS AD SVMMVM PONTIFICEM.

Ex eodem MS. exemplari.

AD *laudem & gloriam redemptoris, & sanctitatis vestræ, perpetuum decus, vtilitatemque perpetuam Generalis Ecclesiæ pertinere credentium nullus ambiget.* Si in ciuitate Constantinopolitana, veteribus honorata Conciliis vestra Paternitas generale Concilium conuocaret, beatissimæ Paternitatis vestræ præsentia confirmare, nouamque Romam veteri .... sanctionibus sacris ac perpetuo valituris tam ad Concilium Græciam rebellem vos inuitasse didicimus quasi, quæ necdum videritis, tempora præsignando, licet siue pro rebellione Græcorum, siue pro vtilitatibus mundi, & variis occupationibus interim videamini distulisse, ecce nunc tempus acceptabile, Pater Sancte, ecce nunc dies salutis, cogitasse videtur Dominus temporibus nostris cogitationes pacis, qui scabellum pedum vestrorum posuit inimicos vestros: canite quæsumus tuba Sacerdotali in sion, Amantissime Pater, vocate cœtum, congregate populum, coadunate senes, & sugentes vbera, sanctificate diem acceptabilem Domino, diem stabiliendæ vnitatis & pacis, & quantum ad Dominum custodimus nostræ fortitudinis confirmandæ; Quantumlibet insufficientes simus ex nobis, sperare audemus in Domino, quod gaudium Domini sit fortitudo nostra, ad euacuandum scandalum crucis, & subiiciendum in terris omnem aduersariam potestatem erigentem se aduersum Dominum & aduersus Christum eius. Recordamini Pater Sancte, cathedræ vestræ prædecessorum, quorum modo gaudent animæ, & in terris viuit gloriosa memoria Ioannis, Agapiti, & Leonis, seu aliorum qui ex causis Constantinopolitanis leguntur Ecclesiam præsentialiter visitasse, sicut in Apostolicis continetur Archiuis, inuenietis manifestè, si nos qui asserunt se legisse, non fallunt; quod ex causis longè minoribus eorum quilibet aduentarit. Si quid ex ardenti desiderio vltrà quam decet ingerimus, ex benignitate consuetâ, Pater, ignoscite, affectumque nostrum, apicemque negotij vlteriùs & potiùs quam verba spectate. Illud autem silere nulla ratione debemus, quod reuerendi Pontifices, & Abbates nostri, & inferioris status venerabilis Clerus, tam magnificè ac decenter, tam honestè inter nos se habuerit ac prudẽter, & armis Deo potentibus tam constanter ac triumphaliter dimicauit, vt coronam victoriæ de manu Domini omnino debeat expectare, & eorum in perpetuum esse meruerit in benedictione. Memoria, & ne quid eis in vlla gratia desit Apostolici fauoris, & gratiæ cumulum, pro tam benè meritis euidentiùs reportare. Illustrem virum Dandalum Ducem Venetorum dilectum nobis & meritò diligendum, cum amicis sociis nostris venetis, quos fideles ac industrios per cuncta reperimus, sanctitati vestræ, pro suæ probitatis merito plurimum commendamus. C

EPISTOLA

A

EPISTOLA RESPONSIVA SVMMI PONTIFICIS AD BALDVINVM IMPERATOREM.

Ex eodem MS. exemplari.

LITTERÆ Imperatoriæ dignitatis, quas nobis per dilectum filium Balochium fratrem militiæ templi, tua deuotio destinauit, paterna benignitate recepimus, earumque tenore pleniſſime intellecto, gauiſi ſumus in Domino, & in potentia virtutis ipſius. Quod is qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, magnifica tecum miracula dignatus eſt operari, ad laudem & gloriam nominis ſui, & honorem & profectum Apoſtolicæ ſedis, & ad vtilitatem & exaltationem populi Chriſtiani, vt de tua taceamus magnificentiâ & virtute, illud autem inter cuncta nobis gratum eſt & acceptum, & ſuper tuam prudentiam commendamus, quod potentiæ tuæ parum aut nihil, Deo autem & nobis totum adſcribit vt exaltet humilitas, quod ſuperbia non extollit. Sperantes igitur, immo pro certo tenentes, quod tu ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, quæ cunctorum fidelium mater eſt & magiſtra, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta ſemper cupias venerari, ad honorem tuum diligens ſtudium impendere volumus, & operam efficacem, vnde tam te, quam terram, & homines tuos ſub principali beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, dantes firmiter in præceptis vniuerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, nec non aliis Eccleſiarum Prælatis Regibus quoque, Ducibus, & Comitibus, cæteriſque principibus & populis vniuerſis, vt terras & homines tuos manuteneant, & deffendant, nec eos moleſtent, nec ab aliis faciant moleſtari, ſed Archiepiſcopi, & Epiſcopi & perſonæ diſcretæ Eccleſiæ iratos compeſcant, & eos ad ſatisfactionem omnimodam, etiam per excommunicationem in perſonas, quam per interdictum in terras omni occaſione ceſſante, compellant. Vniuerſis etiam tam Clericis, quam Laicis, cruceſignatis conſiſtentibus tecum in exercitu Chriſtiano, ſub ſpe remiſſionis & Indulgentiæ, quam ſedes Apoſtolica pollicetur iniungimus, & mandamus vt ad deffendendum & retinendum conſtanter imperium, per cuius ſubuentionis auxilium, terra ſancta facilius poterit de Paganorum manibus liberari, tibi prudenter, & potenter adſiſtant, & nos interim tibi de ſuccurſu, pro vtraque terra mittendo, ita diſponere ſatagemus, quod affectum animi noſtri per exhibitionem operis comprobabimus. Illud autem fili chariſſime, ſollicita debes meditatione penſare, quod poſtquam Regnum Græcorum ab obedientia ſedis Apoſtolicæ deuiauit, de malo ſemper declinauit ad peius donec à ſuperbis ad humiles, ab inobedientibus ad deuotos, à ſchiſmaticis ad Catholicos, iuſto Dei iudicio eſt tranſlatum vt per obedientiæ virtutem reſurgat ad bonum, quod per inobedientiam defluxit ad malum. Quocirca ſublimitatem tuam monemus, & exhortamus attentius in remiſſionem tibi peccatorum iniungentes, quatenus Græcorum Eccleſiam, & Conſtantinopolitanum Imperium quod ad inuocationem Apoſtolicæ ſedis, gratia tibi diuina ſubiecit in ipſius obedientia ſtudeas conſeruare, per quod & ipſum tibi melius conſeruabit, attentiùs prouiſurus, vt Eccleſiaſtica bona tam immobilia quam mobilia diligenter facias cuſtodiri, donec per noſtræ diſpoſitionis arbitrium ſalubriter ordinantis, & quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo ſine confuſione reddantur.

A

GESTA
LVDOVICI OCTAVI
REGIS FRANCIÆ
PHILIPPI AVGVSTI FILII
AVCTORE INCERTO.

B

Editio Petri Pithœi emendatior.

ANNO Domini millesimo ducentesimo, vicesimo tertio, defuncto pridie Idus Iulij Rege Franciæ Philippo famosissimo, qui Normannos subiugauit, Ludouicus eiusdem primogenitus ex Ysabella filia Balduini Comitis Hanoniæ, eidem succedens in regno, octauo idus Augusti prædicti anni, scilicet in festo Sancti sixti Remis à Guillelmo Remensi Archiepiscopo cum Blanchia vxore sua præsente Iohanne Rege Iherusalem & regni Principibus in Rege 3 Franciæ coronatur, anno ætatis suæ tricesimo sexto. In hoc ergo rediit regnum ad stirpem Karoli magni Imperatoris, de qua originem ex parte matris dignoscitur contraxisse.

Quædam recapitulatio de origine Regum Francorum. Rubrica.

FRanci namque origine Troiani adhuc paganorum ritu dediti regnum suum in Gallias stabilierunt, vt in præsenti cernitur, quæ nunc ab eisdem Francia nominatur. Anno itaque Domini 484. Childerico eorum rege mortuo, qui ciuitatem Treuerim cepit; Clodoueus filius eius regnum Franciæ fortiter tenuit & ampliauit: qui à Sancto Remigio baptismi gratiam cum suis subiectis percipiens regnauit ipse & eius progenies in regno fœliciter vsque ad annum Domini septingentesimum quinquagesimum. Excepto quòd per annos fere octoginta, octo à tempore Clodouei siue Ludouici regis mariti Sanctæ Batildis reginæ regibus à solita fortitudine degenerantibus, regni potentia per Maiores domus disponebatur. Vnde factum est vt Pipinus pater Caroli magni ex regali prosapia descendens per Blitildem filiam Chlotarij primi Maior domus sub Hilderico rege insensato efficeretur. Quo Hilderico à Francis reprobato, & in monasterio retruso, Pipinus auctoritate Apostolica, & electione Francorum in Ecclesia sancti Dionysij in Francia à Papa Stephano cum vxore & filiis in regem vngeretur, eorumque generatio in hæreditatem regalis successionis in perpetuum benediceretur, & omnis alienigena ab eius inuasione Apostolico anathemate interdiceretur. Regnauit autem eorum progenies in regno Francorum, vsque ad annum Domini nongentesimum vicesimum * sextum. Tunc Hugone Caputio comite Pariensi & duce Francorum regnum inuadente, translatum est de genealogia Carolorum in progeniem comitum Parisiensium, qui de genere Saxonum processerunt. In gestis etiam Sanctorum Richarij & Valarici legitur, quòd eorum corpora translata sunt à suis Ecclesiis in Ecclesiam beati Bertini apud sanctum Audomarum in Flandria. ibique timore Normannorum & Danorum, qui pene Franciam vastauerant, reposita tanquam in loco, tutiori. Cumque Normanni tempore Caroli Simplicis conuersi

C

essent

A essent ad fidem Christi, reportati sunt ad suas Ecclesias. Attamen cùm ea monachi sui repeterent, monachi S. Bertini ea per violentiā Arnulphi comitis Flandriæ detinebant. Tunc S. Valaricus Hugoni magno Parisiensi Comiti, patri scilicet Hugonis Caputij, apparuit in somnis, & dixit ei: Vade ad Arnulphum comitem Flandrensem, & dic ei, quòd de S. Bertini Ecclesia remittat corpora nostra in Ecclesias nostras. plus enim loca nostra diligimus quam aliena. Requisitus ab Hugone quis esset vel quis eius socius? Ego, inquit, vocor Valericus, socius autem meus Pontiuensis Richarius. Quod ergo tibi præcepit per me Deus, age festinanter, & ne dissimules. Hugo igitur ad Arnulphum pergens, quæ sibi mandata fuerant indicat. At ille superbo animo Sanctorum corpora reddere recusat. Tunc Hugo constāti animo dixit Arnulpho: Vide vt illo die & illo loco corpora Sanctorum honestè mihi deferas animo spontaneo; quod si non feceris spontaneus, postea facies inuitus. Tunc Arnulphus timore Hugonis & potentia constrictus, duas thecas auro & argento decorauit, in quibus prædictorum Sanctorum reliquias deposuit, ac die condicto ad Monasteriolum supra mare, quod castrum regis Franciæ est, Hugoni decenter retulit. Ille vero vnumquemque in suis locis resignauit. Sequenti nocte B sanctus Valericus in somnis iterum Hugoni apparuit, & ei dixit: Quoniam fecisti studiosè quæ præcepta sunt tibi, & nos ad loca nostra retulisti, successores tui in regno Francorum vsque in septimam generationem regnabunt. Possumus autem præcisè ab Hugone Caputio rege filio istius Hugonis Comitis vsque ad Ludouicum istum septem generationes inuenire. Nam idem Hugo Caputius rex primus de genealogia Hugonis Comitis, genuit Robertum, Robertus Henricum, Henricus Philippum primum, primus Philippus Ludouicum Grossum, Ludouicus Grossus Ludouicum iuniorem, Ludouicus iunior Philippum secundum patrem istius Ludouici de quo agimus. Qui Philippus rex ipsum Ludouicum genuit, vt dictum est, ex Elisabeth siue Isabella filia Balduini comitis Hanoniæ. Nam idem Balduinus processit de progenie Emeniardis Comitissæ Namurciæ filiæ Caroli Ducis Lotharingiæ patrui Ludouici regis vltimi de genere Caroli magni sine hærede defuncti, contra quem Hugo Caputius regnum vsurpauit, & Aurelianis in carcere mori fecit, & vsque ad quem progenies Pipini & Caroli magni Imperatoris in regni potestate perseuerauit. Cum igitur iste Ludouicus in regno successerit patri, patet regnum in ipso redactum ad progeniem Caroli magni, & ex prædicta etiam sanctorum corporum relatione & iussione, videtur illa regni translatio facta fuisse per Domini voluntatem. In gestis etiam Aquitanorum legitur, quòd Ideo Caroli progenies reprobata creditur, quòd iam Dei gratiam negligens, Ecclesiarum potius neglectrix fuerit, quàm creatrix videretur. Sed hoc Dei iudicio relinquamus, qui tempora mutat & transfert regna, sicut scriptum est. Regnum C à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos. Et iterum: Sedes Ducum superborum destruxit Deus, & sedere facit mites pro eis. Et ideo ad propositum redeamus. Ludouicus igitur rex statim post coronationem suam, regnum suum circumiens, homagia hominum circumquaque recepit.

Incidentia. Circa idem tempus Amalricus Comes Montisfortis de partibus Albigensium in Franciam propter inopiam victualium rediens, Carcassonem vrbem munitissimam, & alia castra quæ cum labore maximo & sumptu inæstimabili super Albigenses hæreticos fuerant acquisita, & per annos quatuor à Francigenis possessa, reliquit. Eodem anno Iohannes rex Hierusalem prima Dominica Quadragesimæ Turonis baculum peregrinationis accipiens, ad S. Iacobum in Galicia profectus est. Qui inde reuertens per Hispaniam, accepit in vxorem dominam Berengariam sororem regis Castellæ, neptem Blanchæ Reginæ Franciæ.

Quomodo Ludouicus Rex in Pictauiam duxit exercitum, & cepit Rochelam.

ANNO Domini M.CCXXIIII. Ludouicus Rex Franciæ tertio Nonas apud Parisios Parlamentum generale tenuit; in quo Honorius Papa indulgentiam quæ in Lateranensi Concilio contra Albigenses hæreticos fuerat instituta auctoritate propria ad tempus reuocauit, & Raimundum Comitem Tholosanum fide Catholicum approbauit. Nec multum post in festo sancti Ioannis Baptistæ,

LVDOVICVS OCTAVVS. ipse Ludouicus rex cum Episcoporum, Baronum, & seruientium ac militum infinito exercitu Turonum vrbem adiit, & inde Mosteriolum castrum tendens, treugam vsque annum cum Hamerico vicecomite Toarcij reformauit. Quo facto in vigilia beati Martini æstiualis Niordum castrum obsidet; ibique machinis applicatis Sauaricum de Maloleone, & alios qui munitionem illam defendebant, in tantum lapidibus fulminauit, quòd illi se dedentes castrum illud nobile tradiderunt. Sed saluis omnibus exeuntes, ne contra regem Franciæ vsque ad sequens festum omnium Sanctorum in aliquam munitionem nisi apud Rochelam se opponerent regi, super S. Euangelium iurauerunt. Sic rex Ludouicus capiens & postea muniens Niordum castrum, S. Iohannem de Angeliaco festinus adiit. Sed oppidani timentes sibi, sua seque regi dedentes, eum honorificè susceperunt. Rex vero ita prosperis clarus successibus, Idus Augusti Rochelam obsidet, & machinis ad muros applicatis Sauaricum de Maloleone & alios fere trecentos milites ac seruientes innumeros, qui intus aderant, grauiter impugnat, & ab eis multotiens impugnatur. Tandem cùm idem Sauaricus, & alij qui intus erant cum eo, se crederent pecuniam ab Henrico rege Angliæ recepisse, archas quas eis miserat plenas lapidibus & furfure, vt dicitur, receperunt. Sicque inter illos & Anglicos, qui ex parte regis Angliæ illic aduenerant, discordia seminatur. Dum hæc taliter agerentur, diuino nutu in crastino beati Petri ad vincula apud Parisius vniuersi ac singuli ab Ecclesia beatæ Mariæ vsque ad S. Anthonium processiones solemniter celebrarunt, vt rex & triumphator omnium, triumphum concederet regi suo. Huic autem processioni interfuerunt tres reginæ, scilicet Ysamburgis quondam vxor Philippi regis Franciæ, & domina Blancha Regina vxor Ludouici regis cum filiis suis ac Regina Hierusalem domina Berengaria neptis Blanchæ Reginæ Franciæ. Quarum nec non & populi lachrymosa suspiria Deus vltionum velociter exaudiuit. Nam sequenti die Ludouicus rex dato conductu Anglicis Rochelam in deditionem accepit, nec non & villæ burgensium iuramenta. Sic Anglici, qui in illa cauda Aquitaniæ regionis diu latitauerant, amissa cauda illa à toto regno Franciæ penitus sunt exclusi. Lemouicenses etiam & Petragoricenses, nec non omnes Aquitaniæ Principes, exceptis Gasconibus, qui vltra Garonnam fluuium commorantur, fidelitatem regi Ludouico vultu deuotissimo promiserunt, & ei fideliter adhæserunt. A B

Incidentia. Infra octabas Assumptionis beatæ Mariæ apud Montempessulanum auctoritate Apostolica Concilium celebratur. Nam Honorius Papa Narbonensi Archiepiscopo dederat in mandatis, quòd ibi modum pacis quam Raymundus Comes Tholosanus & alij Albigenses sanctæ matri Ecclesiæ offerebant, audiret, & quod inde faceret, remandaret. Qui conuocatis totius prouinciæ Episcopis & Abbatibus, ac clericis vniuersis, à Comite Tholosano aliisque baronibus iuramenta recepit, quod terram securam & obedientem Romanæ Ecclesiæ redderent, & clericis redditus suos in integrum restaurarent, eisque pro damnis quindecim millia marcharum infra tres annos persoluerent, & de hæreticis confessis vel conuictis iustitiam facerent indilatam, ac pro posse suo per vniuersam prouinciam prauitatem hæreticam extirparent. In octabis beati Martini hyemalis inter Ludouicum regem Franciæ & Henricum regem Alemanniæ filium Friderici Imperatoris, qui de nouo iussu & voluntate patris fuerat in regem Alemanniæ coronatus, apud Vallem coloris Concilium celebratur. ibique ambo multa de vtroque regno tractantes, sed nihil aut parum proficisci * peragentes, ad propria redierunt. Interim autem dum Saluaricus de Maloleone in Angliam transfretaret, succursum à rege Angliæ Henrico petiturus, Anglici qui cum illo erant, de illius adiutorio diffidentes, eum latenter capere tentauerunt: sed à proposito defraudati, inefficaces in Angliam deuenerunt. Saluaricus vero de manibus Anglorum sic euadens, & pluries infidelitatem eorum expertus, Regi Franciæ Ludouico se submisit, eique in Natali Domini homagium suum fecit. Præterea Henricus rex Angliæ regnique eius proceres de amissione regionis Aquitaniæ condolentes, Concilium in regno suo generale conuocant, ad succursum Aquitaniæ pro rege suo ab vniuersis & singulis auxilium postulantes. Qui vnanimiter regi suo compatientes, inter se tam clerici quam laici decreuerunt, & fideliter promiserunt ad auxilium ipsius rerum omnium suarum mobilium partem quintam decimam se daturos. C

A daturos. Quo facto, rex collecto exercitu armatorum nauigium parat, & fratrem suum Richardum cum trecentis nauibus armatorum apud vrbem Burdegalam delegauit. Qui mari tranquillo protinus illuc applicatus, castrum quod Sanctum Macharium dicunt, obsidet & expugnat. Quo completo, regionem circumiacentem destruens, Rorollam villam obsidet & molestat. Sed gens villæ illius armis admodum erudita, ei resistit viriliter & repugnat. Quam villam cum diu molestasset frater regis Angliæ diuersis assultibus, nihilque penitus profecisset; Ludouicus rex Franciæ prædictæ villæ compatiens cum Marescallo suo stipendiarios milites illic misit. In quorum aduentu Richardus ab obsidione recedens, eis supra ripam Dordaniæ fluminis obuiauit. Franci verò vlterius propter fluuium transire non valentes, Limolium castrum obsident & expugnant, dominumque de Bragerat regis sui Ludouici subiugant ditioni. Quod Anglici percipientes, & cum eis confligere non audentes, in Angliam reuersi sunt.

Incidentia de quodam, qui finxit se esse Balduinum Imperatorem Constantinopolitanum.

B ANNO Domini M.CCXXV. mense Aprili, venit quidam homo in Flandriam qui dicebat se esse Comitem Balduinum quondam Imperatorem Constantinopolitanum, & se de Græcorum carcere quasi per miraculum liberatum. Quem videntes quamplurimi, multaque signa Comitis Balduini quasi in eo deprehendentes, multa etiam gesta & dicta præfati Comitis, nec non & intersigna ab eo audientes, & ea veraciter cognoscentes, eum quasi dominum receperunt, & Comitissam filiam Balduini Comitis quam exosam diu habuerant ab omni fere Comitatu Flandriæ protinus eiecerunt. Illa verò quasi Comitatu perdito desolata regem Franciæ Ludouicum adiit, multum deprecans & plura ostendens, vt ei suum restitueret Comitatum. Qui eidem acquiescens, pluribus gentibus apud Peronam adunatis venit, ibique illum qui fingebat se Balduinum Comitem Flandriæ dato conductu ad colloquium conuocauit. Qui ibidem adueniens cum multitudine gentium, dum in præsentia Regis ac Legati & multorum aliorum de multis rebus inquireretur, ad ea respondere coram omnibus dedignatus est. Quo viso Rex vehementer accensus, eum infra tertium diem de regno suo iubet egredi, dans ei conductum & licentiam redeundi. Ipse verò apud Valentianas rediens à suis deseritur, & tandem sub specie mercatoris per Burgundiam fugiens à quodam milite captus, Comitissæ redditur, & carcere mancipatur. Quem sui postea diuersis pœnis afficientes, ad vltimum patibulo suspenderunt.

Eodem anno in festo Apostolorum Petri & Pauli Romanus sancti Angeli Diaconus Cardinalis legationis officio fungens in Francia Turonis venit, & sequenti C tertia die cum Rege Franciæ Ludouico Caynonem perrexit. vbi rex cum Hamerico Vicecomite Toarcij vsque ad festum Magdalenæ treugas prolongauit. Statimque Rege in Franciam remeante, & Parlamentum Parisius conuocante in vigilia beatæ Mariæ Magdalenæ; Vicecomes Toarcij Parisius veniens, coram legato & Regis Angliæ nunciis præsentibus homagium regi fecit. Circa verò Purificationem beatæ Mariæ Ludouicus Rex & magnates regni Franciæ quàm plurimi, & Archiepiscopi & Episcopi & Barones Parisius adunati contra Albigenses hæreticos crucis signum per manum Romani Cardinalis assumpserunt.

Quomodo Ludouicus Rex cepit Auignionem, & in reditu suo defunctus est.

ANNO Domini M.CCXXVI. Ludouicus Rex Franciæ & omnes cruce signati Bituris conueniunt. Et inde procedentes per Niuernam & Lugdunum ciuitates apud Auignionem vrbem fortissimam & quasi inexpugnabilem, ab Ecclesia Romana per VII. annos excommunicationi subiectam propter hæreticam prauitatem, peruenerunt. Cùm igitur Rex crederet pacificum per Auignionem transitum habiturum, propter quasdam præuias pactiones quas cum illis de ciuitate habuerat, illi portas suas clauserunt, & Regem cum suis exteriùs excluserunt. Rex miratur, & spiritu virtutis assumpto villam obsidet, obside tripertito in vigilia S. Barnabæ Apostoli, quæ fuit quarta feria Pentecostes machinæ eriguntur, trabucheta, petra-

LVDOVICVS OCTAVVS. riæ, mangunnelli parum proficiunt, quia ij qui intus erant viriliter se defendunt. A
Durat obsidio vsque ad festum Assumptionis beatæ Mariæ. Ibidem tamen mortalitate maxima pullulante. De nostris circa duo millia telorum imbribus, & lapidum volatu, & infirmitate propria moriuntur. Moritur ibidem Guido Comes S. Pauli percussus lapide petraria; vir armis strenuus, catholicus, & honestus. Moritur etiam ibi Episcopus Lemouicensis, & Comes Campaniæ redit ad propria sine Regis licentia vel Legati. Tunc Auignienses Regis magnanimi constantiam attendentes, quòd cum suis Proceribus iuramento firmauerat se non recessurum donec villa caperetur vel redderetur, ducentis datis obsidibus de melioribus suæ ciuitatis iurant stare Ecclesiæ se mandato. Ad mandatum igitur Legati & Rege imperante fossata implentur, trecentæ domus turrales, quæ in villa erant, & omnes muri circumquaque solo diruti coæquantur, villa absoluitur, & Legatus inducit in eam multas bonas & laudabiles constitutiones. Magister verò Nicolaus de Corbeia monachus Cluniacensis in ipsius loci Episcopum consecratur. Rex inde amoto exercitu progreditur per Prouinciam, & redduntur ei pacificè ciuitates, fortericiæ, & castra omnia vsque ad leucas quatuor à Tholosa. Rex verò loco sui Himbertum de Belloioco toti illi præficiens regioni redire in Franciam properauit. Die autem Iouis ante festum omnium Sanctorum regem ad propria redeuntem infirmitas mortalis inuasit, & die B
Dominica subsequenti, scilicet in octabis omnium Sanctorum, dum esset apud Montpancier in Auernia, anno Domini M.CCXXVI. migrauit ad Christum. Vir vtique catholicus & miræ sanctitatis omnibus diebus vitæ se non maculauit, præterquam cum vnica vxore sua sibi legitimo matrimonio copulata. Ibi dicunt completam fuisse prophetiam Merlini, qua dicitur: In ventris monte morietur leo pacificus. Quo in loco non est auditum ante ipsum regem aliquem decessisse. Corpus verò eius sui ad Ecclesiam beati Dionysij in Francia transferentes, eum iuxta patrem suum Philippum Regem Augustum honorificè sepelierunt.

FRAGMENTVM DE VITA EIVSDEM LVDOVICI VIII.

Ex veteri Codice MS.

ISTE LVDOVICVS octauus filius fuit Philippi secundi ex Ysabelle filia Balduini Comitis Hannoniæ: iste in pueritia positus Regni videlicet patris sui anno vndecimo, ægrotauit morbo graui, qui à medicis dissenteria nominatur, omnibusque de vita desperantibus, fuit in commune deliberatum, quod Conuentus Beati Dionysij ieiuniis, & orationibus deuotè præmissis, portans secum, clauum & spineam coronam Domini, & brachium sancti Simeonis senis, cum processione Cleri & populi, nudis pedibus incederent. Vt autem ad Ecclesiam sancti Lazari iuxta Parisius C
venerunt vniuersi Conuentus Religiosorum vrbis Parisiacæ & venerabilis Mauritius Parisiensis Episcopus, cum suis Canonicis & Clericis, & infinita populi concurrente multitudine, cum sanctorum corporibus, & Reliquiis, nudis plantis flentes obuiam venerunt, & coniungentes se illis cantantes cum fletu multo, & suspiriis, ad Palatium Regis, vbi puer ægrotabat, venerunt, & facto sermone ad populum, & multa lacrymarum effusione, & oratione populi fusa ad Dominum pro eo, ad tactum sacri claui, & spineæ coronæ Domini, & brachij sancti Simeonis, per totum ventrem in modum crucis, eodem die puer fuit ab imminenti periculo liberatus, paterque eius Rex Philippus in transmarinis partibus exinde eodem die simili morbo est curatus. Osculatis itaque à puero sanctis Reliquiis Dominicis, ac benedictione sibi data, ab omnibusque in Ecclesia Beatæ Mariæ solutis diuinis laudibus processio beatæ Mariæ, & plures aliæ processionem beati Dionysij vsque ad villæ exitum perduxerunt, & ibi se se inuicem cum reliquiis benedicentibus vnus quisque ad propria remeauit. Gaudebantque Canonici Parisienses & populi, pro sancti Dionysij reliquiis Parisiùs deportatis, quæ alias villam sancti Dionysij non exierant pro quocumque periculo imminente, restitutaque est eadem die per Cleri orationes & populi, sanctarumque Reliquiarum Domini virtute, serenitas aëris & temperies, siquidem peccatis hominum exigentibus, multo tempore Dominus pluerat super terram.

ISTE itaque Ludouicus, vir fuit audax & bellicosus, nundum enim Rex factus, aliquando

LVDOVICVS OCTAVVS.

A aliquando dum pater eius in confinio Flandriæ & Viromandiæ, terram suam ab hostium incursu deffenderet, congregato apud Kinonem exercitu, Iohannem Regem Angliæ ab obsidione castri, quod dicitur Rupes Monachi fugauit, vrbemque Andegauiæ destruxit, ipse etiam ad mandatum procerum Angliæ Regi suo Iohanni aduersantium, eidemque Ludouico fidelitatem promittentium, totiusque Angliæ Monarchiam si ferens eis auxilium ipsum Regem Iohannem expelleret, misit primo in Angliam militum multitudinem copiosam, denique ipsemet Angliam intrauit, & à proceribus honorificè susceptus ab eis homagia suscepit, qui mortuo Rege Angliæ Iohanne, confidens de Anglicis in Franciam est reuersus. Instante itaque sedis Apostolicæ Henrico Regis Iohannis filio in Regem coronato, nobiles, qui Ludouicum susceperant, spretis iuramentis adhæserunt. Quo comperto congregata equitum & peditum maxima multitudine, Ludouicus iterum in Angliam est ingressus, sed compertis Anglorum proditione, & infidelitate, dolis & fraudibus, sine victoria in Franciam est reuersus.

HVIVS Ludouici fuit vxor nomine Blancha filia Regis Castellæ, ex qua genuit plures filios, Philippum scilicet primogenitum, qui in pueritia est defunctus, Sanctum posteà Ludouicum, Robertum Attrebatensem Comitem, Alphonsum
B Comitem Pictauensium, & Iohannem qui puer obiit, & Karolum Prouinciæ Comitem, posteà Siciliæ Regem, & filiam Elizabeth.

ISTE Ludouicus Rex Franciæ contra Albigenses hæreticos, quod & alias viuente patre fecerat, cum Baronum & Prælatorum multitudine signo crucis per manum Cardinalis accepto debellaturus ipsos hæreticos accessit Auinionem vrbem per septennium iam elapsum, excommunicationi suppositam expugnauit, & totam terram vsque Tholosam acquisiuit, rediens vero apud Montpensier in Aluernia Regni anno tertio feliciter migrauit ad Christum, qui ad Ecclesiam beati Dionysij delatus iuxtà patrem honorificè est sepultus.

C

LVDOVICVS OCTAVVS.

A

GESTA ALIA LVDOVICI OCTAVI HEROICO CARMINE.

AVCTORE NICOLAIO DE BRAIA.

Ex Codice MS. Ioannis Beſly Pictonis, in Præpoſitura Fontiniaci Comitalis Conſiliarij, & Regij Patroni.

B

MAGNANIMI Regis Ludouici fortia geſta,
Quam probus extiterit, quæ bellica Gallia vidit
Hoc Duce regnante, & quantæ probitatis honores,
Quot laudum titulos fuerit dum vixit adeptus
Muſa refer : cui ni fatales fila ſorores
Tam citò rupiſſent vitæ, florente iuuenta
Magnus Alexander, cui totus ſubditus orbis
Paruit, hic rediens à gadibus Herculis vſque
Ad gangem, breuis ac humilis ſuccumberet illi,
Reſpectuque ſui Romanæ gloria gentis
Laudibus & meritis contemptus Iulius eſſet.
Ingeniique mei vires fœcundet Apollo,
Et mentis latebras irroret rore ſophiæ;
Sed neque Pieridum deſit mihi gratia ſacra
Et cordis venas Dyrceus inebriet amnis
Poſſit vt iſte labor finiri fine beato:
Et tu quem decorat virtutum ſchema ſophiæ
Gratia, quem genitrix, & virgo pudica, pudicum
Eſſe ſibi gaudet famulum, quo præſule ridet
Artibus ingenuis vernans vrbs Pariſienſis
Quo feſtinat eum Aluernia fomite felix,
Gemma Sacerdotum, Cleri decus, huc ades, aures
Huc aduerte tuas, cœptis patiare camœnam,
Præſidioque tui Braiæ Nicolaus alumnus
Gaudeat, & robur tua gratia conferat illi,
Pluſquam Pyerides, pluſquam fœcundus Apollo
Conferet ingenio tua gratia ſola iuuamen
Eſt labor iſte grauis, ſed te mediante, laboris
Huius onus, leuiter mea mens perferre valebit.

Tunc temporis Præſul Pariſienſis Aruernus.

C

Hoſtibus afflictis, quos quondam Flandria miſit
Rex Regum mundi venerabilis ille Philippus
Catholicæ fidei calidus deffenſor, & ogis.
Francigenæ gentis & lux, & gloria vernans
Debita naturæ perſoluit, carcere carnis
Sumpto. Poſt obitum cuius diadema recepit
Filius, & Regni regimen ſuſcepit habendum,
Celſus & in ſolio ſceptro radiauit eburno,
Gentibus, & gazis, & abundans rebus opimis.
Vrbs eſt Metropolis, quam quondam compoſuiſſe
Iliadem Remum teſtatur fama priorum

Qui

A Qui quoque Romuleos incautus præpete saltu
Transiluit muros, delictum morte piauit,
Et scelerosa manus fratrem fraterna peremit.
Hanc dixere Remis veteres, à compositore.
Hac in vrbe prius idololatra culta fuerunt
Cum ferus ad libitum toto regnaret in orbe
Hostis, & in tenebris humana propago federet,
Sed postquam verum lumen de sede superna
Decendit Christus, carnis velatus amictu,
Virginis ex vtero sacro, sine semine natus,
Creuit & alma fides: sic vrbs errore relicto
Catholicæ fidei sibi sumpsit religionem
Fontis in amne, lacu mundo sua crimina mundans,
In qua Remigius diuinæ præco salutis
Pontificale decus tenuit, cuius prece rorem
Misit in ampullam cœlestem Rector Olympi
B Corpus vt hoc lauacro Regis deberet inungi
Deficeretque liquor ibi corpore Regis inuncto,
Rex ergo sumpto capiti diademate Regni
Venit in hanc vrbem, ne iura retunderet vrbis,
Eius vtrumque latus procerum stipante corona,
Regalique modo corpus Regale, liquore
Dicto Rex vnxit, & inunctus ab vrbe recessit,
Ad patrios fines reditus vestigia vertens
Inque breui spatio trabeatus Parisiensem
Ingreditur, Ducibus ipsum comitantibus, vrbem.
Ad Ducis ora sui, nitet vrbs venerabilis, & quas
Prouida cura patrum veterum congesserat olim
Exponuntur opes, certat cum lumine phœbi
Fulgur gemmarum, lux luce noua superari
Se stupet, & terris alium dare lumina solem
Sol putat, & queritur solitum iubar exhebetari
Vestibus auriuomis, rident fora compita vici,
Diuersisque locis ignescit serica vestis,
Grandeui ciues, & feruens mente iuuenta
Aspectuque graues annis sufferre paratus
Purpureos nequeunt, serui famulæque per vrbem
Se gaudent humeris secum gestare labores,
C Nec se seruitium cuiquam debere fatentur
Dum sua muriceos ad cultus lumina vertunt,
Et quibus ornatus ad tam solemnia festa
Defuit, hos cultus vestisque precaria texit.
Per fora, per vicos celebrant certamina cunctis
Publica, nec prohibet cœnalia diues egeno
Sed passim comedunt diffuso nectare venis.
Templa coronantur, cingunt altaria gemmæ
Certant fumigeri cum aromata thuris odore
Et circum pagos & compita lata choreas
Reducunt festi iuuenes trepidæque puellæ,
Occurrunt lyrici modulantes carminis odas,
Occurrunt mimi dulci resonante viella,
Instrumenta sonant, non sistrum defuit illic,
Timpana, psalterium, citharæ, simphonia dulcis
Dulce melos Regi concordi voce canentes,
Tunc labor, & studium logicorum, lisque quiescit,
Cessat Aristoteles, nec plato problemata ponit
Nec currit sortes, plausu damnante laborem.
Incedentis iter Regis, lasciuia florum

LVDOVICVS OCTAVVS.

A

Lasciuire facit. Rex alta palatia lætus
Intrans cum Ducibus regali sede locatus.
Nunquam tam celebri luxu tradente marzo
Magnus Alexander totius malleus orbis
Vrbe semiramia, labij confusio nomen
Cui dedit, & nunquam fuit exceptus, nec Atridem
Hectore distracto forti Neptunia circum
Pergama Trojanis diuisa clade peremptis
Hospite fallaci, nece sacra proterua pianti
Palladio rapto vulcani viribus, vrbis
Ædibus accensis, excepit Græcia victrix.
In facie Regis, quibus ætas longa magistra,
Nestorei sedere Duces, disponere Regnum
Quos decet, & rectè tractare negotia Regni,
Hinc procul absistit bellis effræna iuuentus
Cuius mente vigor, & vis dominatur Achillis
Quæ gerit audacis feritatem mente leonis,
Cumque tot ac tantos contemplaretur amicos
Rex sibi vix potuit includere pectore toto
Lætitiam cordis. exurgunt gaudia vultu,
Purpurat ora calor, vultuque audacia crescit.
Ex facie sola posses cognoscere Regem
Regales habitus licet & diadema verendo
Impositum capiti desint, & eburnea sceptra.
Nec mora longa, parant intrare palatia Regis
Magnifici ciues gratissima dona ferentes
Tegmina quos ornant variis insculpta figuris,
Et patrem patriæ ioconda voce salutant.
Et genibus flexis præsentant ditia dona;
Offertur Regi celatis purpura signis,
Gemmæ, Hyacinthi iubar exhebetare pyropi
Phœbei dociles, nec desunt munera Cresi,
Offertur crater, quem si sit credere dignum
Perditus ingenio fabricauit Mulciber auro,
Margine crateris totus depingitur orbis
Et series rerum breuibus distincta figuris,
Illic Pontus erat, tellus, & pendulus Aër
Ignis ad alta volans cæli supereminet illis
Quatuor in partes orbis distinguitur, ingens
Circuit Occeanus immensi fluctibus orbem
Ingenio natura suo duo lumina fecit
Fixa tenore poli, mundi famulantia rebus.
Hic pytho * psalmauit hominem tellure recenti
Iapeto natus mixta cum fluminis vndis.
Aureus orbis erat Saturno Regna regenti
Sed ioue regnanti species peruertitur auri,
Iura, fides, pietas fugiunt, fraus, proditioque
Pululat, & facinus. Astrea locatur in astris
Obsessas vitiis terras, extrema relinquens,
Stare Iouem credas munita fulmine dextrâ
Cœlo terrigenis iniusta mouentibus arma
Nec fuit id solum, sed quidquid continet in se
Ouidij magni series ter quinque laborum
Auro contexto crateris circiter horas.
Vrbs nitet in medio gazis & gente superba
Quam Niobes genitrix cytharâ, si credere fas est,
Dulce sonante melos, saxis modulamine tactis
Condidit, vt veterum dixere poëmata vatum.

B

C

* prometheus.

Portarum

A Portarum septem præfati mœnia pagos
Circuit Indago vnius quod nomina signant
Vrbis. & hanc olim thebas dixere priores.
Antè fores vrbis deducunt exequiales
Crinibus effusis percusso pectore matres
Thebaides pompas, in imagine flere videntur
Extincti fratres phœbi, phœbesque sagittis.
Hîc inter fratres liuor, Regnique cupido
Arma mouere monet, fraterno fœdere rupto
Septenique Duces portas includere septem
Obsidione parant, submergitur in stige vates
Viuus adhuc. Obeunt alterno vulnere fratres
Frater & à furiis fraternis se pharifeat.
Hic prius occasu sæuis vlciscitur armis
Filius in matrem. furiis agitatus in orbem,
Iniustamque necem iustoque furore piauit.
Quid loquor! historiam thebaida continet omnem
B In pede crateris vulcani dextera docta,
Ilion inscripsit, Hecube sua iussa rètractat,
Regia progenies àgnos, armentaque pascit
Cuius ad arbitrium sibi dempto vestis amictu
Tres venere Deæ, speciei strenuitate
Iudicis arbitrio, socias saturnia proles
Quam colit altus Eryx, excedit lintea pastor
Properat Europæ fines metitus eundo,
Inde redit prædam prædatus perfidus hospes.
Græca phalanx muris ydeis applicat alas
Diuersisque modis stragis moriuntur vtrimque.
Post duo lustra tamen vrbis venerabilis ædes
Fulminat ignis edax, complentur somnia monstris
Hîc fugit Æneas incendia, sacraque secum
Portitor euadens muros carthaginis intrat
Illîc occubuit ferro per pectus adacto
Effugiente viro coniux decepta, quid vltra?
In pede crateris depingitur exitus omnis.
Martis adulterium resupino margine pinxit,
Mulciber, & venerem laqueis cum marte ligauit,
C Pluraque celasset sub margine, sed pudor illi
Obstat, & ingentis renouatur causa doloris.
Rex vbi suscepit tam ditia dona, * reddit
Multimodas grates, & honore repensat honorem.
Seruis seruitij iuga libertate remittens,
Absoluitque reos, exceptis proditione
In patris arma caput qui direxere nefanda
Quos tenet in tenebris & carcer & vltio dignat
Cumque sui ciues exissent Regis ab aula
Orbeque dimensa phæbeis thetidis vnda
Infremuisset equis, ignescit Regia Regis
Ignibus accensis communia festa parantur,
Appositis mensis discumbit Regius Heros
Murice velatus, vestes ardente pyropo,
Discumbunt proceres, implentur vasa phalerno
Gemmea, clam labor est crateres euacuare.
Dumque fouent genium geniali munere bacchi
Nectare commixto curas remouente lyæo
Principis à facie, cytharæ celeberrimus arte
Assurgit mimus, ars musica quem decorauit,
Hic ergo corda resonante subintulit ista.

* F. munera.

LVDOVICVS OCTAVVS.

A

Inclyte Rex Regum probitatis stemmate vernans
Quem vigor & virtus extollit in æthera famæ,
Indole virtutis qui vincis facta parentis,
Maior vt Atrides patrem Neptunius Heros
Egea, pelides excedit pelea, Iason
Esona, nec prolem pudor est euincere patrem,
Corde gigas, Agnus facie, Laërtius astu
Consilio nestor, linquosos effuge seruos,
Neue velis adhibere fidem iactantibus aures
Nam sic in famulos armantur sæpè potentes
Et sic iniustè iusti quicumque ligantur
Dedecet egregios vitiis corrumpere mores,
Tu pius esto piis, hostem te sentiat hostis,
Te rigidum timeat, confundas penitus hostem
Incutiente metu, si se tibi dederit ipsum
Excipe cum venia, probus hostis fiat amicus
Iungaturque tibi concordi fœdere pacis.
» Sæpè fit ex odio maiori maius amoris
» Fœdus, & ampla fides nullum peritura per æuum.
Infami vitio ne vernans fama laboret
Crimen auaritiæ fuge, donis corda Quiritum
Vnge, per hoc poteris cordis lenire dolorem.
» Largus honoratur, contemnitur omnis auarus,
» Et celebris dantis discurrit fama per orbem,
» Dat genus, & formam, dat amicos, aspera mollit,
» Muneris obsequium, dat honores, subiicit hostes.
Quid iuga sustinuit, quicquid quadrangulus orbis
Macedonum Regum, quid dextera dapsilis eius
Militibus dignis stipendia digna rependens
Exemplo simili Gallorum Iulius olim
Perdomuit fines, probitas vilescit auari:
Iura tenere velis, & ab astris iuris amore
Astream reuocare stude, discretio mentis
» Nec prece, nec pretio, nec debet amore moueri:
Non temnet fortem veneris lasciuia mentem
Ventris & ingluuie victa ratione liæo.
Sobrietatis opus sacrum corrumpere noli,
Regia maiestas radiat virtute paterna,
Illos semper ames, si quos confundat honestas,
Et probitas mentis, licet æris copia desit,
Et gemmis gazas excedit gloria more
Nobilitas generis, & origo sanguinis alti
Moribus incumbunt, & opes sine moribus obsunt,
Sic ait, & mensis prout exigit hora remotis
Nocte ferè media, reddunt sua membra quieti
Iocundi proceres, iocundaque turba Quiritum,
Purpureusque thorus corpus regale recepit,
Regis & in membris audet prorumpere somnus.
Iamque cohercebat lanquentia plaustra Bootes
Lucifero tollente caput, iam sidera prona
In mare descendunt, pallens aurora mariti
Effugit amplexus, feriente cacumina sole
Rex celer assurgit, membris torpore solutis,
Nec mora tota phalanx procerum conuenit in aula;
Iamque per octo dies fuerant cum Rege morati
Parisius proceres solemnia festa colentes
Solemnesque cibos, cum Rex remeare volentes
Ad proprios fines ditauit munere largo,

B

C

Ad

A Ad sua cum licito permittens quemque reuerti.
At Rex subiectas proponens visere gentes
Sub ditione suâ, turba comitante suorum
Emolitur iter, cum crastina fulserit hora,
Et cum noctis equos sol luce fugauerit. Ergo
Luce sequente celer Rex transuolat ad Melodunum,
Affines satrapæ mixtim cum plebe verendum
Excipiunt Regem venerantes fronte serena;
Inde gradus celeres ad quæque nouissima Regni
Transfert, impositis astringens legibus vrbes,
Pax viget in terris, concordia libera regnat
In maiestatis apicem regalis iniquè
Non est insurgens, aliquando qui dirigat arma,
Non caput extollit Normanhia, non iuga tanti
Flandria ferre Ducis humili ceruice recusat.
Interea liuor dignorum commoda mordens,
B Francica denigrans, dissoluens fœdera pacis,
Vndique pacificas cum mundi cerneret vrbes,
Et genus humanum, descendit ad atria ditis
Tristis, & alloquitur lugubri voce tirannum.
O pater æternæ caliginis! O stygiorum
Impia sceptra regens, & mundi regna secundi!
Omnimodi sceleris actor, quem Iuppiter olim
Expulit arce poli! tua quam patientia longa!
Quam iacet in terris tua spreta potentia vilis!
Iam virtus, iam recta fides dominantur in orbe
Terrarum, iam verus amor tenet omnia nodo,
Iam pax, iam pietas erectâ fronte vagantur,
Proh pudor! in terris astrea resultat, & astra
Deserit, & leges imponit gentibus orbis.
Iam ioue compulso Saturnus regna gubernat,
Gens antiqua redit, pretiosa renascitur ætas
Proh dolor! hanc rabiem noua quæque clementia vincit
Qua seruire soles. quem terra fretumque verentur,
Quæso resume tuas vires, solitumque furorem,
Et non permittas sine pœna viuere gentes,
Iam violare diem, stygialibus astra venenis
C Obfuscare velis rupta compagine rerum,
Olim virtutem de terræ sede fugasti,
Sed noua pestis adest, nec erit medicabile vulnus,
Et tua vis contempta iacet per sæcula cuncta,
Ni tibi præcaueas, ni sæua resumpseris arma.
Gallica cum regeret diademate regna Philippus
Imposito capiti, Normannia, Flandria, vires
Viribus opposuit eius, multosque labores
Sustulit, & Gallis gens omnis bella parauit.
Tum tibi sunt vires, tum prodicioque dolique
Ad libitum mundi gaudent te sceptra tenere,
At postquam Gallos Ludouicus rexit, ab orbe
Pellimur, & vires amittere cogimur omnes,
Nam flexis genibus se sternit natio quæque,
Inclinatque caput, concordia regnat vbique
Et nos indecores opprobria longa tenentes,
Proh pudor! eicimur de cœli sede, solique,
Iam pater egredere, furiis iam lora remittas,
Iam Gallos turbare velis, fastusque perennes.
Sic ait, & moti serpentes sibila promunt,
Vndique suffusis adaperta per ora venenis.

LVDOVICVS OCTAVVS.

Inficiuntque locum stygialem pumice tabe. A
Protinus antiquus serpens in pectore surgens
Infernas ædes ternis vlulatibus implet,
Tartareosque lacus murmur, solitasque querelas
Comprimit, & gemitus, ixiona non rota voluit,
Nec iam vulturibus Thycius sua viscera præbet,
Saxea defessum moles non Sysiphon vrget,
Sed datur huic requies. fugitiuas inuenit vndas
Tantalus, & fas est illi deprendere poma.
Exanques animæ liuentia lumina siccant
Et reprimunt lachrymas, quarum deforme vocauit
Concilium Sathanas, deformi gutture clamans.
Quem quia proposuit actori se pariari
Vltio digna dei submisit in igne lehennæ.
Et qui lucidior aliis fit turpior, & qui
Tam pretiosus erat fit vilior omnibus idem.
Conueniunt pestes erebi. torquata colubris, B
Hic sedet Alecto super ora vagantibus hydris,
Illic tysiphone mugit comitante Megera,
Impatiensque paris elacta superbia vultu
Excedens socias, scelerata sedilia pressit,
Hic vomit ebrietas, cui iungitur ira, furorque
Fece libido iacens flagrante medullitus ardet,
Hic sitit ambitio, quam rerum copia nulla
Pacificare potest, detractio, prodicioque,
Blanda supercilio vultus prætendit amicos,
Dignorumque tamen laudes delere laborat,
» Hic sedet hypocrisis simplex & marcida vultu,
» Et tamen aspirat ad summum culmen honoris.
Hic timor, hic luctus, hic desperatio fomes
Nequitiæ, dolor hic, morbusque, tremensque senectus.
Ingluuies absorbet opes, cui semper inhæret
Paupertas humilis & quam comitatur egestas.
Vt tenebrosa cohors Sathanæ conuenit in aula
Et sedere Deæ, de semine quas Acherontis
Nox genuit. rauco clamore silentia rumpens
Rex ait, ô sociæ! quàm toto spernimur orbe!
Quantaque contra nos iam virtus arma parauit! C
Heu graue perferimus, & iam grauiora feremus
Vulnera! si fuerit patientia nostra diurna;
Auribus ecce meis charissima filia nostra
Detulit inuidia madido circonflua luctu,
Nescio quem terris Ludouicum nomine, cuius
Imperio totus submisit cornua mundus,
Et quo regnanti pax & concordia regnat,
Et nos indecores tenebris in carcere demps o
Expertes laudis, longo torpemus in æuo,
Orbe relegamur, & nostra potentia quondam
Vasta, iacet sterilis, nec habent hæc pondera vires;
Ergo relegatæ discurrite quid sit agendum
Nulla nisi per vos vis est mea, vos mihi vires
Vos mihi tela datis: sic dixerat hostis, & ora
Impia deformi lacrymarum rore rigauit,
Murmurat exanguis populus, velut æquora vento
Concita cum Boreas gelidus descendit ab arcto
Astringitque suis vndas glacialibus alis,
Haud mora. proditio crinita draconibus atris
Surgit, & horrisonis eructat talia dictis.

Ostygiæ

A O ſtygiæ noctis Diuæ quas torquet auernus
Quas premit ignis edax, nobis fera bella mouere
Non licet in ſuperos, prohibent contraria fata
Et quem neſcio quæ peperit ſine ſemine virgo
Id prohibet, quondam qui cum cruce clauſtra baratri
Fregit, & à præda violentus nos ſpoliauit.
Sed tamen humanos ſi vultis lædere, gentes
Ad facinus promptas habeo, quas felle megera
Pauit vipereo tenera florente iuuenta;.
Neue ſit in dubio noſtræ ſententia mentis,
Quæ fuerint dicam. decliui littore ponti
Nobilis & fama toto celeberrima mundo
Diuitiiſque potens priſcis, & gente ſuperba
Eſt rupella ferens Regis iuga vertice, cuius
Imperioque paret, paruitque Britannia maior,
Prædominor ſiquidem Rupellæ gentibus, haſque
B Efficiam gentes pacem corrumpere, marte
Pacificum turbare Ducem, cui Gallia ſeruit.
Dixit, & ex templo dempsâ caligine cæca
Egreditur, ſecumque tulit lethale venenum,
Quo mediante perit & amoris fœdus, & almæ
Integritas fidei, pacis compagine rupta:
Quo Rupellenſes inter præcordia mentis
Vt ſumpſit, celeris tenebroſa refertur ad antra
Tartareoſque lacus & olentia Sulphure ſtagna;
Prefectos ergo ſtimulatio tanta furoris
Nouit, vt affines, & quos ſub Rege ſtatutos
Gallorum ſcierant, ſpoliarent diuite præda,
Exurunt villas, perfrangunt oppida; vinclis
Carceribuſque domant homines, coguntur obire
Prædomiti cogente fame mutilique recedunt
Auribus, aut oculis, aut naribus emuculati.
Nuncius intereà Regis peruenit ad aures
Rumor, & auditis regaliter æſtuat ira
Nec tamen abceſſit diſcretio prouida mentis,
Qualiter hyrcanus cum fortè remiſerit iras
Semianimamque leo, ſi quis tamen incitet ipſum
C Ad ſcelus aſſuetum feritatis tela *........... * mutilus locus
Et furor aſſuetus, naturaque feruet in illo,
Nec metuit gladios nec tela minantia mortem,
Se ruit in quocumque loco rapit impetus illum,
Sic Rex tam placidus, & tam tractabilis, illo
Suſcepto rumore mali, vix imperat iræ
Æſtuat & vultus protendunt ſigna furoris,
Rex ergo proceres nulla ratione morantes
Per ſua ſcripta vocat, tenuit mora nulla vocatos
Conueniunt ad iuſſa Ducis, fit murmur in aula
Multiſonum, variis implent rumoribus aulam
Ignari quid agant; ſecretis Rex venerandus
Egreditur thalamis, cuius reuerentia, cuncta
Murmura compreſſit, & nomine quemque ſalutat,
Qualiter in ſuperos taciturna ſilentia quondam
Iuppiter edixit, dum narrat & explicat illis
Hoſpitis Arcadici facinus menſaſque nefandas
Et genus humanum penitus ſe perdere velle.
Rex ita ſollicitus intrinſecus ora reſoluit
Et cordis gemitus reprimendo ſubintulit iſta.
Tutores patriæ, quorum virtute ſuperbit

Gallia, quos olim vidit Normannia tristis
Victores, quorum discurrit fama per orbem,
Vndique vestrarum referens præconia laudum,
Flandria quos etiam sensit spoliata trophæis,
Vltores sceleris & magnæ proditionis
Cum dominum patremque suum diademate sacro
A teneris annis quos fouit Francia, belli
Nutrix, meque sui ritu spoliare pararent
Sanguinis actorem nostri, sed dextera nostra
Et vigor, & probitas hostilia cornua fregit;
Ecce nouum vulnus nobis inferre minatur
Hostilis rabies, nec erit reparabile damnum
Imperij nostri, nisi nostram senserit iram
Quam tremuit quondam sensitque Britannia maior:
Hostis pernicies, nobis probitatis agendæ
Area lata patet, fortunam censeo, tantos
Bellorum motus, tantos agitasse furores
Vt maior fiat crescendo gloria nostra;
Ecce vocat nos ad bellum noua causa triumphi
Gens rupellensis, vestros contempta lacertos
Et vestræ virtutis opus, iam Gallica regna
Inuasit, villas exurit, & oppida nostra
Destruit, & nostros homines in carcere cogit
Proh pudor! imbelles, ignaui viribus, armis
Francorum Regem vobis viuentibus audent
Infestare, grauis victos nec pœna sequetur?
Absit, delinquens etenim de iure meretur
Ferre quod emeruit, fuerit si reddita merces
Lance pari, petimus quod quisquis sentiat hostis,
Quam graue Gallorum per bella lacessere Regem,
An nostra nomen fama mediante loquaci,
Herculis excedit gades, an solis ab ortu
Solis ad occasum tremeret quadrangulus orbis
Si genus humanum velletis marte domare
Militat in nostris semper victoria castris
Et vexilla gerit, hæc vobis subiicit hostes
Hæc est vestra comes, hæc est deffensio vestra,
Hac ergo mediante viri deffendite Regnum
Et patrium retinete decus, deuincite molles
Imperiique iugo nostri supponite molles
Nec labor iste grauis, tamen ingens palma paratur
Et semper nomen erit indelebile vestrum,
Si Regalis honor, si vobis apretietur
Regia maiestas, fient quæcumque monemus.
Non ego solus homo possum deffendere solus
Imperium, solus galeam si sumpsero, solus
Si pugnare velim, quid aget mea dextera sola?
Dedecus incurram, sed vos opprobria, sed vos
Infames reddet infamia turpis & atra,
„ Este precor memores quâ sitis origine nati
„ Et quantis titulis vestri nituere parentes?
Quanta fides & quantus honos & gloria quanta
Impenduntur eis, nunquam viuentibus ipsis.
Gallica senserunt fieri sibi regna.
Viuet in æternum Karolus Rex robore, cuius
Floruit alma fides superato marsilione,
Pippinusque pater domiti per fata Leonis,
Fama perennis erit aliorum per sua gesta

A Per totum digesta solum, nostrique Philippi
Gloria durabit quod Flandria senserit illum.
Quid referam nostros fidei sacra iussa tenentes
Viuet Atridarum laus, quorum pergama fracta
Persensere manus inuisas, viuet Achilles
Casibus Hectoreis, & turni morte rebellis
Æneæ virtus æternum nomen habebit:
Vnanimes ergo pro libertate tuenda
Et patriæ causa pendentis in arma ruatis.
Viribus oppositis vestras opponite vires
Et tantum cohibete nefas : tantumque furorem?
Decidat in laqueos & retia quæ parat hostis.
Sic ait, & proceres se promisere paratos
Seque secuturos per cuncta pericula mundi.
Tum petrus ille comes * toties expertus in armis
Suppliciter Britonum cui seruit terra minorum
B Laudibus innumeris Arturum prætitulatum
Excedens & mente gerens & corde Leonem,
Quemque ex parte patris dicunt de sanguine Regis.
Sic ait, ô bone Rex, ô proles clara Philippi.
Digna parente tuo virtutis habes manifestam
Materiam, iam castra moue, iam transfer in hostes,
Nec dubites nos esse, tuos tua iussa sequemur
Vnanimes, habeat quæcumque pericula tellus
Vndisonum quodcumque fretum, superabimus, & nos
Te duce non vomitus dubitamus inire caribdis
Nec tua, sylla rapax, renuemur monstra videre
Infernosque lacus, & cerberon illaqueatum
In rigidis vinclis, & te ductore paramus,
Si nobis liceat, si sit tua grata voluntas
Antipodum penetrare sinus, aliumque videre
Solem cum populis; ergo Dux optime duc nos,
Otia Lenta moue, quid enim torpemus inertes
Proh pudor! ignauum consumit inertia corpus
Et mollis requies; sed tendit in ardua virtus
Ergo viros Rex inuites, & collige vires,
Propositumque tuum foueas, sit sollicitudo
Sola tuæ mentis hostes confundere, nulla
C Sit mora, contemptum generat patientia longa.
Sic ait & procerum mentes animauit ad arma,
„ Qualiter Anthomedon stimulis latus vrget equorum
„ Saltat equus læsus, & cursus fortius auget.
Rex vbi tam pronos est contemplatus amicos
Ad bellum, ne qua causa sua vota morentur
Collegit vires, vt victor Iulius olim
Diuus cum magno perhiberet Roma triumphum.
Qualiter omnipotens cum proposuere gigantes
Affectare polum, cum pelion ossa tulisset,
Egida cum quateret pallas, cum delius arcum
Cum dea syluarum sua tela, suasque sagittas,
Natio tota ruit diuisis partibus orbis
Et vario variæ resonant idiomate linguæ,
Hic brito præsumens Arturum viuere Regem
Non fas esse putat............sumere......
Arturo pro Rege suo; Normannia misit
Naturæ vitio tumidos, & marte feroces,
Flandria Flandrenses, quorum fomenta butyrum
Caseus & lac sunt, quorum ceruilia potus.

* Britannia minoris.

LVDOVICVS OCTAVVS.

Ysara pugnaces adhibet qui sanguine fuso
Insomptis credunt vlcisci facta parentum,
Et luit alterius insons quemcumque reatum.
Audaces & marte probos Campania fudit
Cum secana; veniunt rapidis quos circuit vndis
Saxa rotans Rodanus quibus est Deus inficiatus
Cum fugitiua pulex iurantes decipit ipsos.
Hic Brito pro Petro; Normannia Rege Richardo
Intumet; alterius quod vis sit sub pede Regis.
At Comes egregius & Martius ille Philippus
Boloniæ, patris imitans pia gesta Philippi
Gloria Picardis, Comitem sed Flandria luget.
Nam Ferrandus erat ferratus compede ferri
Et veterum gestis exultat Gallia Regum.
At Theobalde Comes de te Campania risit
Et rideret adhuc, sed facta sequentia primis
Distant. principium finis persæpe nigrauit
Inclita militibus Burgundia de Ducis actis.
Hic galeam miles scabra rubigine tinctam
Elimat, clypeus reparatur, & ensis acumen,
Cuius mucro vorax penetret vitalia terræ
Sanguine purpureo, virides & purpuret herbas
Nexilibus maclis vestis distincta nouatur *
Et caligo ferri, cruris munimina tuta.
Hic lasciuit equus, quem gramen pascit yberi,
Et vacuas resonis hinnitibus incutit auras,
Hic pedites fundas reparant, hic plumbea massa
Vertitur in glandes fracturaque machina muros
Arce laboratos, vt moles saxea turres
Diruat, vt sternat hostes, confundat vt ædes,
Pilis & iaculis oneratur dextra, sagittis,
Implentur pharetræ tinctis in tabe venenis
Vt gemina causa geminetur mors morienti
Non arcus, non hasta grauis, non sæua bipennis
Non desunt falces, gladiis armantur acutis,
Armatas ergo disponit in ordine turmas
Rex, digressurus cum phœbus crastinus ignes
Fuderit, & toto radios induxerit orbe
Et iam prima dies à thetidis Herperus vndis
Eduxit currus; & nox subit humida rore,
Et iam post mensas & pocula sumpta liæi,
Languida membra quies inuitat, Regia Regis,
Accipiunt corpus venerabile strata; sed ipsum
Sollicitant curæ vigiles; ipsumque fatigant.
Et iam noctis erat medium, iam plaustra Bootes
Flexerat obliguè, iam cornua deficiebant
Lunæ. cum tandem Regis sopor occupat artus.
Tum Ducis antè thorum victoria stare videtur,
Crinibus ornatis, erecta fronte, superba
Incessu, cernens obliquo lumine quemquam
Indignans huiusce parem, quam limbus adornat
Aureus, & cuius caput ambit circulus auri,
Clamor hic & plausus, citharæqite sequuntur euntem,
Hæc siquidem tanto suggessit talia Regi.
Inclyte Rex Regum Regis Ludouice Philippi
Martia progenies, cuius nitet inclyta virtus,
Cuius Alexandri vigor expectatur ab ortu,
Solis quem tremuit quadrangula machina mundi,

* antiqua Gallorum armatura. varro.

Herculis

A Herculis ad metas, cui cædunt Cæsaris acta
Pompeium licet expellit, totumque senatum
Omnis honoris onus rapiens, Romanaque iura,
Ne timeas ego sum mundi Regina, potentes
Cui cedunt, ego sum Gallorum maxima mater
Quæ tua castra sequor, quæ te rego, qua mediante
Gallia peruenit ad summum culmen honoris,
Et tua sum nutrix victoria, quæ tua semper
Nomina promoui, titulosque, decusque tuorum
Ecquid sollicitum video te? te quia nutrix
Confirmare volo solamine, discute curas
Ne dubites hostes inuadere, nomine solo
Terrebis, famaque tua victoria tecum
Semper erit, iam se tibi tradent, & sua de se
Deque suis fiet quicquid tua cura iubebit.
Procures ergo superare viriliter hostes
B Me mediante tuos, vt sic tua nomina crescant,
Et tua venturis perduret fama superstes.
Dixit, & ex templo tenues euasit in auras.
Iamque cohercebat flammantia sydera cœli
Lucifer, & pulsa dempsæ caliginis vmbrâ
Effugit, & stellas hebetat phebeia lampas,
Vt maiore minus cæcetur lumine lumen,
Cum sopor humantes à pectore discutit alas
Regis, & in tacita sua somnia mente retractat,
Surgit, & eximiis artus ornatibus ornat,
At reliqui proceres ex quo sua protulit ora,
Et primo cœpit aurore rubescere mane
Deseruere thoros, positis & in ordine rebus
Coniugibus, natis, patria, Duce Rege, relictis
Aggrediuntur iter, patrio nec amore tenentur.
Nec mora fama loquax celeri delata volatu
Præcipitare refert ad multo milite Regem
Et latas Xerxis siccantis fluminis vndas
Et nimio longas excedere Cæsaris alas
Robore collecto tum cum transcenderet Alpes
Et pompeianum nomen delere pararet,
Tùm Rupellenses audito nomine Regis
C Non tumuere minus quam si compagine rerum
Disruptâ, penitus quateretur maximus orbis,
Et jouis ira grauis vibraret fulminis ignes,
Nubibus æthereis huc vsque Romana iuuentus,
Cæsaris aduentum toto fugiente senatu,
Horruit & rabiem tantum cohibere furorem.
Prouida gens ergo annonam colligit, implet
Horrea, cuncta suæ vitæ conseruat ad vsum
Implentur baccho celaria, carnibus archæ
Nec satis est, fossis scrobibus tellure reiecta
Et vallo fora percingit, & aggere muros.
Insuper adduntur robusta propagula portis,
Munitur murus lapidum munimine, quorum
Peste repellatur à muris impetus hostis
Iam caput igniuomum nabatheis lucifer oris
Septimus extulerat, cum iam pernicior aura,
Imporiosa phalanx hostiles cernere muros
Et turres poterat, tum Rex placidissimus, inquit,
Inclita progenies cui summus conditor orbis
Fauit ab æterno, cuius victoria victrix

LVDOVICVS OCTAVVS.

Laudibus & meritis extollit in æthera nomen, A
Quam comitatur honos & viuax gloria, cuius
Legibus Imperioque Regi desiderat orbis,
Ecce locus præsens, qui vobis bella parando
Materiam virtutis aget, fiducia tantum
Vestra sit in Domino, quia iam superatur, & horret
Iam vestras sentire manus perterritus hostis.
Nec pugnare mouet nos pugna, sed vltio tantum,
Haud reor immemores vos esse, quot Anglia semper
Intulit insidias nobis, quot bella, quot hostes
Quot clades, quot damna meis regnante Richardo,
Quem furor & rabies armauit tanta, quod olim
Nec renuens homines, nec summi iudicis iram
Patris in exitium nostri lethale venenum
Miscuit, & vitæ dissoluere fila parauit.
Quod si vos nec amor moueat, nec gratia nostri
Pro patriæ saltem, pro vestræ laudis honore
Vincite, consilio, vestroque fauore potiti B
Venimus huc, ergo liceat cum laude reuerti
Per iuga, per montes, per deuia rura vagantes.
Ne sonet, æternùm de nobis fabula turpis.
Sic ait & muris hostilibus applicat Alas,
Castra locat miles, herboso cespite passim
Funibus affixis Aquilas ardere putares,
Phœbi certantes radiis credebat ab alto,
Delius, in terris alium se cernere solem.
Ceduntur vites, spoliatur diuite terra,
Palmite, deplorat genitricis damna lyæus,
Falcantur segetes, queritur cebeleia mater
Se denudari, nudantur gramine prata,
Et quærit flores quos carpat police flora,
Ne vero noceat in castris turbidus hostis
Hæc circum vallo Rex mandat & aggere cingi,
Aptari tormenta iubet, quæ mole molaris
Eiecti muros ceimenti fœdere rupto
Ictu dissoluant, mortemque minentur acerbam.
Machina dirigitur, lapides quoque grandinis instar
Mittere non cessat, hominumque cadauere multo
Vestit humum; & latè funebria millia spargit C
In tanto fremitu, tantoque pauore sepulta
Mens hominum........ignara quid esset agendum
Tùm dolor & planctus & lamentatio vires
Explicuere suas, implent loca cuncta querelis
Incertamque trahunt fortunæ mobilitatem,
Mobilior foliis, celerique citatior austro,
Surdior æquoribus, monstris, & sæuior vndis.
Instabilis fortuna quid est, quid deprimit illos,
Quos exaltauit tua dextera rebus amicis
Rege bono, semper quibus vbera plena dedisti,
Vt lapsu grauiore ruant tolluntur in altum
Cumque putant cœlum cum stellis vertice tangi
Tu retrahis funem vultusque reponis amicos
Mobilitas tam prompta, potentia prompta potentes
Præcipitas, humiles exaltas, fortia frangis,
Fortia confundis, & nos exempla manemus,
Hactenus in nobis te sensimus esse benignum
Non minus ex alia miserabile parte sonoros
Agmen femineum, diffundit in aëra questus,

E quibus

A E quibus vna sedet gelida, complexa mariti
Exanimes artus quos moles saxea fregit,
Hæc laniat crines, hæc pectora plangit, & illa
Proterit vngue genas fusis super ora capillis,
Hæc queritur, silet hæc occulto stricta dolore,
Illa preces supplex eructat pectore tentans
Sollicitare Deum lacrymarum fonte fluenti,
Vt tantæ cladis discrimina sæua repellat,
Vt populi gemitus suscepit aure benigna
Hic iacet omnis honos, inflata superbia cedit,
Murmure confuso sonat angulus & locus omnis
Qualiter vndisono rector ratis æquore fractam
Cum nauem videat, hinc fluctus, impetus illinc.
Impugnat boreæ rabies, & lintea rumpit,
Iam semel à fratris tyrannia lumine lumen
Sumpserat, & plenis croceum renouauerat orbem
B Cornibus. at variis afflicti cladibus vltra
Tanta pati nequeunt, certi de morte futurâ,
Si Rex inuictus vi viuos cœperit ipsos
Rursus. fracta vident contortæ verbere molis
Mœnia mille locis, & celsas præcipitari
Turres, templa, domos proprias, & damna suorum
Non leuiora suis; ergo quia nulla salutis
Est via, se Regi reddi pars cencet, at illa
Denegat, & laxis discordia regnat habenis,
Inter quos vnus senio confectus & æuo
Sic ait, ô miseri quid tanta pericula vitæ
Fertis? quidve prodest vobis obsistere Regi?
Quem retinere nequit murus, nec porta nec arma
Vincere, quem vellet se mundus prædominari
Quis Gallis obstare queat, quis perferat iras
Et gladios horum? quis eis non supplicat hostis?
Flandrenses olim quorum domuere lacerti
Si vos degeneri strauissent fata sub hoste
Non mirarer enim vos sumere cornua, nec vos
Viribus ipsorum vires opponere nostras.
At quia vos tanta virtus infracta coëgit
C Regis, quem scitis titulis splendescere tantis,
Pacis amicitia, vobis quoque marte potiri
Tutius esse reor, & vos extrema videtis
Vitæ, si victor vi nostras fregerit arces,
Nec nostrum referunt famæ præconia Regem
Huc deferre gradus nec vos in parte tueri:
Ergo consilio freti disponite pacem,
Inter vos & eum, quid in armis degimus istis
Et sine Rege sumus, quisquis deposcet ab illo
Inueniet veniam, veniæ deposcite munus
Et dabit, & nobis, & amicis parcite nostris
Me miserum! quorum strages tam sæpè videtis
Non onus est sed honor sua tanti cædere colla
Principis imperio, sit libera vita sub ipso
Et si ventus agat mea dicta meumque procellæ
Consilium, damnum vobis scitote parari,
In hos pœna ruet, fortísque grauamina, quippe
Plectuntur miseri soli commissa potentum.
Hactenus & tacuit, cui sic obiecit & inquit
Præfectus, cuius intrabant tempora cani.
Rebus in afflictis velut in fornace profunda

LVDOVICVS OCTAVVS.

Aurum recoquitur, recipitque calore valorem A
Sic argumentum fidei patet, ergo fidelem
Nullum prosperitas, immo sors dura probabit
Fortunæ pressura grauis protendet amicum
Non amor est, sed proditio si tempore læto
Fingis amicitiam quam delent tempora dura.
Hactenus extitimus ridenti sorte fideles
Anglorum Regi, constanti mente tenentes,
Ergo relinquamus per tempora dura priorem
Infidi Dominum mentis leuitate caduca,
Hosti dedentes res nostras, nosque legatos
Vltima passuros, & crimine proditionis
Candida nigrantes nostræ præconia famæ
Absit vt hæc leuitas sit & inconstantia mentis,
In nobis, quo posteritas nos reddet possit
Infames, quo nostra queat benefacta silere
Dente quibus liuor mordaci, deneget. ergo B
Non adhibete fidem fictis ambagibus huius,
Cui si pura fides & amoris nodus inesset;
Nunquam pro domino mortem dubitaret honestam.
At vos qui Regi nostro superestis amici
Quos sincera fides, & mens infracta probauit,
Audaces animos, & robora concipiatis,
Nec dubitate mori, patriam deffendere fas est,
Et libertatem, Dominum retinere priorem,
Affectum cordis, effectu nostra probetur
Mens; & noster amor, per opus sit aptus amoris
Integer affectus, nobis continget honestæ
Mortis more mori, si nobis fata minentur,
Non gladios, non fata timent incurrere fortes,
Vel pro iure suo, patriæ vel honore tuendo
Sic semper viuet nostræ laudis decus, & sic
Posteritatis erit, virtus est nescia mortis
Semper morte frequens virtutis gloria, nostræ
Cedite pigritiæ; nec cædi parcite, cæde
Iure cadit cæsus hostis, qui cæde recedit.
Si tamen inter vos nimio terrore sepulti,
Et desperantes sine bellis, & sine nostri C
Sanguinis impensa censetis reddere villam,
Rectori nostro saltem legatio fiat
Ipsi declarans nostræ discrimina sortis
Nos extrema pati, nos pressos viribus hostis
Sic nos posteritas à crimine proditionis
Absoluet, sic nos infamia nulla nigrabit;
Dixit, & accipiens memori sua pectore dicta
Concio, consilium concordi voce probauit.
Mittitur ad Regem, sed cum legatio nullam
Secum ferret opem, missis, nullamque salutem
Spes cum mente iacet populi pendentis in arcto.
Iamque per amphractus muri via lata patebat,
Ictibus assiduis muroque minante ruinam,
Exulat in victis audacia victa timore;
Tum bis quinque senes; quibus est legatio pacis
Consilio commissa, petunt tentoria Regis
Et flexis genibus, quorum qui maximus æuo
Sic ait, ô bone Rex, ô nostri gloria sæcli
Nobis parce tuis, nos vincimur, ecce rogat te
Ille miser populus veniam, vitæque salutem,

Cætera

A Cætera sumpto tibi, sit sola libera vita,
Suppliciter petimus, rata sit concordia tecum
Nobis. in pacem mutetur schisma nociuum.
Parcere supplicibus & frangere colla superbis,
Hos decet, ex quorum regitur moderamine mundus,
Acer & indomitus leo sæuit in hoste superbo
Et tamen imponit finem, cum supplicat hostis
Sæuitiæ, nescitque sui meminisse furoris,
Tu quoque tela tuæ Rex iræ sæua remitte,
Nos tibi concordes, & amicos iunge fideles,
Duritiam cordis bone Rex, animique rigorem
Mollescet pietas, veteris chironis alumni
Exemplar pietatis habes, lamenta parentis
Non passusque diu ...... cape dixit, & effer
Hectoreum corpus, cineresque reconde sepulchro.
Nec fuimus satyra digni, tua cœpta morantes
B Fortunamque tuam, quis enim tam prophanus
Deneget & renuat Domino seruire priori.
Conseruare fidem, protendes pignus amoris
Si iam de facili primo torrente furoris
Territa mens hominum, tibi se villamque dedisset,
Spes tua de nobis minime confideret, & nos
Crederet esse leues; fidei nec habere tenorem.
Sic ait, & lachrymis in mœsta fluentibus ora
Eructat gemitus alto de corde petitos.
Tum placidum Regem procerum circumuenit ordo,
Suppliciterque rogat vt mentis cœpta refrænet,
Rex ergo fidis pacis de fœdere sumptis
Obsidibus, turba procerum cingente suorum
Egregium corpus, reseratis vndique portis
Ingreditur villam, victori supplicat hostis,
Sic nos indomitum primo sæuire leonem
Vidimus, & mortem mordaci dente minari,
Tandem deuictus victoris pertimet iram,
Et ferus in primis addiscit habere magistrum,
Haud mora thesauros reparauit martius heros,
Lætus, & inuitat ad donatiua maniplos,
C Restituit ciues in libertate priori,
Legibus impositis tamen, & custode fideli,
Ne rursus possint assumere cornua contrà
Regem, nec Regis humiles iuga ferre recusent.
Hæc vbi disposuit consulto tramite mentis
Tolli castra iubet, cursusque reflectit habenas,
Ad patriæ fines procerum comitante senatu,
Perque vices septem lugens pro morte sepulti,
Memnonis imbre genas rubeas aurora rigauit,
Perque vices totidem cœli statione relicta,
Sydera fugerunt tollenti cornua phœbo,
Cum patrem patriæ celebris cum laude triumphi
Rumor adesse refert. ergo diffudat in vsum
Francia lætitiæ, plausum colit angulus omnis.
Iam stadiis octo victor distabat ab vrbe,
Cui dedit æternam famam celebrata sophiam
Nomine quæ solo veteres excedit Athenas,
Cum celeri cursu ruit omnis sexus & ætas
Obuius, & Regem communi voce salutant,
Victoremque tenens auidis circumligat vlnus,
Quid de veste loquar gemmarum luce superba

LVDOVICVS OCTAVVS.

Quid de diuitiis, quid de equis quos pauit iberus
Dicam, labentis ad fluminis instar euntes;
Regis ad occursum solemnis pompa per orbem
Ducitur, & Domino pro saluo corpore Regis
Dulce melos fundit Cleri deuota caterua.
Non minus Iliadum post pergama fracta reclusis
Vindicibus risit pelopi regnata potenti
Græcia bellipotens, priami ditata trophæis:
O genus humanum quantæ caliginis vmbra
Mens tua cæcatur, tua sors ignara futuri
Te facit incautam, si prægustare daretur
Fata futura tibi, dum rides, lætitiæ dum
Indulges, plausum mutarent forte dolores;
At quia fatorum series latet, inde fit, vt dum
Sidereos apices pertingere vertice speras,
Nec casum metuis, tibi fata minantur iniqua:
Inde fit vt Regi casus ignara minantis
Gallia gratatur, nec enim se scire futura
Fas iubet, ista Deo commissa potentia soli,
At si præsciret populus secreta Deorum
Quorum dextra trahit humanæ stamina vitæ
Qua propere vitam Regis delere pararet
Langueret plausus plausum damnate dolore
O decus, ô species, ô rerum gloria fallax
Quid census cumulos cumulare iuuat? quid honores
Quærimus? vna dies aufert quæcumque paramus
Cur incedit homo resupino pectore? vultu
Erecto? si prosperitas arriserit illi?
Non aurum, non æra valent peruertere mortem,
Y Caron æquoreis vndis quæ nesciat ætas
Dum nimis alta petit nomen donasse perenne
Quæ miseris tam diuitibus generalis habetur
Mortis amara lues, mors omnibus vltima meta,
Nil extremus honor, nil mundi gloria, soli
Sola Deo debet intentio nostra reflecti.
Omnia labuntur. Sed summi gratia patris
Patris amor, patris clementia, gloria patris;
Eclipsim nescit, nec habent sua præmia finem.
Ecce triumphator, quem fama locabat in astris,
Et fortuna potens, dum tota mente resultat
Hostibus afflictis, dum sidera tangere credit,
Dum longæ fungi iam sperat munere vitæ,
Exitio mortis superatur tempore primo,
Nec regalis honor potuit peruertere mortem,
Iamque phalanx procerum celebratis octo diebus
In plausu celebri Regis de sponte verendi
In proprios fines reditus deflectit habenas.
Iamque ferebatur per-vici fama volatu
Principis indomiti per climata quatuor orbis,
Iamque resultabat pro tanto principe tota
Gallia bellipotens. Sed enim fortuna recusat
Tam celebris plausus durare diu, quia constat
Nil leuius leuitate sua, nec eam retinere
Continuam fas esse potest, poteritue teneri;
Hæc ergo Gallos infausto lumine cernens,
Erectum proferre caput vultusque supinos.
Sic ait, ô miseri, quam prono tempore risus
Vester in angorem per me vertetur amarum

Dicta

A Dicta fides sequitur, etenim sanctissimus almæ
Custos & rector fidei, summusque sacerdos,
Quem Dominus voluit in petri sede locari,
Natus vt Ecclesiæ summus pater, & caput esset,
Tolosiæ Comitem fama mediante recepit,
Et qui subiectos fidei spreuisse tenorem,
Per latos donasse neci, delubra ruina
Deleuisse graui, populumque fuisse sepultum,
Labis apostaticæ totum caligine cæca
Quorum nequitias quondam delere nequiuit
Ecce nouus clypeus Symon Comes inclytus armis
Qui multo tenuit montis cognomina fortis
Mente Leo, sed corde gigas, sed viribus hector
Æacides bellis, & nulli marte secundus,
Nam necis articulis vitalia fila recidit.
Summa Sacerdotis summi discretio cernens
B Catholicam mutare fidem, nullumque recursum
Tutoris, quemdam de fratribus aduocat ad se,
Nomine Romanum de Cardine nomen habentem,
Nam de consilio disponit singula fratrum
Tunc ait. Heu quantum .... vulnus
Sancta sion patitur, in nostro tempore nauis
Petri pene perit, in fluctibus obruta ponti,
Nunc labat alma fides, cui fulcitamenta labenti
Oppositis humeris deffensor nemo propinat
Ecce Comes noua Tholosiæ proles pharaonis
Filius, immo virus, concepit mente furorem
Tantum, quod sacræ legis mandata reliquit.
Totaque gens patriæ; quod cum fuerit caput ægrum,
Cætera materiam traxerunt membra doloris,
Proh dolor! ecce etenim pedibus conculcat honorem
Impia gens, cuius in pectore feruet Erynnis.
Impia Thisiphone facibus munita nociuis,
Iam regnat iam seruit ei Prouincia tota
Quam colubris torquata suis venenat Alecto,
Atque Megera ferox viridi suffusa veneno
Vnde necesse foret vt Iuppiter Amphitrionis,
C In thalamis rursus geminaret tempora noctis;
Vt nouus Alcides eius de semine natus,
Viribus immensis tot monstra fugaret ab orbe;
Verum cum clypeus sit in omni tempore sanctæ
Ecclesiæ, Rex qui Gallorum regna gubernat,
Strenuus & fortis, & gestans corde Leonem,
Iam solus restat cui nostra, querela feratur,
Nos quoque ...... quem linquæ schemma perornat,
Te censemus ei magnos aperire dolores,
Ecclesiæ, plagasque graues quas infigit hostis
Impius, horridior monstris, truculentior hydris.
Dixit, at ille sibi respondens intulit ista.
Sancte pater, Regis cui summa potentia summi
Iura Monarchiæ totius tradidit orbis,
Vt quicquid iubeas non est contemnere tutum,
O magnum Ecclesiæ, quem te pro numine sacro
Mundus habet, nam tu cœlorum claudere portas
Et reserare potes, quicquid mihi iusseris; ecce
Complebo pro posse meo, nec ferre laboris
Tædia, nec pondus languenti mente recuso,
Sed quicumque volent tantum cum Rege laborem

LVDOVICVS OCTAVVS.

Sustinuisse, tuo mediante fauore reatus,
Inueniant veniam, merita mercede fruantur
Qui meruere frui, meritum sic lucra sequuntur.
Sic ait, atque pater qui iusta poposcerat, aures
Inclinat precibus, nec enim meruere repelli
Posse suum tradens, quondam cum lutea mater
Memnonis excidium defleret; luce sequenti
Aggreditur Romanus iter, prius ordine recto
Dispositis rebus: festinus rexit ab vrbe
Romulus iliades quam cinxit mœnibus olim.
Iam semel implerat renouatis cornibus orbem
Cinthia, cum muros subiit venerabilis vrbis,
Cuius fama nitens totum supereuolat orbem
Quam sacer irrorat & fons & origo sophiæ,
Aduentusque sui causas ostendit, & ista.
Optime Rex Regum sol, militiæque lucerna,
Cui fauet astrorum series, quem fama per orbem
Prædicat, Ecclesiæ qui semper iura tueris,
Ecce nouæ cladis iacet obruta pondere, iamque
Expirat sua libertas & acumen honoris,
Ni tua maiestas oculo solitæ pietatis
Ipsam respiciat. etenim contraria legi
Gens insurrexit cui Deus...... ista,
Vulnerat Ecclesiam, sed non medicabile vulnus
Ense recidendum est ne pars sincera trahatur.
An satis est notum tibi Rex venerande, quod hostem
Tholosiæ Comitem prolixo tempore sensit
Christi sponsa ferens miserabile pectore vulnus,
Inclyte Rex ergo collecto robore dele
Tantas nequitias, lætetur te mediante
Alma fides reperire locum, sedemque quietam.
Iam Christi vexilla geras, & fortibus actis
Te fortem protende virum, te viuere Christo
Non mundo, te velle Dei delere pudorem,
Sic ait exclusitque genas cum fleret, amictu.
Qualiter anguigenæ cœlo cum bella mouerent,
Lugubris natura iouem, supplexque rogauit
Vt superis rebus succurrat * igne trisulco
Cœlitus emisso scelerosos deleat hostes,
Armipotens ergo, & vinci nescius armis,
Rex ad consilium procerum per scripta vocatas,
Affatur turmas, & in ordine cuncta renarrat,
Nequiter Ecclesiæ quod perfidus irrogat hostis,
Vexilloque crucis munito pectore Regis,
Tota cohors procerum signo se munit eodem,
Quippe caput de iure sequi sua membra tenetur
O dolor! ô rabies! ô summæ cladis origo
Cum Regem lateat. sibi quod fera parca minatur,
Parca per Antiphrasim, nunc incipe parcere parcha:
Parce, nec ætatis florentia * stamina rumpe,
Naturam iam vince tuam, nomenque sequaris
Si tamen hoc placeat, si sit tibi fixa voluntas,
Vt mortis patiatur onus, victæque ruinam
Fac saltem quod marte cadat. continget honeste
Tali morte mori, vel detege proditionis
Actorem, cuius debet miscere venena,
Ausa manus facinus, & sic te crimine soluam,
Sed per littus aro, tu sæuis sæuior hidris

* F. succurreret.

* F. florentis.

Surdior

A Surdior aspidibus, monstroque cruentior omni,
Pectora sacra subis deflorans florida primo.
Quod scelus aggrederis, scelerum scelus est inopina
Proditione viri, tam iusti, tam venerandi,
Tot titulis illustre caput subiungere velle.
Proh dolor! ille pius perit & nescit, nec amicos
Hostes nosse potest, sed simplex fidit in illis
Vultus amicitiæ quorum protendit amicum.
At furor & rabies occulta mente fouentur,
Nube simultatis, ita simplex fallitur hostis.
Non timet insidias, cuius scelerosa decorat
Hypochrisis faciem, cuius mens felle tumescit
O decus! ô patriæ libertas, ecce ruina
Incipitis nutare noua! vos ecce iacetis
Nec vestræ sortis incommoda nosse potestis!
Occultis etenim vobis iniusta nocere
B Insidiis iam facta parant, pugnantque secu..li
Antipatris pectus stimulis, mentisque latebras,
Cuius iniqua manus Regi lethale venenum
Miscebit, patriæque pater cogetur obire;
Et iam lethalem meditatur proditionem
Insidiasque parat inferre domesticus hostis.
Quid facis ô demens, scelerumque minister & actor
Tigribus asperior, raucis truculentior vrsis,
Proditor infelix quis te furor egit in illum,
Machina quem mundi sibi vellet prædominari,
Cur scelerose paras extinquere lumina solis?
Sit tibi pro meritis qualem patricida meretur
Talio, nulla tibi sit mansio, nullus amicus,
Nullus honos, sed longa fames, & longa senectus,
Anxietasque grauis & egestas & dolor omnis.
Iam maris occidui confinia littora Gallis
Impulsit rumor agilis pernicibus alis
Gentibus edicens Regem venerabile pectus
Vexillo munisse crucis, procerumque cohortes
Regis ad exemplum Christi signacula ferre,
Labis apostaticæ vulnus purgare parantis
C Tota fremit Regio, passim rumore volanti,
Et sunt qui Regem tanquam de funere certi
Lugent, quod patriam sine deffensionis amictu
Linquit ad extremæ partes regionis iturus.
Et querulos gemitus promunt è viscere cordis,
Qualiter æquoreæ siccis aquilonibus austro
Aëris à campo lato, Zephyroque fugato
Cum phœbi lampas omni caligine pulsa
Irradiat cœlum, septenæque climata mundi
Syrrenes lugent, incauta mente tenentes
Æquora turbari pluuiis, post tempus amœnum.
Ad vexilla crucis ruit omnis sexus & ætas,
Pro sacrâ comitante fide pugnando parati,
Viuere siue mori, dulci nec amore parentum
Filius est tactus, nec dulcis pignus amoris
Coniugis, aut pietas iactanti prole maritum
Non retinere potest, nec iam miseranda marito
Nata parentis iter tædæ ratione moratur.
Nuntius interea legatur ab hoste prophano
Christi Tholosiæ, cui gens deuota fauebat,
Qui sciat in reditu Domino rectè referare

LVDOVICVS OCTAVVS.

Et Regis procerumque statum, bellique paratus, A
Omnibus hic ergo visis & mente notatis,
Ad Domimum retrò flectit iter, Dominoque reuelat
Omnia visa suo, gelido comitante timore.
Horruit auditis his hostis perfidus, ac si
Iuppiter igniferum fulmen vibraret in ipsum,
Taliter extimuit vitæ discrimen inire,
Mortis Romanus à cardine nomen adeptus
Cum libertatis perfringeret ipse sigillum,
Parisius Cleri sibi fata iuuante senatu
Mens hostis labat in dubio quid agat, quia gentis
Pars subiecta suo seruire coacta timore
Regis ob aduentum contento fœdere iuris,
Et laxo fidei nodo sua castra reliquit.
Cumque suis rebus securæ mœnibus arcis
Se recipit, sic quos primo credebat amicos
Temporis articulo, grauiores comperit ipse, B
Nec regionis opem pars sola denegat illi
Immo tata ferè regio concussa timore,
Quippe creatoris quem summa potentia damnat,
Iure creaturis arcetur honore sepulto,
Eius nec fidei debet reperire timorem
Cui contempta fides, socios nec habere fideles
Spem tamen hic retinens quam sola mente tuetur;
Quæ reficit dubios, Romanis quæ regit actus
Perpenetrare sui proponit ad vltima Regem
Quippe graues aditus angustis faucibus, atque
Inuia syluarum latebris horrenda ferinis,
Deserti montes parientes vertice nubes
Marmoreumque gelu, solisque calore resolui
Nescia, vix semper saxosa cacumina velat,
Hic ergo miseram sperans deffendere vitam
Affugit attritus fortunè calore superbæ
Compellente metu, vix quinque sequentibus ipsum.
Qualiter Acteon audita voce melampi,
Dempsa petit fruticum, renuens incurrere morsus,
Veris erat nouitas variorum flore colorum
Picta genas, poteratque suo decerpere flores
Pollice flora nouos, & iam ducebat ad hortum C
Germina, mulcenti zephiro cebeleia mater
Et philomela sui dempsos modulamine cantus.
Mulcebat frutices, cum Rege iubente Quiritum
Conueniunt acies vbi tota scientia floret
Quos Rex intuitus, non est hortamine longo
Dixit, opus, satis est etenim quæ causa mouet vos
Cuncta relicturos, sponsas & pignora cara.
Et patriæ Natalis humum, sit quisque paratus
Martis ad examen Christi pro lege tuenda,
Difficilis fateor labor est, sed magna sequuntur
Præmia, fama, decus, longum quod viuit in æuum
Et post egressum carnis diadema perenne
Ferre laboris onus Romanis linea censet,
Cum labor & merces æqua sibi lance cohærent;
Quid loquor, vt vobis verbis breuioribus vtar,
Mane petemus iter, rutilos cum Delius ignes
Sparserit & noctis tenebrosa fugauerit atræ.
Sic ait. applaudit procerum communio dictis.
Iam caput æquoreis erexerat hesperus vndis,

Et

A Et noctis frænabat equos, cum Regia somnus
Principis indomiti suscepit membra, sed ipsum
Regni cura tenet sine fine nouerca soporis,
Insuper vxoris pietas, & progeniei
Dulcedo teneræ, mentis secreta fatigant.
Nec tot curarum, quot mens parit anxia, pondus
Inclusisse potest angustia pectoris in se
Vnde reuoluendo vigilanti singula mente
Plusquam dimidiæ consumpsit tempora noctis.
Regia naturæ gemmarum stemmate viuo
Exornata nitet, quæ firmis firma columnis
Et stabili muro, solis supereminet axem,
Argentoque fores rident, & marmore plano
Atria. Lucentis limphæ fons assidet illic.
Humor humum cuius velat velamine florum.
Densa comis nitidas frondosis protegit vndas
B Arbor, & in spatium protendit in aëra ramos
Seu Neptunus aquas fundat, seu carceris antro
Hyppotades laxet ventos, tamen illa furorem
Non sentire potest ventorum, nec maris æstus,
Illic in solio nitidis ardente pyropis,
Prima parens rerum prosignis Diuite cultu
Sublimis residet, cingunt latus eius vtrumque,
Et pectus comites, ratio, Prudentia, quarum
Lumine iudicij disponit semina rerum,
In varias species confusam diuidit ylem. * ὕλην.
Vt lutum figulus fragilis primordia vasis
Materiæque rudi primo formaque carenti
Ingenio mediante suo confertur imago.
Tunc ergo cernens curæ grauitate grauari
Regem, nec molli succumbere posse sopori
Nube tegit vultus, & maiestate relicta,
Collapsu celeri descendit ad antra quietis,
Sed metuebat eum, ne fessos mergeret artus
Assiduis curis vigilis vexatio mentis.
Sponte sua patuere fores, & murmure sacro
Numina subsidunt, domus omni nube remota
C Ridet in aduentu diuæ, tunc illa quietis
Oppressum torpore latus concussit, & inquit.
Blanda quies rerum, medicinaque sola laborum
Corpora quæ reficis vexata labore diurno
Et reparas vires. Francorum pectora Regis
Exonera curis, & rore papaueris vnge;
Dixit, & æthereas reditum direxit ad arces
Sedit, & in solio posita caligene nubis
Ad mandata deæ, membris torpore solutis
Alma quies properat, motisque per aëra pennis
Peruenit ad thalamum, quo Regem cura fatigat.
Ergo fatigatum letheo nectare pectus
Imbuit, & curæ penitus pressura recedit,
In cuius sedem subiit dulcedo soporis.
Interea cernens felicia tempora Regis
Perfida proditio, famamque volare per orbem
Eius, & hunc olim magnum tenuisse triumphum,
Perque nouæ palmæ felicem velle laborem
Nomen adhuc augere suum, vix sustinet iram,
Vixque tenet lachrymas, tùm secum tale susurrat
Heu vbi sunt vires, vbi sunt mea tela, meoue

LVDOVICVS OCTAVVS.

Posse meo priuor, perierunt omnia mecum
Nonne laboraui quondam conamine toto
Mentis & affectu, quod Rex qui sceptra gubernat
Francigenæ gentis occulta morte periret,
Cum Rupellenses fera bella mouere coegi
In caput ipsius, habito. tamen inde triumpho.
Proh pudor! euasit diræ discrimina mortis
Sic nocumenta gero, sic est mea magna potestas
At memini quondam mea robora vasta fuisse
Ingeniumque potens, cum Iulius imbre cruoris
Atria pollueret iouis alta volente senatu
Cum Macedum rector lethali felle periret,
Cum plures alij quorum comprendere non est
Nomina sub minimo, sed nunc in posse negatur,
Nunc fateor, pereo, nunc habet vis hæc mea pondus
Proh pudor! infernæ per numina iuro paludis,
Et cahos antiquum, vel ego tellure recedam
Fata sed hoc prohibent, vel me mediante peribit
Gallica regna regens; regni ditione superbus,
Hactenus, & stygias celeri pede tendit ad ædes.
Horrida Tisyphone, tristi comitante Megera;
Alectoque grauis applaudunt ingredienti,
Illa dolore graui commota, sororibus atris
Stantibus antè foras tenebrosi carceris, ore
Oscula dispensans infido fellea, causas
Explicat aduentus breuiter; tunc arripit ipsa
Oris cerberei spumas, & virus echidnæ.
Omnia mixta simul, superasque refertur ad auras.
Lataque per liquidum stridentibus aëra pennis
Tecta sui subitò scelerosa subintrat alumni,
Quem licet indignum censet mea musa taceri
Amplexuque dato fili carissime, dixit,
Quem mea sedulitas teneris effouit ab annis,
Qui mea sola manus mea sola potentia, sola
Vis mea, mœsta queror, quod ni subuenerit, ecce
Exul agor sed spes mea solo figitur in te,
Tu mea iussa facis, mihi pares, vnde requiro
A te subsidium, quia me semper comitaris.
Qui mea sceptra Regis, & qui mea iura tueris,
Ecce videre potes Ludouicum Regna regentem
Bellica Gallorum quem tanta superbia tollit,
Solus vt humanæ naturam conditionis
Excessisse putet, & machina seruiat orbis
Prona sibi, poterisne pati, si vera fatemur
Appropriare volet sibi iam tua propria fili,
Nonne mei famuli collecto robore terram,
Tolosiæ Comitis nunc debellare parauit,
Et profugum Comitem tota regione fugare?
Eia rumpe moras, & fata morantia Regis
Præcipitare velis, fellis mediante liquore
Quod fero. tunc illi commendat, & inde recedit.
Iam frænare suos lanquenti nocte parabat
Phœbus equos, rutilansque suos attollere vultus
Tytoni matrona senis, cum deserit artus
Regales somnus, omni torpore repulso.
Ergo iam radio feriente cacumina solis
Surgit ab amplexu castæ mulieris, & ipsam
Humentem multo lachrymarum rore reliquit.

Tantaque

A Tantaque vis animi fuit huic, rigidique vigoris,
Quod non amor sponsæ morum probitate venustæ
Et quæ ducebat à claris Regibus ortum
Nec prolis pietas blando solamine patris
Quam finit orbatam, lachrymas extorsit ab illo,
Sed Bituricenses lætus tendebat ad arces,
Illic diffinit procerum discretio Regem
Expectare viros regalia signa sequentes,
Qualiter Atrides collegit in Aulide vires.
Cum virgo sæuæ bilem lenire Dianæ,
Virgineusque cruor inungere debuit aram.
At dolor & planctus quos ducit Regia coniux,
Disgrediente viro non possent enumerari,
Disrumpit vestes tirias, & pectora palmis
Plangit, & exponit occultum corde dolorem;
Qualiter æquoreis ægide fraude relicta
Cresa puella feris littus clamore repleuit,
B Nec minor est populi dolor, omnis sexus & ætas
Luget, & à tota plausus regione recedit,
Multaque deterrent populum, de luce cometes
Illucet cladis protendens signa futuræ,
Purpureos vultus picta caligine Titan
Tingit, & humanas mentes caligine terret.
Funereus bubo solitus de nocte volare
Exercere suos audet de luce volatus,
Nictimeneque torum cupiens temerare paternum,
Et nox infestis infectat cladibus astra
Cum stellis etenim stellæ pugnare videntur,
Accendique faces, vacuum per inane volantes.
Se vario variat phœbi germana colore;
Nam modo palescit, modo vultus mergit in vmbras
Nunc rubet, & terret populum per signa ruboris,
Fulminibus crebris turbatur & imbribus aër,
Tempestasque nothi, tonitrusque minatur acerbæ
Mortis discrimen, sed quid loquor, omnia visis
Prodigiis lucem credunt venisse supinam.
Iam per tres aurora dies hilarauerat orbem
Lampade purpurea. cum nobilis ille leonis
C Corde gerens animum, Ludouicus ab vrbe recessit
Innumera procerum sua signa sequente phalange.
Nobilis atque potens vrbs est, gazisque superba
Quas congessit ibi patrum discreta vetustas
Quæque .... parte lyæi
Palmite, sortitur huic nomen Auinio dicta
Eius vtrumque latus rapidis duo flumina cingunt
Vndis. à dextra Rhodanus, Durentia à læua
Qui maiorat aquas, maioris nominis vndas,
Et Rhodani coniunctus aquæ defertur in æquor
Præcipiti lapsu; sed aquis feruentibus horum
Non fertur citius volitans per inane sagitta,
Præterea moles celsa præcelsior arce
Ingenti spatio claudit præ mœnibus vrbem.
Sed quia plana iacent, duplices stant ordine muri,
Et fossæ duplices stagnantes amne perenni;
Innumerâ cinctus, at murum facta priorem
Indago valli longa statione coronat,
Pons autem celsus Rhodani superemines vndas
Vrbi contiguus, via tuta volentibus ire.

LVDOVICVS OCTAVVS.

Ergo cum Regem loqueretur rumor adesse, A
Per medium pontis traducat vt agmina ductor
Gens vrbis confisa loci, munimine tuti
Proditionis habens inter præcordia virus,
Consilio sumpto cum Rex intrauerit vrbem
Ante tamen pontem transducta parte virorum
Fraude sub occulta decreuit claudere portas,
Et Regis vincire manus, captumque tenere,
Exclusos donare neci rectore carentes,
Atque bipertitos, si sors sibi fauerit æqua.
Gentibus innumeris iam Rex post terga relictis
Cum sudore graui, magnoque labore suorum
Venerat ad pontem sorgæ, qui distat ab vrbe
Dicta, ter decies stadiis, his addita bina.
Et iam phœbus equis curru languente petebat
Hesperium littus, tunc miles in aggere ripæ
Castra locat, donec tytan nouus innouet orbem, B
Et noua lux noctis ventura coërceat vmbras,
O cæcæ mentis nubes! ô pectoris error!
Stultaque simplicitas, vos omnia fallitis! ecce
Finibus extremis violentes inter & hostes
Miles inarmatus, & tutus dormit, & illos
Est quibus arcta fides præsumit cædere fidos,
Non credebat enim Regum fortissimus ille,
Gallorum rector, quorum agmina tuta per vrbem
Duceret, & tutos quin posset habere meatus.
Interea celeri fama referente per vrbis
Compita, quod Regis stat iam prope castra cruentum
Monstrum: præfectus cui maior in vrbe potestas,
Nocte ferè media ciues conuenit in arce
Et perquirit ab hiis si quid de proditione
Præuisum fuerat; ad opus perducere vellent,
Insidiosa cohors occulto cordis in antro,
Fel sceleris refouens, præfecti voce recepta,
Se completuram quod iam decreuerat antè,
Si fortuna suum sors præbeat æquè fauorem,
Sic hostis peruersus iter peruertere Regis
Cogitat. at iudex qui iuxta lance rependit
Vnicuique suam mercedem, colla superba C
Omnia disposuit aliter, quam perfidus hostis.
Insontem fraudare volens fraudatur & idem
Vincula fraude parans iusto, vincitur iisdem.
Iam tenebras noctis rutilans aurora rigabat,
Amplexus fugiens, veterisque cubile mariti.
Cum resonante tuba Rex tolli castra iuberet
Mane nouo, credens tute transire per vrbem;
Consilium quoque tunc Procerum, monitusque sequutus
Præcipit arma capi, ne sit depulsus inermis
Miles, si ciues fera prælia forte minentur,
Ignorabat enim mores, & pectora gentis
Illius, vnde suum Rex agmen in ordine ponit,
Aduentus ergo Regis testante procella
Pulueris, egressi sub veste latentibus armis
Perueniunt ciues, sed adhuc distabat ab vrbe
Octo ferè stadiis, cum robore Martius heros
Intèr quos vnus cui publica summa loquendi
Traditur à reliquis ita creditur esse locutus,
Dum potuit cum Rege loqui. Fuit vnica nostri

Voti

A Voti summa virum tantæ cognoscere famæ
Et tanto seruire Duci, sed Rex bone nostras
Mentes innumerum deterret turba virorum
Belli signa sequi quos te ductore videmus
Si cum tot nostræ portas intraueris vrbis
Aut nostras rapiet natas effræna iuuentus
Ista, vel vxores feruore libidinis vsta,
Aut de te confisa manus extendere nostris
Præsumet rebus; nos certè cuncta timemus
Nec venit hoc agmen stabilis sub imagine pacis,
Armis assumptis, sic ad patriam Menelaus
Ibat adulterij vindex per bella futurus,
Nec perferre potest communio nostra, quod vrbis
Nostræ quis subeat armato corpore portas,
Vrbem tu poteris, rapidas exercitus ille
Nauigio transnabit aquas Rhodani, nec in vrbem
B Intrabit nostram, quis enim non horreat arma
Pacem diligimus; & nostri sola voluntas
Est iuris seruare fidem; pacemque fouere.
Sic ait, ac armis ad Regis iussa remotis,
Discedunt ciues properè, portasque recludunt,
Credebant etenim Regem retinere ligatum.
At pater omnipotens qui sontes vrget & angit
Insontem Regem pietate tuetur ab hoste,
Nam Rex præcautus præmisit in vrbe Quiritum
Innumerum turmas, acieque sequente remansit,
Quorum rector erat, omen iam pertheselai,
Sortitus sancti Pauli Comes, ergo putantes
Eggregium Regem ciues intrasse, suumque
Credentes facinus compleri posse repulsis
Agminibus Regis intrare volentibus, obdunt
Portas, appositis firmis vtrimque catenis.
Sed iam transierat præcedens Turma, nec vllus
De tot militibus retinetur in vrbe prophana.
Quid facis ô demens hostis? quid retia tendis
Et laqueos iustis? tua primùm consule fata
Fortunamque tuam vigili circumspice mente,
C Fallere dum tentas alios, te fallis, & artes
Quas inferre paras aliis, tibi sunt nocituræ;
At bene si fecisse putes, quin accipis arma
Quin inuadis eos ope fida Regis egenos,
Et numero paucos, & inermes irrue tutus.
Quæ te causa tenet? quid iam victos reuereris?
Perfice propositum, si tantùm sit tibi mentis,
Sed tua mens sceleris iam conscia deficit in se,
Et sibi diffidit, sceleris quia displicet actor,
Et tantùm cœpisse scelus piget, & tua facta
Impia contemnas, te desperatio tanta
Sollicitat, tantúsque timor, quid fluminis vndas
Præcipitas pontem, Rhodanique voragine mergis?
Cumque Comes Regis à castris se phariseum
Cerneret, & secum tam paucos, horret, vt agna
Quæ diuisa suo grege solo relinquitur aruis.
Pertimet inde lupos, hinc vrsos, inde leones,
Quippe vacillantes socios videt, ille timore.
Inde graues planctus exire, nec vllus eorum
Sperabat dubiæ vitare pericula mortis;
Hic gemit, hic queritur, hic flet, vocat ille beatum

LVDOVICVS OCTAVVS.

A

Quem sua terra tenet, illi subiere parentes,
Huic coniux, natusque suus, patriique penates.
Qualiter æquoreas aquilo dum turbidus vndas
Afflat & afflatu disrumpit lintea nauis
Exclamant homines, metuuntque perire sub vndis,
Orta peste tamen animos solamine rector
Confirmat dubios, & spondet dona salutis.
Sic Comes occultans discreta mente timorem,
Inque sua facie protendens signa Leonis,
Solatur socios, & eos hortatur ad arma:
Ecquid, ait, Comites animos dimittitis, an sunt
Et vobis vires, & tela, manusque potentes?
Si pauci sumus deffensio suppleat audax,
Et princeps animus Comes aptus rebus in arctis,
Perleuis est pugnando mori, maiorque refulget
Gloria, quam vinclis hostis perducere vitam,
Et fieri rapidi prædonis præda pudenda
Seu nos dura fames, seu nos grauis impetus hostis,

B

Prouocet ad mortem, dabit hic solamen inire
Antidotumque necis, quod pro Christo moriemur,
Sed genus hoc mortis est viuere, mors ea felix
Cuius dat morsus æternæ præmia vitæ,
Sic ait, at torpens animus, fragilisque Quiritum,
Ante timore redit, de corde renascitur ardor,
Et belli rabies, si forsitan irruat hostis;
Assumptis igitur armis in margine ripæ
Ad mandata Ducis sua tunc tentoria figunt,
Sed nimis est illis angustia magna ciborum,
Vnde dolor, Regisque procul vexilla videre
De facili poterant, sed non accedere Regi.
At Rex immodicæ stimulo stimulatus acuto
Iræ, percepto molimine proditionis,
Obsidione parat vrbis circumdare muros;
Protinus applicitis muris hostilibus Alis
Rege iubente locant mixti cum plebe Quirites
Castra, secant vites, redolenti pascua fæno
Messe solum. fructu spoliari se dolet arbor
Ante suum tempus, non est quod prædo relinquat.
Nil manet intactum, sed cui Campania paret

C

Deerat adhuc, Britonesque Comes perstrenuus armis
Et plures alij, quorum non nomina noui.
Sed septem vicibus rubeos non viderat orbis
Auroræ vultus, cum venit turma Quiritum
Maxima, cum cœtu peditum, ductoribus illis,
Vtque plaga cingit syluas indagine longa
Venator, nequeuntque plagas euadere cerui
Nec fuga, nec leuitas prodest velocibus illis,
Retia qui subeant omni latitantia parte.
Sic vrbem longa Rex obsidione coronat,
Nec fuga tuta patet inclusis ciuibus vrbe,
Tunc Rex artificum manibus tormenta parari
Mandat, qui crebro dissoluant mœnia iactu,
Millia qui mortis discrimina ferre minentur,
Nec minor inclusis est muros cura tueri,
Astant armati custodes intus, & extra,
Seruantes aditus & propugnacula muri,
Non desunt fundæ, non desunt tela, nec arcus
Vespere tela secant, illic balista minari

A Vulnera non cessat, & cladem mortis amaræ.
Interea dum Rex animo deliberat vrbis
Excidium, satrapæ vicinis vrbibus adsunt,
Qui se mandato dedantes & sua Regis
Intentam sceleri recolunt ab origine gentem,
Vrbis; in spoliis & raptibus esse paratam.
Quis teneat lachrymas, audito quod furibunda
Gens adeo fuerit, vt non dubitauerit olim
Excoriare deo posito post terga timore,
Eggregium probitate virum, floremque Quiritum,
Guillelmum Comitem, pro cuius Orengia morte
Luget adhuc tristis, Domino spoliata fideli;
Funda iacit lapides, arcus trahit eminus arcum,
Ecquis dinumeret homicidia, furta, rapinas
Quas tulit iniustè vicinis & peregrinis?
His super auditis Rex æstuat ignibus iræ,
B Seque tenere tribus automnis obsidionem
Et turres æquare solo cum mœnibus altis,
Et gentem variis affligere cladibus vrbem
Iurat, & affirmat nisi se gens impia dedat,
At Comes illustris, & in armis alter Achilles
Sancti cognomen Pauli sortitus, & illi
Quos fortuna suos socios committit in arcto
Sunt nimia positi terrore, fameque coacti.
Iamque tribus roseos Titoni nupta diebus
Extulerat vultus, ex quo dape deficiente,
Languebat ieiuna cohors; nec gratia somni
Blanda refecit eos, vigilantibus effuga curis
Iam pene famis clades suppresserat ipsos
Et labor armorum, quæ nocte dieque ferebant,
Cum Duce Martino cui dat cognomen oliua
Collibus aëriis descendere turma Quiritum
Exhebetans phœbum clypeorum luce videtur,
Quos procul vt vidit agmen Regale tumultu
Intonat horrisono, rapidè curratis ad arma
Ecce ruunt hostes, mors ecce propinqua, sed hector
Quilibet extiterit, & vultus non cadat armis,
Iam nequit vlterius nobis fortuna nocere.
C Sed quis, summe pater, defuncta cadauera nostra
Condis humo, quid nos includunt, vndique sæuis
Hostibus & nullum speramus habere iuuamen?
Nunquam aues, rapidique lupi, sæuique Leones,
Corpora disglutient, latos dispersa per agros?
Nonne feræ nobis bustum miserabile fient?
His Comes auditis dubios solatur, & auget
Hortatu mentes, & corda resuscitat ægra;
Quantum funda potest lapidem transmittere iactu
Distabant acies; quas Dux Martinus agebat
Et partes poterant iam reddere mutua verba,
Cum gladios iecere suos Martinus, & illi
Qui secum veniunt in firmæ fœdere pacis,
Tergaque cornipedum; sudoris sorde fluentes
Oblita, pro sæuo dispensant oscula bello,
Tum per castra volans cum diuite copia cornu
Cuncta cibo, bacchoque replet, plebs languida grates
Dat Domino, gaudet miles mœrore sepulto.
Quantaque perfuerat angustia, quantaque mentis
Tempestas, tantus succedit plausus, & almam

LVDOVICVS OCTAVVS.

Spem reuocans recreat lenimine corda Quiritum;
Dulcior esse solet mixtæ post verbera sortis
Plausus, plusque sapit mel post abscinthia dura.
Interea proceres scriptis pendente sigillo
Anglorum rector omnes vocat, vlla vocatos
Non ipsos retinet dilatio, sed jouis hæres
Classe virisque potens homini tot millia Minos
Non habuit cum fata sui crudelia nati
Vlcisci bellis & Athenas perdere vellet,
Quos Rex intuitus sic est affatus, & eius
Promeruit linguæ facundia docta fauorem.
Inclita gens cuius seu pax regnabat in orbe
Nostro, seu rabiem belli bellona mouebat
Mens immota fuit semper, cum firmus inhæret
Et fidei tenor & nodus constantis amoris,
Te meminisse reor in quanta conamina, quantum
Dedecus intulerit Gallorum Rex Ludouicus,
Robore namque suo priuari me ditione
Rupellæ iactat, tantoque superbit honore
Nec solum pudor hic me, sed te pulchra iuuentus
Tangit, nam capitis pudor est membris generalis
Est etiam vel nota satis, quod Rege perempto
Richardo, celeri per inane volante sagitta,
Cuius morte dolet, longumque dolebit in æuum,
Anglia, Philippi Normannia sub pede venit,
Francorumque iugum portat ceruice iacenti,
Sed iam præsentis mihi gratia temporis offert,
Vt redimam damnum quod Rex Ludouicus, & eius
Hæredes semper fecere mihique meisque,
Finibus extremis ipso nam bella gerente
Rupellæ regimen in quod violentus ademit,
Proposui reuocare mihi, Deus annuet actis,
Vt mea vota velit ad finem ducere gratum,
Plura locuturum conclamat concio tota,
Eia rumpe moras cuncti tua signa sequemur
Vnanimes, quodcumque volet tua firma voluntas,
Non opus est longis sermonibus, ecce parati
Ad tua iussa sumus, duc nos quocumque iuuabit.
His super auditis ardet temtare quod illi
Cædere debebat damno, longoque pudori,
Læticia damnate moras, parat ergo carinas
Propositique sui, votique cupidine flagrans
Seductis senibus qui martis ferre laborem
Haud poterant, iuuenes effrenæ mentis, & alti
Roboris elegit, & martis agone probatos.
His ita dispositis iter arripit, & religato
Fune suos exit dilectos classis itura
Auxilio duplici residens in puppe magister,
Gratatus fungi remorum verbere venti
Flamine vela rigent vento, secat æquora remus
Prora super fluctus velocius alite fertur.
Non tam lætus erat veniens de diuite dono
Dardanius pastor, cum pergama classe fugaci
Cum præda peteret, quam toto pectore lætus
Rex erat Anglorum, nam iam complere putabat
Velle suum penitus, & spes agitabat inanes,
Et iam ter tenebras radiorum luce fugarat
Arcitenens noctis, cum Rex in mane sequenti

A

B

C

D

Do

A De facili potuit Rupellæ cernere turres,
Tunc iubet æquoreas impelli fortius vndas
Remige, paretur, volat alta per æquora classis,
Ingrediturque, suis aduentus nuncia Regis,
Fama refert; tacita suffocant gaudia mente,
Bis sex Burgenses Regemque petunt, venientes,
Rex videt & recolens antiqui pignus amoris
Venit in amplexus, Burgenses flere videres
Fœdus adhuc fidei seruantes corde prioris,
Tunc illi claues adapertis vndique portis,
Tradunt; occultum parientes cordis amorem
Furtiuè captas, sibi non custode cauenti,
Hortantur villam securus vt ingrediatur!
Rex vt cautus erat primo perquirit ab illis
Quos Castellanus, quod secum, dicitur illi
Tercentum tantum. Rex intulit: ite, feratis
B Huc claues arcis, properè gradiuntur ad arcem
Furantur claues, pœnam facientibus illis
Cunctam. Rex credens stultum contendere, latum
Per pelagus retroflectit iter, comitante timore.
Non aliter veteris Minos nomine solo
Territus effugit confusa mente Miletus,
Egeas Euisus aquas pro corpore fama
Minois pugnat...... laudendaque iuuante.
Sic in bella gerit pro corpore fama Quiritum
Quos villæ statuit custodes Rex Ludouicus.
Cur ignaue fugis? quis te metus impulit? vnde
Peruenit iste timor? sic agnus voce melanpi
Effugit, & catulo fieri noua præda perhorret.
Quæ tibi causa fugæ? quis te fugat? indue mentem
Vela reflecte ratis, rue turbidus hostis in hostem,
Si tibi mentis abest firmæ vigore, pudibundus
In patrios portus fugitiuâ classi subintrans?
At iam Burgenses bis sex, qui fons & origo
Proditionis erant tantæ cum clauibus arcis
Ad littus properant, sed non ibi Rege reperto
Confusi redeunt: tunc demum nuntia fama
C Ad Castellani stupefacti peruolat aures,
His fremit auditis, socios vocat, acta reuelat
Propositi sceleris, stupuere viri, capit arma
Tota cohors, exit Edictum quod capiantur
Absque mora tantæ factores proditionis,
Quatuor ad pœnas retinentur, proh dolor! octo
Discrimen mortis fugiunt fugiente carinâ.
Murmure villa sonat, stupet omnis sexus & ætas,
Namque latens omnes erat actio proditionis,
Exit iudicium quod per suspendia pendant
Pœnas, tunc pedibus vinctis cum fortibus hamis,
Pendentes animam rabioso gutture reddunt
Sic pugnat pro Rege Deus, sic comprimit hostes
Sic punit fontes, sic auget Regis honorem.
Nuntius ad Regem legatur, singula narrat
Plaudit, & exultat Rex toto pectore, grates
Dat Domino, cuius virtus sic concutit hostes,
Conuocat ergo Duces, enodat singula, gaudet
Tota Ducum series, & adhuc gratantibus illis
Regis ad indimiti rumor celer aduolat aures,
Quod Comiti sociisque suis per proditionem,

LVDOVICVS OCTAVVS.

Hostilemque dolum quos amisisse timebat
Contulerat gratum Deus & fortuna iuuamen.
Ergo magnificas grates agit omnipotenti,
Auxilio cuius sua gens seruatur ab hoste
Præparat inde rates; ratibusque rudente ligatis
Inque modum pontis in fluminis amne locatis
Liber per rapidas fit transitus omnibus vndas.
Iam muri fractura patens, turresque caducæ
Molibus immissis tormenti viribus vrbem
Deterrent, cunctisque patens est ianua mortis,
Regnat ibi timor ambiguus, luctusque, stuporque
Mentis spem vitæ penitus remouente timore;
Ergo sollicicis deflectere principis iram
Pertentant precibus ciues, & munere misso,
Sed donum veniæ non inueniunt quoque primo,
Obsidibus primis vili de plebe creatis,
Missis, egregium voluerunt fallere Regem
Et sic fallaces fallacia propria fallit.
Iamque diu Regis quassus labor extitit omnis
Et sine perfectu gazas consumpserat amplas
Nam promptum muri iacti de luce molares
Dirruerant tantum de nocte viri reparabant;
Sic hostes latuere diu, sic quæstio plebis
Regis sollicitas talis circumsonat aures,
Machina terrestris quorum ditione tenetur
Gallia Gallorum quæ longo tempore iuxta
Hanc villam, cuius iam mœnia fracta dehiscunt
Consumet, tua magna potens sua tempora nunquam
Ex quo venimus posset iuga Gallica ferre,
Tota fere Regio, quo virtus inclita, quo mens
Martia, dedecus est nos hic consumere fruges
Et nullum gessisse lucrum, fremit inclytus heros
Vt leo crudelis stimulatus verbere caudæ,
Si quis in obliquum tendat venabula pectus
Ergo per auditum sumptis communiter armis,
Clangorem lituum vacuus vix sustinet aër,
Conueniunt Proceres, venit ecce lucerna Quiritum
Egregius sancti Pauli Comes, vndique cinctus
Agmine non minimo sic illum fata trahebant
Quos postquam vidit, gemitus à pectore ducens
Rex affatur ita, si vos mea gratia tangat,
Aut si commoueat mentes discretio vestras,
Martis in officium præsenti luce patebit,
Nec solum nostri debetis amore moueri,
Sed Christi, cuius vos arma mouetis honore,
Omnia linquistis, sponsas, & pignora cara,
Et natale solum, sic ergo vestra probetur
Virtus, vt nostrum viuat decus omne per æuum;
Hactenus arrisit nobis victoria per vos
Sub iuga Flandrenses nostri venere parentis,
Per vos succubuit olim Normannia, per vos
Gens Rupellensis solo terrore coacta,
Me pro Rege tenet, Domino subiecta priori.
Ergo cauete viri ne gesta priora maligna
Denigrare queat infamia, ne bona vestra
Mordeat inuidia stillanti dente veneno.
Tantus carus ero nostro sub pectore, quantum
Fortiter egeritis, dum sic ait, inclytus armis

Illo

A Ille Comes sancti Pauli sic subiicit, O quam
Est stultum verbo consumi corpus inani,
Nam dum nos loquimur iam possent mœnia frangi
Iamque subintrari per mille foramina. iam sol
Tendit ad occasum, nec labilis hora recurret,
Quicquid agant alij, mea robora primus in hostes
Experiar, redimamque meæ mala crimina gentis,
Dixit, & ante suos galeatus vertice tendit,
Ad muros rapidus, veluti ruit horrida tygris
Cum quis ei rapuit fœtus sub rupe latentes,
Stulte quid ad mortem properas, tibi proxima mors est,
Et nescis: ô summe Pater caligine prompta
Mens hominis summissa iacet, quia lumine mortis
Sæpè resultat homo, plausum indigente dolore,
Ille tamen felix moritur ....: cuius
Ad Dominum, nec mors Domini, sed vita vocari.
B Irruente manu turris spectator ab arce,
Conclamat, spectans ciues, curratis ad arma
Nunc opus est armis, deffendite mœnia, vestri
Ecce ruunt hostes, populus conuenerat vrbis
Totus ad hanc vocem, fit tantus clamor in vrbe
Quam magnus fieret, si quatuor aëre fratres
Nubem concuterent inter se bella mouentes,
Ascendunt muros, iaculantur tela, sagittæ
Dempsius imbre cadunt, plagas & fata pluentes
Nec stragem spargunt leuiorem, qui per inane
Grandinis instar eunt lapides, obit is ......
Ille sagittatus per vtrumque latus gemit, alter
Vulnera crure gerens. huic ceruix casside fracta
Frangitur. huic clypeus leua inuitante labore
Decidit, hunc vrit ignis cum sulphure mixtus,
Sed licet hostilis rabies tot fata minetur
Mens tamen, & princeps animus sub pectore regnat,
Nec sæuæ mortis discrimen inire perhorrent,
Iamque propinquabanr acies indagine valli
Prostrata penitus, & fossis aggere plenis,
Lignorum rapidumque graui, scalasque parabant
C Iam muris aptare suas, & tunc timor hostes
Inuasit tantus, vt desperare coacti
Effugiunt, murumque sinunt, sed dum super omnes
Militiæ feruore calens & laudis honore
Dictus sæpè Comes muros ascendere tentat,
Proh dolor: excutitur ingenti mole peremptus.
Quod Rex vt vidit animi vix sustinet iram,
Et cordis grauis astringit dolor intima, vixque
Spiritus officium poterat complere loquelæ,
Nec flebat, lacrymas etenim siccauerat ardor.
Ergo suis iubet ille viris vexilla referre,
Corpus & attolli, paretur, & omne relinquunt
Propositum redeunt hostes cedentibus illis,
Et quos ante timor fugisse, coëgerat, illos
Consolidat, redditque viros audacia maior,
Et rursus lapides, & spicula mente resumpta
Coniiciunt, valuitque parum fuga deuia gentis.
Me quoque iam memini volitans per inane sagitta.
Irruit, & gentes egi non corpore læso.
Tum dolor & planctus, & lamentatio castris
Pululat, vna fuit mors publica causa doloris.

LVDOVICVS OCTAVVS.

Qualiter Iliacis mors Hectoris omnibus olim
Causa doloris erat, quem sæuus texit Achilles.
Interea Regis dum mens foret ægra dolore
Tanto. Lætitiæ noua causa superuenit, omnem
Langorem mentis remouens, curasque repellans.
Namque timor tantus & prosternatio mentis
Totius patriæ populos inuasit; vt vrbes
Quæ prius indomitæ fuerant, semperque rebelles
Legatos misere suos cum munere multo,
Se se dedentes & ei seruire paratæ.
Tota fremit regio, poscentibus vndique castra
Regis legatis. non omnia gaudia Regis
Prima domus recipit cordis, videt absque labore
Et siue cæde suæ gentis, mortisque periclo,
Ipse suis pedibus patriam succumbere totam.
Qualis Alexander sibi cum quadrangulus orbis
Succubuit, talis modo Rex est, exulat ira
Cordis, quam Comitis mors impia mouerat antè,
Ergo postquam Rex augeri robora vidit
Maiores animos concepit, qualiter olim
Iulius à Gallis collecto robore victis
Pompam Pompeio Romaque negante triumphi;
Tunc ex quadratis visu mirabile, lignis
Erigitur turris; à cuius culmine cerni
De facili poterat quidcumque fiebat in vrbe,
Quodque fuit maius, pons ligneus arte paratur
Longus & extremus, & muris altior vrbis
Armatis via tuta viris; horti timor ingens
Quem duplices gessere rotæ, poteratque mouere
Turrigenæque rates Rodani per flumen euntes,
In quibus euehitur armis munita iuuentus
Hostibus accessus prohibent ad fluminis vndas.

FINIS.

FRAGMENTA

A LVDOVICVS OCTAVVS.

FRAGMENTA DE LVDOVICO OCTAVO REGE, ET DE PARISIENSIBVS LITTERATIS.

Ex KAROLINO Ægidij Parisiensis, scripto ad instructionem eiusdem LVDOVICI.

Cuius Operis duo MS. Codices Parisijs reperiuntur: Alter quidèm in instructissima PETRI SEGVERII, *Franciæ Cancellarij Illustrissimi, Bibliotheca: Alter verò in illa, eáque selecta, quæ est Iacobi Mentelij, viri Patricij, & Doctoris Medici Parisiensis.*

OPVS ILLVD IN QVINQVE LIBROS EST PARTITVM.

B *In priorib. Author exponit, quomodo in quatuor virtutib. scilicet Prudentiâ, Iustitiâ, Fortitudine, & Temperantiâ se gesserit Karolus: In quinto verò, quid ad has & quid contrà eadem fiat, personas ostendit; deinde prouocat* LVDOVICVM *ad amorem virtutis per exemplum* KAROLI MAGNI. *Hæc omnia prudēs omisi, quòd nihil aut parum, faciant ad propositum.*

EXCERPTVM EX CAPITE QVARTO LIBRI QVINTI.

HÆc ego Romulea cum iam diuturnus in vrbe
Hospes eram, quo me quædam aduersantia contra
Ad Papæ Clementis opem bis iam ante profectum
Rursum de magnis egere negocia rebus
Sub Celestino Romanæ antistite sedis.
Iam mihi terdenis accrescit sixtus in annis
Quando ego curriculum iam tanti temporis egi.

IN CALCE LIBRI QVINTI.

PAucis te Ludouice volo, tua Numina rebus
Ambio secretis, modicum puer inclyte vatem,
Sed tibi deuotum, si me dignaris honori
C Deseruire tuo, fateor scripsisse libellum,
Francorum laudes & Gallica gesta canentem
Egidiana nouos pro te prorupit in ausus
Primitiasque sui mittit tibi Musa laboris:
Sed secura minus, cùm dira infamia nostros
Iamdudum laceret ciues, orisque maligni
Audeat immeritos commune incessere probrum:
Quòd nullos habeat vrbs Parisiana scientes.
I. Cùm tamen excoctum multo sudore Tibouldum *Exemplificatio de Parisiensibus Litteratis.*
Artibus ediderit generis consortis & oris
II. Altisoni iactet dictantem iura Philippum.
III. Nec minus in sacris melico sermone Leonem
Ludentem historiis, & quem intepuisse dolemus,
IIII. Petrum in diuinis verbo tenus alta sequentem.
Cum sit & hic alius nostræ non indecor vrbi.
Oris adornati solo mihi iunctus in vsu
Nominis; in reliquis maior meliorque gerendus.
V. Nominis ille mei celeberrimus arte medendi
Cùm sit & hîc ortus, cuius facundia grata est,
Et nunquam laudanda satis, nec in agmine vatum
Nominis extremos sortiri debet honores

Exemplificatio de Parisiensibus ad dignitatem assumptis.

VI. Ille Eduæ Stephanus maior leuita lucrosis A
Assiduus studiis, à quo derisio legum
Quæritur & nostri monstratur Regula iuris.
Cùm super excellens legum iurisque peritus
Ille inter proceres intraque palatia magni
VII. Nominis Ansellus, quem cum maioribus orbis
Meldis Episcopio promouit gratia sensus.
VIII. Hic tulerit cunas, alius quoque nominis huius
Olim floruerit hac nostra oriundus in vrbe
Assecla Regalis magnusque domesticus aulæ
Hic vetus Anselmus, hic & præstantior illo
IX. Posteriore subit, qui Sarracena Philippus
X. Cognomenta tulit, præter quas nouerat artes,
Quæque inerant illi diuinitus omnia quondam
Decreta, & sacras claudens in pectore leges
Illum etiam raptum è medio proponere possem
XI. Cuius nunc titulos successor honore secundo B
Pictauiensis habet, illum sublimia sacri
Eloquij quondam mactantem pectore pleno
Illum in concinio tacitum pro voce legendi
Præfectum gradibus, nostrisque his finibus ortum,
Nec nulla est cleri quantum permittitur annis
Gloria dulcisonæ gratus modulamine vocis
Gratus & in metricis ille à pastore priori
XII. Parisij Stephanus nutricius alter, & alter,
Nouiomi Præsul, quem nos debere fatemur
Dotibus egregiis cum sit iuuenilior æuo,
Quod fuit in tenero pastor prouectus ephebo.
Tu quoque qui non es noster non esse fatendus
Vir meritis accepte tuis, si dicere fas est,
Auaro sensu, Romáque frequente recursu
XIII. Regalis Willelme domus famose sodalis
Mecum olim in studiis nunc maior doctor adauges.
Hos vatum titulos, & dum in sublimia scandis
Parisij magno ciues extollis alumno.
Iunior & logicos dudum perplexa resoluens
Per hos ad cathedram maioris pontis alumnus
XIV. Huius ad hæc numeri tyrunculus imminet Adam. C
His ego, si nequeo mendax auertere dictum
Dimitto, quorum tam sacra scientia floret,
Et nemo externus titulis præcellit eorum
Nec memoro cunctos. aliquos quoque transeo sicut
Sæpè retentatis auctorum excursibus illum
XV. Vasis inexausti paruo de ponte Iohannem.

TESTAMENTVM LVDOVICI VIII. REGIS FRANCORVM.

Ex MS. Codice, nunc primum in lucem editus.

IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Amen. LVDOVICVS Dei gratiâ Rex Francorum, omnibus, ad quos litteræ presentes peruenerint Salutem. CVPIENTES successori regni nostri modis omnibus in posterum prouidere ne tranquilitas eiusdem regni possit in posterum perturbari. De tota terra, quam possidemus, & omnibus mobilibus nostris, sani & incolumes Deo dante à quo bona cuncta procedunt; Anno Dominicæ Incarnationis M.CC.XXV. mense Iunio disposuimus in hunc modum. PRIMVM volumus & præcipimus quod Filius noster, qui

A qui nobis succedet in regnum, habeat totam terram, quam charissimus genitor noster PHILIPPVS piæ recordationis tenuit, & sicut eam tenuit & nos tenemus in Feodis, & Domaniis, exceptis illis terris, & Feodis & Domaniis quæ per præsentem paginam excipimus. VOLVMVS siquidem & ordinamus quod Filius noster secundus natu habeat totam terram Attrebatesij in Feodis & Domaniis & totam aliam terram, quam ex parte matris nostræ Elisabeth possidemus, saluo Dotalitio matris suæ si superuiueret. Quod si idem qui Attrebatesium tenebit, sine hærede decederet, Volumus quod tota terra Attrebatesij, & alia terra, quam teneret, ad filium nostrum, regni nostri successorem liberè, & integrè redeat. ITEM Volumus & ordinamus quod tertius Filius noster habeat totum Comitatum Andegauiæ, & Cœnomanniæ in Feodis & Domaniis cum pertinentiis suis. ITEM Volumus & ordinamus quod quartus Filius noster habeat Comitatum Pictauiæ, & totam Aluerniam in Feodis & Domaniis, cum pertinẽtiis suis. ITEM Præcipimus, & Volumus, quod terra, quam charissimus Frater & fidelis noster PHILIPPVS Comes Boloniæ tenet ex donatione nostra, reuertatur ad Successorem nostrum Regem Franciæ, si idem PHILIPPVS Comes Boloniæ decesserit sine hærede. ITEM Volumus & præcipimus, quod quintus Filius noster sit Clericus, & omnes alij qui post B eum nascentur. DE mobilibus nostris quæ penes nos habemus, sic ordinamus. Donamus enim Filio nostro, qui nobis succedet in regnum, quicquid habemus in Turri nostra Parisiensi iuxta sanctum Thomam, videlicet in auro, & argento, & pecunia numerata ad regni deffensionem. ITEM Volumus & præcipimus, quod de Mobilibus nostris omnes interceptiones nostræ emendentur, & debita quæ debemus nostris creditoribus reddantur. ITEM Donamus & legamus charissimæ vxori nostræ Blanchæ Illustri Francorum Reginæ triginta millia librarum. ITEM Donamus & legamus Elizabeth charissimæ filiæ nostræ viginti millia librarnm. ITEM Donamus & legamus ducentis Domibus Dei viginti millia librarum, scilicet singulis Domibus centum libras. ITEM Donamus & legamus duobus millibus Domorum leprosorum decem millia librarum, videlicet cuilibet earum centum solidos. ITEM Donamus & legamus sexaginta Abbatiis Præmonstratensis ordinis sex millia & sexcentas libras pro Anniuersario nostro faciendo, scilicet cuilibet Abbatiæ sexaginta libras. ITEM Donamus & legamus quadraginta Abbatiis ordinis sancti Victoris pro Anniuersario nostro faciendo, quatuor millia librarum, scilicet cuilibet centum libras. ITEM Donamus & legamus Abbatiæ sancti Victoris pro Anniuersario nostro faciendo quadringentas libras. ITEM Donamus & legamus Abbatiæ Beatæ Mariæ de Victoria propè Syluanectum mille libras præter redditus illos quos ei donauimus. ITEM Donamus & legamus sexaginta Abbatiis, Cistercienſis ordinis pro Anniuersario nostro faciendo sex millia librarum, videlicet cuilibet Abbatiæ centum libras. ITEM Legamus & donamus orphanis & viduis C & pauperibus mulieribus maritandis tria millia librarum. HANC autem diuisionem, quam fecimus inter filios nostros, ne posset inter eos discordia suboriri, volumus modis omnibus obseruari, sicut superius continetur. Videlicet quod filius noster, qui nobis succedet in reguum, habeat & possideat totum regnum Franciæ, & totam terram Normanniæ sicut eam possidebamus & tenebamus ea die qua præsens condidimus testamentum, exceptis illis comitatibus quos superius excipimus, videlicet Comitatum Attrebatesij, & Comitatus Andegauiæ, & Cenomaniæ, & Comitatus Aluerniæ, & Pictauiæ, quos diuisimus aliis filiis nostris, sicut superiùs est expressum. PRÆTEREA volumus vt omnes lapides nostri pretiosi, qui sunt in Coronis nostris, vel extrà Coronas vendantur, & de pretio eorum construatur noua Abbatia de ordine sancti Victoris in honore Beatæ Mariæ Virginis & omne aurum quod est in Coronis, vel annulis, vel aliis iocalibus similiter vendatur ad opus prædictæ Abbatiæ. EXECVTORES autem testamenti nostri super mobilibus constituimus amicos & fideles nostros Carnotensem, Parisiensem, & Syluanectẽsem Episcopos, cum Abbate sancti Victoris. QVOD si omnes ad hoc exequendum interesse non possent duo ex illis cum Abbate sancti Victoris hoc fideliter exequantur. QVOD si post satisfactionem interceptionum nostrarum, & solutionem debitorum nostrorum, mobilia nostra ad prædicta legata perficienda non sufficerent, volumus vt legato detrahant sicut viderint detrahendum.

LVDOVICVS NONVS.

A

GESTA
S. LVDOVICI NONI
FRANCORVM REGIS.

Descripta per Fratrem GVILLELMVM DE NANGIACO Monachum Sancti Dionysij in Francia.

B

Editio Petri Pithæi collata cum codice MS. eiusdem Cœnobij.

PROEMIVM.

REGVM & Principum gesta recordatione dignissima, qui antiquis temporibus regnauerunt, ne ab humana memoria viderentur excidere, & edaci vetustate ea contingeret aboleri, labor & diligentia Historiographorum studuit literarum traditionibus tradere ad exemplum. Cùm enim modernorum Regum ac Principum talia recitantur auribus, quid aliud agitur, nisi breuis quædam & tacita exhortatio, vt ipsi, per actus consimiles efficiantur magnanimi, & ipsis moribus & vita se conforment. Ideo ego frater Guillelmus de Nangis Ecclesiæ sancti Dionysij in Francia indignus Monachus, prædictorum Historiographorum vestigia sequi desiderans, quia tamen scholasticus non eram, imò pauper & modicus in scientia literarum, ad instar illius recolendæ mulieris Ruth ad agros cucurri scripturarum, spicas inde recolligens merentium doctorum, quas nobis post tergum suum de industria reliquerunt. Congregato igitur quod collegi, placuit mihi vnius libelli manipulum de gestis sanctæ recordationis & bonæ memoriæ Ludouici Regis Franciæ gloriosi, cuius inclita vita extat in Ecclesia bonorum operum forma in exemplum mihi & posteris præparata. Dominus enim Gilo de Remis commonachus noster principia gestorum eius inchoans, quia morte præuentus est, terminare non potuit. C *Frater vero Gaufridus de Belloloco ordinis Prædicatorum ea quæ ad mores pertinebant, vitam ipsius Regis sanctissimam, absque gestis præliorum & negotiorum secularium, prudenter ac religiosè scribere procurauit. Et quia de prædicto Rege nonnulli alia aliqua scripserunt, quæ ad multorum notitiam non venere, ego omnium ac prædictorum quorum potui fragmenta in vnum studui colligere, ne perirent. Ad venustatem tamen historiæ plura per incidentiam apposui quæ in diuersis mundi partibus suo tempore euenerunt. Præterea lectorem huius operis expostulo, vt non moueat ipsum tam rudis hominis scribentis auctoritas, nec quis dicat, sed quæ dicuntur, attendat. Vtile vero non iudicatur dubiis, verborum sententiis historiæ seriem tradere, sed plano simplici loquendi genere, vt simplicibus & peritis intellectus capacitas sit communis. Et quia tamen de tam bona arbore Ludouico Rege ramus peroptimus Philippus Rex eiusdem filius egressus est, qui patri successit in regno, acta eius post gesta patris laboraui cognitioni transmittere posteriorum. Præsertim cùm ad virtutem plerunque liberi patrum prouocentur exemplo, parentumque probitas velut quædam scintilla transfusa in cordibus filiorum, licèt in quibusdam sopita sit, & quasi præmortua, facilè tamen multotiens in eorum memoria conualescit. Et ob id antiquitus Romani patrum domi conseruabant imagines, vt antecessorum eis acta semper occurrerent, puderetque degenerem sequi lasciuiam, ac turpi languere desidia, & amplectendæ virtutis quasi quandam necessitatem præ oculis retinerent. Quod opus vobis domine*

Rex

A *Rex Francorum Philippe illustrissime, videndum pariter & legendum transmitto, vt cognoscentes tantorum principum aui & patris strennuos & commendabiles actus, eos in exemplum virtutis quasi speculum habeatis, gaudeatisque in Domino vos de tam bono & laudabili sanguine originem protraxisse.* LVDOVICVS NONVS.

INCIPIT VITA SANCTISSIMI LVDOVICI REGIS FRANCIÆ, HVIVS NOMINIS NONI.

NOBILISSIMO atque strenuissimo Rege Franciæ Ludouico, filio illustrissimi Philippi Augusti Regis Francorum, qui Normanniam subiugauit, apud Montpancier in Auernia in reditu de terra Albigensium defuncto. Ludouicus eius filius, *Deest in in Cod. Pet.* qui nondum ætatis suæ annum duodecimum attigerat, regni Francorum fastigium est adeptus, & infra mensem post patris obitum Remis prima Dominica Aduentus per manum venerabilis Patris Domini Iacobi Suessionensis Episcopi, vacante sede Remensi, coronatus & inunctus fuit, anno videlicet ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo vigesimo sexto. 1226. B Qui summæ ingenuitatis puer velut surculus ex dulciflua abscissus arbore in primæuo flore radicem figens, cœpit odoriferos gratissimæ pueritiæ flores emittere, & sub disciplina egregiæ & venerabilis matris suæ Blanchæ, quæ eum sub protectione curatoria prudenter & diligenter educabat, liberalem animum ad sapientiam informare. Ab illicitis verò pectoris sui motus nobili reprimens continentia, spretis imbecillis ætatulæ discursibus sapientum tractatibus corde vltraneo inhærebat. Si quid verò probitatis vel prudentiæ aure captabat, prout tempus dictabat, sagaci memoriæ protinus committebat. Vnde ab initio regni sui sapientia à Deo sibi diuinitus inspirata, consiliarios & assessores tam clericos quàm laicos electissimos, tam fidelitate quàm vita & sapientia habere voluit, & vndecunque poterat eligi faciebat. Audierat quidem de quodam Imperatore qui fertur dixisse, minus fore malum, Imperatorem seu Regem habere malum, quàm consiliarios malos: quia de facili plures vnum attrahunt, non plures vnus.

De conspiratione facta contra Regem Ludouicum.

EODEM anno quo coronatus fuit Ludouicus Rex, Hugo Comes Marchiæ, & Theobaldus Comes Campaniæ, necnon & Petrus Comes Britanniæ, contra ipsum Regem & Dominum suum conspirantes, fœdus ad inuicem inierunt. Vnde Comes Britanniæ ex consensu Comitis Campaniæ; qui absque licentia, imò contra voluntatem & præceptum Regis iam defuncti Ludouici de terra Albigensium redierat, castellumque quod S. Iacobum de Beueron nominant, quod vna cum alio C quod Belesmum dicitur, sibi Rex defunctus Ludouicus diu ante in custodia tradiderat, prout melius poterat firmabat, & victualibus muniebat. Sed confœderationem & in regnum suum eorum machinationem pessimam nouus Rex adhuc iuuenis peragnoscens, asseruit iurans in brachio fortitudinis suæ, quòd defenderet se de omnibus. Habitoque cum suis consilio, contra illos incredibilis multitudinis ducens exercitum, vsque ad Quarterriam de Curcetio quantocius properauit. Rex siquidem Romanum Cardinalem sedis Apostolicæ tunc Legatum in Francia, Comitemque Boloniæ Philippum auunculum suum, nec non Robertum Comitem Drocensem fratrem Comitis Britanniæ in suo habebat comitatu. Cùm autem vidisset Comes Campaniæ exercitum Regis mirabilem, Dominumque suum naturaliter pertimescens, à suo prauo proposito resipiscens, adhærensque Regi Franciæ, à Comitum Marchiæ & Britanniæ consortio celeriter resiliuit. Quem Rex begnissimus ad amicitias pristinas hilari vultu recepit. Deinde duos prædictos Comites, videlicet Marchiæ & Britanniæ, fecit regali edicto ad suum Parlamentum conuocari. Sed qui iam aduersus eum & Reginam matrem eius confœderati fuerant, Regis mandatum vilipendentes, & ad eius Parlamentum venire penitus contemnentes, mandauerunt ei quòd apud Chinonium, si suæ placeret voluntati, aduentarent. Sed hoc incassum. Nam ad diem præfixam nec personaliter accesserunt, nec per seipsos sufficienter mittere voluerunt. Vnde secundo citati & à suis affinibus persuasi, quòd ad Regis Domini sui Parlamentum accederent, mandauerunt ei quòd Turonis coram ipso

LVDOVICVS NONVS. libenti animo comparerent. Sed mandatum de die in diem adimplere differentes, Rex nobilis iratus vehementer, communicato cum suis Baronibus consilio, ne aliquid contra iura agere videretur, tertiò iussit eos suo Parlamento interesse. Et tunc primò stultam suam superbiam, & domini sui Regis clementiam perpendentes, mandauerunt ei humiliter & deuotè, quòd apud Vindocinum, si vellet, in suam præsentiam comparerent, & de omnibus quæ ipsi fore fecerant, emendarent. Quod vt ore promiserunt, opere compleuerunt. Rex vero prout erat innatæ mansuetudinis, nolens malum pro malo reddere: ipsis pœnam conspirationis & inobedientiæ misericorditer relaxauit. Hic igitur Rex in principio regni sui de hostibus suis absque humani sanguinis effusione per Dei gratiam mirabiliter triumphauit. Sed anno subsequenti iterum dissensio inter ipsum & Barones Franciæ orta fuit, quæ in rerum mutationibus oriri multotiens consueuit. Inuidebant enim quòd Regina Blancha mater Regis tutelam regni & filij videbatur habere. Vnde quadam die cum Rex esset apud Castra sub Monte Leterici, sciens fere omnes Barones Franciæ in malum suum machinari, cum paucis militibus, quos secum duxerat, noluit remeare. Sed congregans vndecunque exercitum, vallatus multitudine armatorum, cum armis & bellico apparatu Parisius honorabiliter repedauit. Et ita dispositione diuina, qua dies, anni, & tempora disponuntur, sic actum est, vt toto illo anno contra Dominũ suũ Regem Barones Franciæ, videntes quoniã manus Domini esset cum illo, nihil facere attentarét.

Quomodo Ludouicus Rex venit in auxilium Comitis Campaniæ contra Barones Franciæ, qui eundem Comitem in odium sui obsederant.

ANNO igitur II. regni sui, qui fuit annus incarnati verbi M.CC.XXVIII. quidam Barones Franciæ dolentes quod Comes Campaniæ contra Comitũ Marchiæ & Britanniæ volũtatem, ac fœdus quod cum ipsis inierat, Regi Ludouico adhæsisset, & eorum nefandissima consilia Regi denudasset, infinitum exercitum collegerunt, & intrantes terram Comitis Campaniæ in fortitudine graui, castella, villas, vicos & municipia igne conflagrantes vastauerũt. Et ita terram illam debacchando destruentes vsque Chaursiam, quæ sita est inter Barrensem villam super Sequanam & vrbem Trecensem, perrexerunt, & cœperunt eam obsidentes fortiter impugnare. Videns autem Comes Campaniæ Baronum tyrannidem increuisse, nuntios ad Regem Ludouicum Dominum suum tempestiuè mittere procurauit, significans ei mala quæ sibi Barones Franciæ inferebant, & rogans eum vt Dominum suum Regem, quatenus seipsum & terram suam, quam in eius dedecus vastantes intrauerant, defendere dignaretur. Vnde Rex cogitans quòd eadem fidelitate, qua subditus ad Dominum, & dominus ad subditum teneretur, auxilium ei de iure non valuit denegare. Qua de causa ad Barones transmisit nuntios, mandans eis per suas literas patentes, ne vltra aliquo modo Comitem Campaniæ præsumerent infestare. Sed quasi semiapertis auribus & semiclausis oculis Regias literas videntes & audientes, ab obsidione prædictæ villæ recedere noluerunt. Quod vt audiuit Rex, animo audaci, sicut decuit, collecta multitudine militum armigerorum ac satellitum armatorum iter arripiens, cœpit aduersus dictos Barones in manu forti & brachio extento cum indignatione animi properare. Cuius aduentum agnoscentes, sed ipsum minimè expectantes, à sede quantocius recesserunt. Quod Rex vt veraciter comperit, Parisius remeauit.

Quomodo Petrus Comes Britanniæ insurrexit contra Dominum suum Regem Franciæ Ludouicum.

EVOLVTO siquidem postea non longa dierum eiusdem anni curriculo, Petrus Comes Britanniæ fretus auxilio & consilio Baronum Franciæ ad tantam deuenit superbiam, quòd contra Dominum suum Regem Ludouicum iterum insurgens, Henricum Regem Angliæ in auxilium suum cum maxima multitudine Anglicorum aduersus Regem Franciæ pugnaturus, mare fecit transmeare. Et tunc iuxta vires suas exercitum colligentes, terram Christianissimi Regis Francorum Ludouici hostililiter intrauerunt. Sed ad tantæ præsumptionis execrandæ vindictam Rex æstuans zelo iustitiæ, & feruore animatus, primò Comitem Britanniæ, qui illius malitiæ caput esse videbatur, disponens debellare, bellicosorum militum

LVDOVICVS NONVS.

A litum Franciæ phalanges robustissimas ad se regali Edicto ociùs conuocauit. Quibus circumseptus & vallatus, aduersus prædictum Comitem, vt eius repelleret tyrannidem, vsque ad castrum quod Belesinum dicitur properauit. Illud autem castrum à Rege Ludouico defuncto, vt dictum est, idem Comes acceperat in custodia, sed reddere non volebat, affirmans illud ad suam iurisdictionem pertinere. Rex illico castrum celeri obsidione cingens, erectis petrariis grossos lapides iacientibus, ipsum cœpit fortiter expugnare. Vnde paucis diebus reuolutis, factum est, vt ij qui intus ad defendendum castrum priùs erant promptissimi, Regis exercitus fortitudinem admirantes, videntesque quòd diu eius non possent resistere potestati, & quòd nulla euadendi facultas eis ex aliqua parte poterat subuenire, rogantes ea quæ pacis sunt, prædictum castrum in breui tempore necessitate coacti regiæ excellentiæ reddiderunt. Iam enim castrum ictibus tormẽtorum concussum in aliqua sui parte ruinam imminentem minabatur, & ideo obsessi pauitantes & formidolosi reddebantur. Et tunc Rex Angliæ cum pudore & ignominia versus Angliam cum suis Anglicis, Regem Franciæ pertimescens, velociter transfretauit. Sic igitur castrum contra spem plurimorum, eo quod inexpugnabile videbatur, tum propter situm naturalem, tum propter murorum & turrium fortitudinem, tum propter defendentium probitatem,
B paucis diebus Rex Ludouicus sibi regia fortitudine subiugauit. Quicquid verò castri defensores in regiam maiestatem deliquerant, Rex benignitate sua inclyta eisdem misericorditer condonauit. Hoc etenim totum factum fuit tempore hyemali, quo adeo vehemens algor frigoris increuerat, quòd ex præcepto Reginæ Blanchæ matris domini Regis, mulieris admodum callidæ & ingenij perspicacis, quæ ibi erat, ignis in circuitu equorum fuit accensus non modicus, ne præ multitudine frigoris interirent. Hæc enim fuit omnium mulierum sui temporis prudentissima, veneruntque omnia bona regno Franciæ pariter cum illa.

Incidentia. Eodem tempore quo Rex Franciæ Belesinum castrum expugnauit; Ioannes de Vineis homo fidelissimus, & in armis strenuissimus, colligens exercitum in Normannia, & ducens *à la haye Paenel*, eam infra paucos dies Domino suo Regi Franciæ Ludouico potenter subiugauit. Circa idem tempus Honorius Papa moritur: & post mortem eius Huguelinus Episcopus Hostiensis eligitur ad Papatum, & alternato nomine Gregorius nonus huius nominis appellatur. Eodem anno quo supra in festo sanctorum Vedasti & Amandi obiit venerabilis & beatæ memoriæ Petrus de Autolio Abbas Ecclesiæ beati Dionysij Areopagitæ, & in festo sanctæ Scholasticæ fuit electus Odo Clementis in Abbatem eiusdem Ecclesiæ, eodem die confirmatus à Domino Romano Cardinali sedis Apostolicæ legato. Item eadem die recepit regalia. in crastino fuit benedictus ab Episcopo Carnotensi.

C

Quomodo Comes Britanniæ secundo contra Regem Ludouicum rebellauit.

ANNO Domini M. CC. XXIX. regni Ludouici tertio, Petrus Comes Britanniæ, vt præsumptuosus & superbus, adiecit iterum, non tamen impunè, terram Serenissimi Regis Francorum Ludouici Domini sui infestare. Quod Rex non valens pacificè sustinere, magno exercitu congregato aduersus eum vsque ad castrum, cui Adou vocabulum est, ire citiùs cum apparatu regio festinauit. Quod obsidens circumquaque in breui tempore per fortitudinem suam expugnauit. Quo capto, ad aliud quod Castiauciaus nominatur, duxit exercitum. Sed qui illud paulo ante defendere conabantur, videntes Regis Franciæ exercitum fortem, nimis timuerunt: vnde claues castri afferentes, se ipsos cum castro Regis beneuolentiæ tradiderunt. Quos statim recipiens, quicquid in se deliquerant eisdem, vt pius & misericors, condonauit: sed castrum muniens sua gente, longo postea tempore custodiuit. Sic igitur Petro Comite Britanniæ, necnon cæteris Franciæ Baronibus perdomitis, Ludouicus Rex Francorum magnanimus regnum suum auxiliante Domino, qui in terra pacem donat hominibus bonæ voluntatis, tranquilla pace per annos quatuor & eo amplius gubernauit. Eodem anno Rex Arragonum cepit insulam, vbi beatus Vincentius martyrizatus fuit, & inde expulsis Sarracenis, Christiano nomini dedicauit. His quoque temporibus sancta Elizabeth filia Regis Hungariæ coniux Landgrauij Thuringiæ Ducis, & beatus Antonius de Ordine Fratrum Minorum claruerunt.

LVDOVICVS BONVS.

Quomodo Ludouicus Rex fundauit Abbatiam Montisregalis, & quare Reges Franciæ portant in armis suis florem lilij, & de discordia inter Scholares & Burgenses Paris. per Regem pacificata.

A

ANNO Domini M. CC. XXX. regni sui quarto, Ludouicus Rex Franciæ iuuenili ardens casto amore, vtpote cuius anima, sicut ceruus ad fontes aquarum, desiderabat ad Dominum; construxit sumptuosam & admirandi operis Abbatiam in Episcopatu Beluacensi prope Bellimontem, in loco qui Cuimont dicebatur, quæ modo à Regis nomine nominatur Monsregalis. In qua ab initio nouitatis suæ Abbatem cum XX. Monachis de Ordine Cisterciensi ad seruiendum Domino ibidem instituit, & Ecclesiam intrinsecus constructam ornamentis Ecclesiasticis mirificè decorauit. Et vt diuinis laudibus Monachi Dei cultores in eadem assiduè commorantes per inconuulsa tempora liberiùs deuotiúsque vacarent, eidem loco plurima & ingentia prædia, vnde possent sustentari, misericorditer erogauit. Eodem anno magna dissensio Parisius inter clericos & Burgenses fuit orta. Nam Burgenses quosdam de clericis occiderunt, & ideo clerici à Parisius recedentes per diuersas mundi prouincias dispersi sunt. Videns autem Rex Franciæ Ludouicus, quòd studium literarum & philosophiæ, per quod thesaurus scientiæ, qui cunctis aliis præeminet & præualet, acquiritur, recessisset Parisius, quod primò venerat ab Athenis Romam, & à Roma cum militiæ titulo in Galliam, grauiter cœpit dolere. Metuensque Rex piissimus ne tantus & talis thesaurus à regno suo elongaretur, eo quòd diuinæ salutis sapientia & scientia, & ne ipsi aliquando à Domino diceretur: *Quia repulisti scientiam, repellam te*, supra dictos iam clericos mandans redire, redeuntes clementissimè recepit, & ab ipsis Burgensibus quicquid antea clericis forefecerant, fecit ipsis celeriter emendari. Si enim tam pretiosissimus thesaurus sapientiæ salutaris, quod olim de Græcia sequendo Dionysium Areopagitam Parisius ad partes Gallicanas deuenerat, cum fide & militiæ titulo, de regno Franciæ tolleretur, maneret vtique liliatum signum Regis Franciæ, quod trini floris folio depictum est, in vna parte sui mirabiliter deformatum. Nam ex quo Deus & Dominus noster Iesus Christus voluit tribus prædictis gratiis, scilicet fide, sapientia, & militia, specialiùs quàm cætera regna, regnum Franciæ sua gratia illustrare; consueuerunt Reges in sui armis & vexillis florem lilij depictum cum tribus foliis comportare. Quasi dicerent toti mundo, fides, sapientia, & militiæ titulum abundantius quam regnis ceteris sunt regno nostro Dei prouisione & gratia seruientes. Duplex enim par flos lilij sapientiam & militiam significat, quæ duo sequentes de Græcia in Galliam Dionysium Areopagitam cum fide, quam ibidem Dei gratia seminauit, tertium florem lilij facientem custodiunt & defendunt. Nam fides gubernatur & regitur sapientia, ac demum militia defensatur. Quamdiu enim prædicta tria fuerint in regno Franciæ fortiter & ordinatè sibi inuicem cohærentia, stabit regnum. Si autem de eodem separata fuerint, vel auulsa, omne illud in seipsum diuisum desolabitur atque cadet. B C

De renouatione Ecclesiæ sancti Dionysij per consilium Ludouici Regis, & de compassione quam pro amissione sancti claui demonstrauit.

ANNO Domini M. CC. XXXI. regni Ludouici Regis Franciæ quinto, Odo Clementis Abbas sancti Dionysij in Francia cœpit ex consilio Regis Ludouici & Reginæ matris eius Dominæ Blanchæ, aliorumque virorum proborum & religiosorum Ecclesiam beati Dionysij renouare; quod antea sine consilio non audebat facere, quia sciebat eandem Ecclesiam dedicationis mysterium à Domino recepisse. Sequenti anno sanctissimus clauus Domini, vnus de illis ex quibus corpus Dominicum cruci affixum dicitur extitisse, qui à tempore Caroli Calui Regis Franciæ & Imperatoris Romani, in eadem sancti Dionysij Ecclesia dono ipsius permanebat, cecidit de vase suo dum daretur gentibus ad osculandum; & sic perditus fuit inter multitudinem osculantium, tertio Kalendas Martij; sed primo die Aprilis sequentis, multis prodentibus miraculis inuentus ad prædictam Ecclesiam cum gaudio & magna exultatione in die sancto Parasceues est allatus. Huius claui sanctissimi amissione dolor & compassio, quæ Regi Ludouico & matri eius Reginæ, ac multis

A multis accidit, non puto obmittendum. Audientes verò Rex & Regina mater eius tam pretiosissimum thesaurum in regno suo fuisse perditum, vehementer doluerunt, dicentes quòd sibi nihil penitus potuisset nuntiari, vnde possent, aut deberent grauius molestari. Illustrissimus autem & pius iuuenis Rex Ludouicus tandem præ doloris magnitudine exclamasse dicitur, se maluisse optimam regni sui ciuitatem hiatu terræ funditus periisse. Qui statim viros eloquentes & eruditissimos à latere suo mittit, qui dolorem & fletum Abbatis & Conuentus sancti Dionysij, quos inconsolabiliter contristatos audierat, verbis bonis & consolatoriis leuigarent. Ipse quoque in propria persona venire voluit, sed discreta suorum consideratio non permisit. Qui confestim clamari voce præconis per plateas ciuitatis Parisius iubet, vt si quis clauum Dominicum inuenerit, citò reddat, & securus de vita, de fisco Regio precipiet centum libras. Quid referam, quanta doloris ac mœroris anxietas audito tali nuntio, Parisienses afflixerit? Omnis sexus, omnis ætas, omnis conditio, atque scholarium ibidem studentium innumera multitudo in lachrymas resoluuntur; concurrunt ad Ecclesias, diuinæ bonitatis suffragium, sub tam graui periculo flagitantes. Et ita commune damnum, tanquam speciale & proprium vnusquisque deplo-
B rabat. Nec solum Parisius, sed vbicunque per regni prouincias rumor iste, fama prouolitante, veniebat, tam nobiles, quàm ignobiles: tam Clerum, quàm populum dolore consimili perstringebat. Timebant etenim quam plurimi de sapientibus, ne forte infortunium, quod in capite regni contigerat, toti regno aliquod graue incommodum, vel etiam generale excidium, quod auertat Omnipotens, præsignaret. Anno sequenti, scilicet anno Domini M.CC.XXXIII. regni Ludouici Regis septimo, obiit Philippus Comes Boloniæ, filius Philippi Regis, & sepultus fuit in Ecclesia sancti Dionysij Areopagitæ.

Quomodo Ludouicus Rex desponsauit Margaretam filiam Comitis Prouinciæ.

ANNO Domini M.CC.XXXIIII. regni Ludouici Regis Franciæ VIII. ætatis verò suæ XIX. cupiens idem Rex de fructu ventris sui processurum aliquem, qui post ipsum in regni ipsius solio resideret, non causâ libidinis, sed prolis optandæ vxorem ducere cogitauit. Et tunc misit Galterum Senonensem Archiepiscopum, & dominum Iohannem de Nigella militem suum, ad Comitem Prouinciæ, hominem in armis strenuum, simplicem, rectum, ac timentem Deum: mandans ei quatenus filiam suam Margaretam iuuenem, quam ipse Rex volebat ducere in vxorem, sibi mittere non differret. Quibus auditis, præfatus Comes lætatus est valde, & fide nuntiorum filiam suam, quam à rudimentis infantiæ secundum Euangelium erudierat, & Dominum metuere docuerat, tradidit gratulanter. Et sic accepta
C à parentibus licentia, Regij nuntij Margaretam puellam facie pulchram, sed fide pulchriorem, Dominum timentem, bonis moribus perornatam, omnium mulierum sui temporis dapsiliorem, Ludouico Regi excellentissimo adduxerunt. Quam Rex paucis diebus reuolutis apud Senonensem vrbem in vxorem ducens legitimam, vt Francorum dominam & Reginam à Galtero ciuitatis Senonensis Archiepiscopo inungi & regali diademate fecit solemniter coronari.

Quomodo Comes Campaniæ exercitu congregato disposuit Regem Ludouicum expugnare.

ANNO sequente, Theobaldus Comes Campaniæ colligens exercitum aduersus Dominum suum Ludouicum Regem insurgere attentauit. Quod Rex agnoscens regni sui Ducibus & Comitibus conuocatis Parisius suum exercitum congregans contra prædictum Comitem, ad ipsius reprimendam superbiam vsque ad nemus Vicinarum cum his qui secum erant cœpit celeriter proficisci. Sed postquam hoc Comes Campaniæ veridica comperit relatione, animo turbatus & anxius, eo quòd contra Dominum suum ligium Regem Francorum leuare calcaneum præsumpsisset, attendens Francorum audaciam & virtutem, quid agere deberet penitus ignorabat. Tandem bonum habens consilium & salubre, sciens non esse turpe cum re mutare consilium, ad Dominum suum Regem tempestiuè nuntios delegauit, mandans ei & obnixiùs rogitans, vt iram & indignationem quam aduersus eum

LVDOVICVS NONVS. conceperat, deponere dignaretur. Et vt in oculis eius gratiam posset celerius inuenire, eidem duas villas cum forteritiis suis, scilicet Brayum super Sequanam, & Mosterolium en fors d'Ione in signum subiectionis omnimodæ tradididit in perpetuum absque inquietatione aliqua possidendas. Nam quemadmodum in rebelles & superbos iustitiam, ita sibi in subditos humiles & pacificos Regis cognouerat pietatem. Sic igitur Comes Campaniæ, qui per suam superbiam Dominum suum Regem offenderat, ipsum sua humilitate præuia sine aliquo congressu meruit pacificare. Et tunc Rex cum gente sua Parisius remeauit. A

Quomodo Rex Harsacidarum misit quosdam Harsacidas in Franciam ad occidendum Regem Franciæ Ludouicum.

ANNO Domini M.CC.XXXVI. Diabolus, cui semper est proprium melioribus inuidere, videns Regis Ludouici sanctitatem & prosperitatem in gubernatione regni sui, cœpit in malum ipsius Regis periculum nouum & quasi ineuitabile vt occultus machinator & pessimus procurare. Nam Vetulus de montanis Rex Harsacidarum cœpit, à diabolo circumuentus, de morte Ludouici Regis Franciæ pertractare. Habitabat vero iste Rex pessimus & maleuolus in confinio Antiochiæ & Damasci, in castris munitissimis super montes: qui multum erat reueritus à Christianis & Sarracenis propinquis ac remotis, propter hoc quòd multotiens Principes eorum indifferenter interficere per nuntios faciebat. Nam quosdam pueros de terra sua faciebat in palatiis educare, & ibi addiscebant idiomata, & docebantur Dominum suum super omnia timere, eique vsque ad mortem obedire, vt sic possent ad gaudia Paradisi peruenire. Quisquis in obedientia moriebatur, à gentibus terræ pro Angelo colebatur. Vnde factum est, vt mitteret in Franciam nuntios Harsacidas, præcipiens eis, vt quocunque modo possent Regem Franciæ occiderent Ludouicum. Sed Deus omnipotens, præscius futurorum, qui mutat tempora, & quod prædestinauit non mutat consilium, qui consilia gentium dissipat, & consilia Principum reprobat, quique mutat consilia pessimorum, qui consilio Architofel consilium Chusi præferri voluit, & malum Holofernis conceptum prudentia beneuolentis fœminæ Iudith ne perduceretur ad effectum impediuit, iniqui Regis Harsacidarum venenosum consilium suæ dispositionis industriâ taliter immutauit. Nam in corde veluti Regis immisit cogitationes pacis, & non occisionis. Vnde alios nuntios post primos quantocius Rex Vetulus destinauit, mandans Regi Franciæ, quatenus se à primis nuntiis custodiret. Quo audito, Rex de se metuens, tactus dolore cordis intrinsecus quamplurimum turbabatur. Salubri tamen consilio corpus suum per homines cupreas clauas assiduè deportantes fecit diligentissimè custodiri. Interim primos nuntios cœperunt alij curiosi perquirere, & inuentos ad Regem Ludouicum adduxerunt. Quibus visis Rex exultans præ gaudio, vtrosque muneribus honorauit. Deinde Regi Harsacidarum Xenia Regalia & dona quamplurima pretiosa in signum pacis & amicitiæ delegauit. B C

Quomodo Ludouicus Rex Franciæ fecit Robertum fratrem suum nouum militem, & ei concessit Comitatum Atrebatensem.

ANNIS duobus sequentibus concessa sibi pace ab hostibus suis, quos omnes suppeditauerat, requieuit in regno suo pacificè Rex Ludouicus. Et anno duodecimo regni sui, scilicet anno Domini M.CC.XXXVIII. Dominum Robertum fratrem suum maiorem natu post ipsum apud Compendium fecit nouum militem, quem paulo ante filiæ Ducis Brabantiæ Matildi nomine legitimo fecerat matrimonio copulari. Et tunc eidem fratri suo Atrebatum ac totam terram d'Artois concessit iure hæreditario in perpetuum possidendam. Ibi fuit ferè tota regni Franciæ vtriusque sexus mandato Regio perurgente nobilitas congregata. Vnde Federicus Romanus Imperator, qui Regi Franciæ Ludouico mandauerat, vt vsque ad Vallemcoloris ire nullatenus omitteret cum ipso colloquium habiturus, audiens quòd Rex Franciæ duo millia militum bellatorum cum innumerabili peditum & seruientium multitudine, quos omnes secum apud Compendium habebat, in suo vellet ducere comitatu, mandauit Regi quòd nec ad diem præfixum, nec ad locum quem ipse

nominauerat,

A nominauerat, valeret aduenire. Vnde milites Franciæ, qui tantæ nobilitati intererant, congregati, accepta à Rege licentia se singuli ad sua loca propria receperunt. Imperator quidem Regem paucos secum ducere milites sperabat, quod & toto animo affectabat, eo quòd, vt à pluribus dicebatur, quemadmodum malitiosus ac seductor in Regem Franciæ & in regnum machinari satagebat. Sed nefanda consilia quæ contra regnum Franciæ cogitabat, Domino impediente propter seruum suum Regem Ludouicum, quem vbique protegebat, non valuit stabilire.

Quomodo sancta Corona Domini spinea, ac magna pars sanctæ Crucis, & ferrum lanceæ, quod lateri Domini infixum fuit, allata sunt Parisius.

VIDENS autem Ludouicus Rex Franciæ, quòd requiem de suis hostibus sibi Dominus tribuisset, non ingratus nec immemor beneficiorum sibi ab ipso Domino collatorum, anni regni sui tertiodecimo, & ætatis suæ XXIIII. ab Incarnatione verò Domini M.CC.XXXIX. per solemnes & certos nuntios de partibus Constantinopolis fecit Coronam sacratissimam, qua Christus Filius Dei pro nostris B enormitatibus in passione sua coronari voluit, apportari. Et à nemore Vicenarum quinta feria post Assumptionem beatissimæ Mariæ Virginis ipsam Rex & fratres sui cum maximo cleri plebisque tripudio nudis pedibus vsque ad Ecclesiam sacratissimæ Mariæ Virginis matris Domini Parisius attulerunt. Ibi enim ex præcepto regio Odonem Clementis Abbatem Ecclesiæ sancti Dionysij cum suis Monachis oportuit interesse. Qui Monachi illucescente aurora in nemore Vicenarum quinta feria prælibata se albis & capis induentes, grossos in manibus tenentes cereos, honestiùs cæteris cunctis processionibus, qui ibi aderant cum Rege & clero Parisius deuenerunt. Processio quidem Monachorum beati Dionysij in media naui Ecclesiæ beatæ Mariæ Parisiensis remansit à cæteris processionibus separata. Cantor vero Ecclesiæ sancti Dionysij à nemore Vicenarum vsque ad Ecclesiam sacratissimæ Virginis, tanquam specialis Cantor præ cæteris cantoribus aliarum processionum omnes cantus incipiebat. Et tunc maximè in naui Ecclesiæ matris Domini, Antiphonam ad honorem eiusdem matris & Virginis Mariæ, scilicet, *Aue Regina cælorum*, intonans inchoauit, quod omnes obstupuerunt audientes. Inde vsque ad Capellam, quam Dominus Rex in sua domo Parisius mirabili & sumptuoso opere sibi construi fecerat, Monachi sancti Dionysij sacrosanctam Coronam cum hymnis & canticis dulcissonis deduxerunt, vbi ad honorem sanctissimæ Coronæ cereos, quos gestabant in manibus, in conspectu omnium qui ibi aderant deuotè & humiliter obtulerunt. Non multum post audiens & intelligens deuotissimus Rex Ludouicus, quòd Constantinopolitanus Imperator quandam summam pecuniæ mu- C tuo sumpserat, & posuerat in loco pignoris vexilla Dominicæ Passionis, scilicet maximam partem sanctissimæ Crucis, in qua Christus pro nobis pependit, & spongiam cum qua aceto in siti sua suspensus potatus fuit, & ferrum lanceæ sanctissimum, quod latus ipsius sacratissimum pro nostrarum sanandis animarum vulneribus perforauit: tantarum reliquiarum metuens alienationem, vilipensis huius mundi diuitiis, vt Christum lucrifaceret, per personas authenticas & honestas redemptas suis opibus sacrosanctas reliquias, quæ nostræ sunt verissima redemptionis insignia, sibi fecit Parisius apportari. Et sicut sanctam Coronam, vt superiùs dictum est, sic & istas pretiosas reliquias Archiepiscoporum, Pontificum & Abbatum cateruà vallatus mirabili, vsque ad Capellam domus suæ cum processione cleri & populi deuotissimè & humiliter deportauit, & cappam pretiosam & admirabilem ex auro & argento lapidibus pretiosis intextam ad prædictas sacras reliquias honorificè recondendas fecit subtili & admirabili operum varietate fabricari. In eadem verò Capella Canonicos & Capellanos, qui ibidem diuinum seruitium in perpetuum celebrarent, instituit, atque magnos redditus eisdem, vt inde sustentarentur, sicut decebat maiestatem regiam, assignauit. Pro his & consimilibus bonis operibus inuenit gratiam in oculis Regis regum domini Ludouicus Rex Francorum, qua meruit hostes suos vel ad pacem conuertere, vel hos qui pacem oderant penitus debellare.

LVDOVICVS NONVS.

Quomodo Ludouicus Rex misit Iohannem de Bellomonte militem contra Albigenses, qui aduersus gentem suam rebellauerant.

PER idem fermè tempus accidit, quòd pessimi apostatæ de terra Albigensium insurrexerunt contra Christianos & gentes Regis Franciæ Ludouici, qui ex præcepto eius munitiones illius terræ propter ipsos apostatas conseruabant. Vnde eos sæpissimè inuadentes, castella quæ ex parte Regis custodiebant, ipsis auferre quotidie conabantur. Sed ipsi apostatarum videntes multitudinem, eorúmque infidelitatem pessimam attendentes, inito consilio ad Regem excellentissimum Franciæ Dominum suum Ludouicum nuntios transmiserunt, eidem significantes per ipsos quot & quantas infestationes à prædictis apostatis sustinebant. Quibus auditis Rex Franciæ Christianissimus Ldouicus ira nimia succensus, fidelem suum Dominum Iohannem de Bellomonte conuocans præcepit ei, vt aduersus apostatas Albigenses iter arripere non differret. Qui confestim Regis Imperium cupiens adimplere collecta multitudine armatorum, regnum Franciæ celeriter pertransiens, in proximo vsque ad terram Albigensium deuenit. Qui protinus castrum B fortissimum nomine Montem Regalem obsidens, erectis circumquaque petrariis, Mangonellis & aliis ad hoc aptis diuersi generis instrumentis, illud infra paucos dies viriliter expugnans, peroptimè tam gente, quàm victualibus confestim muniuit: & ad alia castra, quorum hîc nomina breuitatis gratia subticentur, se conuertens, ipsa in fortitudine sua, non tamen sine labore maximo, Regis Franciæ dominio subiugauit. Deinde terram illam adeò potentissimè peragrauit, vt de ipso veraciter posset dici; In fremitu hic conculcat terram, in furore obstupefaciens gentes. Itaque Albigensibus apostatis perdomitis, ad Dominum suum Regem cum triumpho celeriter remeauit. Rex vero de tanta aduersus fidei Christianæ inimicos lætus victoria, gratias retulit omnium Creatori.

Quomodo Barones Franciæ profecti sunt in terram sanctam.

EODEM anno Theobaldus Comes Campaniæ, qui de nouo Rex Nauarræ creatus fuerat, post decessum sui auunculi Regis Nauarræ sine hærede mortui, Comes Britanniæ, Comes Barri, & Comes Montis fortis Amalricus, ac ferè tota nobilitas Baronum & militum regni Franciæ, qui ante quatuor annos cruce signati fuerant, Hierosolymam profecturi transfretarunt. Cumque Comes Britanniæ & aliqui adhærentes eidem, communi neglecto consilio misissent exploratores, & recessissent ab aliis pro quadam villa vel ciuitate deprædanda, & eis omnia prospera successissent, Amalricus Comes Montis fortis, Henricus Comes de Barro, C Richardus de Caluo monte, & Anselmus de Insula famosi & strenui milites, Comitis Britanniæ & suorum moti inuidia, cum suis complicibus de communi exercitu & consilio recedentes simile peragere tentauerunt. Cumque per totam vnam noctem equitassent, & mane in locis sabulosis prope Gazam deuenissent, ab illis de Gaza, qui per exploratores aduentum eorum persenserant, itineris nocturni labore fatigati, omnes capti vel interfecti sunt. In illo enim conflictu Comes Barri miles strenuissimus mortuus vel captus nusquam postea est repertus. Comes Montisfortis & quamplures alij nobiles Christiani ibidem capti fuerunt. Igitur quia vanis laudibus temporalis militiæ inhiantes, sicut mos est hodie militibus nostris, non attenderunt, vt deceret congruè commodum terræ sanctæ, à communi consilio recedentes, iusto Dei iudicio ceciderunt. Et quia non habuerunt sapientiam, propter suam insipientiam perierunt. Comes vero Richardus frater Regis Angliæ Henrici cum suo exercitu tunc ad subsidium terræ sanctæ superuenit. Qui audiens & videns ita turbatum & desperatum Christianorum exercitum, quòd reuerti intendebant terræ sanctæ valde compatiens, communes treugas inter Christianos & Sarracenos iniri, & captiuos liberari sagaciter procurauit. Item fecit & procurauit, quòd Christianus exercitus in securo conductu ciuitatem sanctam, & sepulchrum Domini visitaret. Et sic illis diebus parum aut nihil proficui in terra sancta operati sunt. Amalricus verò Comes Montis fortis de carcere liberatus, dum rediret Romam veniens est defunctus, & in basilica beati Petri decenter & honorabiliter tumulatus.

De

A *De contentione quæ fuit inter Fredericum Imperatorem & Romanam Ecclesiam, & quomodo quidam Prælati regni Franciæ fuerunt capti à filio Frederici.*

HIS quoque temporibus, inter Romanam Ecclesiam & Fredericum Imperatorem magna dissensio fuit orta. Nam idem Imperator Curiæ Romanæ in quantum poterat existebat in omnibus contrarius, & eidem à retroactis temporibus persecutiones multimodas & iniustè, quas scribi longum esset, acriùs solito inferebat. Propter quod beatæ memoriæ Papa Gregorius nonus destinauit in Franciam quendam album Monachum nomine Iacobum Episcopum Prenestinum Apostolicæ Sedis Legatum, vt in dictum Fredericum Imperatorem, quem ipse Papa excommunicauerat, excommunicationis sententiam per totam Franciam promulgaret. Promulgata verò sententia videns Cardinalis Imperatorem in sua malitia induratum, & adeò obstinatum, quòd excommunicatione vilipensa nullo modò à suo nefando proposito vellet resilire, quosdam Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates super tam arduo negotio consilium habiturus, & aliqua per ipsos & cum ipsis
B tractaturus, apud ciuitatem Meldensium conuocauit. Et tunc cunctis præsentibus, præcepit quibusdam ex ipsis in virtute obedientiæ ex parte Domini Papæ, quatenus cunctis negotiis postpositis personaliter cum ipso iter arripientes nullatenus omitterent ire Romam. Ipse vero ibidem spopondit & affirmauit, quòd apud Viennam vrbem de nauibus, nautis, & cæteris, quæ ad nauigium pertinerent, vt liberius securiúsque per mare, quàm per terram, eo quod Romanus Imperator omnes passus per terram occupauerat, quos & diligentissimè custodiri faciebat, vt rei exitus declarauit, eisdem commodè prouideret. Sed Imperator præagnoscens & perpendens quòd per prælatos Franciæ ipsum Papa Gregorius intenderet condemnare, Ludouico Regi Franciæ literas delegauit, mandans ei, quod personis Ecclesiasticis regni sui, sed & cunctis, quos prædictus Cardinalis secum Romam ducere affectabat, ire liberum tam per mare, quàm per terram denegabat. Deinde non solum terras, imo mare tam diligenter obseruari imperauit, quòd absque suæ gentis licentia nulli dabatur facultas alicubi illis in partibus commeandi. Interim Prælati Franciæ cum legato supradicto iter arripientes per dietas suas ad Viennam ciuitatem multis diebus elapsis, sed non sine magnis laboribus & expensis deuenerunt. Et tunc inibi comperto defectu nauium, hominumque subsidio non reperto, per quos possent de gentibus Imperatoris defendi, transire vltra timuerunt. Vnde Archiepiscopus Turonensis, & Bituricensis, necnon & Carnotensis Episcopus, & multi procuratores periculo se ponere metuentes, redierunt. Alij verò illud quod Dominus dicit in Euangelio; Nolite timere eos qui corpus occidunt,
C animam autem occidere non possunt, sed potius timete eum, qui potest & corpus & animam mittere in gehennam, attendentes, & ideò animæ magis, quàm corporis periculum, & Dominum plusquàm hominem mortalem metuentes, intrantes mare, sese corporali discrimini tradiderunt. Nam vnus de filiis Imperatoris, qui non erat legitimus, cum copia nauium maxima, hominumque multitudine armatorum, semitas maris perambulans, ne Prælati per mare possent euadere, curiosissimè obseruabat. Vnde quadam die per pelagus nauigantes, dictus filius Imperatoris ipsos percipiens iuxta Pisas atrocissimè inuasit. Tandem post bellum asperum, sibi Prælatos Franciæ resistere non valentes capiens, ipsos diuersis patris sui munitionibus, prout idem pater disposuit, mancipauit. Prælatis itaque incarceratis, multis tribulationibus vndique pressus, viam vniuersæ carnis ingressus est Papa Gregorius. Cui successit Celestinus tertius: sed soluens debitum humanæ conditionis, Ecclesiam Dei sanctam vltra XVII. dies non valuit regere, idcirco quia morte prohibitus est permanere. Post cuius obitum sedes Romana orbata suo antistite, per XX. & duos menses vacauit. Eodem tempore apud Cremonam facta est tempestas maxima, cecidítque lapis grandinis, in quo erat crux & imago Saluatoris expressa, desuperque literis aureis scriptum, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Cecidit autem in Monasterio sancti Gabrielis, quo de aqua in aquam liquefacto, inunxerunt Monachi oculos cuiusdam fratris cæcutientis, & statim clarè vidit.

A

LVDOVICVS NONVS.

Quomodo Ludouicus Rex mandauit Frederico Imperatori, vt liberaret Prælatos regni Franciæ per filium suum captos, & in prisione detentos.

VIDENS autem piissimus Rex & deuotissimus Ecclesiam Dei humano auxilio destitutam, compatiensque Prælatis regni sui, diuersis Frederici Imperatoris carceribus mancipatis, Abbatem Corbeiæ, & Dominum Geruasium de Escriniis misit ad Imperatorem, mandans ei, quatenus Prælatos regni sui, quos tenebat in carcere, suarum precum interuentu liberaret. Sed tunc dictus Imperator preces Regis non exaudiens, immò congregans omnes incarceratos de diuersis locis apud Neapolim Regi Franciæ sic mandauit; Non miretur Regia celsitudo, si Prælatos Franciæ in angusto Cæsar tenet Augustus, qui ad Cæsaris angustias trahebantur. Quod Rex Ludouicus audiens, & vehementer admirans, quia suis precibus Imperator minimè acquieuisset, mandauit eidem iterum per Abbatem Cluniaci in hunc modum; Tenuit hactenus indubitanter nostra fiducia, quòd inter regnum & Imperium vestrum longo tractu temporis nulla posset exoriri materia, odium vel scandalum paritura; cum prædecessores nostri felicis memoriæ Reges vniuersi, vsque ad tempora nostra Imperij sublimitatem zelauerint, & nos, qui post ipsos Deo volente regnamus, in eodem proposito permanemus. Sed vos vnitatem pacis & concordiæ disrumpentes, Prælatos regni nostri ad Sedem Apostolicam accedentes, cui tam ex fide, quàm ex obedientia tenebantur, nec eius poterant recusare mandata, in mari, quod molestè ferimus, capi fecistis, & ipsos sub graui custodia detinetis. Nam sicut ex literis eorum didicimus, nil contra Imperialem Celsitudinem excogitauerant, etiamsi summus Pontifex esset ad aliqua minus debitè processurus. Vnde cum in eis nulla nostri causa grauaminis inueniatur, decet altitudinem nostram dictos Prælatos regni nostri debitæ restituere libertati. Prouideat igitur Imperialis prouidentia, & ponat in statera iudicij, quæ mandamus, ne velit trahere locum à potentia vel voluntate. Nam regnum Franciæ non est ita adeo debilitatum, quòd se permittat vestris calcaribus perurgeri. Cuius verba & rationes Imperator intelligens omnes, licet inuitus, pariter liberauit, Regem Ludouicum offendere pertimescens. B

Quomodo Ludouicus Rex fecit fratrem suum Alphonsum nouum militem apud Salmurum, & quomodo Comes Marchiæ renuit eidem facere homagium.

ANNO ab Incarnatione Domini M.CC.XL. regni Ludouici excellentissimi Regis Francorum XIIII. & ætatis suæ vicesimo quinto, suscepit idem Rex filiam in translatione sancti Benedicti, nomine Blancham, ex coniuge sua nobilissima Margareta. Et anno sequenti apud Salmurum Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates quamplurimos: sed & totam fere regni sui militiam conuocauit. Tunc inibi Dominum Aldefonsum fratrem suum nouum faciens militem, quem multis diebus iam transactis filiæ Comitis Tholosæ Iohannæ nomine maritali lege fecerat solemniter sociari, concessit eidem terram Auerniæ, Pictauiæ, & terras Albigensium perpetuò possidendas. Ibi plures præpotentes & diuites festo & lætitiæ intendendo, diuitias quasi pro nihilo reputantes expendebant, & vestiebantur milites purpureis & sericis. Sed & ipsi Pontifices & Abbates prout melius poterant se in omnibus exornabant. His peractis petiit Rex Ludouicus ab Hugone Comite Marchiæ, vt homagium pro terra sua, quam habebat in Pictauia, sicut debebat, faceret fratri suo domino Alphonso Comiti Pictauensi. Sed dictus Comes Marchiæ vento superbiæ inflatus nullo modo asseruit se facturum. Innitendo enim se super baculum arundineum confractum, scilicet Regem Angliæ Henricum, cuius matrem Comes ipse habebat vxorem, meditabatur per eius opem contra Dominum suum Regem Franciæ rebellare. Vnde Rex Serenissimus Ludouicus iratus vehementer cum indignatione maxima, quia paratus non erat ad eum debellandum, cum gente sua Parisius remeauit. Eodem anno secunda die Martis quadragesimæ suscepit Rex ex coniuge sua domina Margareta filiam nomine Ysabellam. C

Quomodo

A

Quomodo Ludouicus Rex pugnauit contra Comitem Marchiæ & Regem Henricum Angliæ.

ANNO igitur Dominicæ Incarnationis M.CC.XLII. Ludouicus Rex non immemor superbiæ & exosæ præsumptionis Hugonis Comitis Marchiæ, totam regni sui militiam aduersus eum circa anni principiū congregauit. Et tunc cum infinita tam equitum quàm peditum multitudine bellatorum, quibus facies terræ veluti locustis operiebatur, in terram Comitis Marchiæ introiuit. Et primò castrum, quod Mosteriolum in Gastina dicitur, obsidens, paucisque diebus in obsidione commorans, illud in breui tempore sibi potenti virtute subiugauit. Deinde ad turrim Berugiæ, quæ fortissima & munita peroptimè erat, se conuertens, fixis tentoriis & Regiis papilionibus, statim suos Mangonellos & alia ingenia quàm plurima iussit in ipsius turris circuitu eleuari. Turris vero defensores fortiter se habentes, Francorum impetus viriliter sustinebant. Veruntamen pauco tempore elapso ipsam turrim cum vniuersis armis copiaque victualium maxima, quæ in illa erat, cepit. Postea B Rex considerans quòd suis prædicta turris multa mala intulisset, & adhuc inferre posset, ipsam dirui fecit, & ad nihilum redigi festinanter. Post captionem Monsterioli, & turris Berugiæ supra Comitem Marchiæ factam, videns Rex quòd Dominus cum ipso esset, ad quæcunque ambulabat firmans regnum eius potentissimè; aliud castrum, scilicet Fontenaium, quod Gaufridus de Lixengnio tenebat, qui erat in auxilium Comitis Marchiæ, cœpit fortiter expugnare, & elapso breuis temporis interuallo, illud in suam redegit potestatem. Deinde aliud castrum eiusdem Gaufridi fortissimum, quod Vouentum nominatur, sibi potenter subiecit. Videns autem Comitissa vxor Comitis Marchiæ quòd maritus suus Comes Regi resistere non valeret, seruientes donis & promissis illectos ad Curiam Regis transmisit cum veneno, vt Regem & fratres eius, quos maritus suus Comes armis vincere non valebat, ipsa potu occideret venenoso. Sed quod latenter facere cogitauerat, non potuit adimplere. Nam deprehensos nuntios cum veneno præcepit Rex atrocissimo carceri mancipari. Rex siquidem videns exercitum suum nimis magnum & fortem, promptissimumque ad bellum, quasi leo paratus ad prædam, Frontenaium castrum fortissimum duobus paribus murorum muratum, fortissimisque, turribus & grossis firmatum, fecit potentissimè obsidere. Sed qui castrum defendebant, Regis exercitum nobiliter receperunt. Vnde Rex castri fortitudinem & defendentium probitatem audaciamque considerans, turres ligneas iussit illico eleuari, vt per ipsas suus posset exercitus contra castri defensores fortiùs dimicare. Eleuatis itaque ligneis turribus, erectisque circumquaque petrariis, Mangonellis, & aliis ingeniis cœpit Rex castrum C prædictum viriliter expugnare. Sed illi, qui intus erant ad defensionem castri, vt nobiles defensores conflictum inimicorum potenter sustinebant. Vnde quidam balistarius quarrellum ad turrim iaciens, fratrem Regis Comitem Pictauensem in pede grauiter vulnerauit. Quo viso, Rex iratus vehementer dictum castrum iussit acrius impugnari. Ad cuius præceptum milites Franciæ fortissimi bellatores ipsum castrum fortiùs & asperrimè inuadentes castrum in breui tempore cum suis defensoribus, videlicet vno de filiis Comitis Marchiæ, qui non erat legitimò matrimonio natus, cum quadraginta & vno militibus, & quater viginti seruientibus, aliisque minoribus quamplurimis, excellentissimo Regi Ludouico Domino suo reddiderunt. Quos Rex partim Parisius, & partim alibi iussit in diuersis locis diligenter custodiri. Castrum autem vsque ad vltimum lapidem fecit protinus destrui & euerti. Postea Rex inde pertransiens castrum de Villaribus, cum his qui intus aderant ad defensionem castri, sibi potenter subiecit. Erat quidem illud castrum Guidonis de Rupe forti, qui Marchiæ Comiti adhærebat, & ideo fecit Rex illud dirui festinanter. Quo destructo, aliud castrum, cui Breic vocabulum est, suo circumcingens exercitu, sibi celeriter subiugauit. Quo subiecto, vsque ad castrum, quod nominant sanctum Gelasium, pertransiuit. Quod obsidens sibi infra paucos dies adquisiuit. Deinde ad aliud castrum, quod Taunaium dicitur supra Voutonam accessit, & illud capiens pauco elapso tempore, suam in illo posuit garnisionem. Et tunc Rex Serenissimus sentiens & veraciter perpendens quòd Dominus iter suum dirigebat & se comitabatur, accessit ad Mautas castrum Comitis Marchiæ, quod expugnans, tur-

LVDOVICVS NONVS. rim, quæ ibi erat fortissima, euertit funditus & destruxit. Turre vero euersa & ad nihilum redacta, vsque ad Torz castrum Ebulonis de Rupe forti accessit. Sed fortitudinem Regis qui castrum custodiebant cognoscentes, perpendentésque quòd ibi nullo modo possent resistere, iram eius incurrere metuentes, nudi & inermes de castro exuntes suis omnibus relictis, castrum Ludouico Regi humiliter reddiderunt. Rex autem illud muniens sua gente, aduersus Aucerrium properauit, quod sibi non multis diebus euolutis subiiciens dirui penitus imperauit. Postea verò cum ibidem prope in quodam maresio pontes faceret eleuari, vt vltra versus Regem Angliæ, qui in ciuitate Xanctonensi latitabat, valeret transire, absque magno incommodo propter importunitatem transitus non habito consilio transeundi, rediit in vigilia Magdalenæ versus Taileburgum castrum Gaufridi de Ranconio situm super aquam Charantæ. Cumque fixisset ibi tentoria sua super ripam aquæ ipsius, balistarij Anglicorum, qui in altera ripa astabant, & Rex Angliæ Henricus similiter cum fratre suo Richardo, & Hugone Comite Marchiæ, Simoneque de Monte forti, cum aliis suis militibus & grandi multitudine Anglicorum, quos vna cum Rege eorum Comes Marchiæ in præsidium aduersus Regem Franciæ Dominum suum fecerat transfretare, ab ipsa ripa aquæ recedentes, licet Rex Angliæ paratus esset ad bellum, tamen Dominum suum Regem Ludouicum pertimescens, per tractum duarum balistarum & eò ampliùs cum suis militibus se retraxit. Quod percipientes Francigenæ, quingentos seruientes cum balistariis, & magna multitudine peditum armatorum fecerunt per pontem prædictum celerrimè pertransire. Quos videns frater Regis Angliæ Comes Richardus, illico armis depositis versus Francos accelerans, petiit vocari Comitem Atrebatensem, vt cum ipso de treuga capienda loqueretur. Sed tunc non ad Comitem Richardum, imò ad Regem Ludouicum fratrem suum pro consilio super hoc habendo, accessit Comes Atrebatensis. Et statim Anglici pauore nimio consternati, non expectantes responsionem Comitis Atrebatensis de treuga capienda, versus Xanctonas cursu velocissimo fugerunt. In crastino verò, scilicet in festo Mariæ Magdalenæ, Rex Franciæ pontem aquæ cum suo exercitu pertransiens, suos vsque ad Xanctonas præcepit currere forratores. Quod quidem Comiti Marchiæ, qui erat in burgo cum gente sua per deuersus Francorum exercitum, vnus garcio nuntiauit. Quo audito, Comes Marchiæ statim armatus cum tribus filiis suis militibus, Scotis, Anglicis, & Gasconibus, qui in eius auxilium cum Rege Anglicano deuenerant, Regis Franciæ forratoribus occurrentes eos in malum suum inuaserunt protinus. Quod agnoscens Comes Boloniæ, qui ex alia parte erat, & cui primò fuerat intimatum in illos qui forratores Regis Franciæ inuaserunt, fecit impetum ante omnes. Et in principio Castellanus Xanctonensis, qui vexillum Comitis Marchiæ deferebat, fuit protinus interfectus. Ibidem autem duo Reges cum suis exercitibus adunati, bellum durum & asperum, sed non sine strage Anglorum maxima commiserunt. Nam Franci vehementer indignati, eo quòd eos Anglici ad bellum lacessere præsumpsissent, in ipsos cum vehementi impetu irruebant. Et tunc ictus asperrimos ingeminantes in eos, confestim agmina fecerunt rarescere Anglicorum, hinc inde bello difficili existente. Tandem dum pondus prælij versum esset in Anglicos, Rex Franciæ Ludouicus extitit triumphator. Nam Anglici Francorum fortitudinem non valentes sustinere, terga vertentes, fugerunt. Rex vero Angliæ ictibus Francigenarum perterritus, illic morari vel pugnare vlteriùs non præsumpsit. Quinimo pluribus de suis interfectis; & multis vulneratis, captis, & retentis, viginti duobus scilicet militibus, & tribus clericis eius diuitibus, cum centum viginti seruientibus, versus vrbem Xanctonensem arripuit turpem fugam. Quod sui percipientes, pauore nimio agitati, fugæ præsidium assumpserunt. Franci vero ipsos vno agmine persequentes, quoniam non adunati fugiebant, plurimos occiderunt. Anglicis itaque versis in fugam, suos Rex Franciæ bellatores Francigenas recollegit, qui nimis auide persequebantur Anglicos fugientes. Postea vero prisiones suos præcepit diligenter custodiri, & postmodum diuersis regni sui munitionibus mancipari. Rex namque Angliæ & Comes Marchiæ noctu de ciuitate Xanctonensi recedentes, castrum vacuum reliquerunt. Et tunc ciues ipsius ciuitatis in mane ad Regem Franciæ accedentes ipsi claues ciuitatis reddiderunt; in qua statim Rex suam fecit ponere garnisionem. Sic igitur Rex Franciæ infra breue tempus maximam partem totius terræ Comitis Marchiæ in

A in suam redegit potestatem. Sed de suo exercitu multi strenui milites, & etiam seruientes, propter æstum vehementem, & aëris maximam intemperiem, magnamque corruptionem, ad Dominum migrauerunt. Die vero Martis post festum beati Iacobi Apostoli, Dominus Regnaudus de Pontibus, Regis fortitudine & victoria perterritus, ad Regem in villa de Columberiis distante à Pontibus per vnam leucam, veniens publicè coram Baronibus Regis fecit homagium Comiti Pictauensi. Eadem die venit filius Comitis Marchiæ primogenitus Hugo miles ad Regem Franciæ, cum ipso de pace sub hac forma tractaturus; videlicet quòd tota terra quam Rex acquisierat super patrem suum Comitem Marchiæ, fratri Regis & eius hæredibus remaneret Comiti Pictauensi. Et de residua terra sua ipse Comes Marchiæ & vxor eius cum filiis suis, Regis starent omnimodæ voluntati. Ita tamen quòd dictus Comes tria castra fortissima, scilicet Melpinum, & Crosanum, atque castrum Achardi Regi traderet; in quibus suam garnisionem ad custum ipsius Comitis Rex haberet. Et quia Comes Marchiæ non erat præsens, ipse Hugo filius eius remansit in hostagium apud Regem, donec prædictus pater eius veniret in crastino completurus. Comes quidem Illustrissimi Regis Francorum clementiam & cordis pietatem eximiam non ignorans, in crastino vna cum vxore sua ad Regem deueniens cum lachrymis, suspiriis, singultibus, genu flexo, præsente Hugone filio suo primogenito, & duobus aliis filiis, quos de nouo Rex Angliæ fecerat milites, cœpit coram Rege humiliter proclamare; Depone, Domine mi Rex clementissime, iram tuam, & ne amplius contra me mouearis. Desinat, Rex dulcissime, iam indignatio tua, & miserere mei. Cognosco, Domine, culpam meam, quoniam iniquè & superbè egi aduersum te. Tu mihi secundum multitudinem miserationis tuæ dimitte iniquitatem. Ad hæc Rex, sicut mansuetissimus & ineffabili pietate, misericordia motus, quibus totus semper in visceribus erga miseros & humiles affluebat, iam non valens in ira suam misericordiam continere, non potuit prædicti Comitis illico non misereri: imo quicquid erga ipsum idem Comes deliquerat, humilitatem eius considerans, ipsi misericorditer condonauit. Munitiones verò & castella, quæ super ipsum Rex acquisierat, quitauit Comes Marchiæ in continenti Comiti Pictauensi. Et ne Comes Marchiæ in aliquo Regem vlterius offendere præsumeret, vnde ipse Comes penitus exultaret, sibi Rex tria iam castra prædicta retinuit, & sua gente muniuit. Hæc enim prædicta tam Comes, quàm Comitissa vxor sua, & filij eorum de seruitio Regi & Comiti Pictauensi fratri suo à modo fideliter faciendo iurauerunt se tenere. Nam & per prædictam pacem, quam fecit Comes Marchiæ cum Rege Franciæ Ludouico, homagia quæ fuerant ipsius Comitis, scilicet homagium Renaudi de Pontibus, Gaufridi de Ranconio, Comitis Augi de terra quam habet in Pictauia, Feodi Gaufridi de Lixengneio, de Meruento, & de Vouento, ipsi Regi Franciæ remanserunt. His peractis in festo sancti Petri ad vincula, Rex Franciæ C apud Pontes in pratis vltra villam pernoctauit: & ibidem venerunt ad ipsum Dominus Mirabelli, & Dominus Mauritaniæ, in quorum castris Rex Angliæ cum vxore sua & gentibus morabatur in aduentu suo. Et tunc fidelitatem Domino Regi Franciæ iurauerunt, & fecerunt homagium Comiti Pictauensi similiter & omnes alij facientes, Rex vsque ad Girundam sibi & fratri suo Comiti Pictauensi homagia acquisiuit. Eadem die Rex Angliæ & frater suus Richardus Comes, qui erant apud Blauiam, audito quòd Rex Franciæ deberet venire contra eos, Scotos suos & Gascones Girundam versus Bordellam fecerunt celeriter pertransire. Postea Rex Anglorum perterritus, cœpit studiosè laborare, quomodo Regi Franciæ Ludouico, quem per suam superbiam offenderat, posset reconciliari. Nam quorundam relatione intellexerat, quòd Rex Franciæ vsque ad Gasconiam terram eius proposuerat pertransire, volens eam ditioni suæ penitus subiugare. Quod metuens, ab ipso per quamplurimos treugas fecit flagitare, quas, quanquam Rex Ludouicus multorum precibus premeretur, non potuit impetrare. Tandem verò piissimus Rex Francorum attendens, quòd nemo duri cordis adeptus est salutem, ipsi treugas quinquennes concessit, multorum deuictus interuentu.

Incidentia de Tartaris & de Georgia, India & Armenia maiori. Eo tempore Tartari vastata Georgia, India, & Armenia maiori, cum per xx. annos per vnum de Baronibus suis successiuè regnum Turquiæ expugnassent, omnes simul in vnum congregati, Arseron primam Turquiæ ciuitatem inuadentes obsederunt. Est au-

LVDOVICVS NONVS. tem, vt dicitur, Arseron terra Hus, in qua quondam beatus Iob dicitur habitasse, & in ea regnasse. Cumque ciuitatis huius habitatores à Tartaris obsessi, succursum à domino suo Soldano, prout erat necesse, non haberent, nec aduersus Tartarorum multitudinem præualere possent, cogitauerunt inter se Tartaris reddere ciuitatem, eo pacto, vt nulli eorum aliquam læsionem vel mortem inferrent, sed vt seruos suos tenerent illos atque saluarent. Adhoc autem offerendum & firmandum, miserunt eis *Sa ana*, id est, ciuitatis baiulum. Quorum petitioni Tartari annuentes, & secundum modum suum iurantes, omnia petita se firmiter seruaturos promiserunt. Intrantes autem vrbem statim confœderationem præfatam ruperunt, & omnes habitatores ciuitatis occiderunt. Indéque ad Arsangam ciuitatem properantes, eandem fraudulentam pacem & pactum fecerunt. Sed cùm ingressi fuissent ciuitatem, omnes Turcos occiderunt. Contigit autem vt in illa ciuitate capti essent duo Franci Christiani. Cumque tenerentur captiui, quidam Tartarorum, qui audierant quòd Franci fortes bellatores essent, suggesserunt ceteris maioribus, vt illi duo pugnarent inter se, quia modum pugnandi eorum libenter aspicerent, congaudentes vtique eorum interfectioni sicut putabant manibus ipsorum faciendæ. Itaque de communi maiorum assensu, armaturis & equis, prout fieri meliùs potuit, competenter præparatis, non in se ipsos, vt Tartari putabant; sed in Tartaros illico irruerunt. Primò quidem lanceis, postea gladiis eos percutientes, ex ipsis quindecim occiderunt, & alios triginta grauiter vulneratos antequam à Tartaris interfecti fuissent, ibidem reliquerunt. Propter quod ex tunc timuerunt Francos Tartari, similiter autem Tuci. Indéque Tartari vsque ad Cæsaream Cappadociæ peruenientes, omnia deuastauerunt. & in anno sequenti vsque ad Sauastre & Yconium Regiam ciuitatem, sibi Turcos & Turquiam subiecerunt. Turci vero postquam à Tartaris fuerunt vastati eisque subiecti, adeò illorum iugo depressi sunt ac debilitati, vt licet adhuc essent in numero multi, tamen quasi nulli fuerunt in vigore. Vnde à multis creditur, quòd si Rex Franciæ Ludouicus mare transiens recto tramite venisset in Turquiam, liberè & absque vlla contradictione reddidissent ei terram. Nam & Ægipti terra, quam primo aggressus est, est multum periculosa. Eodem temporis concursu Tartari per vnum de Principibus suis nomine Basto, vastauerunt Poloniam & Hungariam, & iuxta mare Ponticum Russiam & Gazariam, cum aliis triginta regnis; & vsque ad fines Germaniæ peruenerunt. Cum autem Hungaros timentes responsum quærerent Dæmonibus immolantes, vtrum in Hungariam transire deberent, responsum est eis: Ite securi, quia spiritus discordiæ & incredulitatis vos præcedent, quibus turbati Hungari vobis non præualebunt. Sicque factum est. Ante introitum enim ipsorum, Rex & Principes, clerus & populus inuicem diffidebant, & ideo parare se noluerunt. Vnde pauore concussi, hinc inde fugientes multa millia occisi sunt. Tantaque post illam de bacchationem fames inualuisse dicitur in Hungaria, vt homines viui comederent mortuorum corpora. Canes etiam & catos edebant, & quicquid tale inuenire poterant.

De ortu Ludouici primogeniti sanctæ memoriæ Ludouici Regis.

ANNO Domini M.CC.XLIII. regni Ludouici Regis septimodecimo, ætatis vero suæ vicesimo octauo, sexto Calendas Martij, in die festiuitatis beati Matthiæ Apostoli, quo die festum dedicationis Ecclesiæ beati Dionysij Areopagitæ factæ per Dominum celebratur, peperit Regi Ludouico filium diu optatum sibi desponsata venerabilis Margareta. Postquam autem Regia proles processis ad ortum, statim Rex Guillelmum Parisiensem Episcopum, & Odonem Clementis Abbatem sancti Dionysij ad se vocari præcepit, vt idem Episcopus tantam prolem & regni Francorum hæredem baptizaret, & dictus Abbas tanquam verus patrinus super fontem sacri lauacri propriis manibus teneret. Rex vero nomine patris sui Ludouici, præfatum puerum filium suum iussit vocari Ludouicum. Tunc ortum regalis prolis per diuersa regni loca cursores Regij nunciantes, corda Francorum ineffabili gaudio & lætitia repleuerunt.

A

De creatione Innocentij quarti Papæ, & de infirmitate Ludouici Regis apud Pontisaram.

CVM igitur, sicut dictum est, sedes Romana Pastore post mortem Celestini Papæ per viginti & duos menses vacasset, videntes Cardinales sanctæ Dei Ecclesiæ periculum imminere, beatæ & felicis vitæ Innocentium quartum, qui tunc dictus erat Senebaldus Presbyter Cardinalis sancti Martini in monte, in Papam & rectorem Ecclesiæ elegerunt. Qui propter tyrannidem Romani Imperatoris, sicut superiùs dictum est, anno Domini M.CC.XLIV. cœpit in Franciam aduentare. Sed parum antequam Lugdunum deuenisset, cœpit deuotissimus Rex Ludouicus Francorum mense Decembri, die sabbati, ante festum sanctæ Luciæ virginis, valida febre & vehementi fluxu ventris apud Pontisaram vehementer infirmari. Postquam autem fama nuncia præuolante Francorum auribus rumor insonuit, quòd fidei Christianæ & Ecclesiæ sanctæ Dei defensor in terra singularis, præ ægritudinis pondere periclitaretur, corda eorum non modica repleuit amaritudine & dolore. Archiepiscopi autem, Episcopi & Abbates quamplurimi, nec non Barones Franciæ, prout decebat, compatientes Regi suo, Pontisaram quantocius aduenerunt, expectantes per duos dies, quid Deus de dicto Rege disponere dignaretur. Sed Regis infirmitatem videntes crescere, placuit ipsis vt diuinam clementiam implorarent, quatenus Deus, qui omnia solus potest, virtutem suam circa infirmum Regem ostendere dignaretur. Destinantur igitur nuncij per Ecclesias cathedrales, vt in illis elemosynæ & orationes ac solemnes pro Rege fierent processiones. Sed Regis ægritudine postea ingrauescente, creditus fuit Rex per magnum vnius diei spacium spiritum exhalasse, statimque totum palatium repletum fuit clamoribus dicentium Regem migrasse ad Dominum. Cum autem de diuersis partibus ibi multi præsentes adessent, tantus clamor celari non potuit. Quinimo vsque ad aures sanctissimi Papæ Innocentij tunc apud Lugdunum commorantis pertransiens, ipsum dolore nimio reddidit mirabiliter consternatum. Nec mirum, cùm illum audisset expirasse, qui sanctam Ecclesiam illis diebus angustiarum flatibus & procellosis tempestatum fluctibus mirabiliter concussam, suæ virtutis brachio singulariter tuebatur. Sed tandem ille qui ventis & mari imperat, qui quondam intrans domum Symonis imperauit febri qua socrus ipsius Symonis tenebatur, & dimisit illam, pulsatus lachrymis, elemosynis, orationibus, suspiriis & gemitibus plurimorum, Regis infirmitati imperans, ipsum aliquantulum alleuiauit. Vt autem ab illa extasi ad seipsum rediit, crucem protinus transmarinam instanter petiit & accepit. Tandem quia Regis ægritudo adeo grauis erat vt medici desperarent de ipso, Rex & Serenissima mater eius domina Blancha Regina petierunt Odonem Abbatem Ecclesiæ macharij Dionysij, vt sacratissima corpora Dionysij, Rustici, & Eleutherij, quorum patrocinio tota gaudet Regio, regni stat potentia, de cripta in qua quiescebant, vt suis precibus Regi sanitatem impetrarent à Domino, tollere & eleuari facere non differret. Rex siquidem post Dominum & sacratissimam Virginem matrem eius, in ipsis, vtpote in suis & regni sui aduocatis & protectoribus, & confidentiùs sperabat, nec immeriò. Quid enim posset Dominus beato Dionysio denegare, qui eidem in carcere propter fidem catholicam retruso dixerat: dilectio & benignitas quam habes semper pro quibuscunque petieris impetrabit. Tunc Odo Clementis Abbas prædictæ Ecclesiæ, Regis deuotionem erga beatum Dionysium considerans, ipsius petitioni annuens, die Iouis proxima ante festum Dominicæ Natiuitatis ad suam Ecclesiam properauit. Quam illico cereis circumquaque positis, quemadmodum in præcipuis solemnitatibus fieri solet, vt in crastino ad tam sanctas remouendas reliquias deuotio astantium & animi ad Deum excitarentur, & vt ipsis Martyribus congruus honor dignanter exhiberetur, pretiosissimis iussit palliis adornari. Sed dum ista in prædicta Ecclesia die Iouis ante Natiuitatem Domini parabantur, auditum fuit Parisius, quod pro salute Regis beatorum corpora Martyrum, quæ nunquam nisi solummodò pro salute Regis Franciæ, vel regni sui periculo, de loco suo extrahuntur, essent in crastino extrahenda, & ad processionem deportanda. Vnde accurrit in crastino vtriusque sexus virorum ac mulierum ad tam sanctum spectaculum copiosa multitudo. Sed & tam clerici quam laici ruebant cateruatim, glo-

(margin letters: B beside "ne & dolore", C beside "nissima mater")

LVDOVICVS NONVS. riosos Martyres cernere cupientes. Sic igitur astantibus reuerendis patribus Carolo Nouiomensi & Petro Meldensi Episcopis, ac Odone eiusdem Ecclesiæ sancti Dionysij Abbate, aliisque personis gloriosis quamplurimis & honestis, die Veneris ante festum Dominicæ Natiuitaris facta oratione leuata fuerunt & extracta illa pretiosissima corpora de cripta, quæ subtus pyramides est aureas, vbi in capsulis electrinis longo tempore quieuerant diligentissimè sigillata, & super altare ipsorum Martyrum pretiosis palliis decoratum collocata. Deinde processione præparata, quæ facta fuit nudis pedibus, suspiriis, singultibus & lachrymis plus quàm Psalmis ad Dominum resonantibus, fuerunt ad processionem, ob Regis salutem, quam idem Rex sibi sperabat per dictos Martyres impetrari, per claustrum & Ecclesiam deportata. Nec fuit Rex fraudatus à desiderio suo. Nam ex quo sancti Martyres ad aures benigni Iesu pulsauerunt, visitauit ipsum Dominus recordatus misericordiæ suæ. Et ex illa hora, qua corpora sacrosancta gloriosorum Martyrum Dionysij, Rustici, & Eleutherij, ad processionem deportata sunt, paulatim ægritudine Regis decrescente, cœpit Rex meliùs se habere. Cuius sanitas in breui totaliter subsecuta, corda Francorum & omnium fidelium exultatione lætitia quamplurimum hilarauit. Quæ Regi tunc illa infirmitas ex profundo consiliorum Domini tam salubri quàm necessaria prouisione à multis creditur prouenisse. Nam ex incommodo præcedenti sequentis fructus habilitas multiplex collecta est, vt fuit terræ sanctæ subsidium, & regni eius melioratio, vt patebit. B

Incidentia. Eodem anno factus est Egidius Cornutus post magistrum Galterum fratrem suum Archiepiscopus Senonensis. Iuhellus quoque Archiepiscopus Turonensis factus est Archiepiscopus Remensis; & Odo Clemētis Abbas sancti Dionysij, Archiepiscopus Rothomagēsis. Abbasque Cluniaci factus est Episcopus Lingonēsis.

Incidentia. Eodem tempore venerunt quidam nuncij credibiles de vltramarinis partibus, rumores veros quidem, sed pessimos afferentes. Nam quidam infideles, qui Grossoni vocabantur, terram sanctam intrauerunt, & in sancta ciuitate Hierusalem furialiter debacchantes, proh dolor! non solum ipsam ciuitatem, sed etiam Ecclesiam sancti sepulchri sanguine fidelium repleuerunt, conditioni, sexui, vel ætati non parcentes. Tunc adimpletum est illud quod per Prophetam diu ante fuerat peroratum; *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum. Posuerunt morticinia seruorum tuorum, escas volatilibus cœli carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem ipsorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret.* Iidem etiam infideles conflictum habuerant in Gazara cum nostris Christianis, in quo non solum Templi militia ceciderat, verum etiam Hospitalis, potentumque & nobilium terræ sanctæ non modica multitudo. Vnde & quamplurimum timebatur, ne ipsi infideles infra breue tempus totam illam terram caperent & destruerent, quæ tot Christianorum sanguinibus & sudoribus fuerat acquisita. C

ITEM, *Incidentia.* Anno Domini M. CC. XLV. regni Serenissimi Regis Francorum Ludouici XIX. & ætatis suæ XXX. vltima die mensis Aprilis, quæ fuit dies vigiliæ beatissimorum Apostolorum Philippi & Iacobi, peperit de nocte filium Ludouico Regi Francorum vxor sua Margareta. Quem idem Rex nomine aui sui Philippi Regis fecit Philippum nominari.

Quomodo Fredericus Imperator condemnatus fuit in Consilio Lugdunensi.

EODEM anno celebrauit generale Concilium beatissimus Papa Innocentius IV. apud Lugdunensem vrbem. In quo cum fratribus Cardinalibus sacroque conuentu Prælatorum deliberatione præhabita diligenti super Frederici tunc temporis Romani Imperatoris nefandis excessibus, ipsum die lunæ ante festum beatæ Mariæ Magdalenæ omni dignitate indignum pronuntiauit, & sententiando priuauit, omnesque, qui eidem Frederico iuramento fidelitatis aut confœderationis erant astricti, à iuramento huiusmodi absoluit: auctoritate Apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam dicto Frederico à die illa tanquam Regi Imperatori obediret. Et omnes qui ipsi deinceps tanquam Imperatori aut Regi consilium vel auxilium aut fauorem præstarent, ipso facto denunciauit excommunicationis vinculo subiacere. Sed & illis, ad quos in eodem imperio Imperatoris spectabat electio, eligendi liberā annuit

potestatem

A potestatem. Cur autem in tantum hominem tam crudelem sententiam dictus Papa tunc intulit, multiplex causa fuit. Sed vt ad præsens de ceteris eius sceleribus ob lectoris tædium euitandum taceatur, solùmodo quatuor grauissima ab ipso commissa, quæ nulla tergiuersatione celari potuerunt huic libello inserere dignum duxi, ne dictus Papa inuidiæ ductus liuore vel odio hoc fecisse videatur. Prima causa fuit, quia cùm fecisset homagium Romanæ Ecclesiæ pro regno Siciliæ sibi ab eadem Ecclesia concesso, & demum cùm per ipsam Imperij coronam adeptus fuisset, iurauit coram Principibus & nobilibus Imperij, quod honores, iura, & possessiones dictæ Romanæ Ecclesiæ pro posse suo protegeret ac fideliter obseruaret, & quòd ex dictis possessionibus eidem specialiter nominatis, quæ ad manus suas deuenirent, sine difficultate aliqua restituere procuraret; Horum iuramentorum extitit temerarius violator, non sine proditionis nota, & læsæ crimine maiestatis. Nam Papam Gregorium IX. & fratres eius Cardinales Romanæ Ecclesiæ per suas literas pluribus directas præsumpsit multipliciter diffamare, & eos qui fidelitatem & homagium fecerant Romanæ Ecclesiæ pro possessionibus quas tenebant à dicta Ecclesia deierare compulit, faciens eos per se & officiales suos prædictam fidelitatem abiurare, sibique præstare violenter fidelitatis huiusmodi sacramentum. Secunda causa fuit,
B quòd pacem inter Ecclesiam & Imperium reformatam temerè violauit. Nam cùm diu ante tempore pacis inter ipsum & Ecclesiam reformatæ iurasset coram duobus Cardinalibus, præsentibus multis prælatis & principibus, quòd staret & pareret præcisè absque vlla conditione omnibus mandatis Ecclesiæ super his, pro quibus erat vinculo excommunicationis astrictus, causis excommunicationis eiusdem expressis per ordinem coram ipso, remittendo omnem pœnam & offensam hominibus Theutonicis & regni Siciliæ, ac quibuscunque aliis qui Ecclesiæ contra ipsum adhæserant, & quòd nullo tempore offenderet, vel offendi faceret ipsos pro eo quod Ecclesiæ adhæsissent, postmodum iuramenta & pacem huiusmodi non seruauit, nequaquam erubescens periuriis irretiri. Nonnullos enim ex ipsis hominibus tam nobiles quàm ignobiles capi fecerat, & eis bonis omnibus expolliatis vxores eorum & filios captiuauerat, ac terras Ecclesiæ contra prouisionem quam dictis Cardinalibus fecerat, inuaserat imprudenter, licet ipsi ex tunc in eum præsentem, si contraueniret aliquando, excommunicationis sententiam promulgassent. Et cùm iidem Apostolica auctoritate sibi mandassent, vt nec per se nec per alium impediret, quin postulationes, electiones, & confirmationes Ecclesiarum ac Monasteriorum per regnum & Imperium libere fierent secundum statuta Concilij generalis, & quòd nullus deinceps in eisdem regno & Imperio viris Ecclesiasticis ac rebus eorum imponeret tallias vel collectas. Et quòd nullus ibidem clericus vel persona Ecclesiastica de cetero in ciuili vel criminali causa conueniretur coram iudice seculari, nisi super feodum quod ciuiliter haberetur: ac Templariis, Hospitalariis, &
C aliis personis Ecclesiasticis satisfaceret competenter de damnis & iniuriis eisdem per se & suos irrogatis, ipse mandatum huiusmodi contempserat adimplere. Nam ipso procurante vndecim aut plures Archiepiscopales sedes, & multæ Episcopales, Abbatiæ quoque & aliæ Ecclesiæ in regno & Imperio vsque ad Concilium præfatum vacauerant, in graue ipsarum præiudicium & periculum animarum. In quibus non solum facultates & bona fecerat prout voluerat occupari; sed etiam cruces, calices, thuribula, & alios sacros earum thesauros, & pannos sericos, velut cultus diuini nominis contemptor auferri. Clerici quoque multipliciter collectis & talliis affligebantur; nec solum ad seculare iudicium trahebantur, sed vt asserebatur, subire duellum cogebantur, incarcerabantur, occidebantur, & patibulis in confusionem & opprobrium clericalis ordinis cruciabantur. Præfatis autem Templariis, Hospitalariis, & aliis personis Ecclesiasticis, de damnis eisdem illatis & iniuriis ab ipso non fuerat satisfactum. Tertia causa fuit, quòd sacrilegium perpetrauit. Nam cum Otho Portuensis, & Iacobus Prænestinus Cardinales Episcopi, Apostolicæ sedis legati, & quam plures Ecclesiarum prælati, & clerici tam religiosi quàm seculares, ad Apostolicam sedem irent per mare pro Concilio celebrando, quod prius idem Fredericus petierat conuocari, viis terræ & maris omninò præclusis ipsos ausu sacrilego capi fecerat; quibusdam ipsorum Prælatorum & aliis in illa captione submersis, nonnullis etiam interemptis, & aliquibus hostili infestatione fugatis; reliquis autem bonis omnibus spoliatis, & de loco ad locum in regno Siciliæ opprobriosè deductis,

LVDOVICVS NONVS.

ac ibidem diris carceribus mancipatis; quorum aliqui miserabiliter defecerant inedia pressi & squaloribus mancipati. Quarta condemnationis eius causa fuit, hæretica prauitas, de qua non dubiis & leuibus, sed difficilibus & euidentibus argumentis suspectus non immeritò habebatur. Nam postquam excommunicationis sententiam à prædictis duobus Cardinalibus prolatam incurrisset, & dictus Papa Gregorius nonus ipsum anathematis vinculo innodasset, ac post Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Prælatorum, & clericorum, ac aliorum, sicut supra dictum est, ad sedem Apostolicam venientium, captionem, claues Ecclesiæ contempserat, sibi faciens celebrari, vel potius quantum in ipso erat, diuina prophanari. Constanter enim asseuerauerat se præfati Gregorij Papæ sententiam non vereri, latamque ab eo in ipsum non solum contemptis Ecclesiæ clauibus non seruando, verum etiam per se & officiales suos, & illam & alias excommunicationis & interdicti sententias, quas idem omninò contempserat, cogebat alios non seruare. Et sic priuilegium, quod beato Petro & successoribus eius in ipso tradidit Dominus Iesus Christus, videlicet; *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis*; in quo vtique auctoritas & potestas Ecclesiæ Romanæ consistit, pro viribus suis diminuere vel Episcopis Ecclesiæ auferre satagebat. Præterea coniunctus erat amicitia detestabili Sarracenis. Nuncios quidem & munera pluries eisdem destinauerat, & ab eis vicissim cum honorificentia & hilaritate susceperat, ipsorumque ritus amplectebatur, illos in quotidianis suis obsequiis notabiliter secum tenens. Eorumque etiam more vxoribus quas habebat de stirpe regia descendentibus eunuchos, quos, vt dicebatur, castrari fecerat, custodes non erubuerat deputare. Et quod execrabilius fuit, ipse priusquàm fuisset condemnatus, existens in partibus transmarinis, facta compositione quadam, imo collusione veriùs cum Soldano, Machometi nomen in templo Domini diebus & noctibus publicè permiserat proclamari. Et postea nuncios Soldani Babyloniæ, postquam idem Soldanus Terræ snnctæ ac Christianis eius habitatoribus per se ac suos damna grauissima & inæstimabiles iniurias irrogasset, fecerat per regnum Siciliæ cum laudibus ad eiusdem Soldani excellentiam, sicut ferebatur, honorificè suscipi & magnificè procurari, aliorumque infidelium perniciosis & horrendis obsequiis contra fideles abutebatur; & illis qui damnabiliter vilipendentes Apostolicam sedem ab vnitate Ecclesiæ discesserant, procurabat affinitate & amicitia copulari. Insuper claræ memoriæ Ducem Bauariæ specialem Romanæ Ecclesiæ deuotum fecerat, sicut pro certo asserebatur, Christiana religione despecta, per assessinos occidi, & Vastachio Dei & Ecclesiæ inimico, à communione fidelium per excommunicationis sententiam, cum adiutoribus, consiliatoribus, & fautoribus eius solemniter separato, filiam suam tradiderat in vxorem. Catholicorum Principum actus & mores respuens, neglector salutis & famæ, non intendebat operibus pietatis. Nónne igitur hæc non leuia, sed efficacia fuerunt argumenta de suspectione hæresis contra ipsum, cùm hæreticorum vocabulo ius ciuile illos contineri asserat, & latis aduersus eos sententiis debeant subcumbere, qui vel leui argumento à iudicio catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deuiare; Et ideò, cùm de eius nefariis dissolutionibus melius sit tacere quàm loqui, stylus ad alia conuertatur.

De crucesignatione facta post Concilium Lugdunense.

SEQVENTI mense Augusti post Concilium destinauit Parisius Innocentius Papa magistrum Odonem de Castro-Radulphi Episcopum Tusculanum, sedis Apostolicæ legatum, qui prius Parisiensis Cancellarius fuerat, vt per totam Franciam prædicaret, quatenus nobiles Francigenæ bellatores pro liberatione Dominici sepulchri & vrbis sanctissimæ Hierusalem, de qua nostros Christianos Grossoini infideles, vt supra dictum est, expulerant, signum crucis acciperent sacrosanctæ. Eodem anno infra octauas sancti Dionysij conuocauit Rex Francorum Ludouicus grande Parisius Parlamentum, in quo prædictus legatus & plures regni Franciæ Archiepiscopi Pontifices, & Abbates, Barones quoque & Comites affuere. Et tunc ad præfati legati prædicationem, & Christianissimi Franciæ regis Ludouici exhortationem Iuhellus Remorum Archiepiscopus, Philippus Bituricensis

A censis Archiepiscopus, Robertus Beluacensis, Garnerus Laudunensis, Guillelmus Aurelianensis Episcopi: Dominus Robertus frater Regis Franciæ Comes Atrebatensis, vir clarissimus Hugo de Castellione Comes sancti Pauli & Blesensis, Galcherus nepos eius, Iohannes de Barris vir nobilis, Petrus Comes Britanniæ, Iohannes filius eius, Hugo Comes Marchiæ, Iohannes Montis fortis, Radulphus de Couciaco, & multi alij tam clerici quam laici, & si non omnes simul, processu tamen temporis signum crucis Dominicæ assumpserunt. Tunc quoque circa fines Hanoniæ vel Alemanniæ prædicabatur crux hominibus auctoritate domini Papæ, vt irent contra Conruardum Frederici filium, in auxilium Landegrauij Thuringiæ Ducis, qui de nouo cum assensu & fauore summi Pontificis electus erat in regem Alemanniæ. Hoc etiam tempore missi fuerunt quidam fratres de ordine Minorum & Prædicatorum ex parte domini Papæ cum literis Apostolicis ad exercitum Tartarorum; in quibus hortabatur eos Papa vt ab hominum strage desisterent, & fidei veritatem reciperent. Qui fratres prædicti situm terræ Tartarorum, gesta, actus & mores ipsorum scripserunt, quorum nimis longum esset hîc historiam recitare.

B *Quomodo Ludouicus Rex iuit apud Lugdunum visitare Papam Innocentium; & de coniugio Caroli sui fratris Comitis Andegauiæ.*

IN diebus illis reuoluto modici temporis interuallo, vir Deo amantissimus Rex Franciæ Ludouicus flagrans desiderio videndi summum Pontificem, conuocata multitudine non modica militiæ regni sui, fratribúsque suis, cum Regina Blancha matre eorundem iter aggressus est, & vt suum huiusmodi propositum adimpleret, Lugdunum properauit. Sed quàm nobiliter & gloriose fuerit circumuallatus gente sua in itinere prædicto, non puto sub silentio prætereundum. Videns igitur viros industrios, in armis strenuos & expertos, magnifico & decenti armorum & virium apparatu per diuersas phalanges antecedere regem suum in manu fortitudinis, sicut consueuerunt incedere castrorum acies ordinatæ. Trifarie enim procedentes similitudinem exercitus prætendebant. Centum siquidem præibant cum balistis, in equis decentissimè phaleratis, & centum cum testudinibus siue targis in armis lucidis, & in equis loricali tunica coopertis sequebantur. Veniebat postmodum tertius centenarius munitus armis omnibus, habens in manibus gladios fulgurantes. Ipse autem Rex nobilissimus cum incredibili & gloriosa multitudine militum regni sui quarto agmine procedens, Lugdunum sic introiuit. Ad quem locum vniuersalis Ecclesiæ Pontifex summus accesserat, vt ibidem cum dicto Rege de negotiis sanctæ matris Ecclesiæ loqueretur; habitoque inter eos secreto & latente consilio, idem Rex Serenissimus benedictione à summo Pontifice percepta, eique humiliter valedicto, in Franciam remeauit. Sed dum vellet regredi, misit partem militiæ suæ copiosam, quæ Beatricem sororem iuniorem Reginæ Franciæ Margaretæ, quam orbatam patre, scilicet Comite Prouinciæ, Rex Aragoniæ armato circumuenerat exercitu, & obsederat impudenter, vt eam suo, sicut dicebatur, filio traderet in vxorem, de manu ipsius in gladij fortitudine liberaret. Redeunte interea illustri Rege Franciæ ad propria, negotio pro quo milites prædicti destinati fuerant, contra Regem Aragoniæ potenter & celeriter consummato, idem excellentissimus Rex Francorum consilio hinc inde habito, inquisita prius prædictæ filiæ Comitis Prouinciæ voluntate, misit Carolum fratrem suum cum innumerabilis militiæ venustate, vt eidem puellæ nobili coram ipsius famosissimis auunculis, Comite scilicet Sabaudiæ, & Thoma quondam Flandrensi Comite, nec non Archiepiscopo Lugdunensi, aliaque eius inclyta parentela, in eiusdem matris præsentia solemni matrimonio iungeretur. Quantus honor, quantave lætitia, quantaque festiuitas illic sit habita, non est meæ possibilitatis euoluere vel referre. His taliter expletis, anno sequenti, scilicet anno Domini M. CC. XLVI. in die sanctæ Pentecostes accersita Baronum & nobilium non pauca multitudine apud castrum Meledunum, Ludouicus Rex Francorum Illustrissimus anno regni sui vicesimo Carolum fratrem suum iuniorem militem nouum fecit, & eidem Comitatus Cenomanensis & Andegauiæ largitus est. *Incidentia.* Eodem tempore Turci & Armenij fecerunt confœderationem cum Tartaris, spondentes eisdem annuatim reddere magnam summam pecuniæ cum

LVDOVICVS NONVS. ingenti copia pannorum sericorum pro tributo. Anno Domini M.CC.XLVII. mense Iunio accidit miraculum quoddam apud Yconium Turquiæ ciuitatem, in loco communi vbi crux erat sculpta in quodam palatio. Quidam enim ioculator ibidem stabat, & in facie omnium astantium cum vrso ludebat. Vrsus autem leuato crure super crucem prope ipsum existentem, minxit, statimque omnibus videntibus ibidem expirauit. Cumque Christiani astantes super id quod acciderat Dominum benedicerent atque laudarent, quidam Sarracenus indignatus est valde quòd ibi super miraculo facto Christum attollebant. Ideóque accedens in impetu, tanquam in contemptum ipsius crucis & Christianorum, cum manu crucem percussit; statimque brachium eius cum tota manu, qua illam percusserat, totaliter exaruit. Iterúmque Sarracenus quidam alius ebrietati vacans, illámque Christianorum admirationem & laudem vilipendens, continuò quasi amens à potatione surrexit, & in contemptum Christianitatis super crucem mingere volens, morte subitanea percussus interiit. Sicque Christianorum multitudine Dominum magnificante super tribus miraculis iam ibidem ostensis, quidam Græcus inspiratione diuina inflammatus, accessit ad Baiulum ciuitatis, rogans vt illum locum, vbi crux prædicta erat insculpta, venderet, in quo ad honorem Dei & sanctæ crucis Ecclesiam promitteret ædificare. Pro quo etiam, si id sibi facere concederet, promisit quod viginti duo millia soldanorum Soldano daret. Quod Episcopus Turquorum audiens, fieri omnibus modis quibus potuit impediuit.

Eodem anno mortuus est Landegrauius Thuringiæ Dux, qui electus fuerat in Regem Alemanniæ: ac subsequenter post ipsum electus est in regem Guillelmus Comes Hollandiæ. Sanctus etiam Ethmundus Cantuariensis Archiepiscopus, cuius sacri corporis gleba in Ponteigniacensi Monasterio requieuerat, de terra est eleuatus: qui nimirum anno præcedenti auctoritate Apostolica fuerat canonizatus, & in catalogo Sanctorum deputatus.

De prima profectione Ludouici Regis in transmarinis partibus.

ANNO Domini M.CC.XLVIII. Rex Franciæ Ludouicus iter transmarinum arripuit. Ab illo enim tempore nunquam indutus est squaleto, vel panno viridi seu bruneto, nec pellibus variis; sed veste nigri coloris, vel camelini, seu persei. Et quia vestes huiusmodi minoris valoris esse videbantur ad dandum pauperibus, quàm aliæ pretiosiores quibus vti solebat, prout Reges Franciæ consueuerunt, instituit quod ad recompensationem huiusmodi vestium, Eleemosynarius suus erogaret quandam summam pecuniæ æquipollentem pretio vestium pretiosarum vltra id quod erogare solebat. Nolebat enim pius Rex, quòd propter humiliationem suam exteriorem, aliquid pauperibus deperiret. Similiter ex tunc nunquam vti voluit calcaribus vel frænis, nisi omnino albis & ferreis absque aliqua auratura, nec sellis ad equitandum, nisi albis sine omni pictura. Recessit igitur de Parisius in sexta feria post Pentecosten, multis eiusdem vrbis processionibus eum vsque ad sanctum Anthonium comitantibus. Iuerúntque cum eo venerabilis Odo Tusculanus Episcopus Apostolicæ sedis Legatus, & duo fratres eiusdem Regis, videlicet Robertus Comes Attrebatensis, & Carolus Comes Andegauiæ, cum vxoribus suis, multique Regni Franciæ Barones & Episcopi. Alphonsus quoque dicti Regis frater Comes Pictauensis crucem assumpserat transmarinam, sed illo anno cum domina Blancha Regina matre sua remansit ad regni custodiam. Transiens ergo Christianissimus Rex Ludouicus per Burgundiam vsque ad Lugdunum, Dominum Papam Innocentium ibidem commorantem secundò visitauit. Indéque recedens benedictione eius recepta, venit ad Rocham quæ dicitur *dou Glui*, vbi erat castrum fortissimum super Rodanum. Quia igitur dominus castri illius à transeuntibus per Rodanum exactiones illicitas extorquebat, & eos bonis suis indebitè spoliabat, rex illud obsedit, & in deditionem accepit. Illud autem in parte destruens, posteà domino dicti loci, cautione sibi facta, quòd de cetero ab iniuriis & exactionibus illicitis abstineret, illud restituit. Tandem rex ad portum Aquarum mortuarum perueniens, die Martis in crastino beati Bartholomæi Apostoli nauem cum suis intrauit, & duobus diebus sequentibus inibi moram faciens, ventum prosperum expectauit. Porro sequenti die Veneris à portu recedens, & duce Deo nauigans, die Iouis ante festum sancti

A ſancti Matthæi Apoſtoli de nocte in Cypro Nimotium applicuit. At Comitiſſa Attrebatenſis cùm eſſet prægnans, de portu Aquarummortuarum in Franciam rediit, ibique vſque ad Comitis Pictauenſis tranſitum expectauit. Rex autem Ludouicus in Cypro terram capiens, de conſilio Baronum ſuorum, ac Baronum & terrarum Cypri, quia naues & galeæ ſuæ cum baliſtariis ac gentibus ſuis nondum aduenerant, in Cypro diutius expectauit, & propter inſtantiam hyemis, & propter alias cauſas concurrentes, vſque ad tempus Paſchale iter ſuum aduerſus Sarracenos diſtulit. Rex quoque Cypri, & omnes fere nobiles illius regni atque prælati crucis ſignaculum aſſumpſerunt, ſeque cum Rege Franciæ ſuper Sarracenos, adueniente præfixo termino, profecturos, quò eos vellet ducere, iurauerunt.

Eo tempore Soldanus Babyloniæ, qui verſus partes Damaſci per terram Chriſtianorum venire parauerat, auditis de aduentu Regis Francorum rumoribus, iter propoſitum reuocauit. Erantque inimicitiæ inter prædictum Soldanum, & illum qui fuit Soldanus Damaſci, & etiam Halapinos. His temporibus obierunt de peregrinis Robertus Epiſcopus Beluacenſis, & Comes Montis fortis Iohannes, Comes quoque Vindocinenſis, Guillelmus de Merloto, & Guillelmns de Barris, dominus etiam Archembaldus de Borbonio, & Comes Drocenſis, & alij quamplures
B milites, quorum numerus vſque ad ducentos & quadraginta æſtimatur. Sed & Comes Andegauiæ, Carolus frater Regis Franciæ, quartana in Cypro laborauit. Cùm autem inter Archiepiſcopum Nicorſienſem & milites regionis Cypriæ eſſet controuerſia, propter quam omnes ferè milites illi erant excommunicati, prædictus Odo Apoſtolicæ ſedis legatus inter partes mediatorem ſe faciens, pacem reformauit, dictos milites abſolui faciendo. Archiepiſcopus quoque Græcorum in Cypro, qui tanquam ſchiſmaticus & inobediens Archiepiſcopo ſuo Latino iamdiu ab Eccleſia ſua exulauerat, tunc temporis eſt reuerſus, & tam ipſe quàm alij Græci qui excommunicati fuerant, ad obedientiam redierunt; & abſoluit eos legatus, qui & coram ipſo quaſdam hæreſes abiurauerunt. Multi etiam Sarraceni, qui detinebantur in Cypro captiui, baptiſmum inſtanter petentes, inſigniti ſunt charactere baptiſmali.

De nunciis Tartarorum miſſis Ludouico Regi in Cypro.

VENERVNT autem circa Natale Domini ad Regem Franciæ Ludouicum miſſi quidam nuncij à quodam magno viro Ercalthay nomine de gente Tartarorum, qui ei apud Nichoſliam commoranti literas eiuſdem magnatis præſentauerant. Ibidem præſens aderat frater Andreas de Lonciumel de Ordine fratrum Prædicatorum, qui maiorem ex illis nunciis nomine Dauid nouerat, vtpote qui viderat eum in exercitu Tartarorum, quando ipſe & alij quidam fratres miſſi fuerunt
C ex parte domini Papæ, ſicut ſuperiùs dictum eſt, ad Tartaros. Rex autem literas ſibi præſentatas in lingua Perſica & literis Arabicis, in Latinum per eundem fratrem transferri fecit, earumque tranſcriptum ſub contra ſigillo ſuo clauſum matri ſuæ Reginæ Blanchæ in Franciam miſit. Nunciauerunt itaque prædicti nuncij, quòd Rex magnus Tartarorum, qui dicebatur Cham, circa tres annos completos à die Epiphaniæ proximò præterita, factus erat per Dei gratiam Chriſtianus, & tam ipſe quàm alij magnates plurimi, & maxima pars populi exercitus eorundem Tartarorum, ſacrum baptiſmum ſuſceperant, fidem Catholicam profitentes. Dictus etiam Ercalthay, iam antea per annos aliquot ſimiliter fidem Chriſtianam & baptiſmum ſuſceperat; & nunc veniebat miſſus à dicto rege Cham, cum maxima multitudine bellatorum. Erat enim ipſius intentio fidem Chriſtianam promouere & roborare, & omnium crucem adorantium vtilitatem & liberationem procurare, omneſque aduerſarios eiuſdem crucis expugnare. Multum verò deſiderabat ſe Regis Francorum eſſe beneuolum & amicum. Audierat enim de ipſo, quòd applicare deberet in Cyprum. Dicebant enim idem nuncij ſe credere, quòd dictus Ercalthay circa proximum Paſcha ciuitatem Baldach obſidere deberet, in qua Calyphus habitabat, à quo Soldanus Babyloniæ pluries ac ſpecialiter olim in obſidione Damietæ ſuccurſum magnum & auxilium habuerat. His & aliis tam per nuncios quàm per literas intellectis, Rex gauiſus nuncios honorifice ſuſceptos perendinare fecit, eiſque liberaliter neceſſaria miniſtrari. In die Natalis Domini cum rege fuerunt

LVDOVICVS NONVS. ad Missam in Ecclesia, & ad prandium in curia. Similiter in Epiphania cum eo ad Missam erant, & sicut videbatur, bene se habebant, ac more Christianorum se gerebant. A

Exemplar Epistolæ siue Literarum Regis Tartarorum ad Regem Franciæ Ludouicum.

PER potentiam Dei excelsi missi à Rege terræ Cham verba Erchalthay Regi magno Prouinciarum multarum strenuo propugnatori orbis gladio Christianitatis, victoriæ religionis Apostolis, defensori legis Euangelicæ, filio Regi Franciæ. Augeat Deus dominium suum, & conseruet ei regnum suum annis plurimis, & impleat voluntates suas in lege & in mundo, nunc & in futurum per veritatem diuinæ conductricis hominum & omnium Prophetarum & Apostolorum, Amen. Centum millia benedictionum & salutum. Ex hoc rogo quòd recipiat salutes siue salutationes istas, vt sint grande apud ipsum. Faciat autem Deus vt videam hunc Regem magnificum, qui applicuit. Creator autem excelsus sic occursum nostrum in charitate fieri faciat, vt congregemur in vnum. Post hanc autem salutationem, B nouerit quod in hac epistola non est intentio nostra nisi vtilitas Christianitatis, & corroboratio manus regum Christianorum, Domino concedente. Et peto à Deo, vt det victoriam exercitibus regum Christianitatis, & triumphet eos de aduersariis suis contemnentibus crucem. Ex parte autem Regis sublimis sublimet eum Deus, videlicet de præsentia Kyocay augeat Deus magnificentiam suam. Volumus cum potestate & mandato, vt omnes Christiani sint liberi à seruitute, & tributo, & angaria, & pedagiis & consimilibus, & sint in honore & reuerentia, & nullus tangat possessiones eorum, & Ecclesiæ destructæ reædificentur, & pulsentur tabulæ, & non audeat aliquis prohibere vt orent corde quieto & libenti pro regno nostro. Ista autem hora adhuc venimus pro vtilitate Christianorum & custodia, dante Deo excelso. Misimus autem hæc per fidelem nostrum virum venerabilem Sabeldim Moussfath Dauid, & per Marchum, vt annuncient istos bonos rumores, & quæ sunt circa nos dicent ore ad eos. Filius autem recipiat verba eorum, & credat eis, & literis suis. Rex terræ augeatur magnificentia sua, ita præcepit quod in lege Dei non sit differentia inter Latinum & Græcum, Armenium, Nestorium, Iacobinum, & omnes qui adorant crucem. Omnes enim sunt vnum apud nos. Et sic petimus vt Rex magnificus non diuidat inter ipsos, sed sit eius pietas super omnes Christianos. Duret eius pietas & clementia. Datum in Fruemercharram. Et erit bonum concedente Domino.

Huic Epistolæ consonabant & aliæ quædam Literæ, quæ paulo ante Regi Ludouico à Rege Cypri & Comite Ioppensi fuerant præsentatæ, quarum etiam transcriptum vna cum transcripto Literarum Erchalthay transmisit Odo venerabilis C Apostolicæ sedis legatus domino Papæ Innocentio quarto. Harum literarum exemplar talia continebat.

Alia Epistola missa Regi Cypri.

EXCELLENTI & potenti viro Henrico Dei gratia regi Cypri, & charissimæ sorori suæ Emelinæ reginæ, nobili viro Iohanni de Ybelim fratri suo Conestabularius Armeniæ salutem & dilectionem. Noueritis, quod sicut ad iter agendum pro Deo & vtilitate Christianitatis me exposui; sic Iesus Christus vsque ad villam quæ vocatur *Sautequant* me conduxit. Multas quippe terras videntes, Indiam retro nos dimisimus, & transiuimus Bandath, totamque terram eius duobus arrepti itineris mensibus. Ciuitates plurimas vidi, quas vastauerunt Tartari, quia nemo posset opulentiam vel amplitudinem æstimare. Vidimus enim aliquas magnas villas itinere trium dierum, & plusquam centum millia aggeres magnos & mirabiles ossium à Tartaris interfectorum. Nobisque videtur, quòd si, Deo disponente, Tartari, qui paganos sic destruxerunt, non aduenissent, ad totam terram cismarinam implendam & acquirendam sufficerent. Transiuimus vnum de Paradysi fluminibus maximum Geon appellatum, iuxta Scripturam, cuius arena durat vndecunque per vnam magnam dietam. De Tartaris vero sciatis quod innumerabiles sunt, nec æstimari ab homine

A homine possunt. Optimi sunt archerij, terribiles forma, pluriumque facierum. Nec vobis possemus describere literaliter ritus eorum. Nunc quidem octo sunt menses, quod de die ac nocte ambulamus, & nunc dicitur nobis quòd ad medium terræ nostræ & terræ Cham maioris Domini Tartarorum non peruenimus. Intelleximus pro certo, quòd iam ex quo mortuus est Cham pater huius Cham, qui nunc est, quinque anni transierunt, ante cuius tempus Barones & milites Tartarorum ita se per terras & regiones effuderant, quòd infra dictos quinque annos, vt dictum Cham iuniorem inthronizarent, vix in vnum locum congregari potuerunt. Quidam enim eorum erant in India, alij verò in terra de Chatha, alij in Russia, & alij in terra de Chascat & de Tangath. Hæc est terra, de qua tres Reges in Bethlehem venerunt Christum adorare, & Christiani sunt homines illius terræ. Ego siquidem fui in Ecclesiis eorum, & vidi Iesum Christum depictum, tres quoque Reges, vnum aurum, alium thus, & alium myrrham offerentes. Per illos itaque tres Reges habuerunt illi fidem Christi, ac per illos Cham & omnes sui modo facti sunt Christiani. Vnde & ante portas suas habent Ecclesias, pulsant Campanas, ac percutiunt tabulas: ita quod euntes ad Dominum suum Cham primo quidem oportet B ire ad Ecclesiam, & salutare Dominum Iesum Christum, postea vero ire salutare Cham. Inuenimus etiam multos Christianos effusos per terram Orientis, & multas Ecclesias pulchras, altas, & antiquas, quæ vastatæ fuerant à Tartaris. Vnde Christiani terræ illius venerunt in præsentia Cham istius qui modo regnat, quos ille cum honore magno suscepit, & libertati donauit, & ne quis verbo vel facto contristaret eos, prohiberi fecit. Et quia peccatis exigentibus non habebat Christus qui nomen suum prædicaret in illis regionibus, ipsemet pro seipso prædicauit, & prædicat sanctissimis suis virtutibus; ita quod gentes illarum regionum credunt in Christum. In terra vero Indiæ quam beatus Apostolus Thomas conuertit, est quidam Christianus Rex, qui inter alios Reges, vtpote Sarracenos, erat in anxietate magna positus. Nam vndique faciebant ei violentiam, donec Tartari venerunt in terram illam, & ipse factus est homo illorum, acceptóque exercitu suo & Tartarorum, Sarracenos inuasit, tantumque in terra Indiæ acquisiuit, quòd tota Orientis terra plena sit sclauis Indicis. Horum enim plusquam quingenta millia vidi, quos Rex dictus ceperat, & mandauerat venundari. Sciatis etiam dominum Papam misisse nuncium prædicto Cham, & mandauit ei dici vtrum Christianus esset, & cur gentem suam ad orbis conculcationem ac necem misisset. Cui respondit Cham: Quòd Deus auis suis & sibi mandasset, quòd gentem suam ad interficiendas gentes pessimas mitteret. Super hoc autem quòd mandauerat, vtrum esset Christianus, respondit, quòd hoc sciebat Deus, & si Papa scire vellet, veniret & videret, & sciret. Huc vsque exemplar epistolæ Connestabularij Armeniæ.

C *De quibusdam interrogationibus quas fecit Ludouicus Rex Tartarorum nunciis sibi missis.*

QVÆSIVIT autem Rex Franciæ Ludouicus à prædictis nunciis Ercalthay de ipso, à quo tempore baptismum suscepisset, & vbi esset modo. Quæsiuit etiam de statu Tartarorum, & quæ fuerit causa motiua aduentus eorum, & qua occasione suum, id est, ipsius Regis Francorum cognouissent aduentum. Ad quæ sic responderunt. A Soldano, inquiunt, Mussulæ, quæ scilicet olim vocabatur Niniue, missæ fuerunt literæ quædam ad magnum Regem Cham, quas receperat à Soldano Babyloniæ: in quibus Babyloniæ Soldanus mentionem de applicatione Regis Francorum faciebat; mendaciter asserendo, quod sexaginta Regis Francorum naues per violentiam ceperat, & in Ægyptum deduxerat. Per id ostendere volens, quòd idem Mussulæ Soldanus in aduentu Regis Francorum confidere non debebat. Hac igitur occasione dictus Ercalthay audito Regis Francorum aduentu, nuncios misit ad eum, qui denunciarent ei in hoc omne propositum Tartarorum, vt in æstate proxima obsiderent Calyphum Badath. Rogabantque Regem, vt Ægyptum aggrediens impugnaret, ne dictus Calyphus ab Ægyptiis in aliquo adiuuari posset. Dixerunt etiam ijdem nuncij, quòd isti qui nunc appellantur Tartari, exierunt de terra sua transactis quadraginta annis, quæ non habet ciuitates aut oppida seu villas, sed abundat in pascuis, & ob hoc incolæ sunt intenti tantum in pecoribus alen-

A dis. Distatque per quadraginta dietas à terra, quam nunc inhabitat ille Rex magnus Cham, & in qua posuit sedem suam. Quæ scilicet terra Tartar vocatur, vnde & nunc Tartari nominantur. Dicebant quoque quod ijdem Tartari primò debellauerunt filium Iohannis presbyteri Regis Indiæ, ipsumque cum exercitu suo peremerunt in ore gladij. Dicebant etiam quòd ille Cham habet secum fere omnes capitaneos populorum cum innumerabili multitudine equitum & hominum & animalium, & sunt in tentoriis semper, quia nulla ciuitas eos capere posset. Equi vero illorum & alia semper commorantur in pascuis, quia non possunt hordeum & paleam inuenire, quod sufficere posset equis suis. Capitanei sui præmittunt homines qui sibi regiones subiiciant, & ipsi cum Rege magno remanent. In cuius potestate & voluntate est, vt quando moritur quis, Regem instituat aliquèm de filiis vel ne potibus suis. Dixerunt etiam quòd iste qui nunc agit in sceptris, habuit matrem nomine Quiothay Christianam, Regis Indiæ, qui presbyter Iohannes vocabatur, filiam. Ad cuius exhortationem, & cuiusdam Episcopi sanctissimi, qui Malassias vocabatur, suscepit sacramentum baptismi, & cum ea decem & octo filij Regum, & plures alij maximi Capitanei. Multi tamen adhuc inter illos sunt, qui nondum sacramentum fidei susceperunt. Ercalthay verò, qui nuntios miserat, Christianus erat iam ex pluribus annis, & non erat de semine Regio; sed tamen magnus & potens agebat in finibus Persidis à parte Orientis. Requisiti verò nuncij de Bachon Duce, cur sic malè recepisset domini Papæ nuntios: responderunt, quia homo paganus erat, & Sarracenos habebat consiliarios. Sed iam potestatem tantam vt prius non habebat, quia modo sub Erchalthay potestate constitutus erat. Præterea requisiti de Soldano Moysac siue Mussulæ, quæ quondam Niniue dicta est, an Christianus esset, dixerunt eum fuisse cuiusdam Christianæ filium, & quòd ex corde Christianos diligeret, ac festa illorum obseruaret, nec in aliquo legi Machometi obediret. Et credebatur quod si tempus & oportunitatem haberet, libenter Christianus fieret. Dicebant etiam, quòd summi Pontificis nomen apud Tartaros celebre iam esset, & quòd Erchalthay domini sui propositum erat, vt in æstatate proxima Calypham impugnaret, & iniuriam Domino Iesu Christo illatam vindicaret. B

De legatione Regis Franciæ ad Tartaros.

TANDEM habuit Rex Francorum consilium vt ad ipsum Regem & ad Erchalthay nuntios suos cum literis & iocalibus mitteret, ita quod aliquis eorum ab Erchalthay ad ipsum Regem Ludouicum directè redirent, & alij ad Regem Cham directè procederent. Significantibus autem Tartarorum nuntiis, quòd Rex Cham valde charum & gratum haberet de scarleta tentorium siue capella, fecit eam Rex Ludouicus præparari ac fieri speciosam, & quosdam pannellos habentes leuem atque subtilem brodaturam. In qua scilicet brodatura tentorio affixa, ea quæ Dominus noster Iesus Christus pro nobis in corpore suo gessit, erant satis honestissimè exarata. Hæc igitur & alia ad ornamentum Capellæ & cultum diuinum pertinentia misit Rex Ludouicus Regi Cham, ad deuotionem fidei Christianæ in eo excitandam. Insuper etiam de ligno sanctæ crucis misit eidem, & Erchalthay per nuntios suos cum literis ad vtrumque directis, hortantibus vt eum qui per gratiam suam ad cognitionem nominis sui eos vocauerat, debita veneratione colerent, & in eius amore iugiter permanerent. Sed & Dominus Odo Apostolicæ sedis legatus eidem magno Regi Cham & matri suæ & Ercalthay ac Prælatis eorundem destinauit epistolam; denuncians eis, quòd sacrosancta Ecclesia Romana libenter vt filios charissimos reciperet, audiens gratulabundam conuersionem eorum ad fidem Catholicam, dummodo fidem ortodoxam vellent firmiter tenere, & eam confiteri matrem omnium Ecclesiarum, eique præsidentem Iesu Christi Vicarium esse, & quòd eidem Vicario cuncti qui Christiana professione censentur, meritò debeant obedire. Prælatos etiam illorum admonuit specialiter, vt idipsum omnes saperent, & in eis schismata non essent; sed in veritate fidei, scilicet in quatuor primis generalibus Conciliis editæ, & à sede Apostolica approbatæ, inuiolabiliter permanerent. C

Fuerunt autem huius legationis nuncij videlicet à Rege Françorum ad principes

A cipes Tartarorum destinati, prædictus frater Andreas cum duobus aliis fratribus eiusdem Ordinis, & duobus clericis, ac duobus seruientibus Regis. Qui parati & instructi paulo ante Purificationem profecti sunt vna cum prædictis Tartarorum nunciis. Octauo Kalendas Februarij à Rege licentiam acceperunt, ac tertia die Nichociam exierunt. Super omnes autem frater Andreas Capitaneus & magister à Rege Ludouico constitutus; non multo post ad eundem Regem literas misit, quarum transcriptum Dominus Rex matri suæ Blanchæ Reginæ in Franciam vna cum transcripto litterarum Erchalthay transmisit.

De discordia quæ erat inter Soldanos Babyloniæ & Halapiæ.

INTEREA Soldanus Babyloniæ, intellecto quòd Rex Franciæ hyemaret in Cypro, statim inter arripuit veniendi versus partes Damasci, per ciuitatem Hierusalem transitum faciendo: ad hoc intendens modis omnibus aspirans, vt Halapiæ Soldanum & alios eidem adhærentes sibi pacificos & confœderatos attraheret, eosque secum in auxilium suum contra Christianos adduceret. Ad hoc B etiam nuncios suos Calyphas Baldacensis, & Senex de Monte Dominus Arsacidarum destinauerant, vt illos ad concordiam reuocarent. At Soldanus Halapiæ congnoscens versutiam & malitiam Soldani Babyloniæ, non est ausus in ipso confidere, nec pacem aut compositionem cum eo voluit inire. Propter quod idem Soldanus Babylonicus in iram motus, vrbem Camele, quæ pertinet ad Soldanum Halapiæ, per gentem suam obsidere fecit, & ipse Damascum rediit. In qua scilicet obsidione, idem Soldanus Babylonicus propter hiemem ac pluuias, & Beduinorum incursus fertur in hominibus ac rebus & animalibus suis multa dispendia sustinuisse. Dum itaque Babylonicus exercitus in obsidione dicta permaneret, Soldanus Halapiæ præparato exercitu suo venit vt eos ab obsidione remoueret. Ad quem accedens nuncius Calyphæ, monuit eum vt cum Soldano Babyloniæ pacem firmaret, proponens ei pericula multa, quæ Sarracenis imminebant hoc tempore, eo quòd exercitus Christianus ad perdendum gentes ad legem Mahometi pertinentes conuenisset. Et si itaque ipsi Sarraceni taliter in semetipsos bella conuerterent, hæc illis ad incommodum & confusionem, & Christianis eorum aduersariis ad profectum cederet. Cum hæc & alia multa nuncius Calyphæ proposuisset, & de hoc iam pluries cum eodem Soldano Halapiæ tractasset, ille nullatenus verbum pacis admittere voluit, dicens quòd quandiu in eius Domino Babylonij morarentur, super hoc aliquatenus non tractaret, & nisi recederent die crastina, proculdubio cum eis prælium & conflictum iniret. Videns itaque dictus nuncius quod nihil in tractatu pacis proficeret, recessit, ac festinans ad exercitum Babylonicum imminentis eis belli periculum nuntiauit, C & sic eos ab obsidione recedere fecit. Qui cum maxima confusione in Damascum receperunt se, vbi tunc morabatur Soldanus Babyloniæ graui detentus infirmitate. Inter hæc autem Magister militum Templi & Marescallus Hospitalis scripserunt Ludouico Regi Franciæ, quòd Soldanus Babyloniæ cum exercitu suo venerat in partes Gazæ ad conciliandum sibi Soldanum Halapiæ & Damasci, timebantque ne forte Ioppem vel Cæsaream intenderet obsidere. Postea quoque scripsit idem magister Regi Franciæ, quod Admiraldus quidam Soldani Babyloniæ ad ipsum venerat, vt eiusdem Regis Francorum voluntatem inquireret, eò quòd Dominus suus libenter pacem cum ipso haberet. Quod Regi omnibusque Baronibus displicuit valde, præsertim cùm à quibusdam diceretur Soldanus ad requisitionem eiusdem magistri prædictum Admiraldum ad ipsum misisse. Itaque Rex incontinenti præfato magistro per literas suas inhibuit, ne de cætero tales nuntios absque mandato suo speciali reciperet, aut cum eis colloquium habere præsumeret. Dicebatur enim ab omnibus qui factum Syriæ nouerant, quòd quantumcunque oppressi essent Syri, nunquam primi faciebant verbum de treugis, sed tunc primo quando cum instantia magna requisiti super hoc erant à Turcis. Ideóque quod dictus Magister, vt dicebatur, prior inde mouerat verbum, ex hoc Christianorum conditio deterior facta fuerat, præsertim quia Turci ex hoc ipso poterant credere, quod se Rex viribus inferiorem existimans quacunque causa vel occasione inuenta festinaret ad propria remeare.

A

Incidentia, dum Rex Franciæ esset in Cypro.

DVM Rex Franciæ Ludouicus in Cypro cùm Regina Margareta vxore suâ moram traheret, Armeniæ Rex intellecto eius aduentu, misit eidem nuntios solemnes, quendam scilicet Armenium Episcopum, & alios domesticos suos cum literis suis & Xeniis, se offerens eius voluntati. Quos ille prout decuit honorabiliter recepit. Cùm autem intellexisset esse discordiam inter ipsum Regem Armeniæ, & Principem Antiochiæ grauem plurimum atque damnosam, quæ iam longo durauerat tempore: propter hoc & alia quædam misit nuntios proprios ad vtrumque. Postea vero procedente tempore, accedentibus ad eum vtriusque nuntiis inita est inter ipsos coram illo treuga, ab instanti Natiuitate sancti Iohannis per duos annos duratura. Quia vero Turcomagni paulo ante terram Antiochiæ depopulati fuerant, Patriarcha & Princeps Antiochenus à Rege Francorum auxilium petierunt, eisque à Rege sexcenti balistarij missi sunt. Eodem tempore accidit in Cypro, quòd oriretur discordia inter Vicecomitem Castriduni & marinarios suos instigante diabolo. Et ex parte Ianuensium à balistariis Vicecomitis interfecti sunt duo, quorum vnus erat magnus & nobilis homo. Idem quoque Vicecomes nescio quo spiritu ductus, habito tractatu cum Comite Montis fortis, voluit ad partes Aconensium transfretare cum militibus multis. Quod vbi Rex Franciæ agnouit, ipsi cunctisque militibus ne hoc facerent, inhibuit; quoniam hac occasione totus posset exercitus dissolui, & Christianitatis negotium impediri. Cumque Vicecomes quoquomodo id quod proposuerat implere vellet, Rex galeas suas armari fecit; & dominis nauium ne Vicecomitem aut complices suos aliquatenus attentarent ferre, prohibuit. Tunc idem Vicecomes ad aliud se conuertit, & nauem vnam cum omnibus quæ in ea erant saisiuit, asserens quòd secundum conuentiones inter ipsos & dominos nauis habitas, tam nauis, quàm ea quæ ibi erant, ipsius esse debebant. Porro mediante Rege tractatum fuit, vt in duos bonos viros vtraque pars compromitteret, & Rex tertium poneret. Sed quia consensum partium obtinere non valuit, ideo dicta discordia tunc sedari non potuit. Tandem ad instantiam Regis & legati, Vicecomes post Pascha nauem, quam saisierat, Ianuensibus restituit. Qui & promiserunt sub pœna duarum millium librarum, quòd iuri starent in Curia Regis Franciæ, super querelis, quæ vertabantur inter ipsos & Vicecomitem ante dictum. Interea verò miserat Rex Franciæ Ludouicus apud Acon & alia loca maritima, ad marinarios & naues atque nassella conducenda. Cumque nuntij hac de causa in Acon Dominica die in quadragesima venissent, nullatenus Ianuenses ac Venetos ad hoc flectere potuerunt, quòd rationabile pretium in vasis suis ponere vellent. Hisque diebus instigante diabolo inter Ianuenses ex vna parte, & Pisanos ex altera, seditio grandis exorta fuit, ita quod vnus Consul Ianuensis telo percussus interiit. Sed & paulo ante seditio fuerat exorta inibi inter Venetos & Bailliuum regni Cypri. Itaque Rex Francorum secundò misit Patriarcham Hierosolymitanum ac Suessionensem Episcopum, suumque Connestabularium, cum aliis quibusdam in Acon pro vasis & marinariis conducendis, & pro sedandis seditionibus antedictis. In Cypro quoque fabricari fecit parua quædam nassella, ad terram hostium capiendam necessaria. His autem diebus capti sunt quidam in Cypro, qui confessi sunt, quòd ipsi & quidam alij à Soldano Babyloniæ missi fuerant, vt Regem Franciæ, & maiores sui exercitus veneni maleficio enecarent. B C

Quomodo Christianus exercitus de Cypro recessit, & cepit portum Damietæ.

ANNO itaque Domini M.CC.XLIX. dum Rex Ludouicus esset in Cypro, venerunt ad ipsum circa Ascensionem Domini naues vasaque conducta. Venerunt etiam de insulis naues quamplurimæ, & multi Barones ac milites, aliique peregrini, qui moram in insulis fecerant in hyeme iam transacta. Itaque die sabbathi post Ascensionem Domini, cùm iam in naui sua esset Rex congregans ibidem maiores exercitus, de ipsorum consilio publicatum fuit per exercitum, quòd apud Damietam vniuersi cum Dei adiutorio dirigerent iter suum. Die siquidem Ascensionis, prout ordinatum fuerat, ascenderunt naues, sed vsque ad diem Mercurij sequentem

A sequentem adhuc in portu remanserunt, quia tempus oportunum nauigandi non habebant, nec adhuc gentes illorum paratæ totaliter erant. Eadem itaque die velo facto recessit Rex à portu Nimocij, cum nauium & nassellorum copiosa multitudine. At postea per aliquot dies cum difficultate ac ventorum contrarietate procedentes, venerunt prope Paphum ciuitatem Cypri, tantaque fuerat temporis contrarietas, vt oporteret illos prope Nimocium bis reuerti. Venitque ad eos tunc princeps Achaiæ cum gentibus & nassellis quampluribus in subsidium illorum ac terræ sanctæ: & cum eo similiter Dux Burgundiæ, qui in partibus Romanis moram fecerat in hyeme. Expectauerunt igitur peregrini apud Nimocium, & congregauerunt ibidem exercitum suum, per incommoditatem temporis dispersum. Tandem in festo sanctæ Trinitatis vela ventis dare fecerunt, & habito satis congruo tempore nauigauerunt. Ita quòd in sequenti die Veneris apparuit eis terra Ægypti, & post paululum ciuitas Damieta. Appropinquantes itaque iuxta ciuitatem in portu steterunt, & naues suas anchorauerunt. Eadem die cum viderent portum magna Turquorum equitum ac peditum multitudine munitum, & os fluuij Nyli, quod de prope eminebat, ex abundantia galearum armatum, consilium habuit Rex cum maioribus de
B exercitu, vt in crastino summo mane exirent in insulam ad terram capiendam, in parte illa videlicet, vbi terram similiter illi ceperant, qui in alia obsidione Damietæ cum Iohanne Rege Hierusalem fuerant, ita quod fluuius esset inter ipsos & ciuitatem. In ipso igitur crastino peregrinis intrantibus galeas cæteraque nassella parua, quotquot intrare potuerunt, accinctis ad prœliandum, vt decuit, & armatis; Rex cum Legato sacrosanctam crucem Domini triumphalem deferente nudam & apertam, in quodam nassello erat, præcedente quoque iuxta ipsos in alio nassello beati Dionysij martyris vexillo, fratribusque Regis cum cæteris Baronibus & balistariis ac militibus circumquaque comitantibus. Deinde viriliter in nomine Domini versus terram, de Dei misericordia & virtute sanctæ crucis non modicam habentes fiduciam, insultus plurimos tam sagittarum emissionibus, quàm aliis facientes contra hostium ferociam processerunt. Cumque nassella ipsa in quibus erant, propter nimiam maris planitiem, vsque ad siccum attingere non possent, Christianus exercitus in nomine Domini relictis nassellis in mare saliendo se misit, & vsque ad siccam terram cum armis suis pedes venit. Sarraceni vero qui littus occupauerant nitentes defendere terram, nostris appropinquantibus & exeuntibus de nassellis suis sagittas & tela fortiter iaciebant, & cum gladiis feriebant. Sed nostri præualentes, intrauerunt & occupauerunt terram hostibus repulsis, paucis & quasi nullis nostrorum vulneratis aut læsis, multis vero Sarracenorum & equis eorum pluribus lethaliter vulneratis & interfectis. Inter quos etiam de maioribus ipsorum ceciderunt aliqui, videlicet vnus qui erat villæ Capitaneus, & duo Admirati. Soldanus autem ibi præsens non erat, quia de nouo è Damasci partibus veniens, stabat in quodam
C loco, qui per vnam leucam à ciuitate Damietæ distabat, vbi etiam quadam infirmitate languebat. In ipsa verò die occupauerunt os fluuij galeæ nostrorum, fugientibus galeis Sarracenorum, ac fluuium ascendentibus. Fixis autem Rex Franciæ ac peregrini tentoriis suis super littus pernoctauerunt ibidem, & in crastino videlicet die Dominico ibidem commorantes ordinauerunt, vt gentes ipsorum & equi, qui adhuc in nauibus erant, illa die descendere ac venire in exercitum possent.

Qualiter Rex Franciæ Ludouicus cepit Damietam.

HVIC autem felici principio feliciora Dominus Iesus adiecit populo suo Catholico. Nam Sarracenis, qui erant in ciuitate Damieta, diuina virtute perterritis, subitò illa nocte populus, & in crastino die Dominico magnates & omnes alij ex dicta vrbe exierunt, & in fugam conuersi eam circumquaque posito igne penitus reliquerunt. Quo statim à nostris percepto, multi de exercitu commoti, simul currentes intrauerunt vrbem per quendam pontem nauium, quem dimiserant Sarraceni satis integrum, nisi quòd in ipso erat interruptio vna, quæ statim fuit à nostris gentibus reparata. Rex insuper habita certitudine de præmissis, aliquos de suis, quos ad hoc duxit eligendos, illuc misit, ac per totam ciuitatem garnisionem suam ponere fecit. Postea recedens à littore in quo erat, eadem die versus pontem ciuitatis se traxit, ibique ante pontem ipsum tentoria sua posuit, vt, si necesse esset,

LVDOVICVS NONVS.

illis qui erant in vrbe tempestiuè succurrere posset. De victualibus autem garnisionis Sarracenorum quæ erant in ciuitate, licet multa per ignem, quem circumquaque ciuitatem iniecerant, deperierint, multaque amota fuerint & subtracta; plurimum tamen adhuc remansit ex eisdem, quoniam ad longum tempus ciuitas à Sarracenis munita fuerat abundanter. Eratque ciuitas ipsa tam ob fluminis Nyli interpositionem, quàm murorum & turrium fortium circuitum, fortissima, multumque postquam aliàs capta fuerat inforciata. Vnde videbatur multis, quòd per vim expugnari, vel capi nullatenus potuisset, nisi Deus miraculosè per virtutem suam id fieri permisisset. Nam quandiu intus aliqui essent victualia sufficienter habentes, tenere ciuitatem & ibidem morari quantum vellent potuissent. Mundata igitur ciuitate à quorumdam mortuorum ac bestiarum cadaueribus, & extincto igne, legatus vna cum Patriarcha Hierosolymitano, necnon Archiepiscopis & Episcopis, qui præsentes aderant, & magna parte clericorum ac religiosorum, Ludouicus Rex Franciæ cum pluribus aliis processionaliter nudis pedibus, præsentibus etiam Rege Cypri, pluribusque baronibus & aliis hominibus, ciuitatem Damietæ intrauerunt. Et imprimis locum, in quo erat Mahomeria, legatus cœpit reconciliare; quia dudum in altera eiusdem vrbis captione beatæ Mariæ virginis Ecclesiæ deputatus fuerat & appropriatus. Deinde redditis inibi de impensis beneficiis gratiarum actionibus Altissimo, celebrata fuit Missa solemniter in honore beatæ Mariæ virginis matris Domini à Legato. Proposuit etiam ibidem Rex Franciæ Domino constituere Prælatum & Canonicos debitum assiduè famulatum Domino reddituros. Capta est autem ciuitas Damieta anno supra notato, in octaua die post festum sanctæ Trinitatis. Illic ergo stetit Rex Franciæ Ludouicus per totam æstatem cum exercitu Christiano. Non volebant inde recedere vsque ad decrescentiam Nyli fluminis, quod tunc, sicut dicebatur, terram occupare debebat; quoniam alias tempore Iohannis Regis Hierusalem illis in partibus per eius decrescētiam damnum incurrerat exercitus Christianus. Eodem anno circa festum Iohannis Baptistæ Alphonsus Comes Pictauensis frater Regis Franciæ Ludouici iter transmarinum arripuit, & Regia Blancha mater eorum ad regni Francorum custodiam sola remansit. Ita quòd dictus Comes cum exercitu magno in crastino sancti Bartholomæi Apostoli mare apud Aquas mortuas intrauit, & die Dominico ante festum Apostolorum Symonis & Iudæ apud Damietam applicuit.

Qualiter Rex Franciæ Ludouicus apud Massoram aduersus Sarracenos processit.

REx autem Franciæ Ludouicus & Christianus exercitus deliberato communi consilio tam nauali quàm terrestri exercitu præparato, vicesima die Nouembris de Damieta recesserunt, & aduersus exercitum Sarracenorum congregatum, & castra metatum in loco qui Massora dicitur, processerunt. Et in ipso quidem itinere Sarracenorum insultus aliquos sustinuerunt, in quibus ijdem Sarraceni assiduè suorum detrimentum non modicum receperunt. Intellexerunt etiam in ipso itinere Soldanum Babyloniæ de nouo miseram vitam finisse: qui & ad filium suum tunc in Orientis partibus commorantem, vt in Ægyptum veniret, miserat, & à cunctis maioribus sui exercitus iuramenta fidelitatis eidem fieri fecerat, relicta totius exercitus ac terræ suæ custodia cuidam Admirato, nomine Facardino. Accedentes igitur nostri ad locum prædictum die Martis ante Natiuitatem Domini, primo quidem accessum habere nequiuerunt ad Sarracenos eosdem, propter quendam fluuium inter vtrumque exercitum defluentem, qui scilicet fluuius Thaneos dicitur, & in loco illo à magno flumine deriuatur. Inde inter vtrumque fluuium posuit exercitus Christianus castra sua, à maiori fluuio ad minorem procedentia. Vbi aliquando conflictu habito cum Sarracenis, multi ex eis ceciderunt interfecti nostrorum gladiis, maxima quoque illorum multitudine submersa in aquis Nyli validis & profundis. At vero quia fluuius Thaneos vadabilis non erat propter aquarum profunditatem, & riparum altitudinem, cœperunt nostri super eum facere calciatam, vt exercitui Christiano pateret transitus per eam. Dum igitur ad hoc multis diebus cum immensis laboribus & periculis ac sumptibus insisterent: Sarraceni contra, totis conatibus resistentes, machinis nostrorum, quas ibidem erexerant, machinas quamplures opposuerunt, quibus & castella lignea quæ super passum eundem collocari fecerant, conquassata viribus, lapidibus, & confracta, Græco igne totaliter combusserunt.

A combusserunt. Quo facto ferè omni spe frustrata per calciatam illam taliter transcendi, tandem per quendam Sarracenum ab Ægyptiorum exercitu venientem datum fuit nostris intelligi, locum aliquantulum inferius vadabilem esse, quo poterat exercitus Christianus fluuium transmeare. Inde communicato consilio die carnis priuij, mane ordinatis aciebus venientes ad locum, transierunt fluuium, non tamen sine graui periculo, quia profundior ac periculosior erat locus, quàm eis fuerat intimatum. Nam & equos illorum ibi natare oportebat, & propter altas & lutosas ripas exitus prædicti fluminis periculosus erat. Itaque transacto fluuio ventum est ad locum, vbi iuxta prædictam calciatam erant machinæ Sarracenorum, habitoque cum Sarracenis congressu, nostri qui præcedebant non parcentes sexui vel ætati multos ex ipsis trucidarunt. Inter quos & capitaneum illorum & quosdam alios Admiratos ibidem interfecerunt. Denique vero dispersis aciebus nostrorum, quidam ipsorum per hostium castra discurrentes, venerunt vsque ad villam quæ Massora dicitur, quotquot hostium occurrebant gladiis occidentes. Sed tandem Sarraceni percepto eorum inconsulto processu, resumptis viribus irruerunt in eos, & vndique circumuallantes oppresserunt ipsos: vbi nostrorum strages non modica tam Baronum, quàm militum, ac aliorum facta est. Ibi namque Robertus Comes Atrebatensis frater Ludouici Regis Franciæ alios præueniens, vt vidit villam apertam, se
B infra eam impetuosè & minus cautè ingerens, inter manus hostium incidens, temporaliter est amissus. Itaque die illo Sarracenis vndique super nostros irruentibus, & imbrem sagittarum emittentibus, vsque ad horam circiter nonam graues illorum sustinuerunt insultus. Tandem deficientibus Sarracenis, & subsidio balistariorum nostrorum, multis illorum vulneratis, ac equis eorum pro maiori parte sauciatis vel occisis, nostri auxiliante Domino campum obtinuerunt, suorum viribus recollectis. Ibique iuxta Sarracenorum machinas, quas acquisierant, illa die castra sua posuerunt, vbi & die illo pauci numero cum rege moram fecerunt, facto prius de lignis ponte, per quem possent ad ipsos illi qui erant vltra fluuium transmeare. In crastino verò plures ex illis de mandato regis transeuntes fluuium castra metati sunt iuxta regem. Et tunc destructis Sarracenorum machinis, licias & pontes nauales fecere, per quos nostri de vno exercitu ad alium libere transire poterant & securè. Sequenti vero die Veneris Sarracenis congregatis ex omni parte viribus suis cum infinita multitudine ad nostrorum licias conuenerunt, & tantos támque terribiles insultus quantos, vt à pluribus dicebatur, nunquam viderant facere Sarracenos, ex omni parte Christiani exercitus fecerunt. Quibus tamen nostri restiterunt ordinata copia bellatorum ex omni parte exercitus, & repulerunt ipsorum impetus maxima eorum multitudine nostrorum gladiis occumbente.

C

Qualiter Ludouicus Rex Franciæ apud Massoram captus fuit.

POSTMODVM elapsis aliquot diebus aduentauit apud Massoram Soldani filius veniens de partibus Orientis. In cuius aduentu tympanizantes ac lætantes Ægyptij, receperunt illum in dominum: & ex hoc augmentata est non modicum fortitudo Sarracenorum. Nostris autem postea occulto Dei iudicio successerunt omnia in contrarium. Nam peste diuersarum ægritudinum & etiam mortalitatis generalis tam in hominibus quàm in equis ita afflicti sunt, vt in exercitu eorum vix aliqui essent, qui mortuos vel ægrotantes ad mortem non plangerent. Vnde pro magna parte diminutus fuit Christianus exercitus atque consumptus. Tantus etiam erat defectus victualium apud illos eo tempore, quòd quamplures inedia deficiebant & fame. Non enim ad exercitum nasella naualia de Damieta transire poterant, impedientibus Sarracenorum galeis & vasis pyraticis, quæ per terram in prædicto flumine collocauerant. Sicque quampluribus vasis nostrorum priùs à Sarracenis in flumine captis, tandem duas Carauennas successiuè ceperunt, deferentes victualia & alia multa bona ad exercitum, cæsa multitudine marinariorum & aliorum, in totius nostrorum exercitus detrimentum. Vnde omninò deficiente suffragio victualium & annonæ equorum, cœperunt deficere ferè omnes, in desolationem ac terrorem non modicum incidentes. His igitur incommodis nostros arctatos ineuitabilis necessitas illos induxit à loco prædicto recedere, & ad partes Damietæ redire, si Dominus prouidisset. At vero dum quinto die Aprilis, anno sci-

LVDOVICVS NONVS. licet Domini M.CC.L. essent in itinere reuertendi, Sarraceni cum infinita multitudine armatorum Christianum illum exercitum sunt aggressi. Accidit quoque permissione diuina, peccatis fortasse aliquorum exigentibus, vt Rex Ludouicus cum duobus fratribus suis, qui supererant, videlicet Alphonso Pictauensi, & Carolo Andegauensi Comitibus, ac cæteris qui cum eis redibant, in manus Sarracenorum inciderint & capti sint. In illo enim instanti, cùm videret Rex Christianissimus horam diei nonam declinare ad vesperam, petiit à quodam suo capellano iuxta se stante Breuiarium, vt horæ quæ præterierat laudes Domino decantarent. Magis enim erat sollicitus deuotus rex quomodo Creatori suo seruitium impenderet, quàm fugæ & euasionis præsidium præpararet. Itaque per terram nemo penitus euasit, sed omnes capti sunt & carceribus mancipati, non sine maxima strage nostrorum, & effusione sanguinis Christiani. Maior etiam pars illorum, quæ reuertebatur per fluuium, similiter fuit capta vel interfecta, nassellis naualibus quamplurimum dissipatis, in quibus ægrotantium multitudinem dolorosam incendij flamma combussit. Itaque gens illa sceleratissima præter blasphemias, quas in contumeliam Creatoris proferebant, in conspectu populi Christiani crucem flagellis cædentes, in eam spuebant, & in opprobrium fidei Christianæ viliter pedibus conculcabant. Denique non est silendum, quòd quando rex captus fuit, grauiter ægrotabat illa mortifera & generali infirmitate, qua maxima pars exercitus illis diebus est defuncta, ita quòd de vita ipsius modicum sperabatur. Sed eo capto, prouidente ipso qui diligentibus se omnia cooperari facit in bonum, Soldanus per medicos suos, qui meliùs quam nostri nouerant artem curationis huiusmodi, fecit eum diligenter custodiri & sanari, & omnia necessaria quæcunque Rex petiuisset abundanter & curialiter ministrari. Vnde verè de ipso atque suis potuit veraciter dici; *Et dedit eos Dominus in misericordias in conspectu omnium qui ceperant eos.* Insuper est aduertendum, quòd si captus fuit à Sarracenis, non est multum mirandum, sed est Dei miraculo & ipsius diuinæ potentiæ, necnon sancti regis meritis ascribendum, quia ita de facili & satis pro modico pretio contra spem ferè omnium ipse & fratres sui ac exercitus Christianus fuerunt satis sani & incolumes, sicut patebit inferius, de impiorum manibus liberati.

Qualiter sub certo pacto à Sarracenis Rex Ludouicus dimissus fuit: & de morte Soldani.

POST dies aliquot sanato Rege Franciæ Ludouico, fecit eum Soldanus de treugis faciendis requiri, petens instanter cum minis & austeritate verborum, vt absque mora sibi faceret Damietam cum omnibus rebus ibidem inuentis restitui, ac resarciri omnia damna & expensas quas fecerat vsque ad tempus illud, à die quo Damietam ceperant Christiani. Tandem post multos tractatus vsque ad decennium inita fuit treuga, sub hac forma, videlicet quòd idem Soldanus Regem Ludouicum & omnes captiuos Christianos, qui capti fuerant à Sarracenis, postquam Rex in Ægyptum venerat, necnon & omnes alios de quibuscunque partibus oriundis, qui capti fuerant à tempore quo Soldanus Quiemel auus eiusdem Soldani olim cum Imperatore Frederico treugas fecerat; omnes, inquam, hos de carcere liberaret, & liberos vbi vellent abire permitteret. Et quòd terras, quas in Regno Hierosolymitano in aduentu Regis Ludouici Christiani tenebant, cum omnibus pertinentiis in pace tenerent. Rex autem Ludouicus tenebatur ei reddere Damietam & octo millia byzantiorum Sarracenorum pro liberatione captiuorum & damnis ac expensis prædictis. Insuper etiam liberare omnes Sarracenos eo tempore in Ægypto captos à Christianis, necnon & illos qui capti fuerant in Regno Hierosolymitano à tempore treugarum, quæ factæ sunt olim inter Imperatorem & Soldanum prædictos. Adiectum est etiam, quòd omnia bona Regis Ludouici mobilium & omnium aliorum, quæ apud Damietam remanerent, post eius recessum salua forent, ac sub eiusdem Soldani custodia & defensione portanda, quandocumque oportunitas haberetur, ad terram Christianorum. Omnes etiam Christiani infirmi, & alij, qui pro rebus suis quas illic habebant vendendis in Damieta moram traherent, similiter tuti essent, & quocunque vel quando vellent recedere, siue per terram, vel per mare, sine impedimento vel contradictione recederent.

Qui

A Qui verò per terram vellent recedere, tenebatur idem Soldanus securum conductum vsque ad terram Christianorum præstare. At cum huiusmodi treugæ præstitis iuramentis hinc inde fuissent firmatæ, iamque Soldanus cum exercitu suo veniret Damietam, pro complendis omnibus, quæ firmata erant, accidit iudicio diuino, vt quidam milites Sarraceni, non sine conniuentia maioris partis exercitus irruerent in eum surgentem in mane de mensa post prandium, ipsumque immaniter vulnerantes, & de suo tentorio exeuntem, vt posset fugæ beneficio liberari, videntibus fere omnibus Admiratis & aliorum Sarracenorum multitudine, frustratim gladiis trucidarent. Quo perpetrato, statim multi Sarracenorum armati venerunt ad Regis Franciæ Ludouici tentorium, in illo furoris calore apodiantes gladios lateri eius, ac si vellent in eum & alios Christianos desæuire. Sed ipsorum furiam diuina clementia mitigante, requisierunt Regem Ludouicum ac suos instanter super firmandis treugis præhabitis, ac festina liberatione Damietæ ciuitatis, præmissis tamen quibusdam verborum & comminationum tonitruis. Tandem igitur, sicut Domino placuit, Ludouicus Rex firmauit treugas cum omnibus Admiratis, quas cum Soldano fecerat antea, & ab omnibus & singulis iuxta legem ipsorum super hoc recepit iuramenta, determinatis quoque certis temporibus, infra B quæ hinc indè captiui liberarentur, & Damieta ciuitatis redderetur. In cuius redditione & tunc cum eisdem Admiratis, & antea cum Soldano Christiani ea de causa, non tamen sine difficultate, conuenerant, quia de illa retinenda nulla spes erat, sicut certissimè per illos qui de illa venerant ad ipsos intellexerunt. Propter quod de consilio bonorum potius elegit ac decreuit Ludouicus Rex Christianitati fore consultius, se aliósque captiuos per huiusmodi treugas liberare, quàm & ciuitatem cum residuo Christiani populi in ea existentis totaliter amittere, & se aliosque sub tantis periculis in carcere remanere. Itaque statuta die ciuitatem Damietam Admirati receperunt; qua recepta, Regem Ludouicum & fratres suos, nec non & alios Barones & milites de Regno Franciæ, Hierusalem, & Cypri, liberauerunt. Ex tunc ergo spem habuit rex & sui firmam, eo quòd illos liberassent, quòd de reddendis omnibus aliis Christianis secundum treugarum continentiam, iuramenta sua firmiter obseruarent.

De infractione treugarum à Sarracenis.

HIs ergo rebus peractis, ab Ægypti partibus Ludouicus rex & alij captiui & liberati recesserunt, ibique certos nuntios ad recipiendum captiuos, & ad custodiam rerum quas illic dimiserant, eo quòd nauigia non habebant, quæ ad portandum sufficerent, reliquerunt. Postmodum autem in Accon venientes, de captiuis rehabendis sollicitè cogitantes, remiserunt in Ægyptum & alios solemnes C nuntios atque nauigia ad reducendum captiuos & alias res, quæ ibi dimiserant, scilicet machinas, arma, tentoria, equos, & alia multa. Sed Admirati prædicti à nuntiis nostrorum sibi reddi captiuos suos & alia supra dicta secundum formam treugarum cum instantia postulantes, eos detinuerunt diutius in Babylonia, sub spe reddendi omnia quæ petebant. Tandem post expectationem diutinam de captiuis omnibus quos reddere tenebantur, qui plusquam duodecim millia esse veraciter asserebantur, inter antiquos & nouos non liberauerunt nuntiis regis nisi tantummodo quadringentos: de quibus etiam pars quædam exiuit è carcere pecunia mediante. De ceteris autem rebus nihil omninò voluerunt reddere. Quinetiam, quòd detestabilius est, electos iuuenes de Christianis captiuos ducendo ad victimam sicut oues appositis gladiis super eorum ceruicibus, à fide Catholica, quantum in eis erat, compellebant apostatare, ac sceleratissimi Machometis legem clamare. Quorum multi imbecilles atque fragiles profitendo legem illam detestabilem, à fide exorbitauerunt: ceteri verò athletæ fortissimi, constantissimè in proposito fidei persistentes, coronas martyrij receperunt. Ad hæc cùm Rex Ludouicus post initas treugas & liberationem suam firmam fiduciam haberet, quòd liberatis captiuis terra transmarina, quam Christiani tenebant, vsque ad tempus in treugis definitum pacificè permaneret, de reditu suo in Franciam disposuerat, ac de nauigio & aliis passagio necessariis tractauerat. Sed manifestè videns, quòd Admirati prædicti apertè contra treugas veniebant, sibique & Christianitati contra propria iuramenta illudere non

LVDOVICVS NONVS.

timebant, requisiuit consilia Baronum, militum ac Religiosorum, quid sibi esset in euentibus huiusmodi faciendum. Quorum maior pars concorditer asserebat, quòd si eos recedere ad præsens contingeret, prædicta terra in amissionis periculo remaneret, maximè cum in statu tam debili tamque miserabili constituta esset. Captiui quoque Christiani, qui ab infidelibus detinebantur, omni spe liberationis sublata, pro perditis reputarentur. At ex illorum mora possent euenire Christianis terræ eorum aliqua bona, præsertim cùm inter Babylonicos & Soldanum Halapiæ discordia grauis esset exorta. Qui scilicet Soldanus exercitibus suis congregatis, iam Damascum ceperat, & quædam castra sub dominio Babylonis constituta, processurus erat, vt à multis asseuerabatur, in Ægyptum, ad mortem interfecti Soldani vindicandam, & ad terram illam, si posset, occupandam. His ergo consideratis Rex Franciæ Ludouicus, licèt ei dissuaderetur à multis, maluit tamen adhuc differre passagium, & morari per aliquod tempus in terra transmarina, quàm Christi negotium sic desperatum, & captiuos prædictos in tantis periculis relinquere. Alphonsum vero Pictauensem, & Carolum Andegauensem Comites, videlicet fratres suos, ad reginam matrem suam consolandam duxit in Franciam remittendos. A

Incidentia de his quæ euenerunt in Francia & aliis mundi partibus, quando Rex Ludouicus morabatur in partibus transmarinis. B

CIRCA ibidem tempus, mortuo Henrico Frederici Imperatoris primogenito, moritur & ipse in Apulia Fredericus. Quo mortuo, Innocentius Papa de Lugduno recedens, in Italiam rediit proficiscens apud Assisiam. Vbi cum per aliquantum temporis moram fecisset, inde recedens, & per vrbem Romæ transitum faciens, Anagniam venit. Corrardus vero dicti Imperatoris Frederici filius de filia Iohannis de Brena Regis Hierusalem, dum in Regno Apuliæ & Siciliæ iam inciperet fortiter dominari, tam in persecutione Ecclesiæ, quàm populi, vsque ad vltimam diem suam genitoris vestigia est secutus. Qui cùm tribus mensibus Neapolim obsedisset, quæ prius Manfredi Principis insultus per biennium passa fuerat, & eam per pactum haberet, omnes muros ciuitatis illius, & meliores domos ciuium funditus proiecit. Quo mortuo, dominus Innocentius Papa de consilio Procerum regni & aliorum sapientum regnum intrauit contra Manfredum, qui rebellis erat, & iunctus Sarracenis præparaturus exercitum. Anno Domini M.CC.LI. facta est cruce signatio pastorellorum & puerorum multorum, quorum aliqui fingebant se visiones vidisse, & miracula facere, ac ad vlciscendum Regem Franciæ Ludouicum à Deo esse missos. Inter quos erant quidam qui se magistros vocabant, & more Episcoporum aquam benedictam etiam in ipsa ciuitate Parisius fecerunt, matrimonia coniunxerunt, & dissoluebant ad libitum, in religiosos & clericos ac laicos multa enormia & homicidia, cùm non esset qui eis resisteret, committentes: cruce signabant, & de cruce signabant multos ad suam voluntatem. Dux vero eorum & magister quem vocabant magistrum de Hungaria, dum per Aurelianis transiens cum magna pompa, clericos occidisset, & plura mala committens Byturis peruenisset, Iudæorúmque libros destruens, eos bonis indebitè spoliasset, dùm de Bituris recederet, inter villam quæ dicitur Mortemer, & Villamnouam super Carum à Bituricensibus eum insequentibus extitit interfectus. Pluribus autem aliis in diuersis locis propter sua maleficia interfectis atque suspensis, omnes dispersi sunt, & euanuerunt sicut fumus. C

Anno Domini M.CC.LII. oritur turbatio Vniuersitatis clericorum Parisiensis contra religiosos Parisius studentes, propter quendam librum, quem magister Guillelmus de sancto Amore, Canonicus Beluacensis composuerat, intitulatum de periculo mundi. Sed ipso magistro ad Curiam accedente, dicta discordia per dominum Papam Innocentium pacificata est.

Anno Domini M.CC.LIII. obiit Regina Franciæ Blancha, mater Ludouici Regis: & apud Malam dumum iuxta Pontisaram in abbatia Monialium, quam ipsa fundauerat, sepelitur. Obiit etiam Guillelmus abbas sancti Dionysij, cui successit Henricus dictus Malet.

Anno Domini M.CC.LIIII. Innocentius Papa obiit apud Neapolim; cui successit Alexander natione Campanus. Eodem anno Rex Franciæ Ludouicus de transmarinis partibus est reuersus.

Quomodo

A

Quomodo Ludouicus Rex se habuit in terra sancta post liberationem suam.

LVDOVICVS NONVS.

CVM hæc multa & alia, quæ longum esset hîc ponere, in Regno Franciæ & eius confinio agerentur, Ludouicus Rex Francorum vir Christianissimus, & in omni morum honestate conspicuus, post discessum fratrum suorum in Regno Hierosolymitano remansit. Nolebat enim terram sanctam in desolatione positam sine capite inter hostes crucis deserere, ne tantis successibus Sarraceni iam elati, ciuitates Christi legibus subditas solo tenus eraderent, & à terra repromissionis Christianos penitus expellerent. Propter hoc in vrbe Acconensi & munitionibus illius regionis, quas Christianitas possidebat, post liberationem suam pene per quinquennium expendit temporis, antequam ad terram natiuitatis suæ proponeret transfretare. Nec in illo quinquennio panem ociosus comedit, sed ciuitatem Acconensem, & castellum, quod dicitur Cayphas, in muris & turribus, vbi corruerant, reparauit: tresque ciuitates alias, videlicet Cæsaream, Ioppem, & Sydonem, muris & turribus similiter propriis sumptibus cinxit, & ad sustinendum insultus hostium fortiter roborauit. Qua de causa Sarracenorum Principes non minimum mirabantur, non putantes potentiorem Principem de toto mundo ad tantas expensas posse sufficere, post tanti exercitus stipendia, supellectilis amissionem, & redemptionis suæ solutionem, cum manu valida inter hostes suos nouis muris vrbes accingere, & aliarum ruinas propriis sumptibus restaurare. Vnde quidam Admiralij admirantes eius magnanimi cordis constantiam, sibi fiebant beneuoli, & in quantum licebat sibi eos recipere, vt pote infideles mutuis amicitiis adhærebant. Nec silendum arbitror quàm humiliter, quam catholicè se habuit rex deuotus in peregrinatione, quam fecit de Accon in sancta ac deuota ciuitate Nazareth. Nam in vigilia Annuntiationis Dominicæ iuit indutus ad carnem cilicio de Sephoria, vbi præcedenti nocte iacuerat, in Cana Galileæ. Indè per montem Thabor in eadem vigilia descendit in Nazareth. Cum autem à longe locum sanctum videret, descendens de equo, flexis genibus deuotissimè adorauit, & sic pedes incessit, donec ciuitatem sacram & pium locum incarnationis intrauit. Ea die in pane & aqua deuotè ieiunauit, quamuis plurimum laborasset. Quàm deuotè ibidem se habuerit, quàm solemniter & gloriosè fecerit celebrari Vesperas, Matutinas, Missam, & cætera quæ ad ciuitatem tam celebrem pertinebant, attestari veraciter possunt qui affuerunt; quòd postquam filius Dei in eodem loco de gloriosa virgine carnem sumpsit, nunquam tam solemne, tamque deuotum officium fuerit ibi factum. Ibidem deuotus rex Missa in altari Annuntiationis celebrata, sacram communionem accepit, & inde regressus est.

B

Qualiter se habuit Ludouicus audita morte matris suæ.

C

DVM igitur moraretur in Ioppe ad instaurandos eiusdem ciuitatis muros, venerunt rumores de pio obitu dominæ Blanchæ Reginæ illustrissimæ matris eius. Quod cùm primo dominus Odo Tusculanus Episcopus sedis legatus audisset, assumpto secum Tyrensi Archiepiscopo, qui tunc Regis sigillum portabat, atque Confessore regis, ad ipsum accessit. Cumque stetissent coram eo, dixit legatus quòd volebat secretò in camera sibi loqui, præsentibus duobus prædictis. Attendens verò rex grauem legati faciem, cognouit quòd aliquid triste dicere sibi vellet. Duxit itaque eos de camera in cameram, vsque ad Capellam suam, & clausis cameræ ostiis, sedit coram altari, & ipsi cum eo. Tunc Legatus prudenter regi exposuit varia & magna beneficia, quæ diuina bonitas sibi abundanter contulerat ab ineunte puerili ætate: inter alia autem quod per gratiam suam sibi prouiderat talem matrem, quæ ipsum tam piè nutrierat, tam catholicè instruxerat, & tam fideliter tamque prudenter tractauerat & administrauerat negotia regni sui; subiuncto post modicum cum singultu & lachrymis dictæ Reginæ obitu tam doloso, tamque plangendo. Quod audiens rex catholicus eiulans alta voce & in lachrymis resolutus, coram altari genua flexit, & manibus iunctis ac deuotissimè plorans ait; Gratias tibi Domine Deus, qui dilectissimam matrem ac dominam quandiu bonitati tuæ placuit mihi commodasti, & nunc, Domine, per corporalem mortem eam tibi secundum tuum beneplacitum accepisti. Verum est, Domine, quod ego nuper eam super

Procancellarius.

LVDOVICVS NONVS.

omnes mortales creaturas, prout bene meruerat, diligebam : sed ita ex quo bene placitum est ante te, sit nomen Domini benedictum in secula seculorum, Amen. Post hæc dicta breui commendatione à legato pro anima defunctæ, voluit rex solus remanere. Tamen recedente Legato & Archiepiscopo, solum Confessorem suum secum retinuit, & aliquandiu in pia meditatione atque suspiriis ante altare remansit. Qui tandem consolatus de loco illo surrexit, & officium mortuorum, scilicet Vesperas & Vigilias nouem lectionum cum Confessore suo decantauit. Ipse etiam ex tunc continuè coram se quotidie specialem Missam voluit celebrari pro anima ipsius, nisi diebus Dominicis, & festis præcipuis. Postmodum peracta instauratione murorum Ioppæ, iuit ad ædificandos muros fortes in circuitu ciuitatis Sydonis. Et dum esset in itinere, in campis non longe à Sydone, inuenit maximam Christianorum multitudinem gladiis impiorum Sarracenorum detruncatam, iacentem ibi insepultam. Tres enim vel quatuor dies transierant, ex quo occisi & detruncati sic iacebant. Fœtor verò tam ingens & intolerabilis exibat de corporibus eorum, quòd vix aliquis in illo loco subsistere poterat. Quod videns & grauiter ingemiscens Rex piissimus, conuocato Cardinali, fecit in ipsis campis per ipsum quoddam cimiterium consecrari. Quo facto ipsemet deuotus rex propriis manibus ponebat in saccis membra & corpora defunctorum fœtentia, vt ad locum sepulturæ deferrentur; quod facere famuli sui ac vix pauperes pretio locati dedignabantur & refugiebant. Per quatuor vel quinque dies huiusmodi intentus operi, mane post Missam suam veniens ad locum illum, dicebat militibus suis; Venite, sepe-
» liamus Christi martyres, qui maiora quàm nos pro Domino sunt perpessi. His ita-
» que gestis, dum esset apud Sydonem, intellexit per plures literas & nuntios de Francia venientes, quòd post mortem matris suæ regno suo periculum maximum immineret, tam ex parte Angliæ, quàm ex parte Alemanniæ. Vnde consilio habito cum discretis viris, assensit ad propria remeare; relictis tamen cum legato multis militibus & expensis in succursum & subsidium terræ sanctæ. Substituit etiam in vrbe Acconensi virum sapientem & fidelem, & in armis strenuum, videlicet dominum Gaufredum de Sarginis pro se gubernatorem, præcipiens vt omnes ei in reipublicæ negotiis obedirent; qui quantum rebus humanis interfuit, satis laudabiliter rem peregit.

Da reditu Regis Ludouici à transmarinis partibus.

REx igitur præparato nauigio valedicens fidelibus, qui in terra sancta remanebant, in Franciam rediturus nauem ascendit. Sed cum quanta deuotione & lachrymis, cum quanta benedictione & fauore totius populi, nec non militum & prælatorum vsque ad nauem sit ab eisdem prosecutus, exprimere vix possemus. Ex deuotione enim sua fecit poni in naui Corpus Domini Iesu Christi pro communicandis infirmis, ac pro seipso & suis, quando sibi expediens videretur. Et quia alij peregrini quantumcunque magni hoc facere non solebant, obtinuit super hoc à Legato licentiam specialem. Hunc autem sacrum thesaurum in loco nauis dignissimo & conuenientissimo fecit poni, & pretiosum tabernaculum ibi erigi, pannisque sericis & aureis operiri. Fecit insuper ibidem altare collocari, & decenter ornari, vbi quotidie diuinum officium solemniter audiebat, videlicet omnes Horas canonicas; & præter canonem, quæ pertinebant ad Missam, sacerdote & ministris sacris vestibus indutis secundum quod congruebat diei. Diligens erat valde circa infirmos in naui quòd haberent necessaria, secundum quod eorum infirmitas exigebat, & maximè quòd confessione facta omnia sacramenta perciperent, Mortuis verò debitas exequias à Capellanis suis exhiberi faciebat. Velis itaque ventis expositis à portu Acconensi recessit, & per mare nauigans ante insulam Cypri tertia nocte pertransiit; vbi mortis periculum vix euasit. Nam nauis cum impetu plenis velis sulcans per æquora latenti pelago rupi, siue lingulæ terræ, vel arenæ induratæ collisa strepuit, quod est summum periculum per æquora nauiganti. Clamantibus cunctis & eiulantibus, & vere æstimantibus quòd nauis esset in fundo sentinæ quassata, nautæ quasi penitus desperabant; quærentes quid agere, vel qualiter se habere deberent. Rex autem catholicus fidem & spem in Deo concipiens, intellecto periculo, quasi corporis sui oblitus, nec non vxoris suæ Margaretæ Reginæ

A Reginæ ac liberorum suorum, qui prope ipsum quasi consternati iacebant, concitus ad orationem ante altare & coram sacro corpore Christi ac sanctis reliquiis deuotè prostratus humiliter exorabat, vt omnipotens Deus præsenti periculo subueniret. Et credere debemus quòd meritis eius & precibus diuina pietas nauem, & ea quæ in ea erant, à naufragio liberauit, cùm de simili periculo vix duæ de centum nauibus euasissent. Nam nauis fortitudine sua, siue potius virtute diuina, rupem siue lingulam illam rupit, & viam per medium sibi fecit. Accensoque lumine sentinam nauis scrutantes, & nullam nauis læsuram inuenientes, securi à periculo anchoras submiserunt diem expectantes. Mane facto, Rex fidei plenus reuersus est secretò ante altare, prostratúsque deuotas gratias super tanto & tam mirabili beneficio sibi & suis exhibito reddidit omnium Saluatori. Demum vlterius transeuntes, tandem post varia maris pericula, ad portum qui dicitur Dahires in terra Prouinciæ Deo duce nauigauerunt. Exeuntes igitur de maris periculis, vbi ferè per vndecim septimanas moram fecerant, equis & rebus aliis tractis de nauibus vsque Belliquadrum equestri itinere peruenerunt. Indeque Rex, Gothorum finibus peragratis, in Franciam se recepit. Et postea quantocius potuit patronum suum, videlicet beatum Dionysium, cum sociis suis humiliter visitans, & de omnibus gra-B tias referens, sericis muneribus honorauit.

Incidentia. Anno Domini M.CC.LV. Guillelmus Rex Romanorum à Frisonibus fuit interfectus. Eodem anno Taurinenses in festo beati Clementis de consilio Astensium ceperunt dominum suum Thomam Comitem Sabaudiæ. Quam proditionem Romana Ecclesia grauiter ferens, eo quòd idem Comes tempore bonæ memoriæ Innocentij Papæ quarti, cuius neptem duxerat vxorem sororem domini Octoboni de Lauagnia diaconi Cardinalis, Ecclesiam Romanam fouerat, & ciuitatem præfatam ex dono Guillelmi Regis, qui fuit à Frisonibus interfectus, & Ecclesiæ Romanæ receperat, ipsos Taurinenses & Astenses excommunicauit, ipsosque ac eorum bona capi rogauit per Regem Franciæ Ludouicum, qui Margaretam filiam Comitis Prouinciæ habebat vxorem, neptem dicti Thomæ ex sua sorore. Dicta vero Taurinensis ciuitas à Bonifacio electo Lugdunensi, & à domino Petro de Sabaudia fratribus dicti Thomæ fuit obsessa, non tamen capta. Occupauerunt tamen pontem super Padum & castra vicina, ciuitatémque multipliciter afflixerunt. Circa idem tempus capti fuerunt Comes Flandrensis Guido, & frater suus, quos Comitissa Flandrensis susceperat à domino Guillermo de Domina petra fratre domini Herchambaudi de Borbonio, & dominus Erardus de Valerico, & quam plures alij, qui in caute in Hollandiam transierant, à Florentio Comite Hollandiæ fratre Guillermi Regis Romanorum à Frisonibus interfecti. Qui Florentius iuuaba & receptabat Iohannem & Balduinum de Auenis filios eiusdem Comit... alii ibus ...e Bochardo C de Auenis fratre Comitis de Auenis, qui dictam Comitissam d.. ponsauit, cùm esset subdiaconus, vt dicebatur, & in ordine subdiaconali ministrauerat, cui dicta Comitissa iuuenis & puella tradita fuerat custodienda. Ob quorum odium ipsa Comitissa concessit Carolo Comiti Andegauensi Valencianas cum Comitatu Hanoniæ dictis Iohanne & Balduino patrem suum fuisse subdiaconum negantibus. Eodem temporis concursu Branchaleon de Bononia vrbis Romæ Senator, pacis & iustitiæ cultor præcipuus, de consilio quorundam Cardinalium & nobilium Romanorum orta dissensione, obsessus fuit in Capitolio. Et dum se dedisset, populus posuit eum in custodia apud septem soles. Tandem traditus nobilibus in quodam castro sancti Pauli, quod dicitur Passauant, fuit incarceratus & malè tractatus. Et nisi habuisset obsides Romanorum Bononiæ, Romani ipsum occidissent, eo quòd in exercitio iustitiæ & rapinarum refrænatione non pepercisset eisdem. Bononienses vero licet interdicti à domino Papa fuissent, tamen nisi ciuem suum rehaberent, obsides Romanorum reddere noluerunt. Eodem anno quo supra discordia, quæ fuerat inter Prædicatores & religiosos scolares Parisius studentes, ac magistrum Guillelmum de sancto Amore, recidiuauit. Propter quam discordiam sedandam & pacificandam, misit Rex Franciæ Ludouicus ad Curiam Romanam duos clericos, vt per dominum Papam debitum finem sortiretur. Tandem hinc inde multis propositis, damnatus fuit & combustus liber à magistro Guillelmo de Sancto Amore prædicto editus, & intitulatus de periculis mundi, in Ecclesia cathedrali apud Anagniam, non propter hæresim quam contineret, sed quia contra

LVDOVICVS NONVS.

præfatos religiosos seditionem & scandalum concitabat. A

Anno Domini M.CC.LVI. Comes Flandriæ & frater suus, quos Florentius Comes Hollandiæ tenebat in prisione; sicut supra diximus, auxilio Caroli Comitis Andegauensis liberati fuerunt. Dictus vero Florentius sororem dicti Comitis Flandriæ debuit ducere vxorem, & ad preces Ludouici Regis Franciæ Carolus Comes Andegauiæ quitauit Valentinianas & Comitatum Hannoniæ. Actumque fuit inter fratres prædictos filios Comitissæ Flandriæ, quòd post mortem Comitissæ Comitatus Hannoniæ ad fratres de Auenis deueniret: Comitatus vero Flandriæ cum aliis terris hæredibus domini Guillelmi de Domna petra remanerent. Eodem anno, mense Septembri, fuit terræ motus in vrbe Roma, & apud Anagniam ita magnus, quòd Romæ Campana sancti Syluestri de capite per se pulsauerit. Circa idem tempus Richardus Comes Cornubiæ frater Regis Angliæ apud Aquisgranum in Regem Alemanniæ fuit coronatus.

De ordinatione quam fecit Rex Ludouicus in regno Franciæ post reditum suum de vltra marinis partibus.

B

POSTQVAM in Franciam, sicut supra retulimus, reuersus fuit Rex Franciæ Ludouicus, quam iustè ad subditos, quàm misericorditer ad afflictos, quàm humiliter se gesserit ad seipsum; denique quantum pro viribus suis in omni virtutum genere proficere studuerit, prout à fide dignis intellexi, & præcipuè ab ipsis qui cōscientiæ ipsius sinceritatem nouerunt, & conuersationem viderunt, diligenter enarrabo. Ita quod secundum iudicium discretorum, quantò aurum pretiosius est argento, tantò conuersatio ipsius sancta & noua quam de terræ sanctæ itinere reportauit conuersationi pristinæ præminere iudicabitur, quamuis ab infantiæ crepundiis status iuuentutis suæ semper bonus & innocens ac valde commendabilis fuerit. Primò igitur & principaliter post reditum suum ad status regni sui meliorationem & subditorum suorum correctionem & quietem intendens, de communi consilio & assensu condidit pius Rex generale statutum, quod per totum regnum suum seruari & promulgari voluit in hæc verba; „Ex debito Regiæ potestatis, pacem & quietem subditorum nostrorum, in quorum quiete quiescimus, præcordialiter affectantes, ac aduersus iniuriosos & improbos, qui tranquillitati eorum inuident, & quieti zelum indignationis habentes ad huiusmodi propulsandas iniurias, & statum regni nostri reformandum in melius, hæc quæ continentur inferius, duximus ordinanda. Quæstus quidem illicitos, quantum possibile fuerit, in Balliuis, & aliis Curialibus nostris reprimere cupientes, Balliuos, Præpositos, Vicecomites, & villarum Maiores forestarios, & quoscunque [illegible] eis in officiis constitutos, iuramento subscripto duximus astringendos. Cuius si ipsi Balliui fuerint trangressores, pœnas debitas in bona ipsorum, vel si res exigat, in personas, nostræ voluntatis vel deputatorum à nobis arbitrio reseruamus. Si vero Præpositos, Maiores, Vicecomites, vel alios inferiores officiales deierare contigerit in hac parte, à Balliuis sub bonarum testimonio personarum, & etiam earumdem consilio puniantur. Iurabunt igitur omnes & singuli supradicti, quòd quandiu commissam sibi tenebunt Balliuiam, Præposituram, vel aliud quodcunque officium supradictum, tam maioribus quàm mediocribus tam aduenis, quam indigenis tam subiectis quàm præpositis, sine nationum & personarum acceptione, ius reddent, seruantes tamen in locis suis vsus & consuetudines approbatas. Iurabunt insuper iura nostra bona fide requirere & seruare, & aliorum iura scienter non auferre, nec diminuere, nec etiam impedire. Iurabunt etiam donum seu munus quodlibet à quacunque persona per se, vel per alium non recipere in pecunia, argento, vel auro, vel rebus aliis quibuscunque mobilibus, vel immobilibus, vel se mouentibus, vel beneficiis personalibus siue perpetuis, præter esculenta & poculenta, quorum valor in vna hebdomada summam decem solidorum Parisiensium non excedat. Et quòd dicta bona seu beneficia dari vxoribus suis, liberis, fratribus, & sororibus, neptibus & nepotibus, vel consanguineis, vel consiliariis seu domesticis suis minimè procurabunt. Immo bona fide diligentiam adhibebunt, ne vxores eorum vel aliæ personæ proximè nominatæ dona vel munera recipiant. Quod si fecerint, ex quo hoc sciuerint, eos ad restitutionem bona fide compellent sub debito iuramento. Iurabunt etiam quòd ab illis de sua Balliuia, vel ab aliis qui causam habuerint coram ipsis C

A ipsis vel sciant in proximo habituros, mutuum non recipient per se, vel per alium vltra summam viginti librarum, quas reddent à die contracti mutui infra duos menses, licet etiam creditor velit terminum solutionis prorogare. Addetur etiam iuramento eorum, quòd non dabunt, vel mittent munera alicui de consilio nostro, vel vxoribus eorum, vel eorundem liberis aut domesticis; vel illis qui compotum ipsorum recipient, vel illis quos ad visitandum terram vel facta eorum exquirenda mittemus. Quòd etiam in venditionibus Bailliuiarum redituum vel aliarum rerum nostrarum partem non habebunt, nec etiam in moneta. Quòd etiam Bailliuos infideles, & iniuriosos, vel exactores, ac de vsuris suspectos, vel turpem vitam apertè ducentes in suo non sustinebunt errore, imò excessus eorum corrigent bona fide. Iurabunt etiam Præpositi nostri, Vicecomites, Maiores villarum, forestarij, vel alij sub eis in officiis constituti, quòd superioribus suis, nec vxoribus eorumdem, liberis, propinquis, siué domesticis quicquam dabunt. Et in fine iuramenti concludent, quod vniuersa & singula supradicta bona fide seruabunt, nisi illud quod duxerimus relaxandum, nec quicquam per se vel per alium in fraudem facient prædictorum. Vicarios autem quos Bailliui per se quandoque substituent, nolu-
B mus ab istis institui, nisi prius sub forma prædicta præstiterint iuramentum. Vt verò hæc iuramenta firmiùs obseruentur, volumus quòd in publica assisia fiant coram laicis & clericis ab omnibus & singulis supradictis, etiam si antea facta fuerint coram nobis: vt non solum metu diuinæ indignationis & nostræ, sed etiam confusionis & erubescentiæ apud homines periurium manifestum incurrere vereantur. Volumus autem & præcipimus, quòd Bailliui nostri, & alij, qui sub ipsis quodcumque officium tenent, nec non & omnes qui vadia nostra recipiunt, ac vniuersi subditi nostri, abstineant ab omni verbo quod vergat in contumeliam Christi, vel contemptum matris suæ, vel Sanctorum ipsius. A ludo etiam cum taxillis vel aleis, vel scacis, & à fornicatione, & tabernis. Scolas etiam deciorum prohibemus omnino, ita vt tenentes eas districtè puniantur. Fabrica vero deciorum prohibeatur vbique in regno nostro. Expellantur publicæ meretrices tam de campis quàm de villis. Quicunque domum publicæ meretrici locauerit, meretricésque in sua domo receperit, quantum valet pensio domus vno anno Bailliuo loci vel Præposito soluere teneatur. Nullus recipiatur ad moram in taberna faciendam, nisi sit transiens vel viator, vel in ipsa villa non habeat aliquam mansionem. Inhibemus verò districtè Bailliuis nostris possessiones aliquas per se vel per alium emere in Bailliuia sua, administratione sua durante, vel fraudulenter in alia sine nostra licentia speciali. *præcedentes
* Quod si fecerint, emptionem ipsam irritam esse, & possessiones sic emptas fisco nostro, si nobis placuerit, volumus applicari. Prohibentes insuper Bailliuis nostris, ne quandiu Bailliui fuerint, sibi, vel suis liberis, fratribus, vel sororibus, nepotibus,
C vel consanguineis, vel cuicunque de familia sua matrimonia copulent cum personis suæ Bailliuiæ sine nostro speciali assensu, nec prædictos in Religione ponant, nec beneficia Ecclesiastica vel possessiones eis acquirant. Gista etiam vel procurationes in domibus Religiosorum, vel circa, cum expensis eorum non recipiant sine nostra licentia speciali. Prohibitionem verò istam, quam facimus de matrimoniis non copulandis, & possessionibus non acquirendis, non extendimus ad Præpositos, Maiores, & alios officiales minores, qui Maiorias, Præposituras, & alia officia tenebunt in locis mansionum suarum dum tamen hæc faciant sine nostra vel alterius læsione. Bailliui autem nostri & alij officiales caueant sibi à multitudine bedellorum, & quanto paucioribus poterunt sint contenti ad curiarum exequenda præcepta, & ipsos nominent in assisia publica aliter pro bedellis minimè teneantur. Vbi autem vel bedelli vel seruientes ad remota loca mittuntur, eis sine superiorum literis non credatur. Et si aliter inuenti fuerint facientes executiones & mandata, nuncientur hæc Bailliuis qui eos puniant competenter. Ne verò Bailliui nostri vel inferiores officiales contra iustitiam subditos nostros grauent, inhibemus eisdem ne pro quocunque debito, præter nostrum, capiant vel captum detineant aliquem subditorum nostrorum. Emendas autem pro maleficiis seu debitis à Bailliuis nostris leuari nolumus, nisi in foro iudiciario publicè de bonorum consilio fuerint iudicatæ vel æstimatæ, quamuis antea fuerint gagiatæ. Si tamen ille, cui crimen imponitur, curia sibi offerente iudicium, noluerit illud expectare, & pecuniam certam offerat pro emenda, & si tale sit crimen, de quo emenda

LVDOVICVS NONVS.

pecuniaria recipi consueuit, liceat Curiæ eam recipere, si sibi competens videatur. A
Alioquin emendam iudicari faciat vel æstimari secundum quod superius est expres-
» sum, licèt reus se vellet subiicere modò omnino Curiæ voluntati. Caueant tamen
» Baillivi & alij officiales iam dicti, ne minis, vel terroribus, vel machinationibus cal-
» lidis clam vel palam aliquem ad emendam offerendam inducant, vel sine causa ratio-
» nabili accusent. Eos sane, qui Præposituras, aut Vicecomitatus, vel alias Bailliuias
» tenuerint, aliis eadem reuendere prohibemus. Sed & si plures emptores fuerint, vnus
» tantum iurisdictionem exerceat, & immunitate gaudeat in caluacariis, talliis, seu
» collectis, & aliis oneribus publicis, qua alij consueuerunt gaudere. Vendi autem eas
» filiis, fratribus, nepotibus, aut consanguineis, vel domesticis Bailliuorum prohibemus
» eisdem. Emptores autem ipsarum Præpositurarum, vel aliarum Bailliuiarum debita
» propria, scilicet quæ debentur eisdem, non ex Præposituris, vel aliis Bailliuis, aut
» eorum sociis auctoritate propria non coerceant; sed per manum Bailliui aut supe-
» rioris Iudicis eas repetant, sicut facerem si Præposituram aut Bailliuiam non tene-
» rent. Porrò, viam maliciis volentes præcludere, quantum possumus firmiter inhibe-
» mus, ne Bailliui vel alij officiales prædicti in causis vel negociis quibuscunque subdi-
» tos nostros locorum mutatione fatigent sine causa rationabili, sed singulos in locis B
» illis audiant vbi consueuerunt audiri, ne grauati laboribus & expensis cogantur ce-
» dere iuri suo. Quia verò nemo sine culpa priuandus est iure suo, Bailliuis nostris &
» aliis officialibus prædictis inhibemus, ne dessesiant aliquem sine causæ cognitione vel
» nostro speciali mandato. Subditos etiam nostros nouis exactionibus vel consuetudi-
» nibus non affligant, caluacatas extorquendæ pecuniæ causa non mandent, sed ex cau-
» sa tantummodò necessaria. Et tunc volentes facere personalem caluacatam, ad eam
» redimendam de pecunia non compellant. Defensum etiam bladi vel vini vel aliarum
» mercium non extrahendarum de terra sine causa vrgente non faciant; & tunc cum
» bono consilio, & maturo, nec suspecto, & factum cum consilio non dissoluant, nec
» eo durante cuiquam faciant gratiam specialem. Omnes autem Bailliuos nostros ma-
» iores & minores finito officio suo remanere volumus, vel saltem procuratorem suffi-
» cientem dimittere in ipsa Bailliuia per quadraginta dies, vt de se conquerentibus co-
» ram illis respondeat, quibus hoc comittetur. Omnia ergo ista supradicta & singula,
» quæ ad præsens pro supradictorum quiete duximus ordinanda, retenta nobis pleni-
» tudine Regiæ potestatis, declarandi, mutandi, vel etiam corrigendi, addendi vel
» minuendi, à Bailliuis nostris & subditis districtè volumus obseruari.

Actum Parisius anno Domini 1254. mense Decembri.

De cauterio labiorum quod infligi fecit blasphemo Rex Ludouicus.

IGITVR post edictum huiusmodi publicatum, quidam ciuis Parisiensis condi-
tionis mediocris inhonestè valde iurando blasphemauit in Deum; quem Rex iu- C
stus absque misericordia cauterizari præcepit in labiis ferro candenti, in peccati sui memoriam sempiternam, & ad aliorum exemplum. Super quo cùm multi secundum seculum sapientes propter hoc contra Regem verbis maledicis murmurarent, audiens & sciens Rex magnanimus esse scriptum: *Beati eritis cum maledixerint vobis homines*, iuxta illud; *Maledicent illi, & tu benedices*, dixit verbum Catholicum, videlicet quòd desiderabat potius simile cauterium sibi in labiis esse factum, quàm dimitteret talem indecentiam sustinere, dummodo huiusmodi pernitiosum vitium de regno suo penitùs tolleretur. Præterea cum tunc temporis ipse dominus Rex quoddam opus Parisius fieri præcepisset, quod communi vtilitati conferre non modicum videbatur; super quo ab illius beneficio vtentibus multas benedictiones habebat: tunc dixit, quòd maiorem mercedem à Domino expectabat pro maledictionibus quas occasione illius cauterij incurrebat, quam pro benedictionibus quas habebat pro illo beneficio generali. Et quia, secundum verba Sapientis, thronus regum iustitia roboratur, ad commendationem zeli iustitiæ, quem habebat Rex Christianissimus, factum Ingerrami domini de Couciaco in loco hoc dignũ duxi legentibus explicare. Erant tunc temporis in Abbatia sancti Nicolai de Bosco tres pueri nobiles de Flandria, qui ibidem missi fuerant propter idioma Gallicum addiscendum, quos iocantes & spatiantes per nemora dictæ Ecclesiæ, arcubus & sagittis cuniculos sagittando, dum sequerentur prædam suam in nemoribus domini de Couciaco iam dicti, forestarij ipsius domini eos ita reperientes ceperunt. Quibus captis &

in

A in prisionem ductis, retulerunt domino suo forestarij quod fecerant. Quo audito, ipse continuo, vtpote crudelis & immisericors, ante causæ & ætatis ac generis ipsorum cognitionem, suspendere eos fecit. Quod intelligens Abbas sancti Nicolai, in cuius erant custodia deputati, & dominus Gilo Brunus Constabularius Franciæ, à cuius genere dicebant puerorum alterum deriuari, instantissimè Regi querimoniam detulerunt: & idcirco dominus Rex dominum de Couciaco fecit ad Curiam euocari super tali facinore responsurum. Qui in Regis præsentia constitutus, dixit se de responsione cogi non debere, volens & petens per Pares Franciæ, si posset, secundum consuetudinem Baroniæ iudicari. Sed contra eum probatum extitit per Curiæ retroacta, quod terram in Baronia non tenebat, quia terra de Bouis & de Gorneyo, quæ à terra de Couciaco per fraternitatis partitionem decisa fuerat, illud dominium Baroniæ importabat. Tali igitur altercatione negotio dependente, Rex dominum de Couciaco non per Pares nec milites, sed per clientes aulicos fecit capi, & in domo sua Parisius quæ Lupera dicitur custodia reseruari, diem sibi constituens, ad quam omnes regni Proceres conuenirent. Proceribus vero postmodum Parisius congregatis, dominoque de Couciaco in medio
B constituto, Rex eum super casu prædicto respondere compulit. Tunc ille per Regis voluntatem omnes Barones ibidem consistentes sui generis vel parentelæ ad suum consilium conuocauit, tantáque fuit ibi sui generis nobilitas, quòd Rex quasi solus præter paucos consilij sui remaneret. Ipse Rex etiam non erat expers affinitatis illius parentelæ. Erat autem Regis intentio iustum iudicium iudicare inflexibiliter, vt ad pœnam talionis dictus dominus puniretur, & morte consimili damnaretur. Vix tamen ad vltimum precibus & interuentu Procerum sic fuit ordinatum, quòd decem millibus librarũ vel circiter vitam suam redimeret, & duas Capellanias constitueret pro animabus puerorum ad perpetualiter celebrandum. Nec ille verus cultor iustitiæ illam pecuniam suis thesauris addidit, sed in pietatis operibus totum distribuit; quia Domum Dei de Pontisara reditibus augmentatis de illa pecunia fabricari fecit; scholas & dormitorium Iacobitarum Parisius, & Ecclesiam fratrum Minorum à fundamentis in integrum consummauit. Magnumque fuit aliis regibus exemplum iustitiæ, quòd vir tantus tamque spectabilibus ortus natalibus, quasi à pauperibus facinore accusatus, inter suos tam nobiles vix vitæ remedium in facie cultoris iustitiæ potuit inuenire.

Quòd post reuersionem Ludouici Regis de transmarinis partibus pax viguit in regno Franciæ.

C IGITVR post hoc factum videntes & intelligentes Barones ac milites tam maiores quàm minores, sapientiam Dei in illo esse ad faciendum iudicium & iustitiam in subditis, timuerunt Regem, & de die in diem amplius venerabantur, scientes eum virum sanctum & iustum. Vnde post suæ primordia iuuentutis non fuit qui auderet attentare aliquid contra ipsum; aut si fuit rebellis aliquis, citò eius humiliabatur Imperio. Et sicut legitur de Rege pacifico Salomone, quòd habuerit pacem vndiquaque per circuitum regni sui: sic & ipse Rex Christianissimus Ludouicus ex tunc habere meruit Domino largiente, quam post mortem ipsius Philippo eius filio in regno succedenti, quandiu regnauit per merita sancti Regis Dominum credimus concessisse. Sanè si quos etiam hostes aut æmulos latentes habebat, eos sagaciter & charitatiuè attrahebat ad pacem & beneuolentiam suis curialitatibus & auxiliis oportunis. Et quia placebant Domino viæ eius, inimicos ipsius, si quos habere contigit, conuertebat ad pacem. Sic autem erga omnes tam subditos quàm extraneos ac remotos fideliter, misericorditer, & clementer ac sapienter se gerebat, quòd ab omnibus merebatur honorari pariter & amari. Nam, sicut scriptum est: *Misericordia & veritas custodiunt Regem, & firmatur clementia thronus eius:* ita thronus regni Franciæ temporibus suis sicut sol in conspectu omnium renitebat respectu ceterorum. Et sicut sol suos vbique diffundit radios; sic ab ipso diffundebantur vbique beneficia seu luminosa charitatis & caloris exempla: quæ cupio pro viribus meis quamuis insufficiens tanti operis ad honorem Dei, sicut in libro vitæ ipsius scripta reperi, antequàm aliud aggrediar, præsenti hoc in loco posteris enarrare. Sacramentum enim Regis, vt angelica aucto-

LVDOVICVS NONVS. ritate planum est, bonum est abscondere, opera autem Domini reuelare & confiteri honorificum. A

De statu Regis Ludouici quantum ad regimen subditorum, & eius cautela in verbis.

SAPIENS & prudens Rex Ludouicus in causis quæ contra ipsum vertere videbantur, semper quantùm bono modo poterat, contra se stabat & allegabat, vt per hoc consiliarij sui absque timore offensæ ipsius à vero iudicio minimè declinarent. Super forefactis, quæ tam ad personam suam, quàm ad Præpositos & Bailliuos suos spectabant, mittebat pluries per regnum suum inquisitores diligentes ac fideles, & inuentas iniurias emendari & restitui faciebat. Similiter super statum familiæ domus suæ faciens pluries inquiri, reos probatos secundum quod meruerant puniebat. Cautissimus erat & gratiosissimus in loquendo, à verbis scurrilibus & dissolutis, maximè à detractoriis & mendacibus, summè cauebat. Rarissima vel nunquam maledicta vel conuicia dicebat alicui quantumcunque modico garcioni, nisi hoc exigeret grandis culpa. Specialiter autem ab omni genere iuramenti se abstinebat penitus, quantumcunque, vt in loquendo fieri solet, consuetum vel modicum videretur. B Aliquando ad euitandum alia iuramenta, loco iuramenti solebat dicere, in nomine mei. Quod audiens reprehendi à quodam viro religioso, ex tunc omnino abstinuit. Sed secundum Euangelium erat sermo eius, est, est; &, non, non. Et in grauibus consiliis & arduis negotiis ac causis pauci vel nulli perspicaciùs ipso veriusque iudicabant, & quod intellectu capiebat valde prudenter & gratiosè proferebat. Siquidem diffusa erat gratia in labiis suis.

De humilitate eius per opera exteriora.

QVOLIBET sabbato consueuerat pedes abluere in loco secretissimo, humiliter & deuote, flexis genibus, trium pauperiorum hominum seniorúmque qui poterant inueniri; & post ablutionem, pedes extergere & humiliter osculari. Similiter aquam porrigebat eorum manibus abluendis, quas eodem modo osculabatur, & post cuilibet certam summam denariorum erogabat, & ad comedendum eis ipsemet ministrabat. Si autem propter corporis infirmitatem hæc pietatis obsequia facere non posset, volebat quòd vice ipsius Confessor suus præsente Eleemosynario suo prædicta simili modo exequeretur. Ceterum ad laudem deuotæ huius humilitatis spectat, quòd cum in sabbato quodam esset in Abbatia Clariuallis, ablutioni pedum Monachorum, quod Mandatum vocant, voluit interesse, videlicet quando secundum morem Ordinis post Vesperas solemniter & deuotè sibi mutuò lauant pedes. & affuit & respexit. Ipse verò ex humilitate sua pluries voluit C capam deponere, & genibus flexis manus adponere ad pedes seruorum Dei humiliter abluendos. Sed quia plures magnates non sibi multum familiares tunc sibi astabant, de consilio aliquorum ab hoc humilitatis officio supersedit. Confessores etiam suos in magna reuerentia semper habebat, ita quòd aliquando postquam iam sederat coram Confessore ad confitendum, si ostium aliquod vel fenestram vellet aperiri vel claudi, ipse à loco confessionis festinanter surgebat, quasi præueniens Confessorem suum, & ibat humiliter ad claudendum vel ad aliquid aliud huiusmodi faciendum. Qui cum à Confessore suo super hoc argueretur, humiliter respondebat: Charissime, vos estis pater, & ego filius; & ideo hoc facere debeo.

Quomodo se habuit in matrimonio, & de educatione & instructione liberorum suorum.

EX consensu vxoris suæ Margaretæ Reginæ, per totum Aduentum & per totam Quadragesimam ab opere carnali mutuò continebant, & nihilominus aliquot certis diebus qualibet septimana, similiter in vigiliis & in diebus magnorum festorum. Insuper in solemnitatibus, in quibus communicare debebat, pluribus diebus ante communionem & pluribus post, ob reuerentiam sacri mysterij continebat. Si autem his continentiæ diebus ipsum ex certa causa vxorem suam Reginam visitare contingeret, & cum ea morari, si ex vicinitate vxoris pro humana fragilitate

A gilitate quandoque motus carnis inordinatos sentiret, surgebat de lecto per cameram deambulans donec carnis rebellio quieuisset. Et quia per gratiam Dei de tam sancto coniugio copiosa proles processit, sequitur videre quàm catholicè sese habuerit pius pater in suorum instructione ac regimine liberorum. Volebat etiam quod pueri iam adultæ ætati propinqui quotidie non solum Missam, sed & Matutinas ac Horas canonicas cum cantu audirent, & quòd ad audiendum Sermones secum adessent. Volebat etiam quòd singuli literas addiscerent, & Horas beatæ Virginis decantarent, ac vt essent semper cum ipso ad Completorium quod post cœnam suam solemniter in Ecclesia decantari quotidie faciebat. In fine cuius specialis Antiphona beatæ Mariæ alta voce cantabatur. Dicto verò Completorio cum pueris in camera reuertebatur, & aqua benedicta à sacerdote circa lectum suum & per cameram aspersa residebant pueri circa ipsum: quibus tunc priusquàm discederent ab se solitus erat aliqua verba ædificatoria dicere ad instructionem ipsorum. Capellos etiam de rosis seu alios quoscunque volebat quòd dicti pueri sacris diebus Veneris in capitibus deportarent, ad memoriam illius sacræ coronæ spineæ qua caput Saluatoris hac die atrociter fuerat coronatum, & qua corona Rex Regum Dominus noster Iesus Christus tam magnificè, sicut superius dictum est, decorauerat B Regnum suum.

De confessione & modo pænitentiarum Regis Ludouici.

OMNI siquidem sexta feria per totum annum consueuerat deuotè & humiliter confiteri, locum ad hoc secretum valde eligens, & quasi in quolibet manerio suo ad huiusmodi prouidens locum aptum, quamuis consueuisset intra, tamen non omittebat extra. Post confessionem verò suam semper disciplinam recipiebat à Confessore suo quinque cathenulis suis ferreis simul iunctis, quas in fundo cuiusdam paruulæ pixidis eburneæ decenter infixas Rex deuotus secum portabat, in quadam bursa ad zonam suam secreto pendente. Similes enim pixides cum similibus virgulis ferreis quasi pro secreto xenio dedit aliquando alicui de liberis suis & secretis amicis, pro recipiendis loco & tempore talibus disciplinis. Si quando Confessor suus quasi parcens ei nimis remissos ictus, vt videbatur ei, dabat, quòd fortius percuteret ipse per signum aliquod innuebat. Hanc autem disciplinam pro nullo festo quocunque solemni suscipere dimittebat. Nec prætereundum æstimo de quodam Confessore, quem habuit ante fratrem Gaufredum de Belloloco de Ordine Prædicatorum, qui solitus sibi erat dare disciplinas nimis immoderatas & duras, super quo caro eius tenera non modicum grauabatur; quod grauamen nunquam illi Confessori quandiu viueret voluit reuelare. Sed post mortem dicti Confessoris, quasi iocando & subridendo hoc alteri Confessori suo humiliter recognouit. C Et licèt, prout dictum est, consueuisset omni die Veneris confiteri, tamen si aliis diebus sibi occurreret aliquid confitendum, non differebat quin quàm citiùs posset confiteretur. Si quid etiam de nocte, vt fieri solet, sibi contingeret, si suum in promptu non posset habere Confessorem, mittebat pro eo antequam inciperet Matutinas vt confiteretur. Si vero ipsum tunc commodè non haberet, confitebatur interim Capellano suo, qui eum ad Horas dicendas adiuuabat. Præterea in Aduentu & Quadragesima diebus Veneris, ac in quatuor vigiliis beatæ Mariæ longo tempore ad carnem cilicio vsus fuit. Sed quia ex hoc plurimum grauabatur, de consilio Confessoris sui vti cilicio humiliter prætermisit. Tamen nonnunquam in Quadragesima loco cilicij quadam zona siue fascia de cilicio se cingebat. Insuper loco prædicti cilicij, quod dimiserat, quasi in recompensationem voluit quòd omni die Veneris in Aduentu & Quadragesima Confessor suus reciperet de mandato ipsius quadraginta solidos Parisienses ad erogandum pauperibus in secreto. Consuetus etiam erat per totum annum omni sexta feria ieiunare, & quarta feria à carnibus & sagimine abstinere. Aliquando etiam diebus lunæ à carnibus similiter abstinebat. Sed propter debilitatem corporis hanc diem dimisit consilio discretorum. Insuper quatuor vigilias præcipuorum festorum beatæ Virginis in pane & aqua ieiunabat. Nihilominus in Parasceue, & quandoque in vigilia omnium Sanctorum, ac aliquibus aliis solemnibus ieiuniis per annum similiter in pane & aqua ieiunare consueuit. Sextis feriis in Quadragesima & Aduentu à fructibus

LVDOVICVS NONVS.

& piſcibus abſtinebat: tamen his diebus aliquando de licentia ſui Confeſſoris vno genere piſcium & vno genere fructuum vtebatur. Nullum vel pauciſſimos dicunt ſuo tempore fuiſſe, qui tanta aquæ copia vinum ſuum obrueret, ſicut ipſe. A

De operibus miſericordiæ & largitatis eleemoſynarum ad pauperes Regis Ludouici.

PORRO quia ab infantia creuerat ſecum miſeratio, & quia ſuper afflictos & pauperes pia ſemper geſtabat viſcera charitatis, eleemoſynas eius, quas enarrat omnis Eccleſia Sanctorum, nec ſilere debeo, nec ſufficio explicare. Siquidem quotidie vbicunque eſſet, in domo ſua reficiebantur pane, vino, & carnibus, ſiue piſcibus pluſquam centum viginti pauperes. In Quadrageſima vero & Aduentu atque deuotis diebus ſumma pauperum augebatur. Frequenter ipſemet pius Rex pauperibus ſeruiebat, & coram eis fercula miniſtrabat, panem ſcindebat ac denarios multos manu propria eis dabat. Specialiter autem in quibuſdam ieiuniorum diebus & ſolemnibus vigiliis ducentis pauperibus manu propria antequam comederet de prædictis omnibus ſeruiebat. Præter hæc quotidie in prandio & in cœna habebat prope ſe tres ſenes pauperes comedentes, quibus de cibariis ſuis faciebat miniſtrari, & in fine prandij certam ſummam pecuniæ eis dari. Ceterum tam largas & frequentes eleemoſynas quotidie dabat pauperibus religioſis tam virorum quàm mulierum; Hoſpitibus pauperum, & Domibus leproſorum, ac aliorum Collegiis pauperum, nec non & nobilibus paupertate detentis, quod vix poſſet ab aliquo enarrari. Vnde Tito Imperatore tam liberali quondam datore, quem narrant veteres hiſtoriæ doluiſſe eo quod vna die defeciſſet in tribuendo beneficia, fuit iſte felicior, cui nulla dies in erogandis eleemoſynis & beneficiis largiendis legitur prætériiſſe. Porro quaſi à principio, quo cœpit regnare, Domos & Monaſteria Religioſorum fecit ædificare quamplura, inter quæ ſpecialiter Monaſterium Regaliſmontis dicitur præminere. Domos etiam quamplures fratrum Prædicatorum atque Minorum in diuerſis regni ſui partibus ædificauit, & iam incœptas ad conſummandum adiuuit. Domum Dei Pariſius cum magnis ſumptibus ampliauit, & redditibus augmentauit. Inſuper Domos hoſpitales pauperum apud Pontiſaram, Compendium, & Vernonem, magnis & ſumptuoſis ædificiis conſtruxit, & magnos redditus aſſignauit. Monaſterium autem ſancti Matthæi iuxta Rothomagum, & aliud quod Longum campum nominant, iuxta ſanctum Clodoaldum ſuper Sequanam prope Pariſius, in quorum vno ſorores de Ordine fratrum Prædicatorum, in altero de Ordine Minorum ponens, de proprio fundauit, & eiſdem redditus ſufficientes prouidit. Abbatias etiam monialium Ciſtercienſis Ordinis, Lilij iuxta Meledunum, & Malidumi iuxta Pontiſaram magnis ſumptibus ædificauit, & redditibus ampliauit. Domum vero magnam cæcorum pauperum Pariſius conſtrui fecit, vbi pluſquam trecenti quinquaginta cæci pauperes commorantur, in capella ibi conſtructa diuinum ſeruitium audientes. Præterea miſerandarum mulierum, quæ propter victus penuriam erant publicè expoſitæ ad lupanar, vel ad exponendum paratæ, quæ tantum panem & aquam ab ipſo petebant, vt ſic à peccato cauerent, in domo filiarum Dei Pariſius magnam multitudinem Dei congregauit, & eiſdem pro ſuſtentatione annuatim quatuor centum libras Pariſius aſſignauit. Inſuper monachis Ordinis Cartucenſis prope Pariſius in loco qui dicitur Vallis viridis locum aptum prouidit, & ad ſeruiendum Deo ibidem ſufficientes redditus contulit. Similiter in pluribus regni ſui ciuitatibus & caſtris domos Beguinis mulieribus ad habitandum prouidit, & eis in victu de ſuis ſumptibus miniſtrauit. Cum autem intelligeret quòd nonnulli ex familiaribus ſuis ex largitate eleemoſynarum ſuarum murmurarent, eiſdem dicebat, quòd cùm oporteret quandoque in expenſis excedere, potius eligebat quòd exceſſus fierent in eleemoſynis propter Deum, quàm in ſecularibus & mundanis; vt exceſſus, qui fiebat in ſpiritualibus, excuſaret atque redimeret exceſſum, quem frequenter oportebat fieri in mundanis. Nihilominus tamen in ſolemnitatibus regiis, & tam in quotidianis ſumptibus domus ſuæ, quàm in parlamentis & congregationibus militum & Baronum, ſicut decebat regiam dignitatem, liberaliter ac largiter ſe habebat: & ſeruiebatur in domo ſua multum curialiter ac decenter, pluſquam in prædeceſſorum ſuorum regum curiis longe à temporibus retroactis. B C

De collatione

A

De collatione beneficiorum & deuotione Regis Ludouici ad diuinum officium & de modo orandi ipsius.

SANE in beneficiis Ecclesiasticis conferendis, quæ ad patronatum siue donationem ipsius pertinebant, Deum semper præ oculis habebat, & electis & probatis personis ea quantum poterat conferebat. Præcipuè autem in Ecclesiis cathedralibus, vbi sede vacante, ratione custodiæ regalium, ex consuetudine pertinebat ad eum collatio præbendarum. Quas personas inquiri & eligi faciebat per Cancellarium Parisiensem, & alios viros bonos. Hanc autem consuetudinem obseruabat, quòd nulli quantumcunque literato aliquod beneficium Ecclesiasticum possidenti conferret aliud Ecclesiasticum, nisi primo beneficio simpliciter resignaret. Nec beneficium non vacans omnino alieni concedere vel conferre volebat, donec testimonium haberet certitudinis quòd vacaret. Omnes Horas canonicas & etiam de beata Virgine cum cantu quotidie audire volebat; etiamsi eas in itinere equitando audire contingeret, nihilominus eas inter se & Capellanum suum tam de die quàm de beata Virgine submisse dicebat. Insuper officium mortuorum quotidie cum nouem lectionibus etiam in festis quantumcunque solemnibus dicebat cum capellano suo. Raro accidebat, quin quotidie duas Missas audiret, & frequenter tres vel quatuor. Dum Horæ cantarentur nolebat colloquio alicuius impediri, nisi vrgeret aliqua vtilitas, & tunc breuiter & succinctè. Solemnitates autem præcipuas, & ceteras festiuitates Sanctorum deuotas faciebat solemniter & studiosissimè celebrari, conuocans ad hoc pluries in anno electos clericos & gratiosè cantantes. Lachrymarum gratiam plurimum affectabat, & super hoc defectu Confessori suo piè & humiliter conquerebatur, familiariter ei dicens, quòd quando Letania dicebatur, *Vt fontem lachrymarum nobis dones*, deuotè dicebat; O Domine, fontem lachrymarum non audeo postulare, sed modicæ lachrymarum stillæ mihi sufficerent ad cordis mei ariditatem & duriciam irrigandam. Aliquando etiam Confessori suo familiariter recognouit, quòd quandoque Dominus in oratione aliquas lachrymas sibi dederat, quas cùm sentiret per genas suauiter ad os influere, non solum cordi, sed gustui suo dulcissimè sapiebant. Congregationes Religiosorum frequenter ac deuotissimè visitabat, & ab eis pro se & amicis suis viuis ac defunctis piarum orationum & Missarum suffragia humiliter & flexis genibus in Capitulis eorum postulabat, ita quòd ex humilitate sua personæ religiosæ frequenter ad lachrymas mouebantur.

B

De honore quem Ludouicus Rex dixit sibi factum apud Poissiacum; & de modo ipsius tangendi infirmitates sodellarum.

C INSVPER ad laudem deuotionis fidei ipsius pertinet, quòd cum vna vice esset apud Poissiacum castrum, quibusdam familiaribus suis gaudens & glorians dixit, quòd maius bonum & digniorem honorem quem vnquam habuerit in hoc mundo, fecerat sibi semel Dominus in castro illo prædicto. Mirantibus qui aderant de quo honore hoc diceret, cùm de ciuitate Remensi, vbi regni coronam & sacram susceperat vnctionem, hoc dixisse eum potius æstimarent, subridendo respondit, quòd in castro illo sacri baptismi gratiam susceperat, quod super omnes honores seu dignitates mundanas maius donum & dignitatem incomparabilem reputabat. Vnde etiam cum secretas literas alicui familiari mittebat, & ex causa aliqua volebat supprimere nomen Regis, Ludouicum de Poissiaco siue dominum Poissiaci se vocabat. In tangendo infirmitates, quæ vulgo sodellæ vocantur, super quibus curandis Franciæ regibus Dominus contulit gratiam singularem, pius Rex modum hunc præter Reges ceteros voluit obseruare. Cum enim alij Reges prædecessores sui tangendo solummodo locum morbi, verba ad hæc appropriata & consueta proferrent; quæ quidem verba sancta sunt atque catholica, nec facere consueuissent aliquod signum crucis: ipse super consuetudinem aliorum hoc addidit, quòd dicendo verba super locum morbi sanctæ crucis signaculum imprimebat, vt sequens curatio virtuti crucis attribueretur potius quàm regiæ dignitati. Ceterum circa feruorem ac deuotionem fidei ipsius huiusmodi plurima possent scribi. Sed breuitatis causa hæc quæ dicta sunt sufficiant.

LVDOVICVS NONVS.

A

Incidentia: quomodo Carolus Comes Andegauiæ subiugauit Marsiliam.

ANNO Domini M. CC. LVII. Carolus Comes Andegauiæ frater Ludouici Regis Franciæ Marsiliam suo dominio subiugauit. Verumtamen post modicum tempus quidam de maioribus ciuitatis illius seditionis principes facti, & ad rebellionem minorem populum excitantes, domini sui Caroli hominibus captis & occisis, quos ad vrbis custodiam posuerat, arma contra eum iterum parauerunt. Quod intelligens Comes Carolus, contractis vndecunque copiis armatorum, ad eorum humiliandam superbiam incunctanter eos aggreditur. Et eos in vrbe sua longa obsidione afflictos, & ciborum penuria maceratos, tandem eos ita perdomuit, vt coacti suæ voluntati se redderent, & secundum pristinam consuetudinem suæ dominationi colla perdomita submiserunt. Et ne tanta præsumptio remaneret impunita, & rebellionis fomes sub dissimulationis velamine vlterius pullularet, omnes seditionis illius principes, per quorum suggestionem contra eum minores eiusdem ciuitatis arma præsumpserant, in communi spectaculo fecit secundum rigorem iustitiæ decollari. Terram etiam Bonifacij domini de Castellaine in Prouincia, qui Marsilienses iuuabat, & castella eius in deditione accepit, & eum à finibus Prouinciæ fugere compulit. In quo facto se suis hostibus mirabiliter formidabilem reddidit, & fama celeberrimum per exteras nationes. Eodem anno iterum electus est in Senatorem Branchaleo, qui cum difficultate, eo quòd ab Ecclesia sibi pararentur insidiæ, Romam venisset, turres vrbis deiiciens, præter turrim Comitum Neopolionis, plures nobiles fauentes Ecclesiæ captiuauit. Hic vero in obsidione Corneti infirmitate correctus, Romam se fecit deferri, & ibi vitam finiuit. Post quem creatus est Senator dominus Castellanus auunculus eius. Anno Domini M. CC. LVIII. dominus Henricus de Lucebourc tenuit obsessum castrum. Namursiæ, villa, iuuante eundem, Imperatrice Constantinopolitana solum superius fortalicium obtinente & defendente, non tamen ibidem inclusa. Ad cuius auxilium Comitissa Flandriæ, & Comes Augi, & alij fratres Imperatricis, cum multis Francorum militibus venientes, parum profecerunt. Eodem anno defecerunt viri venerandæ memoriæ Guillelmus de Bussiis Aurelianensis, & Guillelmus Rolandi Cenomanensis, Episcopi. Quibus successerunt in Ecclesia Aurelianensi Robertus de Cultimano Decanus Carnotensis, & Gaufridus dictus Freilons Archidiaconus Turonensis trans Ligerim apud Cenomannum. Item eodem anno tanta fuit inundatio pluuiarum in plerisque locis, quòd segetes in campis & granchiis germinauerunt, & racemi in vineis ad debitam maturitatem peruenire non potuerunt, Propter quod vina noua adeo fuerunt viridia, quòd cum remorsu & vultus impatientia bibebantur.

B

C

De pace facta inter Henricum Regem Angliæ & Ludouicum Regem Franciæ, pro terra Normanniæ.

ANNO Domini M. CC. LIX. venit in Franciam Henricus Rex Angliæ cum Rogero Comite Glocestriæ, & multis sui regni Principibus ac nobilibus. Quem Rex Franciæ Ludouicus honorificè suscipiens Parisius in proprio fecit palatio hospitari, ipsum suosque per plures dies electis vinis & ferculis ac largis muneribus honorando. Postmodum vero dictus Rex Angliæ beatum Dionysium visitare cupiens recessit Parisius, & ad Ecclesiam beati Dionysij venit cum magna deuotione & reuerentia. Vbi à conuentu ipsius loci in cappis sericis reuestito cum honore susceptus, per mensem & amplius residentiam faciens, Conuentui cappam auream & cyphum magni ponderis contulit, & antequam inde discederet filiam suam fecit Iohanni filio Iohannis Comitis Britanniæ desponsari. Ludouicus igitur Rex Franciæ ipsum ibidem pluries visitans, quia remorsum conscientiæ sentiebat pro terra Normanniæ, & aliis terris quas Philippus Rex Franciæ auus suus Iohanni Regis Angliæ patri istius Henrici Regis de quo agimus, iure & iudicio suorum Parium abstulerat; pacem cum ipso quotidie facere sategebat quæ tandem facta est in modum qui sequitur. Nam Henricus Rex Angliæ de expressa voluntate fratris sui Richardi Regis Alemanniæ, & Principum ac Prælatorum Angliæ consilio,

A filio, quitauit in perpetuum regibus Franciæ quicquid iuris requirebat in Ducatu Normanniæ & Comitatibus Andegauiæ, Cenomaniæ, Pictauiæ, Turoniæ, ac eorum feodis. Rex verò Franciæ dedit ei magnam summam pecuniæ, cum quadam terra quæ Petragoricum nominatur, versus partes Gasconiæ situata; tali conditione, quòd cum terra illa totam Gasconiam de cetero à regibus Franciæ teneret in feodum, & inde homagium faciens in numero Baronum Franciæ ascriberetur, & tanquam Dux Aquitaniæ esset de cetero vnus de Paribus Franciæ appellatus. Quod homagium, præsentibus Prælatis, Principibus totius Regni quamplurimis fecit Henricus Rex cum iuramento pro Burdegala, Baiona, & terra Gasconiæ, ac pro ceteris quæ in Lemouicensi, Petragoricensi, Agenensi & Xantonensi Episcopatibus ex dono Regis Franciæ possidebat. Quo peracto, antequam Rex Angliæ ab Ecclesia beati Dionysij recederet, contigit Ludouicum Regis Franciæ Ludouici primogenitum Parisius obiisse. Cuius corpus in Abbatia Regalis montis patris imperio sepulturæ dandum, prima nocte ad Ecclesiam beati Dionysij delatum, Monachis in decantatione psalmorum vsque mane vigilantibus custoditur. In crastino verò Rex Angliæ Henricus, & nobiliores Barones Franciæ, & Angliæ corpus defuncti assumentes aliquantulam partem itineris propriis humeris portauerunt. B Peractis ac celebratis, vt regalem puerum decuit, defunctorum obsequiis, Rex Angliæ & sui nobiles Regis honorati muneribus ad propria remearunt. Eodem tempore Manfredus Princeps Tarentinus filius Frederici Imperatoris in Concilio Lugdunensi, sicut superius dictum est, damnati, ex quadam concubina, sub quadam Corradini nati Corrardi fratris sui defuncti simulata protectione tutatoria, ad quædam castra & ciuitates Regni Siciliæ manus occupatrices extendit, & tandem dicti Corradini nepotis sui morte, conficta, in Regem Siciliæ contra mandatum Ecclesiæ Romanæ coronari se fecit. Propter quod, & alios suos actus nefarios, & graues offensas, quas nimis longum esset hîc enarrare, Alexander Papa IIII. ipsum ex causis variis excommunicationis vinculo innodatum, Principatu Tarentino & aliis dignitatibus ac honoribus quibuscunque tanquam rebellem & hostem Ecclesiæ Romanæ suorumque iurium inuasorem, occupatorem & detentorem sacrilegum, & tanquam sociatum nefando fœdere Sarracenis, eorum complicem, ductorem & protectorem publicum, auctoritate Apostolica priuauit.

Incidentia. Anno Domini M. CCLX. Dominica in Passione congregauit Rex Franciæ Ludouicus Parisius Concilium Episcoporum & Principum Regni sui, eo quòd dominus Papa scripsisset ei Tartaros in transmarinis partibus irruisse, Sarracenos vicisse, Armeniam, Antiochiam, Tripolim, & Damascum, Alapiam & terras alias subiugasse, & tam Acconi ciuitati, quam toti Christianitati periculum imminere. Vnde ordinatum fuit de orationibus multiplicandis, processionibus faciendis, & blasphemiis in Deum puniendis, peccatis & superfluitatibus cibariorum C ac vestium reprimendis. Inhibita etiam fuerunt vsque ad biennium torneamenta, & iniunctum est, quòd non luderetur aliis ludis, nisi quòd homines se exercerent in arcubus & balistis. Eodem anno Florentini congregato exercitu, vt Senensem vrbem destruerent, à militibus Manfredi & Comite Iordano, qui ciuitatem Manfredo traditam defendebant, capti & deuicti sunt, ac ciuitas ipsorum Florentia capta & quamplurimum destructa, subiectáque dominatui Senensium & Manfredi. Eodem anno circa festum Epiphaniæ Philippus Bituricensis Archiepiscopus beato fine quieuit, cuius sanctitatem post mortem Dominus diuersis signis & miraculis declarauit. Successit autem eidem Iohannes de Solliaco Decanus Bituricensis, vir nobilis & spectabili genere.

ITEM *Incidentia.* Anno Domini M. CCLXI. in festo S. Vrbani Papæ, obiit apud Viterbium Alexander Papa V. cui successit Vrbanus IIII. natione Gallicus de ciuitate Trecensi, ex Patriarcha Hierosolymitano. Eodem anno Græci recuperauerunt Constantinopolim, fauentibus eis Ianuensibus in odium Venetarum.

ITEM *Incidentia.* Anno Domini M. CCLXII. Ludouicus Rex Franciæ congregata circa Pentecosten omni fere nobilitate Regni sui apud Claromontem in Auernia, Philippo filio suo primogenito Ysabellam filiam Regis Aragoniæ desponsauit, & propter illud matrimonium Rex Aragonum in signum pacis & concordiæ, quam intendebat habere de cetero erga Regnum Francorum, quitauit in perpetuum Regibus Franciæ quicquid in ciuitatibus Carcassona, Biterris, & Ami-

LVDOVICVS NONVS. liauo possidebat. Rex vero Franciæ quitauit ei vicissim quicquid in Comitatibus de A
Besaudo, Ampuriarum, Rocilionis, Barcinoniæ, & Cathaloniæ requirebat.

Item Incidentia de bello quod fuit in Anglia inter Regem Henricum, & Symonem de Monte forti.

ANNO Domini M. CCLXIII. erat in Anglia, non tamen de Anglia, sed de Francia ducens originem, vir in armis strenuus & armorum peritia callidissimus, Simon de Monte forti, Simonis senioris de Monte forti Comitis viri Christianissimi & æquè in armis strenuissimi filius, qui in expugnando Albigensium hæreticam prauitatem, in obsidione Tholosæ ciuitatis ictu mangonelli interiit, & ad Dominum tanquam Martyr, vt creditur, transmigrauit. Idem vero Simon filius eius Comitatum Leucestriæ in Anglia possidens, sororem Regis Angliæ Henrici desponsauerat, ex qua quinque filios, Henricum, Simonem, Richardum, Guidonem, & Almaricum, ac vnam filiam possidebat. Accidit autem in illo tempore, quod Rex Angliæ, Barones, & Prælati vnanimiter consentirent in quandam constitutionem ad vtilitatem Reipublicæ, vt dicebant, & illam iuramenti robore firmauerunt. B Coactus vero dictus Simon eandem constitutionem consimiliter iuramento firmare: respondit omnibus, quòd quicquid alij postea facerent nullo modo deinceps quod petebant ab ipso frangeret iuramentum. Cùm igitur postea Rex ipse, Barones, & Prælati præfatum iuramentum cum dicta constitutione vnanimiter irritassent, & in nihilum reuocassent, Simonem ad hoc idem faciendum compellere nitebantur. Sed ipse, sicut prædixerat, iuramenti dignitatem inuiolabiliter obseruans, propter hoc inter ipsos dissensionis & guerræ materiam ministrauit. Nam Rex Henricus, & Hedoardus eius primogenitus, ac maxima pars Baronum Angliæ, illico contra ipsum propter prædictam causam exercitum collegerunt. Ipse vero Simon cum Comite Glocestriæ, qui sibi tunc temporis adhærebat, & ciuibus Londoniæ ciuitatis, occurrens eis ex aduerso iuxta quandam Abbatiam, quæ vocatur Lyaus, eos viriliter aggrediens dissipauit. Rex autem Henricus & Hedoardus eius filius de bello fugientes, se in dictam Abbatiam confestim transtulerunt. Quos dictus Simon in deditionem postea suscipiens, & tanquam dominis suis quandam reuerentiam exhibens, eos honorabiliter captiuauit. Quod agnoscens Rex Franciæ Ludouicus, & affectu piissimo inter ipsos pacem componere cupiens, Simonem Comitem ad Parlamentum suum apud Boloniam super mare conuocauit. Sed ipsum à suo proposito inflexibilem considerans, infecto negotio ad propria liberè redire permisit. Qui reuersus in Angliam, communi fretus fauore populi, & munitiones occupans cum Comite Glocestriæ, pactionem & fœdus in inuicem inierunt, scilicet vt ambo regni negotia æqualiter pertractarent, populumque regentes statum Reipub. ad Regis & regni commodum fideliter custodirent. C Sed dum in dandis prædictæ pactionis obsidibus ad inuicem dissentirent, verbis interiectis tumidis discordes ad vltimum discesserunt. Postea verò Comes Glocestriæ contra dictum Simonem Comitem dolos in corde concipiens, Hedoardum Regis primogenitum, qui cùm Rege patre suo in custodia tenebatur, per velocitatem dextrarij, quem eidem Hedoardo sub alieno nomine latenti malitia transmisit, de prisione dicti Comitis Simonis eripuit: & sic ad inuicem fœderati, congregatis viribus contra ipsum exercitum parauerunt. Quod ignorans Comes Simon interim magnam partem suæ militiæ Simoni nato suo tradidit, vt discurrens per villas & oppida, prædas congregaret. Sed ipsum insidiis circumuentum Hedoardus cum Comite Glocestriæ fere rebus omnibus spoliauerunt, eorumque non euasisset vincula, nisi quasi nudus in vicinum oppidum aufugisset. Et tunc tam pudore, quàm rerum ablatarum inopia ad patrem redire differens, ipsum eius auxilium præstolantem inter manus hostium cum pauca militia dereliquit. Sentientes igitur Hedoardus & Comes Glocestriæ patrem filij adiutorio destitutum, collectis vndecumque viribus eum securiùs inuaserunt. Erat enim eorum intentio Regem, quem adhuc dictus Simon secum quasi captum ducebat, de manibus eius eripere, ipsumque Simonem quasi mali Principem & regni turbatorem, vt dicebant, ac filios eius Henricum & Guidonem vltrici gladio detruncare. Sed Hedoardi sententia eos captiuari potius quàm perimi consulebat, si aliorum nobilium vnanimitas consensisset.

Quod

A Quod vbi Comes Simon veraciter comperit, cum duobus filiis Henrico & Guidone contra eos ad bellum egreditur, ignorans adhuc incommodum quod acciderat Simoni nato suo, cuius aduentum expectabat, & de cuius auxilio sibi in proximo affuturo totaliter confidebat. Quem postquã nec vidit nec sensit per nuntios aduentare, cernens hostes suos ex aduerso cum copioso bellatorum numero ad prælium feruentes irrumpere, dixit Henrico filio suo, quòd reuera esset eadem die in illo prælio moriturus. Tunc patrem filius hortabatur, vt ab hostium facie fugiens vitam sibi reseruaret, & ipse cum suis in Dei adiutorio belli pericula sustinerent. Absit à me, pater respondit filio, qui in diebus meis iam veteratus senui, cuius vitæ cursus finem accelerat, cuius sanguinis lineam parentela tam nobilis in hoc illuminare noscitur, quod nunquam bella fugere consueuit: sed tu potius ab isto tam periculoso certamine declinare deberes, ne pereas in flore & tempore iuuentutis, qui patri tuo eiusque claro generies in armorum probitate, quod Deus annuat, successurus. Ipsis ergo ad inuicem talia prolocutis, neutroque à bello volente discedere, concurrunt hinc inde acies. Sed in Simonem Comitem totum pondus belli conuertitur; qui antiqua callidus armorum peritia se tanquam turris inexpugnabilis defendebat. B Sed paucorum militum vallo circundatus, hostiúmque depressus multitudine vulneratus occubuit, sicque innatam militiam multis claram operibus fine laudabili terminauit. Ex alia igitur parte Henricus filius eius quasi furibundus pro morte patris hostium incursus sustinens, eos viriliter expugnabat. Sed tandem ex circumstantium * hostium inter ipsos obrutus capitur, & inter manus aliquorum viuum ipsum reseruare volentium, aliorum nequissimis manibus occiditur. Cuius mors, vt dicebatur, Hedoardum non minimum molestauit. Guidonem vero è fratribus iuniorem inter lapsos quasi mortuum prosternentes postea collegerunt. Qui, Deo dante, in proximo conualescens, mortem patris postea in aliquos hostium suorum vindicauit. Hostes autem tanta rabie & tam iniquo odio in comitem Simonem exarserunt, quòd eo non contenti, quia ipsum in terram mortuum prostrauerant, multis perfossum vulneribus: sed in cumulum sui dedecoris amputatis eidem virilibus, & membratim laceratum acephalum reddiderunt. Cuius corpus Monachi cuiusdam Abbatiæ quæ vocatur Euecent, iuxta quam prælium commissum est, colligentes, in suam Ecclesiam sepeliendum transtulerunt. Ad cuius tumulum, vt affirmant indigenæ, multi languentium sanitatis gratiam consecuti, Christum approbant eius martyrium acceptasse. Eodem tempore Carolus Andegauis & Prouinciæ Comes frater Ludouici Regis Franciæ electus est in Senatorem Romanum ad vitam.

Quomodo regnum Siciliæ oblatum fuit Carolo Comiti Andegauensi.

C ANNO Domini M.CC.LXIV. Vrbanus Papa nequitiam Manfredi tyranni terminare desiderans, tanquam ad suæ defensionis dexteram recurrit ad Franciam, & per Simonem sanctæ Ceciliæ Presbyterum Cardinalem Carolo comiti Andegauensi fratri Regis Franciæ Ludouici regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, & Capuæ Principatum misit, sibi & hæredibus suis vsque ad quartum hæredem possidendum, si contra Manfredum tyrannum insurgeret, & S. Ecclesiam ab eius inuasione custodiret. Vsurpauerat enim ille tyrannus, sicut superius dictum est, regnum Siciliæ contra nepotem suum Corardinum, & terram Apuliæ, Calabriæ & Campaniæ, ac totum beati Petri patrimonium vi & potestate sibi vendicans, illis in partibus occupauerat, & Ecclesiis sibi subiectis multa grauia inferebat. Mox igitur idem Carolus donum oblatum lætus suscipiens, & tanquam filius obedientiæ mandatis Apostolicis obediens, contra dictum tyrannum arma corripuit, & vndecunque potuit, expeditionis suæ materiam præparauit. Sed Manfredus interea tanquam sibi conscius, metuens ne de Franciæ finibus egrederentur arietes, qui suis cornibus ipsum discuterent in ruinam, maiorem partem ciuitatum Italiæ donis & promissionibus ac alio modo confœderationis ita sibi astrinxit, quòd eum Regem & dominum acclamantes parere sibi promptissimè videbantur. Et propter hoc ibidem quendam suum vicarium moribus sibi consimilem Poileuoisin dictum cum copiis armatorum constituit, vt vrbes sibi confœderatas ab incursibus hostium custodiret, & exploratores, de quibus metuebat, ac omnes nuncios ad sedem Romanæ

LVDOVICVS NONVS.

Ecclesiæ venientes secundum nominis sui interpretationem spoliaret. Sed electus A ad regnum Siciliæ Carolus ad euacuandum suæ machinationis effectum misit Philippum de Monte forti audacem militem & in armis probissimum, cum sufficienti numero armatorum, vt viam Romipedarum, quam idem Poileuoisinus obstruxerat, expediret, & eum cum suis viribus expugnaret. Qui cum adiutorio cuiusdam nobilis viri & potentis Marchisij de Monte ferrato, & ciuium Mediolanensium, qui partem Ecclesiæ fouebant; & omne genus antiqui Frederici, eo quod eos olim destruxerat, & tres Magos Coloniæ abstulerat, iniquo odio prosequebantur, eos viriliter debellauit, & negotium, pro quo missus fuerat, cum adiutorio Dei satis laudabiliter expediuit. Eodem anno circa festum S. Remigij Vrbanus Papa obiit, & apud Perusium est sepultus. Cui successit Guido Sabinensis Episcopus, Clemensque huius nominis quartus est vocatus. Hic vxorem & liberos habens, postea fuit famosus Aduocatus, & Regis Franciæ Consiliarius. Demum mortua vxore, propter vitam & scientiam eius laudabilem Podiensis Episcopus effectus, & post Narbonensis Archiepiscopus, & demum Sabinensis Episcopus creatus, missus à Papa Vrbano in Angliam legatus fuit. De quo itinere reuertens in Papam electus est. Qui postea ieiuniis & vigiliis & orationibus intentus, multas tribulationes, quas suo tempore B Ecclesia sustinebat, Deus suis meritis creditur extinxisse.

Actum Parisius anno Domini 1254. mense Decembri.

Quomodo Comes Andegauiæ frater Ludouici Regis Franciæ venit Romam, & ibidem vnctus fuit in Regem Siciliæ.

ANNO Domini M.CC.LXV. Carolus Comes Andegauiæ tempore Paschali ex inspirato mouens de portu Marsiliæ ciuitatis suæ, per maris pericula & hostium suorum insidias, cum paucis Romæ nauigio est transuectus. Manfredus enim, qui iam de prouincia sua rumores de ipso audierat per cursores suos, armatas galeas ad ipsum capiendum, si transire per mare contingeret, in insidiis parauerat. Pauebat nimium Regem natum, per quem amitteret regni iura. Sed Rex regum Dominus Iesus suum Regem mox futurum sanctæ matris Ecclesiæ defensorem, non sine magno periculo quasi miraculó palam nauigantem, nec à recto maris tramite propter metum hostium diuertentem, per medios hostes, vt diximus, vsque Romam permisit pacificè transfretare. Quod videntes Romani, & etiam „ omnes qui sui mirabilis transitus modum audierunt, mirabantur dicentes: Quis „ putas iste erit, quem maris pericula, nec hostium terrent insidiæ? Etenim manus Domini erit cum illo. Tunc vero à Clemente Romano Pontifice, qui Vrbano successerat, & à toto Romano populo cum honore & magno desiderio susceptus vrbis Romæ Senatoriam, Papa procurante, ciuibusque gratanter consentientibus, obtinuit, & in breui vnctione sacra linitus à summo Pontifice, Viuat Rex, viuat Rex, C populo acclamante, ad titulum regni Siciliæ est regali diademate coronatus. Veruntamen postquam coronatus in Regem extitit, statim castra mouere non potuit, cum non haberet copias armatorum, quibus posset cum hoste tam potenti in campo confligere, nec inter latentes insidias hostium introire. Igitur oportuit expectare militiam, quæ collecta de Francia, iam fines Italiæ attingebat. Sed Marchisione Poileuoisin cum Cremona & aliis sibi adhærentibus, ad pro turbandum eos se præparantibus, ipsi spem habentes in Domino viriliter accincti, castra Cremonæ & Brixiæ sibi contraria destruxerunt, peragratisque finibus Lombardiæ vsque Romam pacificè peruenerunt. Maiores autem exercitus erant isti; videlicet Bocardus Comes Vindocini, miles audax & in armis acerrimus, Guido de Bello-joco Autissiodorensis Episcopus, vir peritus in armorum negotiis, manu promptus & eminentis militiæ, quæ sub Episcopali velamine regebatur: Philippus & Guido de Monte forti milites optimi, & egregij bellatores: Guillermus & Petrus de Bellomonte ex parte Regis Caroli tanquam exercitus conductores: & Robertus gener Regis filius Flandrensis Comitis, cum gentis suæ numero copioso. Qui quia puer erat conductu Gilonis Bruni Franciæ Conestabularij viri probatæ militiæ regebatur. Eruntque plures alij nobiles & potentes viri, quorum nomina propter fastidium hîc sub silentio reprimuntur.

Quomodo

A *Quomodo Carolus Rex Siciliæ procedens contra exercitum Manfredi, cepit sanctum Germanum Aculearium.* LVDOVICVS NONVS.

CAROLVS ergo Rex tantis bellatoribus exhilaratus, castra sua de Roma mouens in terram inimicorum suorum ingreditur, & omnes munitiones ante se capiens, per pontem de Ceperano, vbi erat ingressus ad terram Laboris & Apuliæ vsque ad sanctum Germanum Aculearium peruenerunt. Erat enim inter cætera castella illius patriæ fortissimum, tantáque multitudine armatorum & copia victualium munitum, quòd vix crederetur per annos plurimos totius Occidentis viribus expugnari. In illo verò fuit maior pars hostilis exercitus ex Sarracenis, Apulis, & Alemannis, qui putabant præ cæteris fortitudine sua confisi Francis posse resistere, iactantes se quod ibidem Manfredo redderent Carolum Regem victum. Itaque cùm Regis Caroli exercitus ad dictum castrum peruenisset, castraque metati essent, garciones & pedites prope castri muros accesserunt, quos Sarraceni & alij de interiori familia, qui defensionibus murorum stabant, exercitum intuentes, statim maledicere, & quasi deridere cœperunt. At illi talium iniuriarum impatientes, passim eos fundibulis & lapidibus ad prælium prouocauerunt. Sed dum illi certatim vicem pro vice redderent, clamor subitus vtrinque oritur, & dum magis ac magis inualesceret, tumultu valido exercitus Caroli excitatur: æstimantes aliqui, qui longiùs castra posuerant, garnisionem munitionis egressam pro foribus exercitum inuasisse. Tunc in armis induendis citissimi versus castrum certatim & vndique concurrentes, ac si in tanto periculo nihil discriminis animaduerterent, oppidanorum impulsionibus, telorum, sagittarum, & lapidum ictibus se cum targis & clypeis opponentes, atroci inuasione insultum mirabilem & formidabilem reddiderunt. Quod cum cernerent oppidani & nobiliores exercitus Manfredi, qui intus aderant, conatus suos irritos fieri, & hostes suos, tanquam nullum mortis formidantes periculum, nihil tepidiùs agere, sed ad expugnationem castri semper acriùs insæuire; pauore & stupore nimio dissoluti, fuga Francorum exercitui incognita dilabuntur. Interea Bocardus Comes Vindocini cum Iohanne fratre suo, aditu patefacto castrum primus ingreditur, & vt aper turba canum coarctatus in angulo, nunc ad læuam, nunc ad dextram dente canes dilacerat: sic ille exerto gladio nimium sui prodigus fulminat inter hostes. Qui postquam cognouerunt patefactum aditum à Gallicis occupari, & sequaces Comitis paulatim introire, cœperunt fugere, quærentes latibula, quibus possent euadere gladium percussoris. Interim vexillum Comitis à quodam suo se sequace in eminentiori loco deportatum signum dedit aliis, qui de foris expugnabant castri deditionem, & quòd iam Comes introductus loci munitionem occupasset. Tunc clamore mirabili viriliùs insultum facientes in hostes valuas adeunt, aditus occupant, & sic intus communiter irrumpentes, quoscunque de hostibus reperire potuerunt, in ore gladij peremerunt, castrum in deditionem retinentes.

alias Acculerium.

B

C

Quomodo Rex Carolus persecutus est exercitum Manfredi vsque Bonivicentum, & suos, antequam dimicaret, admonuit.

SIC igitur subita & inopinata castri deditione peracta, Rex Carolus vires recolligens, & exercitu aliquantulum reparato, hostes suos vt venator aprum insequitur, qui fuga euadere magis, quam audacia mori vtilius arbitrantes fugiebant, donec ad Manfredum dominum suum sese cum magno dedecore collegerunt. Sed cum Regem Carolum, & eius exercitum vestigia sua festinanter insequi comperissent, versus Boneuentanam prouinciam à facie Regis & eius exercitus declinantes, præparato itinere transierunt, & iuxta ciuitatem Boneuenti in vallis planitie ad bellandum aptissima restiterunt. Galuanus enim, Iordanus, Bartholomæus, & quidam alij, qui cum magno dedecore de castro sancti Germani deuicti aufugerant, vt ruborem suum, & alicuius notam suspicionis viderentur redimere, Manfredo dederunt consilium, vt ibi regem Carolum ad prælium expectarent. Interea verò Carolus longarum semper dietarum continuato itinere, per alefanos & diuersa locorum discrimina eos celeriter insecutus, ab illorum persecutione non

LVDOVICVS NONVS. destitit, donec ipsos iam ordinatos in acie in præfata valle à montis cacumine frater vidit. Mox maiores exercitus commilitones suos aduocans, ne de singularitate consilij posset redargui, quid agendum esset consuluit. E quibus aliqui decreuerunt vtilius procrastinari prælium, hac ratione prætendentes, quod si statim contingeret bellum conserere, cùm iam esset hora diei quasi sexta, equi & homines post tantum laborem nullo quietis vel pastus beneficio recreati, ad conflictum minus idonei redderentur. Alij fortè feruentiores ad prælium, contrarium sentiebant, dicentes nullo modo debere differri prælium, ne hostes quos habebant præ oculis per cateruas dispositos eos aggrederentur, spectantes ipsos tepidiùs agere, & in hoc sibi geminaret audacia, quia putarent in hostes sua loricata præsentia formidinem incussisse. Sic ergo diuersis diuersa sentientibus, Gilo Brunus Franciæ Connestabularius, vir, vt suprà retulimus, veteris & approbatæ militiæ, qui Robertum Comitis Flandriæ filium conductu susceperat, hoc dixisse recolitur, quòd quicquid alij agerent, puer suus cum hoste confligeret, sperando de eius adiutorio cuius erant Ecclesiæ defensores. Tunc Rex eius audito consilio, cæteris ardentiùs anhelans ad prælium, talem sententiam approbans armari præcepit exercitum, & in tres acies, sicut hostes fecerant, ordinari. Mox tubis clangentibus, vt ad arma prosiliant cunctis signum indicitur. Sed vt boni Christiani confessione criminum & contritione præhabita, prius loricas fidei induunt, illius adiutorium implorantes, pro cuius Ecclesia decertabant. Armatos igitur & paratos cum hoste confligere, Rex in eorum facie constitutus, breui oratione sic eos alloquitur, dicens.

» O viri commilitones mei, quos Francia protulit inclytos bellatores, qui non pro » me, sed pro causa Ecclesiæ decertatis, auctoritate sancti Petri Apostoli, immo Do» mini nostri Iesu Christi ab omnibus criminibus absoluti aspicite inimicos nostros & » sanctæ matris Ecclesiæ contemptores, anathematis percussos gladio, quod est sibi » perpetuæ mortis initium, ex diuersis nationibus & legibus congregatos. Qui quan» tò magis inter se sententiis & nationibus differunt, tantò debiliores in prælio & ar» cto certamine citiùs dissoluendi. Quorum patres aliquid dignum laude antiquitus » egisse non recolit humana memoria: qui etiam sunt tepidi & pusillanimes, sicut » nuper in peracto certamine comprobastis. Quos etiam semel deuictos hactenus » fugauistis, & in loco tutissimo, vbi erat sibi summum refugium, & vbi debuissent » toti Gallicano populo restitisse, vestræ virtutis dextera turpiter sunt deuicti. Con» sidereris itaque nos à tam inclyta Francorum prosapia deriuari, & nomen gentis » nostræ antiquitus cunctis nationibus tam formidabile, quod in exteris populis tan» quam orbis malleus habebatur. Omni igitur timore deposito, ite per imbelles gla» dio ductore cateruas.

De bello facto ante Beneuentum, & quomodo duæ primæ acies Manfredi deuictæ sunt.

IGITVR Regis oratione completa, militibúsque ad prælium animatis, Guido de Bello-ioco Autissiodorensis Episcopus, quo nullus in agmine manu promptior, si prælationis dignitate deposita cum aliis pugnare liceret, & qui prius à summo Pontifice absoluendi potestatem acceperat; gratia benedictionis impertita, omnes ab omnium criminum suorum contaminatione absoluit, talem eis iniungens pœnitentiam, vt in hostes ictus cum potenti dextera geminarent. Mox ducibus acierum singulisque militibus, prout moris extitit, ordinatis, Philippus de Monte forti, & Marescallus de Mirepois probi milites & audaces, primæ cohortis ex parte Regis Caroli directæ Capitanei contra primam aciem ex aduerso dispositam dimicare viribus parauerunt. Phalanx illa ex Teuthonicis constructa, spes & robur Manfredi exercitus, sui densitate impenetrabilis, primò, quasi murus, Francorum impetus repulit. Hanc enim prius in hostes transmiserant, vt furor Teuthonicus contra Francorum audaciam dimicaret. Philippus igitur de Monte forti & Marescallus de Mirepois collidentes primo impetu repelluntur; sed tandem sparsis paulatim hostibus, & gladiis aditu reserato, fuit ibi diu & acriter dimicatum. Rex autem Carolus, qui in parte alia stationis in acie secunda, quam ex puris Franciæ militibus constructam sibi elegerat, tanquam turris inexpugnabilis consistens, contra bellum Galuani Comitis Manfredi auunculi ex aduerso dispositum conflicturus,

tubis

A tubis clangentibus irruendi in hostium agmina signum dedit. Videns autem Teuthonicorum aciem diu sperato confligere (erant enim robusti milites, & quasi omnes duplici tegmine loricati) in ipsos cum armorum fragore mergitur vehementi. Et cùm densitas armorum, quibus hostes erant munitissimi, ictus Francorum vibratos in aëre repelleret, Franci mucronibus gracilibus & acutis sub humeris ipsorum, vbi inermis patebat aditus, dum leuarent brachia transforantes, per latebras viscerum gladios scapulo tenus immergebant. Sic igitur Teuthonicorum ceruicositas Gallicana calliditate perdomita occubuit. Omnes enim in ore gladij perimuntur: nisi fortassis aliqui, qui fuga vel lapsu aliquo à mortis periculo euaserunt. Prima itaque acie illorum exinanita, quæ ab hostibus fuerat pro muro defensionis opposita, Rex secundam aggreditur, cui erant Capitanei Galuanus & Iordanus Comites, & quidam alij malignitatis principes, quorum consilio Manfredi nequitia regebatur. Cùm vidissent ergo illi de secunda acie Teuthonicos, in quibus spem triumphi posuerant, interemptos, Francósque indefessæ virtutis brachio lupos rapidissimos famis rabie excitatos semper in suos acriùs insæuire, suorum iam facta strage non minima se fugæ beneficio magis quàm armorum præsidio defendere parauerunt. B Sed circum astantium equitum Francorum occursibus, & à tergo quorundam sequentium infestationibus impediti, longè fuga dilabi non potuerunt: sed tota phalangis huius prius ostensa nobilitas aut gladiis detruncata, aut mancipata vinculis in nihilum est redacta. Comites enim Galuanus, Iordanus, & Bartholomæus, ibidem capti sunt.

Quomodo Manfredus fuit interfectus, & Boneuentana ciuitas capta.

SIc igitur primis duabus aciebus eorum deletis, supererat tertia ex Apulis & Sarracenis composita; cui Manfredus Rex eorum & dominus tanquam ductor Capitaneus fuerat constitutus, quæ etiam, sicut hostes prius ordinauerant postremo pugnatura contra bellum Roberti filij Comitis Flandrensium & generi Regis Caroli fronte ad frontem oppositum, conflictum vltimum expectabat. Sed vbi viderunt sperato deterius quod verebantur accidere, & nullum locum spei esse, sed summum mortis periculum, laxis habenis, & illibato certamine, in fugam certissimam, qua potuerunt fugere disperguntur. Sed acies iam dicti Roberti ex Flandrensibus & Picardis aggregata hostium fugam occursu celerrimo reprimens, eos strage non minima deleuerunt. Interea Franci, dum quosdam qui mortis periculum tentabant euadere versus ciuitatem Boneuentanam insequuntur, nullo defensionis obstante repagulo vrbem cum fugientibus introgressi, eam captam absque suorum expensa sanguinis in Regis Caroli dominium redegerunt. Sic itaque C virtutis cœlestis auxilio, & Francorum dextera triumphali, deletis hostium copiis, & maioribus principibus Manfredi captis & redactis in vinculis, materia præliandi Francis deficiens, quietem eis tribuit, & iam cessante ruina cadauerum cruore satur ad loculum redit ensis. Francis verò per campum certaminis mane circumquaque currentibus, de Manfredo frequens à pluribus quæstio mouebatur. Cunctis enim erat in ambiguum, vtrum fuga lapsus equi velocitate cum cæteris fugientibus euasisset, aut interemptus gladiis propter indifferentiam & proteruitatem percussoris incognitus in prælio cecidisset. Quæsitus ad vltimum inter mortuorum cadauera reperitur, & à detentis in vinculis, qui lateri eius, dum viueret, familiariùs adhærebant, signis certissimis est agnitus. Et mirandum certè, quòd tanti viri necis auctor fuit incognitus: nam de toto Regis exercitu non fuit aliquis, qui pro certo diceret, interfeci. Et hoc pro causa fortassis extitit, quòd alienorum armorum signaculis ne cognosceretur pro principe, propriis omissis, fuerat altercatus. Sed quoniam licet falso qualicunque fulserat Regia maiestate, Rex Carolus innatæ liberalitatis non immemor, ne eius cadauer cum cæteris bestiis & auibus exponeretur, prope vrbem Boneuenti, iuxta viam publicam sub aceruo lapidum voluit sepeliri. Alios autem malignitatis principes, quos bellica sors iure bell sibi captiuos tribuerat, ad diuersa loca vinculis & carceribus mancipandos pro libito destinauit. Sed breuis temporis elapso spatio, non solùm eis, qui secundum leges pœnam mortis debuerant incurrisse, misericorditer vitam donauit; sed à vinculis & carceribus absolutos sibi benignè eos, si fieri posset, reconciliari desiderans, suis

LVDOVICVS NONVS. terris & facultatibus restituit impunitos. Quod fuisset sibi salubrius eos tradi lictoribus vltrici gladio feriendos. Nam postea in factis suis testimonium perhibentes veridicæ Scripturæ dicentis; *Misereamur impio, & non discet iustitiam facere*, rebellionis stimulis excitati, nouos hostes sibi suis machinationibus generantes; in eum acriùs, quàm primò fecerant, postea exarserunt. Post paucos etiam dies vxore Manfredi cum liberis & sorore Carolo Regi redditis, ciuitas Leutheriæ Sarracenorum venit in deditionem; & sic siluit terra in conspectu eius. A

Incidentia de Henrico Senatore, & quomodo Ludouicus Franciæ Rex fecit Philippum filium suum nouum militem.

ANNO Domini M.CC.LXVI. Henricus frater Regis Hispaniæ, & consanguineus Caroli Regis Siciliæ, vir in rebus bellicis potens & nimium callidus, sed sceleratissimus, & in fidei Catholicæ cultu non diligens prosecutor; offenso fratre suo Rege Hispanorum, cùm diu latuisset apud Regem Tunarum, audito quòd Carolus Manfredum vicisset & dominaretur in Apulia, venit ad ipsum. Erant enim in comitatu ipsius multi probi & electi milites ex Hispania. Quem Rex Carolus gratulanter suscipiens, eo quòd de sanguine eius esset, & in re militari potens & strenuus, multum honorauit. Et quia intentus erat regimini & custodiæ terræ illius, quam de nouo acquisierat, si fieri posset, in pace conseruanda, dictum Henricum ampliùs honorare volens ei vrbis Romæ Senatoriam loco sui regendam commisit: ex quo facto damnum & grauamen non modicum postea reportauit. Anno sequenti, scilicet anno Domini M.CC.LXVII. in Pentecoste, Prælatis & Baronibus ferè totius regni Franciæ Parisius congregatis, Ludouicus Rex Franciæ videns filium suum primogenitum Philippum iuuenem fortem & probissimum, atque Robertum nepotem suum filium Roberti fratris sui Attrebatensis Comitis quondam apud Massoram interfecti, eos cum pluribus aliis milites nouos fecit; vbi tanta fuit lætitiæ solemnitas, quòd populus ciuitatis Parisiensis ab omni opere vacans, solummodo lætitiæ & exultationi intentus, per octo dies & amplius ciuitate per totum cortinis pannorum varij coloris & ornamentis pretiosis mirabiliter palliata solemnitatem protenderent. Anno itaque subsequenti, qui fuit ab Incarnatione Domini millesimus ducentesimus sexagesimus octauus; Ysabellis filia Regis Arragoniæ, vxor iam dicti Philippi Ludouici Regis Franciæ primogeniti peperit filium, quem nomine patris sui Philippi Philippum vocauerunt. B

Quomodo Corradinus & Henricus frater Regis Hispaniæ collegerunt exercitum contra Carolum Siciliæ Regem.

C

ANNO vero posterius annotato quidam malignitatis principes de terra Apuliæ & Calabriæ, quibus Carolus Rex Siciliæ vitam donauerat, vt suprà retulimus, ingratitudinis vitium incurrentes, alios sibi vita & moribus consimiles, quos sperabant in facinus inuolui de facili, clandestinis machinationibus adeunt, & eos tam vanis promissionibus, quàm spe fruendi victoria in conspirationem Caroli Regis Siciliæ astrinxerunt. Ex quibus Henricus frater Regis Hispaniæ maximus extitit, qui tunc temporis, modo quo diximus, vrbis Romæ regebat Senatoriæ præfecturam. Et vt suam peruersitatem sub quodam iuris colore obumbrarent, & vt principem malignitatis suæ iure hæreditario regni Siciliæ habere viderentur, Corrardinum filium Corrardi ex filia Ducis Bauariæ, qui quantum potuit ipse Dux eidem Corrardino adiutorium præstitit, super se principem statuentes, ex Alemannia & Sicilia; quæ nondum Regi Carolo reddita fuerat, & ex Hispanis, quos dictus Henricus secum adduxerat, magnum exercitum & validum collegerunt. Rex autem Carolus machinationis eorum inscius, vrbem Leutheriæ Sarracenorum, qui eum post primam deditionem suam offenderant, tunc temporis obsidebat. Considerantes igitur hostes sui ipsum circa præfatam obsidionem occupatum, & inuasionis suæ nullum adhuc præstigium cognouisse, in parte alia versus Siciliam turmis dispositis cum ingenti fremitu, vt Regem Carolum & suos Francigenas meliùs debellarent, terram Apuliæ peruaserunt. Quod vt Rex comperit, castris remotis, & ciuitatis Leutheriæ obsidione relicta, vndecunque collecto maiori exercitu quàm habebat,

A habebat, contra hostes intrepidè iter arripuit. Vix enim portionem requiei militibus suis & equis deputans in tantùm continuauit laborem itineris, donec circa horam crepusculi prope inimicorum tentoria, segregante eos tantum parui fluminis alueo, castra fixit. Noctis igitur fugientibus tenebris in ortu luciferi, & olympo fulgentibus Solis radiis vallium nebulas profugando sese plane cognouerint alterutrum vterque exercitus, cùm nisi paruo, vt diximus, distarent interuallo. Hostes vero stupore percussi mirabantur Regem, cùm ipsum longiùs adesse crederent, propè ipsorum tentoria tam audacter tamque celeriter aduolasse. Proponentes autem statim confligere, suos armari præcipiunt, agmina diuidunt, ducesque deputant, per campi planitiem dispositis per ordinem aciebus. Quibus ex more ordinatis, Henricus frater Regis Hispaniæ primæ phalangis vexillum accipiens, cum Hispanis suis de castris primus egreditur, contra primam Francorum exercitus aciem conflicturus. Rex igitur & eius milites longo tractu itineris fatigati, apparatum hostilis exercitus ignorantes, non putabant eos velle tam citò congredi, sed in papilionibus quiescentes adhuc inermes mandatum sui principis expectabant. Iacebat enim tunc in papilione requiei & soporis aliquantulum suauitate detentus, non quasi hostium timore perterritus, sed magnanimi cordis constantia quasi de victoria iam
B securus. O virum ineffabilem, nec labore victum, nec bello vincendum! qui nec tunc hostes timuit, nec prælia recusauit. O vera constantia Iudæ Machabæo & Alexandro Magno Regi Macedonum comparanda! qui ex improuiso collecto vndecunque pauco milite, vtpote tanto necessitatis articulo, furorem Teuthonicum non timuit, nec tot ferocissimorum hostium millia horruit inuasisse. Sed quod maioris virtutis animi indicium infallibile dignoscitur, quia omni sollicitudine belli deposita tali hora quieti membra laxauerat, cùm sentiret statim cum tanto periculo contra tot hostium agmina confligendum. Animaduertentibus igitur Francis hostium suorum armatas acies & paratas ad prælium, repentino clamore excitantes exercitum ad arma prosiliunt, & quam citiùs potuerunt, vt eis opus erat, gladiis accinguntur. Interea vero rex hostium fremitu & suorum clamore excitatus armis induitur, & quam citius potuit in equum insiliens, duas tantum acies ex suis ordinauit. In prima autem suorum acie Prouinciales suos ponens, quos hactenus bonos habuerat in rebus bellicis adiutores: ad supplementum legionis illius Campanos, Lombardos, & alios quotquot habuit barbaræ nationis voluit adhiberi. Tresque duces Francigenas illi bello constituit, Henricum de Cusanciis, qui in illa die Regis arma induerat, militem tutissimum & audacem; duosque alios Iohannem de Clariaco, & Guillelmum de Lestendart, milites inclytos & manu promptissimos: de quorum fidelitate & audacia non dubitans, illi Henrico signifero in phalangis regimine sociauit. In secunda vero seipsum ducem constituens, omnesque Franci-
C genas per quorum virtutem tutissimus confidenter agebat, sibi retinuit: quorum illa die fretus auxilio in Dei adiutorio triumphauit. Erardus autem de Valerico, vir famosus in militia, & quidam alij, à via Hierosolymitana tunc temporis per partes Apuliæ reuertentes, tanquam Angeli à Deo missi affuerunt in illo prælio, & illa die Regis hostes tam fortiter oppugnarunt, quod triumphantis dexteræ meritis laudes ab homine, & à Deo præmia mererentur.

De prima acie Caroli deuicta, & quomodo ipse in secunda acie constitutus succurrens suis, deuicit Corrardinum, & fugere compulit.

REBVS itaque bellicis paruo temporis spatio dispositis, processerunt ad prælium primæ phalangis milites contra Henricum Regis Hispaniæ fratrem, qui cum turma copiosa & valida eis in occursum veniebat; sed de plano propter parui fluminis alueum non poterant commisceri. Et quoniam Franci vlterius transire non poterant, nec hostes manutentim obpugnare, citra flumen stetere paululum iuxta quendam pontem ligneum super littus occursantium hostium impetum expectantes, qui cum magno fremitu & apparatu bellico eis obuiam veniebant, quasi per pontem continuò transituri. Hostibus igitur vltra flumen in capite pontis & circiter adunatis, totóque conamine per pontem ad nostros irrumpere molientibus, Franci in altero fluminis margine pontis aditum obseruantes, eos viriliter tam mucronum ictibus, quàm lancearum impulsionibus in alueum fluminis impelle-

LVDOVICVS NONVS. bant. Cùm vidissent ergò quòd vltra sic transire non valerent, descenderunt ad ima fluminis, vbi latex diffusa latius & riparum vtrinque fractio inuenta, equis vadum transeuntibus ministrabat. Et dum quidam illorum propter pontis transitum contra Francos adhuc confligerent, Francique intenti essent pontis & fluminis transitum obseruare, ferè totus phalangis illius numerus per prædictum vadum vltra pertransiens, gressu retrogrado Francos supra ripam fluminis assistentes, & quòd ad eos per vadum transissent penitus ignorantes, & improuidos à terga cum magnis clamoribus inuasere. Videntes ita quòd se ex vtroque latere cingi, & taliter ab hostibus circumueniri itaque ad suos reuerti non poterant, Corrardinumque cum suis ad se per dictum vadum transmeare, pauore nimio dissoluti Prouinciales & barbaræ nationes, quæ in illa acie erant, in fugam conuertuntur, & vt montes suam fugam reciperent totis viribus attentare. Pauci verò Francigenæ, qui in illo agmine erant aliis in bello pro capitaneis deputati, fugæ damnantes opprobrium, fronte ad frontem contra hostes oppositi, tantæ multitudinis sustinentes impetum aliquantulum virtute mirabili restiterunt. Sed eorum signifer Henricus de Cusanciis, de quo præmisimus, præsentiam regis armorum insigniis repræsentans, tandem gladiis hostium, licet viriliter restiterit, membratim sub regis imagine detruncatur. Alij vero duo, Ioannes de Clariaco, & Guillelmus Lestendart fulmineis ictibus inter hostium agmina debacchantes, per tela, per gladios, & per densissimos hostium cuneos penetrantes, ad regis agmina reuertuntur. Quod videns rex, & omnes qui ibi aderant, eorum audaciam & fortitudinem, vt decebat, laudibus meritis attollentes, ipsos illa die pro exemplo magnanimitatis & fortitudinis habuerunt. Henricus autem Hispaniæ cum suis fugientes insequens versus montes, auiditatis prædæ, eo quòd videret eos fugere, stimulis agitatus, à persecutione ipsorum non destitit, donec eos partim fuga lapsos, partim captos, partim gladiis interemptos, longo tamen certamine terminaret. Rex itaque cernens Campanos, Prouinciales, Romanos, & alios barbaræ nationis, ex quibus, sicut dictum est, primam suam cohortem confecerat, fugientes, aliquantulum turbatus fremuit. Sed magnanimitatis resumpto spiritu, ita Francigenas alloquitur circumstantes: O viri virtute & fama clarissimi, à nobili stirpe Francorum trahentes originem, ne terreamini ab his, quos nostros cernitis insequentes, nec ab istis, quos habetis præ oculis; quia licet maiores sint numero, tamen eos virtute in Dei adiutorio superamus, vtpote triumphantis Ecclesiæ defensores. Aggrediamur ergo istos, quos habemus præ manibus, qui è regione stantes nos expectant ad prælium, ante quam ad nos irrumpere videantur; quos, vt spero, de facili per Dei auxilium poterimus expugnare, si in eos viriliter irruamus. Sic igitur regis exhortatione finita, audacium creuit audacia, & in turma dispositi in armis se colligunt, atque in phalanges hostium viriliter impetum facientes totis viribus conflixerunt. Nec incassum eorum militia promeruit laudum præconia, cùm validam virtutis haberent materiam. Erant enim hostes sine comparatione maiores numero curiositatis studio loricati, & totius Alemanniæ fortissimi bellatores. Sicque pugna vtrinque conseritur; hortatiuos ad prælium clamores ingeminant, fit mucronum cum galeis frequens collisio, atque mortis prænuntij cadentium miserabiles gemitus, & cætera quæ bellatorum pericula consequuntur. Passim cadunt hostes Ecclesiæ, & eorum strages agros inebriat, nec ab eorum cæde Gallicanus cessauit gladius, donec furor Teuthonicorum fuit perdomitus, & eorum totus exercitus aut fugæ lapsus præsidio, aut gladiis cecidit interemptus. Corrardinus vero cernens sibi summum imminere periculum, inter suos primus fugâ dilabitur. Sed aliqui de suis maioribus, quorum consilio huiusmodi conspirationis factio habebat initium, capiuntur, & legum iudicio plectendi in vinculis reseruantur. Hac itaque Dei nutu perpetrata victoria, Franci, Regis imperio, non iacentis hostis ad prædam rapidi, nullaque circumquaque dispersione dissoluti in campo se colligunt, equis descendunt, & galeis nudatis capitibus auram leuem & aëra pro magna recreatione recipientes, ad futurum certamen se præparant, cum sentirent adhuc cum Henrico fratre Regis Hispaniæ & maiore parte hostilis exercitus, qui fugientes de prima ipsorum acie inuaserant, prælium iterari.

Quomodo

A *Quomodo acies Henrici fratris Regis Hispaniæ deuicta fuit à Carolo & gente Francorum, & ipse Henricus de prælio fugiens captus, & Carolo redditus.*

NEc mora Henricus à fugientium persecutione reuertens, suósque recolligens sedit in montis cuiusdam cacumine, qui suorum stragem considerans, Regémque in medio suorum agmine vexillis erectis vt turrim munitissimam consistentem; ait suis: O viri fortissimi, per omnia victores efficimur. Nos etenim & nostri, qui cum suis in hac valle hostibus conflicturi remanserant, quos adhuc in equis in campo victores videtis consistere, Regem & suos Francigenas occiderunt; quorum cadaueribus superficiem terræ cernitis operiri. Putabat enim secundum sui cordis desiderium longe adhuc à Francis positus, quòd sui Regem, propter Henricum de Cusantiis, qui in armis regalibus indutus occisus fuerat, & suum exercitum prostrauissent. Henricus ergo & sui de montis fastigio cum magno tripudio descendentes, & ad regis tentoria propiùs accedentes, regis & suorum vexillis & armis cognitis, suos esse victos compererunt, quos prius victores putauerant, & de suis hostibus totaliter è conuerso. Tunc eorum cithara in luctum conuersa est, & B gaudium ipsorum in mœrorem. Sed sui Principis excitatione resumunt animos, & per castra Francorum, quæ quasi vacua ab hominibus remanserant, cum magno impetu peruenientes, garcionum & peditum qui ibi aderant plurimos occidentes, vinum quod magistris suis seruauerant, biberunt, & de castris protinus exeuntes, & in vnum se iunctim & fortiter colligentes, contra regem cunctis de more dispositis occurrit in prælium eorum terribilis acies ordinata. Nec Francorum frangitur animus, cùm suæ paucitati bacchantium hostium tanta numerositas occurrisset; & quamuis in prælio iam peracto cum ingenti discrimine tot hostium millia detruncassent, aliquantulum interim pausatione recreati, mox vt hostes vident accedere galeatis capitibus in equos prosiliunt, & in locum vbi prius pugnauerant se restringunt, exertisque gladiis hostes suos, qui consertissimi & sagaciter ad prælium veniebant, audaciter expectantes. Tunc dominus Erardus de Valarico regis adhærens lateri, vir expertus in rebus bellicis, cùm vidisset hostes ita prudenter ordinatos in acie, dixit regi; Domine mi rex, isti prudenter vadunt ad prælium, & ita iunctim & conserti in agmine, quod à nobis impenetrabiles æstimantur. Agendum est igitur aliquo calliditatis ingenio, vt aliquantulum dispersi nostris ad agminis illorum intima pateat aditus, ita vt manutentim cum eis valeant extenso brachio præliari. Rex itaque huiusmodi laudans consilium, dixit ei; Ite, & de nostris, quos vobis placet, eligite, & modo quo poteritis agite, vt eorum acies densissima dissoluatur. Tunc Erardus cum triginta vel circiter electis militibus à regis agmine sequestratus, non quasi vellet cum hoste congredi, sed potius fugam dissimulans, C versus partes accelerat, vbi fuga sibi tutior apparebat. Statim hostes rati eos fugam arripere, altisonis vocibus clamantes, Fugiunt, ad eos insequendum certatim se præparant, & in breui spatio dissoluti Francis se penetrabiles præbuerunt. Tunc Rex mouens cum acie in eos mergitur, & Erardus & sui milites flexis loris ad eos reuertentes, ipsos à latere cum magnis clamoribus inuadunt, & in eos impetu validissimo proruperunt. Aciebus itaque concurrentibus discrimen periculosum conseritur: veruntamen hostes erant tanta armorum densitate induti, quòd ictus Francorum quasi irritos redderent, & velut hebetes ipsos repellebant. Et quia tantis armorum vtensilibus armari non consueuerant, idcirco minus agiles & ruinæ promptiores concussi cum impetu extiterunt. Quod vt à Francis animaduersum est, communiter acclamantes; Ad brachia, ad brachia, per humeros eos cum manibus rapientes ab equis ad terram præcipites impellebant. Et nisi Francis illa die Dominus adiuuisset, eorum virtus & eminentis militiæ dextera in duobus præliis contiguis contra tot hostium millia non durassent. Et quamuis indifferenter omnes laudabiliter rem gesserint, vnius tamen scilicet Guidonis de Monte forti militia est per excellentiam laudum titulis attollenda. Ipse enim à pugnæ principio primus hostes aggrediens, & aceruos hostium fulminando penetrans, apri more inter canum agmina debacchantis, patris vexillum intonans vlterius pertransiuit, atque gressu retrogrado per medios hostes ad suos rediens, agros strage non minima sanguinis prodigus ebriauit. Sedeius galea circa caput volubilis transpositis à tergo foraminibus,

per quæ intuens lux oculis reddebatur, & oris anhelitus respirabat, ita eius faciem totaliter obumbrauit, quòd videre non poterat, sed tanquam cæcus non discernens quid vel quem feriat, nunc ad læuam, nunc ad dextram sæuiebat. Quem cùm vidisset Erardus de Valerico in tali periculo constitutum, eius labori compatiens, accessit ad eum, & manu galeam eius apprehendens capiti religatam laqueis adaptauit. Quod cum sensisset Guido, putans ab hostibus se teneri, hunc vibrato gladio percussit ictu mirabili, quem statim etiam fortius inchoasset, nisi prius ipsum vocis indicio cognouisset. Vtrinque itaque tunc prælиantibus multum durauit belli ferocitas, donec hostes attriti plurimum fuga lapsi sese à belli certamine retraxerunt, admirantes Francorum potentiam, quos videbant ipsis multo numero pauciores. Henricus interim suos iuxta se recolligens, suam suorumque damnans ignauiam, eos iterum hortatur ad prælium, dicens sibi fore perpes opprobrium, si tot Hispanos eminentis virtutis milites Francorum paucitas in prælio superaret. Quid plura? sese iteratò in acie colligentes ad bellum redeunt; quos Franci qui se prius in campo belli restrinxerant, viriliter receperunt. Commissoque sicut prius certamine, iteratur strages ruentium & cruoris effusio renouatur. Tantaque hostes dilaceratione ad vltimum sunt attriti, quòd sine spe reditus cum Henrico suo Principe fugere compelluntur. Tunc Franci Henricum & suos fugientes aliquantulum insecuti, eos diu sequi non potuerunt, quia tantis præliis, sicut dictum est, ipsi & equi eorum fatigati, ad insequendum valde minus idonei reddebantur. Fugientes autem per castellos & municipia transeuntes, quicquid rapere potuerunt, vt prædones atrocissimi rapiebant, donec ad sanctum Benedictum de Monte Cassino peruenerunt, Abbati illius egregij loci omnibusque sibi obuiantibus intimantes, quòd Regem Carolum & omnem eius exercitum occidissent. Sed cùm Abbas, qui Carolum diligebat, nullum in eis perpendisset signum victoriæ, sed potius confusionis & tristitiæ, postmodum veritate comperta, Henricum & suos capi iussit, & carcere mancipari, ipsum Regi Carolo, si sui status officium permisisset, custodiens ad vindictam.

Quomodo Corrardinus & Henricus capti adducti sunt ad Carolum: & quomodo ipse Corrardinus cum multis aliis iussu Caroli, fuit decollatus, & Sicilia reddita.

REx igitur Carolus & sui summo Regi pro tantis victoriis gratias exhibentes, non sibi quod fecerant, sed totum diuinæ potentiæ ascribentes, in campum victoriæ pro spoliis colligendis redierunt. Sed Corrardinus interea, qui per fugam à primo conflictu, sicut diximus, euaserat, in castellum maritimum se transtulit. Quod Regem Carolum suosque latere non potuit. Qui mittens ibidem aliquos de suis, castellum ad deditionem coëgerunt, & ipsum Corrardinum ad Regem in vinculis adduxerunt. Similiter Abbas sancti Benedicti de Monte Cassino, qui Henricum in prisione tenebat, ipsum Regi tali conditione reddidit, quod idem Henricus, qui legum iudicio plectendus mortem meruerat, non tamen incurreret, quamdiu idem Abbas præsenti vita fungeretur, ne mortis ipsius occasione secundum canones impeditus totaliter amitteret officium sacerdotis. Rebus itaque dispositis, & spoliis hostium de more militibus distributis, Rex cum suo exercitu prisiones suos trahens secum in vinculis vindicandus in eos, versus Neapolitanam rediit ciuitatem. Illuc ergo legum doctoribus iurisque peritis ad eius imperium confluentibus, ab eis exigit iudicium, imperans vt propalent in publico, cuiusmodi sententia tanti sceleris complices debeant condemnari. Qui legum capitula reuoluentes, iuris fulti consilio in miseros mortis capitalem sententiam protulerunt. Quibus tanquam reis læsæ maiestatis condemnatis, quidam præconcionator in eminentiori loco astantibus assurrexit, qui Corrardino imputare cœpit in maioris damnationis cumulum, quomodo per eius parentelam quasi semper anathematis vinculis innodatam retroactis temporibus Ecclesia Romana attrita fuerit sæpiùs & oppressa, & qualiter ista calamitas quasi iure hæreditario vltimum descenderit in hæredem: quoniam in Corrardini morte fuit ibi genus Aquilæ terminatum. Sed antequam eos feriret lictoris gladius, iuxta quandam capellulam Placebo, Dirige, Missamque pro animabus suis secundum morem Christianæ religionis propriis auribus audierunt, indulto etiam sibi spatio crimina confitendi: & ita post ad loca pœnalia sunt perducti.

Erant

A Erant autem sex personæ numero, Comes Galuanus, Comes Iordanus, Comes Bartholomæus, & duo eius filij, ac vltimus Corrardinus; qui ad decollationem genua flectere iussi, detruncati gladio percussoris, in terram acephali corruerunt. Sed Henricum, licèt eum eadem iudicialis sententia condemnaret, quia sic Rex Abbati spoponderat, ad tempus viuum reseruari præcepit, sub arcta tamen & diligenti custodia mancipandum. Ex Corrardini vero morte multi doluerunt, dicentes sibi deberi pepercisse, vtpote adhuc annis puerilibus posito, & à proditori seducto. Vnde Rex propter hoc contra se fere totam Alemanniam concitauit. Cunctis itaque regionum prouinciis citra regnum Siciliæ, videlicet Apuliæ, Calabriæ, & terræ labores, sub Regis dominatione reductis; solum illud regnum Siciliæ, quod ambitu maris circumquaque concluditur, supererat oppugnandum; quod quidam iniquitatis filius cum quibusdam sibi similibus Corrardus cognomine Cabothe contra Regem totis viribus defendere satagebat. Omnium enim ciuitatum illius regni gratia veluti coactionis extorsum fauorem & assensum habere videbantur, præter Messanæ & Panormi, quæ sunt totius regni nobilissimæ ciuitates, partem Regis fouentes ei firmissime adhærebant. Ad cuius tyranni potentiam debellandam, & regnum B sibi fideliter acquirendum, misit Rex nobilissimos milites alto Francorum sanguine procreatos, videlicet Thomam de Couciaco, Philippum & Guidonem de Monte forti, Guillelmum de Bellomonte, Ioannem de Hiaumes & Guillelmum Lestendart, cum sufficienti numero pugnatorum. Qui fœlici nauigio farum Messanæ ciuitatis transfretantes, regnum intrauerunt, castella & ciuitates sibi contrarias expugnantes, & ad vltimum ipsum Corrardum in castello fortissimo quod vocatur Saincti Orbe obsederunt. Quo tandem multis laboribus expugnato, ipsum & Corrardum ceperunt, cui prius euulsis oculis, eum in suæ rebellionis meritum patibulo suspenderunt. Sic itaque regno Siciliæ acquisito, ad Regem dominum suum illi milites inclyti redierunt. De quo regno & rege hactenus incidenter dixisse sufficiat: quia nostræ intentionis est de gestis Ludouici Regis Franciæ adhuc aliqua pertractare, & ideo ad propositum redeamus.

Quomodo Ludouicus Rex Franciæ secundò crucem transmarinam accepit.

LVDOVICVS siquidem Rex Franciæ non bene quietus animo, remorsu conscientiæ perurgente, considerans illam peregrinationis viam, quam ad partes Syriæ fecerat, magis regno Franciæ dedecus & opprobrium peperisse, quam Christi Ecclesiæ quicquam proficui contulisset: quod iamdudum mente conceperat tempestiuam nactus horam aperuit; scilicet vt quantum diuina gratia sibi daret contra periculum terræ sanctæ, quod proximum videbatur, consilium & auxilium apponeret salutare. Nolens tamen subitò aggredi tantum opus ex motu proprio cordis C sui, per secretum nuntium & discretum humiliter & deuotè consuluit super hoc felicis recordationis dominum Clementem summum Pontificem. Qui tanquam vir prudens in principio reformidans, diuque istud deliberans, tandem benignè consensit, ac pium ipsius propositum approbauit. Misit insuper propter hoc, ad petitionem ipsius Regis, legatum in Franciam, videlicet dominum Simonem titulo sanctæ Ceciliæ presbyterum Cardinalem. Crucem igitur assumpturus, conuocauit Parisius Prælatorum, Principum, Baronum ac militum, cæterorum quoque hominum multitudinem copiosam; quibus congregatis in vnum, domino legato præsente, ipsemet Rex Catholicus coram cunctis qui aderant exhortationem fecit quamplurimùm efficacem, animans eos ad vlciscendam iniuriam Saluatoris in terra sancta longo tempore sibi factam. Finito postmodum domini legati sermone, ipse Rex primus cum deuotione multa crucem assumpsit, & tres filij eius post ipsum, nec non Comitum ac Baronum & militum maxima multitudo. Et quamuis non multi in præsenti parlamento, vtpote tanta nouitate perculsi, cruces viderentur assumere, tamen processu temporis multi tam Comites, quàm Barones ad Regis exemplum propter Christum crucis signaculum propriis humeris affixerunt. Ex quibus tantummodo maiorum ponimus nomina ad tædium legentium euitandum: Alphonsus frater Regis Comes Pictauiæ & Tholosæ, Theobaldus Rex Nauarræ Comesque Campaniæ Palatinus, Robertus Comes Atrebati, & Guido Comes Flandriæ, Ioannesque filius Comitis Britanniæ, qui filiam Regis Angliæ duxerat in vxorem;

A multique alij nobiles, quorum nomina silentio reprimuntur. Et vt Rex & alij proceres nauigio & aliis rebus necessariis ad iter peragendum se interim prouiderent, terminum præfixerunt; infra cuiusmodi temporis spatium ex multis nobilibus & ignobilibus infinitis cruce signatorum contigit numerum augmentari. Decurso itaque præfixo termino Regisque nauibus & procerum cum ingenti copia victualium rebusque bellicis in portu Aquarum mortuarum præparatis, Rex deuotus cum filiis & multis regni proceribus ad sanctum Dionysium patronum suum, secundum antiquam Regum Francorum consuetudinem, licentiam accepturus accessit. Itaque martyres beatum Dionysium, Rusticum, & Eleutherium, deuotissimè cum multis precibus interpellans, vexillum de altario sancti Dionysij, ad quod Comitatus Vulcassini spectare dignoscitur, quem etiam Comitatum Rex Franciæ debet tenere de dicta Ecclesia in feodum, morem antiquum antecessorum suorum seruare volens, signiferi iure sicut Comites Vulcassini soliti erant suscipere, suscepit cum pera & baculo peregrinationis. Deinde ad Capitulum monachorum illius Ecclesiæ perueniens, ipsorum pro se & filiis suis orationum suffragia petiturus, tam humiliter cum ipsis in Capitulo resedit, quòd nec locum vbi pueri soliti sunt sedere, vt de loco Abbatis & cæterorum monachorum taceam, sed gradum inferiorem de sex gradibus, per quos ad Abbatis sedem ascenditur, sibi elegit: totumque regnum Franciæ martyris Dionysij protectioni deputans cum lachrymarum fluminibus tam nobilium, quam populi circumstantis, prius sancti claui & coronæ benedictione percepta ab Ecclesia est egressus. Tunc primo Hierosolymitanum inter incipiens, prima nocte ad nemus Vicenarum quieuit: vbi in mane Margaretam nobilissimam coniugem suam cum multis singultibus & suspiriis ac multis lachrymarum imbrib. madidam dereliquit. B

De secunda profectione Ludouici Regis Franciæ in partibus transmarinis.

REx Christianissimus Ludouicus toti regno Franciæ valedicto anno Domini M.CC.LXIX. à recto tramite non diuertens, vsque Cligniaci Abbatiam fines Burgundiæ penetrauit, indeque Lugdunum super Rhodanum, Belliquadum, & Viennam pertransiens, ad optatum portum Aquarummortuarum peruenit: vbi debuerat ex indicto crucesignatorum exercitus congregari. Et quamuis pauci in aduentu Regis in portu vel circiter viderentur, post paullulum tamen temporis tam Barones & nobiles, quàm mediocris populi peregrinos ex omni parte videres affluere, & quasi locustas totam terræ superficiem operiri. Et sicut tellus erat millibus hominum occupata, ita mare ingenti nauium numero tegebatur. Verum tamen, quia vnus locus ad tantum exercitum nullo modo sufficere poterat, maiores exercitus ad ciuitates & bonas villas, quæ sunt in portus confinio, prouidè se cum suis exercitibus diuiserunt, donec naues in portu vacuæ eos ad introitum expectarent, armis & victualibus oneratæ. C Fraus interim maligni spiritus super bonum semen cupiens in agro Dominico zizaniam seminare, inter peregrinos rancoris & inuidiæ fomitem ad impediendum bonum ipsorum propositum suscitauit. Nam inter turmas pedestris populi tantam furoris rabiem insufflauit, vt manus sceleratissimæ, quæ potius in hostes fidei sæuire debuerant, prius seipsas homicidij facinore deturparent. Repentinus enim tumultus excitatur inter Prouinciales & Cathalanenses ex vna parte, & quorundam Francorum pedites ex altera, modica ratione: & in tantum vtrinque furor inualuit, vt multum diuque in gladiis & balistis confligerent. Nec cessauit illorum pestifera rabies, donec plusquam centum homines mutuò corruissent. Ad vltimum verò Franci aliorum tumultibus excitati furibundè contra eos accurrentes, ita ipsos viriliter inuaserunt, vt in naues cum magno impetu pepulerint; è quibus aliqui tanta rabie suorum hostium sanguinem sitientes, se in aquis collo tenus immergebant, vt eos vel in aquis, vel in nauibus detruncarent. Nec erat aliquis, qui eorum furorem posset compescere, cùm nec Rex, nec aliquis procerum ibi moram facerent, sed in villis vicinis & ciuitatibus, vt diximus, pariter nauigium expectantes. Tandem tamen Rex, qui apud sanctum Egidium Pentecosten celebrauerat, & ibi solemnem Curiam tenuerat, auditis huius mali rumoribus illuc venit, & rei veritate comperta, principales iniuriæ iussit morte patibuli puniendos.

Quomodo

A *Quomodo Ludouicus Rex intrauit mare cum Christiano exercitu, & de tempestate quam ibi passi sunt.* LVDOVICVS NONVS.

REBVS itaque de more dispositis, anno Domini M.CC.LXIX. die Martis, post festum Apostolorum Petri & Pauli, audita Missa in aurora circa ortum Solis, Rex intrauit mare, & cum Domino Petro filio suo nauem propriam ascendit. Dominus Philippus eius primogenitus cum vxore sua ascendit aliam. Comes Atrobati cum vxore, & Comes Niuernensis similiter naues proprias ascenderunt. Sicque tota die & nocte permanentibus, die Mercurij subsequenti paulò post ortum Solis velum fecerunt istæ qurtuor naue. supradictæ, & tota die illa cum die Iouis subsequente cum vento satis prospero siglauerunt. Die vero Veneris subsequenti, circa mediam noctem ventorum turbinibus procellosos fluctus exagitans mare discutitur in maris Leonis introitu, quod ideo sic nuncupatur, quòd semper est asperum, fluctuosum, & crudele. Quatuor naues prædictæ fuerant sibi hactenus satis propinquæ, sed tunc maris crudelitate aliquantulum sunt dispersæ, nec tamen in B tantum, quin possent mutuò se videre. Mari igitur Leonis præterito cum magno periculo, die sabbati mare mitius inuenitur: ex quo plures, qui perturbatione maris & fluctuum varias sustinuerant passiones, satis citò recreati sunt. Tota ergo illa die sabbati cum Dominica subsequenti, satis pacificè siglantes adueniente nocte aër & mare obnubilata sunt. Et circa mediam noctem præ cuiusdam venti nimia valetudine, sicut prius mare turbatum est, ita quòd alterum mare Leonis, siue crudelius credi posset. Nec relatu indiget quantos dolores in isto secundo turbamine plures sustinuerint: quia si primo grauiter, secundo grauiùs sunt grauati. Quid plura? mane facto cantantur quatuor Missæ sine celebratione, de beata Maria, de Angelis, de Spiritu sancto, & quarta pro animabus fidelium defunctorum, astantibus qui astare poterant: quia pauci erant qui astare possent supra pedes sine podio præ dolore. Circa vero horam diei tertiam, cessantibus tam maris turbine, quàm dolentium doloribus, itur ad Prandium, & cùm iam doloris præteriti esset memoria quasi nulla, inter prandia dolor alius eminebat, quia aquæ dulces iam erant putridæ & corruptæ, nec sine ventatione multa poterant epotari. Vnde, sicut creditur, præ corruptione aquarum multi equi & homines morte in diuersis nauibus sunt præuenti. Interea verò circa Solis occasum plurimum mirabantur, eo quòd tam longa via vsque ad portum Callaricanum * inueniebatur, vbi debebant Barones se inuicem expectare. Super quo nauis principes coram Rege euocati, de loco vbi tunc aderant interrogati, sub dubio responderunt. Dixerunt enim, quòd credebant esse prope terram, & multum mirabantur, quòd tam tardè suis aspecti- C bus appareret. Vnde allata mappa mundi, Regi situm terræ portus Callarici, & vicinitatem propinqui littoris ostenderunt. Nec multum post Dominus Philippus Regis primogenitus, qui sub tali dubio positus formidabat, misit ad patrem in galea quendam militem, vt ipsum super facto isto animaduerteret, quia sibi videbatur quòd magistri nautarum procederent in incertum; & tunc iterum nautæ fuerunt ad consilium euocati. Murmur interea & magna suspicio contra ipsos oritur; quia dicebatur quòd ventus, qui habitus fuerat post recessum de Aquis mortuis ad ducendum quatuor diebus vsque ad portum Callaricum sufficiens videbatur. Præterea dicebatur, quòd quædam Regis galea, quam regebat filius Guillelmi Bonebel nauis Regis capitanei, ingruente tempestate, de qua supra diximus, à nauibus Regis dicesserat tendens versus fines Barbariæ, vt credebant. His igitur causis erat suspicio contra nautas, sed iniustè, sicut patuit in sequenti.

* Chasteau-castre.

Quomodo Ludouicus Rex & Barones Franciæ peruenerunt cum magna difficultate ad portum Callaricanum.

AD vltimum inter Regem & nautas fuit taliter diffinitum, vt tota nocte illa permitterentur naues fluctuare per æquora, remotius tamen à parte illa qua credebatur esse terra, ne incautè in cautes & discrimina rueretur. Mane siquidem facto apparuit terra, sed portus distulit adhuc plusquam sexaginta millibus, vt dicebant: durante adhuc venti & maris turbatione vsque ad horam diei tertiam.

LVDOVICVS NONVS.

A Circa vero Solis occasum venitur ad decem millia prope portum: sed vento verso in contrarium, non potuit accessus ad portum fieri tota die. Iactantur ergo anchoræ, & de non portu portus efficitur: sed hoc bonum, quia prope erat terra & quædam Abbatia, ad quam in barga curritur, & inde aquæ dulces & herbæ viridæ afferuntur. Refrigerantur debiles dulcis aquæ gustu, & infirmi à languoribus recreantur. Die Martis crastina, scilicet octaua die à die illa qua Rex nauem ascenderat, iterum vela detenduntur post prandium, & circa vesperas venitur ad duo millia prope portum, nec tamen nunc haberi potuit accessus propinquior propter ventum in contrarium iam mutatum. Eodem modo quo prius curritur in barga ad castellum Callaricanum, vbi inuenerunt homines multum sibi contrarios & rebelles. Vix conceduntur eisdem aquæ dulces: vix paucos panes & paucas herbas pro denariis habere potuerunt. Illi vero de villa sibi non minimum formidantes educebant res suas de castello, ducentes eas ad loca remotiora vel fortiora. Mane facto die Mercurij sequentis misit Rex quendam militem ad Castellanum & Consulem illius castelli admonendum, quòd infirmos, quos plures habebant in nauibus, secum in villa sua permitterent recreari, & quòd bona sua venalia exercitui exponerent eo pretio quo vendebantur ante aduentum sui exercitus in castello. Ad hæc respondentes dixerunt, quòd benè volebant quòd infirmi haberent recreationem in villa inferiori, sed infra castellum nullum intrare permitterent, quia hoc eis erat prohibitum à Pisanis suis dominis & magistris, ad quos dictum castellum dicebatur pertinere. De rebus venalibus dixerunt, quòd placebat eis vt ad forum iustum & debitum exponerentur ad emendum. Quo Regi nuntiato, iussit quòd ad castellum infirmi deferrentur: & delati sunt multi nobiles & ignobiles, diuites & pauperes, quorum quidem aliqui in via mortui sunt. Alij quibus datum est à Deo peruenire, recepti sunt in quadam domo fratrum Minorum, quæ longe distabat à castello. Extra vero erant paucæ domus terreæ & prauæ, & quasi Francis inhabitabiles: sed in castello, in quo non permittebant aliquem introire, erant domus meliores & homines ditiores. Res vero venales paucæ poterant inueniri, quia omnia abscondebant & ducebant occultè de villa præ timore: si quæ tamen inueniebantur, carissimè vendebantur, vt gallina, quæ prius non valebat plusquam quatuor denarios Ianuenses, duos solidos Turonenses vel amplius vendebatur; & sic de rebus aliis intelligendum est. Plus etiam faciebant, quia duodecim Turonenses prius decem & octo Ianuenses valebant, & tunc nolebant recipere pro Ianuensibus nisi denarios Turonenses. Quo Regi relato, die Iouis sequenti, misit dominum Petrum Cambellanum, & duos Marescallos, ad ostendendum eis, quòd erga Regem & suos curialiùs se haberent. Qui plus moti timore, quàm amore, satis molliter responderunt, voluntatem Regis pro viribus se facturos. Et benè volebant quòd Rex, vel aliquis suorum, cum paucis tamen, castellum subintraret; dum tamen seruaret eos de Ianuensibus nautis suis, qui fere omnes extiterant Ianuenses. Homines enim Ianuenses Pisanis oppidò sunt infesti. Illi vero qui missi fuerant responderunt, quòd Rex de castello suo, vel de fortericiis suis non curabat, sed volebat tantummodo vt infirmi sui exercitus ibidem curialiter tractarentur, & bona eisdem venalia cum ratione exponerentur ad emendum. Ad votum tamen Regis omnia promittentes, nihil aliud aut parum facere voluerunt. Hoc enim solummodo fecerunt, quòd duodecim denarij Turonenses pro quatuordecim Ianuensibus ponerentur, & quòd panis & vinum aliquantulum fertilius ad emendum poterat inueniri. sed alia nisi cum magna difficultate poterant reperiri. Quæ Franci grauiter ferentes monebant Regem vt castrum & gentem illam iuberet euertere: sed pius & pacificus Rex potius elegit omnia sub dissimulatione præterire, quàm Christianos ad quos destruendos non venerat, licet partim meruissent, taliter extirpare.

(Marginal letters: B beside "Ad hæc respondentes"; C beside "dum tamen seruaret".)

Quomodo Rex Franciæ & Barones in portu Callaricano Sardaniæ congregati consilium habuerunt adeundi Tunicium, & de rationibus propter quas Rex concessit illic ire.

DIE vero Veneris sequenti Rege in naui sua taliter expectante, venerunt quasi simul naues ceteræ tam de portu Marsiliæ, quàm de portu Aquarum mortuarum,

A tuarum. Venerunt etiam Barones, Rex Nauarræ, Comes Pictauiæ, Comes Flandriæ, dominus Iohannes primogenitus Comitis Britanniæ, & alij quorum nomina nimis longum esset hic enumerare, & tædiosum. Rege igitur salutato die sabbati subsequenti, legatus & Barones coram Rege congregati, vt haberent consilium ad quem locum vtiliùs esset diuertendum. Habitum est commune consilium, & firmatum quòd prius irent ad expugnandum regnum Tuneti antequam in terram sanctam siue in Ægyptum transirent. Rationes autem quæ dominum Regem ad hoc plurimum induxerant, ad præsens, sicut credimus, expedit assignare propter admirationem & murmurationem multorum; quibus potius videbatur, quòd recto itinere ad succursum terræ sanctæ transire debuissent. Siquidem antequam dominus Rex hanc crucem vltimam assumpsisset, multos nuncios receperat à Rege Tunicij, & similiter plures nuncios remiserat ad eundem. Dabatur enim sibi à fide dignis intelligi, quòd dictus Rex Tunicij bonam voluntatem ad fidem Christianam haberet, & quòd valde de facili posset fieri Christianus, dummodo occasionem honorabilem inueniret, & quòd saluo honore suo & absque metu Sarracenorum suorum hoc complere valeret. Vnde Rex Catholicus Ludouicus cum multo desiderio quandoque di-
B cebat: O si possem videre quòd fierem tanti filioli compater & patrinus! Et ob hoc sub spe ista aliquando voluit se transferre versus partes Carcassonæ & Narbonæ, quasi terram suam visitaturus, vt si dicto Regi Tunarum Dominus inspiraret perficere quod proposuerat de suscipiendo baptismo, huic pio operi propinquior esse posset. Hinc non silendum arbitror, quòd cùm in ipso anno, quo pius Rex Ludouicus debuit vltimò transfretare, Rex Tunicij misisset ad eum solemnes nuncios, & in festo beati Dionysij Rex faceret quendam Iudæum famosum in ipsa Ecclesia dicti sancti Dionysij solemniter baptizari; ita quòd Rex ipse cum multis magnatibus ipsum de sacro fonte leuaret; voluit quòd dicti nuncii Regis Tunicij solemnitati illius baptismatis interessent. Quibus Rex vocatis, ex magno affectu cordis dixit: Dicite ex parte mea domino vestro Regi, quòd ego tam vehementer salutem animæ ipsius desidero, quòd vellem esse in carcere Sarracenorum omnibus diebus vitæ meæ, ibidem claritatem solis non visurus de cetero, dummodo Rex vester & gens sua ex vero corde baptizarentur. Desiderabat enim affectuosè Rex Christianissimus, vt fides catholica, quæ tempore beati Augustini & aliorum orthodoxorum Doctorum in Africa, & maximè apud Carthaginem tam ab antiquo eleganter floruerat, suis temporibus refloreret, & dilataretur, ad honorem & gloriam Iesu Christi. Cogitauit itaque quòd si tantus exercitus tamque famosus apud Tunicium subitò applicaret, dictus Rex Tunicij vix posset apud Sarracenos suos tam rationabilem occasionē renuere suscipiendi baptismum, videlicet cum per hoc posset mortem euadere tam sui ipsius quàm eorum qui secum vellent fieri Christiani, & sic etiam regnum suum sibi pacificè
C remaneret. Præterea Regi dabatur intelligi, quòd si omninò prædictus Rex nollet fieri Christianus, ciuitas Tunicij erat valde facilis ad capiendum, & per consequens tota terra, ex quo satis citò possent fieri Christiani. Suggerebatur insuper quòd ciuitas illa plena erat argento & auro, ac diuitiis infinitis; vt pote quæ à multis retroactis temporibus à nullo fuerat expugnata. Vnde sperabatur quod si, Deo volente, dicta ciuitas à Christiano exercitu caperetur, ex thesauris ibidem inuentis posset acquisitioni & restaurationi terræ sanctæ multum efficaciter subueniri. Ceterum, cùm de terra Tunicij venire soleret magnum subsidium Soldano Babyloniæ tam in equitaturis quàm in armis & bellatoribus, in grauamen & nocumentum quamplurimum terræ sanctæ; crediderunt Barones Franciæ, quòd si pestifera radix illa Tunicij posset penitus extirpari, ex hoc terræ sanctæ & toti Christianitati vtilitas maxima proueniret. Cùm igitur scriptum sit, quod vbi vna propter alterum, ibi tantum vnum; cùm via apud Tunicium proprie aggressa fuerit ad honorem Christiani nominis ampliandum, & specialiter ad terræ sanctæ vtilitatem & faciliorem ingressum, non videtur via apud Tunicium contraria voto crucis, sed potius vna & eadem; vtpote quoddam adminiculum & præparatio ad terram sanctam citiùs & commodiùs restaurandam. Propter has & quasdam alias rationes viam apud Tunicium aggressi sunt. Quod cum Castellanus Callaritanus & alij de villa viderent, quòd Rex pararet discedere, venerunt ad ipsum, & præsentauerunt Regi viginti dolia vini Græci peroptimi, vt dicebant: sed Rex eorum præsentia & munera renuens, fecit eis recommendari infirmos quos in villa dimittebat; dicens quod

LVDOVICVS NONVS. hoc habere pro magno munere, si eos tractarent curialiter & benignè. A

Quomodo Ludouicus Rex Franciæ & Barones de portu Callaricano recedentes, applicuerunt portui Tunarum subtus Carthaginem.

REx igitur & Barones carbasis vento expositis recesserunt à portu Callaritano die Martis ante festum beati Arnulphi, dieque Iouis subsequente post multas & varias passiones ad portum Tunicij, qui est subtus Carthaginem, appulerunt. Statim misit Rex maris Admiralium ad explorandum si quid impedimenti obsisteret, & quorum essent quædam naues, quæ in portus introitu consistebant. Erant enim ex ipsis duæ vacuæ Sarracenorum, & aliæ mercatorum. Qui statim ad Regis præceptum præcedens vlterius, nauesque in sua potestate redigens, & portum occupans, ad terram descendit, mandans Regi quid actum fuerat, & quòd sibi mitteret adiutores. Quibus rumoribus Rex auditis aliquantulum turbatus est, dicens, quòd ad hoc Admiralium non miserat vt terram caperet, sed vt in portu capiendo quid esset commodius exploraret, & reuertens Regi & Baronibus quod inuentum fuerat renunciaret. Tunc Rex propinquiores Proceres in suam nauem euocat, quid agerent super hoc consilium habiturus. Ex quibus aliqui quibusdam dissentientibus consulebant, quòd terram ex quo sine grauamine iam capta fuerat tenerent, & portum illum famosissimum, qui est totius Africanæ regionis introitus possiderent. Ad vltimum verò sic fuit ordinatum, quòd mitterent fratrem Philippum de Eglis & magistrum balistariorum, vt secundum quod melius expedire viderent, aut Admiralium reducerent, aut per seruientes mitterent, & de nauibus exire facerent tota nocte. Qui euntes cum Admiralio redierunt. Vnde multi murmurabant dicentes, quòd ex quo terra ab Admiralio ita leuiter fuerat occupata, bonum erat contra Sarracenorum insultus & insidias præmuniri. Sic tamen tota nocte steterunt in nauibus vsque in crastinum præstolantes. Mane facto circa portum multos Sarracenos pedites & equites videres affluere. Sed Rex & Barones prius super hoc habito consilio, vt tam citò terram caperent, armati de nauibus exierunt: secundum quod in promptu habere poterant galeas atque bargas. Congregatisque pluribus circa nauem Regis, eiusque galea aliquantulum præcedente, ad portum applicant, locumque eundem occupant, quem prius Admiralius ceperat, nec contradictores aliquos per Dei gratiam inuenerunt. Sarraceni enim perterriti, ad quendam angulum cuiusdam paruæ insulæ se à Francorum præsentia retraxerunt. Terrâ capta, fixerunt tentoria in quadam quasi insula, vnde patebat exitus à duobus capitibus, quasi vnam leugam in longitudinem continens, & in latitudinem tres tractus balistarij, vbi nec dulces aquæ reperiri poterant; & sic erat eis parum melius in terra quàm in mari. Quidam tamen de garcionibus procedentes vlteriùs inuenerunt aquas dulces in capite illius insulæ; ad quas hauriendas abeuntes, sunt eorum aliqui à Sarracenis in insidiis latentibus interfecti. Erat autem dies Veneris in festo S. Arnulphi, quando Franci ad portum occupandum de nauibus exierunt. Die vero sabbati subsequentis, quidam de Francis procedentes vlterius vsque ad quandam turrim, quæ in capite illius insulæ quam ceperant eminebat, partim cæsis & fugatis quibusdam Sarracenis, qui ibidem in insidiis latitabant, alij Sarraceni superuenientes & eos circumquaque includentes in turrim fugere compulerunt, & ita inclusos vsque ad diem crastinum tenuerunt. Eosque interius combussissent, nisi Rex Franciæ ad eorum liberationem Marescallos exercitus & Magistrum balistariorum cum quibusdam balistariis transmisisset. Quos secuti fuissent de exercitu plurimi, sed eorum equi adhuc erant in nauibus, & qui extra naues ad planum extracti fuerant, adeo præ nimia maris agitatione vacillabant, quòd vix se poterant sustinere. Facto igitur magno conflictu circa turrim, tandem cedentibus Sarracenis, qui plures equites & plura iumenta perdiderunt, Franci de turre iussi descendere ad exercitum redierunt. Die vero eadem habuit Rex Franciæ consilium, quòd exirent de loco vbi tentoria fixerant propter aquas dulces, quæ vix aut parum poterant ibidem inueniri. quæ res exercitui grauamen non modicum ministrabat. In crastinum igitur procedentes aciebus ad bellum dispositis versus castrum Carthaginis, in eundo capta fuit turris illa quam postea Franci per totius obsidionis tempora tenuerunt. Sic locatis pampilionibus resedit exercitus in quadam valle subtus Carthaginem, qua poterat accessus

A accessus haberi ad portum & ad naues. In valle illa erant putei infiniti, quia terra cuiuslibet habebat ibi puteum ad ipsam quasi pro imbribus irrigandam.

Quomodo castrum Carthaginis captum fuit.

CASTRAMETATO exercitu venerunt marinarij ad Regem, promittentes quòd sibi captum castrum Carthaginis redderent, si vellet eis tradere balistarios aliquos adiutores. Qui Rex habito consilio super hoc respondit, quòd priùs pararent se & suas scalas & alia ingenia, & postea equites & milites balistarios traderet adiutores. Die Iouis subsequenti redierunt ad Regem marinarij ad castri expugnationem, vt dixerant, præparati; & tradidit eis Rex quingentos balistarios equites & pedites, quatuorque bella militum exteræ nationis. Tunc Rex & proceres de castris aciebus dispositis exeuntes contra Sarracenos, qui quasi parati confligere cateruatim veniebant contra Francos, tali modo se opposuerunt ne castro succurrerent, quod ad castrum accessum habere non poterant, nec ad castra. Interea marinarij pro scalas suas castri munitionom viriliter irrumpentes, vno solo de illis interfecto, super muros statim fixere banerias. Quod Rex & alij aduertentes, B illucque discurrentes, vtriusque sexus & ætatis quotquot Sarracenorum occurrebant, vt bibentes in ore gladij detruncabant. Multi tamen in cauernis quæ ibi multæ sunt latitantes fuerunt fumo & igne supposito suffocati. Perierunt autem de Sarracenis illa die ad numerum ducentorum. Viui tamen aliqui euadentes armenta sua, videlicet boues & alia pecora, Francis videntibus nec se mouentibus, extraxerunt. Erat enim prohibitum ne aliquis aliqua necessitate exiret de sua acie nisi tota concurreret; quid si faceret, nullus de sua vel de altera acie sequeretur. Capto itaque castro, misit Rex ad eius custodiam milites & balistarios peditesque quamplures, iubens illud cadaueribus mundari, vt ibi possent recipi vxores & infirmi, & certantes in acie sauciati. Infra verò castri ambitum, & in confinio circumcirca in cauernis & speluncis subterraneis multum de hordeo repererunt; sed alia bona rarissime sunt reperta. Et quia de illo castro pluries fecimus mentionem, cuius fuerit auctoritatis & nobilitatis, retroactis temporibus nescientibus innotescat. Fuit autem illa Carthago, quæ nunc redacta est paruissimi ad instar oppidi, antiquitus vrbs nobilissima, à Didone Regina, sicut veteres narrant historiæ, condita, totius Africanæ regionis sceptrigera, tantæque potentiæ, vt ciues sui pluries Romanos deuincerent. Quam tandem Romani cum magno labore per longum temporis spatium non sine magna sanguinis sui expensa captam plus calliditate quàm armorum potentia totaliter destruxerunt. Die Veneris post dicti castri captionem, Sarraceni qui prius occurrerant sese in vesperum retrahentes, forte vt suum colerent sabbatum, subsequenti die ad opus solitum acriùs redierunt, nostrósque adeo C infestabant, quòd ad arma, ad arma clamare etiam inter prandia compellebant. Eadem die venerunt ad Regem à parte Sarracenorum duo milites Cathalani, & se suæ voluntati subdentes nunciauerunt, quòd Rex Tunicij capi fecerat omnes Christianos, quos in exercitu suo habebat stipendiarios, dicens quòd si Christiani vsque Tunicium transirent, omnibus capita faceret amputari; & si eos contingeret à tali proposito resilire, ipsos penitus liberaret.

Quomodo dominus Iohannes de Acon miles Buticularius Franciæ faciens excubias deceptus fuit à quibusdam Sarracenis petentibus baptismum.

EADEM die bello Regis & bello Comitis Augi, atque bello domini Iohannis de Acon Buticularij excubias facientibus, venerunt ad Buticularium tres milites Sarraceni, poscentes fieri Christianos; & in signum fidelitatis posuerunt super capita manus suas, nostrorum manus deosculantes in signum subiectionis, Buticulario se reddentes. Illisque ad pampilionem deductis, Regem adiit Buticularius ista denuncians; quos Rex iussit diligentissimè custodiri. Post verò cùm Buticularius ad suas redisset excubias, venerunt ad ipsum Sarraceni numero quasi centum lanceis depositis factisque signis quæ fecerant alij, instanter baptismum petentes. Sed illis adhuc loquentibus, & Buticulario cum suis eorum ambagibus occupatis, alij Sarraceni vno motu vnoque momento pungentes sonipedes subitò

LVDOVICVS NONVS.

super Buticularium & suos erectis lanceis irruperunt. Tunc nostri attoniti cœperunt clamare & fugere, ac per exercitum clamor attollitur, & ad arma concurritur. Sed antequam illuc peruenissent Christiani, Sarraceni indemnes fugerunt, sexaginta tamen prius de Christianis peditibus interfectis. O infidelium dira calliditas, imò fidelium mira simplicitas, dum falsorum fallaciis acquiescunt! Quid plura? contra Buticularium murmur exoritur, totáque facti culpa sibi imponitur. Sed fortassis immeritò, quia cùm tres magnos Sarracenos Baptismum postulantes in suo pampilione teneret, sperabat per eos alios ad fidem trahere, saltem in hoc redarguendus eo quòd contra eorum insidias debuisset cautiùs præmuniri. Statim ad pampilionem suum rediens Buticularius, vehementer Sarracenos quos tenebat doli & proditionis redarguit. Quorum qui primus inter ipsos videbatur, cœpit se cum lachrymis excusare. Cuius verbis per quendam fratrem Prædicatorem, qui suum idioma nouerat, expositis, ait illi Buticularius, ne timeret, quia quandoquidem sub fiducia ad Christianos venerat, fidem in eis inueniret. Etenim Rex erat tantæ fidei, vt etiam simplex promissum nullatenus permitteret præteriri. Tunc ille; Scio domine, quòd super huiusmodi facto habetis me suspectum, licèt non sim mihi conscius huius facti, sed hoc totum factum est à meo æmulo in meum odium & grauamen. Sumus enim duo magni pares stipendiarij militantes sub Rege Tunicij, & habemus quilibet duo millia equites & quingentos. Alius vero meus commilito mihi & actibus meis de veteri inuidens, licet spontaneus venerim, scit quòd vos me tenetis. Vnde ad malum meum hunc conflictum per se fecit, & per alios fieri procurauit. Et scio quòd nullus de parte mea, nec de commilitonibus meis in isto conflictu vobis nociturus affuit, nec vobis aliquid mali fecit. Et vt hoc quod ore dico, opere comprobetur, aliquem istorum qui mecum sunt ad eos regredi permittatis, & nisi ad vos duxerit plusquam duo millia, qui exercitui vestro adducent bona venalia, & etiam vobis erunt in auxilium, de me tanquam de proditore nequissimo faciatis. Hæc & his similia perfido prosequente, Buticularium ad hoc credendum aliquantulum informauit, qui statim ad Regem ingrediens quæ Sarracenus dixerat intimauit. Sed Rex verbis eius fidem nolens adhibere, tamen ex deliberato consilio dixit, quòd ad alios Sarracenos permitterentur abire. Tunc Buticularius & Connestabularius saluos eos vsque extra exercitum, multis de hoc murmurantibus, conduxerunt; & promisit ille Sarracenus magister eorum, quòd rediret in crastinum, omnia quæ promiserat impleturus; quæ promissa non, vt falsus & subdolus, adimpleuit. Sed cum quanto gaudio à sociis sibi occurrentibus est receptus, vt testati sunt qui viderunt, non est necesse dicere: quippe quia iam tenebant incolumes quos credebant Christianorum gladiis interemptos.

De fossatis quæ nostri fecerunt in circuitu castrorum propter insultus Sarracenorum.

TVNC habuit Rex consilium de fossatis faciendis circa exercitum, propter insultus & insidias perfidorum, qui nostros improuidos mirabiliter infestabant. Nostri autem Regem Siciliæ, qui per fratrem Almauricum de Rupe se venturum mandauerat, de die in diem expectabant, & ad ipsum accelerandum Rex nuncios iam miserat, & mandauerat eidem, quòd donec venisset nolebat vlterius prosequi Sarracenos. Habito igitur consilio de fossatis faciendis, mane conuenerunt operarij cum palis & aliis instrumentis, & cum eis frater Almauricus de Rupe, ad prouidendum vbi commodiùs fossata fierent, & custodiendum operarios cum aliis bellis quæ debebant excubias illa die. Dispositis igitur operariis, & iam operari incipientibus, Sarraceni, qui quasi infiniti & sine numero videbantur, hoc percipientes, cœperunt in nostros solito vehementiùs insanire. Dicebatur enim quòd ipse Rex Tunicij venisset cum bellis dispositis ad pugnandum. Et ob hoc maximè tunc nostros in talem opinionem induxerat, quia die præcedenti denunciauerat per aliquos Sarracenos se venturum in crastino paratum ad prælium, quod nostri milites pro friuolis reputabant. Sed tunc non debuit reputari pro friuolis, sed visum est quasi verum: quia Sarraceni versus nostros equitabant cuneis ordinatis, & iam vsque ad mare & fere vsque ad littus, vbi erant naues & victualia nostrorum alas suas, quasi vellent nostros includere, extendebant. Tunc quidam de excubiis

A biis accelerans ad exercitum, ad arma, ad arma, ingeminans, Regi quæ viderat nunciauit. Statimque ex Regis imperio ad arma per exercitum est communiter acclamatum. Rex ipse cum suo bello armatus egreditur; & mox cuncti Barones aciebus dispositis exeunt extra castra. Comes vero Attrebati à parte maris equitabat, & iam adeo processerat, quòd aliquos illorum posset includere, si bella nostrorum videret currere contra ipsos. Tunc accidit quòd dominus Petrus Cambellanus, & frater Almaricus de Rupe versus littus cum triginta equitibus vel circiter equitarent: & videntes quosdam Sarracenos nimis se versus littus extendere, tentauerunt, vtrum possent illos includere inter ipsos & bellum Comitis Attrebati, qui versus maris littora se tenebat. Tunc punxerunt vnanimes contra illos. Quod cùm vidissent perfidi fugam arripiunt: quos nostri velociter insecuti, tredecim ex eis cum iumentis aliquibus cæciderunt. Ipsi autem de nostris vnum nobilem militem Iohannem de Roselieres & Castellanum Belliquadri seruientem Regis ad arma strenuum, proh dolor! occiderunt. Sed miles saucius ad castra delatus eadem die vt bonus Catholicus expirauit. Videns vero Rex Sarracenos paulatim se retrahere, nec habens consilium currendi super ipsos, donec venisset frater suus Rex Siciliæ, quem venturum in proximò præstolabatur, ad tentoria similiter se retraxit. B Die autem crastina parum aut nihil Sarraceni comparuerunt. Et hoc fortè quia habebant sabbatum aut negotium aliud ad agendum. Die Martis subsequentis veniens Oliuerius de Terminis ex partibus transmarinis, nunciauit Regem Siciliæ in portu paratum naues ascendisse. De quo multi gauisi Oliuerium cum magno gaudio susceperunt.

De morte Comitis Niuernensis & legati, ac infirmitate Regis & Philippi eius primogeniti.

INSVLTIBVS Sarracenorum contra nostros, dum Rex Siciliæ expectaretur, more solito quasi quotidie se habentibus, Iohannes Comes Niuernensis filius Ludouici Regis infirmitate cogente à castris in nauem suam se retrahens, die inuentionis sancti Stephani expirauit. Cuius decoctis carnibus, ossaque, vt mos est talium, balsamo & aromatibus condita, in Ecclesia beati Dionysij in Francia postmodum tumulanda in quodam scrinio conseruarunt. De hinc die Iouis ante festum B. Laurentij legatus Romanæ curiæ mortuus est; sed prius quendam fratrem Prædicatorem subdelegatum fecerat, quamuis multi Iurisperiti vtrum delegare valeret in exercitu dubitarent. Moriebantur etiam plures fortes & iuuenes in exercitu Christianorum, tam propter aëris ac terræ intemperiem, quàm propter ciborum sanorum defectum & aquæ dulcis penuriam. Alij febre acuta, alij fluxu ventris, & alij C diuersis morborum generibus interfecti. Rex autem Ludouicus fluxus ventris, qui eum arripuerat, molestiam sentiebat: & Philippus eius primogenitus quartanis febribus laborabat. Post modicum verò tempus Rex Deo deuotus febre continua infirmatus lecto decubuit. Qui sentiens sibi mortem imminere, conuocato Philippo filio suo primogenito, eidem quasi pro testamento documenta salutaria & catholica instituta, quæ ante infirmitatem suam extremam tanquam Domino reuelante mortis propriæ conscius manu sua in Gallico scripserat, edidit in modum qui sequitur.

Documenta quæ pius Rex Ludouicus ante mortem suam Philippo filio suo primogenito scripsit, & quasi pro testamento reliquit.

FILI charissime imprimis te doceo, quòd Dominum Deum tuum diligas ex toto corde tuo, & ex tota virtute tua. nam sine hoc non est salus. Fili, debes te custodire ab omnibus quæ Deo noueris displicere: videlicet ab omni mortali peccato: ita quòd priùs deberes te permittere omni genere martyrij cruciari, quàm aliquod mortale peccatum committere. Præterea si Dominus tibi aliquam tribulationem habere permiserit, benignè & cum gratiarum actione debes sustinere, cogitans quòd ad bonum tuum perueniet, & quod hoc forsitan benè meruisti. Insuper si Dominus tibi prosperitatem quamcunque contulerit, debes ei humiliter regratiari; cauens ne inde fias deterior, siue per vanam gloriam, siue quocunque alio

LVDOVICVS NONVS.

modo; quia non debes Deum impugnare vel offendere de donis suis. Item moneo te frequenter confiteri, & quòd discretos & honestos tibi eligas Confessores, qui te sciant docere, à quibus tibi sit cauendum, & quæ te facere sit necesse: & tu ad Confessores tuos te habeas tam modestè, quòd ipsi & amicè te & securè reprehendere audeant. Libenter etiam & deuotè audias officium Ecclesiæ, & quandiu eris in Ecclesia caue ne vagè circumspicias, nec vana loquaris: sed ora Deum deuotè siue ore siue cordis meditatione; & specialiter amplius intendas deuotioni in secreto Missæ circa horam consecrationis corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Cor habeas pietatis ad pauperes, miseros, & afflictos, & secundum posse tuum eis subuenias, & eos consoleris. Si habueris aliquam cordis desolationem, dic eam Confessori tuo, vel alicui probo viro. & tunc eam leuiùs feres. Diligas habere semper tecum societatem bonorum siue religiosorum siue secularium, & habe frequenter colloquium cum eis: & caue societatem prauorum. Audi libenter Sermones tam in aperto quàm in secreto, & libenter tibi procures indulgentias matris nostræ sanctæ Ecclesiæ. In proximis semper diligas bonum, & odias malum. Noli pati dici coram te verbum allectiuum ad peccatum, nec verbum detractorium de alio. Maximè autem nullum verbum blasphemiæ de Deo siue de Sanctis patiaris dici ab aliquo, quin vindictam de eo fieri facias. De omnibus beneficiis tuis tibi à Deo collatis sic gratias agas illi, vt sis dignus maiora percipere. Erga subditos tuos ita iustè te habeas, quod lineam iustitiæ teneas. Sis semper ex parte causæ pauperis, donec sis certus de veritate. Si quis autem contra te querelam habuerit, stes potius pro causa aduersarij tui, donec constet tibi de veritate: & sic illi qui sunt de consilio tuo citiùs stabunt pro iustitia. Si pro certo intelligas quòd teneas aliquid de alieno, siue ab antecessoribus tuis, siue à tempore tuo, statim restitue. Si res obscura est, veritatem inquiri facias per discretos. Sis diligens, quòd omnes subditi tui iustitia & pace fruantur, maximè autem personæ Ecclesiasticæ, ac religiosæ. Dicitur de Rege Philippo auo nostro, quòd quidam de Consiliariis suis dixit ei, quòd multa damna inferebant ei Ecclesiasticæ personæ, iura ipsius vsurpando, & mirabantur multi quòd ita tolerabat. Cui Rex respondit: Benè credo quod dicitis, sed quando cogito beneficia quæ mihi Dominus contulit, melius volo pati, quàm inter me & Ecclesiam scandalum suscitare. Ama igitur, ô fili, personas Ecclesiasticas, & serua pacem earum quantum poteris. Libenter subueni pauperibus religiosis in suis necessitatibus, & maximè per quos Deus magis honoratur in terra. Honora parentes tuos, & reuerenter serua mandata eorum. Beneficia Ecclesiastica personis idoneis dona de consilio spiritualium virorum, & eis qui non habent aliud beneficium. Caue ne absque magno consilio guerram primus moueas contra aliquem Christianum: & si oporteat fieri, fac caueri ne innocentes & Ecclesiæ ac res earum sine merito puniantur: & quamcitius poteris pacifica de guerris quæ sunt inter subditos tuos, sicut fecit beatus Martinus, qui bonam virtutum suarum consummationem existimauit, si pacem inter discordantes restituisset. Sis sollicitus quòd habeas fideles Præpositos & Balliuos, & inquire diligenter quomodo se gerant. Similiter de illis de hospitio tuo. Sis deuotus & obediens matri nostræ Romanæ Ecclesiæ, & summo Pontifici tanquam patri spirituali. Labora quòd omne peccatum de terra tua remoueatur, maximè autem blasphemiæ & hæreses. Memoriter recognosce, & regratiare Deo super omnibus beneficiis tuis. Attende quòd expensæ domus tuæ cum moderamine fiant. In fine obsecro te, ô fili, quòd si decedam ante te, quòd tu fideliter animam meam iuuari facias in Missis & orationibus, & mittas per sanctas Congregationes regni nostri ad orationum suffragia impetranda pro me, & quòd in omnibus bonis quæ facturus es participationem habeam specialem. O fili charissime, in fine do tibi omnem benedictionem quam pius pater potest donare filio; & tota Trinitas & omnes Sancti custodiant te ab omni malo, & det tibi Dominus gratiam faciendi suam voluntatem taliter, quòd seruiatur & honoretur per te; ita quòd post hanc vitam nos simul perueniamus ad ipsum timendum, amandum, & laudandum sine fine. Amen, amen.

De

A

De morte Ludouici Regis.

IGITVR Regis Ludouici inualescente morbo, ipse omnia Ecclesiastica Sacramenta Christianissimè & deuotissimè suscepit sana mente & integro intellectu; ita quòd cum ipsi Sacramentum extremæ Vnctionis exhiberetur, & dicerentur septem Psalmi cum Letania, ipse in Psalmis versus dicebat, & in Letania Sanctos nominans eorum suffragia deuotissimè inuocabat. Cùm autem iam signis euidentibus appropinquaret ad finem, de nullo erat sollicitus, nisi de iis quæ ad solum Deum & exaltationem fidei Christianæ propriè pertinebant. Ita quòd cùm iam non nisi submissè & cum grauamine loqui posset, astantibus & ad verba eius aurem adhibentibus vir Deo plenus & verè catholicus dicebat: Pro Deo studeamus quomodo fides " Catholica possit apud Tunicium prædicari & plantari. O quis esset idoneus, vt mit- " teretur ibi ad prædicandum? Et nominabat quendam fratrem Ordinis Iacobita- " rum, qui aliàs illic iuerat, & Regi Tunicij notus erat. Ecce qualiter verus Dei cultor, & fidei Christianæ constans zelator, beatam vitam suam in confessione veræ fidei consummauit. Cùm autem virtus corporis eius atque sermonis paulatim deficeret, non cessabat Sanctorum sibi deuotorum, sicut eniti loquendo poterat, suffragia postulare, maximè autem beati Dionysij specialis patroni Regum Francorum. Vnde in statu illo cum quodam suaui susurro ipsum pluries replicantem audierunt qui astabant, finem illius orationis, quæ de beato Dionysio canitur, scilicet; Tribue " nobis quæsumus Domine prospera mundi despicere, & nulla eius aduersa formi- " dare. Et hæc verba multotiens replicabat. Similiter autem principium orationis de sancto Iacobo Apostolo pluries replicando dicebat: Esto, Domine, plebis tuæ " sanctificator & custos. Ad extremam igitur horam veniens Christi seruus super stratum cinere respersum in modum crucis recubans, felicem spiritum reddidit Creatori; ea scilicet hora qua Dei filius pro mundi vita in cruce positus expirauit. Sane super obitu tam Christiano tamque felici & pium est flere, & pium est gaudere. Pium quidem & condignum flere pro iactura & desolatione vniuersalis matris Ecclesiæ, cuius erat deuotissimus cultor, & indefessus defensor. Specialiter autem plangendum atque dolendum toti Francorum regno, cui merito tanto & tam excellenti Principe erat singulariter gloriandum. Sed nihilominus, si rationem vis doloris admittat, gaudendum potius quàm dolendum, tum propter modum Christianissimum mortis, tum quia de ipso certa ab omnibus vitam ipsius gloriosam & actus sanctissimos agnoscentibus spes habetur, quòd iam de temporalis regni cura sit translatus ad cœlestis regni curiam, quæ curæ terrestris extat penitus aliena, vbi cum electis Dei regnans in perpetuum beata requie perfruitur sine fine. Migrauit autem ad Dominum in crastino beati Bartholomæi Apostoli circa nonam, anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo septuagesimo. Reseruata sunt denique ossa eius in scrinio, vt apud sanctum Dionysium in Francia, in quo loco sepulturam elegerat, sepelienda postmodum deferrentur. Quibus sacrosanctis ossibus ibidem postremò sepultis diuina non defuere magnalia; sed mox mirificauit Dominus Sanctum suum. Nam cooperante Christi potentia, & exigentibus meritis sancti Regis, ad ipsius tumulum plurima claruerunt. Ex quibus aliqua quæ vidi dignum duxi ad sanctissimi Regis merita declaranda, & ad Dei omnipotentis gloriam & honorem, qui in Sanctis suis semper est mirabilis atque laudabilis, posteris enarrare.

B

C

De miraculis Ludouici Regis Franciæ.

QVÆDAM mulier Theophania nomine de insula Sequanæ, quæ prope villam sancti Dionysij est, cùm olim iuuenis sederet in quodam campo vbi oues fratrum suorum pascebantur, appodiata super brachium suum, arripuit eam grauis infirmitas, quæ talis est. Facta namque tremula valdè grauiter & multum excessiuè in capite, brachiis, tibiis, naso & ceteris membris, adeo quòd venter suus aliquando spinæ dorsi adhæreret, & ita quandoque leuaretur, vt quasi prægnās videretur. Per quadraginta sex annos vel circiter manens in illa infirmitate, & audiens quòd Deus operabatur miracula ad tumulum sancti Regis in Ecclesia S. Dionysij, illuc venit, & paucis diebus ibidem sancti Regis auxilium inuocans sanitatem integram reportauit.

LVDOVICVS NONVS.

ITEM aliud miraculum. Quædam iuuencula filia cuiusdam carnificis de Gloleio adportans ab vtero matris suæ quandam maculam circa caudam oculi dextri ad modum puncturæ pulicis rubeam, & latam sicut vna pictauiua. Tandem cum creuisset circa annum & nouem menses ad quantitatem oui gallinæ, partem oculi occupando, allata à parentibus in Ecclesiam beati Dionysij ad sepulchrum sancti Regis Ludouici totaliter sanata fuit: ita quod frustum carnis illius quæ creuerat ab alia carne sponte separaretur, & ad terram decideret. A

ITEM aliud miraculum. Præterea erat quidam homo commorans Parisius Guillelmus nomine, qui per tres annos fistula circa cauillam dextri pedis grauiter infirmabatur, in tantum quòd ibidem nouem foramina apparerent, per quæ posset ex vno latere pedis ad latus aliud festuca trahi, & ex quibus cadebant quædam ossa dum sanies premeretur. Hic auditis miraculis quæ fiebant ad sepulchrum sanctissimi Ludouici Regis gloriosi, fecit se tam citò in lectica apud sanctum Dionysium deportari. Qui iuxta tumulum sancti Regis paucis diebus orans, & eius auxilium deuotè implorans, totaliter sanus effectus rediit pedibus suis, sine duce viam carpens, & viæ baiulum vlterius non requirens.

ITEM aliud miraculum. Fuit siquidem quædam alia mulier commorans in villa beati Dionysij nomine Amelota de Chambliaco, quæ per tres annos & amplius ita fuerat incuruata, quòd renes suos portaret capite altiores, & caput suum ita submissum erat, quod à terra per pedem dimidiũ non distaret. Incedebat etiam cum adiutorio cuiusdam baculi longitudinis pedis & dimidij, quem tenebat duabus manibus per medium, ita quod quantum erat de baculo superius, tantum ferè inferius remanebat. Per tres supradictos annos hostiatim mendicando per villam sancti Dionysij sic incedens, non fuit visa ab aliquo, nec de die, nec de nocte in alia dispositione permanere. Videns autem cateruatim infirmos ad sepulchrum sancti Regis Ludouici confluere, illic venit, & per paucos dies cum aliis sancti Regis suffragium deuote requirens, totaliter sanata rediit & erecta. B

ITEM aliud miraculum. Fuit etiam quædam iuuencula filia cuiusdam ciuis Parisiensis pulchra valde; quæ cùm esset nouem annorum arripuit eam grauis epilepsia, ita quòd aliquando octo vicibus, aliquando nouem, aliquando duodecim vel viginti vicibus inter diem & noctem cadebat & torquebatur, spumabatque & stringebat dentes, ac clamabat horribiliter membra agitando quando erat in illa infirmitate. Durante autem eidem illa infirmitate per duos annos, missa fuit à matre sua ad sepulchrum sancti Regis Ludouici in Ecclesia sancti Dionysij, vbi bina vice in eadem Ecclesia prædicto morbo multis videntibus laborauit. Sed tandem miserante Deo pauco tempore ibidem in oratione consistens, meritis & precibus sancti Regis sanitatem integram reportauit.

ITEM aliud miraculum. In illo tempore cùm ossa sacrosancta Ludouici Regis de Africanis partibus ad Ecclesiam beati Dionysij in Francia tumulanda deferrentur, & ventum esset in strata publica iuxta quandam vlmum quæ est inter Boissiacum & Christolium non lege ab vrbe Parisiis, quædam mulier de remotis partibus ibidem cum quodam puero suo sancti Regis expectabat aduentum. Puer enim subtus genam iuxta aurem quandam strumam siue quoddam apostema habens, quod fere totum guttur eius occupauerat, grossum ad quantitatem oui anseris, vel pauonis, durante tali eidem infirmitate per duos annos fuerat à matre ad sanctum Eligium deportatus, sed non sanitatis remedia consecutus. Deo igitur sic ordinante, qui alium sibi medicum reseruauerat, rogauit mulier vt portantes lecticam, in qua sancti Regis ossa erant, paululum sisterent, & eam filio suo paterentur osculari. Omnibus vero arestatis, quidam de equo descendens accepit & leuauit puerum, tangens eius infirmitatem loculo vbi erant Regis ossa reposita sacrosancta. Mox igitur vt loculum tetigit crepuit apostema, & inde exiuit tanta sanies quòd multi mirarentur. Viso vero & audito qui astabant isto miraculo, fleuerunt genu flexo laudantes Dominum pro tanto miraculo per sancti Regis merita declarato. C

A

GESTA ALIA
S. LVDOVICI NONI
FRANCORVM REGIS.

AVTHORE MONACHO SANCTI DIONYSII ANONIMO.

B

Ex codice MS. viri Clarissimi Alexandri Petauij Senatoris Parisiensis recens in lucem emissa.

PROEMIVM.

SANCTVS iste Ludouicus nonus filius Ludouici supradicti ex Blancha Regina filia Regis Hispaniæ, XIII. ætatis suæ anno patri successit in regno. Hic circa regni sui principium Episcopos & milites multos in partes Albigensium misit & Tholosam totumque Comitatum in deditionem accepit, contrà Regem Angliæ Henricum, qui per Petrum Britanniæ & Hugonem Marchiæ Comites in terram eius hostiliter intrauerat. in Pictauiam duxit exercitum, sicque vrbem Andegauensem, Blesmeque castrum quod Petro Comiti Britanniæ ad vitam concesserat expugnans, expulso Rege Angliæ Saxones & plures illarum partium munitiones capiens, ipsum comitem Marchiæ cum vxore & filiis ac toto comitatu in sua potestate recepit. Bis etiam pro liberatione terræ sanctæ de manibus inimicorum in transmarinis partibus transfretauit. Fuit autem eius vxor Margareta filia Comitis Prouinciæ de qua suscepit Ludouicum qui iuuenis est defunctus, & Philippum qui post eum regnauit, Petrum Alencoij, Iohannem Niuernis & Robertum Clarimontis Comites, filiasque Ysabellam vxorem Theobaldi Regis Nauarræ, comitisque C *Campaniæ, & Blancham vxorem Regis Hispaniæ, Margaretam Ducissam Brabantiæ & Agnetam Ducissam Burgundiæ.*

Hæc itaque de gestis istius sanctissimi Regis posita, si quantum ad opus præsens attinet sufficere videantur, quia cum tantæ fuerit sanctitatis, vt eius laudes omnino facere non possimus, de multis sanctitatis eius operibus pauca in medium proferamus.

De Innocenti eius pueritia.

SANCTVS igitur iste LVDOVICVS, XIII. annorum iuuenis patre suo Christianissimo orbatus, sub Illustris Dominæ Blanchæ Reginæ matris suæ tutela remansit, quæ fœmineæ cogitationi & sexui masculinum inferens animum, strenuè, potenter, & iustè administrauit iura regni, & contrà plurimos tunc apparentes aduersarios solerti prudentiâ defensauit. Salomone autem dicente cognouimus esse prouerbium. Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea. Greca namque narrat historia Alexandrum Regem potentissimum, orbisque dominatorem in moribus & incessu Leonidis pedagogi sui non potuisse carere vitiis, quibus adhuc paruulus fuerat imbutus. igitur cum sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sint ab adolescentia, & vbi maius periculum ibi cautius est agendum, adolescentes & pueri in iuuentutis suæ flore sunt vt aliqualiter suprà declarauimus & à prauis verbis & operibus retrahendi ac in virtutum & mo-

A rum exercitio informandi. nam qui non assuescit virtuti dum iuuenescit, à vitiis nescit discedere quando senescit. & è contrà quod in iuuentute addiscitur, in matura ætate seruatur. hinc est quod quibusdam in peccatum per vsum consuetudinis induratis, quod eos ad bonum reuerti difficile sit ostenditur per prophetam, sicut, inquit, mutare potest æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, sic & vos poteritis bene facere cum didisceritis malum. tenent namque prauæ consuetudines quod cœperunt, & cotidiè duriores existunt, & vt plurimum nonnisi cum peccatoribus finiuntur. verum quod apud hominem difficile aut impossibile dicitur, apud Deum non solum possibile, sed etiam facilè iudicatur.

Hæc igitur attendens prudens Domina Blancha Regina mater istius gloriosi Regis Ludouici, ipsum qui tanti regni regimini præesse debebat quemque etiam præ cæteris suis filiis ardentius diligebat, fecit ante & post obitum patris attentius nutriri, diligentius custodiri, in omni bono magis sollicitè informari. Ipsamet namque eum per exempla ac bona documenta informabat in iis quæ Deo placere credebat, & per quæ bonus princeps in suo regimine placere debeat, & eius voluntati contraria euitare. ipsum etiam informandum in prædictis committebat illis quos ad præmissa esse sufficientes & idoneos æstimabat. B

Bonæ autem indolis adolescens Ludouicus, spiritus sancti iam edoctus magisterio, sciens bonum esse homini cum ab adolescentia sua portauerit iugum Dei, se virtutum studio totum dedit in tantùm proficiens vt licet esset iuuenis in regni administratione, nihil tamen iuuenile gessit in opere, quin potius cum adolescens esset, & ætatis iubentis adhuc sentiret ardores, spolians iuuenem, senem induit, relinquens quod erat, assumens quod non erat.

Cepit namque in primis adolescentiæ annis & litterarum notitia sub cura magistri humiliter proficere, & in morum honestate graciosus omnium oculis apparere. Libenter enim frequentans Ecclesiam deuotè Dei seruitio sedulus assistens, omni die missam & horas canonicas cum cantu audiens, quas & ipse etiam dicebat cum capellano, ad hoc sibi tam clerico deputato cantilenas mundanas nec dicens nec audire volens, vitabat ludos illicitos, & ab omnibus inhonestatibus & turpitudinibus abstinebat, nulli verbis vel factis iniuriatus, nullum vituperans, eos qui eum offendere videbantur dulciter reprehendens, loquens cuilibet in plurali, nihil per iuramentum asserens humano sermone communiter vtebatur. viginti autem annorum factus dimissis omnibus iocosis, nec canibus nec auibus ludens, dimissis apparatibus preciosis, simplicibus vtebatur.

Longum munus esset exponere huius sancti Regis sancta primordia qui sic in operibus sanctitatis incepit, sicque consummare meruit vt nullatenus dimittens legem matris suæ sibi pluries ingerentis se plus velle eum mortem incurrere temporalem quam ipsum suum per mortale peccatum offendere Creatorem, perhibeatur in omni vita sua criminis letalis contagio caruisse. C

De eius litteratura & de eius zelo & assiduitate circa studium litterarum.

QVIA vero secundum cuiusdam sapientis dictum, nihil sapientis mentem sic ab amore mundi separat, nihil sic animum contrà tentationes roborat, nihil ita hominem excitat, adiuuat ad opus bonum, sicut sacrarum studium litterarum. Sanctus iste LVDOVICVS Rex attendens quod superius præmisimus, Regem in libro legis iuxta Domini præceptum cunctis diebus legere, sacræ lectioni studiosè insistebat, habebat enim bibliam glosatam & originalia beati Augustini & aliorum Sanctorum, & alios sacros libros in quibus legebat & legi coram se multociens faciebat illo medio tempore intra prandium & somnum diurnum & multociens per somnum vsque ad vesperas nisi grauioribus fuisset occupatus: prædictis etiam temporibus faciebat ad se vocari aliquos religiosos vel alios honestos viros cum quibus loquebatur de Deo, de sanctis & eorum actibus & interdum de historiis sacræ scripturæ & de vitis patrum: habebat etiam libenter secum in mensa Prælatos, vel alios Clericos cum quibus de Deo loquebatur in mensa loco lectionis quæ habetur in conuentibus religiosorum: omni etiam die dicto completorio à capellanis in capella, redibat ad cameram tuncque accendebatur vna candela cerea magnæ quantitatis, & dum illa durabat ipse legebat in biblia, vel in alio sacro libro.

A libro. siquidem erga Dei sanctum sermonem vt potè qui ex Deo erat, tantæ deuotionis tantæ reuerentiæ fuit, quod multociens in capellis religiosorum sermonem, in scolis quorumdam sacræ scripturæ lectionem humiliter sedens inferius aliis sedentibus in scamnis & locis superioribus audiebat.

Sed & huius sancti Regis Zelum ad litterarum studium ex eo quod sequitur satis patet: suo namque tempore orta dissentione Parisius inter scolares & Burgenses, clericis pluribus ex eis occisis Parisius egressi per diuersas prouincias sunt dispersi. attendens autem sanctus Ludouicus thesaurum scientiæ cunctis aliis præminere thesauris: lilium quidem signum est Regis Franciæ vno solo folio vt supra diximus sapientiæ studium designans, ex talis thesauri carencia non mediocriter deturpatum scolares reuocans, benignissiméque recipiens fecit eis quicquid eis Burgenses fori-fecerant, emendari, more salomonis in comparatione scientiæ dicens, diuitias nihil esse. Ea autem quæ idem sanctus Rex Deo edocente per studium vel auditum de scripturæ documentis intelligere potuit, alios, præcipuè liberos suos edocere curauit, vt instructiones quas ad Philippum filium suum & ad Ysabellam filiam suam Nauarræ Reginam scripsit legere ibidem volentibus manifestant, harum autem informationum alteram scilicet eam quam domino Philippo filio suo
B misit, hic dignum duximus annotandum, cuius tenor talis est.

De documentis, quæ propria manu filio suo Domino Philippo scripsit.

SVo caro filio primogenito Philippo salutem & dilectionem paternam. Care fili quia ego desidero toto corde quod tu sis benè doctus in omnibus penso quod tibi aliquod documentum faciam per hoc scriptum.

Ego enim audiui aliquociens te dicentem quod plus à me quam ab alio retineres, propter hoc, care fili, doceo te primo quod tu diligas Deum ex toto corde tuo & de toto posse tuo, quia sine hoc nullus potest quicquam, credas quod ei debeant displicere & specialiter debes habere istam voluntatem, quod tu non faceres peccatum mortale pro aliqua re quæ posset contingere, & quod tu permitteres tibi antè omnia membra scindi & aufferri crudeli martyrio vitam, quam tu scienter faceres mortale peccatum, si dominus noster mittat tibi aliquam sustinere persecutionem vel infirmitatis vel aliam tu debes ei regraciari & scire bonas grates, quia debes pensare quod bene meruisti & hoc & plus, si ipse vellet eo quod parum eum dilexisti & parum ei seruiuisti & multa fecisti suæ contraria voluntatis. Si dominus noster mittat tibi aliquam prosperitatem vt cor-
C poris sanitatem vel aliam, tu debes ei regraciari humiliter, & debes cauere tibi quod ex hoc non peioreris nec per superbiam, nec per aliud vitium, hoc est enim multum grande peccatum, querram domino nostro facere ex donis ipsius. care fili, doceo te quod tu assuescas confiteri frequenter, & quod tu semper eligas confessores qui sint sanctæ vitæ, sufficientis litteraturæ per quos docearis quæ debes vitare, & quæ debeas facere & habeas in te talem modum quod confessores tui & alij amici tui audeant docere & reprehendere te audacter.

Care fili doceo te quod audias libenter seruitium Ecclesiæ sanctæ & quando eris in Ecclesia caue tibi ne muses, nec vana verba loquaris dic in pace orationes tuas vel ore vel mente & specialiter sis magis in pace & magis intentus, quandiu corpus Domini nostri Iesu Christi præsens erit in missa, & per spatium temporis antè.

Care fili, habeas cor pium ad pauperes & ad omnes illos quos credes habere miseriam cordis & secundum posse quod habebis sucurras libenter eisdem vel confortatione vel aliqua elemosina, si habes aliquam turbationem cordis, siquidem sit talis quod tu dicere eam possis, dic eam vel confessori tuo vel alij de quo credes quod sit legalis eo quod sciat te benè celare ad hoc vt eam portes magis in pace. Care fili, habeas tecum societatem bonarum gentium siue religiosorum, siue secularium, & vita societatem prauorum & habeas libenter bona Parlamenta cum bonis & asculta libenter loqui de Domino in sermoni-

bus & priuatè procura libenter indulgentias, dilige bonum in alio & odi malum non sustineas quod dicantur coram te verba quæ possint gentes trahere ad peccatum. non ascultes libenter dici mala de alio : nullum verbum quod redundet ad despectum Domini nostri, vel sanctorum sustineas, vllo modo, quin recipias inde vindictam, si vero esset clericus vel ita magna persona, quod tu iustificare non deberes, eandem facere dici illi, qui eum iusticiare valeret. A

Care fili prouide quod sis in omnibus ita bonus quod appareat te ita recognoscere bonitates & honores quos dominus noster tibi fecit tali modo, quod si placeret domino quod tu venires ad onus & honorem gubernandi regnum, esses dignus recipere sanctam vnctionem, qua Reges Franciæ consecrantur, Care fili si contingat quod tu venias ad regnum prouideas quod tu habeas ea quæ pertinent ad Regem, hoc est dicere quod tu sis adeo iustus quod non declines à iustitia pro aliquo quod valeat euenire, si contingat esse querelam alicuius pauperis contrà diuitem, sustine plus pauperem quam diuitem, quousque scias veritatem, & quando intelliges veritatem fac eis ius. & si contingat te aliquam habere querelam sustine querelam extranei coram consilio tuo vt non ostendas te nimis diligere querelam tuam quousque cognoscas veritatem quia illi de Consilio ex hoc possent esse pauidi ad loquendum contra te quod tu velle non debes & si tu intelligas te tenere id iniustè vel de tempore tuo, vel de tempore prædecessorum tuorum fac statim restitui quantumcumque res sit magna vel in terra, vel in pecunia, vel in alio, si res est obscura propter quod tu scire non valeas veritatem, fac talem pacem consilio proborum virorum quod anima tua & prædecessorum tuorum animæ sint expeditæ de toto, & quæcumque audias vnquam dicere quod tui prædecessores restituerint, adhibeas semper diligentiam ad sciendum si adhuc superest id ad reddendum, & si hac inueneris fac statim restitui pro liberatione animæ tuæ & animarum prædecessoriurn tuorum, sis bene diligens facere custodiri ex terra tua gentes cuiuscumque modi & specialiter personas sanctæ Ecclesiæ, illos deffende ne in personis vel rebus iniuria fiat eis violentia. & volo hic tibi recordari vnum verbum quod dixit Rex Philippus auus meus vnus de consilio suo recordatus est mihi qui se audiuisse dicebat. B

Rex erat vna die cum consilio suo priuato & erat ibi ille qui mihi recordatus est istud verbum, & dicebant ei illi de consilio suo quod clerici faciebant multas iniurias & quod mirabantur homines quomodo ipse sustinebat, ipse respondit. credo quod multas iniurias faciunt mihi sed quando penso honores quos dominus noster fecit mihi volo melius sustinere meum incommodum quam facere aliquid propter quod veniret scandalum inter me & sanctam Ecclesiam; istud recordor tibi propter hæc, quod non sis leuis ad credendum aliter contra personas sanctæ Ecclesiæ, imo des eis honorem & custodias eas ita quod possint seruitium Domini nostri in pace facere. Similiter doceo te quod specialiter diligas gentes religiosas, & eis succurre in necessitatibus suis & illos per quos putabis Dominum nostrum plus honorari & ei plus seruiri, dilige plusquam alios. C

Care fili doceo te quod matrem tuam diligas & honores, & quod tu retineas libenter & facias bona documenta ipsius & sis pronus ad credendum consiliis bonis eius, fratres tuos dilige & velis semper bonum & bonas promotiones eorum, & sis eis loco patris ad docendum eos in omni bono, sed caue quod propter amorem quem ad aliquem habeas non declines à faciendo ius, nec facias id aliquid quod non debeas, Care fili doceo te quod beneficia sanctæ Ecclesiæ quæ conferre habebis, offeras bonis magno consilio proborum hominum, & videtur mihi melius quod tu conferas illis qui nullas habebunt præbendas quam aliis, si enim benè quæris satis inuenies de illis qui nihil habent in quibus erit benè positum.

Care fili doceo te quod tu caueas tibi pro posse tuo, non habeas querram cum aliquo Christiano & si fieret tibi iniuria, tentes plures vias ad sciendum si posses inuenire viam per quam posses recuperare ius tuum, & habeas intentionem quod hoc fit ad vitandum peccata quæ fiunt in querra. & si contingeret quod querram te facere oporteret vel propter hoc quod quia aliquis de hominibus deficeret incuria tua à recipiendo iure aut faceret iniuriam

A riam alicui Ecclesiæ aut alicui personæ alij cuicumque & nollet emendare pro te vel propter alium, casum rationabilem quæcumque esset causa propter quam te querram facere oporteret præcipe diligenter quod pauperes gentes quæ culpam in fore facto non habent custodiantur, ne veniat eis damnum nec per aliud quod melius ad te pertinet quod constringas malefactorem capiendo rem suam, vel villas, vel castra ipsius per vim obsidionis, & prouide quod antequam moueas illam querram, consilium bonum habueris quod causa multùm sit rationabilis & quod malefactorem benè submoneris & eum tantùm expectaueris quantum debebis.

Care fili, doceo te quod tu adhibeas diligentiam pro posse tuo pacificare querras & conuentiones quæ erunt in terra tua, vel inter homines tuos quia istud multum placet Domino nostro, & Dominus sanctus Martinus dedit nobis valde magnum exemplum. ipse enim tempore quo per dominum nostrum sciebat se mori debere, iuit pro pace admittenda inter Clericos qui erant in suo Archiepiscopatu & visum fuit quod hoc faciendo mittebat bonum finem vitæ suæ.

Care fili, prouide diligenter quod sint boni Bailiui & Præpositi in terra tua & fac frequenter prouideri quod ipsi faciant benè iustitiam & quod non faciant iniuriam
B alij nec aliquid quod non debeant, & quamuis tu debeas odire omne malum, in alio plus debes odire malum quod veniret ab illis qui à te potestatem haberent, quam aliorum & plus debes custodire & defendere si contingat.

Care fili doceo te quod tu sis semper deuotus Ecclesiæ Romanæ & summo Pontifici patri nostro & ei exibeas reuerentiam & honorem sicut debes tuo patri spirituali.

Care fili, concede potestatem gentibus bonæ voluntatis, quæ sciant benè vti ea & adhibeas magnam diligentiam vt peccata remoueantur. in terra tua hoc est dicere villana sacramenta & omne quod sit vel dicitur ad despectum Dei vel dominæ nostræ vel sanctorum, peccata corporis, ludum taxillorum, tabernas, & alia peccata fac cessare in terra tua sapienter & bono modo. hereticos fac pro posse fugari à terra tua, & alias malas gentes, ita quod terra tua sit inde benè purgata sicut de consilio sapienti bonarum gentium esse intelliges faciendi bona, promoue vtique pro posse tuo magnam attentionem, vt scias recognoscere bonitates quas dominus noster fecerit tibi, & quod scias ei regratiari.

Care fili, doceo te quod ponas magnam attentionem ad hoc vt denarij quos expendes, expendas in bonos vsus, & quod sint iustè recepti, & iste est quidam sensus quem vellem te multùm habere, hoc est dicere quod cauere tibi à stultis missionibus & à prauis receptionibus, & quod denarij tui essent bene missi & benè recepti, & istum sensum doceat te Dominus noster vna cum aliis sensibus qui sunt tibi conuenientes & vtiles.

Care fili, rogo te quod si placet Domino nostro me decedere ante te facias me iuuari per missas & alias orationes, & quod mittas per congregationes regni Franciæ
C ad faciendum peti ab eis preces pro anima mea, & quod tu intendas in omnibus bonis quæ facies quod dominus noster det mihi partem in eis. Care fili, ego do tibi totam benedictionem illam quam pater potest dare & debet filio, & rogo dominum nostrum Deum Iesum Christum quod ipse per suam gratiam precibus & meritis angelorum & Archangelorum & omnium sanctorum & sanctarum custodiat & deffendat te, quod tu non facias id quod sit contrà voluntatem ipsius, & ipse det tibi gratiam faciendi voluntatem suam, ita quod ipse honoretur, eique seruiatur per te: hoc faciat ipse mihi & tibi per suam grandem largitatem, sicque per istam mortalem vitam possimus venire ad eum in vita æternâ, vbi possimus ipsum videre, diligere & laudare sine fine. Amen, & sit gloria honor & laus ei qui est vnus Deus cum patre & spiritu sancto sine principio, & sine fine. Amen.

Quomodo feruens & assiduus fuerit in Dei seruitio & oratione & quomodo de aliorum plusquam de suis orationibus confidebat.

SICVT autem sanctus iste Ludouicus in lectione sacra qua deus sancta alloquitur animam, fuit sedulus & attentus sic & orationi qua sancta petit Deum anima vt adimplendū quæ in lectione agenda viderit, conualescat; fuit feruens, assiduus, & deuotus, omni namque die plures missas audiens Deo assistens in spiritu de Iesu non

LVDOVICVS NONVS.

recipiebat alicuius colloquium dum diceretur, nisi quod interdum post euangelium ante secretum suum audiebat elemosinariū, nullum vero alium nisi raro. omni etiam die horas cum nota decantari faciebat, & quandoque dum equitabat tempore quo debent aliquæ horæ dici dum hoc nihilominus ipse dicebat, submissa voce cum suo capellano, quantumcumque infirmus, aliquando horas solemniter cantari faciens, in capella habebat duos religiosos, vel alios iuxta lectum suum qui horas de die & de beata Maria dicebant dicens cum eis versus sibi contingentes, & si itaque quandoque infirmitate grauatus esset quod tantum loqui non poterat, clericum alium iuxta se habebat, qui vice ipsius in psalmodia respondebat, matutinas valdè manè decantari faciebat, ad quas quasi semper alios qui comitari debebant, anteibat, in tantum vt discalciati aliquando currerēt post eundem, omni sero quinquaginta genuflexiones in qualibet se erigens & iterum genuflectens faciebat in honore gloriosæ virginis, *Aue Maria* omni etiam die post complectorium, & aliquando post matutinas, dicebat aliquandò ante altare tam diu manebat in oratione pronus in terra quod aliquando debilitatis eius spiritibus ad lectum ab vno de camerariis educebatur, vt etiam Dei seruitium solemniter fieret in capella sua omnia in vestimentis, luminaribus & cæteris ornamentis erant ordinata secundum conuenientiam temporum & festorum: ipsemet etiam de officiis implendis in capella sua vt quis quid faceret, ordinabat. A B

Quadam vero nocte Rex Ludouicus de transmarinis partibus per nauigium redeunte, naueque Regem deferente tam fortiter duram arenam impingente vt impulsionis saltum magnum faceret tresque tesæ de inferiori cripta euellerentur, omnibusque perterritis Rex imperterritus ante sacrum Domini Iesu corpus quod secum de licentia domini tusculani sedis apostolicæ legati deferebat genibus & cubitis inclinatus se prostrauit, Domino Iesu Christo se suosque deuotis orationibus recommendans, eius ita deuota oratione per omnium qui aderant fidem euaserunt periculum, asserentibus nautis quod de tanto periculo non debuisset vna de mille nauibus euasisse, suis autem meritis & orationibus Rex humiliter non contentus, orationes aliorum humilium nonnunquam flexis genibus etiam quod mirandum est coram leprosis in domo sua Parisius congregatis postulabat, estimans etiam nihil sine oratione benè inchoari, ad finem debitum non perduci. Cum suo vero palatio vltra mare esset sermo de redditu in Franciam præconizari fecit quod ad prædicationem Patriarchæ qui erat cum eo, omnes nudis pedibus in idoneis vestibus conuenirent rogaturi Dominum, vt sibi indicare vellet quid esset melius vel ibidem ampliorem moram contrahere, vel in Franciam remeare, mittebat ad conuentus religiosorum vt Dominum deprecarentur ad agendum quid esset melius, & magis ad Dei honorem, idem Dominus sibi bonum consilium ministraret. C

De Reuerentia quam habebat ad Dei nomen, ad sanctos, ad sanctas Dei reliquias præcipuè ad vexillum dominicæ Crucis, & ad patronum regni sanctum Dionysium.

REVERENTIAM vero maximam ad sanctos, sanctasque Dei reliquias exibebat, omni namque die veneris sancto, ad omnes Ecclesias loci illius in quo tunc erat, magnam valdè summam pecuniæ manibus propriis, pauperibus, & Ecclesiis erogans nudis pedibus humiliter incedebat, eadem namque die semper nudis plantis toti officio deuotus assistens crucem domini cum magna valdè reuerentia adorabat. ad eam namque adorandam taliter procedebat, exuta namque capa remanens in gardecorso: nonnunquam sero in tunica, nudis vt dictum est pedibus, decinctus, amota camisia, capite nudo ponebat se ad genua, & orabat, denique super genua aliquantulum procedebat & orabat, tertio super genua, iterum vsque ad crucem incedens & oratione facta osculabatur eam iacens pronus in terram ad modum crucis extensus eam deosculans adorabat ad honorem, nihilominus viuificæ crucis, coronæque spineæ, cæterarumque dominicæ passionis reliquiarum, quas cum magnis expensis acquisiuit. Capellam pulcherrimam in Regali palatio Parisius construxit cum immensis sumptibus. Thecas etiam preciosissimas in quibus prædictæ

A prædictæ reliquiæ ponerentur, sanctos omnes honorans deuotissimè eorum festa colebat, de Deo, vel de beata Maria, vel de sanctis & eorum membris turpiter iurantes publicato super hoc edicto contra tales poni faciens exploratores nunc quidem ferro calido in labiis, nunc scalis publicis quas ad hoc in bonis villis erigi fecit, ad diuini nominis honorem grauiter puniebat.

Ad patronum vero regni scilicet sanctum Dionysium quanta deuotione ferebatur sequentia manifestant. In festo namque eiusdem Dionysij quasi omni anno sanctus Rex si tamen in illis eiusdem partibus esset ad sanctum Dionysium veniebat, & quia est in illo monasterio consuetum quod ipsius festi nocte canonici sancti Pauli statim in principio noctis ad honorem sancti Dionysij qui & Pauli fuit discipulus solemniter celebrant matutinas; illisque finitis monachi eiusdem monasterij suas solemnissimè matutinas decantant, sanctus Rex dicens quod in illa nocte iugis debebat esse laus & iubilatio in Ecclesia supradicta ita tempestiuè per Capellanos & clericos suos incipi faciebat, quod decantatis per monachos matutinis idem sanctus Rex de Capella sancti Clementis in qua suas inceperat matutinas veniebat solemniter cum Capellanis & clericis vestitis capis sericis cruce præcedente ad Ecclesiam principalem & ibi in eiusdem Ecclesiæ capitio iuxta sancti Dionysij sociorumque eius corpora B pretiosa, residuum matutinarum suarum faciebat solemniter decantari, sicque ipsis decantatis die iam illucescente tota illa nocte ad sancti Dionysij sociorumque eius Ecclesiam iuges erant laudes in Ecclesia prælibata, omni etiam anno in præfato festo aut intererat, vel si tunc occupatus interesse non poterat quam citius postea accedens ad altare sancti Dionysij cum maxima deuotione nudo capite, flexis genibus oratione præmissa vocato ad hoc præsente filio suo domino Philippo ponens quatuor auri bisancios primo super caput suum tenens cum manu postmodum cum multa reuerentia eosdem bisancios osculans altare super id deuotissimè offerebat. & quia quando prima vice iuit vltrà mare sanctus Rex, septem annis nimis distans oblationem prædictam modo præfato fecit simul pro prædictis omnibus septem annis.

Ad honorem etiam sancti Dionysij cartas aliquas nonobstante vsu contrario in registris regalibus inuento approbauit & robur habere voluit firmitatis. quædam etiam antiqua priuilegia à Karolo concessa consignauit, & de nouo dedit nonobstantibus quibusdam regni nobilibus qui Korolum talia posse concesisse denegabant, non intelligentes iustam præcedentium Regum deuotionem ad Deum per quem Reges regnant, sine quo nobiles vel ignobiles nihil habent, præsertim cum & ipse Rex Franciæ qui absque Deo superiorem in temporalibus minime recognoscit Dei & sanctorum Ecclesiis præcipuè monasterio Areopagitæ Dionysij, quem semper vt patronum præcipuum veneratur, conferre non solum non valeat, C sed debeat maiores conferre libertates ac priuilegia latiora.

In signum etiam amoris sanctus Rex Ludouicus sancto Dionysio contulit corpus vnius martyris de illa pretiosa thebeorum societate siquidem tunc temporis plura præfatorum sanctorum corpora impetrauit sibi dari quæ honorificè transtulit in Ecclesiam quam apud syluanectum construi fecit. instituens ibidem fratres qui in eodem loco domino deseruirent. in signum nihilominus non modicæ confidentiæ quam in sancto Dionysio specialiùs habebat cum feliciter idem sanctus Rex migrauit ad Christum, exitum suum eidem sancto Dionysio commendauit quid plura? sanctissimum corpus suum sepeliendum in suo monasterio sancto Dionysio contulit pro certo nihil carius, nihil pretiosius, nihil eidem ecclesiæ delectabiliùs, aut honorabiliùs dare valens.

De caritate & compassione, & liberalitate eiusdem erga pauperes & infirmos, & in seruorum Dei Ecclesiis & habitaculis construendis.

CARITATIS vero gratiam, pietatis & compassionis affluentiam, liberalitatis erga pauperes munificentiam in sancto Ludouico attendentes eius gesta plus mirari possimus quam scribere, siue loqui siquidem sanctus Rex pauperibus in mensa manu propria seruiens, eis fercula ministrabat panē eis scindēs eisdem nunc quidem XIII. nunc VI^{xx}. aliquando trecentis, cætera cibaria, omni die habens tres pauperes iuxta se comedentes de quorum quandoque cibis residuis comedere non horrebat

LVDOVICVS NONVS. ipse, ad pauperes tanta charitate, tanta pietate mouebatur, & ad partes regni sui in quibus victualium erat caristia mittebat sanctus Rex aliquando mille libras, aliquando duomillia aliquãdo tria millia vt distribuerentur pauperibus partium earumdem non propter hoc dimissis elemosinis consuetis diuersas partes regni visitabat, & ibi habitantes non spolians tunc multas & magnas elemosinas pauperibus faciebat, dicebat namque aliquando eamus visitare pauperes de tali patria, & ipsos reficiam. infirmis etiam quam libentissimè panem scindens: & alia cibaria parans, ori eorum morsellos apponens, in tantùm quod quandoque de naso vel ore infirmantium descenderet sanies super Regis manum, nihil tamen propter hoc dimittens sed manutergio tergens nares eorum pietatis affluens visceribus seruiebat. A

In cœnobio etiam Regalis montis quod idem Rex ex toto construxit monacho & dum valde deformiter leproso idem sanctus Rex in mensa cibaria scindens & ori leprosi morsellos cum manu apponens flexis genibus ministrauit, inducens eum sanctis sermonibus vt prædictam infirmitatem patienter amore Domini sustineret, alias eidem leproso seruiuit faciens sibi offas in quodam brodio, quas cum cocleari ori infirmantis idem Rex pius & misericors apponebat quid multis moramur? si quis omnia quæ de eo legimus pietatis officia, si quis innumerabiles expensas quas in pauperibus & personis miserabilibus vestiendis, nutriendis captiuis redimendis, quas etiam in Ecclesiis, claustris, dormitoriis, refectoriis cæterisque officinis religiosis necessariis domibus Dei cæcorum, beguinarũ filiarum Dei scolarium aut de nouo totaliter ædificandis, vel antiquis reparandis vel etiam ampliandis fecit idem Rex liberarissimus, si perscrutari quis fuerit solicitus inueniet proculdubio sanctum Regem, caritatis, pietatis, liberalitatis erga pauperes tenuisse mensuram non solum bonam confectam & coagitatam, sed & superefluentem, & si quid amplius exprimere valeremus. B

De asperitate vitæ eiusdem.

QVANTA autem austeritate corpus suum spiritui seruire cogebat monstrant crebra per annum in pane & aqua ieiunia, in cibis & potibus, in quibus minimè delicatus erat non mediocris abstinentia, dum nonnũquam delicatos sibi appositos aut pauperibus aut aliis conuiuis daret & sibi minus delicata retineret. Circalectionem sacram orationisque assiduitatẽ, honestis vigilia, lecti duritia, quo postquam rediit de transmarinis partibus iacebat de lignis composito, secumque semper delato sine paleis, sine pluma, sed solum supposito mamatancio de corone, Cilicium etiam quo multis per annum diebus vtebatur ad carnem. verbera autem dira quæ omni die Veneris per totum annũ superaddita in quadragesima omnibus diebus lunæ & mercurij, manu confessoris benignissimè suscipiebat. Ceteraque pœnitentiæ opera quibus carnem castigans in seruitutem spiritus redigens cunctis luculenter apparuit, Rex sanctus sciens arctam esse viam quæ ducit ad regnum, quam & asperam viam tenuit in hoc mundo. C

De honestate & puritate, conuersationis eiusdem.

TANTÆ autem puritatis & honestatis fuit in conuersatione & à fide dignis fideles eius actus tuentibus eo multo tempore conuersatis deponentibus & per iuramentum creditur quod plus voluisset caput proprium amisisse, quam mortale aliquid commisisse, verba scrutilia & otiosa nullatenus dicens coram eis, qui cum eo conuersabantur. de Deo & sanctis & aliquas bonas narrationes ad ædificationem semper tempus suum in bonis expendens loquebatur. non iurabat per Deum vel per membra eius vel per sanctos, dicens quod fortiter valet aliquid asserere vel sic est, nulli detrahebat, dicentes turpia & detractoria sibi super omnia displicebant, in aspectu etiam incessus ita fuit temperatus, & visus, risus & fatui aspectus de ipso aduertarent quod esset per omnia vt sensatus, quia & similis similem diligit atque quærit, sanctus per omnia Rex & honestus, seruientes honestæ vitæ & conuersationis habere volens adulteros, fornicatores, aut aliter inhonestæ vitæ à suo seruicio expellebat, aut alias grauiter puniebat, & vt valdè plura ad eius honestatem pertinentia paucis concludamus sermonibus, sanctus Rex propter se & Deum bonam studens habere conscientiam & propter præmium, bonam, saluam, illud dominicum ait luceat lux vestra

A vestra coram hominibus vt glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. in sanctorum operum exercitio sic impleuit, & in eius aspectu, auditu, affatu, motu, gestu, atque conuictu, & mundus & proximus ædificaretur, & Deus ipse à videntibus non immerito laudaretur.

De maxima eiusdem sancti Regis iustitiâ.

INTER vero sanctitatis opera cætera quæ huius sancti viri excellunt præconium sapientia Dei quæ in eo fuit ad faciendum iudicium & iustitiam in omni tempore non minimum tenet locum. fuit namque iustus multum. ita videlicet magnum & paruum iudicans iuxta causarum merita, vt pote apud quem nulla penitus erat acceptio personarum.

Aliquando mota quæstione inter dominũ Karolum fratrem eiusdem Regis tunc Comitem Andegauiæ, & quendam alium militem super quodam castro lataque sententia in curia prædicti Comitis contrà militem præfatum. miles prædictus apellans ad Regis Curiam iubente Comite in carcere detinetur. quibus compertis sanctus B Rex æquitatis via Regia incedens ad sinistram vel ad dextram non declinans Comitem præcepit ad se euocari, quem in sui præsentia constitutum eo quod militem appellantem in carcere detineret multum redarguit dicens ei quod vnus Rex debebat esse in Francia & quod non crederet quod quia frater eius erat parceret sibi in aliquo contrà iustitiam, præcipiensque ei vt militem liberaret, vt apellationem suam posset liberè prosequi coram eo. miles vero Regis præcepto liberatus ministratis consiliariis eidem militi à Domino Rege quos & fecit iurare quod fidele consilium prædicto militi darent, tandem vero illata causa contra dicti militis cassatam sententiam pro se obtinuit in Curia iusti Regis.

Omnia quæ huius sancti Regis æquitatem commendant & iustitiam hic describere longum esset nec operis huius breuitas permittit. & quia iustitia & pax sibi inuicem sunt amicæ & in veri amoris signum teste psalmista se se inuicem osculantur. ita qui iustitiam pacis amicam non amauerit, nec ad ipsum pax venire poterit, nec ipsum aliqualiter adamabit. Sanctus itaque Ludouicus quia iustus fuit & iustitias dilexit. ideo suis in temporibus in regno fuit pacis abundantia discordantesque ad vnitatem reuocandi cœlitus collata gratia in tantum, vt in iudicio debeat Rex pacificus non minus quam Salomon apellari.

De eiusdem humilitate profundissima.

VERVM quia humilitas obseruatrix est & custos virtutum, nam qui cæteras virtutes sine humilitate congregat, in ventum puluerem portat. Sanctus iste C Rex quanto præ cæteris dignitate sublimior, quanto sanctitate præcellentior, tanto in conspectu Dei & hominum fuit humilitate profundior, cuius humilitatem maximam ea quæ prius descripta sunt alia etiam plura valde tanti Regis opera protestantur. apud montem regalem dum quidam murus fieret. ipse Rex pluries cum quodam monacho lapides & alia ad opus necessaria in ciuera deportauit.

In transmarinis partibus vbi plures vrbes reparauit, aliquando more seruientis deportantibus in hota, necessaria ad opus ipse seruiebat ea quæ debebant portare apponendo. pluries etiam terram de fossatis in calato deferebat ob gratiam acquirendæ indulgentiæ concessæ ibidem laborantibus à legato.

In eisdem etiam partibus in primo & secundo passagio bonum suum in nomine Domini nostri Iesu Christi & Ludouici seruientis eius Regis Franciæ non sine humilitate maxima denunciari populo in ea forma faciebat.

Quodam die Veneris sancto per Ecclesias castri Compendij vt sibi moris erat nudis pedibus cum pecunia pauperibus eroganda peregrè proficiscens, ex altera vici parte videns leprosum pulsato flabello petentem Regis elemosinam per aquam lutosam & frigidam, quæ erat in medio vici humiliter transiuit ad eum, & cum osculo manus Leprosæ pecuniam dedit illi, his, qui propè aderant cum admiratione se signantibus & dicentibus videte quid Rex fecit, quia osculatus est manum Leprosi. innumera sunt & alia sancti huius Regis humilitatem declarantia, quæ in hoc libello breuiandi gratia scribere non valemus.

LVDOVICVS NONVS. A

De transfretatione eiusdem in terram Sanctam, & de quibusdam quæ ibi gessit & sustinuit.

ZELVM autem sanctissimi huius Regis & constantiam in fide catholica multa declarant eius opera, præcipuè autem quædam innumeris expensis, terræ marisque diuersis periculis, laboribus, multisque incommodis & infortuniis pro terræ sanctæ liberatione & exaltatione Christiani nominis transfretauit, vbi multa damna multa pericula; multa obprobria, multa incommoda tolerauit aliquando enim à sarracenis circumdatus corpus suum cum infortuniis volens exponere vt etiam particeps periculi populum qui secum erat conseruaret, cum per nauem euadere potuisset capi vna cum aliis se permisit, dicens quod militiam suam quam secum duxerat secum reduceret si valeret, cum eisque capi siue mori volebat, nullum subire timens periculum pro Domino Iesu Christo, detentus itaque in manibus impiorum sustinuit patienter audiens & multos diuites secum captos redemptionem suam pretio procurantes hoc fieri dicentes si diuites liberarentur pauperes non habentes vnde se redimerent, in carcere remanerent, dimittatis inquiebat factum liberationis super me. non enim volo quod aliquis ponat quicquam de suo, volo enim esse pro omnibus oneratus, & promitto vobis quod non faciam forum de liberatione mea, nisi faciam pro omnibus qui venerunt mecum, & sicut dixit ita veraciter adimpleuit. B

Habito itaque tractatu cum Sarracenis de sui sociorumque liberatione quibusdam adiectis conditionibus pactum addentes quod Mahometum negarent, nisi omnia pacta seruarent, volebant quod & Rex diceret quod Christum negasset, nisi omnia conseruaret qui licet omnes conuentiones seruare & tenere proponeret multique ad dicendum consulerent & de proximo timeretur mortis periculum imminere, cum indignatione tamen respondit, hoc nunquam de ore meo exibit ob reuerentiam Iesu Christi. fortis ergo in bello Domini Ludouicus, fortis inquam & leo qui furorem hostium frementium non expauit. maximè cum hæc agerentur cum illis qui soldanum statim occiderant adhuc ipsius soldani interfectorumque cum eo sanguinem cruentati ex prædicta Regis denegatione commoti pariter & irati, & in ira maxima dicentes ei quod oportebat quod adderet illa verba. sed Rex constantissimus indignationem illorum & iram parui pendens ea voluit addere sicut pius, & cum quidam Admiraldus Regi diceret, vos estis noster captiuus & in carcere nostro, & ita audacter loquimini, & nobis, aut facietis quod voluerimus aut crucifigemus vos pariter atque vestros. Rex vero promptus ad martirium in nullo permotus Respondit, quod si eum occiderent tamen ipsius animam non haberent. Admiraldus etiam qui soldanum occiderat stans euaginato gladio coram Rege vibransque ensem sanguine solidam cruentatam ac si vellet percutere dixit Regi quod eum militem faceret vel eum occideret. Rex omni timore deposito istud facere constanter denegauit dicens quod nullo modo militem faceret aliquem infidelem soluta etiam parte pecuniæ quæ pro sui suorumque liberatione soluenda erat. Sarraceni securitatem habere volentes de soluendo residuo Regi dederunt electionem quod vel ipse aliis in carcere remanentibus liberaretur vel aliis liberatis ipse in carcere remaneret. Rex autem promptissimè respondit quod pro expectata solutione integra volebat ipse aliis liberatis in carcere remanere, cumque multi magni viri sibi assistentes dicerent vt ipsis remanentibus ipse recederet, ipse tamen in hoc eis noluit assentire potius volens in carcere remanere, vt alij soluerentur, solus denique sanctus Rex de carcere paganorum, annorum quinque spatio in partibus illis posteà degens multos paganos baptizari fecit, & in fide catholica informari, innumeros etiam Christianos in carceribus paganorum detentos mittens pluries ad soldanum nunc quidem centum, nunc ducentos, nunc trecentos, nunc quingentos, nunc sexcentos, alias septingentos cum expensis propriis liberauit. oppida plura ad remanentium ibidem fidelium tuitionem muris & ædificiis non sine magnis sumptibus reparauit, occisorum Christianorum à Sarracenis corpora iam fœtida quorum æstimabatur numerus vsque ad tria millia sine horrore aliquo de terra recolligens per quinque dies non cessans celebratis solemnibus obsequiis & officiis mortuorum, sepulturæ tradidit affluentissimus pietate & ardentissimus caritate. C

multa

A multa sunt & alia quæ in partibus illis Rex sanctus exercuit opera sanctitatis.

De Reditu eius in Franciam, & de secunda eius transfretatione, & de eius obitu glorioso.

AVDITA vero morte matris suæ Dominæ videlicet Blanchæ Reginæ & quod regno Franciæ magnum periculum immineret, tandem Rex pius Baronum & aliorum sapientum vsus consilio acquieuit ad propria remeare relictis tamen cum Apostolicæ sedis legato multis militibus & expensis in succursum & subsidium terræ sanctæ, sed cum suum post reditum audisset per nuncios Alexandri Papæ quarti tartaros in transmarinis partibus irruisse & Sarracenos vicisse Armeniam, etiam Anthiochiam, Tripolim & Damascum, Halapiam & terras alias subiugasse & tam Achon ciuitati quam toti Christianitati in illis partibus grande periculum imminere. Prælatos & Barones regni sui Parisius congregauit vbi ordinatum fuit de orationibus multiplicandis, processionibus faciendis, blasphemiis in Deum puniendis, & de poculis & superfluitatibus cibariorum & vestium reprimendis; nihil B tamen quod legerimus de decimis tailliis & cæteris exactionibus extorquendis, interdicti sunt & ludi, nisi quod homines se exercerent in arcubus & balistis. gerebatque deuotus Rex in animo terram transfretare pro posse & terram illam sanctam quam Dominus suo precioso sanguine consecrauit, si dedisset idem Dominus cultui restituere Christiano. paratis igitur ad transfretandum necessariis sanctus Rex ætate senili, erat enim iam quinquaginta sex annorum, non detentus, nec laboribus quos alias sustinuerat, nec expensis quas fecerat alias transfretando perterritus, sed amore Dei qui omnia dira suauia reddit & lenia, succensus iterato cum tribus filiis adiunctoque sibi Rege Nauarræ & Comite Campaniæ Theobaldo & quam plurimis Prælatis, Baronibus & militibus Regni sui pro prædictæ terræ recuperatione transmarinum iter aggressus. relinquens ad regni sui Franciæ custodiam venerabilem patrem Abbatem sancti Dionysij Matheum & Dominum Simonem de Nigella viros siquidem sapientes, prudentes pariter & fideles. verum vt terra sancta facilius recuperari posset, incidit Regi & suis consilium vt regnum Tunicij quod in medio consistens non paruum dabat soldano Babyloniæ subsidium, & magnum ad terram sanctam transfretantibus impedimentum primitus cum Dei auxilio Christianorum subderetur potestati, in tantum namque secum Rex fidem Christianam in illis partibus plantari desiderabat, vt legatur aliquando nunciis Regis Tunicij apud sanctum Dionysium taliter mandasse. dicite Domino vestro quod tam vehementer salutem animæ eius desidero quod ego vellem esse in carcere Sarracenorum omnibus diebus vitæ meæ ibidem claritatem solis de cætero non visurus, dum- C modo ipse & gens eius fierent veraciter Christiani, tandem igitur versus Tunicium nauigio Rex eiusque exercitus properantes portum & Carthaginem quæ est prope Tunicium, & omnia quæ ad ipsam pertinent capientes, inter Carthaginem & Tunicium figentes tentoria residerunt. illic inualescente graui infirmitate in exercitum Christianorum plures de medio sunt sublati, sed & miles Christi gloriosus sanctus Rex Franciæ Ludouicus post tot laudabilia virtutum opera, post tot laboriosos agones quos pro fidei & Ecclesiæ Christi dilatatione fideliter ac feruenter indefesso animo tolerauit, disponente Domino qui iam labores illius volebat feliciter consummare, ipsique bonorum laborum suorum fructum retribuere gloriosum, febre continua fatigatus lecto decubuit inualescenteque morbo, sana mente, sano intellectu deuote suscepit Ecclesiastica Sacramenta, psalmos dicens, inuocans sanctos dum Sacramentum extremæ reciperet vnctionis.

Appropinquans autem ad finem audientibus qui aderant ad os eius aures eius apponentibus Rex Christianus submissè dicebat, pro Deo studeamus quod modo fides Catholica prædicari possit apud Tunicium & plantari, deficiente etiam paulatim virtute corporis & sermonis, non cessabat, maximè autem sanctissimi patroni sui Dionysij suffragia implorare. secundum namque propius astantium opinionem & assertionem in extremis laborans finem orationis illius quæ de sancto Dionysio canitur. scilicet *tribue nobis domine pro amore tuo prospera mundi despicere, & nulla eius aduersa formidare* pluries replicabat, orans etiam pro populo, quem secum duxerat dicebat, *esto Domine plebi tuæ sanctificator & custos*, suspiciensque in cœlum

LVDOVICVS NONVS.

A

cum alacritate cordis dicebat *introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo Domine.* sicque Christi peruigil strenuus super stratum cinereum recubans extensus in modum crucis inter hæc & alia deuotæ orationis verba anno incarnati verbi millesimo CC. LXXVIII. Kalendis Septembris gloriosæ administrationis regni Francorum anno XLIIII. ætatis vero suæ LVI. circa horam præfatæ diei IX. felicem spiritum reddens Creatori de temporali regno transiuit ad æternum; cuius ossa gloriosa cum eiusdem corde sanctissimo primogeniti tunc filij sui Domini Philippi, qui & ei fauente deo successit in regno procerumque prouidentia, ad sancti Dionysij monasterium est delatum ibique iuxta eiusdem sancti Regis ordinationem dum adhuc mortalem curam gereret est sepultum.

Quanta autem sanctitate Rex vel sanctissimus Ludouicus in præsenti vita claruerit, quantaue virtute, quantisque meritis pro sibi deuotis apud Deum nunc polleat in æterna. cæci per eius suffragia recuperantes visum, surdi auditum, claudi & debiles gressum, muti sermonis officium, dæmoniaci & frenetici sensum, paralitici curationem, curuati membrorum & corporis erectionem, mortui vitam, alij & alij à variis terræ marisque periculis liberationem, deuoteque eum inuocantibus, collata per eum variarum ac variarum genera sanitatum; quamplurium largitiones beneficiorum, sed & innumera signa & prodigia quæ ad eius sepulchrum sacratissimum aliisque mundi partibus antè & post eius celebratam anno verbi Dei millesimo CC. IIIIxxVIII. canonizationem, ad eiusdem Regis declaranda longè lateque Deus per eum operari voluit, præconantur. B

FRAGMENTVM DE MATRIMONIO LVDOVICI REGIS CVM MARGARETA BERENGARII, COMITIS Prouinciæ filia.

Ex vita MS. sancti Theobaldi Abbatis Vallium Cernaij, Ordinis Cisterciensis.

IGITVR sanctus THEOBALDVS nobili progenie procreatus, è MARLIACO propè Parisius progenitus, heres fuit Domini dicti loci filius. Iuxta nomen Magnorum qui sunt in terris, magnus miles in sæculo fuit factus, in armis & torneamentis strenuus. Deinde venit ad Religionem, & ambulauit ad Abbatiam Vallium Cernaij, Cisterciensis Ordinis, Parisiensis diocesis. Audiebat enim ab omnibus, quòd ibidem vigebat Ordo, & quòd ciborum abstinentia mirabilis ibi erat. C

Dicitur & proculdubiò, quoniam adhuc quibusdam viuentibus plenius innotescit, quòd si non fuisset Abbas Theobaldus, manu Altissimi supponente, præclarissimus LVDOVICVS ab vxore sua Franciæ Regina domina MARGARETA, eò quòd non potuisset concipere, fuissent altrinsecus separati. Pro quo multi fideles ad auxilium Dei omnipotentis fuerunt specialiter implorati & inuocati. Inter quos fuit vir Dei Theobaldus, qui ait: Adhuc modicum sustinete, deprecabitur Deus vt nobis gratiam faciat, & ostendat. Et veraciter ita fuit. Orauit itaque homo Dei, & maximè pro Regina, quæ grauiter erat tristis. Quippe si tale diuorcium fieret, hoc esset in toto regno Franciæ dedecus magnum, & discrimen. Sed exaudiuit Dominus vocem serui. Impraegnata fuit Regina Margareta à felicissimo LVDOVICO, & peperit filium nomine LVDOVICVM, cui successit PHILIPPVS, qui regnauit Rex. Postea habuit filios & filias, Deo dante. Quæ Domina in tantum postea dilexit virum Dei, quòd post obitum pij Regis venit ad Valles Cernaij peregrè proficiscens, & visa diligentissimè tumba eius, & sacrofago intra tumbam in quo omnia ossa eius adhuc honorificè reponuntur, flexis genibus, & corpore ad terram prostrato, preces effudit, & se totam Deo & eius sanctis fusis lacrimis commendauit.

Dicunt etiam nobis aliqui de nostris antiquis fratribus qui superstant, quòd cùm quadam die Dominus Rex PHILIPPVS filius beatissimi LVDOVICI veniret ad Abbatiam Vallium, vocauit vnum de nostris antiquis virum deuotissimum, qui tunc

A tunc viuebat, nomine Henricum d'Aties, & quæsiuit ab eo diligenter de conuersatione, vita, & moribus Theobaldi. Ipse enim Dominus Henricus erat prouectæ ætatis, vir fidelis, & nobilis natione. Respondit Domino Philippo: Certissimè, Domine mi Rex non noui in tota vita mea hominem meliorem piissimo Theobaldo, nisi solum Dominum patrem vestrum LVDOVICVM. nondum erat canonisatus beatissimus Ludouicus. Quo audito Dominus Rex Philippus cœpit dulciter lacrymari, & iuit incontinenti ad Capellam, in qua omnia ossa probatissimi Theobaldi honorabiliter sunt locata, & coram tumulo flexis genibus, fusis lacrymis, Deum deuotissimè adorauit.

HISTORIA SVSCEPTIONIS CORONÆ SPINEÆ IESV CHRISTI.

B QVAM LVDOVICVS REX A BALDVINO IMPERII CONSTANTINOPOLITANI HÆREDE OBTINVIT, AC Parisiis reportauit ANNO M. CC. XXXIX.

Auctore Galtero Cornuto Archiepiscopo Senonensi.

Ex MS. exemplari virorum Clarissimorum puteanorum fratrum.

HODIERNÆ festiuitatis gaudia, fratres carissimi, sub annuæ celebritatis obsequio deuotissimè recolentes, in primis summo huius nostræ solemnitatis, Patri luminum (à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum) sursum cordibus eleuatis gratias referamus, & laudes eius toto cordis affectu, & vocis ministerio personemus. Gratias tibi Deus, cuius immensa bonitas oculis consuetæ misericordiæ sæcula nostra respiciens, hanc mundi & vitæ nostræ vesperam cælestis gratiæ fulgore perfudit, terram nostram incomparabili thesauro ditauit, genti & regno nostro quasi summum post multos accumulauit honorem. Lætetur in iis sacris solemniis Ecclesia Gallicana, & tota gens Francorum sine differentia sexuum, dignitatum, ac graduum pari causâ resultet, quia C sufficiens omnibus est causa lætitiæ. Commune igitur sit omnibus gaudium, quia causa communis est gaudiorum. Hæc est illa præclara festiuitas, in qua missum sibi à Domino pretiosissimum munus Francorum terra suscepit. Illam videlicet sacrosanctam spineam Coronam, quam caput nostrum Dominus IESVS CHRISTVS pro nobis factus obediens patri vsque ad mortem crucis, tempore passionis ipsius, venerando capiti suo per manus impiorum permisit imponi. Beatus itaque Iohannes, qui supra pectus Domini procliuis in Cœna de fonte sapientiæ hausit quod scriberet (cui concordant etiam sancti Euangelistæ Matheus & Marcus) in Euangelio suo de præsenti Corona ita dicit: *Milites plectentes spineam Coronam, imposuerunt capiti eius.* Et rursum: *Exiuit ergo Iesus portans spineam Coronam, & purpureum vestimentum.* De ipsa etiam sacrosancta Domini Corona longè præcedenti tempore fuerat Sibyllino vaticinio prædictum, sicut beatus Augustinus in libro de ciuitate Dei testatur, his verbis: Inserit Lactantius operi suo quædam de Christo vaticinia Sibyllæ sed quæ ipse sigillatim posuit, ego arbitratus sum coniuncta esse ponenda, tanquam vnum sit prolixum, quæ ille plura connumerauit, & breuia. In manus, inquit, infidelium postea veniet. dabunt autem Deo alapas manibus incestis, & impurato ore expuent venenatos sputos. Dabit verò ad verbera simpliciter sanctum dorsum, & colaphos accipiens tacebit, nequis agnoscat quod verbum, vel vnde venit quod inferis loquitur, & Coronâ spinea coronetur. Et infra: Insipiens gens, Deum tuum non intellexisti ludentem mortalium mentibus, sed spinis coronasti, & horridum fel miscuisti. Sicut igitur Dominus Iesus Christus

LVDOVICVS NONVS.

ad suæ redemptionis exhibenda mysteria terram promissionis elegit, sic ad passionis suæ triumphum deuotiùs venerandum nostram Galliam videtur & creditur specialiter elegisse, vt ab ortu Solis ad occasum laudetur nomen Domini, dum à climate Græciæ, quæ vicinior dicitur Orienti, in Galliam partibus Occidentis contiguam, aut confinem, ipse Dominus ac Redemptor noster suæ sacratissimæ passionis sancta transmitteret instrumenta. Et sic veluti compartitis honoribus terræ alteri alteram adæquauit. Honoratum enim gestis insignibus per multa tempora regnum Franciæ tempore nostro per sedulam Regis LVDOVICI, necnon & religiosæ matris suæ BLANCHÆ vigilantiam, Coronâ capitis sui cum multa gloria & honore multiplici dignatus est coronare. Expurgatis igitur cordium oculis imaginemur Dei filium pro salute nostra spinis coronatum, ad quod nos inuitat Spiritus sanctus in libro Canticorum, ad fideles animas ita dicens: *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater sua.* Hoc de matre synagoga indubitanter intelligitur. De qua Christus verus Salomon, idest pacificus, secundum originem carnis processit.

A

QVALITER autem huius preciosæ gemmæ thesaurus ad nos vsque peruenit, cùm nobis & scientia pectoris, & facundia linguæ non suppetant, minimè sufficimus enarrare. Verùm, quia Regis ad hoc accessit imperium, cui tanquam præcellenti secundum Apostolum oportet obedire, de materia præsenti prout se habet veritas, quantum Dominus permiserit, præsentibus & posteris, etsi verbis rudibus, fideliter tamen conabimur aperire. Sublatis rebus humanis PETRO priùs Comite Niuernensi, post modum Imperatore Constantinopolitano, & Imperatrice YOLANDE vxore sua, ad quam de morte HENRICI fratris sui Imperatoris clarissimi deuenerat idem Imperium, superfuit ex eis eximiæ indolis adolescens BALDVINVS, quem eadem Imperatrix pepererat in vrbe Constantinopolitana. Videntes igitur Latini Principes, Græciæ miserabile discrimen Imperij, quod à scismatica Græcorum gente multis in locis inuasum, pro maiori parte violenter fuerat occupatum, multa deliberant vigilantiâ, quod eis post Deum implorandum sit auxilium, vel vnde sperari valeat angustiis suis solatium exhibendum. Tandem communi consilio tam nobilium quàm minorum, per auctoritatem sancti nominis GREGORII Papæ, IOHANNES DE BRENA vir approbatæ virtutis, qui propter egregiæ probitatis industriam, necnon & deuotæ Christianitatis merita, priùs Regnum Hierosolymitanum adeptus fuerat, ad impertiendum huic tanti doloris plagæ remedium, electus est concorditer Aduocatus. Desponsata enim MARIA prædicti Iohannis filiâ eidem hæredi Imperij BALDVINO, ipse Iohannes Imperij Constantinopolitani, necnon & ipsius heredis administrationem suscepit & curam. Non solùm autem administrator generalis Romaniæ factus est, sed coronatus solemniter, & ad vitam suam Imperator vocatus, seruata eidem Balduino genero suo cùm ad ætatem veniret legitima Imperij dignitate. Postmodum autem factis amicis duobus Græcorum maioribus satrapis, Vastrachio videlicet & Auxano, qui priùs discordes fuerant ad inuicem, hostium Imperij creuit potentia, statu Latinorum plurimùm imminuto. Videns itaque Iohannes Imperator, quòd hostes suos, & Græcorum multitudinem à finibus suis non posset expellere, vel eorum resistere potestati, communicato cum Prælatis & fidelibus Imperij consilio, de communi consensu generum suum Balduinum ad partes Gallicanas transmisit. Duplex autem aduentus ipsius causa dicitur extitisse, scilicet vt à Rege LVDOVICO, de cuius sanguine ex vtraque parte patris & matris ortum habuerat, & à prudentissima matre eius BLANCHA, cuius neptem duxerat in vxorem, à nobilibus etiam regni Franciæ Baronibus consanguineis suis in tantæ necessitatis articulo sibi & suis peteret subueniri: Alia insuper causa suberat, vt hereditatem fratrum suorum, qui sine herede decesserant, adiret, Marchionatum scilicet Namurcensem cum pertinentiis, & Castellaniam Curtineti. Ingressus siquidem regnum Franciæ, ab ipso Rege & matre sua & Baronibus regni susceptus est gratanter, honorificè, & iocundè. Si quas etiam in adeunda hereditate difficultates reperit, per Regis mandatum & potentiam penitus sunt amotæ. Dúmque in partibus Gallicanis moram faceret, hereditatis propriæ detentus negocijs, & in petendo subsidio sollicitus plurimum & intentus, de partibus Romaniæ suscepit nuncium, qui aures eius & animum subitis rumoribus perculit & turbauit. Nunciauit enim, prout res erat, virum illustrem

B

C

A illustrem Iohannem Imperatorem socerum suum iuxta naturæ debitum subtractum vitæ mortali: statum etiam Constantinopolitanæ ciuitatis & terræ alterius, si quam extra muros eiusdem vrbis habebat, ita per incursus hostium arctatum penitus & oppressum, quòd vix eis ad campos pateret aditus. Intus autem vxor sua, proceres, & vulgus, quotidianis egebant alimentis. Discurrebant etenim liberè per regionem hostiles impetus, non permittentes in vrbe deferri victualia: congregatis turmis hoc animo vt ipsam Constantinopolim obsiderent. Ad hæc maior rem vrgebat desolationis cumulus, quia multi de populo, de nobilibus aliqui, præsentibus deuicti angustiis, & futura metuentes pericula, noctu vel aliàs furtiuè muros ciuitatis exibant, & per mare vel viarum discrimina fugientes, propter metum, se certioribus periculis exponebant. propter quod erat dubium ne si vrbem hostilis circuiret obsidio, non inuenirent proceres quos ad munitionem murorum in propugnaculis collocarent. Verbis huiusmodi tristibus turbatur adolescens hæres Imperij. Vnde frequentiùs Regem Francorum matrémque eius & amicos suos circuit sollicitus, humiliter interpellans miserabiliter obsecrat vt sibi subueniant, & Imperium Romaniæ quod per Francos potenter & gloriosè fuerat acquisitum, non B permittant rursus in Græcorum infidelium redigi seruitutem. Litteras exhibet Papæ Gregorij, quibus eiusdem Imperij necessitati succurrentibus eandem concedit indulgentiam, quam in subsidium terræ sanctæ proficiscentibus concesserat Concilium generale. Ad hæc mouentur Rex & Regina, de thesauris suis magnas ei pecuniæ conferunt quantitates, stipendiarios ipsi quærunt & sociant milites, alios quos nouerant egregios bellatores. Nonnulli de consanguineis eius, quos & pietas & carnalis affectus induxerat, eidem se iuramento confœderant, pollicentes se ipsum pro viribus secuturos. Perpendẽs igitur idem Balduinus deuotionem Regis & matris ipsius, de sacrosancta spinea Corona facit eisdem mentionem. Dicit itaque se nouisse relatione veridica proceres inclusos in vrbe Constantinopoli, ad hanc calamitatis inediam deuenisse, quòd incomparabilem thesaurũ illum Coronæ Domini (quæ totius Imperij titulus erat & gloria specialis) oportebat eos alienis vendere, vel ad minus titulo pignoris obligare. Vnde ardenter habebat in votis, quatinus ad Regem consanguineum, dominum, & beneficum suum, necnon ad regnum Franciæ, de quo parentes ipsius vtrique processerant, huius speciosæ gemmæ honor inæstimabilis & gloria prouenirent. Verùm, quia idem Balduinus perceperat quòd si tam preciosa res ei venderetur pecuniæ precio, Regis conscientia læderetur, affectuosa prece cum lacrimis eidem supplicat vt munus illud honorificum ab ipso recipere dono dignetur, & gratis. His auditis, Rex prudenter intelligens id à Domino fieri, gauisus est in hoc quòd ille, qui Coronam eandem pro nobis gesserat in opprobrium, volebat eam à suis fidelibus piè & reuerenter honorari in terris, donec ad iudicium veniens eam C suo rursus imponeret capiti iudicandis omnibus ostendendam. Gaudebat igitur quòd ad exhibendum honorem huiusmodi suam Deus prælegerat Galliam, in qua per ipsius clementiam fides viget firmiter, & cultu deuotissimo salutis nostræ mysteria celebrantur.

Rex igitur referens grates vberrimas Balduino, gratantèr annuit se munus illud inæstimabile recepturum ab ipso. Mittuntur ociùs à Rege Constantinopolim pro complendo negocio Iacobus & Andreas fratres Ordinis Prædicatorum, quorum alter, scilicet Iacobus Prior fratrum eiusdem Ordinis fuerat in vrbe prædicta, vbi Coronam ipsam frequenter viderat, & ea quæ circa illam erant optimè cognoscebat. Mittit etiam cum eis Balduinus nuncium specialem fide dignum cum patentibus litteris, quibus mandat Baronibus, vt nunciis Regalibus sancta Corona tradatur. Post multos itaque viarum anfractus ingredientes Constantinopolim, inueniunt ad pium Regis propositum viam à Domino præparatam. Tanta enim Barones Imperij arctauerat angustia, quòd sacratissimam Coronam pro ingenti summa pecuniæ compulsi sunt Venetis obligare. Ciues autem Venetiæ, qui thesaurum illum nobilem plurimùm affectauerant, hanc obtinuerunt conditionem apponi, quòd nisi Corona sancta per heredem Imperij vel Barones redimeretur infra terminum, videlicet solemnitatem SS. Martyrum Geruasij & Prothasij, ipsa caderet in commissum: ita quòd illa pignoris obligatio conuerteretur in titulum venditionis pro pecunia iam soluta. Apposuerunt insuper quòd illud pignus inæstimabile Venetiam interim transferretur. Barones lectis Domini sui litteris, sancto proposito Regis Francorum & hæ-

LVDOVICVS NONVS. redis Imperij pleniùs intellecto, deuotè adimplent mandatum Domini, gerentes in A
votis vt de Venetorum manibus educta, si fieri posset, in honorem cederet Ecclesiæ
Gallicanæ. Conueniunt ergo cum Venetis, vt nuncij Regales, quorum vita & habi-
tus religionem testabantur, illud sacrosanctum portarent Venetiam, adiunctis sibi
solemnibus nunciis Imperij, præsentibus etiam magnis ciuibus Venetorum. Signa-
tur loculus sigillis Procerum, non sine lacrimarum fluuiis & eiulatu publicò defer-
tur ad nauem. Comites itaque tam sacri pignoris de ipsius confisi præsidio, media
hyeme, quæ solet esse nautis inuia, circa Natiuitatem Domini maris fluctibus se
committunt. Vastachius verò pessimus zelator Imperij per exploratores rem nouerat
de transferenda Corona. Anxius igitur, & intendens qualiter eam nunciis posset eri-
pere, per diuersos sinus maris quibus transituri videbantur, copiam galearum disper-
git: sed nunciis venientibus in nomine Domini nihil contrarietatis obsistit. Ingre-
diuntur Venetiam ouanter recepti, beatissimam Coronam cum vase signato in the-
sauraria Capellæ beati Marci Euangelistæ cum diligentia & deuotione deponunt.
Relicto ibidem fratre Andrea custode thesauri nobilis, frater Iacobus cum nunciis
Imperij festinanter ad Regem accedit, rem gestam & statum negocij Regi fideliter
exprimit & Reginæ. Gaudent ambo, & omnes quibus id secretum communicant B
lætitiâ ineffabili, sperantes in Domino quòd ipse qui cæperat, votum eorum feli-
citer consummaret.

Præparant itaque nuncios solemnes & discretos cum fratre Iacobo & nunciis Im-
perij, mittentes eos Venetiam instructos pleniùs & munitos de pecunia ad redem-
ptionem sacri pignoris obtinendam. Imperatori Friderico scribitur vt si opus sit nun-
ciis regalibus conductum, consilium conferat & iuuamen. Expeditè veniunt Vene-
tiam fratrem Andream inueniunt cum thesauro. Procurante diuina clementia tunc
temporis in partibus illis negociabantur nati de regno Franciæ mercatores. Exhibi-
tis sibi litteris regalibus, de mutuo exponunt pecuniam ad libitum nunciorum. Re-
dimitur sanctum pignus dolentibus Venetis, sed pro conditionibus initis non valen-
tibus obuiare. Agnitis sigillis Procerum, vasculum sanctæ Coronæ suscipiunt nuncij
se viæ laboribus committentes. Conductus securitatem vbi decuit per Imperatoris
ministros habuerunt. protectos insuper diuini muneris præsentia, nihil in via con-
trarium contristauit. Nulla eis intemperies aëris nocuit, nec stilla pluuiæ cecidit su-
per eos, licèt ipsis susceptis in hospitio pluisset pluries abundanter. Præmittunt nun-
cios, qui iam vsque Træcas munus sacratissimum nunciant aduenisse. Exhilaratus
Rex plurimum cum matre sua & fratribus, assumptis secum Galthero Senonensi Ar-
* al. Altissiodorensi. chiepiscopo, Bernardo * Aniciensi Episcopo, & aliis Baronibus & militibus quos
habere subitò potuit festiuus occurrit: in villa, quæ per quinque leucas distat à Seno-
nis, & Villanoua Archiepiscopi dicitur, thesaurum quem desiderauerat cum nunciis
inuenit; consignatum vas ligneum reseratur, apparent circa vas argenteum sigilla C
Baronum. Attulerunt autem præfati nuncij sigilla Procerum, cum litteris patentibus
ad Regem & Balduinum.

Facta igitur collatione ipsorum cum sigillis, quibus erat sacræ Coronæ vas signa-
tum, inueniunt vera esse. Fractis itaque signaculis huiusmodi, necnon sigillo Ducis
Venetiæ, quod ad maiorem certitudinem appositum fuerat, argenteum vas reclu-
dunt. Inueniunt de auro purissimo loculum pulcherrimum, in quo sancta Coro-
na iacebat sublato huius operculo, visa est ab omnibus qui aderant inæstimabilis
Margarita. Quanta itaque deuotione, quantis fletibus & suspiriis inspecta fue-
rint à Rege & Regina, & aliis vix posset perpendi. Commorantur in aspectu præ
amoris desiderio, tam deuotum sentientes feruorem mentium, quasi viderent
coram se Dominum spinis præsentibus coronatum post paululum ipsam inclu-
dunt in vasculis, consignantur sigillo Regio, quod in die festo beati Lurentij mar-
M.CC.XXXIX. tyris est completum.

ANNO igitur millesimo ducentesimo tricesimo nono in crastino Lauren-
tij martyris huius preciosæ gemmæ thesaurus Senonis deportatur, occurrenti-
bus in via populis vniuersis: exultat omnis cætus hominum sine differentia,
sexuum & ætatum. In primo ciuitatis ingressu Rex nudis pedibus, sola indutus
tunicâ, cum fratre suo ROBERTO Comite humiliato similiter, sacrum
onus humeris suis suscipit deportandum. Prosequuntur & præcedunt
milites reiectis calceis. Exiit obuiam iocunda ciuitas, Clericorum
conuentus

A conuentus processionaliter veniunt: clerici matricis Ecclesiæ Sericis ornati, Monachi cum cæteris religiosis sanctorum corpora deferunt, & reliquias quas imaginatur hominum deuotio, tanquam sancti desiderent occurrere Domino venienti. Certatim concrepant laudes Domini, tapetibus & palliis ornata ciuitas res suas preciosas exhibet, campanis & organis resonat, & populi iocundantis applausu: cerei cum candelis tortilibus per plateas & vicos singulos accenduntur. Defertur in Ecclesiam prothomartyris Stephani, populis detegitur, & tantæ causa iocunditatis aperitur. In die crastina Rex versus Parisius vrbem Regiam dirigit iter suum, insigne vasculum deferens. Omnium voce laudatur dicentium, Benedictus qui venit in honore Domini, cuius ministerio regnum Franciæ tanti præsentiâ muneris exaltatur. Octaua die extra muros iuxta Ecclesiam B. Anthonij in campi planitie construitur eminens pulpitum, astantibus pluribus Prælatis, Ecclesiarum conuentibus indutis sericis, exhibitis sanctorum pignoribus, in tanta populorum frequentia quantam Parisius exierit. Monstratur loculus ex pulpito, diei felicitas & causa gaudij prædicatur. Post hæc intra muros ciuitatis infertur à Rege & fratre suo discalciatis vt priùs, & præter tunicas vestimentis depositis. Omnes etiam Prælati cum B clericis & viris religiosis, necnon & militibus, nudis pedibus antecedunt. Quanta per vrbem iucunditas, quot signa & indicia gaudiorum in conspectu venientium visa sint, nemo sufficeret enarrare. In pontificalem Ecclesiam beatæ Virginis inducitur, vbi persolutis Deo & beatissimæ matri eius deuotis laudibus, cum thesauro nobili solemniter ad Regis Palatium reuertuntur. Collocatur in Capella Regia beati Nicolai cum multo gaudio Domini Corona. His itaque solemniter peractis Parisius, exiit fama celebris, diuulgatur insigne spectaculum. primum per loca vicina, deinde per remotas ciuitates & villas: concurrunt festinanter ad gaudium, videre desiderant causam felicitatis præsentium temporum, & totius regionis. Quia verò non conceditur eis videre quod cupiunt ex causis aliquibus abscondito thesauro Domini, & fideliter consignato, certatim ad campos confluunt, ardenter deosculantur pulpitum, in quo exhibitum fuerat vas prædictum. Ibi, si credendum est personis fide dignissimis, per virtutem sacri diadematis, & propter deuotionem fidelium circa languentes operatus est multas virtutes & miracula Dominus IESVS CHRISTVS, cui est laus, honor & Imperium in secula seculorum, Amen.

Opusculum hoc à Galthero Cornuto tum Senonensi Archiepiscopo, qui huic negotio adfuit & præfuit, conscriptum iussu LVDOVICI Regis, ex manuscripto Chronico Cœnobij S. Petri Senonensis, colligitur. Ita enim in eo scriptum est. Anno Domini M.CC.XXXIV. frater Iordanus ordinis Prædicatorum Magister missus ad prædicandum Sarracenis obiit in portu maris. Illo tempore duo princi- C pes Græcorum Vastachius & * Duxanus pacem inuicem facientes contra Imperium Constantinopolitanum bellauerunt. Videns IOHANNES Imperator quod sine Francis resistere non posset, misit BALDVINVM Imperij heredem ad generositatem suam in Franciam. Consanguineus enim erat idem Balduinus Regis & Reginæ Blanchæ, & neptem habebat illius Blanchæ in vxorem. Dum peruenisset in Franciam Iohannes obiit, cuius filiam habebat Balduinus & Barones Constantinopolitani necessitate vrgente posuerunt apud Venetos pro pignore sanctam Coronam Domini spineam. Quo agnito in Francia, Rex Ludouicus prece obtinuit à Balduino, vt Coronam redimeret, & Parisius reconderet. Et sic factum est, vt Dominus Galtherus Archiepiscopus in libro quem fecit declarauit.

* al. Anxanus.

A

EPISTOLÆ INNOCENTII QVARTI PAPÆ SVPER PROFECTIONE LVDOVICI NONI REGIS. IN SVBSIDIVM TERRÆ SANCTÆ, ET SVPER EIVS CAPTIONE PER SARRACENOS.

Ex Codice MS.

B

EPISTOLA INNOCENTII *Pontificis ad Reginam Franciæ super profectione filiorum suorum in subsidium Terræ sanctæ.*

SOLLICITA valdè, carissima filia, de tuis absentibus filiis turbaris nimium intrinsecus pericula extrinseca cogitans, quibus proximo deuotè ac intrepidè suas exposuere personas, anxia quidem nimis tua mens, propter tot & tantorum natorum absentiam, nequit vtique vel ad horam quietam habere quietem, quin quocumque se vertat quibuscumque agendis considerationis instantia incumbet etiam incumbat, semper se conuertat ad ipsos, & tanquam de processu & statu eorum pendula de illis propensius meditetur. Materna quippe sollicitudine peruigil tremens amore tenero sedula rememoratione suspirans, & auida expectatione languescens. Nam licet terræ marisque spatio interposito longe absis corpore, ipsis tamen proximè ades corde. Verùm prudenter te attendere volumus quod etsi eorundem natorum discessus aliqua tibi materia turbationis existat, est & aliud quod causa consolationis non modica esse debet, multo enim potes gaudio merito exultare quod ipsi recognoscentes humiliter magnifica Dei beneficia, quibus eos inter cæteros orbis principes specialiter exaltauit, & cupientes ei dignè retribuere pro receptis, sic ad exequendum arduum eius placidumque sibi negotium assurrexerunt magnanimiter & potenter, quod vniuersos alios in hoc deuotionis exercitio excellentes principaliter in se pondus illius in vigore spiritus & robore corporis assumpserunt, propter quod omnium fidelium linguæ ipsorum laudem cum exultatione loquuntur tuæ pariter bonitatis resonantes præconium cum sic eos ab infantia in timore Domini erudieris, & amore, quod semper recta & salutaria diligentes in ipsius fuerint beneplacitis cõtinuè delectati, quod terra sancta redemptoris rubricata sanguine, quæ inconsolabiliter hactenus sub iugi iugo gemuit paganorum, sperat iam te ipsorum natorum confisa succursu ad lætitiam surgere de lamentis. Hos namque veluti singulares athletas fidei Christianæ ardenti desiderio diutius expectauit, & quasi per ipsos à longevæ seruitutis oppressionibus potissimè releuanda præsentiam appetiit eorundem. Non turberis itaque nec hæsites de ipsis, Christianissima filia, firma quoque semper confidens, & fudicia certa sperans quod idem redemptor qui suis dilectoribus præsto adest, eorum gressus prosperè dirigens prædictis natis suo totaliter seruitio inhærentibus adsit propitius, ipsorum iter salutare disponens, ab aduersis eorum eos clementer conseruando, cum aduersus ipsius aduersarios agant fideliter eius causam, quodque te ac ipsos eorumque posteros, grandium tuorum, ac natorum eorumque intuitu meritorum, & in præsenti multiplicabit propagine sanguinis, ac sublimibus magnificabit honoribus, & in futuro inextimabilibus dilatabit præmiis, & electorum suorum consortio congregabit. Confortare igitur & animo fortis esto iactus tuum penitus in Domino cogitatum de præfatis natis plus timoris quàm expediat non habendo, & pro ipsis vt eos cum suis idem Dominus ducat incolumes, cum alacritate C

A tate ac prosperitate reducat eodem certè negotio quod illud cooperante veritate consummatione concludat, optata nec non & benedicto regno Franciæ vt ipsum in bono & tranquillo statu conseruet, instes & insisti facias attentis & crebris supplicationibus apud eum: nos enim circa hoc sollicitè vigilantes sibi pro hiis deuotarum orationum sacrificia incessanter offerimus, & id ipsum fieri ab aliis diligenti studio procuramus. Cæterum quia de te mater Ecclesia sicut de præcordiali filia & virtute præcipua gerit confidentiam pleniorem, cum in cunctis suis necessitatibus tuum sibi auxilium senserit fauorabiliter affuisse. Celsitudini tuæ ipsius Ecclesiæ commendamus negotium, cum fiducia speciali, cuius promotionem plena voluntate nouimus affectare. Ideoque Serenitatem tuam rogamus, monemus & hortamur attentè, quod illud pro diuina & B. Petri reuerentia tuaque salute habens quamplurimum commendatum, ipsum consilio vtili, opportuno fauore, ac efficaci adiutorio persequaris, ita quod te semper eadem Ecclesia sui honoris potiorem reperiat promotricem.

Item Epistola INNOCENTII *confortatiua & consolatiua Regi Franciæ cum* B *captus fuit vltrà mare cum suis.*

GVSTASTI plurimum, carissime fili, de amaritudinis calice, quem Christiano populo in sinistra indignationis pauendum & mirandum dispositionis diuinæ mysterium propinauit, quem & nos tecum hausimus pleno haustu in dolore cordis, in angustia spiritus, in tribulatione mentis nimia, & in multo profluuio lachrymarum, dolemus quidem, & vtinam non inconsolabiliter, sed in infirmiorem hominem tristissimum casum illum, qui crucis Christi vexilla ferentes humiliauit ante oculos hostium nominis Christiani. Sed anxiamur vehementius non audentes discutere consilij diuini maiestatem, ex qua videlicet causa iudicij eius iustitia, & dispositionis infallibilis rectitudo permiserit in bello suo arcum fortium superari, perire arma bellica, & cedere alienigenis triumphum victoriæ Christianæ. Liceat, quæso, Domine Iesu seruorum tuorum serui sciscitari paulisper quod tam aspere purgandum fuit in Christo tuo Christianissimo Principum tibi se suos & sua in tanto feruore fidei exponente? aut quid duxisti tam seuere plectendum in deuotissimo populorum populo ducem suum tanta promptitudine in præceptorum tuorum laboribus subsequente. Ostende clemens pater, ostende ne fidelium tuorum deuotio ruat in scandalo, tibique cedant seuerius iudicandi. si punire voluisti zelo animaduersionis congruæ peccatores, aut probare iustorum patientiam, gloriosius coronandam. Si enim decreuisti eos ideo tanto tribulationis igne purgandos, vt fierent parato ipsis inenarrabilis mercedis, quæ merita supplicum & vota præcellit C præmio digniores, tibi laus, tibi actio gratiarum, qui per hoc dignatus es prærogare laborantibus fructum quem eis spes productior edidisset. Si autem punire tam acriter, sed temporaliter noluisti tuorum vel ingratitudinem, vel peccatum misericorditer cum illis dispensans ne perpetuo damnarentur, quis dixerit tuum hoc quantumlibet durum in hominibus iniquum esse iudicium, qui terrenum habent & sordidum fundamentum in coinquinatione ineuitabili domos luteas habitantes cum luna non sit munda in conspectu tuo, & in stellis repereris prauitaetm. Intende, Rex inclyte, Dei potentia Damietam Ægypti ianuam, quæ vix humanis laboribus obtineri multo tempore potuisset, miraculosa facilitate in manibus tuis dedit, in quo forte tibi & hiis quos tecum disposuit de hostium futura decipula eruendos benigna miseratione prouidit, vt liberandis oportunum redemptionis præmium non deesset. Sed quis scit si quisquam congratulantium successibus, vel aliorum fidelium animis ex hoc in iactantiam erectus humanam homini aliquatenus, & non totaliter nomini Domini gloriam arrogaret. Cepemus igitur à curiositate inquisitionis huius quæ forsitan venia opus habet, & confiteamur in humilitate spirituum Domino Deo nostro benedicentes nomen ipsius excellentissimæ potestatis, & cantemus ei in consolationis vbere, in gaudio spiritus, & dicamus omnia quæ fecisti nobis Domine, in vero iudicio fecisti, qui vincis per incommutabilem tuæ iustitiæ veritatem, cum à superbæ cæcitatis ignorantia de iniustitia iudicaris. Assume hinc quæsumus constātiam, fili, quin imo eam omni erga Deum pietate custodi, cum eam te habere credamus sicut sublimem principem, & inuictissimum Regem decet,

LVDOVICVS NONVS.

A cui & à progenitoribus singularis & eximiæ claritatis, & ab institutione propria comperit animus inclytus & erectus, quem serena celsius erigere nequeant, aut nubila inclinare, quot de tui pectoris firmitate subditi tui & cæteri nihilominus in quos commune Christianitatis cadit opprobrium in animos suos ignei zeli possint haurire vigorem. Exigit siquidem in te regalis excellentia mentem quadam cœlestis habitus conformitate diuinam interritam periculis, inter aduersa felicem, in tempestatibus placidam, omnia talia vt minora calcantem, & tanquam infirmiora ridentem. Talis itaque mens existit extra ius ditionemque fortunæ, secunda temperans, aduersa comminuens, & aliis ponenda contemnens. Vulgus autem, cuius non est lucidum cum ratione discrimen, illum duntaxat magnum & parentem extimat virum qui plures in alios vires potest expendere, facultatis non, sed magnus, seuerius qui potest animo violentiores exterioris insultus impetus tolerare. Oportet itaque vt insuperabilis virtutis constantia vincas aduersa, qui circumspectionis prudentia nosti prospera moderari: quia non magnum est in tranquillitate non concuti vbi quiuis constat intrepidus: sed illud magnificum est atque mirificum ibi altius præminere vbi cæteri deprimuntur, & ibi non deiici vbi alij consternantur, quia felicitas suffertur facili animo, calamitas verò forti. Sed vis scire, clarissime regum, B quos irruens aduersitas frangit non credimus tuam latere prudentiam illos esse præcipuè qui felicitati suæ, ac si nulli alterationi subiaceant innituntur. Quid autem natura eorum à periculo mutationis eripit? non terram quæ præ cæteris sensibilibus perstat immota, non cœlum à conditione corporeæ corruptionis exemptum, non hanc visibilium machinam, quæ quamuis Deo agente ducantur non tamen semper hunc felicem sui cursus ordinem obtinebit, & ab illo eam aliquando deijciet. dies vna ad exterminationem speciei est in secreto præscientiæ diuinæ consilio assignata. Exulet igitur meror omnis ab animo, & spera vberem de graui tentatione prouentum, cum quo quidem obueniet, quia quod acerbum fuit perpeti adhuc erit retulisse iocundum, cum naturale sit quemlibet mali sui fine gaudere: fortis nempe vir in ipsis difficultatibus, succrescente sibi animo constitutus, & in arduam spem melioris sortis secuturæ subiectus sine consolatore homine sibi blanditur, & dicit, Forsan & hæc olim meminisse iuuabit. Sustinenda est igitur animoso pectoris obiectu quæuis aduersitas: quia sicut perniciosior est fugientibus hostis instantia, sic fugientes & aduersos omne fortuitum incommodum magis præmit. Porro si qua iusti doloris est causa illa fortè videbitur in tam multo fidelium excidio attendenda, quorum ab impiis gloriosus fusus est sanguis in sacrificium Deo patri super sanguinē vnigeniti filij eius, quem ei non impar hostilium manum impietas immolauit. Sed quis super illis dolendum acriter censeat, qui ratione fidei suadente in meliorem per modica dispendia emissi sunt vitam? Lucidius quidem quam inter hæc humanæ labilitatis incommoda. Itaque tranquillius inter diuina C mansuri. Nam etsi visi sunt oculis insipientium mori, illi autem pretiosè in conspectu Domini mortis compendio sunt in pace, vbi non erit amplius neque luctus, neque clamor, nec etiam vllus dolor, quoniam priora velut in profundum obliuionis obruta transierunt. Desijsse quidem nobis ad tempus non periisse dolendi sunt, quorum vita interrupta est quodammodo non perempta, & cito qui venturus est veniet ipsorum dies repositurus in lucem: propter quod æquanimiter ferendum est illos felicius redituros exisse. Non autem regali excellentiæ idcirco hæc duximus suggerenda, quia in tribulationibus per quas Dominus non ad reprobationis, sed ad probationis indicium tuam voluit patientiam ad maius meritum experiri credamus te regij animi magnificentiam non tenere, sed vt de præsenti exhortatione, qua penes te insistimus, valde necessariam nobis in amaritudine multa, quam vt deceret expurgare non possumus, consolationis alicuius dulcedinem capiamus, cum minor compatientem ex animo affligat molestia, qui proprios dolores & gemitus communicat patienti. Rogamus denique serenitatem tuam Christianissime Rex, attente deposcimus, & per Deum obsecramus quatenus terram Hierosolymitanam, quæ nunc præsertim sub tui nominis vmbra respirat respicias oculo pietatis, prouidens sicut expedire cognoueris ne res tam caro totiens empta pretio alienari valeat à cultu Christi Domini Dei tui, & cum periculo fidelium in exterorum redigi potestatem. Nos enim in hoc cooperatores tui esse volumus iuxta posse, & prout nobis tuæ bene placitum voluntatis innuerit, parati sumus quidquid defensioni

A defensioni eiusdem terræ oportunum iudicaueris pro viribus persequi diligenter. Demum maiestatis diuinæ clementiam imploramus vt te in die tribulationis exaudiens mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te, carissime nobis in Domino fili, ac singularis propugnator fidei Christianæ. Cæterum dilecte fili.... ad celsitudinem tuam duximus transmittendos, à quibus audire velis & attendere benignitatis tuæ clementia consuetum, quæ per eos tibi proponenda prouidimus viua voce. Datum Lugd. ij. Id. August. anno octauo.

Item Epistola INNOCENTII, *directa Archiepiscopo Rothomagensi, vt ipse, & sui subditi orent pro Rege Franciæ, & suis captis per Sarracenos.*

PROPINATVM nuper ab oriente diræ amaritudinis calicem cum lachrymis haurientes in amara nimis & tristia prorumpere cogimur, & potissimum quem grauiter sentimus intrinsecus insinuare dolorem, quia vbi mœstitudine tanta deprimimur, quo possumus sermonem lugubrem non proferre, licet fortè huius paginæ cursum præcurrentis famæ celerior gressus præcesserit, & iam rumore præloquente noueritis quid nostrarum lingua loquitur literarum. Sæpe quidem illa orientalis regio absinthij poculo examaricauit Ecclesiam, sæpe pauit ipsam esca fellis & duræ tribulationis punctura confodit, sed nunc ei amarissimam intulit potionem, nunc eam immensæ tristitiæ ferculo saturauit, & sui furoris gladio acerrimè pupugit, quin imo ad eius interiora vsque pertinxit. Illato itaque aduersitatis inopinatæ calici superfundimus Ecclesiæ fletum, & potui tam acerbo vberem lachrymarum pluuiam immiscemus. Liquet namque omnibus quod carissimus in Christo filius noster Franciæ Rex illustris pro deliberatione terræ sanctæ, quam in contemptum Christi & fidelium eius opprobrium occupatam detinent agareni, Crucis olim suscepit signaculum, & cum copiosa Comitum, Baronum, Nobilium & aliorum multitudine tanquam vltionis iniuriarum Domini anxius illuc feruenti desiderio transfretauit, sub cuius studioso ducatu sic prospere ipsius terræ negotium dirigere cœpit Altissimus, quod Rex ipse ciuitatem Damietam in interitu sicut fertur Ægypti tanquam seram difficilem fortemque clauim multo robore stabilitam, quam dudum Populus Christianus non absque magna sui sanguinis effusione obtinuit, & tandem euentu sinistro perdidit mox vt ad ipsam applicuit diuino adiutorio: profligatis exinde fidei hostibus conquisiuit, de quo ingenti concepto gaudio in laudis supernæ canticum surrexit Ecclesia, & vniuersi Christicolæ huius communis lætitiæ participio pariter exultarunt, quia dragma quæ longo fuerat tempore perdita cœlesti erat munere reinuenta, & ouis quæ diu per desertum gentilitatis errauerat ad gregem reuocata Dominicum iam cum alijs pascuis salutaribus pascebatur. Sed C proh dolor! cessauit nunc tantum gaudium & in merorem nimium est conuersum, ipsaquemet ciuitas, quæ grandis causam alacritatis attulerat magni facta materia est lamenti. Nam cum postmodum idem Rex contra Soldanum Damasci & Babyloniæ suo exercitu comitante processerit, tandem claræ memoriæ R. Comite Attrebatensi germano Regis eiusdem, & Magistro & fratribus dictum militem Templi Hierosolymitani, ac aliis quam multis commilitonibus validum cum Sarracenis committentibus bellum, & post non modicum Sarracenorum ipsorum excidium in bello ipso, non absque salutaris triumpho martyrij, paucis euadentibus intentatis, præfatus Rex cum exercitui constanter insisteret furorem irruentium sustinuit paganorum, qui sic illico terræ ac fluminis transitus arctauerunt quod idem exercitus defectum victualium patiebatur extremum, propter cuius intolerabilem tolerantiam, & præ suorum multitudine infirmorum vehementer obstupuit, nec potuit non vereri, quoniam vrgentibus vndique incommodis præmebatur. Cumque mutuis congressibus fieret hinc inde ruina maxima pugnatorum, demum innumerabilitate hostium præualente Christianæ militiæ agmina fere penitus corruere, dictusque Rex cum hijs qui secum supererant hostilium populorum circumstantium vallo cinctus & coanguitatus nimium, coactus est restituere ad vltimum Damietam, & eo postea ingresso nauigium ad recessum, nonnullos de suis qui in Ciuitate ipsa in lectis ægritudinis decumbebant, & alijs qui nauali caruere præsidio indifferenter manus inimica peremit, non adfuit illis defensionis brachium nec pro eis locus refugij est inuentus. Ah Domine Deus! vbi sunt inclyti athletæ tui? vbi robu-

LVDOVICVS NONVS. sti pugiles? vbi propugnatores electi, qui fide fulgentes, feruentes deuotione, & experientia præcipui ad tuum prælium contra tui blasphemos nominis saluificæ Crucis armis insignibus se accinxerant præliendum! Ah Deus vbi est populus tuus egregius, gens illustris, & strenua multitudo, qui pro te relictis suis omnibus tam longa terrarum & marium spatia transierunt contra fidei æmulos Christianæ intrepidè pugnaturi! Ah Domine quomodo viri belligeri sic potuere à talibus debellari? quomodo fortes tui tam grauiter in prælio ceciderunt. Ecce inebriatus est iustorum sanguine, ac saturatus eorum carnibus gladius impiorum, in turbam illam quam eiusdem Regis ardens deuotio ad tuum tam acceptabile obsequium accenderat, vorauit mucro feritatis Sarracenicæ fere totam. Madent agri tuorum effuso pro te cruore fidelium, terra rutilantis eorum sanguinis aspersione coruscat. Iacent tuorum corpora martyrum inhumata in escam cœli volatilibus & terræ bestiis derelicta! Heu quàm funereus hic conflictus, qui tot & tantorum Christianorum vitam debachante in eos infidelium mucrone finiuit! heu quam delenda strages in qua tantum tuorum occubuit collegium bellatorum. Sed nequaquam ambigimus quin his feliciter concluserint dies suos, quin tu Domine pro quo dormitionem acceperunt, in vitam eos transtuleris absque termino duraturam. Non mirum ergo si de tam aduerso successu tota gemit Ecclesia, cum vix ei casus contingere grauior potuisset, propter quod exacerbatum est nimium cor ipsius, & suas præ angustia spiritus assiduis fletibus rigat genas, quia non ei dolor similis sicut iste: plorat quippe multorum interritum filiorum licet non extimandi sint illi mortui, sed ad vitam renati potius meliorem. Suspirat etiam de omissione tot sumptuum & laborum, qui sic steriles abiere cum sit probrosè perditum quod per ipsos fuerat honorifice acquisitum. Durè insuper ingemiscit de illorum iactura ethnicorum, qui forsan de huiusmodi temporali iactura fidelium gloriantes insultant ipsis, improperant dicendo Vbi est Deus eorum? vbi est ipsorum adiutor, de cuius auxilio confidebant; lugent etiam omnes Ecclesiæ filij, ac in plateis & viis publicis voces communiter dant mœroris, nullius facies iocunda cernitur, vnusquisque in terram oculos præ pudore declinat, alter cum altero condolet, & conceptam mœstitiam mutua de tam flebili euentu relatione recensent, vixque de ore alicuius, verbum percipitur nisi triste, nec est aliquis qui alium consoletur. O fallax Oriens, quam serenus in principio illuxisti Regi Francorum illustri, & claro exercitui Christiano, quam amicabilis eis in ingressu Ægypti, & quàm fauorabilis adfuisti. Nouissimè autem quàm toruum ostendisti te illis & turbidum, & quam inhumanum, ipsi quamquam contrarium te senserunt, venerant enim vt te quasi desertum incultum excolerent, & salutaribus plantariis consitum agro dominico sociarent, sed illorum, væ tibi, consortium repulisti, visitationis tuæ tempora non agnoscens. O nimis infelix tenebrarum Ægypte, cur illum inclytum Deo carum virorum illustrium cœtum, per quem tibi ad effugandam ignorantiæ tuæ caliginem lumen claræ fidei offulsisset, à tua exclusisti cohabitatione, ac tam exprobrabiliter deuitasti, quem profectò velut indicem viæ vitæ debueras libentius inuitare; in huius quidem propulsione repulisti. Heu tibi, spreuisti & distulisti Christum filium vnicum summi Patris. O dilecta Ierusalem Regis superni ciuitas: quot ad te pro subuentione tua misit huc vsque mater Ecclesia bellatores, quot hactenus Crucis armauit signaculo, vt à diro te iugo eriperet seruitutis, & quot in hoc obsequio captiuati sunt, mutilati, cæsi & aliis innumeris tribulationibus cruciati? Quot etiam in huius persecutione seruitij vitæ suæ spatium finierant? O Ierusalem Ierusalem, pro cuius liberatione occisi sunt innumeri ad te missi; quando speratam refundes iocunditatem Ecclesiæ, cui tandiu acris tristitiæ materiam infudisti. O vtinam suscipiat aliquando Ecclesia ipsa de tua optata recuperatione lætitiam, pro qua infinitas amaritudines iam gustauit. Porro nec ex parte ipsius Ecclesiæ, nec ex parte regia in præmisso negotio commissam fuisse credimus negligentiam vel defectum, cum & eadem Ecclesia omnem quam potuit ad illius profectum diligentiam & sollicitudinem adhibuerit, & grandia insuper impendia ministrarit, & prædictus Rex sic ex animo negotium ipsum assumpserit, quod pro eo suo pretioso, magnifico, & famoso regno relicto ad partes illas cum fratribus suis, cæterisque ipsius regni Magnatibus ardenti affectione processerit, quin imo propriis illud præferens commodis se ipsum & sua eidem totaliter deputarit. Vnde aliqua fortè peccata populi diuinæ Maiestatis oculos grauiter offenderunt,

A offenderunt, propter quæ prouocatus Dominus casum istum ad correctionem suorum, quos saluare desiderat euenire permisit, non enim odit quos corripit, nec salutem illorum negligit quos flagellat, quin imo eum percutit quem diligit, tunc ostendit, quia filio quem diligit assidue parat virgam, nec restringit in ira misericordiam, nec cum indignatur est immemor pietatis; si post illata verbera sentitur continuo propitius consolator. Quare sibi & in prosperis, & aduersis gratiarum reddendæ sunt actiones, & benedicendum in omnibus nomen suum, vt in nullo euentu, nullo in tempore suorum lingua taceat laudem eius, & sub ipsius potenti dextera humiliari debent magni communiter & pusilli vt mereantur necessitatis tempore suæ clementiæ beneficio exaltari, quoniam hic est Dominus qui humiliat, & sublimat qui mites benigne respicit, & de longe intuetur excelsos, qui vulnerat & medetur, & post tristitiam exultationem inducit. Quamobrem firmiter est sperandum quod post huiusmodi percussionis dolorem consolationis oportunæ medelam misericorditer adhibebit. Verùm quia pernecessariæ sunt in hijs deprecationes fidelium cum deuotè orationes & crebrò aures diuinæ pietatis inclinent, & ipsarum interuentione illius propitiatio facilius impetretur, prouidimus fore apud Deum B in huiusmodi necessitatis articulis attentis & sedulis supplicationibus insistendum, quoniam multum valent assidua iustorum præcamina penes ipsum, & si fortè sit fœtore peccatorum offensus, orationum odore non abnuit complacari, sed cito deuotis lenitur precibus, vbi culparum est enormitate commotus. Ideoque vniuersitatem vestram monemus, rogamus & hortamur attente mandantes quatenus hoc vniuersale discrimen pia moderatione pensantes erigatis toto affectu ad Dominum corda vestra, & in conspectu eius orationes continuas effundatis, & faciatis per vestras Ciuitates & diæceses à Clero & populo generaliter supplicari, vt Ecclesiam suam tanto consolari dispendio non retardet, & memorato Francorum Regi Christianissimo vtique Principi liberum iter præbeat & securum, ipsumque cum suis omnibus à quolibet nocumento custodiat, & ad sui gloriam & totius Christianitatis honorem in incolumitate ac prosperitate præseruet, sibique vires augeat, & corroboret contrà paganicas nationes, & ad Ierosolymitanum negotium clementer prospiciat, eique celeriter subuenire dignetur terram illam quam sua sanctificauit præsentia de infidelium manibus eruendo, speramus etenim dictum negotium posse huius precum subsidiis efficaciter adiuuari & non minus ipsum per hæc spiritualia quam per temporalia suffragia promoueri, quoniam orationes etsi non apertè, vtiliùs tamen pugnant. Vnde cum certabat legifer ille precibus mox Israël in prælio superabat, & per illius occultum agonem manifestam ipse victoriam obtinebat. vt autem hæc adiutoria frequentius & deuotius præbeantur, præcipimus vt qualibet hebdomada sermonem admonitionis & exhortationis Christi fidelibus proponatis C per vos vel per alios in vestris Ecclesiis & in aliis earundem Ciuitatum & diæcesum & per ipsarum prælatos vel rectores proponi similiter faciatis, vt super hiis effectuosè ac sine intermissione Dominum deprecentur & nihilominus ad præfatæ terræ succursum eo celerius & fortius se studeant properare quo festinantiori & potiori consilio & auxilio illa modo noscitur indigere, nec pro hac aduersitate à tam pij, necessarij & salubris negotij prosecutione torperscant, quin imo ex huiusmodi casu tanquam firmi & stabiles animo, quos tribulationis tentatio non euertit exurgant ad illius subsidium fortiores, quia nihil graue, nihilque aduersum debet ipsos retrahere a tam digno & placido seruitio Iesu Christi mandatum nostrum taliter impleturi quod præter grande præmium quod exinde à Domino consequimini nostras & Apostolicæ Sedis gratiam obtineatis pleniùs, & fauorem.

LVDOVICVS NONVS.

A

INDVLGENTIÆ VARIÆ CONCESSÆ A SVMMO PONTIFICE VRBANO, HVIVS NOMINIS QVARTO, IN FAVOREM LVDOVICI NONI FRANCORVM REGIS ET Philippi eiusdem Ludouici Primogeniti.

Ex veteri Codice MS.

DE INDVLGENTIA VIGINTI DIERVM, DEVM ORANTIBVS PRO LVDOVICO NONO REGE, concessa ab Vrbano quarto Summo Pontifice.

B

VRBANVS *Episcopus seruus seruorum Dei, carissimo in Christo filio* LVDOVICO *Regi Francorum illustri salutem & Apostolicam benedictionem.* Serenitatis regiæ vota præclara sic claris euidentium operum clarent effectibus, quibus sub Regio titulo Regi regum fidelis seruus votiuè deseruis; sicque fulgentis famæ fulgore præfulgent, quod ad decantandum assiduè nouum Domino Canticum, qui ad sui exaltationem nominis in te magnifica operatur, audientes vndique inuitentur. Tu siquidem, quem dominantium Dominus multis prætitulauit titulis, inter cæteros regiæ dignitatis participes, singularem non indignè præconiis humanis extolleris, non immeritò Rex non minus à laudabili tui regimine, quàm à regni solio prædicari singulariter promereris, & iuuari deuotis & piis Christicolarum intercessionibus apud bonorum omnium largitorem: vt ipse qui huiusmodi vota tua benigniùs aspirat, pius & misericors prosequatur etiam adiuuando. quatenus sic benè cæptis inhæreas, sic insistas, quòd idem te post decursa feliciter præsentis vitæ curricula, in dilecta sua tabernacula introducat. Vt igitur vniuersalis Ecclesiæ adiutus suffragiis, id faciliùs multiplicatis intercessoribus assequaris: Nos sperantes firmiter quòd sacrificium tuæ iustitiæ Dominus acceptabit, & regiæ magnificentiæ merita, inter quæ velut singulare sidus inradiat singularis, quam ad nos & Romanam geris Ecclesiam, deuotionis affectus paterni fauoris, & prærogatiua dilectionis præcipuè prosequentes: Vniuersos Christi fideles ad implorandum cotidie pro te patris æterni gratiam, illectiuis retributionibus decreuimus inuitandos. Ideóque omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui deuotis orationibus diuinam pro te misericordiam implorabunt, singulis diebus quibus apud Deum huiusmodi orationes effuderint, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, viginti dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Viterbij VI. Kal. Ianuar. Pontificatus nostri anno primo. C

DE INDVLGENTIA VNIVS ANNI ET QVADRAGINTA DIERVM CONCESSA AB EODEM PAPA VRBANO IV.

LVDOVICO NONO REGI FRANCIÆ ET EIS QVI CVM ILLO DEDICATIONI ALICVIVS ECCLESIÆ, VEL Capellæ, vel Altaris intererunt.

Ex eodem Codice MS.

VRBANVS *Episcopus seruus seruorum Dei charissimo in Christo filio* LVDOVICO *Regi Francorum Illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.* Personam tuam, fili

A fili cariſſimè, quam præ cunctis orbis Regibus & Principibus cariorem nimirum Apoſtolica Sedes habuit, intimæ affectionis brachiis, velut pater filium dulciùs amplexantes, ac cupientes præ nimia dilectione quam ad te gerimus tua deſideria plus executione præuenire, quàm exauditione complere. Gaudemus quampluri-mum quotiens a nobis aliqua quantumcumque ardua tua Celſitudo requirit. Nec de tanta prærogatiua fauoris quiſpiam ammiretur, quia cùm omnes prædeceſſores noſtri Romani Pontifices inclytos Reges Franc. progenitores tuos ſpeciali quodam priuilegio, vtpote ſpeciales defenſores fidei & libertatis Eccleſiaſticæ fuerint proſecuti: Nos, qui natalis ſoli non immemores quadam naturali neceſſitudine plus ceteris prædeceſſoribus noſtris tenemur & volumus tuum ſolium, quod Deus adaugeat, honorare; diligentiùs, fauorabiliùs, & efficaciùs implere proponimus vniuerſa & ſingula, etiam non requiſiti, quæ tuæ nouerimus magnificentiæ complacere. Vt igitur ex nouo Romano Pontifice noua gratiâ potiaris, eóque ſit tibi gratior quo ipſam plures obtentu tui participauerint vnà tecum; Nos ſupplicationibus regiis inclinati, quotieſcumque te ad alicuius Eccleſiæ vel Capellæ ſeu Altaris Dedicationem vel conſecrationem ire, vel intereſſe ibidem contigerit, tibi, & ob tui gratiam
B omnibus alijs verè pœnitentibus & confeſſis, qui ad eandem Eccleſiam vel Capellam ſeu Altare acceſſerint, illa die de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, annum vnum & XL. dies de iniunctis ſibi pœnitentiis relaxamus. Datum Viterbij XI. Kal. Decembr. Pontificatus noſtri anno primo.

DE INDVLGENTIA SIMILI, CONCESSA AB EODEM PAPA VRBANO QVARTO, IN FAVOREM PHILIPPI promogeniti Ludouici noni.

Ex eodem Codice MS.

VRBANVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei nobili viro* PHILIPPO *primogenito cariſſimi in Chriſto filij noſtri Regis Franc. illuſtris ſalutem & Apoſtolicam bened.* EXVLTA proles regia, exulta ſecunda, vtinam fæcunda ſoboles. Gaude & lætare felix alumne, ac redde Altiſſimo in humilitate cordis plenitudinem gratiarum, ex eo videlicet quòd diuina prouidentia ad regni, vt ſperatur, faſtigium te reſeruans, perſonam tuam ornauit prudentiâ, decorauit manſuetudine, ac clementiâ inſigniuit, tibique inter alia multiformia dona conceſſit, quòd præclaris veſtigiis paternis inhærens, ac eis te vltra iuuenilem ætatem moribus & deuotione confor-
C mans, primogenituram ad te ſorte deuolutam, humana videris quodammodo non minus imitatione virtutis quam propagatione ſanguinis vendicare. per quod ſperatur quòd omnipotens Deus, qui te fecit vniformiter vt placuit felicitatis paternæ participem, expertem paterni meriti non relinquet, quinpotiùs multiplicabit in te gratiarum dona, tuamque perſonam replebit virtutum affluentiâ, fæcunditate prolis, & vt diutiùs ei ſeruire valeas longæuitate dierum. Supereſt igitur vt Romanus Pontifex, qui non tam puri hominis quàm veri Dei vicem gerit in terris, diuinæ ſe diſpoſitioni coaptans, exhibeat ſe tibi fauorabilem & multipliciter gratioſum. Noſtraque ſpecialiùs intereſt vt nos, qui regni Francorum ſolium, quod Deus adaugeat, quadam naturali neceſſitudine natalis ſoli non immemores præcordialiùs diligimus, perſonam tuam attollamus honoribus, & diuerſorum titulorum inſigniis extollamus. Vt igitur in ipſis gratiarum Apoſtolicæ Sedis primordiis cognoſcas euidentiùs noſtræ intentionis affectum, eóque ſit tibi primordialis gratia gratior, quo plures ipſam obtentu tui participauerint vna tecum: Nos Regalis alumni ſupplicationibus inclinati, quotienſcúmque te ad alicuius Eccleſiæ, vel Capellæ, ſeu altaris Dedicationem, vel conſecrationem ire, vel intereſſe ibidem, tibi & ob tui gratiam omnibus aliis verè pænitentibus & confeſſis, qui ad eandem Eccleſiam vel Capellam ſeu Altare acceſſerint illa die, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, annum vnum & XL. dies de iniuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Viterbij XIII. Kal. Ianuar. Pontificatus noſtri anno primo.

LVDOVICVS NONVS. A

DE INDVLGENTIA CENTVM DIERVM CONCESSA AB EODEM PAPA VRBANO QVARTO, LVDOVICO nono Regi, & eis qui cum illo Prædicationibus verbi Dei intererunt.

Ex eodem Codice MS.

VRBANVS *Episcopus seruus seruorum Dei Charissimo in Christo filio* LVDOVICO *Regi Francorum illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.* Etsi firmi propositi nostri sit Reges & Principes pro singulorum excellentiis, quantum cum Deo poterimus, honorare; te tamen, quem Deus præ aliis vtpote singularem in orbe, dotauit virtutibus, ornauit militiâ, & opulentiâ stabiliuit, quibusdam specialibus, imò spiritualibus gratiis proponimus insignire. Nec est mirum si Principem illum, quem sic Dominus noster IESVS CHRISTVS exaltauit in terris, Romanis Pontifex eius cuius est vicarius se voluntati conformans, extollit diuersorum insigniis titulorum. B Vt igitur in ipsis gratiarum &c. Nos supplicationibus regiis inclinati, quotiescumque te ad audiendam verbi Dei prædicationem ire, vel in ea interesse contigerit, tibi & ob tui gratiam omnibus aliis verè pœnitentibus & confessis, qui prædicationi eidem interfuerint, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, centum dies de iniuncta eis pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Viterbij XII. Kal. Decembr. Pontificatus nostri anno primo.

CONSTITVTIONES SANCTI LVDOVICI FRANCORVM REGIS,

DE HÆRETICIS, EXCOMMVNICATIS, ET DECIMIS ECCLESIARVM.

Ex veteri Registro MS.

1228. LVDOVICVS Dei gratiâ Francorum Rex. Vniuersis ciuibus Albiens. & aliis fidelibus suis per Albiensem diocesim constitutis salutem & dilectionem. C Cupientes in primis ætatis & regni nostri primordiis illi seruire, à quo regnum recognoscimus, & id quod sumus, desideramus ad honorem ipsius qui nobis culmen dedit honoris, quod Ecclesia Dei, quæ in partibus vestris longo tempore fuit afflicta, & tribulationibus innumeris concassata, in nostro dominio honoretur, & feliciter gubernetur. Vnde de magnorum & prudentum consilio statuimus, quòd Ecclesiæ & viri Ecclesiastici in terris constitutæ prædictis libertatibus & immunitatibus vtantur, quibus vtitur Ecclesia Gallicana, & eis plenè gaudeant secundum consuetudinem Ecclesiæ memoratæ. Et quia heretici longo tempore virus suum in vestris partibus effuderunt, Ecclesiam matrem nostram multipliciter maculantes, ad ipsorum extirpationem statuimus, quòd heretici qui à fide Catholica deuiant, quocumque nomine censeantur, postquàm fuerint de heresi per Episcopum loci, vel per aliam Ecclesiasticam personam, quæ potestatem habeat, condemnati, indilatè animaduersione debita puniantur. Ordinantes etiam, & firmiter decernentes, ne quis hereticos receptare, vel defensare quomodolibet, aut ipsis fauere aut credere quoquomodo præsumat. Et si aliquis contra prædicta facere præsumpserit, nec ad testimonium, nec ad honorem aliquem de cetero admittatur, nec possit facere testamentum, nec successionem alicuius hereditatis habere. Omnia bona ipsius mobilia & immobilia, quòd sint ipso facto publicata, decernimus ad ipsum vel ad posteritatem ipsius vlterius

nullatenus

A nullatenus reuersura. statuimus etiam & mandamus, vt Barones terræ, & Bailliui nostri, & alij subditi nostri præsentes & futuri solliciti sint & intenti terram purgare hereticis, & heretica fæditate, & præcipientes, quòd prædicti diligenter ipsos inuestigare studeant, & fideliter inuenire. Et cùm eos inuenerint, præsentent sine moræ dispendio personis Ecclesiasticis superiùs memoratis, vt eis præsentibus de errore & heresi condemnatis, omni odio, prece, precio, timore, gratiâ, & amore postpositis, de ipsis festinatè faciant quod debebunt. Verùm quia honorandi sunt & muneribus prouocandi, qui ad inueniendum & capiendum hereticos sollicitè diligentiam suam exercent, statuimus & volumus, & mandamus, vt Bailliui nostri, in quorum Bailliuiis capti fuerint heretici, pro quolibet heretico capto, postquam de heresi fuerit condempnatus, vsque ad biennium soluant duas marcas argenti integrè capienti, post biennium autem vnam. Sane quia ruptarij solent deuastare ac demoliri terram prædictam, ac quietem Ecclesiæ & Ecclesiasticorum virorum turbare, statuimus vt omninò ruptariis ipsis expulsis, pax perpetuò publicetur in terra, ad quam seruandā dent omnes operam efficacem. Ad hæc, quia claues Ecclesiæ consueuerunt in terra illa contemni, statuimus vt excommunicati vtantur secundum canonicas sanctiones. Etsi aliqui per annum contumaciter in excommunicatione
B perstiterint, ex tunc temporaliter compellantur redire ad Ecclesiasticam vnitatem, vt quos à malo non retrahit timor Dei, saltem pæna temporalis compellat. Vnde præcipimus quòd Bailliui nostri omnia bona talium excommunicatorum mobilia & immobilia post annum capiant, nec eis aliquo modo restituant, donec prædicti absoluti fuerint, Ecclesiæ satisfactum, nec tunc etiam nisi de nostro speciali mandato. Sanè quia Ecclesia fuit longo tempore decimis per malitiam inhabitantium defraudata, statuimus & ordinamus quòd restituantur Ecclesiis, & ampliùs laici decimas non detineant, sed eas Ecclesias habere permittant. Hæc statuta inuiolabiliter seruari iubemus. Mandantes quòd Barones & vasalli, & bonæ villæ iurent ista seruare. Bailliuis nostris ad hoc executoribus deputatis, qui infra mensem postquàm fuerint in Bailliuiis constituti, publicè & in loco publico, & die solemni iurent, quòd hoc seruabunt & facient ab omnibus bona fide seruari. Quod si non fecerint, pœnam bonorum omnium & corporis poterunt formidare. Noueritis etiam quòd ista statuta sic volumus obseruari, quòd etiam quando frater noster terram illam tenebit, iurabit hæc seruare, & quòd faciet à suis fidelibus obseruari. Vt autem hæc statuta firma & inconcussa permaneant, ea sigilli nostri munimine fecimus communiri. Actum anno gratiæ M.CC.XXVIII. mense Aprili.

STATVTVM EIVSDEM LVDOVICI SANCTI FRANCORVM REGIS DE IVDEIS.

C

Ex eodem Registro MS.

LVDOVICVS Dei gratiâ Francorum Rex. Nouerint vniuersi præsentes pariter & futuri, quòd nos pro salute animæ nostræ, & inclytæ recordationis Lu- 1230.
douici Regis genitoris nostri, & antecessorum nostrorum, pensata etiam ad hoc vtilitate totius regni nostri, de sincera voluntate nostra, & de communi consilio Baronum nostrorum, statuimus quòd nos & Barones nostri Iudæis nulla debita de cetero contrahenda faciemus haberi. Nec aliquis in toto regno nostro poterit retinere Iudæum alterius Dominij. Et vbicunque aliquis inuenerit Iudæum suum, ipsum licitè capere poterit tanquam proprium seruum, quamcumque moram fecerit Iudæus sub alterius dominio, vel in alio regno. Debita verò, quæ vsque nunc Iudæis debentur, soluentur tribus terminis, videlicet in instanti festo omnium Sanctorum tertia pars, in sequenti festo omnium Sanctorum tertia pars, & in alio sequenti festo omnium Sanctorum residua tertia pars. De Christianis verò statuimus, quòd nullas vsuras de debitis contrahendis eos faciemus habere, nos, seu Barones nostri. Vsuras autem intelligimus quicquid est vltra sortem. Hæc autem statuta seruabimus, & faciemus seruari in terra nostra, & Barones nostri in terris suis. Et si aliqui Barones noluerint hoc seruare ipsos compellemus. Ad quod alij Barones nostri cum posse suo bona fide nos iuuare tenebuntur. Et si aliqui in terris Baronum inuenientur rebelles, nos & alij Barones nostri iuuabimus ad conpel-

LVDOVICVS NONVS. lendum rebelles prædicta statuta seruare. Hæc autem in perpetuum illibata seruari à nobis & heredibus nostris, & Barones nostri similiter concesserunt se & heredes suos perpetuò seruaturos. A

Ego Philippus Comes Boloniæ ea quæ præmissa sunt volui, consului, & iuraui.
Ego Theobaldus Comes Campaniæ eadem volui, consului, & iuraui.
Ego Hugo Comes Marchiæ eadem.
Ego Hugo Dux Burgundiæ eadem.
Ego Amalricus Comes Montisfortis Franciæ Constabularius eadem.
Ego Henricus Comes ....eadem.
Ego Hugo Comes sancti Pauli eadem.
Ego Radulphus Comes Augi eadem.
Ego Iohannes Comes Cabilonensis eadem.
Ego G. Vicecomes Lemouicensis eadem.
Ego Inguerrannus de Couciaco eadem.
Ego Guillelmus de Dompnopetro eadem.

Hæc autem volumus, consuluimus, & iurauimus, pro salute animarum nostrarum & antecessorum nostrorum adiunctum. Et etiam insuper quòd omnes Iudæi literas quascumque habent debitis suis ostendant dominis suis infra instans festum omnium sanctorum. Alioqui non valebunt litteræ illæ, nec eis extunc vti poterunt Iudæi ad petenda debita sua. Nos autem vt prædicta omnia rata in perpetuum permaneant & inconcussa, in eorum perpetuam memoriam & testimonium sigilla nostra præsentibus litteris fecimus apponi. Actum apud Meledunum anno Domini M.CC.XXX. mense Decembri. B

LITTERÆ SANCTI LVDOVICI FRANCORVM REGIS DE ELEMOSYNA QVADRAGESIMÆ.

Ex MS. Codice.

1240. IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, amen. LVDOVICVS Dei gratiâ Francorum Rex. Nouerint vniuersi præsentes pariter & futuri, quòd cùm olim temporibus prædecessorum nostrorũ pia liberalitate donata fuerit & hactenus obseruata talis elemosyna, videlicet annis singulis tempore Quadragesimali de bursa Regis vsque ad duo milia centum decem & nouem libr. Paris. & sexaginta tres modij bladi, & insuper sexaginta octo millia aleccium: quæ omnia per manus Elemosynarij & Balliuorum Regis distribui consueuerunt pauperibus Monasteriis, domibus Dei, leprosariis, & aliis piis locis ac personis miserabilibus & egenis: in augmentum etiam elemosynarum quæ cotidie per manum Elemosynarij prædicti minutis pauperibus erogantur tempore prædicto Quadragesimali ob deuotionem sacri temporis diebus singulis centum solidi Paris. per manum eiusdem Elemosinarij minutis pauperibus consueuerint à prædecessorum nostrorum temporibus erogari. Nos pro illius summi largitoris amore, de cuius manu bona suscepimus vniuersa, pro remedio animæ nostræ & inclytæ recordationis Regis LVDOVICI genitoris nostri, & Reginæ BLANCHÆ genitricis nostræ, & aliorum antecessorum nostrorum, volumus, statuimus, & etiam ordinamus, vt prædicta elemosyna tam in pecunia quàm in blado & alijs supradictis in posterum à nostris successoribus Regibus Franciæ firmiter & inuiolabiliter obseruetur, & sine diminutione vel contradictione quacúmque de proprio Regis ærario singulis annis in posterum exoluatur, heredes nostros Reges Franciæ ad id in perpetuum obligantes. Præsentes autem literas per magistrum & fratres domus Dei Paris. in eadem domo custodiri volumus, & heredi nostro ceterisque successoribus nostris Regibus Franciæ quotiens opus fuerit exhiberi. Et nos intuitu diuini amoris, & pro remedio animæ nostræ & antecessorum nostrorum prædictorum, & vt diligentiùs & studiosiùs præsentes litteræ custodiantur ibidem, donamus & concedimus eidem domui & pauperibus in ea degentibus decem libras paris. annui redditus percipiendas in perpetuum ab eisdem apud Templum Paris. de denariis Regiis in initio Quadragesimæ pro quærendis amygdalis & aliis necessariis ad vsus pauperum in Quadragesima antedicta. Quod vt perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginã sigilli nostri auctoritate, ac Regij nominis C

Karactere

A Karactere inferiùs annotato fecimus communiri. Actum Paris. anno Incarnationis Dominicæ M.CC.LX. mense Septembri, regni verò nostri anno XXXIIII. Astantibus in Palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa.

Dapifero nullo.
S. Iohannis Buticularij.
S. Alphonsi Camerarij.
S. Egidij Constabularij.

LITTERÆ SANCTI LVDOVICI FRANCORVM REGIS, QVIBVS DAT POTESTATEM STEPHANO EPISCOPO Parisiensi Ecclesiastica conferendi beneficia, tam ratione Regalium, quam alio quocumque iure, Regi pertinentia, quandiu ipse Ludouicus extra regnum commorabitur.

B *Ex Codice MS.*

LVDOVICVS Dei gratia Francorum Rex vniuersis, &c. Notum facimus quod nos existentes in procinctu itineris nostri proficiscendi in subsidium terræ sanctæ, personatus, præbendas, Ecclesias, Capellanias, & cætera Ecclesiastica beneficia quæcumque vacare contigerit citra mare, in hac nostræ peregrinationis absentia, ad nostrum patronatum collationem seu præsentationem nostram, tàm ratione Regalium, quàm alio quocumque iure pertinentia conferendi personis idoneis, & nullum aliud beneficium Ecclesiasticum habentibus, ac præsentandi ad vacantes Ecclesias vice nostra, dilecto & fideli nostro Stephano Parisiensi Episcopo, plenam & liberam committimus potestatem, dum tamen, de consilio discretorum virorum Cancellarij Parisiensis Ecclesiæ, prioris fratrum Prædicatorum, & Gardiani fratrum Minorum Parisiensium, vel duorum ex ipsis in huiusmodi collatione, vel præsentatione procedat, & in litteris donationis, vel præsentationis specialiter exprimatur, quod ex auctoritate & vice nostra sibi commissa, collatio vel præsẽtatio ipsa fiat. Hanc verò potestatem ipsos habere volumus, quamdiu absentes in hac peregrinatione fuerimus, vel donec à nobis, vel successore nostro, si nos contingat decedere fuerit aliud super hoc ordinatum, retenta nobis plenaria potestate aliqua beneficia quæ nobis aliisue conferre placuerit conferendi. In litteris autem collationis, & præsentationis quæ fuerit ab eis facta, prædicti Episcopi sigillum apponi volumus cum sigillo C alterius prædictorum. In cuius rei testimonium præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisiis anno Domini 1269. mense martio.

EPISTOLA BALDVINI IMPERATORIS AD SANCTVM LVDOVICVM FRANCORVM REGEM.

Super donatione à se facta de terra de CVRTINIACO principi Achaiæ, & super dotalitio vxoris suæ Mariæ Imperatricis.

Ex Codice MS.

EXCELLENTISSIMO Domino LVDOVICO Dei gratiâ Francorum Regi Illustrissimo BALDVINVS eadem gratiâ fidelissimus in Christo Imperator à Deo coronatus, Romaniæ moderator, & semper Augustus, consanguineus suus salutem, & prosperorum successuum continuum incrementum. Intelleximus quòd sublimitas vestra mirata est, & etiam molestè gessit, quòd nos terram nostram de CVRTINIACO Principi Achaiæ dederamus, prout per literas nostras vestræ significauimus maiestati. Nos verò super admiratione vestra potiùs admiramur. sicut enim celsitudini vestræ satis constare potuit per literas nostras, quàm per nuncios plures, tanta inopiæ & paupertatis angustiâ, tenebamur oppressi, cum præfatus

LVDOVICVS NONVS. princeps in Constantinopolim ad nos venit, quòd penitus ignorabamus quò ire, aut quid facere deberemus. Cùm ergo de dicto Principe magnum adiutorium speraremus, & ita indigentes essemus, non est mirandum si petitionibus eius in tali articulo præbebamus assensum. Imò si multò maiora petiisset, suæ nos oportuisset acquiescere voluntati. Quare licèt inuitos nos oportuit facere donationem prædictam. Sed cùm intelleximus quòd dominatio vestra ipsum Principem ad dictam donationem admittere recusaret, sciatis nos lætitia tanta repletos, quam si aliam terram æquiualentem cum illa essemus adepti. & vidimus quòd Dominus Deus terram ipsam ad opus præcordialissimæ consortis nostræ MARIÆ Dei gratia Imperatricis consanguineæ vestræ voluit reseruari. Nosque considerantes quod terra de Betriaco, Collungiis super Yonam, Mallicastrô, & Malli-villa, quam ei assignaueramus in dotem, dubia erat, & in ambiguo essemus si eam poterimus obtinere, nullatenus volentes dictam Imperatricem super suo dotalitio defraudari, statim ei dedimus & concessimus terram de Curtiniaco supradictam. Hoc modo; quòd siue dictâ terram de Betriaco, Collungiis, & Malliaco obtinuerimus, siue non, nihilominus, habeat dictam terram de Curtiniaco pro dote, hoc modo, quod quicquid de nobis contingat quandiu vixerit teneat dictam terram. Etsi de nobis heredem susceperit, heres ipse eam in perpetuum iure hereditario teneat sicut debet. Quia igitur quidam dicũt quòd modo non possumus ei dotem assignare, ex quo inter nos & ipsam est matrimonium consummatum, excellentiam vestram affectuosissimè deprecamur, quatenus habito prudentum consilio ordinare dignemini & statuere, quomodo donatio ista quam ei facimus rata & stabilis habeatur. Ita tamen quòd si ipsa sine herede de corpore nostro suscepto decesserit, dicta terra ad hæredes nostros post eius decessum more debito reuertatur. & tenorem literarum quæ sibi super hoc necessariæ fuerint nobis in scriptis dignemini destinare, & nos secundum tenorem illum literas nostras confici faciemus. & quicquid super hoc ordinaueritis prout melius fieri poterit ad commodum præfatæ Imperatricis ratum habebimus & acceptum, & proculdubio faciemus inuiolabiliter obseruari. Quia verò dicta terra de Betriaco, Collungiis, & malli quasi periclitans esse videtur, cum valdè sit difficilis ad habendum, & benè scimus quòd eam nullatenus obtinere poterimus, nisi vestro consilio ac opere mediante, sublimitatem vestram attentiùs deprecamur, quatinus prout melius expedire videritis ad opus nostrum & Imperatricis consanguineæ vestræ, eandem terram peti in iudicio faciatis, & causam ad debitum finem perduci; constituentes procuratores ad hoc faciendum siue per literas vestras siue per nostras quas lator præsentium secum defert, prout videritis expedire. vt carissima cõsors nostra indè valeat pacifica possessione gaudere vel in toto vel in parte, secundum quod per ius vel per compositionem fuerit ordinatum. Procuratoribus autem qui ad istud negocium prosequendum fuerint constituti, de re nostra faciatis expensas competentes ac necessarias exhiberi, ne pro defectu expensarum negocia nostra derelinquant oporteat imperfecta. Pro his autem negociis specialiter dilectum clericum nostrum B. Decanum Blakernensem latorem præsentium ad vestram celsitudinem destinamus, cui fidem indubitatam adhibere dignemini super omnibus quæ Serenitati vestræ ex parte nostra duxerit referenda ipsum propensiùs recommendatum habentes. Datum Constantinopoli x. Kal. Martij Imperij nostri anno secundo.

EPISTOLA BALDVINI IMPERATORIS, AD BLANCHAM REGINAM FRANCIÆ.

Super matrimonio SOLDANI DE YCONIO cum eiusdem BALDVINI IMPERATORIS NEPTE.

Ex Registro MS.

EXCELLENTISSIMÆ dominæ BLANCHÆ Dei gratiâ Francorum Reginæ Illustrissimæ, BALDVINVS eadem gratiâ fidelissimus in Christo Imperator à Deo coronatus, Romaniæ moderator, & semper Augustus, consanguineus suus, salutem, & prosperorum successuum cum assidua felicitate continuum incrementum.

Nouerit

A Nouerit excellentia vestra, nos gratiâ diuina præstante, plena corporis hilaritate gaudere. Idem de persona celsitudinis vestræ audire & scire plurimum cupientes. Super beneficio pecuniæ, quam Dei & vestri gratia ordinante & procurante percepimus, ad sustendandum Imperium Romaniæ, cuius regimen humeris nostris est impositum & commissum, serenitati vestræ gratiarum vberrimas referimus actiones. Verè enim debemus & volumus confiteri, nos nullum penitus obtinuisse subsidium, nisi sublimitatis vestræ gratiâ procurante. Sciat siquidem dominatio vestra nos & nostros multimodas paupertatis angustias in Romaniæ partibus diu passos. Quæ omnia grauiter sustinentes, omnimodam versabamus in corde maneriem, per quam possemus subsidium adipisci. Compertóque, & oculis cordis inspecto, SOLDANVM DE YCONIO dominum potentissimum, quo nullum ditiorem credimus esse paganum, tenere in propinquis ac vicinis nobis mœnibus dominatum, consilium habuimus de mittendo ad ipsum nostrum Nuncium specialem, ad inquirendum & sciendum si quod habere possemus adminiculum, ad inimicum nostrum VASTACHIVM deprimendum. maximè cùm idem Soldanus esset eidem Vastachio similiter inimicus. Nuncio autem nostro illuc peruento, & honorificè ac B honestè recepto, atque ab ipso Soldano super statu nostro & voluntate nostra dulciter allocuto, ipse Soldanus nuncium suum proprium vnà cum nostro cum solemnitate magna & exeniis pluribus ad nos misit: videlicet quendam potentiorem ac grandiorem de suis partibus Admiraldum, cum litteris de credulitate bullâ sua aurea communitis. Qui Admiraldus de mandato dicti Soldani domini sui, & ex parte ipsius Soldani, ac nomine ipsius talis modi nobiscum iniit pactiones. quòd opus atque negocium istud potius debet miraculosum quàm accidentale vel fortuitum reputari. Nobis enim nil petentibus, nec etiam sperantibus, ipse à nobis petiit, vt quandiu vterque nostrum vixerit, confæderati simus ad inuicem & amici, & omnes amici nostri sint amici sui, & omnes inimici nostri inimici sui, & similiter sui nostri, & alter alterum pro posse suo teneatur ad inuicem adiuuare: nec possit alter nostrum cum aliquibus inimicis suis compositionem vel pacem facere sine reliqui consilio & consensu. Item pro dicta confæderatione tenenda, & amicitia pleniùs confirmanda, petiit vnam mulierem de nostro genere in vxorem, videlicet vnam neptem nostram virginem, cùm nòn habemus sororem cui possit per matrimonium copulari. Hoc autem modo debet & vult eam ducere in vxorem, quòd ipsa in lege Christiana & Catholica fide omni tempore permanebit, & Capellanos suos ac Clericos secum habebit, & totam familiam Christianam, cum redditibus & honorificentiis omnibus, quæ exhiberi debent tam Clericis quàm laicis Christianis. nec sustineret dictus Soldanus etiamsi ipsa vellet, quòd ipsa propter hoc derelinqueret legem suam. Ipse enim Soldanus fuit filius Christianæ C Græcæ, quam pater suus similiter in lege Christiana Græca tenuit toto tempore vitæ suæ. Multi etiam nobiles pagani in partibus illis habent vxores Christianas, quæ in lege sua assiduè perseuerant. videlicet Græcæ, Armenicæ, Yueræ & Rossæ. Item ipse Soldanus ob amorem nostræ neptis, & nostrum, in omnibus & singulis ciuitatibus suis, quarum numerus est quasi infinitus, construi & ædificari faciet Ecclesias Christianas, & omnibus Clericis qui in eis deseruire voluerint, competentes redditus assignabit. Item omnes Episcopatus & Archiepiscopatus totius terræ suæ, tam Græcorum, quàm Armeniorum, Yuerorum, & Rossorum, ac omnium linguarum, qui .... multi sunt, tam in maiori .... quàm in pluribus aliis ciuitatibus suis, faciet esse subiectos & obedientes Patriarchæ Constantinopolitano, qui in lege Ecclesiæ Romanæ est Catholicus & fidelis. Hæc autem omnia faciet dictus Soldanus obseruari. & hæc omnia facit de consilio & monitione omnium subditorum suorum, Soldanorum, Admiraliorum & nobiliorum aliorum. Asseruit etiam nobis prædictus Admiraldus, nuncius eiusdem Soldani se firmiter credere, quòd illa mulier Christiana quæ dicto Soldano nupserit, si ipsum attrahere voluerit & sciuerit in amorem, ipse Soldanus ad legem Christianam & fidem Catholicam de facili conuertetur. Verumtamen hoc non est expressum in dictis pactionibus, nec promissum. Cùm igitur dictus Soldanus valdè sit nobis propinquus, & terræ Vastachij immediatè contiguus & vicinus, ab vna extremitate terræ Vastachij vsque ad aliam, & nos ex parte altera similiter immediatè coniuncti, & ipse Soldanus ita sit diues & potens, quòd nullus est in

LVDOVICVS NONVS. A

mundo ditior ipso paganus: visum est nobis valdè fructuosum & vtile, quòd supradicta omnia feliciter compleantur. Et ob hoc dictas concessimus pactiones, verè scientes nos multò magis cum trecentis militibus si eos habere potuerimus profecturos cum adiutorio dicti Soldani, quàm cum mille militibus si eos absque eius adiutorio haberemus. Vnde Serenitatem vestram, de cuius gratiâ præ ceteris cunctis viuentibus plenissimè confidimus, attentissimè deprecamur, quatinus nobilem mulierem ELYSABETH DOMINAM MONTIS-ACVTI sororem nostram, & ODONEM eiusdem castri dominum virum suum, ad hoc inducere dignemini & mouere, VT VNAM DE FILIABVS SVIS nobis concedant & mittant, ad dictum negocium ita fructuosum & vtile peragendum: maximè cùm dos neptis nostræ de assensu nostro, & ad gratum nostrum debeat assignari. Pro negocio autem isto complendo, dilectum & fidelem ac familiarem militem nostrum Henricum Verius latorem præsentium, qui cum fratribus & sororibus nostris semper fuit nutritus, & qui prædicta omnia auribus suis audiuit, & oculis suis vidit, ad sublimitatis vestræ præsentiam destinamus, pro dicta virgine adducenda. Celsitudinem vestram rogantes, quatinus eidem Henrico super his ac super aliis ad hoc pertinentibus, quæ omnia in litteris non potuerunt inseri, fidem indubitatam dignemini adhibere, & ordinare atque disponere, cum qua familia dicta neptis nostra ad nos debeat aduenire. Nos enim ipsam vlteriùs honorificè duci dante Domino faciemus. Expensas autem quas in itinere factura est faciatis ei competenter de re nostra vbicumque sit pro se & sua familia liberari. Datum Constantinopoli anno Domini M.CC.XLIII. Non. Augusti, Imperij nostri anno quarto. B

EPISTOLA BLANCHÆ REGINÆ AD COMITISSAM CAMPANIÆ.

DE BELLO INTER CHRISTIANOS.

Ex MS. Codice.

CARISSIMÆ *sorori sua B. illustri Trecensi Palatina, humilis & deuota soror eius* BLANCHA *Dei gratiâ Regina Francia salutem & sinceram sicut debitam dilectionem.* NOVERITIS quod habuimus nuncium ex Hispania, qui nobis attulit literas de bello inter Christianos in hæc verba. Certum habeat vestra nobilitas quòd factum fuit bellum inter Reges, scilicet Castellæ, & Nauarræ, & Aragoniæ, contra Regem Miramoraclin XVI. die Iulij, die lunæ, & deuictus fuit turpiter Rex Miramoraclin, & fugatus per sex leugas vsque ad munitissimum castrum quod dicitur Gelien. Processus verò huius facti talis erat. Quamcitò Rex Nauarræ accessit ad Kalatrauem, capta Kalatraua & omnibus munitionibus quæ sunt circa portum de Muredal, præter castrum quod dicitur Saluaterra, & castrum Dominas, consilium fuit Regis Castellæ quòd obsiderent castrum de Saluaterra. Ad quod respondit Rex Nauarræ, quòd castrum erat fortissimum, & exercitus posset pati penuriam victualium, & possent cõsumere multum temporis in obsidione, & melius esset quòd transirent portum, & intrarent portum Sarracenorum, & quærerent Regem Miramoraclin, donec inuenirent, & sicut Dominus disponeret ita agerent. Huic consilio assenserunt Rex Aragonum & Abbas Cisterciensis. Postea dixit Rex Castellæ quòd sufficiebat eis, quòd Rex Miramoraclin non audebat comparere, & eum quasi victum reputabat, & quòd sanius esset consilium quòd redirent contra Regem S. Iacobi, & penitus eum detraherent. Ad quod respondit Rex Nauarræ, quòd venerat nisi causâ peregrinationis, & solius Dei intuitu. & quòd non moueret arma contra Christianos, sed contra Sarracenos. Huic consilio acquieuerunt Rex Aragoniæ, & Abbas Cisterciensis. Incœperunt ergo ascendere portum in die Iouis ante festum sanctarum Iustæ & Rufinæ, & in summitate montis inuenerunt maximam multitudinem Sarracenorum, & non poterant occupare summitatem portus. Sequenti verò die veneris armauerunt se Christiani omnes, & expulerunt Sarracenos omnes de portu. sed non potuerunt transire, quoniã locus erat angustissimus, & valde C

difficilis

A difficilis ad transeundum. Sequenti die sabbati habuerunt duces peritos locorũ, qui duxerunt exercitum per dorsum montis ad transitũ minus difficilem, & ibi inuenerunt exercitum Regis Miramoraclim. Sequẽti verò die Rex Miramoraclim fixit tentorium suum in quodam monticulo, & ordinauit acies suas ad bellum. Sed Christiani ea die non descenderunt ad eos, quoniam lassi erant, & nondum ordinauerant acies suas. Sequenti verò die Lunæ in ipso ortu Solis Rex Miramoraclim iterum ordinauit acies suas, & Christiani similiter ordinauerunt suas in hunc modum. In prima acie fuit Didacus Lupi, & Garsias Romanus, & Abbas Cisterciensis cum c c c. militibus hinc & inde collectis. In secunda acie fuerunt omnes Episcopi & omnes clerici, & omnes ordines, & Michael de Lusia. In tertia acie Reges in hunc modum. Rex Nauarræ habuit dextrum latus, Rex Aragoniæ sinistrum. Rex Castellæ fuit in medio. Prima acies mirabiliter cœpit aggredi, & locus erat asperrimus, & non poterant libere accedere ad eos. Et in primo congressu ceciderunt de peditibus circiter XL. Christianorum. Postea Rex Nauarræ diuertit paululum ad dexteram, & ascendit monticulum quendam satis arduum quem possidebant Sarraceni, & strenuè eos depulit. Et tunc vno impetu omnes Christiani descenderunt, B & statim Sarraceni terga verterunt, relicta in campo magna multitudine Sarracenorum, qui statim omnes trucidati sunt. & fugatus fuit Rex Miramoraclim cum militia sua sicut prædictum est, vsque Gelien, & ibi obsessus. Verumtamen magna pars militum Sarracenorum capta fuit in ipsa fuga. De Christianis verò non corruerunt plus quàm XXX. milites de inferioribus. Reges & omnes duces salui facti sunt, & Dux Austriæ non interfuit, quia nondum venerat. Vale.

FRAGMENTVM DE BELLO INTER CHRISTIANOS.

Ex eodem Codice MS.

ANNO Domini M. CC. XII. factum est in Hispania bellum Christianorum contra Sarracenos. Venerunt autem in auxilium Christianorum multi Francorum, Burgundorum, & Normannorum. Quod audientes Sarraceni distulerunt bellum, donec nunciatum est eis omnes ferè recessisse. Et tunc dux Sarracenorum Mamelim nunciauit se velle pugnare. Quod audientes Abbas Cisterciensis & Rex Nauarræ, & cæteri qui Deo erant fideles, aggressi sunt pugnare contra Sarracenos à die Dominica in festo S. Mariæ Magdalenæ vsque in quartum diem. Videntes autem Sarraceni quòd ventus vehemens à parte eorum obuiam Christianis veniebat, miserunt ignem in fruteta & arbores humiles siue herbas, vt Christianos fugere cogerent. Accenso autem igne, Deus sua misericordiâ ventum mutauit, & à C parte Christianorum contra Sarracenos venire fecit. Tunc Sarraceni conturbati & dissoluti sunt, & dux eorum fugit, & ignis aggressus est ipsos Sarracenos & eorum tentoria, & vehicula in quibus se recluserant. Superuenientes autem Hispani Christiani de ventrib. eorum aurum quod glutierant abstrahebant. Pauci verò Franci, & cæteri peregrini qui remanserant, fugientes persequebantur, & interficiebant viros ac mulieres, nemini parentes vsque dum Cordubam venirent. In redeundo autem periclitati sunt & ægrotati propter fœtorem cadauerum, quia per aliam viam redire non poterant, nisi per quam priùs ierant.

SICVT literæ quæ D. Blanchæ vxori D. Ludouici Regis Franciæ directæ sunt testantur, in primo conflictu ceciderunt de Sarracenis LX. milia masculorum, & quinque feminarum, sed & XX. millia saumariorum specula deferentium à nostris capta sunt & detenta, & tentoria preciosissima C. millia, in quibus infinita pecunia inuenta est, auri scilicet & argenti, quam Sarraceni in fugam conuersi nostris reliquerunt. Vnde contigit nostros de spoliis illorum copiosè ditari. Subsequentia istorum rumorum conueniunt prioribus.

A

LVDOVICVS NONVS.

EPISTOLA SANCTI LVDOVICI REGIS DE CAPTIONE ET LIBERATIONE SVA.

LVDOVICVS, Dei gratia Francorum Rex: Dilectis & fidelibus suis, Prælatis, Baronibus, militibus, ciuibus, burgensibus suis, & aliis vniuersis in regno Franciæ constitutis, ad quos præsentes litteræ peruenerint, salutem. Ad decus & gloriam Domini nominis, Crucis prosequi cupientes negotium, totis affectibus vniuersitati vestræ duximus intimandum: Quòd post captionem Damiatæ, quam Dominus IESVS CHRISTVS, per ineffabilem suam misericordiam, quasi miraculosè præter vires humanas Christianæ tradiderat potestati, sicut vos credimus non latere, delibato communi consilio, de Damiata recessimus, vicesimâ die mensis Nouembris proximo præteriti; congregato tam nauali exercitu, quàm terrestri, procedentes aduersus Sarracenorum exercitum, congregatum & castrametatum in loco, qui vulgariter Massoria appellatur; in ipso quidem itinere sustinuimus aliquos Sarracenorum insultus, in quibus assiduè detrimentum suorum non modicum receperunt: (B) quadam die nonnullis eorum, qui de exercitu Ægyptiorum nostris occurrerant, interfectis. Intelleximus autem in ipso itinere, Soldanum Babyloniæ de nouo vitam miseram finisse: qui, sicut publicè dicebatur, miserat ad filium suum morantem in partibus Orientis, vt in Ægyptum veniret; & eidem à cunctis sui exercitus maioribus fidelitatis fieri fecerat iuramenta: relictâ totius suæ terræ exercitus custodiâ cuidam Admirato suo, nomine Farchardino. Hæc quidem, in accessu nostro ad locum prædictum, inuenimus vera esse. Accedentes igitur ad locum prædictum, die Martis, ante festum Natiuitatis Dominicæ, in primis accessum habere nequiuimus ad Sarracenos eosdem, propter quendam fluuium inter vtrumque exercitum defluentem, qui fluuius Thaneos dicitur, & in loco illo à magno flumine diriuatur. Inter vtrumque fluuium posuimus castra nostra protendentia à maiori fluuio ad minorem: vbi aliquanto conflictu habito cum Sarracenis, multi ceciderunt ex ipsis, nostrorum gladiis interfecti; maximâ insuper eorum multitudine submersâ in aquis validis & profundis. Sanè, quia memoratus fluuius Thaneos non erat vadabilis, propter profunditatem aquarum & riparum altitudinem, cœpimus facere super eum calciatam, vt per eam pateret transitus exercitui Christiano, ad hoc multis diebus cum immensis laboribus, periculis & sumptibus insistentes. Sarraceni autem, è contra totis resistentes conatibus, machinis nostris quas erexeramus ibidem, machinas opposuerunt quamplures quibus castella nostra lignea, quæ super passum collocari feceramus eundem, conquassata lapidibus & confracta, combuxerunt totaliter igne Græco. (C) Quo facto, ferè omni spe & exspectatione frustratâ per calciatam illam taliter transeundi, tandem per quendam Sarracenum venientem ab Ægyptiorum exercitu, datum fuit nobis intelligi locum esse vadabilem aliquantulum inferiùs, quò poterat exercitus Christianus fluuium transmeare. Inde, communicato consilio Baronum & aliorum maiorum de exercitu, die Lunæ antè cineres, fuit concorditer ordinatum, quòd in crastino, die videlicet Carnipriuij, summo mane conueniremus ad locum prædictum, fluuium transituri quadam parte exercitus ad castrorum custodiam ordinatâ. Die itaque crastinâ, ordinatis aciebus, venientes ad locum, transiuimus fluuium non tamen sine graui periculo. Nam profundior & periculosior erat locus, quàm nobis fuerat intimatum: ita quòd ibi oportuit natare equos nostros: & propter altas & lutosas ripas, periculosus erat exitus fluminis antedicti. Transacto itaque flumine, ventum est ad locum vbi erant Sarracenorum machinæ, iuxta calciatam prædictam. Et habitò cum Sarracenis aggressu, nostri qui præcedebant, multos ex ipsis trucidarunt gladiis, non parcentes sexui vel ætati. Inter quos Capitaneum eorundem, & quosdam alios Admiratos interfecerunt ibidem. Deinde verò dispersis aciebus nostris, quidam nostrorum per castra hostium discurrentes, venerunt vsque ad villam quæ Massora dicitur, quotquot hostium occurrebant gladiis occidentes. Sed tandem Sarraceni, cognito eorum inconsulto processu, resumptis viribus irruentes in eos, & circumuallantes vndique, oppresserunt eosdem: vbi facta est nostrorum strages non modica Baronum & militum, tam religiosorum quàm aliorum, de qua non immeritò

doluimus

A doluimus quamplurimùm & dolemus. Ibi etiam illum præcordialem & præclarum fratrem nostrum, recolendæ memoriæ, Atrebatensem Comitem, temporaliter amisimus: quod cum cordis amaritudine recolimus & dolore, licet de ipso gaudendum sit potiùs quàm dolendum; Quoniam pro certo credimus & speramus eum, coronâ martyrij, ad cœlestem euolasse patriam, & ibi cum SS. martyribus perenniter congaudere. Itaque die illâ, Sarracenis super nos irruentibus vndique, ac imbrem emittentibus sagittarum, graues insultus sustinuimus eorundem vsque circiter horam nonam, deficiente nobis omninò balistarum subsidio, & tandem, multis ibidem vulneratis ex nostris, & equis nostris pro maiori parte diuersis sauciatis vulneribus aut occisis, Domino auxiliante, campum retinuimus, nostrorum viribus recollectis: & ibi, iuxta Sarracenorum machinas, quas adquisiuiuus, eadem die castra nostra posuimus: vbi cum paucis moram fecimus die illo, facto ibi priùs ponte de lignis, per quem possent illi ad nos qui erant vltra fluuium transmeare. In crastino verò plures è nostris de mandato nostro fluuium transeuntes, castra metati sunt iuxta nos: & tunc, destructis Sarracenorum machinis, licias fecimus ad pontes nauales, per quos nostri de vno exercitu ad alium transire liberè poterant & securè.
B Sequenti autem die Veneris, filij perditionis, congregatis ex omni parte viribus suis, Christianum exercitum omninò perdere intendentes, in fortitudine maxima, & in multitudine infinita conuenerunt ad licias nostras, ex omni parte exercitus tantos tamque terribiles facientes insultus, quantos, sicut à pluribus dicebatur, in eis marinis partibus nunquam viderant facere Sarracenos. Quibus tamen, diuinâ præualente potentiâ, ordinatâ ex omni parte exercitus nostrorum copiâ restitimus, & impetus repulimus eorundem, maximâ eorum multitudine nostrorum gladiis incumbente. Postmodum autem elapsis aliquot diebus aduentauit apud Massoram Soldani filius, veniens de partibus Orientis: in cuius aduentu tympanizantes & lætantes Ægyptij, receperunt eum ad dominum: & ex hoc augmentata est eorum non modicùm fortitudo. Vnde apud nos postmodum, nescimus quo DEI iudicio, omnia nostris desideriis in contrarium successerunt: inolente diuersarum ægritudinum peste, & mortalitatis etiam generalis tam in hominibus quàm in equis: ita quòd vix erant in exercitu aliqui, qui mortuos suos non plangerent, aut ægrotantes ad mortem. Vndè pro magna parte diminutus erat exercitus Christianus, & consumptus. Tantus erat defectus victualium, quòd plures inediâ deficiebant & fame. Non enim vasella naualia de Damiata ad exercitum transire poterant, impedientibus Sarracenorum galeis & vasis piraticis, quæ per terram in flumine collocauerant antedicto. Sicque compluribus vasis nostris priùs captis ab eis in flumine, tandem duas successiuè carauanas, victualia & alia multa bona ad exercitum deferentes, cæsa marinariorum & aliorum multitudine, ceperunt; in totius exercitus detrimentum. Vnde deficiente omninò victualium, & annonæ equorum suffragio, cœperunt in exercitu deficere ferè omnes, in desolationem & terrorem non modicum incidentes.
C His igitur arctatos incommodis, tam propter ciborum carentiam & equorum annonæ, quam propter casus superiùs annotatos, inneuitabilis necessitas nos induxit à loco prædicto recedere, & ad partes Damiatæ redire, si Dominus prouidisset. Sed, cùm viæ hominis non sint in eo, sed potiùs in illo, qui quorúmque gressus dirigit, & disponit iuxta suæ placita voluntatis: dum essemus in itinere reuertendi, quinto scilicet die mensis Aprilis, & Sarracenis totis suis viribus congregatis in vnum, cum multitudine infinita aggressi sunt exercitum Christianum; &, sicut accidit, permissione diuinâ, peccatis nostris exigentibus, in manus inimicorum incidimus: nobis, & karissimis fratribus nostris, A. Pictauensi, & K. Andegauensi Comitibus, & cæteris qui nobiscum reuertebantur per terram, nemine penitùs euadente, captis & carceribus mancipatis, non sine maxima strage nostrorum, & effusione non modica sanguinis Christiani: maiori parte illorum qui reuertebantur per fluuium, similiter captâ, aut gladio interfectâ; vasellis naualibus, vt plurimum, incendio dissipatis, in quibus incendij flamma combuxit ægrotantium multitudinem dolorosam. Sanè post captionem nostram, per dies aliquot iam dictus Soldanus requiri nos fecit de treugis faciendis: petens instanter, non sine minis & austeritate verborum, quòd sublato moræ dispendio, faceremus sibi restitui Damiatam, cum omnibus rebus ibidem inuentis; & resarciremus omnia damna, & expensas quas fecerat vsque ad tempus illud à die quâ receperant Damiatam Chri-

LVDOVICVS NONVS.

stiani. Tandem verò post multos tractatus, treugas iniuimus vsque ad decennium, A
„ sub hac forma: videlicet, Quòd idem Soldanus nos, & omnes qui capti fuerant à
„ Sarracenis postquam venimus in Ægyptum, Christianos captiuos, nec non & om-
„ nes alios de quibuscúmque partibus oriundos, qui capti fuerant à tempore quo Sol-
„ danus Kyemel, auus eiusdem Soldani Caym, cum Imperatore treugas inierat, de
„ carcere liberaret, & liberos abire permitteret vbi vellent: & quòd terras, quas
„ Christiani in regno Ierosolymitano tenebant in aduentu nostro, cum omnibus per-
„ tinentiis in earum pace tenerent. Nos autem tenebamur ei reddere Damiatam, &
„ octingenta millia Bisantiorum Sarracen. pro liberatione captiuorum, & damnis, &
„ expensis prædictis, de quibus iam soluimus quadringentos: & liberare omnes Sar-
„ racenos captos in Ægypto à Christianis, postquam illuc venimus: nec non & eos
„ qui capti fuerant in regno Ierosolimitano, à tempore treugarum olim factarum in-
„ ter Imperatorem & Soldanum prædictum. Adiecto, quòd omnia bona nostra mo-
„ bilia, & omnium aliorum apud Damiatam remanentia post recessum nostrum, sal-
„ ua forent, & sub custodia & defensione eiusdem Soldani, portanda ad terram Chri-
„ stianorum quandocúmque oportunitas haberetur. Omnes etiam Christiani infir-
„ mi, & alij qui pro vendendis rebus suis quas, ibi habebant, in Damiata moram tra- B
„ herent, tuti similiter essent, recessuri per terram vel per mare, quando vellent sine
„ impedimento vel contradictione quacumque. Et omnibus illis qui per terram vel-
„ lent recedere, tenebatur idem Soldanus vsque ad terram Christianorum securum
„ præstare conductum. Vndè cùm huiusmodi treugæ inter nos & Soldanum prædi-
„ ctum, præstitis iuramentis hinc inde firmatæ fuissent: & iam idem Soldanus esset
„ cum suo exercitu in itinere veniendi aduersus propè Damiatam, pro complendis
„ omnibus supradictis: accidit, diuino iudicio, quòd quidam milites Sarraceni, non
„ sine conniuentia vel maioris partis exercitus, irruentes in Soldanum prædictum sur-
„ gentem in manè de mensa, post prandium, ipsum immaniter vulnerauerunt; & de
„ suo tentorio exeuntem, vt posset fugæ beneficio liberari, videntibus ferè omnibus
„ Admiratis, & aliorum Sarracenorum multitudine, frustratim gladiis trucidarunt.
„ Quo perpetrato, statim multi Sarraceni armati, in illo furoris calore, venerunt ad
„ nostrum tentorium, ac si vellent, vt timebatur à multis, in nos & alios Christianos
„ desæuire: sed diuinâ clementiâ eorum furiam mitigante, super firmandis treugis
„ præhabitis cum Soldano, & ciuitatis Damiatæ liberatione festinâ, nos requisierunt
„ instanter. Cum quibus, præmissis tamen ab eis verborum & comminationum to-
„ nitruis, tandem sicut Domino placuit, qui tanquam pater misericordiarum, & pius
„ in tribulationibus consolator, gemitus compeditorum exaudit, firmauimus cum iu-
„ ramentis treugas quas feceramus antea cum Soldano; & ab omnibus & singulis eo-
„ rum recepimus iuramenta, iuxta legem eorundem super treugis nostris obseruan-
„ dis: determinatis certis temporibus, infra quæ captiui liberarentur hinc inde, & C
„ Damiatæ ciuitas redderetur. In cuius redditione, & tunc cum Admiratis eisdem,
„ & antea cum Soldano ea de causa non sine difficultate conuenimus: quia spes nulla
„ erat de retinenda ciuitate iam dicta, sicut certissimè per illos intelleximus qui ad nos
„ de Damiata venerant, veritatem nullatenus ignorantes: propter quos, de consilio
„ Baronum Franciæ, & quamplurium aliorum, potiùs elegimus Christianitati fore
„ consultius, nos & captiuos alios pro treugis huiusmodi liberari, quàm ciuitatem
„ taliter amittere cum residuo populi Christiani existentis in illa, quàm nos & alios
„ sub tantis periculis in carcere remanere. Die igitur statutâ receperunt Admirati
„ prædicti ciuitatem eandem: quâ receptâ, liberauerunt nos, & fratres nostros: nec
„ non Comites Britanniæ, & Flandriæ, & Suession. & multos alios Barones, milites
„ de regno Franciæ, Ierosolimorum, & Cypri. Et tunc spem firmam habuimus, ex
„ quo nos liberauerunt & alios supradictos, quòd de reddendis & liberandis omni-
„ bus aliis Christianis iuramenta sua firmiter obseruarent, secundùm continentiam
„ treugarum. His itaque peractis, à partibus Ægypti recessimus, certos nuntios di-
„ mittentes ibidem ad recipiendum captiuos à Sarracenis, & ad custodiam rerum quas
„ ibidem dimisimus: & quòd non habebamus nauigia quæ sufficerent ad portandum.
„ Postmodum autem, venientes in actu de rehabendis captiuis, quod multùm insi-
„ det cordi nostro sollicitè cogitantes, remisimus alios solemnes nuntios & nauigia
„ in Ægyptum, ad reducendum captiuos, & res alias quas dimiseramus ibidem: sci-
„ licet, machinas nostras, arma, tentoria, quandam quantitatem equorum, & alia
multa

A multa bona. Sed Admirati prædicti nuntios noſtros, cum inſtantia poſtulantes reddi ſibi captiuos iuxta formam treugarum & alia ſupradicta, detinuerunt diutius in Babylonia, ſub ſpe reddendi omnia quæ petebant. Tandem verò poſt exſpectationem diuturnam de captiuis omnibus quos reddere tenebantur, qui ſunt, vt firmiter dicitur, numero plus quàm duodecim millia, inter antiquos & nouos, non liberauerunt nuntiis noſtris niſi tantummodo quadringentos; de quibus pars quædam exiuit de carcere pecuniâ mediante. De cæteris tantùm rebus, nihil omninò reddere voluerunt. Immò, quod eſt deteſtabilius, poſt treugas initas & iuratas, ſicut intelleximus per nuntios noſtros, & per captiuos quoſdam fide dignos de illis partibus redeuntes, electos iuuenes de Chriſtianis captiuis ducendo ad victimam, tanquam oues, quantum in eis erat, compellebant apoſtatare à fide Catholica, appoſitis gladiis ſuper eorum ceruicibus, & clamare legem ſceleratiſſimi Machometi; quorum multi imbecilles & fragiles exorbitauerunt à fide, legem illam deteſtabilem profitendo. Cæteri verò, tanquam Athletæ fortiſſimi, in fide radicati, & in firmo propoſito conſtantiſſimè perſiſtentes, minis vel flagellis hoſtium ſuperari nullatenus potuerunt: ſed certantes legitimè, coronas martyrij receperunt ſanguine rubritas: quorum ſanguis, vt pro certo tenemus, clamabit ad Dominum pro
B populo Chriſtiano, & aduocati noſtri erunt coram ſummo Iudice in cœleſti curia, in cauſa quam agimus contra fidei inimicos, vtiliores nobis in illa patria quàm ſi nobiſcum conuerſarentur in terris. Multos etiam Chriſtianos, qui apud Damiatam remanſerant ægrotantes, gladiis trucidarunt. Nec de liberandis captiuis Chriſtianis, nec de rerum reſtitutione noſtrarum, aliquam certitudinem habebamus, quamuis plenè ſeruauerimus conditiones & pacta quæ cum eis habuerimus, & parati fuerimus obſeruare. Ad hoc cùm poſt treugas initas & liberationem noſtram, firmam haberemus fiduciam, quòd liberatis captiuis, terra tranſmarina, quam Chriſtiani tenebant, in ſtatu pacifico permaneret, vſque ad tempus in treugis diffinitum: voluntatem & propoſitum habuimus ad partes regni Franciæ reuertendi: & iam diſponi feceram de nauigio, & aliis, quæ ad noſtrum paſſagium neceſſaria videbantur. Sed apertè videntes, per ea quæ ſuperiùs ſunt expreſſa, quòd Admirati prædicti apertè contra treugas veniebant, & contra propria iuramenta nobis & Chriſtianitati illudere non verentes, requiſimus conſilia Baronum Franciæ, Prælatorum, domorum Templi, Hoſpitalium Sancti Iohannis, & Sanctæ Mariæ Teutonicorum, & Baronum regni Ieroſolimitani: & communicatum quidem eſſet nobis ineuntibus huiuſmodi faciendum: quorum maior pars concorditer aſſerebat, quòd ſi nos recedere contingeret his diebus, prædictam terram dimitteremus omninò in admiſſionis articulo conſtitutam; & noſter receſſus non eſſet aliud, niſi eam totaliter exponere Sarracenis: maximè cùm in ſtatu tam debili, & tam miſerabili his die-
C bus eſſet, proh dolor! conſtituta. Captiui etiam Chriſtiani qui ab infidelibus detinentur, poſt receſſum noſtrum poterant pro perditis reputari, omni ſpe de liberatione ipſorum ſublatâ. Si autem contingeret nos morari, ſperabatur quòd ex mora noſtra poſſet aliquod bonum euenire: ex quo etiam liberatio captiuorum, & caſtrorum & villarum regni Ieroſolimitani retentio, & quædam alia toti Chriſtianitati vtilia poſſent, auctore Domino, prouenire: maximè cum inter Soldanum Halapiæ, & Babyloniæ grauis diſcordia ſit exorta. Qui Soldanus, congregatis ſuis exercitibus, iam cœpit Damaſcum, & quædam caſtra ſub dominio Babyloniæ conſtituta: proceſſurus, vt à multis aſſeritur, in Ægyptum ad vindicandum mortem interfecti Soldani, & ad terram illam quantum poterit occupandam. His igitur conſideratis attentè, prædictæ Terræ Sanctæ compatientes miſeriis & preſſuris, qui ad eius ſubſidium veneramus, ac captiuorum noſtrorum captiuitatibus & doloribus condolentes, licet nobis diſſuaderetur à multis morari in partibus tranſmarinis: malluimus tamen adhuc differre paſſagium, & morari per tempus aliquod in regno Syriæ, quàm negotium CHRISTI totaliter relinquere deſperatum, & captiuos noſtros in tantis periculis conſtitutos. Kariſſimos autem fratres noſtros A. Pictauienſem, & K. Andegauenſem Comites, ad kariſſimæ dominæ ac matris noſtræ, nec non & totius regni conſolationem, in Franciam duximus remittendos. Cùm igitur omnes qui in nomine Chriſtiano cenſentur, zelum habere debeant ad negotium memoratum, & vos præcipuè, Clerici, qui de illorum ſanguine deſcendiſtis, quos Dominus ad Terram Sanctam acquirendam, tanquam populum peculiarem

LVDOVICVS NONVS. elegit, quam acquisitionis titulo propriam reputare debetis, vniuersitatem vestram A
„ ad illud seruitium inuitamus, qui nobis in Cruce seruiuit, & pro redemptione ve-
„ stra sanguinem proprium effundendo, extitit, ita quòd corda vestra noua sint in
„ CHRISTO IESV. Gens enim illa sceleratissima, in contumeliam Creatoris, præ-
„ ter blasphemias quas dicebant in conspectu populi Christiani, Crucem flagellis cæ-
„ debant, spuebant in eam, & deinde viliter pedibus conculcabant, in opprobrium
„ fidei Christianæ. Eya ergo, milites CHRISTI, peculiaris Papæ DEI viui, accin-
„ gimini, & estote viri potentes ad vindicandas iniurias & opprobria supradicta; actus
„ vestros ad antecessorum vestrorum exempla reducite, qui specialiter inter cæteras
„ nationes fuerunt in fidei exaltatione deuoti, & sinceritatis affectu dominis suis tem-
„ poraliter obsequentes, totum orbem gestis insignibus impleuerunt. Præcessimus
„ vos in obsequium DEI: venite & vos, assequimini nos pro DEO, tandem nobis-
„ cum, licet tardiùs deueneritis, recepturi, Domino largiente, mercœdem, quam
„ Euangelicus Paterfamilias primis donauit vineæ suæ operariis, & extremis. Insu-
„ per, præter indulgentiam generalem Cruce signatis indultam, venientes, vel com-
„ petens subsidium transmittentes in nostrorum subsidium, immò potiùs Terræ San-
„ ctæ, dum ibi præsentes fuerimus, apud DEVM, & homines multùm sibi fauoris & B
„ honoris acquirent. Expedite autem negotium: vt illi, quibus virtus Altissimi in-
„ spirabit venire vel mittere in subsidium memoratum, præparent se venturos vel mis-
„ suros in Passagio instantis mensis Maij vel Aprilis. Ipsi autem qui parati esse non
„ poterunt ad transmittendum in illo passagio, saltem in secundo sequenti passagio
„ sancti Iohannis transfretare procurent in subsidium memoratum. Acceleratione
„ enim opus est, & mora dispendiosa videtur, iuxta negotij qualitatem. Vos autem,
„ Prælati & alij CHRISTI fideles, pro nobis ac memorato negotio Terræ Sanctæ
„ specialiter orationum instantiâ interpellare velitis Altissimum; ac in locis vobis
„ subiectis faciatis specialiter exorari, vt quod nostra peccata præpediunt, diuinæ
„ suæ propitiationis annuente clementia, vestrarum aliorúmque bonorum oratio-
„ num suffragiis valeat. Actum Acon, Anno Domini M. CC. quinquagesimo, mense
„ Augusto.

FRAGMENTVM EX LIBRO DE STATV SARRACENORVM, POST LVDOVICI REGIS DE SYRIA REDITVM. VT FRATER GVILLELMVS TRIPOLITANVS, Aconensis Conuentus Ordinis Prædicatorum scripsit, ac venerabili Patri & Domino THEOLDO Leodiensis Ecclesiæ Archidiacono digno sanctæ Terræ peregrino, qui postea fuit Papa GREGORIVS X. nuncupauit anno M. CC. LXXIII. C

Ex Codice MS. viri nobilis HENRICI LVDOVICI HABERT DE MONTMOR *Libellorum supplicum in Regia Magistri.*

De statu Sarracenorum post destructionem Damiatæ.

DE statu quoque, in quo nunc sunt SARRACENI, & fuerunt olim à tempore, quo Rex Francorum gloriosus LVDOVICVS de Syria reuersus est in Franciam, anno quidem nostri Saluatoris Do-
1250. mini IESV CHRISTI M. CCL. præfatus Rex Francorum detentus fuit à Sarracenis diebus XXXII. & nocte sequentis diei, quo die debebat de manibus eorum exire, & liberè abire, secundum fœderationem & pactum firmatum inter partes; conuenerunt LX. Admiralli, qui sunt quasi Comites & Capitanei exercituum, & suum interfecerunt Soldanum, qui vocabatur Melec Esmahadim. Hic fuit vltimus Rex filius Regum & Soldanorum, descendens de genere & stirpe Arabum per lineam famosi Soldani Salaedin, qui

A qui latinos de Hierusalem eiecit, & totum regnum Christianorum subiecit, præter Tyrum, Tripolim, & Antiochiam.

Interfecto itaque Soldano, qui dicebatur Melec Elmaëdim, conuenerunt C.XXVII. Admiralli, vt elegerent sibi Soldanum. & elegerunt vnum Turcum, quem vocauerunt Melech Elmehec. Hic fuit primus Rex de genere Turcorum.

Regno itaque translato de manu Arabum ad Turcos anno Domini M.CC.LIII. anno in quo sanctus Rex Francorum LVDOVICVS reuersus est ad sua de Syria: hic primus Turcorum vixit v. annos, & suffocatus est in balneo ab vxore sua. Et post ipsum regnauit filius eius nomine Melecel Mansor, anno vno. qui captus est ab vno de Admiratis, qui vocabatur Sein Fedyn Tocos. Et eiecit eum de regno, & regnum vsurpauit, & factus est Soldanus Egypti, & nominatus est Melec Henahec. Hic dum esset in Egypto, & audisset quòd Tartari venissent in prouinciam Galileæ contra Christianos & Sarracenos, veloci cursu cum omni militia virtutis suæ venit ad Christianos qui erant in Accon, & cum eis fœdus iniuit. & recreato exercitu suo tribus diebus antè ciuitatem Accon, iuit contra dictos Tartaros in dictam Galileam, & deuicit eos, interfecto Duce eorum Cathogoba nomine.

B Tempore illo Frater THOMAS erat Beheliuitanus Episcopus, Apostolicæ sedis Legatus in Accon, qui factus est postmodum Patriarcha Hierusalem. Soldanus verò, siue Melech Eluahet, dum post victoriam victoriosus in Egypto rediret, accessit ad eum vnus de suis Admiratis Bondogar nomine, suadens ei vt rediret ad Christianos in Accon, & caperet ciuitatem, & de Christianis sicut de Tartaris reportaret triumphum. Soldanus verò volens seruare fidem Christianis, Admirato non consensit. Propter quod dictus Bondogar in suum surrexit Soldanum & Dominum, & ipsum interfecit, & vsurpauit sibi regnum, & factus est Soldanus nomine Melec Eluahet Bondogar, qui adhuc regnat solus in populo Macometi. & XII. regnauerat annis, quando dictus Frater Thomas venit ad terram sanctam.

De prosperitate Soldani qui nunc est, & eius nomine.

HIc igitur Soldanus in militia, vt liceat dicere, Iuliano Cæsare non videtur inferior, nec in malitia Nerone minor. Denique iam sibi quinque subiugauit regna, in quibus solus dominatur & regnat. Regnum Egypti, regnum Hierosolymitarum, olim Dauid & Salomonis, regnum Syriæ cuius caput est Damascus, regnum Alapiæ in terra Emach, & regnum Arabum, olim Moab & filiorum Amon. Hic velut Herodes, ne de genere Arabum posset quis exurgere, qui Rex diceretur siue Soldanus, omne semen Regium, scilicet Salahedin, qui moriens XIV. filios reliquit Reges, extirpauit, eos exsuffocans per fas & nefas.

C Hic de sodalibus suis Ammirallis & amicis CC. & LXXX. iam interfecit, binos, ternos, & quaternos, suspectos vt fingebat, quòd occidere eum vellent. Viuos verò sub tanto timore subiectos tenet, vt nullus audeat ad domum alterius ire, nec cum altero alteri loqui, nec ostendere se amicum fere amico. Et vt etiam ab omnibus timeatur, mutato habitu discurrit cum paucis, quatuor, aut quinque, aut septem, & dum creditur esse in Egypto, discurrit per Asiam, & econtrà. ita quòd pauci aut nulli, nisi sui, possunt scire vbi sit cum sua comitiua. Et si quando accidit quòd videatur, aut cognoscatur, non vult vt quis dicat, iste est Soldanus, vel ipsum honoret: sed taceat, & oculos quasi clausos teneat, & donec transierit nullus audeat dicere: Hìc est Soldanus, aut ibi. Sed neque quis præsumit quærere, aut interrogare vbi est Soldanus? Occidere fecit quendam miserum eo quòd de equo descenderat, & ipsum honorauerat genuflexo, & capite inclinato, cognoscentem quòd esset Soldanus qui sic ibat cum paucis. & interfecti socios in pace permisit abire, eò quòd ipsum non cognouerant.

Hic dum se præpararet occultè, vt iret in peregrinationē ad sepulcrum Macometi in Meca, quidam magnus Admirallus eius domesticus & amicus accessit ad eum, cum reuerentia rogans vt acceptaret eius sequelam in tam sancta peregrinatione. Cui respondit Soldanus: Vnde scis quòd debeo peregrinari? Respondit miser: Domine, quæsiui, & intellexi, quòd talem viam vultis facere. Iussu tyranni ductus est statim ad forum, vbi erat maior populorum concursus, & amputata sibi lingua de gutture, coram omnibus præconizatum est: tali pœna, dignus est, qui Soldani scrutatur secreta.

LVDOVICVS NONVS. Hic libenter dat fidem, iurat, promittit. Sed seruare non licet, nisi quantum libet. Veritatem in aliis vult inuenire, nec erubescit flictilitatem in se regnare. Famâ & potentiâ gloriatur cunctos præcellere, & suprà se neminem ire delegat. Macometum magnum fuisse prædicat, se verò maiora fecisse & facturum frequenter iactat. Potentiam nostram atque militiam deridet & contemnit, dicens: Venit contra nos Rex Francorum, Rex Angliæ, & etiam Alamanniæ & Romanorum Imperator transierunt velut nubes ventis agitatæ. Veniat, veniat Rex KAROLVS. veniat Græcus cum eo & Tartarus. opibus eorum ditabimur, in bellis gloriabimur vt victores. A

De malitia quam fecit contra Dominum Odoardum.

VIDENS Soldanus, quòd contra Dominum ODOARDVM non posset armis præualere, qui cum ccc. militibus ad terram sanctam custodiendam venerat, subitò vt superatus Almirallum vocauit, & docuit ipsum vt se fingeret Odoardi amicum, & sui Domini Soldani inimicum. Qui Admirallus tantam amicitiam contraxit cum Domino Odoardo per nuncium quem ad ipsum dirigebat quasi fidelem, quòd ipse nuncius fieret ita domesticus & familiaris vt quandocumque & sicut vellet intraret ad dominum sine dubitationis scrupulo Odoardum. Accidit igitur vt quadam B nocte intraret, & dum solum se inuenit cum solo, interprete tantùm præsente, percussit ipsum dominum & amicum. Sed Dominus percussus ad mortem diuina virtute surgens, hostem suo cultello venenato percussit, & interfecit. Et ipse post paucos dies contra omnem spem amicorum curatus surrexit sanus.

Hic multum indignatur contra nostros, dicens eos non seruare fidem & veritatem, vt antiqui Christiani famosi faciebant, qui fuerant potentes. Improperat eis multa vicia & peccata, quæ ipse detestatur, & odit: festucam in aliorum oculis videns, & minimè trabem quæ est in suo. Asserens, quòd si reddidissent omnes captiuos Sarracenos, sicut & ipse paratus erat reddere Christianos, vt ex vtraque parte fuerat expromissum; nequaquam arma mouisset contra eos, sed firmata concordia & pace, strages & damna non fuissent secuta.

De his quæ benè facit Soldanus.

ITEM vinum & meretrices detestatur & odit, dicens quòd hæc viros potentes vecordes faciunt, & effeminant. Vnde iam per v. annos virtute sui præconij taberna vini non inuenitur in terra sibi subiecta, nec lupanar meretricum. nec aliquis audet vinum bibere, nisi furtiuè. Dúmque diceretur ei, quòd sui prædecessores Soldani solebant v. millia stipendiariorum tenere de thesauro collecto ex appreciatione vini & meretricũ, respondit: malo habere paucos, & sobrios, quàm plures mulieribus viliores, qui veneri magis militent & Bacco, quàm Marti Deo bellorũ & proborum. C

Coniugium laudat, quatuor habens vxores, quarum quarta est Christiana iuuencula Antiochena, quam semper secum circumducit. Concubinas habere reprobat, & condemnat peccatum contra naturam. Iustè & in pace suos subditos viuere postulat, & mãdat. Ad sibi subiectos Christianos, maximéque Religiosos qui sunt in monte Synay, & in diuersis partibus sui Imperij, fauorabilis existit: & causas eorum statim vt audit determinat, & lites abscidit. Suos Religiosos, qui Focora dicuntur, libenter audit, & honorat: inter quos vnus fuit superstitioni deseruiẽs, & non Deo, qui vocabatur Fequit el Codre. Hic tantam gratiam inuenit in oculis Soldani, quòd eius diceretur Propheta fidelis, Christianorum Iudeorúmque maximus persecutor & hostis. Tandem illa gratia cõmutata in Soldani indignationẽ & iram, oculorum duorũ priuato lumine interiit morte crudeli, occulto iussu Soldani. quòd peiora posset facere.

Hic si vellet multò peiora posset facere Christianis; quàm quæ fecerit. Sed suam potentiam refrenat omnipotens Deus qui quinque * sed minimè voluntatem. & econtrà in multis. Ciuitates enim plures Christianorum & castra posset sine contradictione & resistentia capere quando vellet: vt est Sydon, Beritum, Biblium, Antharadum, & Margatum, & forsitan Tyris & Tripolis, si benè vellet niti. Sed pro munere & sua clementiâ dicit, quòd non vult Christianos affligere quantum posset, licèt sint digni. Verumtamen apud Christicolas notum est, quòd nullum locum tantum desiderat subiugare, quantum Accon ciuitatẽ, quæ caput ac refugium est, ac potentia Christianorum. Vnde nonnulli nostrorum autumant, quòd ipse se fingat ad Christianos

A Christianos clementem, vt ciuitas Accon bonam de se habeat opinionem, & plenè tanquam de amico confidat. quatenus obseruato tempore possit eam capere & possidere. quod per quendam Sarracenum reuelatum est Christianis.

Item ad suum Prophetam Macometum videtur esse valde deuotus. ad cuius sepulcrum non fuit contentus semel iuisse, nisi adhæreret secundò ire, vnde ventum erat circa festum beatæ Mariæ Magdalenæ, anno Domini quo hæc scripta sunt M.CC.LXXIII.

De morte Soldani.

HOc etiam anno, vt sapientes Sarracenorum dicunt, Astrologi & Mathematici, moriturus est. & post eius obitum alius exurget Turchus, qui infra dominij sui annum morietur. Et post hæc debet exurgere dominium Christi, & vexillum crucis eleuari, & deferri per totam Syriam vsque ad Cæsaream Cappadociæ, & tunc erit magna commotio in terra. Horum cognitor verus Deus.

De fine Sarracenorum est apud eos certa scientia & fides firma vt dicunt, absque aliqua contradictione, testimonio Macometi. Macometus enim ita dixit:
B *Sarraceni cœperunt esse vt peregrini.* Et ideò sapientes eorum glossant prædictum verbum, dicentes quòd Sarraceni desinent esse, quando diuidentur in tres partes. Vna pars corruet sub gladio. Pars alia fugiendo petet deserta, & peribit. pars verò tertia ad fidem Christianorum transibit.

CONTRACTVS NAVIGII DOMINI REGIS CVM VENETIS FACTVS ANNO DOMINI M.CC.LXVIII.

Postquam idem Rex secundò ad acquisitionem terræ sanctæ proficisci statuit.

C *Ex veteri Registro. MS.*

VObis Domino Regi ego Marchus Guirinus nuntius Domini Ducis Venetorum dico quod si transieritis per partes eius ad acquisitionem terræ sanctæ, & passagium fuerit à festo beati Iohannis de mense Iunij ad vnum annum proximum venturum, quod ipse Dominus Dux dabit vobis in ipso passagio quindecim naues, de quibus erunt septem de illa magnitudine quæ per alios nuntios suos dicta fuit, & quinque erunt aliorum hominum de Venetiis, & eiusdem magnitudinis, & aliæ tres naues magnæ, quæ sunt communis Venetis & eius magnitudinis quam alij Ambassatores sui vobis dederunt in scriptis, & aliud magnum pro quatuor millibus equorum, & decem millibus personarum, cum infra scripta conditione, videlicet quod quælibet ipsarum duodecim nauium habebit marinarios quinquaginta, & aliæ tres videlicet Roccaffortis, & sancta Maria marinarios centum & decem pro qualibet, & sanctus Nicolaus marinarios octuaginta sex. De quibus nauibus videlicet de Roccafforti, & de naue noua vocata sancta Maria habere vult Dominus Dux Marchas M.CCCC. pro qualibet earum, & de sancto Nicolao Marchas MC. & de aliis nauibus Marchas DCC. pro qualibet earum de bono & fino argento de denariis grossis ad pondus Parisiense. Et de vno nauigio pro vno milite cum duobus seruitoribus & vno equo, & vno puero pro custodia equi, & pro viandia & karinsiis suis portandis habendo placita secundum mensuram nobis per

LVDOVICVS NONVS.

dilectos Ambassatores datam, Marchas octo & dimidiam; & pro vno milite habendo placam copertam ab arbore de medio versus puppem Marchas duas & quartam, & pro vno scutifero habendo placam discoopertam in loco prædicto vncias septem argenti, & pro vno garconio cum vno equo manente ipso apud equos habendo placam pro equo secundum mensuram per alios Ambassatores dimissam Marchas quatuor & mediam, & pro quolibet alio peregrino habendo placam ab arbore de medio versus proram, cum suis viandis, & habuitiis Marcham vnam minus quarta de eodem argento, & ad prædictum pondus. Quibus omnibus Dominus Dux tenebitur facere dari ligna pro coquinare, & peregrini omnes possint viandas, arma, & alia necessaria per se libere facere comparari, & accipi in partibus Domini Ducis, sicut eis necesse fuerit, secundum quod faciunt alij homines terræ suæ. Etsi vos Domine Rex, volueritis pro expectare vestrum stare in partibus Cyprij, vel cretæ, aut in illis partibus pro habere consilium ad quas partes ire debeatis, patroni, & marinarij teneantur expectare, si moueritis de Venetiis ad medium mensem Iunij vel antea per vnum mensem pro prædicto pretio, si moueritis de Venetiis transacto medio mense Iunij, teneantur expectare per viginti dies. A

Eo si volueritis hibernare tenendo nauigium in locum saluationis teneamini addi facere tertium plus dictæ solutionis patronis nauium, & ipsi hibernare debeant vobiscum, cum ipsa conditione, & vos & illi qui transire voluerint esse debeatis in Venetiis ad Kalendas Iunij pro mouere, vt dictum est. Et si hæc placuerint vobis facietis prædictam pecuniam Domino Duci dari in Venetiis, hoc modo, videlicet tertium solutionis totius infra duos menses postquam concordia facta fuerit, & aliud tertium à Kalendis Septembris vsque ad sanctum Michaëlem, & aliud reliquum tertium in aduentu vestro, & vestræ gentis Venetiis. B

Et Dominus Dux & homines Venetiorum ad obsequium Christi, & ad exaltationem & robur fidei Christianæ pro reuerentia Domini Papæ, & pro vestro honore in auxilium huius facti ponet, & tenebunt per vnum annum quindecim galeas armatas suis expensis cum ista conditione quod priuilegium siue scriptum habeant quod vbicumque in omni parte tam in mari, quàm in terra vbi erunt homines Venetiarum de ipsis fieri debeat ratio per illum qui pro Domino Duce fuerit, tam inter eos, quam si alij ab eis petere voluerint in iustitia siue vindicta de maleficiis tam in honore, quam in personis. Et quod in terris quæ Deo volente acquestabuntur, habeant libertatem & plenam franchisiam tam intrando quam exeundo, tam in mari, quàm in terra, & locum bonum & idoneum pro habitatione sua scilicet Venetiorum Ecclesiam, metra, passus, mensuras, stateras, balneum, furnum, & tabernam, placlam, bocheriam, & piscariam. Insuper quod vnus, vel plures sint pro Domino Duce in dictis terris qui inter gentem suam, & de ipsis rationem faciant & iustitiam siue vindictam tam de honore quam de personis. Præterea si homines Domini Ducis aut aliqui eorum passi fuerint aliquo casu naufragium in aliqua parte vbi vos, Domine Rex, habebitis posse, ipsi erunt salui & securi in personis & rebus quas recuperare poterunt, & ab omnibus dictarum partium qui pro nobis fuerint habebunt auxilium, consilium, & fauorem, saluis omnibus rationibus, iuribus, & honorificentiis, quas & quæ Dominus Dux & homines Venetis habent & habere debent in regno Ierosolimitano. C

Nauis quæ vocatur sancta Maria est longa pedibus C. VII. quæ longitudo est de pedibus LXX. In columba in longore proræ & puppis est de pedibus XXXVIII. & est ampla in fundo pedibus nouem & dimidio, & est alta in prima coperta XI. pedibus & dimidio, & est ampla in ore pedibus XXVIII. & dimidio, & est alta in secunda coperta pedibus sex & dimidio, & est alta in corridoriis pedibus quinque & dimidio, & à corridoriis in superius pedibus III. & dimidio, & est alta in capitibus columbæ pedibus XL. & habet duas paradisos, & vnum vannum, & vnum supravannum copertum & duos pontes, & vnum superpontem, & vnum Bellatorium amplum de quatuor vel quinque pedibus de retro puppem, quæ nauis cum omnibus corredis & apparatibus suis, & cum CX. marinariis dabitur pro mille quatringentis marchis argenti eius bonitatis, cuius est Venetianus grossus ad pondus de Paris.

Nauis quæ vocatur Rochafortis est longa pedibus C X. quæ longitudo est de pedibus LXX. in columba & in langore proræ & puppis, & est

de pedibus

A de pedibus XL. & est ampla in fundo pedibus nouem & dimidio, & est alta in prima coperta XI. pedibus & dimidio, & est ampla in ore pedibus XXIX. & alta in secunda coperta pedibus VI. & dimidio, & est alta in corridoriis in superius pedibus III. & dimidio, & est alta in capitibus columbæ pedibus XXXIX. & dimidio, & habet duos paradisos & vnum vannum, & superuannum coopertum, & duos pontes, & vnum supra pontem, & etiam de retro puppem vnum bellatorium amplum de quatuor vel quinque pedibus, quæ nauis cum omnibus corredis, & apparatibus suis, & cum CX. marinariis dabitur pro consimili pretio.

Nauis quæ vocatur sanctus Nicolaus est longa pedibus C. quæ longitudo est de pedibus LXV. in columba & in langore proræ & puppis est de pedibus XXV. & est ampla in fundo pedibus IX. & est alta in prima cooperta pedibus XI. & ampla in ore pedibus XXVII. & alta in secunda cooperta pedibus VI. & dimidio, & est alta in corridoriis pedibus V. & dimidio, & à corridoriis in superius pedibus XXXVIII. & habet vnum paradisum & duo vanna vnum supra aliud, & duos pontes, & vnum supra pontem, quæ nauis cum corredis, & apparatibus eius, & cum IV^XX VI. marinariis dabitur pro mille centum marchis.

B Naues septem fient de nouo & isto passagio, quarum quælibet erit longa de pedibus IV^XX VI. quæ longitudo cuiusque erit de pedibus LVIII. in colomba & in langore proræ & puppis de pedibus XXVIII. & erunt amplæ in fundis pedibus VIII. & altæ in prima cooperta pedibus IX. & dimidio, & amplæ in ore pedibus XXI. & dimidio, & altæ in secunda cooperta pedibus V. & dimidio, & altæ in corredoriis pedibus quatuor minus quarto; à corredoriis in superius pedibus III. minus quarto, & erunt in capitibus columbarum altæ XXIX. pedibus, & habebit quælibet vnum paradisum, & vnum vannum, & vnum superuannum decoopertum, & vnum corredorium, & vnum pontem coopertum, & vnum corredorium ab arbore de medio vsque ad proram. Quarum prædictarum nauium quælibet cum corredis, & apparatibus suis, & cum L. Marinariis dabitur pro septingentis marchis.

Naues vero quinque erunt quorundam nobilium de Venetiis bonæ & sufficientes, quæ erunt deportatione, pro qualibet sicut erunt supra scriptæ septem naues pro qualibet. Quarum prædictarum quinque nauium quælibet cum corredis & apparatibus suis, & cum quinquaginta marinariis dabitur pro septingentis marchis.

Super eo verò quod Dominus Rex vult scire quantum constabit locus cuiuslibet militis cum duobus seruientibus vno equo, & vno garcifero pro equo & aqua.

Dicuntur Ambassatores Ducis, quod volunt scire quantum panem, quantum vinum, & carnem, & caseum &........... & quæ alia victualia Dominus Rex

C vult poni in nauem pro milite, duobus seruientibus, & vno garcifero, & pro quanto tempore, quantam aquam vult, miles pro se, & dictis seruientibus, & vno garcifero pro qualibet die vsque ad complementum passagij.

Item volunt scire quantum ordei, quantum fœni vult poni in nauem pro vno equo, & pro quanto tempore, & quantum aquæ dabitur equo qualibet diæ.

Super eo vero quod Dominus Rex vult scire quantum constabit locus, & aqua pro qualibet singulari persona. Dicunt Ambassatores quod volunt scire quæ & quanta victualia vult singularis persona pro se mitti in nauem & pro quanto tempore, & quantum aquæ vult pro qualibet die, & cuius magnitudinis locum, & in qua parte nauis.

Sequitur hic ea quæ sunt necessaria ad ponendum in nauibus pro sustentatione hominum & equorum quando passagium erit: P. pro qualibet persona vnum modium frumenti ad mensuram de Accon liberatum in pane & farina vna quarta & dimidia vini ad mensuram Paris. pro qualibet die, & tantum de aqua, carnes salsatæ, casei, oleum, alia legumina, armaturæ militis pro se & equo suo, & duobus seruientibus suis.

Pro quolibet equo quatuor modia ordei ad mensuram de Accon currentem tempore, quo Dominus Rex Franciæ erat ibi vna vata plena fœni, quæ erit de tour nouem pedum, & de longitudine quinque pedum, & quindecim quartas aquæ ad mensuram Parisiens. pro qualibet die.

A

TESTAMENTVM LVDOVICI IX. REGIS QVOD IN TERRAM SANCTAM SECVNDÒ PROFECTVRVS condidit. Anno M.CC.LXIX.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, amen. Lvdovicvs Dei gratiâ Francorum Rex. Notum facimus quòd nos per Dei gratiam sani & incolumes Testamentum nostrum ordinauimus in hunc modum. Volumus quidem & præcipimus, quòd omnia debita nostra soluantur, & quòd omnia forisfacta nostra emendentur, & fiant restitutiones nostræ per executores huius Testamenti inferiùs nominatos, per se, vel per alios, secundum quod viderint expedire: quibus si visa fuerint aliqua dubia vel obscura, damus eis potestatem ordinandi & faciendi super hiis, prout inspecta salute animæ nostræ viderint faciendum. Legamus autem carissimæ vxori nostræ Margaretæ Reginæ quatuor millia librarum. Abbatiæ nostræ Regalis Montis sexcentas libras. Libros verò nostros, quos tempore decessus nostri in Francia habebimus, præter illos, qui ad vsum Capellæ pertinent, legamus Fratribus Prædicatoribus, & Fratribus Minoribus Paris. Abbatiæ Regalis Montis, & Fratribus Prædicatoribus Compend. secundum discretionem & ordinationem executorum nostrorum eisdem æquis portionibus diuidendos: præter illos libros, quos dicti Fratres Prædicatores Compend. iam habent. Item legamus Abbatiæ beatæ Mariæ Regalis iuxta Pontis. quadringentas libras. Abbatiæ Lilij beatæ Mariæ iuxta Meledunum trecentas libras. Domui Dei Paris. centum libras ad vsus pauperum eiusdem Domus. Domui Dei Pontis. sexaginta libras ad vsus pauperum. Domui Dei Compend. similiter ad vsus pauperum sexaginta libras. Domui Dei Vernon. similiter ad vsus pauperum sexaginta libras. Item legamus ducentis domibus Dei magis indigentibus & plus oneratis duo millia libr. distribuendas, vnicuique videlicet secundum discretionem & ordinationem executorum nostrorum. Item octingentis Leprosar. duo millia libr. eodem modo distribuendas eisdem, secundum discretionem & ordinationem executorum nostrorum. Item legamus Domui Fratrum Minorum Paris. quadringentas libras Aliis autem domibus Fratrum Minorum in regno Franciæ constitutis, per consilium & ordinationem Ministri Prouincialis Franciæ, necnon Gardiani & Lectoris Paris. qui pro tempore fuerint, vel duorum ex ipsis, sexcentas libras. Item legamus domui Fratrum Prædicatorum Paris. quadringentas libras. Aliis autem domibus Fratrum Prædicatorum in regno Franciæ constitutis per ordinationem & consilium Prioris Prouincialis Franciæ, necnon Prioris, & Lectoris antiquioris Domus Paris. sexcentas libras. Item legamus Abbatiæ S. Victoris Paris. quinquaginta libras. Abbatiæ Victoriæ iuxta Siluan. quinquaginta libr. Aliis autem Abbatiis Ordinis sancti Augustini magis indigentibus, & plus oneratis in regno Franciæ constitutis trecentas libras distribuendas eisdem secundum discretionem & ordinationem executorum nostrorum. Item legamus Prioratui S. Mauricij Siluan. quinquaginta libras. Abbatiæ Cisterciensi quinquaginta libras, & aliis viginti magis indigentibus & plus oneratis Abbatiis eiusdem Ordinis trecentas libras distribuendas eisdem secundum discretionem & ordinationem executorum nostrorum. Abbatiæ S. Antonij Paris. c. libr. Abbatiæ de Parco iuxta Crispiacum lx. libr. Abbatiæ Thesauri B. Mariæ xl. libr. Abbatiæ de Villar. iuxta Feritatem xl. libr. Abbatiæ de Byarz versus Peronam xl. libr. Abbatiæ de Saluatorio iuxta Laudunum xl. libr. Et aliis Abbatiis Monialium Cisterc. Ordinis dc. libras distribuendas magis indigentibus & plus oneratis secundum discretionem & ordinationem executorum nostrorum. Item legamus Domui sororum S. Dominici iuxta Montem Argi xxx. libr. Nouæ Domui sororum eiusdem Ordinis vltra pontem Rothom. sitæ lx. libr. Abbatiæ Humilitatis B. Mariæ iuxta S. Clodoaldum l. libr. Monialibus S. Damiani Remens. xv. libr. Monialibus eiusdem Ordinis, quæ sunt apud Prouinum xv. libr. Item legamus Abbatiæ Fontis Ebraudi c. libr. Et triginta Prioratibus Fontis Ebraudi in regno Franciæ constitutis, cc. libr. distribuendas magis indigentib. & plus oneratis, secundum discretionem & ordinationem executorum nostrorum. Item Domui S. Mathurini

B

C

A Mathurini Parif. Ordinis S. Trinitatis & Captiuorum, LX. libr. Fratrib. nouæ Domus Fontis Bliaudi Ordinis eiusdem, ad vsus pauperum XL. libras & aliis Domibus eiusdem Ordinis in regno Franciæ constitutis magis indigentib. & plus oneratis c. libr. Item legamus Abbatiæ Præmonstr. XXX. libr. Abbatiæ Albæ-Curiæ xx. libr. Abbatiæ Gaudij-vallis xx. libr. Et aliis Domibus eiusdem Ordinis magis indigentib. & plus oneratis, secundum discretionem & ordinationem executorum nostrorum c. libr. Item legamus Domui Vallis Scholarium Parif. XL. libr. Et aliis Domib. eiusdem Ordinis c. libras, distribuendas eisdem secundum discretionem & ordinationem executorum nostrorum. Item legamus Domibus Ordinis Caturssien. in regno Franciæ constitutis LX. libr. distribuendas similiter secundum discretionem & ordinationem executorum nostrorum. Et fratrib. eiusdem Ordinis ad ædificationem nouæ Domus suæ iuxta Parif. c. libr. Item legamus Domui de Vicen. Grandis-montis Ordinis xx. libr. Fratribus de Saccis Parif. LX. libr. Fratribus de Monte Carmeli Parif. xx. libr. Fratribus heremitis de ordine S. Guillelmi iuxta Parif. xx. libr. Fratribus heremitis de ordine S. Augustini Parif. xv. libr. Fratribus Ordinis S. Crucis xx. libr. Fratrib. de Ordine B. Mariæ matris Christi Parif. xx. libr.

B Item legamus ad ædificandum & ampliandum locum Beguinarum Parif. c. libr. & ad sustentationem pauperiorum ex ipsis xx. libr. Item legamus pauperibus mulieribus Beguinis in regno Franciæ constitutis c. libras, per bonos viros, quos ad hoc executores nostri viderint ordinandos, distribuendas. Item pauperib. Beguinis de Cantiprato iuxta Cameracum XL. libras. Item legamus Filiabus Dei, & mulieribus Pœnitentib. Parif. c. libr. Volumus autem, quòd executores nostri requirant ab omnibus Religiosis, & Conuentibus Religiosorum locorum, quibus legata fecimus, quatinus intuitu pietatis singulis annis faciant anniuersarium nostrum certa die obitus nostri. Capellanos autem Capellæ nostræ Parif. attentè requirimus, vt pro nobis post decessum nostrum Missam, quæ pro defunctis fidelibus dicitur, per vnum ex Concapellanis suis singulis diebus celebrari faciant in futurum, & anniuersarium nostrum die obitus nostri sollemne faciant annuatim. Item legamus pauperibus mulieribus maritandis vel assignandis mille libras. Item legamus D C. libras ad burellos emendos pro pauperibus vestiendis, & c. libr. pro sotularib. pauperib. distribuendis. Item legamus pauperibus Scolarib. S. Thomæ du Lupara Parif. XV. libr. & pauperib. scolaribus S. Honorati Parif. x. libr. Bonis-pueris Parif. LX. libr. & minutis scolarib. Parif. C L. libr. per Priorem Fratrum Prædicatorum & Gardianum Fratrum Minorum Parif. distribuendas. Item legamus orphanis, viduis, & minutis pauperib. duo milia libr. Item legamus C L. libras pro calicibus, albis, & aliis ornamentis Ecclesiasticis emendis & distribuendis per manum executorum nostrorum, pauperibus locis quæ indigebunt in domaniis nostris, vbi videbitur bonum esse.

C Item legamus seruientib. nostris, qui nondum sunt à nobis remunerati, vel qui minus sufficienter remunerati sunt, duo milia libr. distribuend. per manum executorum nostrorum. Volumus autem & præcipimus, quòd omnia supradicta de mobilib. quæ habebimus in regno Franciæ tempore decessus nostri, soluantur. Quæ si fortè ad ea soluenda non sufficerent, volumus & præcipimus, vt de venditionibus boscorum nostrorum omnium, qui sunt in domaniis nostris, perficeretur solutio omnium prædictorum; tam ex illis venditionibus quæ tunc essent, quàm ex aliis quæ possent fieri in boscis prædictis. Ita quòd in illis venditionibus nihil perciperet hæres noster, donec omnia prædicta essent plenariè persoluta. Et ad hæc omnia tenenda & firmiter obseruanda hæredem nostrum & terram nostram obligamus. Prætereà volumus & præcipimus, vt Clerici nostri & Capellani tempore decessus nostri de nostro existentes hospitio, quibus in aliquo beneficio Ecclesiastico prouisum non fuerit, habeant & percipiant in bursa hæredis nostri Regis quilibet eorum xx. libr. annuæ pensionis, quousque sibi de beneficiis Ecclesiasticis, vel aliàs sit prouisum. De Baptizatis autem nostris tam maioribus quàm minorib. quos venire fecimus citra mare; volumus & præcipimus, vt secundum quod ordinatum est à nobis de prouisionibus ipsorum, filius noster, qui successurus est nobis in regno, post decessum nostrum prouidere teneatur eisdem; nisi causa rationabilis obsisteret, quare subtrahi vel minui deberet prouisio aliquorum ex ipsis. Volumus insuper & præcipimus, vt prouisionem, quam fecimus quibusdam honestis mulierib. quæ Beguinæ dicuntur, in diuersis ciuitatib. & villis religiosè degentib. seruet et teneat hæres

LVDOVICVS NONVS. noster, qui nobis succedet in regno, & eam seruari faciat & teneri, quamdiu vixerit earum quælibet; quæ videlicet assignatæ non fuerint aliàs competenter. Donamus autem & assignamus filiis nostris IOANNI, PETRO, & ROBERTO, certas terrarum portiones, secundum quod in litteris nostris patentib. super hiis confectis plenius continetur. Quib. portionib. volumus & præcipimus ipsos fore contentos. Et si fortè contingeret ipsorum aliquem, vel hæredem eius, sine hærede de corpore suo decedere, portio terræ sibi assignata ad hæredem seu successorem nostrum, quicumque pro tempore regnum tenuerit, reuertatur. Item legamus carissimæ filiæ nostræ AGNETI decem milia libr. Denique volumus, præcipimus, & ordinamus, vt præter portiones liberorum nostrorum, necnon restitutiones, emendationes, donationes, & legata, quæ vel quas modo vel alias fecimus aut faciemus, seu fieri ordinauimus vel ordinabimus in futurum, tota alia terra nostra, & omnia immobilia ad nos pertinentia totaliter remaneant hæredi nostro, qui nobis succedet in regno. Mobilia vero omnia eidem similiter remanere volumus, dum tamen ea in bonos vsus ad honorem Dei & vtilitatem regni expendere teneatur. In his autem, & in omnibus supradictis, volumus & ordinamus ius alienum per omnia & in omnibus esse saluum. Huius autem Testamenti nostri executores constituimus dilectos & fideles nostros STEPHANVM Episcopum Paris. PHILIPPVM Ebroic. electum, S. Dionysij & Regalis Montis Abbates, qui pro tempore fuerint, & Magistros Ioannem de Trecis & Henricum de Verzel. Clericos nostros, Archid. in Ecclesia Bajoc. Quib. ad præmissa omnia exequenda volumus & præcipimus, vt hæres noster, qui nobis succedet in regno, tam ipsis, quàm aliis quos deputauerint loco sui, prouideat in expensis. Quòd si non omnes his exequendis voluerint, vel non potuerint interesse, vel aliquem ex ipsis contingat decedere nominatis, maior pars numero superstitum nihilominus potestatem habeat exequendi præmissa. In cuius rei testimonium præsentem paginam sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum Paris. anno Domini M. CC. sexagesimo nono, mense Februario.

EPISTOLA PVBLICATA SVPER OBITV LVDOVICI NONI REGIS.

Ex MS. exemplari Nicolai Camusati Canonici Trecensis.

PHILIPPVS Dei gratia Francorum Rex. *dilectis & fidelibus suis vniuersis, Archiepiscopis, Episcopis, nec non Abbatibus, Prioribus, Decanis, Presbyteris, & cæteris Ecclesiarum Rectoribus, ac vniuersis tam Regularium, quam Secularium Conuentibus, Collegijs, & Capitulis in Regno Franciæ constitutis, ad quos præsentes litteræ peruenerint, salutem & dilectionem.* CVNCTIS flenda Christi fidelibus & dolenda specialiter vniuersis & singulis infrà Regni terminos constitutis. Nobis autem præcipuè continuis ac crebris lamentanda Suspiriis Vniuersitati vestræ cōpellimus, sæua quædam molesta nimis ac tristia cum multa cordis amaritudine nuntiare. Nuper quidem, sicut Domino placuit, qui gressus, actus, & finem Electorum suorum, iuxtà suæ beneplacitum voluntatis semper dirigit in salutem. Ille Deo dilectus, hominibus gratiosus, piæ ac præclaræ recordationis Ludouicus Francorum Rex illustrissimus, percharissimus Dominus ac genitor noster quondam, cuius vita toti Ecclesiæ fructuosa fuisse dignoscitur, cuius memoria in benedictione est, cuius laus in Ecclesia prædicatur, post tam laudabilia charitatis ac pietatis opera, post tot laboriosos agones, quos pro fide Christi & Ecclesiæ dilatatione, fideliter ac feruenter indefesso animo tolerauit; post quam nuper in portu Tunicij viriliter, & sine detrimento suorum applicuit, portum ipsum famosum occupans, & terræ introitum Africanæ, quam si daret Dominus, proposuerat expulsâ barbarie, ac nefanda Saracenicæ gentis eliminata spurcitia, Christiano cultui dedicare, post captam victoriosè Carthaginem, cum iam processurus vlteriùs tam per aquam quam per terram feliciter, ac potenter intenderet expugnare Tunitium, & Infidelis regnantis in eo, ac suorum totaliter exterminare potentiam, & virtutem, inter hæc disponente Domino, labores & agones ipsius consommare feliciter & complere, quadam corporis

A corporis infirmitate grauatus; lecto decubuit, & post multas ægritudinis eiusdem molestias, tandem Christianissimè postulatis, ac cum omni deuotione susceptis omnibus Ecclesiasticis Sacramentis, in confessione nostræ fidei, in Dei dilectione & deuotione feruenti, feria secunda in Crastino Beati Bartholomæi Apostoli, hora illa qua Dominus Iesus Christus Dei filius in cruce pro mundi vita moriens expirauit, ad extremam horam veniens, & super saccum & cinerem recubans felicem Spiritum reddidit Altissimo Creatori. Nos itaque sauciati tam diri grauitate vulneris, tam acutis orbitatis aculeis, nimirum eiulare compellimur, ac plangere deplorandum abcessum & obitum pij patris, in quo non solum nostram irremediabilem plagam, & inrestaurabilem iacturam comperimus; & sentimus, sed & totius Christianitatis inæstimabile damnum, & lamentabile detrimentum. Lugent pariter vniuersi Regem pium, Regem pacificum, Patrem pauperum, miserorum Refugium, Solatium oppressorum, totius Religionis & Innocentiæ authorem præcipuum, Zelatorem iustitiæ fidei & Ecclesiæ Deffensorem. O quis nobis daret locum eius tenentibus in terris, talis ac tam laudabilis progenitoris sequi vestigia, & imitari exempla, implere consilia, sacra eius exequi mandata, & salubria documenta, de cuius vitæ meritis, & actibus virtuosis, nobis esset non immerito gloriandum
B potius, quam de morte dolendum, si rationem admitteret vis doloris. Profectò magna gloria est talem habuisse parentem, sed & dolor irremediabilis, tantum & tam dulce patris amisisse solatium, tam suaue alloquium, tam efficax Consilium, & iuuamen. Dolor quidem hic inconsolabilis censeretur, nisi de ipso certa spes ab omnibus vitam eius ac actus sanctissimos agnoscentibus haberetur, quod iam de regni temporalis sollicitudine, sit translatus ad æternum Regnum, & gloriam sine fine. Vt igitur cessemus aliquantulum à lamentis, dolores & gemitus conuertamus in arma salutis, in orationum suffragia, & subsidia charitatis. Impendamus defuncto gratiam, quam ad commerentem habuimus, vt exinde benedictionis fructum à retributore bonorum omnium reportemus. Sanè iuxtà prædicti piissimi patris nostri, supremæ voluntatis arbitrium humiliter postulantis, vt post eius obitum mitteretur ad personas, & loca religiosa per Regnum pro suffragiis orationum, & gratis Deo charitatis subsidiis obtinendis, ecce ad diuersa Regni loca, propter hoc dilectos nostros viros religiosos, fratrem Gaufridum de Belloloco, & Guillelmum Carnotensem, de ordine prædicatorum, ac fratrem Iohannem de Montibus, ordinis fratrum minorum, familiares & charos quondam memorati Domini patris nostri, latores præsentiam cum aliis de domo nostra & familia destinamus. Quocirca vestram vniuersitatem toto cordis affectu requirimus, & rogamus, quatenus memores existentes, illius sinceræ deuotionis ac dilectionis, quam ad Ecclesiam, & personas Ecclesiasticas, idem pius pater & Dominus semper habuit, & exhibuit per ef-
C fectum, ac illius piæ sollicitudinis, quam ad felicem & prosperum statum Regni, quasi pupillam oculi, quietè & pacifice conseruandam impendit, pro ipsius anima pretiosa, licet vt à multis creditur, aliena intercessione, non egeat, summo Regi precum & hostiarum, munera ac cætera charitatis subsidia offerre velitis: illud idem in locis omnibus vobis subiectis fieri facientes, oretis, etiam iugiter & in locis prædictis faciatis orari pro Nobis, & pro toto exercitu Christiano. Actum in Castris iuxtà Carthaginem die veneris post Natiuitatem Beatæ Virginis, anno millesimo ducentesimo, septuagesimo.

LVDOVICVS NONVS.

A

EPITAPHIA FRATRVM AC LIBERORVM SANCTI LVDOVICI REGIS.

EPITAPHIVM DVORVM LVDOVICI NONI REGIS FRATRVM.

Quod illis in Ecclesia Beatæ Mariæ Pissiacensis positum est.

* Bustum horum.

BVSTORVM * Comitum, cuiusdam nomen auitum
Gratia dat reliquo, BLANCA nati, & LVDOVICO.
Regibus hi nati, me non Reges habeantur,
Vitæ morte dati, Cœlesti sede locantur.

B

EPITAPHIVM PHILIPPI COGNOMINE DAGOBERTI FRATRIS SANCTI LVDOVICI REGIS.

Quod extat in Ecclesia Monasterij Regalis montis ab eodem Rege Ludouico fundati.

ECCE PHILIPPVS ego cognomen habens DAGOBERTI,
Ad te tendo manus, ad te volo, Christe, reuerti;
Natus magnifico patre Rege fui LVDOVICO.
Rex meus, & frater LVDOVICVS, BLANCAQVE mater,
Rex, qui regno regis, Regum diadema perenne
Me sobolem Regis tüearis ab igne gehennæ.
Vermibus hic ponor esca .... extendere conor,
Et sicut hic ponor, ponitur omnis honor.

ALIVD DE EODEM.

HIc iacet PHILIPPVS cognomen habens DAGOBERTI,
Frater sancti LVDOVICI huius Monasterij fundatoris.

EPITAPHIA TRIVM LVDOVICI NONI REGIS LIBERORVM.

C

Quæ in eadem Ecclesia Regalis montis visuntur.

HIc iacet BLANCA primogenita LVDOVICI Regis Francorum, huius Monasterij fundatoris, quæ in ætate infantiæ migrauit ad Christum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo tertio; III. Kal. Maij.

HIc iacet IOHANNES excellentissimi LVDOVICI iunioris Regis Francorum filius, qui in ætate infantiæ migrauit ad Christum, anno gratiæ, millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, VI. Idus Martij.

HIc iacet LVDOVICVS filius sancti LVDOVICI noni Regis Franciæ, & MARGARETÆ filiæ Comitis Prouinciæ, qui obiit anno ætatis suæ decimo sexto, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, & sepultus est in loco isto in Octauis Epiphaniæ Domini. Adolescens Deo & hominibus gratiosus, honestate morum adornatus.

EPITAPHIVM

A

EPITAPHIVM DOMINÆ ISABELLÆ FILIÆ DOMINI REGIS FRANCIÆ SANCTI LVDOVICI ILLVSTRIS quondam Reginæ Nauarræ quæ obiit anno Domini 1271. requiescat in pace. Amen.

Hoc Epitaphium est in Ecclesia Monasterij Claræuallensis.

SI quemquam fortuna fauens à morte tueri
Posset, ISABELLIS haud moritura foret,
Filia Francorum Regis, Regina Nauarræ,
Vndique fortunæ cincta fauore fuit
Forma decens, Illustre genus, florensque iuuentus
Virtus, quæ mortis damna lucrosa facit
Mens deuota, pius affectus, vita pudica,
B Post mortem melius viuere præstat ei.
Felix quæ didicit blando specie tenus vti
Mundo, mente colens seduliore Deum.

EPITAPHIVM ALIVD EIVSDEM ISABELLÆ.

Quod illi in eodem Monasterio positum est.

HÆc quicumque legis, scito quod filia Regis,
Inclyta Francorum dignissima laude bonorum,
Istum corde chorum proprio facit esse decorum,
Hic cor Reginæ Nauarræ fragrat odore,
Quod dedit in fine, Conuentus huius amore
Regis Nauarræ Theobaldi sponsa secundi,
Hic cor habet quod non decœpit gloria mundi,
Huic Campania paruit, & Bria, nam Comitissa
Clara Palatina diues quondam fuit ipsa.
Sed tamen hic mores adiunxit nobiliores,
Nam pietas, affabilitas, hanc intitularunt
Simplicitas, & sobrietas in ea radiarunt,
Munditiæ speculum fuit, & titulus probitatis,
C Illustrans populum fama propriæ bonitatis,
Hæc sapiens, humilis, formosa, diserta, pudica,
Vix est huic similis, cui virtus tam sit amica
Quicquid fortuna, natura, vel ars meditari
Sciuit, in hac vna voluit Deus accumulari,
His margaritis fuit adornata decenter
Insuper & mitis, aduersa tulit patienter,
Cum patre, cum sponso, cum fratribus optat adire
Hierusalem, sed mors hanc fecit retrò redire,
Mors patris & fratris, cor præsens valde grauauit,
Sed sponsi dulcis amor illud plus cruciauit,
Nomen si quæris fuit Isabella vocata,
Regalis generis flos, Gloria, laus celebrata.
Hac cor in Ecclesia, tibi misit virgo Maria,
Vt sibi propitia sit per te vera Sophia
Hanc tibi commendet deuotus grex Monachorum
Insuper emendet operum forefacta suorum,
Dum currunt anni sub Christo mille ducenti
Septuaginta monos, tumulatur honore decenti
Hæc res qui ligitis Isabellam, quæso, iuuate
Vt vestris meritis possit regnare beatè.

LVDOVICVS NONVS.

A

VITA ET SANCTA CONVERSATIO PIÆ MEMORIÆ

LVDOVICI NONI REGIS FRANCORVM.

B

PER FRATREM GAVFRIDVM DE BELLOLOCO, ORDINIS PRÆDICATORVM EIVS CONFESSOREM.

Ex Codice MS. Fratrum Prædicatorum Conuentus Ebroicensis.

PRÆFATIO.

AD diui nominis gloriam & honorem, & fidelium ædificationem; & multorum, & magnorum precibus inductus, & maximè meorum obedientia & auctoritate adstrinctus: sanctam Conuersationem, & Actus egregios CHRISTIANISSIMI LVDOVICI *quondam Regis Francorum describere dignum duxi, prout mens diuina per gratiam suam inspirare dignabitur memoria mentis meæ.*

Qualiter laus Regis Iosiæ Regi LVDOVICO *conueniat.*

1. IN primis igitur, ad pij Regis commendationem assumere mihi libet, quod in laudem Regis Iosiæ in Ecclesiastici XLIX. legitur: *Memoria*, inquit, *Iosiæ in compositione odoris facta est opus pigmentarij. In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & musica in conuiuio vini. Ipse directus est diuinitus in pœnitentia gentis, & tulit abominationes impietatis: & gubernauit ad Dominum cor suum, & in diebus peccatorum corroborauit pietatem.* Præterea, ad commendationem dicti Regis Iosiæ plurima dicuntur tam in IIII. Libro Regum, quàm in II. Paralipom. XXXIIII. quæ ad laudem Regis nostri propriè pertinere videntur. *Cùm adhuc*, inquit, *puer esset Iosias, cœpit quærere Dominum: fecítque quod rectum & placitum erat in conspectu Domini, & ambulauit per omnes vias Dauid patris sui. Non declinauit ad dexteram, neque ad sinistram. Nomen matris eius Ydida. Fecit instaurari templum & domum Domini. Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua: neque post ipsum surrexit similis illi. Fecit enim phase, quale ante non fuit, neque quisquam de Regibus fecit tale.* Qualiter hæc omnia congruè ad gloriosum Regem nostrum pertineant, poterimus exprimere suis locis. C

Quòd nomen Iosiæ ipsi competat.

2. INTERIM ad præsens dicere sufficiat, quomodo sensus nominis Iosiæ conueniat Regi nostro. Iosias quippe interpretatur, Salus Domini; vel, Alienatio Domini; vel, Incensum Domini, siue Sacrificium. Cui veriùs competit huius nominis significatio, quam pio Regi nostro, in quo verè Domini salus fuit? Vt pote qui saluti propriæ ac proximorum semper studuit, & ad eleuationem & exaltationem

A tionem fidei Christianæ pro viribus laborauit. Denique, qui præter incensum mentalis deuotionis, quam à pueritia sua continuè Domino interiùs offerebat; & præter sacrificium pœnitentiæ corporalis, quam iuxta statum suum, & iuxta corporis sui debilitatem Deo quotidiè exteriùs exhibebat, se tandem in peregrinatione gemina transmarina, quasi holocaustum integrum obtulit Domino in odorem suauitatis. Si reputatum est Abrahæ ad iustitiam, quia semel voluit offerre vnicum filium, hoc ei Domino imperante: quantò magis huic fideli suo reputabit Dominus ad æternam iustitiam, & ad pretium sempiternum, qui non semel, sed bis obtulit deuotissimè semetipsum ad mortem, & fratres suos, & electum florem exercitus totius regni sui, in obsequium Saluatoris: & maximè in hac vltima & miseranda peregrinatione Tunicij, vbi, cùm communi omnium consilio transiens, cum liberis propriis, & exercitu suo toto, ob zelum & exaltationem fidei Christianæ, ibidem hostia Christi effici meruit: & illuc, tanquam Martyr & pugil Domini indefessus, finem vitæ suæ feliciter in Domino consummauit. Insuper in via illa defuncti sunt in confessione veræ fidei duo de liberis eius, quos amore præcipuo diligebat: videlicet Comes Niuernensis, & Regina Nauarræ. Sed iam B ad describendam vitam ac conuersationem ipsius laudabilem cum Dei adiutorio accedamus.

De innocentia vitæ & sanctæ conuersationis ipsius.

SANE de ipso dici potest, & verè, quòd prædiximus de Iosia. *Cùm esset adhuc puer, cœpit quærere Dominum, & fecit quod rectum & placitum erat in conspectu Domini. Similis illi ante eum non fuit Rex, qui reuerteretur ad Dominum in toto corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua: neque post ipsum surrexit similis illi. Et ambulauit in viis Dauid patris sui. Non declinauit ad dexteram, neque ad sinistram.* Patrem siquidem habuit Christianissimum atque sanctissimum, Regem videlicet LVDOVICVM: qui & ipse zelo fidei accensus, contra hæreticos, qui tunc in Albigensium partibus plurimum aduersabantur Romanæ Ecclesiæ, ac fidei Christianæ, auctoritate Ecclesiæ crucem assumpsit: & viriliter peregrinatione aggressa, ac potenter dictorum inimicorum pro maxima parte superbia superatâ, dum à dicta peregrinatione rediret, feliciter migrauit ad Dominum. Huius tam pij patris deuotus successor, atque strenuus imitator, is, de quo loquimur, LVDOVICVS, ab ipsius sanctis vestigiis non declinauit neque ad dexteram, vt vanè eleuaretur in prosperis; neque ad sinistram, vt aduersitatibus aliquibus frangeretur. Vt pote qui semper extitit & inter prospera humilis, & inter aduersa securus: sicut pluries experti sumus quoad vtramque fortunam, Domino C concedente. 3.

De laude dominæ Blanchæ piissimæ matris eius.

INSVPER, nomen matris Iosiæ præteriri non debet, quæ Ydida vocabatur: 4.
quod interpretatur, Dilecta Domini; vel, Amabilis Domino. Quod rectè competit Illustrissimæ nostri Regis matri, videlicet dominæ BLANCHÆ Reginæ, quæ verè extitit dilecta Domini, & amabilis Deo, & hominibus vtilis & accepta. Sub sancta nutritura, atque salutari doctrina tam piæ matris, cœpit LVDOVICVS noster egregiæ indolis & optimæ spei puer existere, & de die in diem virum perfectum crescere, & quærere Dominum, & facere quod rectum & placitum erat in conspectu Domini. Verè conuersus ad Dominum in toto corde, tota anima, totáque virtute, tanquam bonæ arboris bonus fructus. Siquidem cùm regnare cœpisset, & non haberet nisi circiter duodecim annos; quàm strenuè, quàm industriè quàm iustè, quàm potenter dicta mater administrauerit, & custodierit, & defensauerit iura regni, testes sunt qui tunc præsentes aderant circa Regem. Quamuis eo tempore plurimos & florentissimos habuerit Rex aduersarios in principio regni sui. Sed meritis innocentiæ ipsius, ac solerti prouidentia matris eius (quæ tota virago semper extitit, & femineæ cogitationi ac sexui masculinum animum iugiter inferebat) perturbatores regni semper confusi succubuerunt. Nec prætereundum de quodam Religioso, qui à falsis relatoribus audierat, quòd Dominus hic Rex ante matrimonium

LVDOVICVS NONVS. suum concubinas habebat, cum quibus quandóque peccabat, conscia vel dissimulante matre sua. Quod cùm ille Religiosus cum multa admiratione, quasi eam redarguendo, dominæ Reginæ dixisset: illa super hac falsitate se & filium humiliter excusauit, verbum laudabile subinferens: videlicet, quòd si dictus filius suus Rex, quem super omnes creaturas mortales diligebat, infirmaretur ad mortem, & diceretur ei quòd sanaretur, semel peccando cum muliere non sua; priùs permitteret ipsum mori, quàm semel peccando mortaliter suum offendere Creatorem. Hoc ego ab ore ipsius domini Regis audiui. A

Item de puritate & innocentia vitæ eius.

5. EGO, quamuis insufficiens, dicti domini Regis Confessor extiti per viginti annos, vel circa: & confessionem eius generalem audiui toties, quòd vices numerare vix scirem. Ad honorem igitur Dei dico, quòd ipse per totam vitam suam numquam aliquod peccatum mortale commisit scienter, quod ego auderem iudicare mortale. Nam aliqui facta eius exteriùs attendentes timebant ei, ne ex solita & naturali benignitate ipsius negligentiam nimis remissam incurreret super correptione Bailliuorum, & aliorum Officialium, siuè collateralium suorum: & B quòd tardus videbatur ad iustitiam exhibendam. Sed qui benè attenderet, quàm sollicitus erat & diligens in inquirendis & vndique inuestigandis bonis ac fidelibus Officialibus, & Bailliuis; forsitan super præmissis ipsum ampliùs excusatum haberet. Et verè æstimo, quòd pauci sunt etiam de illis, qui super his arguebant: qui si essent in tanto officio, sicut ipse, in quibus non inuenirentur forsitan plura reprehensibilia, quàm in ipso.

De statu eius, quantum ad regimen subditorum.

6. CONSILIARIOS adsessores, tam clericos, quàm laicos, electissimos tam in fidelitate quàm & sapientiâ, habere volebat: & vndecunque poterat eligi faciebat. In causis, quæ contra ipsum vertere videbantur, semper quantum bono modo poterat, contra se stabat, & allegabat: vt per hoc Consiliarij absque timore offensæ ipsius à vero iudicio minimè declinarent. Super forefactis, quæ tam ad personam suam, quàm ad præpositos vel Bailliuos spectabant mittebat plures per regnum inquisitores diligentes & fideles: & inuentas iniurias emendari, & restitui faciebat. Similiter super statum familiæ domus suæ inquiri pluries faciebat, & reos probatos secundum quod meruerant puniebat.

De cautela & gratia verborum ipsius. C

7. CAVTISSIMVS erat, & gratiosissimus in loquendo. A verbis scurrilibus & dissolutis, maximè à detractoriis & mendacibus summè cauebat: & rarissimè, vel numquam maledicta vel conuitia dicebat alicui, quantumlibet modico garcioni, nisi hoc exigeret grandis culpa. Specialiter autem ab omni genere iuramenti, quantumcumque, vt in loquendo fieri solet, consuetum vel modicum videretur, penitus abstinebat. Aliàs ad euitandum alia iuramenta, loco iuramenti solebat dicere, In nomine mei. Quod audiens reprehendi à quodam viro religioso, extunc omnino abstinuit. Sed secundum Euangelium erat sermo eius: Est, est; Non, non. In arduis negotiis, & grauibus consiliis, & causis, pauci, vel nulli, perspicaciùs ipso, & veriùs iudicabant: & quod intellectu capiebat, valde prudenter & gratiosè proferre sciebat. Siquidem diffusa erat gratia in labiis eius, & sicut verè sapiens, in verbis seipsum amabilem faciebat. Vt pote cuius sermo in gratia sale semper erat conditus. Insuper glorisissimus erat, & solummodo ad videndum, & solo visu illabebatur, ad diligendum, affectibus singulorum.

De humilitate

A

De humilitate, & primò de habitu & veste.

EX quo prima vice viam arripuit transmarinam, numquam indutus est squaleto, vel panno viridi, seu bruneto, nec pellibus variis: sed veste nigri coloris, vel camolini, seu persei. Et quia vestes huius minoris valoris esse videbantur ad dandum pauperibus, quàm aliæ pretiosiores, quibus in iuuentute vti solebat: instituit, quòd ad recompensationem Eleemosynariis suis, quolibet anno haberet sexaginta libras paratas ad dandum pro Deo, * vltra id habere solebat. Nolebat pius Rex, quòd propter humilitatem suam exteriorem aliquid pauperibus deperiret. Similiter ex tunc numquam vti voluit calcaribus vel frenis, nisi omninò albis & ferreis, absque aliqua auratura; nec sellis ad equitandum, nisi albis, & sine omni pictura. 8.

De ablutione pedum pauperum.

B QVOLIBET Sabbato consueuerat pedes abluere in loco secretissimo, humiliter & deuotè, flexis genibus, trium pauperiorum & seniorum hominum, qui poterant inueniri: & post ablutionem pedes extergere, & humiliter osculari. Similiter aquam porrigebat eorum manibus abluendis, quas eodem modo osculabatur: & post cuilibet certam summam denariorum erogabat, & ad comedendum ipsemet eis ministrabat. Si autem propter corporis infirmitatem hæc pietatis obsequia facere non posset, volebat quòd vice ipsius Confessor suus, præsente Elemosynario, prædicta simili modo exequeretur. Cæterùm, ad laudem huius deuotæ humilitatis spectat, quòd dum quodam sabbato esset in Abbatia Claræuallis; ablutioni pedum Monachorum, quod Mandatum vocant, voluit interesse. Videlicet, quòd secundum morem Ordinis, post Vesperas, solemniter & deuotè sibi mutuò lauant pedes. Ipse verè ex humilitate sua pluries voluit capam deponere, & flexis genibus manus apponere ad pedes seruorum Dei humiliter abluendos. Sed quia plures Magnates non sibi multum familiares tunc sibi adstabant, de consilio ab hoc humilitatis officio supercedit. De eximia humilitate ipsius, benignitate, mansuetudine, atque patientiâ, plurima possent dici, & ad ædificationem multorum exempla subiici. Sed præsens opus excedere modum posset. In prædictis enim virtutibus nescio si secundum statum suum patrem haberet in mundo. 9.

Item de humilitate eius.

C DEMVM ad laudem humilitatis eius spectat, quòd in extrema voluntate sua statuit, & in testamento suo scribi præcipit, quòd super sepulturam ipsius defuncti nulla curiositas, nulla superfluitas fieret: vt sicut humilitatis exemplum se exibuit viuus, ostenderet & defunctus. Confessores suos in magna reuerentia semper habebat, ita quòd aliquando, postquam iam sederat coram Confessore ad confitendum, si ostium aliquod vel fenestram vellet claudi, vel aperiri, ipse à loco confessionis festinanter surgebat, quasi præueniens Confessorem; & ibat humiliter ad claudendum, vel aliquid huiusmodi faciendum. Qui cùm à Confessore super hoc argueretur, humiliter respondebat: Amen, vos estis pater, & ego filius. " Item ad commendationem pertinet humilitatis ipsius, quòd frequenter, & absque " pudore, imò libenter plurimum gratiosè narrabat, quomodo apud Massoram captus fuit à Sarracenis, & qualiter tunc se habuit apud eos, & de modo liberationis ipsius. Si quid dicebatur ei vel fiebat quod displicebat, si dissimulandum erat, optimè & cautè dissimulare sciebat. Præter Confessores suos, aliquem vel aliquos etiam sibi eligebat, quos affectuosè rogabat, quòd ei quæ viderent, vel ab aliis audirent digna reprehensione in ipso, sibi fideliter intimarent, nec sibi parcerent vllo modo. Ipse verò huius caritatiuas monitiones benignè & patientissimè acceptabat. 10.

A

Quomodo castè & continenter se habuit in matrimonio suo.

11. DE consensu vxoris suæ Reginæ, per totum Aduentum, & per totam Quadragesimam, ab opere carnali mutuò continebant: & nihilominus certis aliquot diebus qualibet septimana, similiter in vigiliis & diebus magnorum festorum. Insuper in solemnitatibus, in quibus communicare debebat, pluribus diebus ante communionem & pluribus post, ob reuerentiam sacri mysterij continebat. Si autem ipsum his continentiæ diebus ex certa causa vxorem suam Reginam visitare contingeret, & cum ea morari, & ex vicinitate vxoris pro humana fragilitate quandoque motus carnis inordinatos sentiret: surgebat è lecto, per cameram deambulans, donec carnis rebellio quieuisset.

Quòd regno abiecto voluit intrare Religionem.

12. NEc silendum, quòd annos plurimos ante mortem ipse ad culmen omnimodæ perfectionis adspirans, corde deuoto firmiter disponebat, quòd adulto filio suo primogenito regnum penitus relinqueret, & obtento vxoris assensu Religionem intraret: vnam videlicet de duabus, Fratrum Minorum scilicet, siue Fratrum Prædicatorum. Has enim duas specialissimè diligebat, dicens, quòd si de corpore suo posset duas facere portiones, vnam daret vni, reliquam alteri. Vnde & familiariter dicebat, se in hoc modicum gloriari, quòd familiares sui, qui sibi quasi continuè assistebant, discernere non poterant quem ordinem magis diligeret è duobus. Cùm autem dictum propositum, nacta opportunitate, consorti suæ Reginæ secretò aperuisset, astringens eam quòd hoc nullatenus alicui reuelaret: ipsa nulla penitus ratione huic Regis petitioni sui desiderio voluit assentire, rationes probabiles assignans in contrarium, ad ipsius Regis propositum refellendum. Diuina prouidentia forsitan ordinante ipsum vtiliorem in statu pristino ad regnum in pace seruandum, & ad totius Ecclesiæ negotia promouendum. Frustratus igitur à proposito suo pio, deinceps cum minori mundi amore, & cùm maiori humilitate ac timore remansit in mundo. B

De sacra educatione & institutione liberorum suorum.

13. ET quia de tam sacro coniugio generosa ac sancta proles procedere debuit, & per Dei gratiam copiosa processit: sequitur videre, quàm Catholicè se habuit pius pater in suorum instructione ac regimine liberorum. Volebat siquidem, quòd pueri iam adultæ ætati propinqui quotidie non solùm Missam, sed & Matutinas, & Horas Canonicas cum cantu audirent: & quòd ad audiendum Sermones secum adessent, & quòd singuli litteras addiscerent, & Horas beatæ Virginis dicerent: & quòd semper cum ipso essent ad Completorium, quod post cœnam suam solemniter in Ecclesia dici quotidie faciebat, & in fine Antiphonam specialem de beata Virgine altè & deuotè cantari. Dicto Completorio, in camera cum pueris reuertebatur, & aqua benedicta à Sacerdote circa lectum & per cameram aspersa, residebant pueri circa ipsum: quibus tunc priusquàm recederent solitus erat aliqua verba ædificatoria dicere, ad institutionem ipsorum. Capellos de rosis, siue alios quoscumque volebat quòd dicti pueri sacris diebus Veneris in capitibus deportarent, ob memoriam illius sacræ coronæ spineæ, qua caput Saluatoris ea die atrociter fuerat coronatum: & qua corona Rex Regum decorauerat tam magnificè regnum suum. C

Quòd duo de filiis in Religione nutrirentur.

14. NEc prætermittendum ad dicti Regis laudem, quòd cùm prima vice adhuc esset in peregrinatione terræ sanctæ vltra mare, & indè postquam in Franciam est reuersus, vt vidimus, Spiritu Dei ductus ordinauit, & in Testamento suo scribi voluit, quòd duo filij, qui sibi nati fuerant vltra mare, scilicet domnus Io. & domnus P. cùm ad annos discretionis venissent, infra septa Religionis nutrirentur; videlicet vnus in domo Frat. Prædicatorum Parisius, & alius in domo Fratrum Minorum, locis ad hoc competentibus ibidem Regis sumptibus præparatis: vt illic sacris institutis & litteris instruerentur,

A instruerentur, ad amorem Religionis salubriter inducerentur. Desiderans toto corde, vt documentis salutaribus informati, Domino inspirante, loco & tempore ipsas Religiones intrarent. Similiter filiæ suæ primogenitæ, quæ postea fuit Regina Nauarræ, cùm adhuc esset ipse vltra mare, literas speciales manu sua scriptas transmisit: in quibus inducebat eam efficaciter & deuotè ad mundi contemptum, & ad Religionis amorem & ingressum. Insuper ex deuotione sua dominam BLANCHAM filiam suam, quantum in ipso fuit, Deo obtulit in Abbatia Monialium iuxta Pontissaram, vbi corpus piæ matris suæ sepultum est: vt ibidem religiosè nutriretur, & ad Religionis amorem salutaribus verbis, & Sanctimonialiorum exemplis informaretur. Licèt autem is, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, aliter de dictis liberis voluit ordinari, quia forsitan ad bonum ipsorum, & Ecclesiæ Dei vtilitatem expediebat meliùs eos in seculo, & in matrimonio conuersari, quàm Religionem intrare: tamen prædicta scripsimus, vt pij Regis deuotionem fidei, ac feruorem sancti desiderij ostendamus, quibus ad omnem perfectionis apicem tam in se, quàm in suis liberis aspirabat. Nec arbitror, quòd pius affectus ipsius careat præmio & corona, quamuis voluntas pia eius optatum non fuerit effectum sortita.

B Cæterùm, in finem præsentis Capituli supponere dignum duxi, qualiter pater Catholicus, quasi Domino reuelante, propriæ mortis præscius, ante suam infirmitatem extremam scripsit in Gallico manu suâ salutaria documenta, & Catholica instituta: quæ filio suo primogenito, & in ipso cæteris liberis quasi pro Testamento reliquit. Horum documentorum manu sua scriptorum post mortem ipsius ego copiam habui, & sicut meliùs & breuiùs potui transtuli de Gallico in Latinum. quæ documenta sunt hæc.

Documenta, quæ pius Rex ante mortem filio primogenito scripsit, & quasi pro Testamento reliquit.

FILI carissime, imprimis te doceo, quòd Dominum Deum tuum diligas ex toto corde tuo, & ex tota virtute tua. nam sine hoc non est salus. Fili, debes te custodire ab omnibus, quæ Deo noueris displicere, videlicet ab omni mortali peccato: ita, quòd priùs deberes te permittere omni genere martyrij cruciari, quàm aliquod mortale peccatum committere. Præterea si Dominus tibi aliquam tribulationem habere permiserit, benignè, & cum gratiarum actione debes sustinere: cogitans quòd ad bonum tuum proueniat, & quòd hoc forsitan benè meruisti. Insuper, si Dominus tibi prosperitatem quamcumque contulerit, debes ei humiliter regratiari: cauens ne indè fias deterior, siue per vanam gloriam, siue quocumque C alio modo; quia non debes Deum impugnare, vel offendere de donis suis. Item moneo te frequenter confiteri, & quòd discretos & honestos tibi eligas Confessores, qui te sciant docere, à quibus tibi sit cauendum, & quæ te facere sit necesse. Et tu ad Confessores tuos te habeas tam modestè, quòd ipsi & amicè te, & securè reprehendere audeant. Libenter etiam & deuotè audias officium Ecclesiæ; & quamdiu eris in Ecclesia, caue ne vagè circumspicias, nec vana loquaris: sed ora Dominum deuotè, siue ore, siue cordis meditatione; & specialiter ampliùs intendas deuotioni in secreto Missæ circa horam consecrationis corporis & sanguinis Domini nostri IESV CHRISTI. Cor habeas pietatis ad pauperes, miseros, & afflictos: & secundum posse tuum eis subuenias, & eos consoleris. Si habueris aliquam cordis desolationem, dic eam Confessori tuo, vel alicui probo viro; & tunc eam leuiùs feres. Diligas habere semper tecum societatem bonorum, siue Religiosorum, siue secularium, & habe frequenter colloquium cum eis: & caue societatem prauorum. Audi libenter sermones tam in aperto, quàm in secreto, & libenter tibi procures indulgentias matris nostræ sanctæ Ecclesiæ. In proximis semper diligas bonum, & odias malum. Noli pati, dici coram te verbum allectiuum ad peccatum nec verbum detractorium de alio: maximè autem nullum verbum blasphemiæ de Deo siue de Sanctis patiaris dici ab aliquo, quin vindictam de eo fieri facias. De omnibus beneficiis tuis tibi à Deo collatis sic gratias agas illi, vt sis dignus maiora accipere. Erga subditos tuos ita iustè te habeas, quòd lineam iustitiæ teneas, non declinans ad dexteram, neque ad sinistram: & semper plus te teneas ex parte pauperis, quàm

LVDOVICVS NONVS.

diuitis, donec sis certus de veritate. Si quis autem contra te querelam habuerit, stes potius pro causa aduersarij tui, donec constet tibi de veritate: & sic illi qui sunt de consilio tuo, citiùs stabunt pro iustitia. Si pro certo intelligas, quòd teneas aliquid de alieno, siue ab antecessoribus tuis, siue à tempore tuo, statim restitue. Si res obscura est, veritatem inquiri facias per discretos. Sis diligens, quòd omnes subditi tui iustitia & pace seruentur: maximè autem personæ Ecclesiasticæ, ac Religiosæ. Dicitur de Rege Philippo auo nostro, quòd quidam de Consiliariis suis dixit ei, quòd Clerici multa damna inferebant ei, iura ipsius vsurpando: & mirabantur multi, quòd ita tolerabat. Cui Rex respondit: Benè credo quod dicis, sed quando cogito beneficia, quæ mihi Dominus contulit, meliùs volo pati, quàm inter me & Ecclesiam scandalum suscitare. Ama igitur, ô fili, personas Ecclesiasticas, serua pacem earum quantum poteris. Libenter subueni pauperibus Religiosis in suis necessitatibus, & maximè illis, per quos Deus magis honoratur in terra. Honora parentes tuos, & reuerenter serua mandata eorum. Beneficia Ecclesiastica personis idoneis dona de consilio spiritualium virorum, & eis qui non habent aliud beneficium. Caue ne absque maximo consilio guerram primus moueas contra aliquem Christianum: & si oporteat fieri, fac caueri ne innocentes, & Ecclesiæ, ac res earum sine merito puniantur. Et quamcitiùs poteris, pacifica de guerris & contentionibus tuis, & de guerris quæ sunt inter subditos tuos; sicut fecit beatus Martinus, qui bonam virtutum suarum consummationem existimauit, si pacem inter discordantes restituisset. Sis sollicitus, quòd habeas fideles Præpositos & Bailliuos, & inquire diligenter quomodo se gerant. Similiter de illis de hospitio tuo. Sis deuotus & obediens matri nostræ Romanæ Ecclesiæ, & summo Pontifici tanquam patri spirituali. Labora quòd omne peccatum de terra tua remoueatur, maximè autem blasphemiæ & hæreses. Memoriter recognosce, & regratiare Deo super omnibus beneficiis suis. Attende, quòd expensæ domus tuæ cum moderamine fiant. In fine obsecro te, ô fili, quòd si decedam ante te, quòd tu fideliter animam meam iuuari facias in Missis & orationibus, & mittas per sanctas Congregationes regni nostri, ad orationum suffragia impetranda pro me: & quòd in omnibus bonis, quæ facturus es, participationem habeam specialem. O fili carissime, in fine do tibi omnem benedictionem, quam pius pater potest donare filio: & tota Trinitas, & omnes sancti custodiant te ab omni malo. Et det tibi Dominus gratiam faciendi suam voluntatem taliter, quòd seruiatur & honoretur per te: ita quòd post hanc vitam nos simul perueniamus ad ipsum videndum, amandum, & laudandum sine fine. Amen, amen.

En Testamentum pij patris ad filios. O Testamentum vitæ & pacis! Testamentum nulla obliuione delendum, nulla similiter ordinatione mutandum! Testamentum non morte testatoris, sed immortalis vitæ adeptione firmatum! Siquidem pius pater de his, quæ verè sua erant, condidit Testamentum; & quæ in se possederat, aliis hæc legauit. Virtutes enim, quas filiis delegauit, in se completas habuit: vt pote qui in se priùs cœpit facere, & alios postremò docere. Huius nos, carissimi, tam sancti Testamenti generalis patris ac Regis nostri pro modo nostro simus legatarij & hæredes; & præcipuè Principes, & Prælati. Et hæc de doctrina & instructione liberorum dicta sufficiunt. Nunc de modo pœnitentiæ ipsius aliquid disseramus.

De modo pœnitentiarum ipsius, & primò de confessione eius.

16. SICVT in laudem Regis Iosiæ scriptum præmisimus, quòd ipse directus est diuinitus in pœnitentia gentis: sic iste in formam & exemplum pœnitentiæ statui omnium gentium à Deo diuinitus est exhibitus, & ostensus. Pœnitentiæ enim ipsius multiplex modus fuit. Siquidem sexta feria per totum annum consueuerat deuotè & humiliter confiteri, locum valdè secretum ad hoc eligens, & quasi in quolibet manerio suo ad huiusmodi prouidens locum aptum. Et licèt consueuisset intrà, tamen non ommittebat extra. Nam post confessionem, à Confessore suo, disciplinam semper recipiebat cum quinque catenulis ferreis similiter iunctis, capitibus earum in fundo cuiusdam paruulæ pixidis eburneæ virgulæ decenter infixis: quæ, peracta disciplina, in pixide replicabantur, & recondebantur. Quam

A Quam pixidem ipse in bursa ad zonam suam pendente secretò portabat. Similes pixides cum similibus virgulis ferreis, quasi pro secreto xenio, dabat aliquando liberis suis, siue secretis amicis, pro recipiendis loco & tempore disciplinis. Si quando Confessor suus, quasi parcens ei, nimis remissos ictus, vt sibi videbatur, ei dabat; quòd fortiùs percuteret, ipse per signum aliquod innuebat. Hanc autem disciplinam, existimo, apud quendam habuit Confessorem, qui erat solitus sibi dare disciplinas nimis immoderatas & duras: super quo caro eius tenera non modicum grauabatur. Quod grauamen nunquam illi Confessori, quandiu viueret, voluit reuelare: sed post mortem dicti Confessoris, quasi iocando & subridendo hoc alteri Confessori suo humiliter recognouit. Et licèt, prout dictum est, consueuisset omni die Veneris confiteri; tamen si alijs diebus sibi occurreret aliquid confitendum, non differebat quin quantociùs posset confiteretur. Si quid etiam de nocte, vt fieri solet, sibi contingeret, si suum in promptu habere poterat Confessorem, mittebat pro eo antequam inciperet Matutinas. Si autem commodè habere non poterat, interim Capellano confitebatur: qui eum ad Horas dicendas iuuabat. Nec omittendum, quòd postquàm de transmarinis partibus est reuersus, semper duos voluit Confessores, vnum de ordine Fratrum Minorum, & alium de Ordine Prædicatorum: vt si B vnum habere non posset, alium paratum haberet, & vt per hoc amorem ad vtrumque Ordinem ostenderet & seruaret; & maximè, vt sic conscientia sua securior esse posset; quòd *in ore duorum* testium *stat omne verbum*: & iuxta sententiam Salomonis, *vbi multa consilia, ibi salus.*

Quod cilicio quoque vtebatur.

PRÆTEREA, in Aduentu & Quadragesima, diebus Veneris, cilicio ad carnem vtebatur. Similiter in quatuor vigilijs beatæ Mariæ: licèt à Confessore suo pluries sibi dictum fuisset, quòd huiusmodi pœnitentia statui suo minimè competebat: sed largas elemosynas pauperibus erogare debebat, & subditis festinatam iustitiam exhibere. Tandem Confessori suo humiliter recognouit, quòd huiusmodi cilicium carnis eius teneritudinem supra modum grauabat. Vnde de consilio eius vti cilicio humiliter prætermisit. Tamen nonnumquam in Quadragesima loco cilicij quadam zonâ lata de cilicio, siue fascia se cingebat. Insuper loco prædicti cilicij, quasi in recompensationem, voluit quòd omni die Veneris, in Aduentu & Quadragesima, Confessor suus reciperet de mandato ipsius XL. solidos Parisienses, ad erogandum secretò pauperibus. 17.

De abstinentia ipsius.

C CONSVETVS erat per totum annum omni sexta feria ieiunare, & quarta feria à carnibus & sagimine abstinere. Aliquando etiam diebus lunæ à carnibus similiter abstinebat. Sed propter debilitatem corporis hanc diem dimisit consilio discretorum. Insuper quatuor vigilias præcipuorum festorum beatæ Virginis in pane & aqua ieiunabat. Nihilominus in Parasceue, & quandoque in vigilia omnium Sanctorum, ac aliquibus alijs solemnibus ieiunijs per annum similiter in pane & aqua ieiunare volebat. Sextis feriis in Quadragesima & Aduentu à fructibus & piscibus abstinebat. Tamen aliquando de licentia sui Confessoris vno genere piscium, & vno genere fructuum vtebatur. Audiuit à quodam Religioso, quòd ab omni genere fructuum comedendo penitus abstinebat; nisi quando prima vice nouus fructus sibi afferebatur, quasi in gratiarum actionem semel indè gustabat, deinceps erat abstinens toto anno. Quod cùm sanctus Rex Confessori suo retulisset, quasi suspirans quòd tantam perfectionem aggredi non auderet; concepit in animo saltem facere è conuerso, videlicet vt cùm sibi nouus fructus primitus offerretur, indè non comederet ea vice, quasi primitias immolando Domino. & tunc securè deinceps comedebat. Et credo quòd ita postmodum, sicut proposuerat, obseruauit. Nullum, vel paucissimos recolo me vidisse, qui tantâ aquæ copiâ vinum suum obrueret, sicut ipse. 18.

 A

De operibus misericordiæ, & largitate elemosynarum, ad pauperes.

18. PORRO ab infantia creuerat secum miseratio. Et quia erga afflictos & pauperes pia semper gestabat viscera charitatis, elemosynas eius, quas enarrat omnis Ecclesia Sanctorum, nec simulare debeo, nec sufficio explicare. Siquidem quotidie, vbicumque esset, in domo sua reficiebantur pane, vino, & carnibus, sine ciuibus, plus quàm centum viginti pauperes. In Quadragesima verò, & Aduentu, atque deuotis diebus, summa pauperum augebatur. Frequenter ipsemet pius Rex pauperibus seruiebat, & coram eis fercula ministrabat, panem scindebat, ac denarios multos manu propria eis dabat; & ante eos pauperiores eligebat vt largiùs eis daret. Specialiter autem in quibusdam ieiuniorum diebus & solemnibus vigilijs, ducentis pauperibus manu propria, antequam comederet, de prædictis omnibus seruiebat. Præter hæc, quotidie in prandio & in cœna habebat propè se tres senes pauperes comedentes, quibus de cibariis suis charitatiuè mittebat, & in fine prandij certam summam pecuniæ eis dabat. Cæterùm, quis enarrare sufficeret, quàm largas & frequentes elemosynas pius Rex assiduè erogaret pauperibus Religiosis, ac Conuentibus plurimis tam Sanctimonialium, quàm virorum, similiter Hospitalibus pauperum, ac Domibus Leprosorum, & aliorum Collegijs pauperum, tanquam specialis pater eorum? Sanè, cùm inter cetera pietatis opera, singulis annis solitus esset circa principium hiemis Conuentibus Fratrum Minorum, & Fratrum Prædicatorum Parisiensium summam pecuniæ elargiri pro suis necessitatibus prouidendis, & quando ampliùs indigebant suum beneficium ampliare: post illius concessionem elemosynæ, ex affluentia pietatis, quam gerebat in pectore, familiaribus, qui aderant, serenissimo vultu, ac corde deuoto dicebat: „O Deus, quàm benè reputo hanc elemosynam esse erogatam tot & tantis fratribus, qui de toto corde ad istos Conuentus Paris. pro studio sacræ doctrinæ confluunt; & exindè, quod de Scripturis diuinis hauserunt, per totum mundum ad Dei honorem, & animarum salutem effundunt! Præterea, ab ineunte ætate Domus & Monasteria Religiosorum cœpit ædificare quamplura: inter quæ specialiter illud præclarum beatæ Mariæ Regalis Montis Cisterciensis Ordinis Monasterium, & Ecclesiam admirandæ pulchritudinis de proprio suo construxit, & copiosos redditus assignauit; vbi magna & sancta Monachorum congregatio Deo seruit. Domos insuper quamplures Fratrum Prædicatorum atque Minorum in diuersis regni sui partibus ædificauit, & iam incœptas ad consummandum adiuuit. Domum de Parisiis cum magnis sumptibus ampliauit: & redditibus augmentauit. Insuper Domos Hospitales pauperum apud Pontisarum, Compendium, & Vernonem, magnis & sumptuosis ædificiis construxit, & magnos redditus assignauit. Monasterium autem sancti Matthæi iuxta Rothomagum de proprio adquisiuit, in quo posuit Religiosas Sorores de Ordine beati Dominici circiter quinquaginta, deuotè Domino seruientes, & eisdem redditus sufficientes prouidit. Domum etiam magnam cæcorum pauperum Parisiis construi fecit, vbi plus quàm trecenti quinquaginta cæci pauperes commorantur, in Capella ibi constructa diuinum seruitium audientes. Præterea miserandarum mulierum, quæ propter victus penuriam erant publicè expositæ ad peccatum, vel ad exponendum paratæ, quæ tantùm panem & aquam ab ipso petebant, vt sic à peccato cauerent, in Domo filiarum Dei Parisius magnam multitudinem congregauit, & eisdem pro sustentatione annuatim quatuor centum libras Par. assignauit. Insuper Monachis Ordinis Cartucensis propè Parisios in loco, qui dicitur Vallis-viridis, & locum aptum prouidit, & ad viuendum Deo ibidem sufficientes redditus contulit. Domum insuper Paris. honestarum mulierum, quæ vocantur Beguinæ, de suo adquisiuit, & eisdem assignauit, in qua religiosè & honestè conuersantur circiter quadringentæ: & pluribus exceptis, maximè pauperibus nobilibus, quamdiu viuerent, de substentatione quotidiana prouidit. Similiter in pluribus aliis regni sui ciuitatibus atque castris dictis Beguinis domos ad habitandum prouidit. Præterea, quia circa initium Quadragesimæ piæ memoriæ Rex PHILIPPVS annuatim circiter tria millia librarum solebat pauperibus erogare, sed nulla super hoc confirmatio habita: iste deuotissimus successor hanc piam elemosynam per Cartam suam in perpetuum confirmauit, * per litteras, vnde poterat per dessuetudinem

A dessuetudinem amitti. Igitur piissimus Rex, pauperum pater ac consolator, qui de corde suo constituerat spirituale Domino Hospitale, omnes Religiosos, qui veniebant ad ipsum, cuiuscumque pauperis Ordinis, dum tamen esset à Sede Apostolica confirmatus, benignè suscipiebat, & Parisius sumptibus propriis de loco commodo prouidebat. Cùm autem intelligeret, quòd nonnulli ex familiaribus suis ex largitate elemosynarum suarum murmurarent, eisdem dicebat, quòd cùm oporteret quandoque in expensis excedere, potiùs eligebat quòd excessus fierent in elemosynis propter Dominum, quàm in secularibus & mundanis: vt excessus, qui fiebat in spiritualibus, excusaret atque redimeret excessum, quem frequenter oportebat fieri in mundanis. Nihilominus tamen in sollemnitatibus Regiis, & tam in quotidianis sumptibus domus suæ, quàm in Parlamentis, & Congregationibus Militum & Baronum, sicut decebat Regiam dignitatem, liberaliter ac largiter se habebat: & seruiebatur in Domo sua multùm curialiter ac decenter, plus quàm in prædecessorum suorum Regum Curiis. Volebat insuper, quòd reliquiæ ciborum de mensis Domus Regiæ sollicitè ac fideliter seruarentur: ita quòd non licebat alicui extra domum aliquid de dictis reliquiis exportare, nisi de licentia Elemosynarij specialis. Vnde pauperes exinde magnum commodum reportabant.

B

De beneficiorum collatione.

SANE in beneficiis Ecclesiasticis, conferendis quæ ad patronatum siue donationem ipsius pertinebant, Deum semper præ oculis habebat, & electis & probatis personis ea quantum poterat conferebat: præcipuè autem in Ecclesiis Cathedralibus, vbi Sede vacante, ratione custodiæ Regalis, ex consuetudine pertinebat ad eum collatio præbendarum. Quas personas inquiri & eligi faciebat per Cancellarium Parisiensem, & alios viros bonos: specialiter autem per Fratres Prædicatores, atque Minores. Atque Clericos in Memoriali suo scribi volebat, vt eisdem loco & tempore prouideret. Nec prætermittendum, quòd hanc consuetudinem obseruabat, quòd nulli, quantumcumque litterato, vel famoso, aliquod beneficium Ecclesiasticum possidenti conferret aliud Ecclesiasticum, nisi prius beneficium simpliciter resignaret: vel beneficium non vacans omninò alicui concedere, vel conferre volebat, donec testimonium haberet & certitudinem, quòd vacaret. Exultabat autem plurimum à Domino cor eius, quando personæ magni testimonij ac excellentis famæ aliquod bonum beneficium conferebat. Et vt breuiter ea, quæ ad laudem pietatis ac misericordiarum ipsius pertinent, concludamus; quicquid in operibus pietatis vel vsus pauperum erogabat, vel personis boni testimonij conferebat, æstimabat optimè collatum. Quod autem in superfluis domorum suarum ædificiis expendebat, siue in aliis mundanis superuacuis, videbatur quasi perditum reputare. 20.

C Aduertendum autem, quòd hoc apertè videtur fuisse diuinæ virtutis operatio, ac meritorum sancti Regis declaratio, quòd cùm secundum iudicium hominum mundanorum non esset multum profusus in largis muneribus conferendis Baronibus siue militibus regni sui, nec etiam quantum ad ipsos multum affabilis in verborum blanditiis, siue applausionibus forinsecus videretur, per quæ corda eorum attraheret ad amorem: omnes tamen tam maiores quàm minores ipsum habebant in magna reuerentia & timore, propter fidelitatem & sanctitatem ipsius atque iustitiam. Scientes enim eum virum iustum, & sanctum, metuebant eum. Vnde post suæ primordia iuuentutis, non fuit qui auderet insurgere, vel attentare aliquid contra ipsum. Aut si fuit rebellis aliquis, citò sub eius humiliabatur imperio. Et, sicut legitur de Rege pacifico Salomone, habuit pacem vndique in circuitu regni sui. Et quod de Atha Rege Iuda dicitur, quòd regnauit in pace, nulla temporibus eius bella surrexere, pacem per gyrum Domino largiente. Sanè si quos etiam hostes & æmulos latenter habebat, eos sagaciter & caritatiuè adtrahebat ad pacem & beneuolentiam, suis curialitatibus & auxiliis opportunis. Et quia placebant Domino viæ eius, inimicos ipsius, si quos habere poterat, conuertebat ad pacem. Non solùm autem ad subditos clementer & pacificè se habebat, sed etiam ad alios finitimos & vicinos, ad Principes & villarum Rectores. Pro pace inter eos, & concordia reformanda frequenter nuncios suos prouidos & discretos cum magnis sumptibus destinabat, & eos sic ad pacem--populares & pauperes ab oppressionibus & afflictionibus, quæ in guerris solent

 contingere, conseruabat. Sic autem gratiosè erga omnes tam subditos quam vicinos, necnon extraneos remotos fideliter, misericorditer, & clementer in omnibus se gerebat, quòd ab omnibus merebatur honorari pariter & amari; & regnum eius sic cum sui custodia & tranquilitate cordis in pace seruari. Nam scriptum est: *Misericordia enim & veritas custodiunt Regem, & firmatur clementia thronus eius.* Thronus quippe eius sicut sol in conspectu omnium renitebat, & respectu etiam cæterorum. Nam sicut sol suos vbique diffundit radios, sic ab ipso diffundebantur vbique beneficia sui luminis, & caloris: exempla videlicet luminosa suæ vitæ laudabilis, & opera charitatis inextinguibilis, & amoris. A

De deuotione eius ad diuinum officium, & de modo orandi ipsius.

21. OMNES Horas Canonicas, & etiam de beata Virgine, cum cantu quotidie audire volebat. Etiam si eas in itinere equitando audire contingeret, nihilominus eas inter se & Capellanum suum, tam de die, quàm de beata Virgine, submissè dicebat. Insuper Officium mortuorum quotidie cum nouem lectionibus, etiam in festis quantumcumque solemnibus, dicebat cum Capellano suo. Raro accidebat, quin quotidie duas Missas audiret, & frequenter tres vel quatuor. Cùm autem audiuisset, quòd Nobilium aliqui murmurabant super hoc, quòd tot Missas, tot Sermones audiret: respondit, quòd si in duplo de tempore poneret in ludendo ad aleas, & currendo per syluas pro venationibus & aucupijs, nemo super his loqueretur. Aliquanto tempore in consuetudinem duxit, circa mediam noctem surgere ad Matutinas à Capellanis suis & Clericis in Capella cantandas; vt post Matutinas rediens, ante lectum suum quietum spatium orandi haberet. Tunc, sicut familiariter dicebat, non habebat timorem, quòd si tunc Dominus ei aliquam deuotionem immitteret, impedimentum à superuenientibus pateretur. Et tunc tamdiu in oratione permanere volebat, quantum durauerant in Ecclesia Matutinæ. Sed cùm ipsum nihilominus operteret propter instantia negotia ad Primam surgere satis mane, & ex his vigiliis corpus eius & caput maximè non modicum debilitari & grauari poterat; adquieuit consilio & precibus discretorum, videlicet quòd ad Matutinas surgeret tali hora, quòd post modicum spatium Primam, & Missas, & Horas cæteras continuè posset audire. Dum Horæ cantarentur, nolebat alicuius colloquio impediri, nisi vrgeret aliqua vtilitas; & tunc, breuiter, & succinctè. Sicut autem in laudem Regis Iosiæ præmisimus, quòd *fecit phase, quale ante non fuerit, nec quisquam de Regibus fecit tale*: sic iste solemnitates præcipuas anni, non solùm Pascha, sed & ceteras festiuitates deuotas faciebat venerabiliter ac studiosissimè celebrari; conuocans ad hoc pluries in anno Clericos electos & gratiosè cantantes, & maximè de Bonis-Pueris, qui in sancta Congregatione Parisius morabantur: quibus in recessu denarios erogabat, illisque pro magna parte anni in studio sustentabantur. Lacrymarum gratiam plurimum affectabat, & super hoc defectu Confessori suo piè & humiliter conquerebatur, familiariter ei dicens, quòd quando in Letania dicebatur, *Vt fontem lachrymarum nobis dones*, deuotè dicebat: O Domine, fontem lachrymarum non audeo postulare, sed modicæ lacrymarum stillæ mihi sufficerent ad cordis mei ariditatem & duritiam irrigandam. Aliquando etiam Confessori suo familiariter recognouit; quòd quandoque Dominus in oratione aliquas lacrymas sibi dedit, quas cùm sentiret per genas suauiter ad os influere, non solùm cordi, sed gustui suo dulcissimè sapiebant. Congregationes Religiosorum frequenter ac deuotissimè visitabat, & ab eis pro se & amicis suis, viuis ac defunctis, piarum orationum & Missarum suffragia humiliter, & flexis genibus, in Capitulo stipulabatur. Fidelissimus erat ad orandum, & ad faciendum orari pro familiaribus suis, seruientibus suis, & amicis defunctis. B C

De peregrinatione eius in Nazareth.

22. NEC silendum arbitror, quàm humiliter, quàm Catholicè se habuit Rex deuotus in peregrinatione, quam fecit de Acon in sancta ac deuota ciuitate Nazareth. Nam in vigilia Annunciationis Dominicæ iuit indutus ad carnem cilicio, de Sophera, vbi ea nocte iacuerat, in Cana Galileæ. Indè in montem Thabor, indè

A indè eadem vigilia descendit in Nazareth. Cùm autem à longè locum sanctum videret, descendens de equo, flexis genibus deuotissimè adorauit, & sic pedes incessit, donec humiliter ciuitatem sacram, & pium locum incarnationis intrauit. Ea die in pane & aqua deuotè ieiunauit, quamuis plurimum laborasset. Quàm deuotè ibidem se habuerit, quàm solemniter & gloriosè fecerit celebrari Vesperas, Matutinas, Missam, & cetera quæ ad solemnitatem tam celebrem pertinebant, testes esse possunt qui affuerunt, de quibus nonnulli attestari veraciter, siue edere potuerunt, quòd postquam Filius Dei in eodem loco de gloriosa Virgine carnem assumpsit, numquam tam solemne, támque deuotum officium fuerit ibi factum. Ibidem deuotus Rex Missa in altari Annunciationis celebrata, sacram communionem accepit. Et domnus Odo Tusculanus Apostolicæ Sedis Legatus ad maius altare Ecclesiæ Missam solemnem celebrauit, & Sermonem deuotum fecit. Ornamenta Ecclesiæ pretiosissima ac deuotissima Rex per omnia Catholicus habere volebat, & secundum quod variis solemnitatibus congruebat, ornamenta seu paramenta diuersorum colorum habebat: & super hoc gerebat ipse curam ac sollicitudinem specialem. Præterea indulgentias à domino Papa, & ab aliis Prælatis Ecclesiæ sollicitè B procurabat, & impetratas deuotè & humiliter frequentabat.

Quòd deuotè Sermones audiebat, & in sacra Scriptura studebat.

VALDE frequenter Sermones audire volebat, & quando sibi benè placebant, 23. eos optimè retinebat, & aliis repetere multum gloriosè sciebat. Dum in reditu peregrinationis transmarinæ per decem septimanas, vel circa, moram in mari faceret, ordinauit quòd & in naui tres haberet Sermones qualibet septimana. Cæterùm, dum mare tranquillum erat, & nauis labore & opera nautarum minimè indigeret, volebat pius Rex, quòd dicti nautæ Sermonem specialem haberent de competente ipsis materia, scilicet de articulis fidei, & moribus, & peccatis, considerans quòd huiusmodi gens audiret rarissimè verbum Dei. Voluit insuper, quòd nautæ prædicti singuli confiterentur Sacerdotibus ad hoc electis: & ad hoc ipsemet ore suo exhortationem fecit eisdem valde salutarem & efficacem, persuadens ipsis & exprimens, quàm frequenter essent in mortis periculo, propter maris discrimina repentina. Inter cætera autem dixit eis verbum notabile, & memoria dignum; videlicet, quòd si interim dum vnus nautarum confiteretur peccata sua, nauis officio suo forsitan indigeret; Ego, inquit Rex, libenter manum meam apponam, siue ad cordam "trahendam, siue ad aliquid aliud faciendum. Nec fuit inanis pia ipsius exhortatio. "Nam nonnulli nautæ tunc fuerunt confessi, qui per annos plurimos numquam con-"fessi fuerant. Audiuit fidelis Rex, dum adhuc esset vltra mare, de quodam magno C Sarracenorum Soldano, qui omnia Librorum genera, quæ necessaria esse poterant Philosophis Sarracenis, diligenter faciebat inquiri, & sumptibus suis scribi, & in armario suo recondi; vt literati eorum Librorum copiam possent habere, quoties indigerent. Considerans igitur pius Rex, quòd filij tenebrarum prudentiores esse videntur filiis lucis, & erroris sui ampliùs zelatores quàm sint filij Ecclesiæ veræ fidei Christianæ; concepit, quòd reuertens in Franciam omnes Libros sacræ Scripturæ, quos vtiles & autenticos in diuersis armariis Abbatiarum inuenire valeret, transcribi sumptibus suis faceret, vt tam ipse quàm viri literati ac religiosi familiares sui in ipsis studere possent; ad vtilitatem ipsorum, & ad ædificationem proximorum. Sicut cogitauit, ita & reuersus perfecit, & locum aptum & fortem ad hoc ædificari fecit, scilicet Parisius in Capellæ suæ thesauro, vbi plurima Originalia tam Augustini, Ambrosij, Hieronymi, atque Gregorij, necnon & aliorum orthodoxorum Doctorum Libros sedulè congregauit: in quibus quando sibi vacabat, valde libenter studebat, & aliis ad studendum libenter concedebat. Maximè autem si vacare poterat ad studendum propter dormitationem diurnam, antequam prodiret in publicum, siue ad loquendum cum aduenientibus, siue ad Vesperas audiendum. Potiùs autem volebat de nouo facere Libros scribi, quàm emere iam conscriptos: dicens, quòd hoc modo sacrorum Librorum numerus & vtilitas copiosiùs augebatur. De his autem Libris, quos, sicut diximus, fecit scribi, & quos in armario Parisius dereliquit, in suo disposuit Testamento, quòd vna pars esset Fratrum Minorum, & altera Fratrum Prædicatorum, reliqua Monachorum Regalis-montis, Ordinis

Cistercienśis, quos ipse fundauit omninò de suo. Quando studebat in Libris, & aliqui de familiaribus suis erant præsentes, qui litteras ignorabant, quod intelligebat legendo propriè & optimè nouerat coram illis transferre in Gallicum de Latino. Non libenter legebat in Scripturis magistratibus, sed in Sanctorum Libris autenticis & probatis. A

Quantam deuotionem habuit in his quæ spectant ad fidem. & primo de sacra Corona, & de alijs sanctis reliquijs.

24. QVANTA deuotione fidei, & quàm immensis laboribus & expensis, ac nunciorum suorum periculis obtinuerit à Constantinopolitano Imperatore..... Coronam spineam Saluatoris, & partem maximam sanctæ Crucis, cum aliis reliquiis multis ac plurimùm pretiosis: & cum quanto gaudio procul occurrerit obuiam Rex deuotus ad dictas reliquias reuerenter suscipiendas, necnon cum quàm solemni ac deuotissima processione totius Cleri & populi preciosæ reliquiæ Parisius sint receptæ, ipso Rege hunc sacrum thesaurum ex vna parte propriis humeris ac nudis pedibus deportante; testis est is Libellus, qui diligenter super iis est confectus, de quo ad Matutinas legitur in solemnitatibus dictæ Coronæ, cæterarumque reliquiarum. Quas solemnitates pius Rex celebriter fieri instituit bis in anno, videlicet die anniuersaria, qua Parisius receptæ sunt. Cæterùm, quàm mirificam, quàm speciosam, ac nobilem Capellam Parisius fecit fabricari, necnon quàm preciosam & admirabilem thecam fieri fecit, auro, & argento, & lapidibus preciosis ornatam, ad prædictas sacras reliquias honorificè recondendas; testes esse possunt, qui Parisius prædicta diligenter viderunt. In qua Capella Canonicos atque Capellanos instituit, & magnos redditus assignauit, sicut decebat Regiam dignitatem: vt ibidem Domino in perpetuum in diuino officio seruiretur. Hæc omnia zelum fidei Christianæ in ipso commendant. B

De prima eius peregrinatione transmarina, & qualiter Damietam cepit, & quomodo captus fuit, & deliberatus.

25. PRÆTEREA Rex quanto feruore fidei bis peregrinationem assumpserit transmarinam, quantosque in ea sustinuerit sumptus, pericula, ac labores, penè innotuit toti mundo. Sanè qualiter in prima sua peregrinatione, & post multos labores in primo aduentu suo in Ægyptum sibi Dominus miraculosè reddiderit Damietã: quomodo postmodũ diuina permissione à Sarracenis captus, quàm sapienter se habuit in....& quamdiu fuerit in manibus eorum detentus, testes sunt qui cum ipso præsentes fuerunt. Ita quòd ipsi Sarraceni eum sanctissimum, ac veracissimum. necnon sapientissimum reputabant. Denique aduertendum, quòd si captus fuit à Sarracenis, non est multum admirandum: sed est diuino miraculo, & ipsius potentiæ, necnon sancti Regis meritis adscribendum, quòd ita de facili, & satis pro modico pretio, contra spem ferè omnem, ipse & fratres sui, & exercitus Christianus, fuerint satis incolumes & sani de impiorum manibus liberati. Deniqe non silendum est, quòd quando ipse Rex captus fuit, grauiter ægrotabat illa mortifera & generali infirmitate, qua maxima pars exercitus illis diebus est defuncta; ita quòd de vita ipsius modicum sperabatur. Sed eo capto, prouidente ipso, qui diligentibus se omnia cooperari facit in bonum, Soldanus per Medicos suos, qui meliùs quàm nostri nouerant artem curationis infirmitatis huius, fecit eum custodiri diligentiùs ac sanari; & omnia necessaria, quæcumque Rex petiisset, abundanter & curialiter ministrari. Ita quòd de ipso atque de suis potuit verè dici: *Et dedit eos inc onspectu omnium, qui ceperant eos.* C

Qualiter se habuit in Achon, & de mora eius in Terram sanctam.

26. IGITVR diuina virtute liberatus, & pace seu treuiis cum Sarracenis firmatis, necnon captiuis, qui tunc potuerunt haberi, reductis, venit pius Rex in Achon: habitoque communi consilio tam cum suis, quàm cum terræ illius militibus & Prælatis, dicentibus plurimis & discretis, quòd si post tale infortunium rediret in Franciam,

A Franciam, in maximo perditionis periculo dimitteret terram sanctam, & quòd essent perditi residui captiui, qui nondum adhuc fuerant liberati: Rex pietate & fidei virtute permotus consensit morari in Syria quamdiu Domino placuisset, licèt nonnulli suorum aliter suaderent. Moratus est itaque postea in terram sanctam per annos quinque, vel circa: nec mora sua fuit inanis, & vacua. Nam in spatio illo cum magnis sumptibus ædificauit Cæsaream muris fortissimis in circuitu ciuitatis. Eodem modo Ioppen & Sidonem. Multa insuper posuit in ampliando & fortificando muros ciuitatis Achon. Licèt autem labores huius, quamuis plurimùm sumptuosi, modicum effectum vtilitatis Christianitati visi fuerint contulisse, credimus quòd per ipsum non stetit: sed potiùs ex secreto & nobis ignoto Dei iudicio hoc processit, & culpis aliorum hoc exigentibus potiùs, quàm suis.

Quàm piè suscipiebat Sarracenos ad fidem reuertentes.

INSVPER, in moræ illius spatio Sarraceni multi ad ipsum pro Christianitate 27. suscipienda venerunt, quos gaudenter recipiebat, & baptizari faciebat, & in B fide Christi instrui diligenter: & eos in omnibus propriis sumptibus sustentabat, & in Franciam secum adduxit, & ipsis & vxoribus ac pueris eorum quamdiu viuerent, prouisionem adsignauit. Sclauos, & multos Sarracenos, siue gentiles, de proprio emi fecit, & baptizari, & prouisionem eis similiter assignauit.

Quomodo se habuit audita morte piæ matris suæ.

DVM moraretur in Ioppe ad instaurandos eiusdem loci muros, venerunt ru- 28. mores de pio obitu dominæ BLANCHÆ Illustrissimæ matris eius. Quos cùm primò dominus Legatus audisset, assumpto secum Tyrensi Archiepiscopo, qui tunc domini Regis sigillum portabat, placuit ei quòd ego tertius essem cum eis. Accedens igitur Legatus ad Regem, & nos duo cum eo, dixit quòd volebat secretò in camera sibi loqui, præsentibus nobis duobus. Attendens igitur Rex grauem Legati faciem, cognouit quòd aliquid triste dicere sibi vellet. Duxit itaque vir Deo plenus Legatum & nos de camera in Capellam suam, quæ cameræ erat coniuncta: & clausis cameræ ostiis sedit coram altari, & nos cum eo. Tunc Legatus prudenter Regi exposuit varia & magna beneficia, quæ diuina bonitas sibi abundanter contulerat ab ineunte puerili ætate: inter alia autem, quòd per gratiam suam sibi prouiderat talem matrem, quæ ipsum tam Catholicè instruxerat, & tam fideliter tamque prudenter tractauerat, & administrauerat negotia regni sui. Subiuncto post modicum cum singultu & lacrimis dictæ Reginæ obitu tam C damnoso, tamque plangendo, Rex Catholicus eiulans alta voce, & in lacrimis resolutus, coram altari genua flexit, & manibus iunctis, ac deuotissimè plorans, ait: « Gratias ago tibi Domine Deus, qui dilectissimam matrem ac dominam, quamdiu « bonitati tuæ placuit, mihi commodasti: & nunc, Domine, per corporalem mor- « tem eam tibi secundum tuum beneplacitum accepisti. Verum est, Domine, quòd « ego nuper eam super omnes mortales creaturas, prout benè meruerat, diligebam: « sed ex quo beneplacitum est ante te, sit nomen Domini benedictum in secula, amen. Post hæc dicta breui commẽdatione à Legato pro anima defunctæ, voluit Rex solus in Capella remanere. Tamen recedente Legato & Archiepiscopo, tunc me solum secum retinuit. Sed ne immoderata tristitia grauaretur, accessi ad ipsum prout poteram consolandũ, humiliter dicens ei, quòd ad præsens satis naturæ reddiderat quod naturæ debebat: sed iam opportunum erat, quòd gratia Dei, quæ in ipso erat, redderet quod ad rationem illuminatam per gratiam pertinebat. Quam admonitionem prudenter excepit, & effectui mancipauit. Nam mox è loco illo surrexit, & in Oratorio suo secessit, vbi dicere consueuerat Horas suas. Ibi me solum conuocauit, & ex voluntate ipsius nos duo pariter diximus totum Officium mortuorum, scilicet Vesperas & Vigilias cum nouem Lectionibus. Et non modicum sum miratus, quòd cùm cor eius esset tam diri vulneris nouitate subcussum, & grauiter sauciatum, non recolo quòd potuerim perpendere ipsum in aliquo versu Psalmi, siue in aliqua Lectione, quam diceret, deficere, vel errare: sicut frequenter solet accidere humano cordi, mœstis & subitis rumoribus perturbato. Hoc ergo verè attribui

LVDOVICVS NONVS. virtuti diuinæ gratiæ, atque constantiæ cordis eius. Fidissimus filius extitit animæ piæ matris. Nam infinitas Missas, & multiplicium orationum deuota suffragia in Religiosorum Collegiis impetrauit. Item & extunc continuè coram se quotidie specialem Missam voluit celebrari; nisi diebus Dominicis, & festis præcipuis. Postmodum mansit adhuc in terram sanctam plus quàm per annum. Nam peracta instauratione murorum Ioppensium, iuit ad ædificandos muros fortes in circuitu ciuitatis Sidoniensis. Quo facto, intellexit per plures literas & nuntios de Francia venientes, quòd post mortem matris suæ regno suo periculum maximum imminebat, tam ex parte Angliæ, quàm ex parte Alemaniæ. Vnde consilio habito cum discretis, assensit ad propria remeare: relictis tamen cum Domino Legato multis militibus, & expensis in succursum & subsidium terræ sanctæ. Sane cum quanta deuotione & lacrimis, cum quanta benedictione & fauore totius populi Acconensis, necnon militum & Prælatorum, vsque ad nauim ab eisdem prosecutus fuerit, exprimere non possumus. A

De reditu eius in Franciam, & qualiter se habuit super mare.

29. NAVEM igitur ascensurus, ex deuotione sua fecit poni in naui corpus Domini IESV CHRISTI, pro communicandis infirmis, ac pro se ipso & suis, quando sibi expediens videretur. Et quia alij peregrini quantumcumque magni hoc facere non solebant, obtinuit super hoc à Domino Legato licentiam specialem. Hunc autem sacrum thesaurum in loco nauis dignissimo & conuenientissimo fecit poni, & preciosum tabernaculum ibi erigi, pannisque sericis & aureis operiri. Fecit insuper ibidem altare collocari, & decenter ornari, vbi quotidie diuinum officium solemniter audiebat: videlicet omnes Horas Canonicas, & præter Canonem, quæ pertinebant ad Missam, sacerdote & ministris sacris vestibus indutis, secundum quod congruebat diei. Diligens erat valde circa infirmos, quòd haberent necessaria, secundum quod eorum infirmitas exigebat; & maximè quòd confessione facta, omnia sacramenta perciperent, scilicet sacram Communionem, & vnctionem extremam. Mortuis verò debitas exequias à Capellanis suis exhiberi faciebat. B

Qualiter se habuit in periculo naufragij.

30. NEC prætereundum, quòd tertia nocte postquam à portu Achon cum eo recessimus, aliquantulum ante diem, dum prope Cyprum essemus, nauis subito impegit in rupem, siue in lingulam terræ, vel arenæ, induratam quasi in lapidem. Rupes illa, siue lingula procul protendebatur in mari. Vbi igitur autæ impulsione nauis fortiter est collisa, clamantibus cunctis & eiulantibus, & verè æstimantibus quòd nauis esset in fundo sentinæ quassata; nautæ quasi penitus desperabant, quærentes quid agere vel qualiter se habere deberent. Rex autem Catholicus fidem & spem in Deo concipiens, intellecto periculo, quasi corporis sui oblitus, necnon vxoris suæ MARGARETÆ Reginæ, ac liberorum suorum, qui prope ipsum quasi consternati iacebant: concitus ad orationem ante altare, & coram sacro corpore Christi, ac sanctis reliquiis deuotè prostratus humiliter exorabat, vt omnipotens Deus præsenti periculo subueniret. Et credere debemus, quòd meritis eius & precibus diuina pietas nauem, & ea quæ in ea erant, à naufragio liberauit, cùm de simili periculo vix duæ de centum nauibus euasissent. Nam nauis fortitudine sua, siue potius virtute diuina, rupem siue lingulam illam rupit, & viam per medium sibi fecit. Nautæ igitur accenso lumine sentinam nauis scrutantes, & nullam nauis læsuram inuenientes, securi à periculo anchoras submiserunt, diem expectantes. Mane facto, Rex fidei plenus reuersus est secreto ante altare: prostratusque, deuotas gratias retulit super tanto & tam mirabili beneficio sibi & suis exhibito ab omnium saluatore. Sacerdotes autem, qui adhuc circa altare in lectis quiescebant, excitati & videntes Regem in oratione deuotè prostratum, stupuerunt: sed ipse eis veritatem humiliter recognouit. C

De iocunditate

A

De iocunditate eius in Francia.

POSTQVAM in Franciam feliciter est reuersus, quàm deuotè ad Deum, quàm iustè ad subditos, quàm misericorditer ad afflictos, quamque humiliter se gesserit ad seipsum, denique quantum pro viribus in omni virtutum genere proficere studuerit: testes sunt, qui ipsius conuersationem diligenter viderunt, & præcipuè qui conscientiæ ipsius serenitatem nouerunt. Ita quòd secundum iudicium discretorum, quantò aurum preciosius est argento, tanto conuersatio ipsius sancta & noua, quam de Terræ sanctæ itinere reportauit, conuersationi pristinæ præminebat: quamuis status iuuentutis suæ semper bonus, & innocens, ac commendabilis multum esset. 31.

De zelo eius ad turpes zelationes, & ad blasphemias extirpandas.

PRÆCIPVE autem circa cultum diuinum, & exaltationem fidei Christianæ, 32.
B eius intentio versabatur. Nam plurimum anxiabatur, & compatiebatur cor eius super pestem illam generalem, quæ ab antiquo noxia occupauerat specialiter regnum suum; videlicet vitium iurationum turpium, & blasphemiarum in Dominum, & in Sanctos ipsius. Zelo igitur diuino permotus, & solerter cogitans, qualiter hæc execrabilis noxa posset ad honorem Dei de regno suo radicitus extirpari, habito priùs consilio diligenti cum Domino Simone sanctæ Ceciliæ Presbitero Cardinali tunc Apostolicæ Sedis Legato in Francia; auctoritate ipsius Legati & sua conuocati sunt Parisius maiores de regno, tam Principes, quàm Prælati; vt super hoc damnabili vitio refrenando, vel potiùs destruendo apponeretur consilium & remedium salutare. Igitur à Domino Legato facto super hac materia Sermone solemni plurimum efficace, Rex Catholicus zelo sancto succensus, ore proprio fecit super hoc exhortationem deuotam, & rationibus validis & apertis subnixam. Igitur de communi consilio & assensu edidit pius Rex generale Statutum, quod per totum regnum seruari & promulgari voluit, in hæc verba.

Statuta edita contra iuratores & blasphemos.

Desunt hæc statuta in MS. Codice, sed habentur apud Ioannem Ionuillæ Dominum.

* * * * *

C

IGITVR post Edictum huiusmodi publicatum quidam ciuis Parisiensis, conditionis mediocris, inhonestè valde iurando blasphemauit in Deum. Quem Rex iustus absque misericordia cauterizari præcepit in labiis ferro candenti in peccati sui memoriam sempiternam, & ad aliorum exemplum. Super quo cùm multi secundum seculum sapientes propter hoc contra Regem verbis maledicis murmurarent, audiens sæpè Rex magnus & sciens esse scriptum: *Beati eritis cùm maledixerint vobis homines, iuxta illud: Maledicent illi, & tu benedices*, dixit verbum Catholicum, videlicet quòd desiderabat potiùs simile cauterium sibi in labiis esse factum, & quoad viueret talem indecentiam sustinere, dummodo huiusmodi pernitiosum vitium de regno suo penitus tolleretur. Præterea, cùm tunc temporis ipse Dominus Rex quoddam opus fieri præcepisset, quod communi vtilitati conferre non modicum videbatur, super quo Parisius à beneficia habentibus multas benedictiones habebat: dixit, quod maiorem mercedem à Domino expectabat pro maledictionibus, quas occasione illius cauterij incurrerat, quàm pro benedictionibus quas habebat pro illo beneficio generali. Igitur Rex noster per Regem Iosiam congruè & merito designatur, in cuius laudem scriptum est, prout præmisimus, quòd *tulit abominationes impietatis, & gubernauit ad Dominum corsuum & in diebus peccatorum corroborauit pietatem in cultum diuinum.*

 A

De honore, quem dixit sibi esse factum apud Poissiacum.

34. INSVPER ad laudem deuotionis fidei ipsius pertinet, quòd cùm semel esset apud Poissiaci castrum, quibusdam familiaribus suis gaudens & glorians dixit: quòd maius bonum, & digniorem honorem, quem vnquam habuerit in hoc mundo, fecerat sibi Dominus in castro illo prædicto. Mirantibus qui aderant, de quo honore hoc diceret, cùm de ciuitate Remensi, vbi regni coronam & sacram susceperat vnctionem, hæc dixisse eum potiùs æstimarent; subridendo respondit, quòd in castro illo sacri baptismi gratiam susceperat, quod super omnes honores seu dignitates mundanas maius donum & dignitatem incomparabilem reputabat. Vnde etiam cùm secretas literas alicui familiari mittebat, & ex caussa aliqua volebat supprimere nomen Regis, LVDOVICVM de Poissiaco, siue Dominum Poissiaci se vocabat: potius eligens à loco baptismatis denominari, quàm ab aliqua sua ciuitate famosa.

Quòd in tangendo infirmos signum sanctæ crucis addidit. B

35. IN tangendis infirmitatibus, quæ vulgo hercalæ vocantur, super quibus curandis Franciæ Regibus Dominus contulit gratiam singularem, pius Rex modum hunc præter Reges cæteros voluit obseruare. Cùm enim alij Reges prædecessores sui tangendo solummodo locum morbi, verba ad hoc appropriata & consueta proferrent, quæ quidem verba sancta sunt atque Catholica, nec facere consueuissent aliquod signum crucis: ipse super consuetudinem aliorum hoc addidit, quod dicendo verba super locum morbi, sanctæ crucis signaculum imprimebat, vt sequens curatio virtuti crucis attribueretur potius, quàm Regiæ Maiestati.

De multiplici zelo fidei eius.

36. PRÆTEREA verus crucis cultor signaculo sanctæ crucis tantam reuerentiam exhibebat, quòd quando claustrum Religiosorum transiret, & videret cruces protensas insculptas super tumulos defunctorum, transire desuper quantum poterat reformidabat. Vnde in claustris & cimeteriis Religiosorum, de quibus specialiùs confidebat, faciebat cruces desuper tumulos eius remoueri. Item apud quosdam Religiosos vidit ex consuetudine obseruari, quòd quando ad Missam cantabatur, CREDO IN VNVM DEVM, dum diceretur, ET HOMO FACTVS EST, Chorus profundè & humiliter inclinabat. Quæ consuetudo placuit ei multum. Vnde deinceps fecit institui & seruari, tam in Capella sua coram ipso, quàm in Ecclesiis aliis pluribus; vt ad verbum prædictum non solum inclinaretur, sed deuotè genua flecterentur. Similiter intellexit, quòd in quibusdam Monasteriis, quando in quatuor Passionibus, quæ in sacra Septimana, quæ vulgo penosa vocatur, pronunciabatur: INCLINATO CAPITE EMISIT SPIRITVM, vel, EXPIRAVIT; Conuentus deuotè flexis genibus, & prostratus aliquantulum orationi studebat. Quòd & deuotus Rex postmodum in Capella sua, & in pluribus Ecclesiis fecit similiter obseruari. Vnde & ad petitionem ipsius, in Ordine Fratrum Prædicatorum hæc pia consuetudo approbata est, & statuta. Præterea deuotioni suæ incongruum visum est, & indignum, quòd imagines nouæ siue Crucifixi, siue beatæ Virginis, vel aliorum Sanctorum, sicut de domo priuatorum veniebant, statim sine benedictione aliqua deberent in Ecclesia communiter adorari. Vnde fecit in antiquis Episcoporum Ordinariis diligenter inquiri, & inuenta est oratio propria & deuota ad benedictionem nouarum imaginum pertinens, antequàm adorandæ populo publicentur. Quem primum ritum pius Rex ex deuotione sua posteà voluit in Capellæ suæ imaginibus obseruari. Cætera circa feruorem ac deuotionem ipsius huiusmodi plurima possent scribi, sed humilitatis causa hæc quæ dicta sunt sufficiant. Nunc ad secundam & vltimam ipsius peregrinationem in transmarinis partibus transeamus. C

De proposito

A

De proposito peregrinationis in terram sanctam secundo.

SIQVIDEM audiens Rex sanctus, quòd penitus esset fraudatus à spe intrandæ Religionis, audiens nihilominus tot calamitates, tot desolationes, & tot crebra pericula terræ sanctæ; aspirauit aggredi circa finem dierum suorum aliquid arduum propter Deum, à quo de facili impediri non posset. Concepit igitur cum deuotione pium propositum transfretandi, vt quantum diuina gratia sibi daret, contra periculum terræ sanctæ, quod proximum videbatur, consilium & auxilium adponeret salutare. Et tunc mirantibus cunctis, cœpit quantum poterat expensas restringere Domus suæ. Noluit tamen subito aggredi tantum opus ex motu proprio cordis sui. Vnde per secretum nuncium & discretum humiliter & deuotè consuluit super hoc felicis recordationis Dominum CLEMENTEM summum Pontificem: qui tanquam vir prudens in principio reformidans, diúque deliberans, tandem benignè consensit, ac pium propositum approbauit. Misit insuper ob hoc, ad petitionem ipsius Regis, Legatum in Franciam, videlicet dominum Simonem titulo sanctæ Cæciliæ Præsbyterum Cardinalem. 37.

B

Qualiter crucem secundò accepit.

CRVCEM igitur assumpturus, conuocauit Parisius Prælatorum, Principum, Baronum, ac Militum, cæterorumque hominum multitudinem copiosam. Quibus congregatis in vnum, domino Legato præsente, ipsemet Rex Catholicus coram cunctis qui aderant exhortationem fecit efficacem, & plurimum gloriosam; animans eos ad vlciscendam iniuriam saluatoris in terra sancta tanto tempore sibi factam, & ad propriam Christianorum hæreditatem recuperandam, quæ tamdiu peccatis nostris exigentibus erat ab infidelibus occupata. Hæc & multa alia ad hanc materiam pertinentia pius Rex gratiosissimè perorauit. Finito postmodum domini Legati Sermone, ipse Rex primus cum deuotione multa crucem assumpsit, & tres filij eius post ipsum, necnon Comitum, & Baronum, & Militum multitudo; tam ij, cum quibus ipse Rex pius fuerat super hoc secretò proloquutus, quàm alij quorum corda tetigerat solus Deus. 38.

Quàm sollicitus fuerit in præparatione peregrinationis.

ASSVMPTA itaque cruce, quàm feruens, quàm sollicitus exstiterit in Magnatibus adtrahendis ad crucem magnis muneribus & promissis, quàm anxius atque sollicitus ad peregrinationem accelerandam, ad nauigij præparationem; testes sunt, qui huius sollicitudinis suæ participes extiterunt. Nacta igitur opportunitate, iter cum suis aggrediens, & statuto tempore ad portum Aquarum-mortuarum perueniens, multa tædia atque mœstitias ibidem perpessus est propter deceptionem nautarum, & defectum nauium quæ statuto tempore & promisso non fuerant præparatæ: ita quòd nauem ascendit multò tardiùs quàm credebat. 39.

C

De consilio habito eundi Tunicium.

CVNCTIS itaque nauibus, quæ adesse poterant commodè, ante Sardiniam sicut condictum fuerat congregatis, & venientibus cunctis Maioribus exercitus coram Rege, habitum est commune consilium & confirmatum, quòd priùs irent ad expugnandum regnum Tunicij, antequàm in Terram sanctam, siue in Ægyptum transirent. Rationes autem, quæ dominum Regem ad hoc plurimum induxerant, ad præsens, sicut credimus, expedit assignare, propter admirationem & murmurationem multorum; quibus potiùs videbatur, quòd rectò itinere ad succursum terræ sanctæ transire debuisset. 40.

Rationes, propter quas Rex consensit ire Tunicium.

41. SIQVIDEM antequam Dominus Rex hanc crucem vltimam assumpsisset, multos nuncios receperat à Rege Tunicij, & similiter Rex noster plures nuncios remiserat ad eundem. Dabatur etenim sibi à fide dignis intelligi, quòd dictus Rex Tunicij bonam voluntatem ad fidem Christianam haberet, & valde de facili posset fieri Christianus, dummodo occasionem honorabilem inueniret; & quòd saluo honore suo, & absque metu Sarracenorum suorum hoc complere valeret. Vnde „ Rex Catholicus cum multo desiderio quandóque dicebat: O si possem videre, quòd „ fierem tanti filioli compater & patrinus! Et ob hoc sub spe ista aliquando voluit se transferre versus partes Carcassonæ & Narbonæ; quasi terram suam visitaturus: vt si dicto Regi Dominus inspiraret perficere quod proposuerat de suscipiendo baptismo, huic pio operi propinquior esse posset. Hîc non silendum arbitror, quòd cùm in ipso anno, quo pius Rex LVDOVICVS debuit vltimò transfretare, Rex Tunicij misisset ad eum solemnes nuntios, & in festo beati Dionysij Rex faceret quendam Iudæum famosum in ipsa Ecclesia dicti beati Dionysij solemniter baptizari, ita quòd Rex ipse cum multis Magnatibus ipsum de sacro fonte leuaret, voluit quòd dicti nuncij Regis Tunicij solemnitati illius baptismatis inte- B „ ressent. Quibus Rex vocatis, ex magno affectu dixit: Dicite ex parte mea Domi- „ no vestro Regi, quòd ego tam vehementer salutem animæ ipsius desidero, quòd „ vellem esse in carcere Sarracenorum omnibus diebus vitæ meæ, ibidem claritatem „ solis non visurus de cetero, dummodo Rex vester & gens sua ex vero corde fie- „ rent Christiani. O verè fidelis sermo, & omni acceptione dignus! O verbum planè Catholicum, perfectione fidei & charitatis refertum. Desiderabat quoque deuotissimè Rex Catholicus, vt Christiana fides, quæ tempore beati Augustini, & aliorum orthodoxorum Doctorum in Africa, & maximè apud Carthaginem, tam ab antiquo eleganter floruerat, nostris temporibus reflorescerer, & dilataretur, ad honorem & gloriam IESV CHRISTI. Cogitauit itaque, quòd si tantus exercitus tamque famosus apud Tunicium subito applicaret, dictus Rex Tunicij vix posset apud Sarracenos suos tam rationabilem occasionem habere suscipiendi baptismum, videlicet vt per hoc posset mortem euadere tam sui ipsius, quàm eorum qui secum vellent fieri Christiani: & sic etiam regnum suum sibi pacificè remaneret. Præterea Regi dabatur intelligi, quòd si omnino prædictus Rex nollet fieri Christianus, ciuitas Tunicij erat valde facilis ad capiendum, & per consequens tota terra. Suggerebatur insuper Regi, quòd ciuitas illa plena erat argento, & auro, ac diuitiis infinitis: vt pote quæ à multis retro temporibus à nullo fuerat expugnata. Vnde sperabatur quòd si, Deo volente, dicta ciuitas à Christiano exercitu caperetur, ex thesauris ibidem inuentis posset acquisitioni & restaurationi terræ sanctæ multum efficaciter subueniri. Ceterùm, cùm de terra Tunicij venire soleret magnum subsidium Soldano Babyloniæ tam in equitaturis, quàm in armis & bellatoribus, in grauamen & nocumentum plurimum Terræ sanctæ; crediderunt Barones nostri, quòd si pestifera radix illa Tunicij posset penitus extirpari, ex hoc terræ sanctæ, & toti Christianitati vtilitas maxima proueniret. Cùm igitur scriptum sit, *quòd vbi vnum propter alterum, ibi tantum alterum vnum*; cùm via apud Tunicium propriè aggressa fuerit ad honorem Christiani nominis ampliandum, & specialiter ad Terræ sanctæ vtilitatem, & faciliorem succursum, non videtur via apud Tunicium contraria voto crucis, sed potius vna & eadem; vt potè quoddam adminiculum & præparatio ad Terram sanctam citiùs & commodiùs restaurandam. Propter has, & quasdam alias rationes, viam apud Tunicium aggressi sunt. Quòd si aliter de via illa successit, quàm à fidelibus speraretur, peccatis nostris atque nobis, occulto Dei iudicio, Debemus potiùs imputare. C

De aduentu Regis ante Tunicium.

42. IGITVR nauigio cum exercitu nostro satis liberè, & quasi sine contradictione in terra Africæ implicato, inter Tunicium, & propè Carthaginem nostri fixêre tentoria.

A tentoria. Post modicum, castrum illius famosæ Carthaginis, & quidquid ad castrum pertinet, nostri viriliter & victoriosè ceperunt: & ibidem multos Sarracenos occiderunt, & victualia multa, & alia exercitui necessaria sunt lucrati. Congressus quasi quotidianos cum Sarracenis, & strages hinc indè factas, & alia huiusmodi, aliis, qui melius ista nouerunt scribere, derelinquo.

De mortalitate, quæ ibi accidit.

CIRCA quatuor menses mansit ibidem in tentoriis exercitus Christianus, & 43. tam propter aëris ac terræ intemperiem, quàm propter arborum sanorum defectum, & aquæ dulcis penuriam, magna mortalitas hominum est sequuta. Itaque multi milites & nobiles Comites ibidem fuere defuncti. Inter quos illustris Comes Niuernensis dominus IOANNES pij Regis filius est defunctus, super cuius morte pij patris viscera non modicum sunt commota. Sed Rex constans & prudens satis citò de ipsius morte qualem potuit consolationem recepit.

B *De pio ac deflendo pij Regis obitu, & qualiter se in morte habuit.*

POST modicum autem in dictis castris ipsemet piæ ac præclaræ recordationis 44. Rex, Deo dilectus, & hominibus gratiosus, post tot laudabilia fidei & charitatis opera, post tot laboriosos agones, quos pro fide, & Ecclesiæ dilatatione, fideliter, ac feruenter, & indefesso animo tolerauit: disponente Domino, qui labores ipsius voluit feliciter consumare, & ipsi bonorum laborum suorum fructum retribuere gloriosum, febre continua infirmatus lecto decubuit, & inualescente morbo omnia Ecclesiastica Sacramenta Christianissimè & deuotissimè suscepit sana mente & integro intellectu. Ita quòd cùm ipsi Sacramentum extremæ Vnctionis exhiberemus, & dicerentur septem Psalmi cum Letania, ipse in Psalmis Versus dicebat, & in Letania Sanctos nominans, eorum suffragia deuotissimè inuocabat. Cùm autem iam signis euidentibus appropinquaret ad finem, de nullo erat sollicitus, nisi de iis quæ ad solum Deum & exaltationem fidei Christianæ propriè pertinebant; ita quòd cùm iam non nisi submissè & cum grauamine loqui posset, nobis adstantibus, & ad verba eius aurem adhibentibus, vir deo plenus, & verè Catholicus dicebat: Pro Deo studeamus, quomodo fides Catholica possit apud Tunicium prædicari & " plantari. O quis esset idoneus, vt mitteretur ibi ad prædicandum! Et nominabat " quendam fratrem Ordinis Prædicatorum, qui aliàs illic iuerat, & Regi Tunicij no- " tus erat. Ecce qualiter verus Dei cultor, & fidei Christianæ constans zelator bea- " tam vitam suam in confessione veræ fidei consummauit. Cùm autem virtus corporis C eius atque sermonis paulatim deficeret, non cessabat tamen Sanctorum sibi deuotorum, sicut eniti loquendo poterat, suffragia postulare: maximè autem beati Dionysij specialis patroni regni sui. Vnde in statu illo, cum quodam susurro ipsum pluries replicantem audiuimus finem illius orationis, quæ de beato Dionysio canitur, scilicet: *Tribue nobis quæsumus, Domine, prospera mundi pro amore tuo despicere, &* " *nulla eius aduersa formidare.* Et hæc verba multotiens iterabat. Similiter prin- " cipium orationis de sancto Iacobo Apostolo: *Esto, Domine, plebis tuæ sanctifica-* " *tor & custos*, pluries replicabat, & de aliis Sanctis deuotam memoriam faciebat. " Ad extremam igitur horam veniens Christi seruus, super stratum cinere respersum in modum crucis recubans, felicem spiritum reddidit Creatori; ea scilicet hora, qua Dei filius pro mundi vita in cruce moriens expirauit. Sane super obitu tam Christiano, tàmque felici, & pium est flere, & pium est gaudere. Pium quidem & congruum est flere pro iactura & dissolutione vniuersalis matris Ecclesiæ, cuius erat deuotissimus cultor, & indefessus defensor. Specialiter autem plangendum & dolendum toti Francorum regno, cui meritò tanto & tam excellenti Principe erat singulariter gloriandum. Sed nihilominus si rationem vis doloris admittat, gaudendum potius quàm dolendum, tum propter modum Christianissimum mortis eius, tum quia de ipso certa ab omnibus vitam ipsius gloriosam & actus sanctissimos agnoscentibus spes habetur, quòd iam de temporalis regni cura sit translatus ad cælestis regni iocundam Curiam, quæ curæ terrestris extat penitus aliena, vbi cum electis Dei regnans in perpetuum, beata requie perfruitur sine fine. Mi-

 grauit autem ad Dominum in crastino beati Bartholomæi Apostoli circa Nonam, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo. A

De aduentu Regis Siciliæ apud Tunicium.

45. NEc prætermittendum, quòd cùm beati Regis spiritus exiret de corpore, hora illa, & quasi momento eodem illustris Rex Siciliæ, gloriosi Regis Franciæ frater, ordinatione diuina ad portum applicuit, & castra nostrorum intrauit. Super cuius aduentu iocundo corda nostrorum, quæ ex obitu pij Regis erant grauiter sauciata, non modicum consolata fuerunt; & ex tam potenti succursu lætitia grandis ipsis adcreuit. Similiter ex præsentia tam victoriosi Principis, támque famosi, Sarracenorum corda, quæ de morte sancti Regis animari poterant, & lætari, non modicum * crufficiata fuerunt.

Quòd sancta eius ossa in exercitu retenta sunt.

46. OSsa sacra corporis eius ex voluntate domini Regis noui PHILIPPI debuimus nos, & quidam alij ad hoc electi, statim post obitum eius in Franciam reportare: videlicet in Ecclesia beati Dionysij, vbi elegerat sepulturam, si in terra Christianitati nondum adquisita ipsum, Domino disponente, decedere eueniret. Sed postea habito cum Rege Siciliæ consilio, vt vidimus, retinuit secum sacras reliquias dominus Rex Philippus: confidens quòd ex meritis sancti patris Dominus in bonum promoueret exercitum, & ab infortuniis conseruaret. B

De corde eius & intestinis in Siciliam translatis.

47. TAmen carnes corporis eius excoctas, & ab ossibus separatas, necnon cor & intestina ipsius petiit & impetrauit deuotus Rex Siciliæ à nepote suo Rege PHILIPPO. Qui suscipiens sanctas reliquias, honorificè fecit eas in Siciliam deportari, & prope Paternum in nobili quadam & cathedrali Abbatia præcepit recondi, cum valde solemni atque deuota processione totius Cleri ac populi terræ illius. Quando de Tunicio redeuntes, & Paternum transeuntes, dictam Abbatiam verè nobilem ac pulcherrimam visitauimus, audiuimus à pluribus fide dignis, quòd postquàm sacræ reliquiæ ibi fuere reconditæ, multa miracula ibidem cooperante Domino acciderunt. Denique cum quanto honore, deuotione, ac reuerentia suscepta sunt ossa eius, quæ deuotissimus ipsius filius illustris Rex PHILIPPVS in reditu suo de Tunicio secum vbique deferri deuotissimè faciebat: cum quanto desiderio ac deuotione tam Clerus, quàm Nobiles, & populorum innumera multitudo cum solemnibus ac deuotis processionibus vndique concurrerent ad videndum, seu tangendum loculum, in quo preciosæ eius reliquiæ portabantur, cùm dominus Rex transitum faceret tam per Siciliam & Calabriam, quàm per sacram vrbem Romanam, & apud Viterbium, vbi tunc domini Cardinales moram ad eligendum summum Pontificem faciebant, necnon per Bononiam, & ciuitates alias Lombardiæ, testes sunt, qui tunc aderant cum domino Rege præsentes. C

De aduentu ossium sacrorum in Francia.

48. QVod si per alienas terras ossium sacrorum reliquiæ transeuntes cum tot & tantis honoribus ac piis processionibus sunt à fidelibus populis prosecutæ; quis enarrare sufficiat, quando Rex illustris cum pij patris ossibus sanctis Franciæ regnum intrauit, & per ciuitates & castra regni sui transiuit, cum quàm deuotis ac lacrimosis processionibus Clerus ac Religiosi sibi reuerenter occurrerent, ac prout dignum erat piè susciperent, atque deuotissimè prosequerentur, cum innumera atque deuota frequentia populorum?

De sepultura eius apud sanctum Dionysium.

49. POstremo apud sanctum Dionysium in Francia venientes, vbi, prout dictum est, sanctus Rex suam elegerat sepulturam, congregata, Prælatorum, & Baronum,

A Boronum, ac Religiosorum multitudine magna, sacrosancta ossa ipsius sepulturæ venerabiliter tradiderunt, iuxta patrem suum Regem piissimum LVDOVICVM, præsente domino eiusdem filio Rege PHILIPPO; qui tanquam optimi patris optimus filius fidelissimè ac deuotissimè sibi semper astitit in vita pariter & in morte.

Sepultus est autem anno Domini M.CC.LXXI. die Veneris ante Pentecosten.

De miraculis post sepulturam.

SEPVLTIS igitur ossibus sacro-sanctis diuina non defuêre magnalia, sed mox 50.
mirificauit Dominus Sanctum suum. Nam cooperante Christi potentia, & exigentibus meritis sancti Regis, super ipsius tumulum plurima contigere miracula, quæ ex mandato Domini Abbatis sancti Dionysij fideliter sunt conscripta, & prout dicitur diligenter probata, ad sanctissimi viri merita declaranda, & ad Dei omnipotentis gloriam & honorem, qui in Sanctis suis semper est mirabilis. Ipsi gloria & imperium in secula seculorum, amen.

Qualiter memoria Iosiæ memoriæ eius adaptetur.

DEMVM, vt finis huius Operis Libelli principio coaptetur, verè & dignè me- 51.
B moria nostri Iosiæ, Regis videlicet, propter prædictæ sanctæ conuersationis ipsius merita, nec non & felicis mortis eius magnalia, in compositione odoris facta opus pigmentarij, & in omni ore quasi mel indulcabitur, & vt Musica in conuiuio vini. Memoria quippe laudabilis vitæ & conuersationis ipsius compositioni odoris operis pigmentarij merito propter . . . . . . gratiam suauissimæ famæ eius: quæ quo ad procul absentes, & qui eum corporaliter non viderunt, longè latéque per orbem vniuersum dilatata est & respersa. Ita quòd verè dicere potuerit, *Christi bonus odor sumus in omni loco:* & quòd tota Domus vniuersalis Ecclesiæ, imò & totius orbis, impleta sit ex eius odore vnguenti. Non enim credo, quòd à multis temporibus retroactis aliqua persona viuens extiterit, cuius fama & actus egregij magis repleuerint totum mundum. Ita quòd de eodem dici possit, *Vnguentum effusum nomen tuum.* Et sicut in laude Mardochei dicitur, *Fama nominis eius crescebat quotidie:* imò sicut de Rege Salomone dicitur, *Vincebat famam virtutibus suis*, Ita quòd vix medietas sapientiæ eius atque virtutum à referentibus enarretur. Sequitur, *Et in omni ore quasi mel indulcorabitur.* Hoc quoad præsentes, & circa ipsum conuersantes, qui opera eius sancta frequenter, & de propè conspicere meruerunt, & quasi mel in ore probare & gustare laudabilem vitam eius. Mellita enim erat & dulcissima eius conuersatio, sicut mel quantò amplius masticatur, tantò sapit dulcius, & vehementius efficit ad amorem. Quòd autem in fine subditur, *Et quasi Musica in conuiuio vini*, spectat ad ipsius familiares & Consiliarios, & præcipuè qui cordis eius arcana intima cognouerunt, qui ipsum gratiosissimè loquentem toties audierunt, tam in secretis consiliis, quàm in amicabilibus dulcium collocutionum suarum sermonibus; & maximè
C quibus cordis sui secretas ac pias affectiones, & sancta desideria familiariter reuelabat: quod erat planè & suauis Musica ad audiendum, & vt vini conuiuium ad iocundè gustandum. Ita quòd de ipso dici potuit, quod in laude Heliæ dicitur: *Beati qui te audierunt, & amicitia tua decorati sunt.* Et quod Regina Saba de Salomone admirans protulit, *Beati*, inquit, *viri, & beati serui tui, qui stant coram facie tua semper, & qui audiunt sapientiam tuam.* Sic itaque fuit Iosias noster quasi odor pigmentorum fragrans per famam suauissimam, quantum ad procul absentes; quasi mel in ore, quantum ad præsentes, qui sanctam ipsius conuersationem probando gustauerunt: & quasi Musica in conuiuio vini, quoad speciales amicos, qui secreta sapientiæ eius atque virtutum audientes, quasi experti sunt Musicam melodiosam, & velut vini conuiuium delicatum.

Quòd dignus sit inter Sanctos adscribi.

IGITVR post tot & tanta præconiorum præmissa magnalia, quid aliud restare vi- 53.
detur, nisi vt Iosiæ nostri memoria tam odorifera, tàm mellita, tamque melodiosa in Ecclesia Dei, prout dignum est, perpetua perseueret? Videlicet vt in memoria æterna stabiliatur Iustus noster: & deinceps Iusti huius memoria sit cum laudibus sollemnibus & deuotis: ac vt dilecti Deo & hominibus memoria sit omnium seculorum, & similem illum faciat in gloria & honore Sanctorum suorum ille, qui in Sanctis suis semper est gloriosus & super exaltatus in secula seculorum, amen.

LVDOVICVS NONVS.

A

DE VITA ET ACTIBVS INCLYTÆ RECORDATIONIS REGIS FRANCORVM LVDOVICI NONI. ET DE MIRACVLIS, QVÆ AD EIVS SANCTITATIS DECLARATIONEM CONTIGERVNT.

B

Auctore Fratre Guillelmo Carnotensi, Ordinis Prædicatorum, eiusdem Regis Capellano.

Ex eodem Codice.

MIRABILIS in altis Dominus mirabilia circa nos nostris temporibus operari non desinit: innouans signa, & mutans mirabilia his diebus. Nam sol nouus ortus in partibus Occiduis, ac per Orbem diffundens sui radios luminis & caloris, nec in Meridiano occumbens, in ipso Occasu non tepuit: sed fornacem feruoris & lucis in operibus ardens custodiuit, & dulce lumen & delectabile sanis dereliquit. Siquidem possumus per Solem illum particulariter intelligere Solem lucentem inter seculi Principes & Rectores mundi, & velut solem inter sidera fulgentem: illum scilicet recolendæ ac præclaræ memoriæ Regem Franciæ LVDOVICVM, qui in Occidente exortus orbem terræ luminosæ vitæ suæ illustrans radiis, tandem in partibus Affricanis occumbens, sicut sol in Meridie calore viget, & radiis suis offuscat oculos: sic effulsit moriens, ardens feruore fidei & amoris diuini, & lucens omnibus mentibus operum sanctitate, & post occasum lucere non desinens miraculorum euidentium claritate. C

LICET autem ad honorem & gloriam Conditoris, ad ipsius commendationem gloriosi Regis, & eiusdem testimonium sanctitatis, satis sufficere videtur odor sanctissimæ famæ eius vbique per orbem diffusus; ac ea quæ sanctæ memoriæ Pater noster, totius Religionis speculum, Frater GAVFRIDVS DE BELLO-LOCO, Ordinis Prædicatorum, eius Confessor, & conscius secretorum, circa finem vitæ suæ ad mandatum domini Papæ GREGORII, sicut patuit, propria manu subscripsit, & scripta reliquit ipsi domino Pontifici destinanda: quia tamen de quibusdam aliis dignis memoria, quæ gessit, in vita, tam in prosperitate regiminis, quàm in aduersitatè carceris, & in angustia suæ mortis, aliqua sunt vel dimissa penitus, vel omissa; ac de miraculis, quæ circa eius sepulchrum, & aliàs ad diuinæ laudis cumulum, & meritorum ipsius Regis declarationem accidisse noscuntur; de iis pauca recolligere studui, & præsumpsi adiicere stilo breui.

SCRIPSIT autem sic in suæ narrationis exordio memoratus Pater, assumens illud verbum pro themate, quod scribitur in Ecclesiastico. *Memoria Iosiæ in compositione odoris facta est opus pigmentarij. In omni ore quasi mel indulcabitur, & vt Musica in conuiuio vini.* Nomen Iosiæ ipsi Regi nostro tam ratione, quàm imitatione consimilis actionis conuenienter adaptans. Et rectè sicut de illo Iosia scribitur in figura, sic illi comparari potest Regis nostri dulcis memoria: odori scilicet pigmentarij operis,

A operis, dulcedini mellis, & harmoniæ Musicæ instrumentalis; tanquam suauis in corde, in ore, & in aure. Propter tria, quæ fuisse leguntur in ipso Rege, fama scilicet eius celebris virtutis fragrans, quæ vincit omnem odorem: suauitas modestæ & sanctæ conuersationis, quæ excedit omnem corporalem dulcedinem: studium diuini honoris & laudis, quod superat omnem cantilenam & secularem melodiam. Vt autem de alijs satis dictum sufficiat, huius Regis nostri non solùm erant dulcia & delectabilia cunctis sanè audientibus & intuentibus gestus eius, actus, & verba, scilicet & sanctitatem redolentia, & ad deuotionem excitantia corda multa. Hanc enim specialem gratiam virtus ei diuina contulerat, quòd, sicut pluries est expertum, multorum ad eum venientium & magnorum commotos animos, & turbatos aspectus eius & affatus, serenatos protinus redderet & quietos. Multi etiam, qui inter alios præcellere Religione videbantur, viso eo vel audito plurimum ædificati redibant. Et quantò euidentiùs humilem & sanctam conuersationem eius agnouerant, tantò ampliùs illustrati seipsos in conspectu & respectu minus se religiosos, minusque perfectos & humiles iudicabant. Mores enim eius, actus, & gestus, non solum regales, sed etiam regulares, nihil seculare aut vanum penitus sapiebant. Donique non facile dictu quàm dulcia faucibus eius diuina semper fuerint eloquia:
B Nam & ipsius diuinæ laudis præconia non solum super mel eius ori, sed super omnia delectabilia eius influebant auribus atque cordi. Cantilenas etenim vanas secularium, & inanes fabulas histrionum abominans & detestans, & instrumentorum musicorum oblectamenta recusans, in quibus delectari solent plerique Nobilium; filios suos ac familiares ab huiusmodi arcebat ineptiis. Vehementer affectus, ac totius intentus diuinis laudibus & canticis; in illis etiam suauè sonantis Ecclesiæ vocibus plurimum delectatus. Vt cum illo Ecclesiæ Doctore egregio possim glorianter sic asserere de seipso: *Laudes tua, Domine, suspenderunt planitiem cordis mei ad te, ne raperetur per maria turpis præda volatilibus.*

PORRO cùm quanta honorificentia & reuerentia Saluatoris, cum quanta frequentia ac deuotione plebis, solemnitates illas, quas instituerat in Capella sua Regia: (nam sacrosanctæ Coronæ Domini in crastino S. Laurentij, quæ in tota Senonum Prouincia celebratur, aliam, sanctarum aliam Reliquiarum in crastino S. Michaëlis Archangeli celebrari fecit annuatim) quàm solemniter ac reuerenter pretiosum illud lignum Crucis Dominicæ, sacrosanctam eius Coronam spineam, ac venerandum ferrum lanceæ, quòd latus Dominicum perforauit, auro & gemmis preciosissimis adornata processionaliter ac publicè deportari fecerit in singulis solemnitatibus antedictis; Prælatis, & Religiosis, cum Clero, capis indutis sericis, laudes diuinas altissimè decantantibus; ipso pio Rege cum suis Magnatibus humiliter subsequente, ac vniuerso populo deuotè sacras ipsas reliquias adorante: & si
C vellem, non valerem, nec sufficerem explicare. Et has quidem solemnitates ipse Rex pius tam in absentia, quàm in præsentia celebrari voluit, etiam dum peregrè ageret vltra mare: iustè & religiosè considerans & affectans, vt in illis, in quibus ab infidelibus Iudæis inhonoratus fuerat Dominus Maiestatis, honoraretur præcipuè à fidelibus & deuotis; & secundum ignominiam, quam pro nobis sustinuerat, vituperatus & illusus, multiplicaretur gloria laudis eius.

CÆTERVM, silere non debeo quæ pius Rex die sancta Parasceues annis singulis agere consueuit. Post Matutinas siquidem ante diem coram ipso more debito decantatas, post orationem breuem, cum silentio ad cameram suam veniens, ibique solus remanens, cum vno Capellano suo totum ex ordine Psalterium cum omni attentione & deuotione perlegendo complebat: nec lectum intrans aut dormiens, post paululum circa solis ortum, nudus pedes, in humili habitu, paucis eum ex suis comitantibus, per lutosas & lapidosas vias ciuitatem aut villam, in qua erat, perambulans, intrabat Ecclesias, & orabat, Eleemosynario subsequente, & eleemosynas omnibus pauperibus effundente: & ipse etiam Rex multos denarios propria manu dabat. Deinde fatigatus supra modum ad domum rediens, post paululum Sermonem publicum, in quo tota Dominicæ Passionis recitabatur series congregato populo, deuotissimè audiebat: postmodum Dominicum officium cum omni deuotione celebrari solemniter faciebat. Verùm, quàm reuerenter & humiliter ad Crucem adorandam venire consueuerat, non facilè explicarem. Nam à sede vel loco suo veniens, nudus pedes, discooperto capite, & collo nudato, in semicciis &

LVDOVICVS NONVS. humili habitu, quasi pauperrimus à longè procedens, genibus suis flexis, liberis suis ipsum simili habitu subsequentibus, Crucem Dominicam sic humiliter adorabat, quòd adstantes & aspernentes plurimos ad compunctionis & deuotionis lacrymas excitabat. Sicque, peracto seruitio, Rex Christianissimus ad mensam tenuissimam panis & aquæ simplicis accedebat. Ecce qualiter Rex deuotus diem ipsam à media nocte inchoans, in vigiliis multis, in labore, fatigatione, in ieiunio & fame, in eleemosynarum largitione, in orationibus & diuinis laudibus totaliter expendebat. Sic etiam totum tempus reliquum vitæ suæ diuinis obsequiis, & operibus pietatis dedicare studuit; vt cunctis, maioribus scilicet & minoribus, speculum & exemplar relinqueret totius sanctimoniæ & virtutis. Nam rectè dicitur, A

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Et sicut Moysi dictum est à Domino, *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est:* sic vnicuique nostrum quid agendum sit indicitur & ostenditur in istius mentis altitudine, hoc est, in excellentia dignitatis & nobilitatis huius Regis inclyti, in euidentia bonitatis, & eminentia vitæ eius.

VERVM, quia per huius pietatis ac deuotionis obsequia, & alia plurima charitatis & misericordiæ opera acceptus erat Deo, sicut legitur de Tobia, necesse erat vt tentatio probaret eum, & probatum ostenderet manifestè, sicut examinatur aurum & argentum in fornace. Vnde non est omninò tegendum silentio, quòd cùm captus fuisset ab hostibus in Ægypto, quamdiu detentus est in carcere, numquam à solita deuotione & diuina laude cessauit. Nam quantumcumque in illo grauis ergastulo carceris arctaretur, diuinum tamen officium secundum morem Parisiensis Ecclesiæ, Matutinas scilicet, & Horas Canonicas tam de die, quàm de beata Virgine, & totum officium Missæ absque Sacramenti consecratione, assiduè cùm vno Presbytero Fratre Prædicatore, qui sciebat Arabicum, me adiuncto sibi tunc temporis Clerico suo, ipsis etiam Sarracenis custodibus eius audientibus, iugiter exsoluebat deuoto corde & ore, horis competentibus: habens ibi Breuiarium Capellæ suæ, quod ei Sarraceni post captionem eius pro exenio præsentauerant, & Missale. B

QVAM prudenter verò, quàm fideliter, quàm constanter se gesserit in omnibus erga ipsos Sarracenos importunè & improbè ipsum aggredientes & impugnantes, ex actionibus atque minis, non est meæ facultatis euoluere: licèt ferè semper præsens affuerim ei vbique. Hæc tamen possum veraciter & generaliter causa breuitatis asserere, quòd in omnibus factis honestissimè se habuit, prudentissimè in responsis, in tractandis fidelissimè & cautissimè, securissiméque in negandis. In omnibus quidem oppressionibus constantissimus erat semper, ipsis etiam maioribus coram mirantibus Admiratis, & dicentibus ipsi Regi ad importabiles exactiones eorum inflexibiliter se habenti: De hoc suprà modum miramur, quòd vos, quem pri- C
» sonem nostrum & sclauum reputabamus, talem in vinculis inuenimus: & tales
» etiam nos reputatis, ac si nos in carcere teneretis. Nequaquam enim consensisset
» eis reddi Damiatam, si eam potuissent retinere tunc temporis Christiani. Priùs enim illuc miserat, & sibi relatum indè fuerat, quòd si obsiderent eam Sarraceni, non poterant contra tanti robur exercitus tunc defendi. Sed nec propter duras eorum oppositiones & comminationes aliquantulum flecti potuit, vel induci, vt aliquid promitteret, concederet, aut iuraret, quod in aliquod Christianitatis detrimentum cederet, aut suæ constantiæ læsionem. Mirantibus cunctis, qui aderant, Magnatibus, etiam Christianis, qualiter tam securus, tam imperterritus erat, cùm ipsi non modicum terrerentur. Ipse quidem tanquam vir iustus in Domino confidebat, & ideò non timebat, iuxta illud Sapientis: *Iustus quasi leo confidens absque terrore erit.*

HOC insuper maximum gratiæ & virtutis indicium ostendit in eo præcipuè Rex virtutum, quòd cùm post initas & concessas treuias inter Soldanum & Regem, conuentiones habitas & firmatas deliberatione nostrorum, quadam die Dominica in sero præsente Patriarcha Ierosolymitano bonæ memoriæ ROBERTO, quem de Damiata Rex venire fecerat pro consilio habendo cum multis aliis Magnatibus Christianis; in crastino mane maiores Admirati Babiloniorum confœderati ad inuicem Soldanum suum sedentem ad prandium per quosdam familiares suos fecissent interfici, & sicut canem mortuum & fœtidum proiici super terram; statim eiectis custodibus, qui Regem & suos seruabant, & iam ipsis absque custodia existentibus, & nihil

A & nihil aliud expectantibus nisi gladium seu mortem: intrauerunt subito quidam de interfectoribus cum quibusdam de maioribus Admiratis, & principalibus actoribus huius necis, quasi leones vel vrsi rabidi, truculentis animis, & cruentis manibus, adhuc etiam de tam noua nece fumantibus, & de recenter effuso sanguine, brachiis erectis. Qui statim ad aspectum gloriosi Regis omni pristina feritate deposita, quasi agni mansueti vultibus, ac demissis ad terram capitibus, ac manibus adorantes, & eum salutantes, dixerunt: Ne timeatis, Domine, sed securi sitis. Nec " de facto isto multum vos conuenit admirari. Sic enim fieri oportebat. Faciatis " quod vestrum est celeriter iuxta conuentiones habitas, & citò eritis liberati. quod " & sic factum est. Nam post diem tertium facta est liberatio Regis & suorum Ma- " gnatum valde celebris & solemnis, Domino exercituum sic mirabiliter ordinante: vt qui paulò ante dominum suum infidelem Soldanum tam pomposum, & in superbiam de nostra subiectione elatum, tam viliter interfecerant, & proiecerant tanquam putridum & immundum; captiuum Regem, & humilem, suum aduersarium, & Christi fidelem, tam honorabiliter redderent liberatum omnino. Sic enim per sapientem prædictum fuerat: *Iustus de angustia liberatus est, & tradetur impius* B *pro eo.* Liberati postmodum fuerunt ex hac causa generaliter, quotquot inueniri potuerunt captiui in omni terra Ægypti, etiam ab antiquis temporibus vbicumque detenti. Inter quos Magister Hospitalis Ierosolim. qui detentus fuerat in carcere, & alij multi fuerunt liberati, & libertati pristinæ restituti. Et hoc quidem non absque miraculo virtutis diuinæ, & meritis ipsius Regis adscribendum est, quòd tam faciliter & pro modico tot & tanti viri de manibus iniquorum infidelium liberati sunt incolumes atque securi. Postmodum ipsi Sarraceni inter se gementes, & pœnitentiã agentes, dixerunt quibusdam ex nostris, quòd nesciebant tunc temporis quid faciebant. Et verè sic erat. Nam sicut in Isaïa legitur, *Immiserat Dominus in medio eorum spiritum vertiginis, & errare fecit Ægyptium in omni opere suo, sicut errat ebrius & amens.*

ILLVD etiam non silendum, quod humilitatem & feruorem fidei Regis ipsius commendat plurimum, quòd cùm veniens Sidonem audisset de Christianis illuc missis ab eo, qui ciuitatem ipsam reædificare incœperant, interfecti ibidem à Damascenorum exercitu, quòd multa corpora atque membra eorum iacebant in littore penitus insepulta; accessit ad locum Rex pius antequàm cibum sumeret, vnà cum venerabili Patre bonæ memoriæ domino ODONE Tusculano Episcopo, Apostolicæ Sedis Legato. Et cùm alij, qui aderant, quasi .... quandam abominationem & horrorem haberent leuandi corpora, & truncata membra & iam quasi semiputrida contrectandi, siue etiam ossa tangendi: ipse magnanimus & deuotus Rex, quasi nihil abominationis huius aut sentiens, & à mane vsque ad meridiem ibidem, ac si esset in sella aromatica, conuersans, propriis manibus ipsa etiam intestina & horrida membra Christianorum, quos verè Martyres reputabat, sic beni- C gnè leuabat à terra, sic dolenter contrectans & colligens ponebat in vasculis, ad locum sepulturæ, quem prope castra parari fecerat, deportanda; quòd omnes qui aderant, & quamplures, qui præ abominatione fugerunt, mirabantur humilitatem & magnanimitatem ipsius. Sicque nullo omninò vel minutissimo osse relicto, quicquid inuentum est traditum est honorificè, cum exequiarum celebratione solemni, Ecclesiasticæ sepulturæ. Vt planè de ipsis possit intelligi illud Psalm. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex iis non conteretur.* Et illud etiam Sapientis: *Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt, & viuent nomina eorum in æternum.*

AD hoc ipse Rex spiritu pietatis adeò plenus erat, quòd ad infirmos in extremis etiam laborantes, licèt dissuaderent ei plurimi propter periculum, causa charitatiuæ visitationis libenter accedens, verba piæ consolationis, & salutis consilia valde necessaria eis dabat. Accidit autem semel apud Mensoriam in Ægypto, quòd cùm ego, qui Clericus eius eram, quendam ipsius famulum & cubicularium, virum bonum, & specialiter ei familiarẽ, nomine Gaugelmũ, in exercitu visitassem, sic morti propinquum, quòd credebatur instanter spiritum exhalare, & ab ipso redirem, dixit mihi: Expecto quòd veniat dominus meus Rex sanctus, nec ab isto recedam " seculo donec viderim, & locutus ei fuerim, & post citò decedam. quod & sic ac- " cidit. Nam post paulum Rex accessit ad visitandum eum, de quo pauci sperabant, eique consolationem piæ visitationis & adlocutionis impendit. Quo recedente, antequàm ad suum venisset, nunciatum est ei verissimè Gaugelmum expirasse.

LVDOVICVS NONVS.

CÆTERVM, mores hominum, & euentus rerum sic aliquando probauit; non humana, sed diuina reuelatione cognouit pluries, & quandoque prædixit. Quæ tamen propter occupationes varias à meæ tenuitatis memoria exciderunt. Hoc autem fideliter possum adserere, quod accidit de meipso. Cùm semel nobis duobus, videlicet Fratri GAVFRIDO bonæ memoriæ, & mihi tunc existenti in seculo, cui vnam pinguem Thesaurariam contulerat Rex de nouo, de hoc familiariter loqueretur; præter alia sermonem ad Fratrem illum de me ipso conuertens: „ Hic, ait, Dominus GVILLELMVS ludet modò de sua ista Thesauraria per quin„ que annos, vel sex, & post Religionem intrabit. Hoc autem tunc, sicut non proposueram, non consensi; sed quod prædixit veracissimè rei exitus comprobauit. Nam post quintum & dimidium annum completum, Ordinem Fratrum Prædicatorum, in quo sum, per gratiam, licèt indignus, intraui, sicut in spiritu præuiderat ac prædixerat Rex deuotus. Nec tunc recordabar verbi quod dixerat, sed postmodum occurrit mihi memoriæ quod audiui. A

NON solùm autem in regni regimine de corporum aut rerum corporalium custodia, prout ad regale spectat officium, diebus ac noctibus inuigilans, sollicitus erat & anxius, vt omnes quasi pupillam oculi conseruaret: sed de salute etiam animarum vltra quàm credi possit pia vsurpatione permotus, sic de ipsa curabat attentè, quòd etiam quodammodo regale sacerdotium, aut sacerdotale regimen videretur pariter exercere. Multos enim valde insolentes nobiles, & rapinis subiectorum pauperum inhiantes ab iis Regia potestate compescens: quamplures alios flagitiosos & lasciuos suis secretis exhortationibus ad emendatioris vitæ fructum efficaciter inducebat: necnon & aliquos præpotentes & nobiles, qui diu concubinas tenuerant, eas ad vnius Regiæ monitionis præceptum ac consilium penitus abiecisse; & ex his aliquem vel aliquos, quas prius concubinas habuerant, domicellas inferioris generis, duxisse postmodum. B

PRÆ ipsius itaque reuerentia maiestatis, aut etiam honestatis, verebantur omnes tam maiores quàm minores, in habitu vel ornatu notabili seu pomposo coram ipso, vel apud ipsum accedere, ne confusionem reciperent, non honorem, si coram tam humili & honorato Rege comparerent aliquatenus fastuosè. Accidit autem semel in quodam Parlamento Regis, quandam dominam ornatam non modicum curiosè, post peractum negotium suum in curia, cameram Regis intrasse cum non multis; & hoc innotuerat ipsi Regi. Fuerat enim secundum seculum... aut falsum secularium consilium, & vanam corporis pulcritudinem formosa plurimùm & famosa. Concipiens autem in animo Rex totus Deo deuotus, quòd de salute sua ei familiariter loqueretur, vocauit Fratrem GAVFRIDVM, qui præsens ibi aderat dicens ei: Volo quòd sitis mecum, & audiatis quæ dicere propo„ no tali dominæ, quæ præsens est hîc, & quærit personaliter mihi loqui. Auditis igitur, & expeditis quæ dicere voluit ipsi, domina sola remanente cum Rege & „ Fratre prædicto, sic ait Rex: O domina, volo vobis vnum ad memoriam reducere „ de nostra salute. Olim dictum est vos pulchram fuisse dominam, sed quod olim „ fuit iam transiit, sicut scitis. Potestis ergò perpendere, quòd illa pulchritudo va„ na & inutilis erat quæ cita euanuit sicut flos, qui statim emarcuit, & non durat; „ nec eam reuocare potestis quantacumque cura aut diligentia. Prouidendum est à „ vobis de alia pulchritudine non corporis, sed animæ adquirenda, per quam Crea„ tori nostro placere possitis; & ea, quæ in transacto decore acta sunt negligentiùs, „ compensare. Hæc audiens prædicta domina; patienter accepit. Postmodùm in melius mutata, humiliùs & honestiùs se habere curauit. C

IPSE autem totius honestatis & modestiæ speculum, honestos & modestos viros plurimùm diligebat, & ad suam familiaritatem vocabat: liberos suos, propinquos, & familiares nobiles, qui secum erant, in his verbis salutaribus erudiens, & exemplis.

CÆTERVM, Rex ipse pacificus, tanquam pacis ac Religionis amator præcipuus, paci, ac reformationi, & conseruationi Ecclesiarum & Monasteriorum omnium regni sui, totis insudabat affectibus: prouocando * sedare discordias, molestias & iniurias propulsando, quas pluries sunt expertæ quamplures tam Cathedrales quàm aliæ Conuentuales Ecclesiæ. Insuper & Monasteria præclara quamplurima, specialiter CLVNIACENSE cum membris suis, Maioris Monasterij Turonensis, sancti Dionysij, sancti Benedicti Floriacensis, necnon Cisterciense, cum multis aliis, quibus ipse in suis necessitatibus, dissentionibus, vel oppressionibus, tanquam

A quam pius pater & patronus indefessus affuit, & à multis incommodis conseruauit.

PRESSVRAS etiam, & necessitates, ac negotia Religiosorum pauperum, quodam speciali ac tenerrimo amplectebatur affectu, tanquam pater pauperum: fouens & sustinens eos beneficiis & auxiliis opportunis.

SANE, quàm reuerenter & humiliter erga sacrosanctam Romanam Ecclesiam semper se habuit, quàm deuotè & obedienter Rescripta & mandata Apostolica consuetus erat suscipere, quàm obedienter & efficaciter sicut verus filius obedientiæ adimplere; norunt illi, qui ei familiariùs adhærebant. Ipse enim negotia matris Ecclesiæ plus quàm propria reputans, ea totis affectibus promouere curabat.

INQVISITORES etiam hæreticorum pro negotio fidei & Ecclesiæ laborantes, quandocúmque recurrebant ad ipsum, recipiebat dulciter & benignè; diligenter eos audiens, & celeriter expediens cum omni gratia & fauore, postpositis aliis quantumcumque arduis negotiis, asserens negotium fidei debere omnibus aliis anteponi.

CONSVETVDINES siquidem iniquas & prauas quantumcumque longæuas, si commodè poterant, aboleri, & exactiones indebitas amoueri iubebat: Præposituras suas mallens cum aliquo pecuniæ vel redituum detrimento committi bonis & fide B dignis personis, quàm vendi cum augmento suo, vel lucro. nullum emolumentum suum aut lucrum reputans cum detrimento iustitiæ, vel populi nocumento.

IVDÆOS autem Deo & hominibus odibiles abominabatur in tantum, quòd eos videre non poterat, nec aliquid de bonis eorum in vsus suos conuerti volebat. asserens se nolle eorum retinere venenum, nec eos exercere vsuras; sed in ministeriis aut in mercationibus licitis victum suum adquirere, sicut in aliis regionibus fieri consueuit. Cùm autem in contrarium suaderent ei plures de Consiliariis suis, asserentes quòd populus viuere non poterat sine mutuo, nec terræ excoli, nec ministeria vel mercimonia exerceri: & melius esse dicebant ac tolerabilius, quòd Iudæi, qui iam damnati sunt, huius damnationis exercerent officium, quàm aliqui Christiani, qui ex hac occasione etiam maioribus vsuris populum opprimebant: ad hæc ipse tanquam vir Catholicus respondebat. De Christianis, inquiens, fœnerantibus, & vsuris eorum, ad Prælatos Ecclesiæ pertinere videtur. Ad me verè pertinet de Iudæis, qui iugo seruitutis mihi subiecti sunt; ne scilicet per vsuras Christianos opprimant, & sub vmbra protectionis meæ talia permittatur vt exerceant, & veneno suo inficiant terram meam. Faciant ipsi Prælati quod ad ipsos spectat de suis subditis Christianis, & ego volo facere quod ad me pertinet de Iudæis. Dimittant vsuras, aut omnes exeant de terra mea, ne eorum sordibus ampliùs inquinetur.

BONA insuper eorum etsi capi faciebat cum eis aliquando, non tamen animo retinendi; sed vt illis, à quibus ea per vsurarum prauitatem extorserant, restituerentur; receptis probationibus legitimis eorumdem, super quæ diligentes Inqui- C sitores & prouidos deputabat; ponens in eorum manibus illa bona, vt liberè possent illa restituere per seipsos. Si quid autem erat residuum quod probari non posset, aut inueniri, cui vel quibus deberet restitui, illud cum dispensatione Ecclesiæ in pios vsus & Ecclesias erogabat.

LICET autem in omnibus de reddenda iustitia promptus esset ac sollicitus, iustè quod iustum erat totis affectionibus exequendo; vigorem tamen iustitiæ misericordiæ lenitate temperans, plerúmque ad ea quæ superexaltabant iudicium, ex innata sibi clementia non modicum pronus erat, veritatem nullatenus deserendo, sciens quod scriptum est: *Misericordia & veritas custodiunt Regem, & firmatur clementia thronus eius.*

MONOMACHIAM, quæ bellum dicitur, vel duellum, conuocato discretorum & iurisperitorum consilio ex diuersis regni partibus congregauit *, intellecto per eos, quòd sine peccato mortali exerceri non poterat, cùm non videatur esse iustitia, sed potius tentatio sit in Deum, de dominio suo penitus exterminari decreuit: ordinatè, vel modo alio iuri consono...... & probandi, per testes scilicet & instrumenta, vel etiam rationes, secundum quod iuris ordo exigit.

IN maioribus autem excessibus, in quibus absque diuina offensa locum non debebat habere remissio, non remissum, sed rigidum & inflexibilem, quantacumque esset persona, quæ deliquerat, se efficaciter exhibebat. Quòd si etiam esset persona de familia, excessum aut delictum eius seueriùs quàm de extraneo vindicare curabat. De prædictis siquidem in multis certis casibus possent exempla specialiter

LVDOVICVS NONVS. adsignari. sed hæc causa breuitatis omittimus, ne possent aliqui viuentes aut mortui tali recitatione notari. A

FIDELES & discretos viros bonæ conuersationis & famæ, & maximè mundas manus habentes à muneribus, cum summa diligentia exquirebat, tales Bailliuos & Seneschallos instituens: & ex eis, postquam benè suas Bailliuias diutiùs rexerant, familiares suos & Consiliarios faciebat. Acceptores munerum, & pauperū oppressores quasi quandam pestem refugiēs, si quando in officiis erant, aut Bailliuiis, amouebat.

DENIQVE mirabantur plurimi, & ex eo quidam maliuoli murmurabant, quòd vnus homo tam humilis, tam quietus, nec robustus corpore, nec seuerus in opere, sic pacificè dominari poterat super tantum regnum, super tot & tantos Principes, tam potentes: maximè cùm nec multùm aliquibus esset affabilis, aut in muneribus liberalis. Sed hoc adscribendum est non potentiæ temporali, sed diuinæ virtuti; non seueræ tyrannidi, sed regali mansuetudini, & charitati, & fidelitati deuoti populi, qui præ cæteris specialem quandam & innatam dilectionem ad dominum naturalem habere noscitur, nec timore deprimente, sed amore potiùs dominante regnatur.

SIQVIDEM de abstinentiis & frugalitate eius sic arbitror generaliter consulendum, quòd ab omni re, in qua vel carnaliter, vel temporaliter delectari poterat, aliquam sibi abstinentiam indicebat: in ijs omnibus animo suo quandam necessitatem & violentiam inferendo. B

DE ipso etiam cibo suo, qui vltra primum ei adponebatur, & quo libentiùs vescebatur, solitus erat sibimet partem, vel totum quandóque subtrahere, & alicui è pauperibus ex more quotidie coram ipso comedentibus elargiri. Vnde semel contigit, quòd cùm scutellam plenam offis pinguibus, quibus libenter vescebatur, quas propriis manibus scissas posuerat in scutella, vni ex illis pauperibus miserabili & infirmo misisset, & ille cum manibus vlcerosis & immundis iam partem comedisset ex eis, nec ampliùs vellet comedere, petens quòd amouerentur omnino: hæc videns Rex inclytus, ex innata sibi humilitatis virtute petiit illud pauperis residuum, in quod sordidas manus intinxerat, sibi dari, dicens: Reddite mihi offas meas. Et mirantibus cunctis, quantumcumque animus abhorreret, cœpit tamen ex eis sic sapidè sic libenter comedere, ac si nullus eas penitus contigisset. Cæterùm adfuerunt qui viderunt sex fide digni, quòd in Monasterio suo Regalis montis cuidam leproso scienter Rex humilis lauauit pedes, & eos more solito diligenter extergens, osculatus est humiliter & deuotè.

ILLVD etiam non prætermittendum est silentio, quòd cùm semel lotioni huiusmodi se dedisset, venit ad quendam ex illis pauperibus qui ad hoc vocati erant, & cœpit ei lauare pedes flexis genibus more solito. Quem cùm pauper ille non agnosceret esse Regem, petiit ab eo simplicitate sua, vt iterum digitos pedum, vbi plures latebant immunditiæ, sibi lauaret interiùs & mundaret. Quod licèt adstantes mirarentur, & minarentur pauperi ei, qui ausus fuerat rem talem à Rege petere; pius Rex tunc petitionem eius clementer admittens, benignè executus est humilitatis officium, insertis digitis suis inter digitos pedum eius lauans & tergens, ac demum subiungens osculum caritatis. C

SANE ieiunia adeò districtè seruabat; quod in infirmitate etiam ea nullatenus volebat infringere. Vnde in vltima ægritudine, qua decessit, die sabbati ius gallinæ, quod sibi adponebatur de consilio Medicorum, gustare noluit; quia super hæc Confessoris sui, qui tunc forsitan aberat, specialem licentiam non habebat. Præter alia etiam priuata ieiunia, de quibus memoratus Frater GAVFRIDVS latiùs differit, quædam supererogare consueuit. Ieiunabat enim semper per totum Aduentum in cibo quadragesimali, & illis sacris diebus, qui sunt ab Ascensione Domini vsque ad Pentecosten. In omnibus etiam Apostolorum vigiliis, licèt in quibusdam earum non ieiunaretur in Paris. vel in alia diocesi, in qua erat: ad sui excusationem de hoc sibi loquentibus prætendendo, quòd de Carnotensi diocesi oriundus existebat, in qua huiusmodi vigiliæ ieiunantur.

INTER cætera quidem pietatis & misericordiæ opera, quibus totus quasi inundans quidam charitatis fluuius affluebat, eleemosynas eius, quas enarrat omnis Ecclesia Sanctorum, silere non debeo: hoc generaliter adserens, nullum genus pauperum in suam deuenisse notitiam, quod in aliquo suæ largitionis aut subuentionis beneficium non sentiret.

Hoc

A HOC etiam specialiter subiungere volui, quòd ingruente caristia, largiùs se in eleemosynis effundebat, mittens per diuersa loca pecuniam erogandam vbique: maximè abundantius dari præcipiens, vbi plurimos assiduè percipiebat reditus & prouentus. Vnde cùm caristia quædam in partibus Normanniæ contigisset, adeò copiosam illuc pecuniam erogandam pauperibus destinauit; quòd sicut indè solet afferri Parisius thesaurus redituum in ferratis doliis & quadrigis, sic vice versa de Parisius illuc in similibus vasis & vehiculis pro distribuenda eleemosyna denarij portabantur. Dignum enim esse iudicabat & iustum, vt vbi metebat assiduè, ibi necessitatis tempore seminaret; & quòd, sicut scriptum est, splendidum in panibus benedicerent labia multorum. Sperabat etiam, quòd de benedictionum semine gloriosam retributionis æternæ benedictionem in extrema colligeret messione.

ILLVD etiam silere non debeo, quod semel accidit, me præsente. Cum enim Domum Dei maxima multitudine propter infirmorum quotidie confluentium.... * assiduè, propter angustiam decumbentium multùm in ædificiis necessariis cum magnis sumptibus augmentasset: venit ad eum Magister Domus, & petiit ab eo aliquam eleemosynam, maximè cum in anno illo magnum vini defectum sustinerent in domo. Quod audiens vir pietate plenus, ex abundantia pij cordis abun-
B danter tribuens, accersito Cambellano suo, iussit eidem domui pro vino & aliis, sibi tunc necessariis, mille libras Parif. statim dari. Quod admirans ille Magister, vix credidit, donec Rex verbum ita repetiit: Date, inquiens, pauperibus Domus " Dei Parisius mille libras. Satis enim magnum reputasset ei beneficium, si tantùm " centum libras illa vice pro eleemosyna reportasset.

CIRCA etiam tempus illud in castris * tribus suis insigniis tres Domos Hospitales pauperum cum magnis sumptibus & amplis ædificiis in breui construxit, & reditus assignauit. Domum Fratrum Prædicatorum Compend. Ecclesiam Fratrum Minorum Parisius totam, & alia ibidem ædificia cum magno sumptu. Insuper & dormitorium cum refectorio Fratrum Prædicatorum Parisius ædificauit. Tunc temporis, & in breui sperans, & confidens de summi misericordia largitoris, quod per hanc Domus Dei ædificationem, & alia pietatis opera, post dissolutionem domus propriæ corporalis, domum non manufactam acciperet æternam in cœlis.

ADVENIENTE igitur tempore, quo post finem certaminis, cursus metam, curam regiminis gloriosam, Rex transire debuit ad supernum regnum, incomparabilem coronam accepturus pro mercede laboris; quantum fuit in fidei firmitate perfectus, in charitate feruidus, in spei sublimitate percipiendi præmij eleuatus: demum in ipsa extrema, qua grauissimè laborauit, ægritudine vsque ad exitum vitæ manifestè claruit, sicut planè disseruit Frater GAVFRIDVS sæpè memoratus, qui affuit; & ego similiter, qui præsens astiti in infirmitate & morte. Quantum enim
C ad fidem pertinet, cuius totis visceribus zelabat augmentum, reuera sicut granum sinapis quantò ampliùs teritur, tanto magis feruet & redolet: sic hic vir totus in fide fixus, & totus in spiritum absorptus, quantò magis erat malleis aduersitatis pariter & infirmitatis adtritus, eò plus feruorem enitens in se perfectum fidei declarabat; nolens de aliqua re carnali vel seculari verbum admittere: sed solum spiritualibus intendebat, inuitans suos, & excitans, prout eniti possent, de propagatione fidei & multiplicatione in illis Affricanis partibus cogitare. Charitatis etiam incensæ & accensæ interiùs ostendit ardorem, quem nec aquæ multæ tribulationis aut ægritudinis corporalis potuerant extinguere, sed potius accendere videbantur. Nam sicut de Domino saluatore legitur, quòd factus in agonia prolixiùs orabat; sic vir sanctus in extremis agonizans, cœpit orare prolixè: & inter alia orationum suffragia, cum sanctos familiares inuocabat, illam Collectam dicere, quæ de beato Apostolo Iacobo maiore cantatur: *Esto, Domine, plebi tuæ sanctificator & custos*, in quodam suaui susurro replicans; & ardorem charitatis, quam de salute populi tam spirituali quàm temporali gerebat in corde, tam dulciter & benignè depromens, ac si diceret: Domine, iam satis est, quòd huc vsque certaui, quòd hactenus in " tuo seruitio totis affectibus laboraui, quòd commissum mihi populum tuum ac " regnum ea qua potui sedulitate seruaui. Nunc autem ex eo quo, tua disponente " clementia, euocatus ad te corporaliter eos ampliùs custodire nequeo; te deprecor, " te exoro, esto eis Domine sanctificator animarum, & custos corporum. tuæ eos " pietati commendo. "

LVDOVICVS NONVS.

A Cæterum, quamuis corporaliter plurimarum molestiarum premeretur angustiis, sponte tamen eleuabatur in spem desideratæ mercedis. Nocte enim præcedente fuerat auditus sic dicere in Gallico, *Nous irons en Ierusalem.* Totus enim cælestibus inhians, totum habens spiritum immersum in supernis, suspirabat assiduè ad illam cælestem Ierusalem, quæ est visio veræ pacis. Denique circa horam tertiam, cùm iam vsum loquendi quasi totaliter amisisset, aspiciebat tamen adstantes sibi familiares, quasi subridens valde dulciter, & suspirans. Et cùm inter Tertiam & Sextam visus esset quasi dormiens per spacium dimidiæ horæ quiescere, tunc aperiens oculos, & eleuans ad cœlum vultu sereno protulit hæc verba Psalmistæ: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Hoc enim sicut credimus, verè dicere poterat, quòd desiderauerat, quòd expectauerat, quòd sperabat introire, scilicet in domo Dei, in potentias Domini, & apparere in conspectu Dei non vacuus, sed holocausta deferens medullata. Se enim & suos cum incensæ charitatis affectu deuotus obtulerat, & ideò poterat illud dicere cum Psalmista: *Introibo in domum tuam in holocaustis.*

Ad vltimum verò, priùs omnibus ad se pertinentibus Regio more dispositis, susceptisque deuotissimè omnibus Ecclesiasticis Sacramentis, die crastina beati Bartholomæi circa horam nonam diem clausit extremum, felicem reddens animam Creatori: illa scilicet hora diei, qua saluator noster pro mundi vita moriens expirauit. B

Ab illa siquidem hora, vsque dum ad hoc quod parari debuit corpus eius, vt separarentur ossa à carne, intuentibus adparebat sic speciosus ac graciosus in facie, ac si plenè viuus esset & sanus; & quasi subridens aliquantulum videbatur.

Porro lamentationes & luctus fidelium, ac planctus & vlulatus pauperum prætermitto; cùm de ipso gaudendum sit potiùs, quàm dolendum.

Sic igitur Sol & decus regum ac Principum orbis terræ in partibus Meridianis, & in meridie fœcundæ caritatis occubuit; vt ad illum, qui pascit & cubat in meridie, perueniret. Sic Rex inclytus de temporalis regni seruitute transiuit, vt pro certo creditur, & speratur, ad regnum felicitatis æternæ. Sic fidelis seruus & prudens super familiam Domini constitutus cum multiplicato talento de labore in requiem, de statu mœroris in gaudium Domini sui meruit intrare securus.

Ad decus igitur & gloriam Regis regum, & ad declarationem meritorum & sanctitatis Regis nostri prædicti, post eius obitum diuina non defuere miracula, tam ad eius sepulchrum quàm alibi: quorum plurima vel per negligentiam non scripta, vel non examinata pleniùs seu probata; aliqua verò ex ijs, quæ verissimè examinata sunt, & luce clariùs comprobata, conscripsimus, quæ inferiùs duximus annotanda.

Non longè post felicem obitum Illustrissimi Regis nostri, cùm nundum super hoc essent propalati rumores, quædam matrona Parisius fide & honestate laudabilis, & ad ipsum Regem deuota plurimum, cuius vir ipsi Regi familiaris extiterat, talem visionem vidit in somnis. Videbatur ei quòd Rex ipse cappa superindutus purpurea, qua veste non consueuerat à longis retrò temporibus indui, Capellam suam Regiam Paris. à dextro latere splendidus & gloriosus magna cicumstantium intrabat concomitante caterua: & accedens præ aliis ad altare propiùs, inclinabat iunctis manibus super illud, ac si Domino sacrificium offerret in eo. Deinde post paululum vertebat se versus Chorum, habens vultum valde splendidum & serenum. Aliquantulum remotiùs in dextera parte Chori versus altare stabat quidam alius in habitu consimili, sed non ita splendidus, verso vultu ad altare, & iunctis manibus quasi orans. Cernebantur autem ipsi duo splendidiores omnibus apparentes, & stantes plurimi mirabantur super hoc. Sicque ipsa visio disparuit. Ipsa autem die veniens de domo Regis ad domum propriam vir prædictus, tristis & dolens proiecit se super lectulum, lamentans & eiulans fletu magno. Vnde cùm vxor sua ab eo causam tanti fletus inquireret, aperuit ei nouam tristitiam, quam recenter audierat de morte Domini Regis sui, & filij eius Ioannis Comitis Niuernensis. Recolens itaque prædicta matrona, & recogitans postmodum visionem, eam mihi quasi spiritualiter consolata narrauit. Ex quo pleniùs intelligi potest illud acceptabile sacrificium sibi fuisse diuinitus monstratum, quod pius Rex addens super illud memorabile sacrificium Abrahæ, non solùm de proprio filio tam sibi dilecto, sed etiam in odorem suauitatis obtulit de seipso; illius etiam imitando vestigia Regis summi, qui semetipsum immaculatum semel pro peccatoribus obtulit Deo patri. C

IPSA

A IPSA die, qua preciosum corpus apud S. Dionysium est sepultum, ibidem quædam matrona de Sagiensi diocesi visum oculorum, quem dudum quasi totaliter amiserat, recuperasse refertur. Et hoc vidisse se dicunt aliqui fide digni; & præcipuè Magister GVILLELMVS de Matiscone Canonicus Parisiensis, qui se adserit vidisse. Et multa alia tam ipsa die quàm aliàs contigerunt ibidem miracula circa variis infirmitatibus laborantes, quæ in publicam notitiam non venerunt.

CONTIGIT etiam non multò post, quòd quidam adolescens circiter XXV. annorum, de vltimis finibus Burgundiæ, surdus & mutus à natiuitate, qui per XVI. annos vel circa in quodam castro nobilis viri Domini IOANNIS CABILONENSIS, quod vocatur Orgelestum, conuersatus fuerat & nutritus, & iam per annum vel circiter in domo eiusdem nobilis in coquina eius seruierat prout poterat, non audiens nec loquens, sed solummodò signis vtens, ita quòd ferè tota familia signa eius nouerat, & per signa suam voluntatem & motum animi tam ipse alijs, quàm alij sibi totaliter ostendebant: comperto per signa, quòd apud sepulcrum gloriosi Regis Franciæ LVDOVICI fiebant miracula, virtute operante diuina, adiunxit se quibusdam peditibus venientibus Parisius; deinde perrexit ad sanctum Dionysium, & in loco sepulcri Regij plorans & eiulans, orationem, qualem potuit, non B oris, sed cordis, cum gemitibus & suspiriis aliquamdiu fudit. Tandem virtute diuina, & gloriosi Regis meritis, ob cuius deuotionem venerat, apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Statim enim cœpit ibidem loqui, non lingua materna, sed recte Gallicana; ac si fuisset natus in ipsa villa S. Dionysij, & continuè conuersatus. Vnde multis in admirationem versum est, ac stuporem. Et cùm ab eo quæreretur in Gallico à quibusdam, quos ex visu nouerat, non ex nomine: Quomodo vocor ego? respondebat in Gallico: *Vous auez nom mes amis. Quar d'aultre nom ne sai-je riens.* Narrabat etiam, quòd numquam tantum terrorem habuerit in vita sua, sicut quando campanas Ecclesiæ sonantes audiuit. Timebat ne tota Ecclesia corrueret super eum. Nam tunc primùm audire cœpit. Vnde stupor & tremor potens eum inuasit. Hæc narrant tam præcedentes nobiles, quàm & multi alij, qui eum à multo tempore cognouerunt. Et multa alia diuinæ pietatis beneficia infirmis variis, meritis ipsius ibidem collata fuisse creduntur, quæ nondum in publicam notitiam deuenerunt.

ACCIDIT insuper circa tempus illud, quòd quidam Clericus de Britannia benè notus Episcopo Maclouiensi, & aliis fide dignis, dum per ciuitatem Carnotensem transitum faceret, graui infirmitate correptus corporis lecto decubuit; & inualescente ægritudine diuturna, cùm de vita eius desperaretur omninò, & iam appropinquasset ad mortem, ad quorumdam piam suggestionem diuinæ pietatis cœpit flagitare succursum, & pij Regis LVDOVICI auxilium inuocare: vouens & promittens, si Dominus sospitatem ei conferret, se confestim ipsius Regis visitare se- C pulcrum. Quo facto, statim sensit diuinam adesse virtutem, & cœpit totaliter conualescere. Qui in crastino surgens, & gaudens, iter propositum arripuit, & perfecit, sanitati pristinæ restitutus: mirantibus multis tantam subitationem inspiratæ salutis.

MAGISTER Dudo Physicus & Clericus domini Regis, qui cum ipso sanctæ recordationis Rege LVDOVICO in partibus Carthaginensibus fuerat, assistens ei in infirmitate pariter & in morte, cum domino Rege PHILIPPO reuersus est. Paulò post ipsius gloriosi Regis sepulturam, dum esset apud sanctum Germanum in Laya die Pentecostes, vbi dominus Rex PHILIPPVS festum suum more Regio tenuerat, sensit se grauiter infirmari. Inuasit enim eum febris satis acuta. Die tamen crastina sicut potuit venit Parisius, & iacuit in domo Regis: & tantum inualuit ægritudo, quòd omnes Medici desperabant, & ipse etiam cum aliis de seipso. Quarto die ægritudinis confessione facta, & dispositione de rebus suis habita, cùm dolorem intolerabilem sentiret in capite, cœpit benedictum Regem LVDOVICVM totis affectibus inuocare, sic dicens: Ha! Domine Rex, ego fui Clericus vester, & credo «
vos esse sanctum. Succurrite mihi obsecro in hac necessitate, & ego vigilabo per no- «
ctem ante tumulum vestrum. Quo dicto, somno profundo arreptus, inuenit se in «
somniis ante tumulum, supra quem videbatur ei quoddam altum ad modum fere- «
tri, quod numquam viderat. Et adparuit ei Rex LVDOVICVS stans ambobus pe- «
dibus supra altum illius feretri, habens in manu sua Sceptrum regium, cuius pars

LVDOVICVS NONVS. inferior sub manu erat ita longa, quòd cum ea supra partem decliuem ipsius feretri.... Et erat indutus Dalmatica alba longa vsque ad pedes, cuius extremitates seu fimbriæ erant deauratæ, habens in capite suo Coronam auream cum lapidibus preciosis. Et erat pulchrior facie, & hilarior, quàm vnquam eum vidisset in vita sua. „ Et dixit ei Latinis verbis: Ecce adsum. quid vis? multum vocasti me. Et dixit ei „ infirmus lachrymando: Domine, pro Deo succurratis mihi. Qui respondit: Ne ti- „ meas, conualebis ab ista infirmitate. Sed tamen habes in cerebro tuo quendam hu- „ morem corruptum, venenosum, & obscurum, qui non permittit te cognoscere „ Creatorem tuum. Hæc est causa tuæ ægritudinis, & ego remouebo eum. Tunc accepit eum per caput cum vna manu, & cum pollice alterius manus fidit eum inter nasum & supercilium in sinistra parte, vt sibi videbatur: & immittens pollicem cum alio digito, extraxit de humore corrupto, venenoso, obscuro & fœtido, ad quantitatem vnius nucis maioris, & dixit: Quamdiu habuisses hoc in capite tuo, non posses habere sanitatem. & proiecit illi. Excitans autem paululum dictus Magister, sensit se curatum totaliter à dolore capitis, & dixit assistentibus hoc sibi inuenisse, quòd curari debebat totaliter ipsa nocte, & quòd etiam curatus erat à dolore capitis vehementi. Et timuerunt valdè, ne alienatus esset. Sed ille visionem illam recitauit eisdem, & nocte ipsa, scilicet quartæ diei ægritudinis suæ, post rigorem fortissimum & sudorem liberatus est totaliter. Et hoc raro vel numquam per naturam contingere solet, cùm nulla signa digestionis præcessissent, sicut alij medici adserunt. Hanc visionem mihi Fratri GVILERMO CARNOTENSI, qui hæc scripsi, narrauit in crastino mane dictus Magister, & se liberatum adseruit, & eandem visionem proliXiorem mihi tradidit propria manu scriptam, paratus hæc omnia proprio iuramento firmare.

APVD castrum Luparæ Parisius dominus PETRVS DE LAVDVNO miles, custos puerorum domini Regis PHILIPPI, cùm dolorem intolerabilem in brachio dextro pateretur, ita quòd per multos dies nec ipsum sursum leuare poterat aliquantulum, nec de ipso aliquid operari: recolens se habere de capillis domini sui Regis, cuius Cambellanus extiterat, de diuina virtute confidens, & de meritis ipsius Regis, tetigit ter infirmum brachium: & ad primum tactum capillorum sensit se multum alleuiatum, ad secundum amplius, & ad tertium ab omni dolore penitus liberatum. Vnde capillos ipsos in auro & argento repositos reuerenter & deuotè conseruat.

CIRCA tempus illud, cùm duo Fratres Prædicatores causa prædicationis per stratam publicam propè sanctum Dionysium iter agerent, inter alias personas multas, quas inuenerunt in via de S. Dionysio venientes, viderunt duas mulieres ad inuicem colloquentes, & gaudentes de iis quæ sibi acciderant. Quarum vna Fratri sciscitanti „ quid euenerat, ita dixit: Domine, istud est magnum miraculum & manifestum, quod „ verè fecit Deus propter istum Regem sanctum. Nam mulier ista, quam ego addu- „ xeram de Rothomago, non videntem omnino oculis suis, sicut nec ego video talo „ pedis, modo videt omnia sicut ego. Frater autem ille hæc constanter asseruit se audisse, & vidisse eam tunc per se sine alicuius adiutorio, sine duce vel baculo liberè & potenter euntem, adhuc tamen à vigiliis & fletu oculos tumentes habentem.

ANNO eodem, scilicet M.CC.LXXI. feria tertia post festum S. Vrbani, quædam mulier de Cambliaco nomine AMELINA, quæ per tres annos ire non poterat nisi curua, cum adiutorio vnius baculi incurui, cum quo gradiebatur ita prope terram, quòd caput suum non distabat à terra per mensuram pedis & dimidij, veniens ad sepulchrum sanctæ memoriæ Regis recuperauit rectum vsum incedendi die supradicta. Et hæc mulier nota est à pluribus de villa S. Dionysij fide dignis, qui eam curuam tanto tempore viderunt, & postmodum liberatam taliter & erectam.

ANNO eodem, feria VI. post dictum festum S. Vrbani, quædam puella nomine PETRONILLA, filia Ælipdis de Aube, quæ nunquam potuerat ire, nisi trahendo se cum pedibus & manibus super terram, veniens ad dictum sepulchrum, recuperauit corporis sanitatem; ita quòd poterat incedere per villam sine alicuius adiutorio. Et hæc commorata est per XX. annos in villa S. Dionysij, in vico S. Remigij, & nota est à pluribus.

ITEM anno eodem, feria V. post festum SS. Marcellini & Petri, quædam mulier, quæ vocatur AGNES la Maque, manens Parisius propè domum Beguinarum, in crastino

A crastino Paschæ ad Sermonem factum in Cimiterio S. Innocentis percussa paralysi medietatem corporis sui amiserat. Veniens ad locum dicti sepulchri, & orationem deuotè fundens, virtute diuina, & per ipsius Regis merita, partis infirmæ corporis recuperauit plenissimè sanitatem.

ITEM eodem anno, feria IIII. post festum prædictorum Martyrum, quædam mulier de Villa-tignosa, nomine HODIERNA, sic afflicta erat corporis sui infirmitate grauissima per XI. annos, quòd per sex illorum annos non potuit de lecto surgere, & per quinque alios sequentes semel in anno, scilicet in Pascha Domini, ibat ad Cœnam cum magna difficultate, adpodians se super vnum baculum. Hæc veniens ad dictum sepulchrum, fusa oratione recepit sanitatem corporis sui per merita dicti Regis: ita quòd sine adiutorio aliquo poterat ire ab ipsa die & deinceps, sanitati pristinæ restituta.

IN anno prædicto, die Sabbati post festum prædictorum Martyrum, MICHAEL dictus Hamiage commorans Parisius prope domum de Barbeel in parochia S. Pauli, per sex annos non poterat ire sine duabus potentiis. Veniens autem ad sæpedictum sepulchrum, per merita sæpedicti LVDOVICI ita perfectam & integram obtinuit sanitatem, quod Parisius recto gressu sine alicuius adminiculo cum gaudio remeauit.

B ITEM anno prædicto in vigilia beati Bartholomæi Apostoli, IOANNETA de Porta Baudet, commorans in parochia S. Pauli Parisius, detenta fuit sui corporis infirmitate; ita quòd per quatuor annos non potuit sine duabus potentiis ambulare. Quæ veniens ad sepulcrum, per merita supradicti Regis LVDOVICI recuperauit vsum gradiendi.

ITEM anno prædicto, die sabbati post festum prædictum beati Bartholomæi Apostoli, IOANNES dictus Canus, commorans Parisius in parochia S. Mederici, in vico Radulphi de S. Laurentio, per quatuor annos non potuit incedere, nisi apodiando se manibus super genua. Qui veniens ad sæpedictum sepulchrum, per merita sæpedicta faciliter cum agilitate sine aliqua apodiatione gradiebatur.

ITEM anno prædicto die sabbati post festum beati Barnabæ Apostoli, EMELINA la Biche vxor Ioannis Anglici, de parochia S. Mederici Paris. à festo S. Martini hiemalis amisit taliter vnam de tibiis suis, quòd non poterat incedere sine baculo, trahens post se dictam tibiam. Quæ veniens ad sæpedictum sepulchrum, per merita dicti Regis perfectam & integram recuperauit sanitatem.

ITEM eodem anno, die Martis ante festum beati Barnabæ Apostoli, GILA de Siluanecto commorans pariter in parochia S. Pauli, detenta infirmitate non poterat ire per quatuor annos sine duabus potentiis. Quæ veniens ad sæpedictum sepulchrum die Martis prænominata, perfectam recuperauit sanitatem.

ITEM eodem anno Dominica ante festum beati Barnabæ Apostoli, ÆLIPDIS filia Roberti dicti Peclecoc, toto tempore vitæ suæ habebat manum curuam, nec

C poterat eam leuare vsque ad pectus, nec inclinare super genua, sine adiutorio alterius manus. Quæ veniens ad sæpedictum sepulchrum, per merita gloriosissimi Regis de infirmitate sua rediit liberata.

MIRACVLA FACTA IN DOMO FRATRVM PRÆDICATORVM EBROICENSIVM, PRÆSIDIO B. LVDOVICI CONFESSORIS. QVÆ FVIT PRIMA ECCLESIA IN REGNO Franciæ dedicata in nomine sancti Regis, anno Domini M. CC. LXXXXIX.

HOMO quidam Baiocensis diocesis, de villa Cadom. de parochia S. Stephani veteris, IOANNES PELLIPERIVS nomine, ita detentus fuerat per annum à festo S. Ioannis graui infirmitate, quòd aliquo modo sine potentiis per terram ire non poterat. Qui in festo beati LVDOVICI ad Ecclesiam suam veniens, dimissis ibidem potentiis Sancti meritis membrorum suorum curationem recepit.

LVDOVICVS NONVS. A

QVÆDAM mulier BEATRIX nomine, de parochia S. Petri Ebroicensis, quæ à duobus annis super pedes suos non steterat, sed cum potentiis infeliciter ambulabat, ad Ecclesiam Sancti Confessoris prout potuit venit, & cum deuotione magna orationem fudit, & satis citò in se leuamen sentiens super pedes surrexit, & per Ecclesiam sine aliquo adminiculo fortiter ambulauit.

IVVENIS quidam nomine IOANNES de parochia Campi Ossent, à septimana pœnosa vsque ad festum beati LVDOVICI graui infirmitate detentus anxiè valde laborabat. Qui ad Ecclesiam tanti Confessoris horâ vigiliarum veniens, sensit se vt quàm citiùs liberatum: & dimissis ibi potentiis per plures dies viuit, & postea per Ecclesiam ambulauit.

MVLIER quædam, quæ dicebantur IOANNA, de parochia de Loueris, quæ prout iuratò adserebat, & per illos qui illam ad Ecclesiam sancti Confessoris adduxerant probabat: quòd à duobus annis lumen cœli non viderat. Quæ ibidem fusa oratione visum oculorum suorum & lumen sancti Confessoris meritis & precibus quamcitiùs impetrauit.

QVÆDAM puella IOANNA nomine, de parochia S. Leodegarij Ebroicensis, quæ per totum tempus quo vixerat antè manum clausam habebat; cùm ad Ecclesiam Sancti fuisset adducta, videntibus omnibus qui aderant manum aperuit, & apertam ostendit, & omninò curata læta & iocosa recessit. B

VIR quidam antiquus, totus confractus, dictus ROBERTVS DE MINIIS, cum multis testibus suis adserebat, quòd à XL. annis & amplius neruis retractis factus erat contractus, & super genua & cum paruis potentiis incedebat. Qui Ecclesiam S. LVDOVICI ex deuotione frequentans, & Sancto se deuouens, videntibus omnibus se erexit, & sine potentiis fortiter per Ecclesiam ambulauit.

MVLIER quædam alia THEOPHANA nomine, de parochia S. Leodegarij Ebroicensis, quæ à quinque annis sine potentiis ire non poterat, ipsa nocte qua dicebat Vigilias ad Ecclesiam conuenit, & ante altare se posuit; & ibi orans, & ad altare se apodians, in præsentia omnium sine adiutorio surrexit, & circumquaque altare pluries ambulauit, pristinæ reddita sanitati.

HOMO quidam de Ysaico, SIMON nomine, à longo tempore quadam gutta * palestina detentus, ad sanctum Dei LVDOVICVM cum magna deuotione aduenit, & ibidem orans, & Dei & Sancti beneficia postulans, se protinus alleuiatum sentiens & curatum, omnibus qui aderant publicè confessus est, & sic curationem suam meritis Sancti impetrauit.

QVÆDAM mulier, quæ vocabatur ÆLINA, vxor Ioannis Anglici, de parochia S. Petri Ebroicensis, quadam gutta similiter detenta non modicum laborabat: ita quòd sine baculis ire non poterat. Quæ ad Ecclesiam sancti Confessoris prout potuit accessit, & fusa ibi oratione sanitatem Sancti meritis à Deo recipere procurauit. C

VIR quidam PETRVS nomine de parochia *de la basse Croisille* iuxta villam de Conchis, qui morbo quodam, qui dicitur morbus S. Ioannis, à quatuor annis detentus, morbo illo & frequentiùs laborabat, & fortiter æstuabat. Qui facto voto, quòd ad Ecclesiam S. LVDOVICI pergeret, in die festo Sancti ad Ecclesiam ipsius peruenit, & curationem morbi sui meritis sancti Confessoris recepit.

IVVENCVLA quædam, quæ dicebatur IOANNA, de parochia de Asneriis, quæ vt asserebat à longo tempore gutosa erat, ad altare Sancti miserabiliter inflata accessit: quæ clamosè & tumultuosè se habens, statim cum altare tetigit reddita est pristinæ sanitati; ita quòd omnes qui aderant & viderant, quamplurimùm mirarentur.

MVLIER quædam PETRONILLA nomine de Domo Dei Ebroicensis, omnibus nota de villa, à quinque annis lumine oculorum suorum penitus priuata, ad Sancti Dei Ecclesiam cum bona deuotione rogauit se adduci. Quæ cùm aliquamdiu ibidem cum aliis in oratione prostrasset, postmodum se erexit, & lumen oculorum suorum & sanitatem recepit.

PVER quidam iuuenculus GILLOSVS nomine, filius Petri Malart, de parochia S. Leodegarij Ebroicensis, denarium quendam sibi traditum more puerili posuit in os suum, & eum in nutricis suæ præsentia transglutiuit. Quod cùm ad notitiam patris pueri peruenisset, nullum super hoc consilium inueniens, turbatus & dolens ipsum beato LVDOVICO humiliter deuouit, & ad Ecclesiam per nutricem deportari præcepit: fiduciam habens in Domino & Sancto, vt adserit, quòd ipsum

Sancti

A Sancti meritis reciperet sanitati pristinæ restitutum. Quem cum mulier ad Ecclesiam Sancti detulisset, & deuotè orationi pro puero insisteret, postmodum puer ille denarium illum, quem per XIII. dies intra se habuerat, euomuit propria incolumitate recepta.

HOMO quidam Ebroicensis diocesis, IOANNES Destre nomine, homo fortis corpore, de parochia S. Iocobi de Buuron, qui prout dicebat, & iuramento affirmabat, à VII. annis ire per terram non poterat, nisi potentia mediante; nec etiam genu vnius tibiæ ad terram ponere poterat. Qui ad sanctum Dionysium pergens, contigit ipsum habere transitum per Ebroicas. Qui cùm à multis de villa audisset, quòd Ecclesia beati LVDOVICI ibi esset, ad eam cum deuotione accessit; & facta ibi oratione, leuamen in se sentiens, genu flexit, & pedem ad terram posuit, & per Ecclesiam rectus sine baculo ambulauit, & sic sanitate recepta, & dimissa potentia, ad patriam remeauit.

IVVENIS quidam GILLOTVS Cato nomine, de parochia *de Berengeuille*, ætate XV. annorum, vel circa, qui per totum tempus vitæ suæ super pedes suos non steterat, sed velut brutum animal cum manibus & pedibus per terram infeliciter ambu-B labat; cùm ad beati Confessoris Ecclesiam sicut simia fuisset adductus, & ante altare positus, dum ibidem per aliquod temporis spatium iacuisset, & postmodum tetigisset altare, super pedes suos surrexit, & altare circumiuit, & per Ecclesiam frequentiùs ambulauit, quod omnibus qui aderant versum est in stuporem.

QVÆDAM mulier MARGARETA nomine, de parochia Bonæ-villæ, quæ ferè per annum sine baculo ire non poterat, nec vnum pedem ad terram ponere; fusa in Ecclesia oratione cum frequenti inuocatione nominis B. LVDOVICI, cunctis videntibus pedem ad terram posuit, & baculum super altare dimisit, & fortiter ambulauit, & Sancti meritis sanitatem recepit.

IVVENCVLA quædam IOANNA Rose vocata de parochia Ylliers, à duobus annis visum oculorum suorum amiserat, & ad recuperationem sanitatis multa loca sancta visitauit, vt ipsa affirmabat, & nihil profecerat. Quæ ad Ecclesiam beati LVDOVICI Ebroicensis veniens, ibidem deuotè in oratione de nocte permanserat, facto mane dum Missa celebraretur, inter manus Sacerdotis corpus CHRISTI conspexit, & multa nobis ex visu docuit, & lumen oculorum suorum & visum Sancti meritis impetrauit.

MVLIER quædam AMELINA la Boite nomine, de Aurileio, satis potens in diuitiis ab XI. annis teste marito suo vsum visus amiserat. Quæ ad Ecclesiam beati LVDOVICI veniens, eius auxilium sine intermissione inuocabat. Quæ cùm diu ante altare fuisset, postmodum exclamauit: Gratias reddo Deo, & beato LVDOVICO, « quia cùm cæca ante essem, modo video. Ad quam cùm venissemus, esse verum re- « C perimus vt dicebat.

ALIA quædam mulier ATALISIA, de parochia de Gauuilla, quæ à iiij. annis curua & contracta fuerat, & cum duabus potentiis cum maximo grauamine per terram ambulabat, ad Sancti Dei Ecclesiam peruenit, & per totam noctem remansit. Quæ cùm manè ad altare accessisset, sanctum LVDOVICVM deuotè inuocans, curationem recepit, & potentias super collum suum leuauit, & circumquaque altare portauit.

PVER quidam IOANNES Faber nomine, de parochia de Houeteuille, qui per spatium VIII. annorum, quibus vixerat, attestante patre eius, mutus extiterat, ad Ecclesiam beati LVDOVICI fuit cum bona deuotione adductus. Qui cùm aliquibus diebus ibidem remansisset, die Dominica infra octauas beatæ Virginis multa verba protulit, & vsum linguæ, & locutionis beneficium, sancti Confessoris meritis, & Deo adiuuante recepit.

QVÆDAM puella de parochia de Ylliers, quæ ab infantia manum clausam habebat, ad Sancti Dei Ecclesiam venit, & ibi aliquibus diebus remansit, & meritis beati LVDOVICI manum clausam aperuit, & ostendit.

QVÆDAM mulier Rothomagensis diocesis, nata de villa Caudebec, ELIZABETH nomine, commorans in parochia de sancta Columba iuxta Nouum-burgum, in ætate XXXV. annorum, quæ per totam vitam suam surda & muta fuerat; à viris & mulieribus de sancta Columba, vbi morabatur, fuit ad sancti LVDOVICI Ecclesiam per deuotionem adducta. Quæ cùm quadam nocte, dum dicerentur vigiliæ,

LVDOVICVS NONVS. sedens iuxta altare * resonare, in tantum vt audiretur à multis, qui cœperunt S. LVDOVICI cum lacrymis implorare auxilium. & statim aures eius apertæ sunt, & solutum est vinculum linguæ eius, & os aperuit, clarè audiens, & loquens distinctè, & ad intelligendum apertè. A

VIR quidam de parochia de Cangé ROBERTVS Capitosus nomine, ita quadam gutta detentus erat, quòd sine baculo vel adiutorio alio per domum suam ire non poterat. Qui facto voto ad beatum LVDOVICVM, prout potuit cum potentiis ad Ecclesiam Sancti cum vxore sua peruenit: & cùm ibi per totam noctem vigilasset, sensit se ita illa gutta alleuiatum & curatum, vt per Ecclesiam sine potentiis fortiter ambularet, & dimissis potentiis ibidem omninò curatus ad propria sine aliquibus sustentaculis remearet.

QVÆDAM mulier de Ponte-perrino, parochia S. Leodegarij, AMICIA Bona vicina nomine, in vigilia B. Benedicti ad Ecclesiam B. LVDOVICI, quadam gutta detenta, prout potuit peruenit. Quæ priùs à quinque septimanis & ampliùs ita curua extiterat, quòd caput ita inferius sicut genua deportabat. Quæ in Ecclesia ipsa nocte peruigilans, horâ qua dicebantur Matutinæ, se alleuiatam sentiens, caput sursum erexit, & recta & omnino curata per Ecclesiam fortiter ambulauit, & multis B diebus postea Ecclesiam frequentauit.

PVELLA quædam ætate iuuencula, IOANNA nomine, filia Petri Grauerandi, de parochia de Bosco Renoudi iuxta Barram, tanta & tam graui infirmitate erat detenta à natiuitate sua, quòd per relationem patris sui & patriæ, pedes eius posterioribus iungebantur; ita quòd non erat spes, vt dicebant, quòd posset de cetero aliqualiter de infirmitate curari. Quam cùm pater eius, fiduciam habens in Domino, Deo & B. LVDOVICO deuouisset, & illam ad Ecclesiam eius apud Fratres apportasset, curationem membrorum suorum, & liberationem integram, & vsum pariter, Sancti meritis, & beneficium sanitatis recepit; sicut nos, qui præsentes eramus, vidimus, & euntem & currentem conspeximus, testimonium perhibemus.

C

BONIFACII

A

LVDOVICVS NONVS.

BONIFACII VIII.
PAPÆ SERMONES DVO
DE CANONIZATIONE REGIS
LVDOVICI SANCTISSIMI:

B

Ex Bibliotheca Canonicorum Regularium sancti Victoris Parisiensis.

SERMO PRIOR FACTVS IN PALATIO APVD VRBEM VETEREM DIE MARTIS ANTE FESTVM BEATI Laurentij Martyris.

REDDITE *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Mat. XXII. c. Notandum quòd reddit Deus, & reddit homo. Deus reddit bonis bona, malis supplicia, vtrisque iusta. De malis in Psalmo dicitur, *Reddet retributionem superbis.* De bonis etiam in Psalmo: *Redde mihi lætitiam salutaris tui.* id est, gloriam æternam, quæ est lætitia sempiterna. De vtrisque dicit Apostolus II. Cor. V. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.*

ITEM reddit homo Deo, reddit proximo. Primò debet reddere Deo, illa quæ vouit. Vnde in Psalmo: *Vouete, & reddite Domino Deo vestro, &c.* Hoc intelligitur tam de voto tacito, quàm expresso. De voto tacito, sicut de illis, quæ in baptismo licèt tacitè promittuntur. De expresso dicitur Lucæ XVI. *Redde rationem villicationis tuæ.* C Hoc specialiter dicitur de illis, qui ex voto seu promisso expresso obligati sunt Deo specialiter seruire. Secundò reddit homo proximo caritatem & concordiam. Vndè Apostolus Rom. XIII. *Nemini cuiquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* Istud verò debitum est, quod quantumcumque, & quotienscumque redditum, semper nihilominus hominem detinet debitorem.

ISTA verò verba primo proposita accipi possunt in persona summi Pontificis, & totius Ecclesiæ militantis, vt dicatur eis pro sanctæ memoriæ Regè LVDOVICO, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, &c.* Vt per Cæsarem intelligamus istum sanctum Regem, cui honor meritò debetur. Vnde concluditur Rom. XIII. *Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Et ita debemus reddere vnicuique quod suum est, tam Deo quàm homini, & maximè illi sancto Regi, de quo agitur. Reddendo enim honorem homini, redditur etiam Deo, qui est laudabilis in Sanctis suis. Vnde in Psalmo, *Mirabilis Deus in Sanctis suis, &c.* Item ibidem, *Laudate Dominum in sanctis eius, &c.* Accedamus ergo ad propositum negotium venerandum, honorandum, & desirandum, quod iam per XXIIII. annos vel amplius stetit in fornace examinis Curiæ Romanæ, seu sedis Apostolicæ. Vnde notandum, quòd multi vestrum viderunt, & nos etiam vidimus sanctum illum Regem LVDOVICVM, cuius vita inclyta cunctas illustrabat Ecclesias. Et sicut nos in parte vidimus, & per probata audiuimus, & scimus, vita eius non fuit solùm vita hominis, sed super hominem; non fuit interrupta, sed ab infantia continuata, & de bono in melius semper proce-

LVDOVICVS NONVS. dens, semper augmentata. secundum id quod dicitur in Psalmo. *Ibunt sancti de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Ipse enim sic procedens, iam de regno terreno Franciæ ascendit ad regnum æternum gloriæ, vt possit dicere illud Psalmi: *Ego enim constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, &c.* Et quia dicitur in Prouerb. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque in perfectum diem:* Idcirco non est passus Dominus, vt lucerna ista poneretur sub modio; sed super candelabrum, vt luceret his qui in domo Dei sunt. Vnde voluit Dominus manifestare hominibus, qualis iste Sanctus erat, & est coram eo. & hoc tam per testimonium Dei, quàm hominum. A

TESTIMONIVM enim hominum requiritur ibi, sicut testimonium veritatis, quantum ad certitudinem vitæ suæ, sanctæ, quam in hoc mundo gessit. Vita verò eius sancta omnibus fuit manifesta faciem eius aspicientibus, quæ plena erat gratiarum, sicut dicitur Hester xv. Quantum verò ad opera, fuit manifesta specialiter in eleemosynis pauperum, in fabricationibus hospitalium, in ædificiis Ecclesiarum, & cæteris misericordiæ operibus. quæ omnia enumerare longum esset. Nec fuerunt ista momentanea seu paruo tempore durantia, sed vsque ad mortem continua. Item quantæ fuerit iustitiæ, apparuit euidenter non solum per exempla, imò etiam per tactum. Sedebat enim quasi continuè in terra super lectum, vt audiret causas, maximè pauperum & orphanorum, & eis faciebat exhiberi iustitiæ complementum. Vnicuique etiam reddebat quod suum est. Vnde potest dici de ipso, quod dicitur Eccles. XVI. *Opera iustitiæ eius quis enunciabit?* quasi dicat, enumerari non possent. Et ideò in pace & quiete magna tenuit regnum suum. Concordes enim sunt pax & iustitia. Et ideò sicut sedit in iustitia, ita regnum eius quieuit in pace. Vnde verificatum est de ipso quod dicitur Prouerb. xx. *Misericordia & veritas custodiunt Regem, & roborabitur clementia thronus eius.* Voluit insuper Dominus manifestare sibi, quòd erat vas electionis ad portandum verbum suum coram gentibus, & Regibus, & filiis Israël. Et ideò ostendit illi, quanta oportebat eum pro nomine suo pati: quia licèt tot diuitiis, deliciis, & honoribus abundaret, relinquens omnia, corpus suum & vitam suam exposuit pro Christo, mare transfretando, & contra inimicos crucis Christi & fidei Catholicæ decertando, vsque ad captionem & incarcerationem proprij corporis, vxoris, & fratrum suorum. B

QVANTAM verò animi constantiã, & quale exemplum iustitiæ & bonitatis ostenderit in aduersitate prædicta, hoc sciunt illi fide digni, qui ab illis, qui interfuerunt, veritatem diligenter inquisierunt. Nam cùm captus esset à Soldano, & fratres sui, & certa summa pecuniæ deberent redimi; volebat Soldanus quòd illa pactio seu promissio pecuniæ tali pacto firmaretur, vt si dictus Soldanus à promisso recederet, legem suam & Deos suos abnegaret. Ipse verò Rex è conuerso, si pactum non teneret, fidem Christi negaret. Pius verò Rex & Catholicus hæc audiens, exhorruit, & monitus à fratribus suis vt hoc faceret, dicentibus quòd hoc satis licitè poterat promittere, postquàm non intendebat à pacto seu conuentione recedere: Respondit eis sic. „ Dominus faciet id quod voluerit tam de me, quàm de vobis. Vos vt fratres diligo, mo „ etiam vt me diligo. Sed hoc auertat Deus, quòd tale verbum de ore Regis Franciæ „ vnquam exeat, quicquid indè debeat accidere. Soldanus verò videns eius magnam constantiam tam in gestibus quàm in responsis, credidit verbo suo simplici, & ipsum ac fratres suos, ac etiam omnes reliquos, quos tenebat, dimisit. Miracula etiam tempore captionis suæ plurima acciderunt, inter quæ vnum fuit præcipuum, & relatione dignum. Quidam enim Religiosus, qui eum secutus fuerat, & cum eo captus, dum staret secum in vna camera secreta, cœpit Rex deuotus multum conqueri & condolere propter hoc, quòd Breuiarium non habebat, vbi posset dicere Horas suas Canonicas. Respondit frater ille, eum consolando: Non est curandum in tali articulo: „ sed dicamus nihilominus *Pater noster*, & alia quæ poterimus. Sed cùm multum affli„geretur super isto, inuenit iuxta se subitò Breuiarium suum proprium. Diuinitus, vt credimus sibi, & per miraculum est apportatum. C

ITEM postquam à carcere fuit liberatus, non vixit, nec indutus fuit sicut prius: licèt vita & conuersatio eius prius fuisset satis honesta. Vestes enim, quas postea habuit, non erant Regiæ, sed Religiosæ: non erant militis, sed viri simplicis. Vitam etiam eius, qualiter in ædificationibus Ecclesiarum, & visitationibus infirmorum, cæcorum, & leprosorum, continuauerit, nullus enarrare sufficit.

INTER

A INTER cetera verò, hoc exemplum notabile recitatum fuit nobis à fide dignis, dum essemus in Francia; quòd apud Abbatiam Regalis-montis erat quidam Monachus lepra abominabiliter infectus, in tantum quòd propter fœtorem & abominationem vlcerum, vix inueniebatur, qui ad eum accedere vellet: sed quæ necessaria erant à longe eidem proiiciebantur seu dabantur. Rex verò pius audiens hoc de illo, pluries visitauit eum, & eidem humiliter ministrauit; saniem vlcerum eius studiosè detergendo, & eidem cibum & potum propriis manibus ministrando. Talia namque & consimilia consueuit facere in domibus Dei & Leprosariis, & specialiter in domo Dei Paris. quod multi & multotiens viderunt. Vnde in talibus apparet, quantæ compassionis & pietatis fuerit iste Rex sanctus. LVDOVICVS NONVS.

ITEM quantarum eleemosynarum fuerit ipse sanctus homo, apparet per illos, qui statuta dandi eleemosynas suas nouerunt. Inter alia namque statuit, quòd quotienscumque de nouo intrabat Paris. nouæ eleemosynæ darentur Religiosis, & specialiter Mendicantibus. & ideo frequentiùs exibat, vt sæpiùs eleemosynæ huiusmodi redarentur.

PRÆTEREA, non suffecit ei dare sua, sed volens plus reddere Deo, reliquit mundum, vxorem, & regnum, exposuit filios suos, & reliquit seipsum, iterum in
B terram sanctam peregrinando. Vnde poterat dicere Domino cum beato Petro & reliquis Apostolis, id quod dixit Petrus Matt. XX. *Ecce reliquimus omnia, & sequuti sumus te.* Et in tanta perfectione, qua secutus fuerat, vitam finiuit sanctissimè. Nam secundum quod testificatum est ab assistentibus, iste non fuit finis hominis humanitati, sed quodam modo iam sanctificati serui. Quod apparuit in verbis, & monitionibus Sanctis quas in lecto mortis dicebat: & in signis, quæ tunc temporis euidenter in ipso aparuerunt. Quàm verò salubria exempla & monita reliquit posteris, indicant maximè documenta sancta, quæ pius Rex ante mortem filio suo primogenito, & filiæ suæ Reginæ Nauarræ scripsit, & quasi pro testamento eis reliquit. Cùm etiam signis euidentibus appropinquaret ad finem, de nullo erat sollicitus, nisi de iis, quæ ad solum Deum propriè pertinebant, & ad exaltationem fidei Christianæ. Vnde in fine dixit: Amodo nullus loquatur mecum. Et sic stans per magnum spacium, quasi nullus permissus est loqui sibi, nisi Sacerdos siue Confessor proprius. Et sic ad extremam horam veniens, spiritum reddidit Creatori.

ISTVM verò sanctum Regem meritò vocauimus Cæsarem, qui possessor Principatus, seu possidens Principes interpretatur. Ipse enim Principatum, seu Principem huius mundi possedit: tres inimicos humanæ naturæ, mundum, carnem, & diabolum prosternendo. Vicit enim mundum, quia stans in mundo mundum prostrauit & calcauit, contemnendo, & Deo subdidit; terrena, quæ mundi sunt, in eleemosynis distribuendo. Diabolum etiam calcauit, seipsum, sicut superiùs dictum
C est, summè & perfectissimè humiliando; & signo crucis, quod assumpsit, & tamdiu portauit, ipsum prosternendo. Carnem nihilominus vicit & domauit, eam spiritui subiiciendo. Maximè quia sicut constat ex testimonio plurimorum, iste numquam carnem suam diuisit in plures, nec cum aliqua peccatum commisit. Ita quòd ipsemet, excepta vxore propria, virgo ab aliis permansit.

VIDENS ergo Deus istum talem & tantum virum sic benè ingressum, sic meliùs progressum, sic sanctissimè de mundo egressum; voluit quòd non staret ampliùs lucerna sub modio, sed per grandia & multa miracula voluit eum manifestare, & quasi super candelabrum ponere. Nam sicut inuenimus, vidimus, & nosmetipsi die propria examinauimus per plures inquisitiones à nobis, & à nostris fratribus, ac etiam pluribus summis Pontificibus approbatas; sexaginta tria miracula, inter cætera, quæ Dominus euidenter ostendit, certitudinaliter facta cognouimus.

QVIA, sicut aliàs dictum est, actus iste, scilicet ascribere in catologo Sanctorum per canonizationem Romani Pontificis, singularis excellentiæ reputatur in Ecclesia militante, & ad solum Romanum Pontificem pertineat hoc agere: idcirco summam grauitatem in facto tam singulari Sedes Apostolica voluit obseruare. Quamuis & vita sua fuisset ita manifesta, & multa miracula visa, sicut superiùs dictum est, preces etiam Regiæ, Baronum, & etiam Prælatorum pluries accessissent: nihilominus cum inquisitionibus priuatis pluribus iam factis, adhuc voluit inquisitiones solemnes per non paruum tempus facere. Durauit istud negocium iam per XXIV. annos, vel ampliùs. Et licet Dominus NICOLAVS III. antè dixisset,

LVDOVICVS NONVS. quòd ita nota erat sibi vita istius sancti, quòd si vidisset duo vel tria miracula, eum A
canonizasset. Sed morte præuentus non potuit hoc perducere ad effectum. Ex abundanti tamen fuit adhuc commissum negocium inquisitionis viris venerabilibus & discretis, Archiepiscopo scilicet Rothomagensi, & Episcopo Autisiodorensi, & Magistro ROLANDO de Palma Episcopo Spoletano. Et isti de sexaginta tribus miraculis testes receperunt, examinauerunt, rubricauerunt: & iam sexdecim annis transactis ad Curiam remiserunt. Insuper per illos sexdecim annos continuè aliqui ex parte Regis Franciæ, necnon Prælatorum, & Principum, & specialiter Frater IOANNES de Samessio, continuè instituerunt.

TANDEM pro dicto negotio, tempore domini MARTINI commissum est negotium tribus Cardinalibus ad examinandum. qui viderunt, examinauerunt, & pro magna parte rubricauerunt. Sed cum ante mortem domini Martini non fuisset facta relatio negotij, peruenit tandem ad tempora Domini HONORII. Et tunc lecta sunt plura miracula, & coram fratribus nostris Cardinalibus diligenter discussa. Sed dum ventilaretur negotium, superueniente morte Domini Honorij negotium siluit.

TEMPORE verò domini NICOLAI IV. commissum est negotium tribus aliis B
Cardinalibus, domino scilicet Hostiensi, domino Portuensi, & nobis in statu Cardinalatus adhuc existentibus: quia mortui erant illi Cardinales, quibus negotium priùs fuerat commissum. Postea etiam mortuo domino Hostiensi, subrogatus fuit sibi dominus Sabinensis. Et ita per tot, & totiens examinatum est, rubricatum, & discussum negotium; quòd de hoc plus facta est de scriptura, quàm vnus asinus posset portare. Nos & de manu propria scripsimus, & diligenter examinauimus multa miracula fuisse sufficienter probata.

TEMPORIBVS autem nostris non sunt mutati examinatores, sed tamen iterum lecta sunt plura miracula, examinata, & rubricata, non solum per illos prædictos examinatores, sed etiam per plures alios Cardinales. Et voluimus, vt quilibet sigillatim daret consilium suum in scriptis, ne odio, vel amore, seu etiam timore aliquo aliquis taceret.

EX istis ergo, & pluribus aliis potest euidenter concludi, quod seruata fuit maturitas & plus quam maturitas in prædictis. Et ideò de tam manifesto viro, & sic in sanctitate vitæ & miraculorum probato, securè possumus asserere, quòd non debet
» ampliùs fama sanctitatis eius sub modio latere, sed debemus ei dicere: Amice, as-
» cende superiùs, vt sit tibi gloria in Ecclesia militante coram simul discumbentibus.
» Et ideò quasi ex ore Dei dicta sunt nobis & Ecclesiæ militanti verba proposita in principio, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, &c.* vt in hoc reddatur Deo quod suum est, qui laudatur in Sanctis suis. Reddatur Cæsari isti quod suum est, scilicet honor, & gloria debita. Sanctis reddatur, & matri nostræ Ecclesiæ triumphanti quod suum est, C
scilicet debitum laudis: & hoc in isto sancto, qui connumerari debet merito cum aliis sanctis, quia ciuis effectus est patriæ cælestis. Et sic cum matre nostra debemus conlætari, & istum tanquam sanctum honorare: vt sic per consequens exemplis vitæ eius in Ecclesia militante recitatis, fides Catholica roboretur, Reges & Principes ad bonum animentur, & omnes vniuersaliter in bonis suis operibus & exemplis ædificentur, & ad maiora bona prouocentur. Quod nobis præstare dignetur, qui viuit & regnat, &c. amen.

EIVSDEM

A LVDOVICVS NONVS.

EIVSDEM DOMINI BONIFACII PAPÆ VIII. SERMO ALTER,

Factus in Ecclesia Fratrum minorum apud Vrbem-veterem, anno Domini M.CC.LXXXXVII. in crastino S. Laurentij Martyris,

In Canonizatione Sanctissimi Regis LVDOVICI, *Regis Francorum.*

REX *pacificus magnificatus est*, quia eodem Spiritu sancto, quo locuti sunt & illuminati patres veteris Testamenti, Patriarchæ videlicet & Prophetæ, locuti sunt etiam sancti noui Testamenti. Propter quod dicit Apostolus I. Cor. XII. *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus.* & sequitur ibi, *Hæc omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult.* Vnde militans Ecclesia eodem spiritu loquens, quasi exultando assumit verbum propositum, quoad sententiam de tertio libro Reg. x. & de secundo Paralip. IX. & tamen mutat verba, quæ licet ad literam dicta sunt de Rege Salomone in veteri Testamento; tamen quia de exaltatione Ecclesiæ loquitur, propter magnificationem & exaltationem sanctissimi Regis LVDOVICI, possumus eodem spiritu de ipso verba proposita exponere, in quibus sanctus Rex LVDOVICVS in tribus commendatur. primò de excellenti statu, quia Rex. secundo à donis & virtutibus, quia pacificus. tertio à præmiis & remunerationibus, quia magnificatus in Ecclesia, scilicet militanti.

DE primo notandum, quòd qui benè regit seipsum & subditos suos, ipse verè Rex est. Sed qui nescit regere se & subditos, audacter dicendum est, quòd falsus Rex est. Iste verò Rex fuit in veritate, quia seipsum & subditos verè, iustè, & sanctè regebat. Seipsum enim rexit, quia carnem subiecit spiritui, & omnes motus sensualitatis rationi. Item subditos benè regebat, quia in omni iustitia & æquitate ipsos custodiebat. Rexit etiam Ecclesias, quia iura Ecclesiastica, & libertates Ecclesiæ illæsas conseruabat. Sed qui de facto benè non regunt, verè Reges non sunt.

SECVNDO, commendatur à donis & virtutibus, cùm dicitur pacificus, id est pacem faciens. Per istud enim donum, & per istam virtutem intelliguntur cetera dona & virtutes. Fuit autem pacificus in se, & quo ad omnes non solum subditos, sed extraneos. In se fuit pacificus. Habuit enim pacem temporis, pacem pectoris, & idcirco tandem consecutus est pacem æternitatis. Qualiter verò pacificè tenuit regnum suum, hoc sciunt omnes, qui sunt illius temporis. Ista verò pax non est sine iustitia. Sequitur enim iustitiam. Et quia iste iustus fuit quoad se, quoad Deum, & quoad proximum, ideò pacem habuit.

EX istis sequitur tertium, quòd magnificatus est, id est magnus factus non solum in præsenti Ecclesia, sed etiam in patria. Notandum verò, quòd vulgariter loquendo aliquis dicitur magnus quadruplici ratione, secundum quadruplicem dimensionem: videlicet primò quia longus, secundo quia latus, tertio quia profundus, quarto quia altus, siue elatus. Ista habuit sanctus Rex spiritualiter. Fuit enim longus per perseuerantiam & longanimitatem in bono. Ab infantia enim cœpit benè viuere, & vsque in finem perseuerauit. Vnde potest exponi de ipso, quod dicitur de Isaac Genes. XXVI. *Benedixit ei Dominus, & locupletatus est: & ibat proficiens atque succrescens, donec vehementer magnus effectus est.* Iste spiritualiter loloquendo fuit Isaac, qui visus interpretatur, quem peperit Sara iam vetula, per quam potest significari Ecclesia istius temporis in senio nouissimorum temporum constituta, quæ nobis peperit istum Isaac, qui nobis merito debet esse materia risus & gaudij. Sequitur, *ibat proficiens, &c.* vt possit dicere cum Apostolo, II. ad Tim. IV. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, &c.*

SECVNDO dicitur magnus, quia latus, siue amplus; & hoc per caritatem. Vnde

LVDOVICVS NONVS. Eccl. XLVI. *Fortis in bello Iesus Naue*, & seq. qui fuit magnus secundum verbum suum, maximus in salutem electorum Dei. Non enim est memoria apud homines, vt credimus, quòd inuentus fuit isti similis nostris temporibus, qui tantum zelaret pro salute aliorum. Quod benè apparuit, quando ipse & fratres sui capti fuerunt à Sarracenis. Non enim sustinuit liberationem suam, nec fratrum suorum, donec omnes alij quotquot fuerunt capti, priùs fuerint liberati. A

TERTIO dicitur magnus, quia profundus, & hoc per humilitatem. Quantò enim magis profundè se humiliat homo, tanto maior apud Deum reputatur, secundum id quod dicitur Luc. XIV. *Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Et quia iste profundissimè se humiliauit, ideò apud Dominum meritò magnus extitit. Vnde potest exponi de ipso quod dicitur I. Reg. II. de Samuele, *Magnificatus est Samuel apud Dominum.* Ipse verò humiliauit se intus & extra, in lingua, in corde, in veste, in orationibus. Et hoc possumus securè asserere, quòd facies sua benigna & plena gratiarum docebat eum esse supra hominem. Intelligitur verò congruè per Samuelem, quod interpretatur, Obediens Deo. Obediuit enim Deo vsque ad mortem.

QVARTO dicitur magnus, quia altus, siue eleuatus fuit per intentionem rectam ad Deum, omnia quæ agebat Deo attribuendo, & ei gratias agendo; secundum quod dicitur in Psalmo: *Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam.* Vnde de ista magnitudine loquitur Iudith XVI. loquens Deo, *Qui timent te, magni erunt apud te per omnia.* B

APPARET igitur qualiter isti Sancto competunt verba primò proposita, *Rex pacificus magnificatus est.* Et quia sic quadrupliciter fuit magnus in terris sicut dictum est, idcircò omninò tenere debemus, quòd etiam sit magnificatus in cœlis. Hoc enim pertinet ad diuinam iustitiam, quòd qui bonus & iustus fuit in vita, magnificetur & exaltetur in gloria. Quod apparet de isto per multa & magna miracula: quæ Dominus per ipsum ostendit. Et ideò meritò ipsum glorificatum & magnificatum credimus in cœlis. Et ideò eum catalogo Sanctorum ascribimus, præcipientes omnibus fidelibus Christianis, quòd ipsum tanquam sanctum, & per plura miracula notificatum veneretur, & eius patrocinia corde deuoto sibi postulet suffragari. Quod nobis præstare dignetur qui viuit & regnat, &c. amen.

BVLLA CANONIZATIONIS BEATI LVDOVICI REGIS FRANCORVM.

Ex editione Iacobi Bongarsij.

BONIFACIVS Episcopus seruus seruorum DEI: Venerabilibus fratribus, vniuersis Archiepiscopis & Episcopis, exemptis & non exemptis per regnum Franciæ constitutis: Salutem & Apostolicam benedictionem. Gloria, laus, & honor Patri luminum (à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum) à cunctis fidei orthodoxæ cultoribus, quorum spes tendit ad superos: summis, & sedulis deuotionis & reuerentiæ studiis referantur. Ipse namque in misericordia copiosus, liberalis in gratiis, & in retributione munificus, de supremis cœlorum ad ima mundi oculos suæ maiestatis inflectens, & benignâ consideratione discutiens beati LVDOVICI quondam Regis Franciæ inclyti, suique gloriossimi confessoris merita grandia, operaque mirifica: quibus ipse constitutus in sæculo, ceu lucerna luminosa, resplenduit: eaque veluti iustus iudex & retributor laudabilis dignanter intendens condignis recompensare muneribus, eum tanquam emeritum & retributione dignissimum, post vitæ præsentis ergastulum, & laboriosa mundi certamina (quæ feruens in diuinis obsequiis potenter & patenter exercuit) ætereis sedibus collocauit, vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat: fœlicitatis æternæ dulcoribus potiturus. Exultet igitur mater Ecclesia, ac solennia festiua concelebret gaudiorum: quòd tantum & talem filium genuit, produxit natum, educauit alumnum, iam inter regum cœlestium gloriosa agmina rutilantem. Lætetur inquam & iubilet, ac in laudes Altissimi voces promat: quòd sobolis tam præcelsæ, tam celebris illustrata fulgoribus, insignis decorata conspicitur. Quæ C

sonoris

A sonoris attollenda præconiis summæque venerationis exhibitione colenda, enucleatiùs aperit, euidentiùs explicat: illos ad perennis beatitudinis gaudia, & hereditatis æternæ participationem admittendos: qui prædictam Ecclesiam, matrem fidelium, sponsam CHRISTI claris fidei & operis testimoniis profitentur, nullosque in supernæ patriæ gloriam, nisi per eius, vtpote cœlorum clauigeræ, ministerium virtuosum, ostiis reseratis altissimis, introire. Gaudeant incolarum turbæ cœlestium, de tam sublimis, tam lucidi habitatoris aduentu: quòd ipsi expertus probatusque fidei Christianæ colonus, cultorque præcipuus aggregatur. Personet lætitiæ iubilum, ciuium gloriosa nobilitas supernorum: quòd tanti talisque conciuis suscepisse dinoscitur adiectiuum: ac venerabilis Sanctorum cœtus gaudio & exultatione refloreat, de noua dignissimi adhibitione consortis. Exurge itaque concio numerosa fidelium, exurgite fidei zelatores: & vnà cum eadem Ecclesia laudis vberis hymnum concinite. Perfundantur imbre copioso lætitiæ vestra præcordia, & fœcundo rore dulcedinis arcana pectoris repleantur, de tanta, tam potentis & egregij principis exaltatione terreni: spei tutissimæ plenitudine præconcepta, quòd nobis de indigena terrenorum, compatriota cœlestium iam effecto, apud æterni Patris Filium efficax patronus accreuit: qui pro salutis nostræ profectibus, iam in eius præsentia positus, solertis exercet officium oratoris. Porrò quis posset amplo famine præpotens, quis disertus quantumlibet, aut eloquij nitore coruscans, sufficienter exprimere præcelsa sanctitatis insignia, & multiplicium excellentiam meritorum, quibus beatus LVDOVICVS prædictus in terris constitutus effulsit? cùm eò plura de ipsius laudabilibus actibus referenda se offerant, quò plura calamus exprimit, pandunt labia, lingua pangit. Sed ne ipsorum actuum claritas sub nubilo lateat, tenebris obducatur: dignum duximus vt de illis aliqua sermo noster aperiat, & deducat in publicam notionem. Hic profectò clarissimus genere, sublimis potentia, facultatibus opulentus, præcelsus virtutibus, moribus elegans, conspicuus extitit honestate: inhonestis & turpibus à se penitùs relegatis. Nam sic pudicitiæ adhæsit operibus, sic carnis studuit euitare contagia: quòd sicut habet certa credulitas plurimorum, nisi ei nexus accessisset vxorius, candore virgineo rutilasset. Longi quippe spacio temporis prædicti regni regimini præfuit, eiusque gubernacula, plena curis prouida circumspectione direxit: nulli noxius, non iniuriosus alicui, nemini violentus. Iustitiæ limites summopere seruauit & coluit, æquitatis tramitem non relinquens: peruersorum conatus nefarios pœnæ debitæ mucrone compescuit: malorum molimina conterens, prauorum illicitos ausus frenans. Pacis zelator eximius, feruidus amator concordiæ, promotor solicitus extitit vnitatis: dissidia fugiens, vitans scandala, dissensiones abhorrens. Propter quod sui felicis regiminis tempore, sedatis vndique fluctibus, subductis noxiis, turbinibus profugatis, regni eiusdem incolis aurora dulci fluæ tranquillitatis illuxit, lætaque serenitas votiuæ prosperitatis arrisit. Et vt de vita ipsius aliqua referamus: licet illa quò maiori expositione discutitur, examine indagatur, eò referentis afferat gustui plus dulcoris, mentésque delectet obnixiùs auditorum. Ab ineuntis ætatis primordiis DEI FILIVM tenera mentis affectione dilexit: nec diligere desiit studia continuando salubria, dum vitæ sibi commoditas affuit temporalis: sed quanto maiori profecit ætate, ac in tempora prolixiora prosiliit, tanto in eius exarsit amorem, feruore spiritus ampliore. Hic equidem cùm esset annorum duodecim, paterno destitutus auxilio: sub claræ memoriæ Blanchæ Reginæ Franciæ matris suæ custodia & gubernatione remansit: quæ circa diuina obsequia feruenter intentat, eum prudenter dirigere, ac diligenter instruere satagebat: vt ad præfati regni regimen, quod suæ directionis expetere prouidentiam noscebatur, dignus & sufficiens fieret, idoneus haberetur. Cumque per incrementa temporum, idem Rex ætatis annum quartum decimum attigisset: prædicta Regina sibi magistrum proprium deputauit, qui eum scientia litterarum imbueret ac bonis moribus informaret. Ipseque Rex sub eiusdem magistri ferula positus, sic ei obediens & reuerens existebat, sicque illius recipiebat humiliter disciplinam, quòd superna præuentus gratia, profecit laudabiliter in vtrisque: circa diuina sic intentus officia, vt nequaquam ipsorum auditione contentus existeret, nisi ea quæ coram se die noctuque à suis faciebat clericis solemniter celebrare, ab ipso cum eorum aliquo attentius dicerentur. Demùm successu temporis in anno vicesimo constitutus, & quadam sibi ægritudine superueniente grauatus, à Parisiensi & Meldensi Episcopis

LVDOVICVS NONVS.

A assistentibus tunc eidem, viuificæ Crucis signaculum in Terræ Sanctæ subsidium sibi cum multa instantia petiit exhiberi. Et licet hoc ei rationabili causa moti, præfati dissuaderent Episcopi: ipse tamen, vtpote feruens spiritu erga DEVM, eique votis ardentibus famulari desiderans, illorum salubriter dissuasionibus non admissis, signum huiusmodi de manu præfati Parisiensis Episcopi cum multa lætitia & exultatione recepit, prælatis, nobilibus & militibus plurimis signum ipsum assumentibus cum eodem. Et tandem amplo præparato nauigio, factisque apparatibus aliis qui in talibus requiruntur, cùm tricesimum quartum annum attigisset ætatis, in prædictum subsidium transfretauit: consortes ei, Robertum Attrebatensem, Alphonsum Pictauensem, & claræ memoriæ Carolum Regem Siciliæ, tunc Andegauiæ, Comites, fratres suos dum adhuc viuerent, secum ducens, multa, grauiáque pericula, quæ solent æquorei fluctus ingerere, sustinendo. Cumque ad partes illas ingenti circumfultus potentia peruenisset, & habito de ciuitatis Damiatæ captione triumpho, processisset vlteriùs: generali quasi totius eiusdem exercitus, sicut Domino placuit, ægritudine subsecuta, & aliis aduersis vrgentibus, præfatus Rex cum toto ferè exercitu supradicto in Soldani & Sarracenorum manus ac potentiam incidit: multa opprobria multasque iniurias, quæ inferentium fœda conditio adaugebat, patienter & humiliter tolerando; præfato Roberto Comite, pro fide CHRISTI, ab illis immaniter interempto. B Postmodum autem habito cum Soldano tunc viuente tractatu de iam dicto Rege ac exercitu liberando, maxima interueniente pecuniæ quantitate, ipsoque Soldano occasione huiusmodi à vassallis propriis interfecto: Sarraceni, qui eius dominium vsurparunt, ad pecuniam anhelantes, eandem cum multa instantia postulabant, vt in conuentionibus ordinatis concorditer inter partes iureiurando firmandis penitus adderetur: quòd nisi ipsi pacta seruarent, omninò Machometum quem colunt (vt dicitur) denegarent: ac idem Rex in suo adiiceret iuramento, quòd & ipse DEI negaret FILIVM, ac extra fidem eius existeret: si conuentiones prædictæ ab eo minimè seruarentur. Quod præfatus Rex abominans, id efficere constantissimè recusauit: quin potius quadam indignatione commotus patenter asseruit, Quòd talia tam nefanda suis labiis aliquatenus non proferret; neque in tam vesanam & reprobam prorumperet negatiuam: quanquam id ei iam dicti Pictauiæ & Andegauiæ Comites, aliique tunc plurimi circunstantes instantissimè suaderent, cùm exinde sibi cæterisque Christicolis mortis periculum verisimiliter imminere conspicerent: præsertim cùm hoc ageretur cum illis, qui sicut præmittitur: Soldanum prædictum occiderant, eius sibi dominium vsurpantes, ipsique Regi apertiùs diceretur, quòd nisi in actum produceret quod petebant, ipsum & suos crucifigere non differrent: ipsius Regis ad hæc intrepida firmaque responsio est secuta: quòd si Sarraceni prædicti eius corpus occiderent, ipsius tamen animam non haberent. Sanè cùm iam dicti Passagij tempore post conflictus diuersos & varios, validæ famis C inediam, graues penurias, diraque vulnera, quæ fideles CHRISTI pertulerant, eodem Rege tunc temporis fluxum ventris & ægritudines alias patiente, Christianus reuerteretur exercitus Damiatam: Rex ipse nolens illum omnino deserere, sed eius potiùs clementer intendens communicare laboribus, & participare periculis, quæ tunc ex verisimilibus poterant coniecturis timeri, illuc rediit cum eodem: contra Sarracenorum rabiem truculentam, insultusque nefarios, sibi efficax defensionis impendendo præsidium, vt ab huiusmodi hostium scelestis insidiis seruaretur. Et tandem, cùm Sarracenorum ipsorum astuta nequitia & dolosa calliditas, tam grandi bellantium copia Christianum circumdedisset exercitum, valida tunc, sicut præmittitur infirmitate detentum; ipsumque tam grauiter inuasisset, quòd Regem & exercitum supradictos oportuit se præfatis reddere Sarracenis: ac idem Rex, nisi facto voluntatis libitum obstitisset, per nauis tunc promptæ potuisset euasisse suffragium; sibique hoc plurimi magnique, præsentes inibi, suaderent: ipse tamen propter nimiæ charitatis ardorem, quo vehementiùs æstuabat, volens potiùs periculis corpus exponere, vt Christianus populus seruaretur illæsus: licet Sarracenorum notitiam ipsius debilitas non lateret exercitus; nec Sarracenorum existeret ignota potentia Christianis: euadere noluit, remanentibus cæteris vinculo captionis astrictis: apertiùs asserendo, quòd militiam quam secum duxerat, secum, si posset, reducere intendebat; vel capi seu mori pariter cum eadem. Cumque inter Regem & Christianos ac Sarracenos prædictos, de ipsorum Regis & Christianorum, sicut superiùs est expressum,

Digitized by Google

A expressum, liberatione tractatus habitus & conuentionum subsecuta ordinatio extitisset: Sarraceni, pro quadam parte precij redemptionis huiusmodi quæ soluenda restabat, securitatem habere plenariam intendentes, in electionem ipsius Regis totaliter posuerunt: vt, vel ipse liberaretur à carcere, remanentibus ceteris Christianis in vinculis donec huiusmodi solutio perfecta succederet; vel quòd idem in carcere remaneret, Christianis ipsis omnimodè liberatis. Præfatus Rex super hoc promptum nec dilatum responsum præbuit: quòd ipse, quousque solutionis huiusmodi proueniret integritas, remanere in carcere intendebat, Christianis aliis libertati pristinæ restitutis: quamquam præfati Alphonsus & Carolus, ac alij viri nobiles, tunc astantes, expressè dicerent & profiterentur apertius, quòd in hoc nullatenus consentirent: supplici adiicientes instantia, quòd potiùs Rex ipse recederet, aliis minimè absolutis, Rege ipso firmissimè replicante contrarium, nec assentiente sermonibus eorumdem. Et tandem Rege, & cæteris captiuis eisdem, plenæ redditis libertati, dictoque Alphonso pro eiusdem solutionis perfectione facienda obside dimisso: præfatus Rex de galea in qua erat egredi noluit, donec ipsius solutionis defectus extitit adimpletus, dictusque Alphonsus ad eius præsentiam rediit; ac B omnes etiam Christiani, quos in propinquo carcere detinebant inclusos, quosque in Babyloniam manus inimica non traxerat, liberati à vinculis; ac illi etiam, qui tunc in Damiatam similiter tenebantur, fuerunt in nauibus collocati. Demum præfatus Rex cum eodem liberatus exercitu ad ciuitatem rediens Acconensem; moramque inibi fermè per quinquennium contrahens, tanquam feruidus salutis humanæ amator, multorum Agarenorum mentes, duras quantumlibet, non solùm salubris eloquij suadelis, sed etiam exemplo vitæ laudabilis conuertit ad Dominum: ipsos faciens, ad laudem diuini nominis, & exaltationem Catholicæ fidei, honorificè baptizari: eos donis prosequendo largifluis, & gratiosis fauoribus confouendo: multosque milites, & alios Christianos redimi faciens, eis de munificentia regia tam vestes quàm cætera necessaria victui, prout singulorum suadebat conditio, ministrabat. Muros quoque seu mœnia ciuitatum & castrorum quamplurimorum, quæ in illis partibus à fidelibus tenebantur, fecit reparari solemniter; eáque firmiter muniri & integrè, prout necessitas exigebat. Verùm prædictus Rex processu temporis, intellecto quòd matrem eius mors amara subtraxerat, & eidem regno graue periculum immineret, de Procerum suorum consilio, ad regnum Franciæ remeauit: nunc sanctitatis insistens operibus, nunc Monasteria & Hospitia pauperum, nunc domos aliis diuinis obsequiis dedicandas, quæ longum esset enarrare per singula, construi faciendo, eis de bonis propriis amplis dotibus deputatis: nunc etiam infirmos & debiles in diuersis Monasteriis & Xenodochiis decumbentes personaliter visitans, ipsos verbis consolatoriis confouebat, eis manibus propriis flexo genu potus & cibaria ministrando. Cumque in monasterio Regalis Montis, C Beluacensis diocesis, quod idem Rex opere plurimùm sumptuoso construxit, ac dotibus decorauit eximiis, monachus quidam Leodegarius nomine moraretur: quem adeo lepræ morbus inuaserat, quòd abominabilis & despectus quamplurimùm manebat segregatus ab aliis, in quadam camera positus Monasterij memorati: cuiusque oculi ob grauis infirmitatis pondus seu malitiam iam consumpti, nihil omnino videbant, eorum foraminibus, siue locis, rubeis & horridis iam effectis; quique nasum perdiderat; eius tumefactis non modicùm labiis, & profunda fissura destructis: ac idem Rex eum præsente dumtaxat Abbate Monasterij supradicti personaliter visitaret, ipsumque sumentem cibum vt poterat inuenisset: præfatus Rex præmisso benignæ salutationis alloquio, flexit genua coram ipso, & scindens manibus propriis carnes eidem appositas, bolos in os eius studiosissimè immittebat: & huiusmodi non contentus obsequio, allatis eius iussione dapibus regalibus, de ipsis eidem monacho ministrabat, loci aut ægri qualitatem horribilem non euitans: eodem Abbate vehementi stupore concusso, quòd tanti sublimitas Principis talibus quantumcumque salubribus inuolui studiis, ac seruitiis poterat occupari. Præterea cùm dictus Rex Hospitale Compendiense ingressus, ad impendendum humanitatis obsequium infirmis in illo degentibus; & iam fessus non modicùm ex labore, infirmum quemdam iuxta se positum conspexisset morbum qui sancti Eligij dicitur patientem; & flexis genibus coram ipso, morsellum piri remoto cortice poneret in os eius, sanies de illius naribus defluens fœdauit turpiter manus regis: qui

LVDOVICVS NONVS. A pie benignéque id tolerans, nec in aliquo exinde immutatus, lotis illicò suis manibus, salubre quod inchoauerat obsequium diligenter est prosecutus. Hic circa seruos CHRISTI ac pauperes atque miserabiles & deiectas personas valdè compatiens, se ipsis in eleemosynarum largitione munificum exhibebat. Virginibus insuper, quibus inopia effectum maritalis copulæ denegabat, ne illas in carnis lubricum labi contingeret, de dotibus congruis prouidebat illis de bonis regalibus: laudabiliter & salubriter expensum reputans, quod in eleemosynas & alios pios vsus conuerti pro tempore noscebatur. Hic prædicationibus, & aliis propositionibus Verbi DEI attentum accommodabat auditum: non auditor obliuiosus factus, sed factor operis studiosus. Abhorrebat hereticæ prauitatis macula infectos: ne fidei Christianæ cultores labe huiusmodi contagionis inficerent, de regni prædicti finibus efficacibus studiis expellendo; ac alias, circa statum eius prouidendo solicitè: vt ab ipso fermentis talibus prorsus exclusis, in eo fidei prædictæ synceritas rutilaret. Cum verò aliquibus partibus dicti regni, ob sterilitatem seu malitiam temporis, victualium caristia imminebat: statim de ipsa rumoribus intellectis, certam illuc summam pecuniæ, prout ipsarum exigebat qualitas partium, per fidelem mittebat nuntium, inter pauperes diuidendam. Hic profectò humilitate sublimis, sublimitate humilis: in apparatu & vestibus, quas frequenter pauperibus erogabat, post primum potissimè de vltra marinis partibus reditum, summæ humilitatis insignia demonstrauit. B Nec enim aureis vel argenteis ornamentis, non regalibus vestibus, non variis vel griseis, sed aliis humilibus pellibus vsus fuit: sæcularibus pompis à se penitus abdicatis. Et ne feruorem spiritus sociæ carnis ardor extingueret, sed mortificatione ac repressione illum potiùs accendi contingeret, altiusque sustolli; carnem ipsam quasi assidui asperitate cilicij, prout asseritur, edomans, effrenæ ipsius libitum arctæ abstinentiæ freno cohercuit, eiusque nexibus alligauit: vt non voti proprij ducta libidine, non sui desiderij directa remigio; sed salubri moderamine spiritus tutè ad licita pergeret, prouidè ab illicitis abstineret. Districtis etenim corpus atterebat ieiuniis: priscorum obseruantiæ à Sanctis Patribus ordinatæ nouorum austeritatem adiiciens, sibi motu propriæ voluntatis indictam. Nam per totum Quadragesimale tempus & quadraginta dies festum Natalis Domini præcedentes, & omnium festiuitatum vigilias, nec non & quatuor tempora quæ Catholica indicit Ecclesia, in ieiuniis & orationibus existebat: deliciosis & curiosis cibariis vsui proprio penitùs interdictis. In festiuitatum verò Virginis gloriosæ & Natalis Domini memorati vigiliis, & sexta feria maioris Hebdomadæ, ieiunium obseruabat; panis & aquæ dumtaxat modica sustentatione contentus. Quolibet etiam die Veneris Quadragesimæ supradictæ, ac totius Aduentus, ab esu piscium abstinebat. Multis præterea vigiliis se occupans, ne aliqua sibi hora temporis inutiliter pertransiret, post eius reditum supradictum non in pluma vel paleis iacuit; sed super ligneum lectum portatilem, mataratio simplici superiecto, stramine nullo supposito decumbebat. C Hic insuper vitæ puritate prælucidus, syncerus veritatis amicus extitit, hostisque durissimus falsitatis. Cuncta quoque ipsius eloquia, salutis augmentum operaque salubria hortabantur; demulcebant auditorum præcordia, & in eorum ædificationem multipliciter redundabant. Cumque ad incrementa Catholicæ fidei, & liberationem celerem Terræ Sanctæ votis ardentibus anhelaret: in ipsius terræ subsidium assumpsit denuo signum Crucis. Et deinde potenti ac valido congregato nauigio, copiosa & strenua comitiua suffultus, cum ipso Pictauio Comite, suisque liberis, & claræ memoriæ regina Nauarræ ipsius regis filia, quæ in reditu debitum naturæ persoluit: ad partes rursum se transtulit transmarinas, Carolo qui tunc moram in partibus Italiæ contrahebat, regis memorati vestigia subsequente. Ac tandem ad partes Tunicij felici gessu perueniens, inibi de magnatum suorum consilio castra fixit: & aduersus Sarracenorum incursus exercens potentiæ suæ vires, grauissimas ob labores innumeros, quibus premebatur assiduè, infirmitates incurrit. Qui diebus lapsis aliquibus, infirmitatum ipsarum violentia superatus, Sacramenta Ecclesiastica cum summa deuotione recepit: ac instante sibi verisimiliter hora mortis, oratione pro exercitu Christiano præmissa, suam Domino deuotis precibus animam recommendans, ac literaliter exprimens verba sequentia: videlicet, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*: feliciter migrauit ad CHRISTVM, supernis deliciis fruiturus. Verùm cùm vitæ huius functus curriculis veriùs

viueret

A viueret quàm vixisset, noluit Altissimi Filius, quem idem tota mentis affectione dilexerat, tam deuoti Principis, tantique propugnatoris fidei orthodoxæ, mundo supprimi sanctitatem: vt quemadmodum meritorum pluralitate præfulserat, sic miraculorum diuersitate clarescceret, & qui eum plenissima deuotione coluerat, iam secum in cœlesti palatio collocatus venerabiliter coleretur. Nam contractis, artuum extentione subuenit: curuis, terram fermè tangentibus facie, plenam restituit eorum sursum erectis vultibus sanitatem: strumosis beneficium liberationis impendit. Mulierem quamdam, cuius brachium aridum & omninò impotens existebat, ab infirmitate huiusmodi liberauit. Quidam quoque, cuius velut emortuum pendebat brachium, per eiusdem Sancti virtutem, gratiam curationis obtinuit: compluribus paralytico morbo percussis, & aliis qui diuersis languoribus tenebantur, plena reddita sospitate: cæcisque visu, surdis auditu, claudis gressu, illius inuocato nomine restitutis. His & compluribus aliis Sanctus ipse coruscauit miraculis gloriosus: quorum seriem præsentibus non duximus inserendam. Gaudeat itaque domus inclyta Franciæ, quæ talem ac tantum Principem genuit, per cuius merita sublimiter illustratur. Lætetur deuotissimus Franciæ populus, quòd tam electum, tam virtuosum dominum meruit obtinere. Exultent prælatorum & cleri præ-
B cordia, quòd præfatum regnum tam claris miraculorum ipsius Regis insigniis propensiùs decoratur. Iocundentur & procerum, magnatum, nobilium & militum pectora, quòd per sanctissima opera dicti Regis, eiusdem, regni status honoris multiplicis prærogatiua sustollitur, & quasi solis radiis elucescit. Cæterùm, quia quos superni Regis clementia corona gloriæ in cœlo magnificat, deuotè à fidelibus in hac terrestri patria conuenit venerari: nos de sanctitate vitæ ac miraculorum veritate ipsius beatissimi LVDOVICI, curiosè ac solemnis inquisitionis diligentia, & districti examinis discussione præmissa, plenariam certitudinem obtinentes: ipsum de communi fratrum nostrorum & prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicam existentium, consilio & assensu, die Dominica, tertio Idus Augusti Sanctorum Catalogo duximus ascribendum. Ideoque vniuersitatem vestram monemus & hortamur attentè, vobis per Apostolica scripta mandantes: quatenus in crastino beati Bartholomæi Apostoli, cùm fœlix ipsius anima tunc de carnis eruta vinculis, astra petens, cœlestem aulam adiuerit, æternis gaudiis potitura: festùm ipsius Sancti deuotè ac solemniter celebretis, & faciatis per vestras ciuitates & dioceses à CHRISTI fidelibus veneratione congrua celebrari: vt eius interuenientibus precibus, & hic ab imminentibus possitis liberari periculis: & in futuro salutis perpetuæ præmium obtinere. Vt autem ad venerabile sepulchrum ipsius feruentiùs & copiosiùs fidelium confluat multitudo, ac celebriùs eiusdem solemnitas peragatur: omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui reuerenter illuc in eodem
C festo annuatim accesserint, eius suffragia petituri, de Omnipotentis DEI misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius authoritate confisi, vnum annum & quadraginta dies: accedentibus verò annis singulis ad prædictum sepulchrum infra eiusdem festi octauas, quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentiis, misericorditer relaxamus. Datum apud Vrbem veterem, tertio idus Augusti, pontificatus nostri anno tertio. ¶

A

INDVLGENTIA PRO S. LVDOVICO, IN TRANSLATIONE CORPORIS EIVS.

VNIVS ANNI ET XL. DIERVM.

CONCESSA A BONIFACIO OCTAVO SVMMO PONTIFICE.

BONIFACIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, vniuersis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.* CLARO supernorum consortio ciuium, quos largitor ille munificus, qui de suæ pietatis irriguo dat affluenter, & non improperat, gloriosis reficit gaudiis, deliciis refouet sempiternis, cunctos fidei orthodoxæ cultores plenis desiderantes affectibus aggregari, eorum mentes & animos ad misericordiæ opera, & pietatis studia exercenda, quibus cœlorum regnum acquiritur, nunc piis indulgentiarum donis allicimus, nunc muneribus remissionum salubribus inuitamus: vt post vitæ præsentis excursum, statum stabilem non habentis, meritorum fulti præsidio cælestis beatitudinis præmia perpetuis mansura temporibus faciliùs consequi mereantur. B

PRIDEM siquidem beatum LVDOVICVM quondam Regem Franciæ inclytum, gloriosissimum Confessorem, claris suis exigentibus meritis, operibusque mirificis, quibus ipse in huiusmodi orbis orbita constitutus, sicut lucerna luminosa resplenduit, de communi Fratrum nostrorum, & Prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicam consistentium, consilio & assensu, Sanctorum catalogo duximus ascribendum. Cùm itaque, sicut accepimus, venerabile corpus ipsius Confessoris, quod in Monasterio sancti Dionysij Parisiensis diocesis ad præsens requiescere dicitur, ad Capellam Regiam Parisius constitutam sit in proximo transferendum: Nos cupientes, vt ad diuini numinis gloriam, & laudem Confessoris eiusdem, huiusmodi eius translatio solemniter peragatur; omnibus verè pœnitentibus & confessis de regno Franciæ existentibus, qui Capellam ipsam in die translationis eiusdem, & per octo dies immediatè sequentes vnum annum & XL. dies; illis verò, qui de regno non existunt eodem, quique prænominatam Capellam præfato die translationis, ac per alios octo dies prædictos, annis singulis venerabiliter visitarint, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, duos annos & duas quadragenas, præter indulgentias per nos in eiusdem Sancti Canonizatione concessas, de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Et nihilominus hac vice in die translationis prædictæ omnibus accedentibus deuotè ad Capellam prædictam, venialia peccata remittimus de gratia speciali. Datum Romæ apud sanctum Petrum IIII. Kal. Iulij, Pontificatus nostri anno IIII. C

RELIGIOSISSIMI

A LVDOVICVS NONVS.

RELIGIOSISSIMI VIRI
FRATRIS IOANNIS RAVLIN,
ARTIVM, ET THEOLOGIÆ PROFESSORIS
SCIENTISSIMI ORATIO AD LAVDEM DIVI LVDOVICI FRANCORVM REGIS.
Habita in Regali Collegio Nauarræ in solemni Festo eiusdem Ludouici, per thema.

Domine in virtute tua letabitur Rex.

B VIRTVTEM omni Regio splendore dignissimam, vario sæpè certamine multiphariam dudum arbitrati sunt, (Ornatissime cetus) sapiens Ægyptus, Roma potens, & docta Græcia. Cuius rei facturus est fidem eloquentissimus ille Carneades Academicæ sectæ Philosophus, qui Romam missus ab Athenis audientibus oratoribus tunc maximis, Gaba & Catone censoribus, cum pro æquitate primum disputasset, tùm dein de altera die aduersus æquitatem acerrimè contendit. Censuerunt quippe nonnulli, iustitiæ ac virtutis æmuli, potentissimam Regis esse virtutem, fines regni propagare, aliis violenter ereptos augere, Imperia, vectigalia facere meliora, nihil honestum, nihil vtile, nihil accommodatum, nisi quod violenta posset manu teneri, aut vt verius loquar, eripi firmiter iudicantes quandoquidem, quod euersis vrbibus, deletisque populis agros possideant, armatumque ciuem locupletiorem effecerint. hi laudibus ad astra feruntur, hi virtutum omnium probantur conscendisse culmen, virtutum nihilominus perniciosissimi euersores. Nam quomodo studiosus esse poterit, & virtuti operam dare, qui nocet, qui odit, qui spoliat, qui occidit, quibusve splendebit officiis, qui socius furum spoliis solus gaudet, & ruinosis anfractibus, latisque periculis summoperè gloriatur, dicente Augustino. *Maxima regna non esse nisi maxima latrocinia. Quæ quanto cæteris regnis antestant magnitudine, tanto ea maiore necesse est decidere lapsu*, cum authore Lactentio. plus ponderis habeant ad ruinam quæ cæteris sunt altiora. Ea de re falluntur, qui C amplitudine patriæ regnum stabilire cupientes, posuerunt firmamentum eius formidinem, quandoquidem desinentibus illis frameæ in finem munitiones, & ciuitates eorum, ex improuiso destrueret omnipotens, cum adeò nihil humanis viribus sit elaboratum, quod non ab eis æquè destrui possit. Mortalium enim mortalia sunt opera. Quod apud se diligenter animaduertens prudentissimus Æthyopum primus Lacedemoniorum optimus princeps exprobranti vxori quod filiis minorem potestatem Regiam relinqueret, quam à progenitoribus ipse recepisset, respondisse fertur. Et si minorem, tamen durabiliorem. Alij verò non improuidè de Regia virtute philosophati sunt Regem ex officio hostem fore malorum, bonorum verò deffensorem parcentem subiectis, & debellantem superbos, quod quidem suscipere facilè est, implere autem difficile. Nam in Dei, non in Regio arbitrio posita est victoria. Itemque, vt plurimum & numero, & conspiratione potentiores sunt improbi, vt ad eos superandos non tam virtus, quam felicitas necessaria videatur meliore, iustioreque partes frequentius deuicta. Quis enim opulentissimi Cræsi Lidorum Regis inopinatissimum nesciat casum, qui aduersus Cyrum iusto congressus prælio latissimum Imperium vna hora, vnoque momento perdidit? Quis ignorat Gayum Pompeium pro Republica, pro libertate arma suscepisse, qui tandem victus & spadonibus Ægyptiis detruncatus cum libertate cecidit? Quis verò omnium liberrimam virtutem tantis casibus fatebitur esse subiectam? Propterea viri sapientes supradictis sententiis nequaquam præstantes fidem prudentissimè iudicauerunt maximum Regis officium esse pietatem, qua in suos subditos pius & clemens, Deum suprà se

LVDOVICVS NONVS.

semper auspicabitur, & credit altiorē, quem magnoperè timet, veneratur, & adorat. A Quamobrem illustrissima Francorum Regia progenies gloriæ non inanis auida, non potestatis, non diuitiarum, non virium, sed pietatis titulo gloriatur, quæ nec robustissimam, nec potentissimam, nec opulentissimam, quamquam his omnibus cumuletur laudibus, sed Christianissimam se gaudet vbique prædicari. Quam quidem nominis egregij, insignisque ac gloriosissimi tituli eminentissimam claritudinem toto orbe celeberrimam, in Agarenos, lybios, cæterosque Christianæ fidei Antichristos dimicando, præ cæteris omnibus regnis sibi comparauit, cuius gloriam vidimus in nostro beatissimo Rege Ludouico pro eius strenuitate, ac sanctimonia non immeritò collocatam, quippe qui ardentissimo fidei zelo armatus, in hostium Christianæ Religionis cuneos penetrauit securus, quo nec iustior alter fuit, nec pietate secundus. Qua de re mirificauit Dominus sanctum suum; fama, & meritis, excelsum eum faciens præ Regibus terræ in æternum seruans illi misericordiam, qui misericordiam fecit generoso semini eius vsque in hodiernum diem, sedenti super thronum eius iuxtà misericordias Dauid fidelis, de cuius virtutibus egregiis pro accepto munere breuiter dicturi, ne fortè cum ponere tentauerimus os in cœlum, lingua nostra transeat in terram. Ad cœleste Spiritus sancti sacrarium scientes, quoniam labia nostra non ex nobis sunt, conuertamus orationem, dicentes illud verbum bonum. *Aue Dominus tecum.* B

PRIVSQVAM hostis antiquus inter varios populorum greges Zizaniam seminaret cum fideli quadam simplicitate, ac innocentia regebatur genus humanum, nusquam Regibus opus erat. Sed eo felici tempore quisque sui Rex, quisque sui compos existebat. At verò inualescente per orbem cupidinis morbo cum adolescentia mundi prona semper in malum, malicia cum ætate, cum numero simul excresceret, vt essent, qui iudicarent orbem terræ, in æquitates Reges instituit, quorum alios popularis creauit ambitio, alteros verò reddendi iuris occasio produxit in lucem; hinc geneseos liber post diluuium tradit alium quidem Regem venatorem robustum, vt Nembroth qui Caldeorum primus, deinde Persarum regium diadema sibi cōposuit, alterum autem pastorem ouium, vt Abraham, quem Iosephus antiquitatum volumine primo voluit esse Damasci Regem. Quo fit vt subtiliter cunctanti insinuare videtur sacrarum scripturarum profundissimus alueus Regum alternam complexionem, quādo hos pastores ouium, illos venatores descripsit, quorum hæc est discretio, vt Rex ille ouium pastor oues leniter tondeat, venator deglutiat, primus pascit, secundus depascit. Ille aduersus algores & caumata oues ad caulas humeris portat. Iste in frigore & nuditate detracta pelle ouem excoriat, ille in sinu suo morbidas fouet, ac nutrit oues, istius non tam ferarum quam propriarū ouium veloces pedes ad effundendum sanguinem, ille pugnatissimis canibus in lupos circumseptus, vt oues custodiat. Iste verò mordacissimis lateribus Aquilonis circundatus, vt ouium substantiam rapiat, & non sit qui eripiat, qui pleuresiaca peste laborans, & si sanus esse videatur, pessima tamen latera sustinet, & pestilentissima in his interdum apostemata dolet. C Primum regnandi modum in canticis videtur approbare Ecclesia Christi sponsa, quæ cum vidisset Regem in accubitu suo protinus vbi pasceret in meridie requisiuit luce clariùs insinuans Reges in pastores euadere debere, non in venatores. Nunc verò detestantur Ægyptij pastores ouium, diligitur Esau propter venationem, & Alietus propter prædam. Quod si quispiam veritatis amicus aduersus eorum rapinam palam duxerit allegandum, Achab propter arreptam vineam Naboth vsque ad mingentem ad parietem miserabiliter occisum, regnum Dauid inter Roboam, & Ieroboam propter sponte diuisam innocentis hæreditatem cœlesti vltione diuisum. Roboam propter exactiones latrunculis expositum, & tandém regno turpiter eiectum. Audiet illicò hæc accidisse pro tempore quo Reges pastores erant ouium, non venatores ad eos quoque spectari throni non sterquilinij sessionem. Instar Iob beatissimi Regis, cui erant septem millia ouium, & mille millia armentorum, ac si eos cœlestis curiæ aresta, seu diuina iudicia, contingere minimè possint, quæ iamdudum pronunciauit terribilis ille qui aufert spiritū principum, terribilis apud Reges terræ, sub quo curuantur qui portant orbem. Audite propterea Reges, intelligite, & erudimini qui iudicatis terram. Si de throno Dei procedūt fulgura, voces, tonitrua, quibus quatiuntur, & atterūtur Reges qui pascunt oues domini, quid vobis accidat, qui violēter tollitis pelles carnem desuper ossibus earum? si in viridi hæc facit, in arido quid faciet? si

sancti

A ſancti viri, quibus non erat indicatum, vt biberent de calice iræ Dei, biberunt, & vos innocentes eritis, verumtamen bibentes bibetis. Quis enim neſciat innocentiſſimum Francorum Regem Ludouicum inundationes maris quaſi lac ſuggiſſe, bibiſſe inſuper quaſi ſubſanationem aquam maximè dum terram coluit infidelium in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſuprà modum in mortibus frequenter particeps in tribulatione, & regno maximo. Quem tamen virum ſanctitate elegerat Dominus, vt paſceret Iacob ſeruum ſuum, & Iſraël hæreditatem ſuam, quos pauit in innocentia cordis, & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos ad fontes aquarum, & ad paſcua vitæ. Quiſquis es igitur qui regis Iſraël, intende qui nunc deducis non quaſi feram, ſed velut ouem Ioſeph; Noli temetipſum paſcere, noli paſcere hedos iuxta tabernacula paſtorum, noli paſcere pecora occiſionis, ſed paſce agnos Domini Ieſu Chriſti, noſtri Ludouici exemplo, & paſceris in diuitiis eius. Et nos populus tuus, & oues paſcuæ tuæ cantabimus, & pſallemus virtutes tuas, ſed & propter te animo decantabit tibi commiſſus grex. *Domine in virtute tua lætabitur Rex.*

Si Regis ad exemplum totus componitur orbis, ſi Magiſtratui ſtudet populus B ſemper eſſe conformis, & ſi vnuſquiſque libenter id appetit in quo alium cernit illuſtrem, neceſſe eſt principem quanto maiori præeſt multitudini, tanto ampliore virtute præſtare & ſic fortitudine, ſapientia, pietate ſuperexcellere populum, quantum paſtor excedit oues. Pro noſtrate prouincia, de hac prænominatarum virtutum beatiſſimi Ludouici egregia trinitate pauca dicturi ſumus. Cætera poſt veſpertinam horam vir maximarum virtutum cultor egregius omnium ſcientiarum, & maximè ſacrarum acutiſſimus diſputator huius Regiæ domus Bachalarius formatus, & burſarius benemeritus contheologus mihi chariſſimus magiſter Iohannes Charon ſuo luculentiſſimo ſermone declarabit, quibus omnibus in vnum congeſtis ſi à patre luminum eas demonſtrauerimus originem duxiſſe, facilè concludemus. *Domine in virtute tua lætabitur Rex.*

Inter omnes populorum opes hoc vnum ſingulare ſemper exiſtimaui, viri patres, eo precioſius quo claruit regnum regi compoſito principi vndique optimis moribus adornato conferri, idque maximum eſſe diuini amoris indicium, cum dominus præfert regnis ſtrenuiſſimos Duces, & curribus eorum ſapientiſſimos aſſignat aurigas. Cui ſententiæ teſtimonium dedit Regina Sabba cum ſapienti vſa ſermone, ſic ſalomonem eſt allocuta. Quia diligit Dominus populum ſuum, idcircò poſuit te Dominus Regem ſuper eum, & rectè quidem. tanta enim tùm auri, tùm argenti copia in Hieruſalem quanta lapidum erat cum Rex ille ſapientiſſimus Rempublicam adminiſtrabat. Hinc Titum Veſpaſiani filium, qui Heroicorum virorum mores exceſſerat, delicias humani generis eſſe putauerunt. E diuerſo nulla poteſt tam C grandi maledictione populus mulctari, quam cum impudenti, aut incompoſito aut effeminato Duce regitur, domino indignatione ſua auferente optimum principem, & in furore ſuo peſſimum ſuſcitantem Regem. Pharao poſt formoſas ſpicas alias totidem tenues, & arundine percuſſas omnem primarum pulchritudinem deuorantes nocturna viſione contemplatus eſt, quia Ioëlis teſtimonio quaſi ortus voluptatis terra coram bono principe, & poſt eum quaſi ſolitudo deſerti. Id ſanè perſpicuum cenſuit antiquitas, quod bono principi raro bonus ſuccedat, malis vt plurimùm, & donum Dei permaximum eſſe, ſi longiſſimus eius hæreditet princeps. Legimus apud Herodotum ferociſſimos olim tyrannos Chebrenem, & Cherpem apud Ægyptios ſex & centum annis regnaſſe. Micerinum verò Cheope filium diuino relatum oraculo ſex annis regnaturum, & ſeptimo defuncturum, eo quod prædeceſſorum ſuorum tyrannidi finem impoſuiſſet. Beata igitur terra, cuius Rex nobilis eſt, gemma omnibus opibus incomparabilis à ſummo delapſa occidente, orbem voluptatis in terra conſtituens. Nam ſub generoſo principe ſæpiſſimè ſurgit gens aurea mundo, quæ pacis ineundo conſilia adeò ſua virtute maliciam vincit, vt conuertat gladios in vomeres, lanceas in falces, haſtas in ligones, vt ſedeat vir ſubter vineam, & ſubter ficum ſuam, & non ſit qui deterreat. O quis aureum illud ſæculum Heroïco carmine deſcribere poſſet! O ſi me contingat aliquando videre tempora illa, cum iuſtitia conuertetur in iudicium, & qui iuxta illam omnes qui recto ſunt corde cum iuſtitia & iudicium præparatio Regiæ ſedis, cum miſericordia & veritas præcedunt faciem ſuam. O beatus populus qui tunc ſciet iubila-

LVDOVICVS NONVS.

A tionem! vos propterea (viri sapientissimi) beatitudinis huius participes esse dixerim, qui in iubilo cordis hodie diui Ludouici memoriam recolitis, qui multo tempore Christianissimum hoc regnum feliciter dirigens nunquam lethalis criminis sensit contagium. Legimus Saulem quo nullus melior in Israël à Deo electum, paulò post electionis atque inobedientiæ pœnas luisse grauissimas. Iste verò Innocentiæ vestem nunquam exuens, ita prudenter cum humilitate honorata, quæ rara auis est in terris, magistratu publico functus est, vt Deo & hominibus dilectus, ita tamen erat in potestate positus, tanquam omnibus esset ipse subiectus. Dauid sanctissimus iuxtà cor Domini inuentus, & vnctus inter viros sanguinum & dolosos, lubricitatis causa sacris in codicibus notatus est. Hic verò beatissimus vir, & cuius honores non mutauerunt mores, cuius in ore non est inuentum mendacium, cui Dominus non imputauit peccatum, se se castissimè strenuissiméque direxit & regnum, semperque illius casta fuit domus, luxuque carens, corruptaque nunquam. Sciebat enim Dei lilium putere sordereque meretriculârum manibus confricatum, nihilque magis animi valitudinem euocare quam luxuriam ipsam omnis nouercam triumphi, quæ fortissimos quondam Reges, immò ipsum cœlum in cœnum deiecit. Nonne semiramis, vt sceptra regeret Assyriorum, inter scortorum greges filium educari fecit? Nonne Sardanapalus vir muliere corruptior longæuum Assyriorum regnum vna cum vita non tam terminauit, quam exterminauit? difficile quippe est quos fœmina vicerit animosos posteà euincere viros. Eam ob rem ab ineunte ætate castitati operam dedit beatissimus Ludouicus, vt ea strenuitate polleret, sine qua sub armato milite regnum etiam potentissimum trepidare solet. Præterea induit eum Dominus spiritu fortitudinis, & virtute exaltauit, quandoquidem diuina virtute & bellica industria Francorum lilium, Anglorum Leopardum prostrauit, confregit eius potentias, arcum, scutum, & bellum, vbi gaudens infigere tauros, prædas contemnens humilis, insignem victoriæ palmam Francis intulit. Porro in acie sua tyronem non istrionem, militem non furem armabat, & inter viros militiæ cultores Rex tunc inueniebatur, non lilium inter spinas, sed non sic impij non sic quos hac tempestate videbis, non forma facti gregis dominantes in populis, sed regentes eos in virga ferrea, harpiis similes, caninis capitibus, & aduncis vnguibus certè rapidissimis cuncta rodentes. Musca hæc grauissima, altera Ægypti plaga penè totum diffusa per regnum, non Ægyptios hodiè molestat, sed Hæbreos. Videbis sanè exire hominem ad onus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam, & ecce interdum scrutabitur miles (melius dicam raptor) omnem substantiam eius, & diripient alieni labores illius, nec est illi adiutor nec est qui misereatur pupillis eius. Non edit de vinea qui plantauit eam, non de lacte manducat, qui pauit gregem, residuum locustæ comedit bruchus & si quis adipe, & pinguedine fortuito repleatur, illic milui congregantur, alter ad alteram deuorantes plebem Domini sicut escam panis. Heu heu mihi patres optimi, vt quid natus sum videre hanc contritionem filiæ populi mei, vt qui ne consumptus, ne oculus meus videret calumnias quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium, & neminem consolatorem, nec posse resistere eorum violentiæ cunctorum auxilio destitutos. Laboraui profectò in gemitu meo dolorem habens in corde meo, per diem considerans miseriam inopum, & gemitũ pauperum, quorum diuitiæ & labores delicias præbent Regibus, cum ab hoste in calamitatibus non est qui redimat, neque qui saluum faciat. Scimus aduocatos & procuratores olim didicisse prædam, qui ac si pillos leuiter raderent sicut nouacula acuta facientes dolum, lædendo quasi nihil lædere videbantur. Nunc autem cum fortitudo lex est iustitiæ superuenit non malicia, sed maliciæ imago eorum velut esurientes pulices acrius maxillam pungunt, quorum exultatio sicut deuorat pauperem in publico, non in abscondito, videant omnes qui prætergrediuntur viam, iuxtaque Ioannis Apocalipsim. Vbique mittunt falcem in regno, vindemiãt botros vineæ terræ, superuenit sanguis pauperum vsque ad deauratos frænos equorũ. Etsi dudum superbit impius, pompis, & fastu sæculi incenditur, & destruitur pauper. Magnificentiam Darij Regis persarum, non abs re scriptura refert, quæ talis ac tanta fuit, vt nolentes cogeret ad bibendum, nemo vero modo Pincernarum officium omnibus communem nimis experimur, qui diligenter multo agricolis, & cæteris vulgi populis aquas Marath velint nolint ad gustandum propinant, & bibere cogunt de calice Babylonis. Veniet, veniet subitò cum non speratur contritio

B C

& infelicitas

A & infelicitas in viis talium, qui viam pacis non cognouerunt, nec est timor Dei antè oculos eorum, vt non supergaudeant amplius inopi, nec dicant euge, euge pauperis, nec dicant; deuorabimus eum, facilè profectò omnium satraparum peribit domus, dum è vicino vestimentum mixtum sanguinem erit in combustionem, & cibus ignis. Sanè hæc mutationem hominis, sed dexteræ excelsi, quando resistentibus dexteræ Dei piissimus Rex noster obuians diuino fretus auxilio, scuto bonæ voluntatis armatus, percutiet omnes aduersantes populo suo sine causa, dentes peccatorum conteret, mollas leonum confringet, & sub vmbra alarum suarum viuent populi multi. A fructu frumenti, vini, & olei, in pace multiplicati, & pascantur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ regum. Quidam autem Imperatorum alij feroces leones alij leopardos inuenies, alij virulenter serpentes, alij prædaces aquilas. Cæteri horrenda castella arma gerunt crudelia. Christianissimus verò Rex noster lilium medicinale sibi vendicat, diuini altaris ornamentum redolens vbique terrarum animi mansuetudinem, pietatem, clementiam, ac misericordiam, qua nihil dulcius in vita hominibus. Quis igitur ille est qui huius lilij odoriferam dulcedinem in furiam contrà naturam conuersam arbitratur? nisi qui nescit medendis B vlceribus protinus adesse lilium atque prodesse. Caueat nihilominus ne cum ignis succendet densis in vepribus orbem inter spinas inueniatur lilium, ne simul combustis spinis, comburatur & ipsum. Et superuenientibus ab alto torrentibus cum spinis, & in altis arboribus eradicentur, & lilia quæ sunt in transitu aquæ voluptatum. Quas sic à se reiicit lilij decus & gloria diuus noster Ludouicus, & cunctis quæ circumstare, & constringere videbantur abruptis in solio Regali. Ita etiam vinctus in carcere, in purpura quasi in cilicio iacebat, in ieiuniis assiduus, cinere conspersus, corde compunctus. Et vt videret in die nouissimo visum fugiens, dum erant illi lachrymæ suæ panes die ac nocte; & potum suum in fletu miscebat. Hæ deliciæ nostri Regis erant, hæ voluptates, hæ diuitiæ, quibus olim suprà modum oblectatus ibat de virtute in virtutem profici[illegible]s, vt iuxtà præsumpta verba de ipso canere valeamus, & diuinas propulsare aures. *Domine in virtute tua lætabitur Rex.*

Et si pollicitâ fortitudine regna stabiliantur, & robur accipiant clarissimi viri, ipsa tamen fortitudo sine sapientia semper degenerat in stultitiam. Nam vt Aristoteles secundo libro Rhetoricæ testatur, vbi fuerunt Philosophi præsides, felices fuere ciuitates. Ita Præsidentum temeritas frequenter subditos præcipitat in ruinam qui quantò plus intumuerunt aduersus scientiam Dei, eò grauius deiecit eos, dum alienarentur. Non enim consilium, non sapientia contrà Dominum, cuius non minor est in potentissimo regno transferendo potestas, quam in tugurio pauperis euertendo. Nonne temeraria Dauid præsumptio in plebis numeratione magnæ illius pestis, qua septuaginta quatuor millia vna die cæsa feruntur, præbuit occasionem? N[illegible] C stolidissima Saulis electione in montibus Gelboë occidit ipse, & populus ei[illegible] insuper aduersus Roboam regni diuisionem erexit? Quis optimo Regi Iosuæ v[illegible] ademit? Quis Darium filium Arsami regno Persarum destituit? Quis Hanibalis [illegible]saniæ terminum imposuit? Quis parauit potentissimo Persi fugam? fortunatissi[illegible] Pollicrati crucem? Neroni famosum exterminum? Gothiæ genti exercitium? Nonne hæc omnia sapientiæ raritas statim adduxit, tam grandis enim vitiorum cohors assiduo principi aduersatur, & illum allidit, vt ei paretur laqueus in omni, qua ambulat via, si non illi præstò adsit ipsa sapientia, omnem virtutem habens, omnia prospiciens, & sine qua sua abutitur fortuna, nec se, nec sua, nec suos feliciter componens. Quid enim sine sapientia thesaurus, nisi merces in sacco pertuso, cuius substantia absorpet aliena largiendi immodera vorago? Quod si paulisper naturam regni iocundo fuimus paulisper perscrutati, erit facile cognitu id quod dicturus sum. In corpore regni complectionem sanguineam olim dominium habuisse, quando ad reipublicæ dubios euentus, ad futuram polliciti corporis esuriem scrinia numismate plena eructabant, ex hoc in illud, & regnorum alimentis opibus vbique apparebant, caput & membra princeps, & eius indigenæ impinquati, incrassati, dilatati, nec recalcitrabant. Tunc temporis nusquam audiebatur vox illa Ranni crudelis super ligna syluarum, vox illa dialectica eorum, qui se dicunt nobiles, & non sunt quæ nunc flens dico vbique nimis euagatur, rusticum inquiunt, necesse est pungi; non vngi quem expedit, vt testantur ipsi, immò necesse est tailliis vectigalibus & exactionibus duriter opprimi, alioquin effrænis erit, & intolerabili superbia tumens, & non consortis impatiens.

LVDOVICVS NONVS. O Asininam, & penitus inhumanam vocem eorum, qui cum nihil sunt, se credunt aliquid esse! O iterum atque iterum, pace omnium dixerim, asininum, ferum, & inane decretum quod punit antè peccatum, aut peccato saltem Chimerino, & dumtaxat imaginari sine demeritis irrogat pœnam. nesciunt qui liberis tanquam seruis vtuntur, quod seruus est disciplina deterior. Nesciunt quod immoderatus stimulus, non bestiam corrumpit, sed vulnerat & occidit. Nesciunt insuper quod remissius imperanti faciliùs paretur, quodque humanus animus pro sua nobilitate, & diuina quadam libertate facilius sequatur quam trahatur. Hæc dira vox nostri temporis esse videtur cum iam regnum nescio quo pacto in colericam transit naturam, nam & velut colerici omnibus omnes bella gerimus iracundi, & cum plurimum substantiæ deuoramus ac si Iordanis influat in os nostrum. A minimo tamen vsque ad maximum omnes ariditatem, & sitibunda macritudine turgent, & vt cum Aristotelé de colericis loquar plenius. cum omnia penè vorauerunt tanquam nullo fruentia sunt eorum corpora. Væ nobis patres optimi, væ nobis à miseria temporis huius, quam tabescentem spiritu præ tædio ingemiscentes describimus in quo sumptus prouentus excedunt, & exinde polliticum corpus, aut dissenterico fluxu, vel ethico fortasse morbo laborans, vt insatiabilem cædat esuriem, terram deglutit & cœlum mordet. O felicissima nostri Ludouici tempora, in quibus omnia pondere, numero, & ordine gerebantur, nulla tunc pensa excreuerint, nullæ immoderatæ largitiones, sed cuncta prudenti quadam frugalitate fundebantur. quid enim muneris suis collateralibus impendisset, cùm Deum ipsum, quem tantoperè diligebat non profusiori quam quadraginta solidorum in hebdomada largitione donabat? O nimis amplissimum & Regiam decens Maiestatem, quo & optimè placabatur Deus, nec inde submurmurat aut grauatur populus. Interrogatus à Rege prudentis cuiusdã principis legatus fidelis, quid in regno suo maximum, aut optimum haberetur, prudentissimè respondit. *in omni opere principis mensura & modus.* O verum nectareum, & omni laude dignissimum, O verbum mellifluum omnem continens sapientiam vbique in Pallatiis regum, in parietibus, in terris, in lateribus in cuncta supellectili, immo veriùs in eorum corde, in pectore, in ore describendum! Non esset profectò in penetralibus regum, non muscæ currentes in odorem vnguentorum eorum, non vulpes demolientes vineas, sed consumeretur omninò nequitia peccatorum, & assentatorum, quorum os est plenum maledictione, amaritudine, & dolo. Quem morem gerens beatissimus Ludouicus nequaquam audiebat sibillos gregum adulatorum, sed quemadmodum, vt Plinio placet, Herodium, & prædaces aues ab auicularum præda suo clamore compescit Aquila, sic suis solemnibus edictis lupos arcebat à populis, singulis hebdomadis sedens pro tribunali, non in cathedra pestilentiæ, non in consilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus velut Daniel in medio leonum, non vt cyrus in medio luporum, sed vt Dominus Iesus in medio Doctorum & seniorum, in medio sensatorum semper assiduus, vbi non residebat spiritus pestilens, non aura corrumpens. Cuius cum volumina vitæ nudiustertius perlegerim, vt coram hac celeberrima corona aliquid in eius gloriam recitarem; Ecce ego Iohannes fui in spiritu, & ecce vidi antè thronum beatissimi Ludouici viginti quatuor seniores habentes coronas & diademata in capitibus suis, prudentissimos viros, canos multi temporis. in quibus est sapientia, habentes officia, & dignitates, constitutos in caput, & non in caudam, vt iudicarent populum in iustitia, & pauperes in iudicio procul abigentes omnem parietem absque temperamento, & canes linquentes vlcera. O felicissimum sub tanto principe regnum! O quis det viuere vt videam regnum talibus innixum colonis, cum pastorum, non luporum oculi in pauperem respicient, & erunt praua indirecta, & aspera in vias planas. Hæc tuam sanè, non aliam decent Clementiam, qui nunc regis sceptra forti dextra, cuius prouidentia florentissimum hoc regnum pace fruitur regitur, dilatatur, & in dies exaltatur. Eya igitur age ô Rex Christianissime, intende prosperè procede & regna propter sapientiam, quam in te volumus speramus, optamus & eorum qui te diligunt centuplam .... Quam dum velut sponsam adamaueris, & exquisieris à iuuentute tua, omnes manum tuam laudabunt, dicentes, *Domine in virtute tua letabitur Rex.*

OMNIVM regum nemo est, viri percelebres, si luteam sui conditionem, si diuinam suprà se Maiestatem senserit, qui non facilè clementiæ, ac pietati colla submittat. Huius sententiæ testis est potentissimus Perses, qui cum seipsum primum,

A mum, tùm innumeram cerneret sui exercitus multitudinem, dixisse fertur. *Regem me tanti, tamque fortis exercitus prædicant, ego vero me Regem pulueris esse profiteor.* Testis est iunior ille Theodosius, qui & inter imperatores nullus melior, qui summoperè veneratus Ecclesiam Dei, barbarorum impetus, terræ motus, horrendaque portenta pia profligans oratione diuinam clementiam clementia, pietatem pietate, misericordiam misericordia flagitabat, quos tamen omnes anteire visus est beatissimus Ludouicus, qui clemens in subactos hostes, sed & maximè in subditos, leprosos, & lanquentes. Diuinarum contumeliarum impatiens, suarum immemor, & suprà modum pietate, animo & opere sectabatur Ecclesiam. Itemque viros Ecclesiasticos summo prosequebatur honore, maximè quos sciebat veneranda actione pollere, de ipsius Ecclesiæ ingressu cæcos, & claudos qui oderunt animam Dauid fideliter cohercens. Verum cum nec pietatis zelus, & ardor iuxtà tanti principis viscera posset contineri, in animo habuit, non suum sed Christi dilatare, ac magnificare Imperium, quandoquidem pacatis omnibus regni contentionibus aduersus barbaram Machometi spurcitiam robustissimum totius Galliæ commouit exercitum, Lybios, Asianos, Ægyptios, Marrocianos conterendo, B fecissetque vsque ad internecionem, nisi eum diuina prouidentia vltrò ad superos rapuisset. Sed quid in Diui Ludouici laudibus diutius immorandum mente reuoluens Agarenorum, potentiam potentum, & ferè obtinentium terminos Domini mei Iesu, parte ex altera desides, ac pigros principes Christianos, & miserabiliter effœminatos eorum exercitus nescio quo spiritu vertiginis, se suosque mutuis confodientes vulneribus, propria voce confundor, & cum omnibus ferè nationibus belli gloria iure, vel iniuria anteponi contendimus. vereor ne aut nimis inepte de nobis quispiam Isaie de Moab vtatur vaticinio, superbia inquit gallica plusquam fortitudo, Gloriamur siquidem in ea quæ longè abiit virtute militari, quæ authore Brenno Senonum Duce Remum cœpit, Romam incendit, & vltricibus vbique armis vsque in Græciam profecta, ibi consedit, atque ex Gallorum nomine Gallogræciam nuncupauit. Gloriamur item vt filij Israël de patre suo Abraham, in gloriosis illis triumphatoribus, qui tot in Italia præclaras vrbes, veronem, Brixiantum; Senias, placentiam, atque Mediolanum condiderunt, qui Liguriam, qui Emiliam, aliasque quasdam illic regiones suæ vocabulo patriæ Galliam nominauerunt transalpinam. Et ecce pro gloria ædificatorum, & regionum instauratione gloriam ipsam in puluerem deduximus, cum depopulamur agros, succendimus oppida, vrbes subuertimus, terram in solitudinem redigentes. Id olim etiam authore Iustino Gallorum acies ornauerat, quod tantus terror Gallici nominis cunctos reges, ac nationes inuaserat, vt audito illorum aduentu rebusque gestis ad illos adhuc longè positos legatos pro pace mitterent, se pariter ac sua dedentes, quascumque illi C imposuissent conditiones subituri. Nunc vero cum nos omnes timent, timemus omnes, nullumque belli apparatum nisi alienigenarum ancipiti gladio vix gerimus; aliquando legimus Gallorum legiones fidei deffensores dudum Karolo magno Agarenos ab Hesperidum finibus pepulisse. Et sæpenumero sub aliis Regibus pontho traiecto gloriosos de infidelibus reportasse triumphos. nunc nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur. quod videmus vt vultures in pullos, & cadauera delitescere, milites domesticorum agros demetire, ad insignes prædas omninò imbelles, ad suos exuta humanitate instar structionum crudeles, vt Nabuchodonosor in bestias, vt lychaonem in lupos rapaces conuersos: Omnem igitur Christianorum Christianissime Rex, compone querelam, & gloriam ipsam quam à progenitoribus ampliandam suscepisti piis atque præclaris facinoribus in hostilia fidei agmina gladium conuertendo viriliter adauge cum Dauid fortitudinem tuam Deo custodiens. Et procul dubio exaltabit te; vt hæreditate capias terram, facietque tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum qui sunt in terris, dilataberisque ad Orientem, & ad Occidentem, & vsque ad terminos terræ. Et quemadmodum Onias, & Iheremias Machabeum deducebant inuictum per media Nichanoris castra, sic vt sciant gentes Agarenorum, quoniam homines sunt, deducet te beatissimus Ludouicus per medias eorum acies gloriosissimum victorem, quoniam hic est fratrum amator hic est qui orat pro populo Francorum, & pro ciuitate ista, maximéque pro sua inclyta Sobole, nunc in solio Maiestatis residente, magnificans salutes Regis eius, vt faciat Deus misericordiam cum Christo suo, ex hoc nunc per omnia sæcula sæculorum. Amen.

 A

CHRISTOPHORI LONGVOLII PARISIENSIS ORATIO DE LAVDIBVS DIVI LVDOVICI FRANCORVM REGIS.

Habita Pictauij in Cœnobio Fratrum Minorum.

CVPEREM, patres amplissimi, eam mihi in præsentia à Deo optimo maximo dari eloquentiam qua & diui Ludouici pietatem, virtutes, ac vitæ sanctitatem condigno elogio in medium proferre possem, & gentis Francæ nobilioris dubium est an Christianioris gesta triumphos gloriam meritis præconiis exornare. Etenim cùm inclytæ nationis huius Principes viri Deo vt credere par est auspice instituissent vt singulis circumactis annis B
8. Kal. Septemb. beati Ludouici quem sibi in patronum adoptarunt solemnitas insigni aliqua concione honestaretur qua & Francorum & diui Ludouici laudes percenserentur, iidemque hoc muneris mihi obeundum etiam atque etiam mandassent, neque in re tam populari gentium omnium clarissime desideriis refragandi locum relictum arbitrarer suscepi haud dubie imparem meis viribus Prouinciam, si professio, si ætas, si ingenium consideretur, Ego ne tam sparsa facile colligam? Ego ne tam multa statim expediam? Ego ne vtriusque gentis dico & Regis parsum futurus laudibus si vel alterius gesta totum Isocratis myrothecium exhaurire possunt? Sed & illud me mouet quod Ioannis Bibaucij hominis cum ingeniosissimi, tum etiam dissertissimi orationi succedam qui anno proximo hanc in sententiam ita copiose perorauit vt nobis omne temere dicendi argumentum præripuisse videatur. Cæterum quum tantis viris non sit mos non gerendus in tam officioso munere neque diuum Ludouicum cui hac oratione parentamus neque vestrum quemuis quorum laudes maiorum exequi conabor mihi sperem defuturum, ita vt ab illo dicendi vires rerumque priscarum memoriam à vobis animorum linguarumque fauorem expectem rem nouam & forte inuidiosam sed honestam atque laudabilem aggrediar. Etenim quo magis Francorum gloria eniteat conabor ostendere Galliam Italiæ antestare & Francos armis religione ac eruditione Romanis longe præstitisse. Sed enim quia natura comparatum est nihil non collatione fieri illustrius, & Anneo Senecæ vrbis tempora per ætates digerere libuit. Ideo & nos Francorum originem pueritiam adolescentiam, necnon iuuentam paribus Romanorum vitæ gradibus quoad res feret collidemus, præterque principes viros principibus, ob id maxime quod paucorum egregia virtute gentis vtriusque gloria parta sit. Inde diui Ludouici (quibus cælum meruit) præclarissimas animi dotes atque trophea recensere tentabo. Verum quoniam tantis moliminibus temporis angustia reclamare videtur (quid enim sesquihoræ curriculo dixeris?) imitabor eos qui parua tabella vniuersum orbem graphide representant, breui namque ac compendiosa oratione & Francorum & Romanorum quasi imagines delineabo, gentis vtriusque plus minus septem compræhendens sæcula. At quum religioso more Oratorum Christiani nominis sit receptum, & sacratissimus hic etiam locus nos admoneat qualibet de re concionaturo diuinum imprimis implorandum esse auxilium, par est & nos, de sacrosancti Ludouici diuinitate, de Christianissimi populi laudibus dicturos, supremi numinis opem inuocare quod supplices hunc in modum adorabimus.

Conditor magni Deus orbis: alto
Qui sedens cælo, volucri per omnes
Mentium tractus: volitas recursu
Ocior aura.
Cui patent omnes animi recessus:
Quem iuuat nunquam tumidæ superbæ
Fictio mentis: placet ast honesto
Pectore candor.
Si nihil fictum nihil ex inani
Fabula sumptum: volumus pennes
Nobilis tantum memorare Francæ
Gentis honores.

Da queam

A *Da queam sacri celebrare Regis*
Gesta: virtutes, pietatis acta
Qui tenet summi merito beatam
Ætheris aulam.
Da piæ gentis referam triumphos
Da tuæ possim fidei trophæa
Hac duce eò manifesta ponto
Pandere Christe.
Non opis nostræ fuerit referre
Cælitus missum veneti coloris
Signet vt fuluum tria per metallum
Lilia spinter.
Vt dato reges oleo superne
Corpus intingunt: celerique tactu
Glandulas curant: rogo quis perapte
Dicere possit?
Ergo cum nobis rudis hoc minerua
Deneget tanto titubémque fasce:
Nec satis constet sibi mens in alto
Turbine cæca.
Paruulos quæ das subito disertos:
Cùm lubet mutos facis eloquentes
Cuius afflatus stupidi serenant
Nubila cordis.
Huc ades: furuas abigens tenebras
Mentis: ac lingua retinacla soluens
Spiritu sacro trepidæ guberna
Carbasa nauis.

CÆLESTI itaque fretus auxilio, instituti operis expeditionem hinc alacrius aggrediar, sed vndenam potissimum sumam exordium? Quid in tam vasta dicendarum rerum sylua primum amplectar? Tot, profectò ac tanta hac in reputatione B subeunt, vt haud minus arduum sit, huius rei principium inuenire quam exitum. Nihil facile non magnum: nihil non amplum, nihil non sublime occurrit. Sed quoniam terra prior homine est, ac regionis natalisque soli eximiæ dotes, haud contemnendam suis popularibus gloriam nunquam non attulerunt, quænam alia per Deum immortalem pars terrarum Galliæ merito conferri potest, siue eius situm, siue perennem salubritatem, siue quicquid quo carere vita non debet, etiam scrupulosissime requiras? Itaque ad hanc exornandam omnes naturæ vires incubuisse cur sit credibile dicam, & vos quasi in rem præsentem deducam. Principio cœli eius ea est clementia, ea fœlicitas, vt nec immodicis æstuet caloribus, nec rursus arcticis frigoribus torpeat. Tam moderata loci natura tam blanda amœnitas; vt innocentissimus vbique ac saluberrimus aer, diutius nescias an mollius trahatur. Id facit maxima ex parte pestiferis obiecta austris alpium vastitas, summouens ab Arcto horridos Aquilonis rigores Britannia, patens ab ortu regio, qua nos à germanis Rhenus discriminat, prætenta occiduis flatibus Pyrenei iuga. Non hic vt in Italia crebro fulmina sæuiunt, nec anniuersariæ lues debacantur, vrbesque totas exhauriunt. Nulla hic infida grassantur maria, nulli terræ motus vrbes absorbent, quod in Italia, Græcia, & Asia frequentissimum. Non hic campi vastis arenarum solitudinibus squalent, nec vt in Africa innumeræ quem beluarum tum serpentum pestes, homines & deuorant, & lenta veneni tabe conficiunt. Soli tanta est feracitas, tanta fœcunditas, vt Galliarum vbertati Sicilia inuidere possit, quæ tyrannicis cru- C delitatibus nunquam non exercita stupendæ fertilitatis pœnas etiamnum luit. Hic nullæ paludes latifundia occuppant, nec tenuissimo cespitum corio statim arena subest, peculiare germaniæ & Septentrionis malum. Dixeris hic Palladem cum Baccho certasse, maior ne vini copia an olei exundaret? quibus Anglia quum non tam careat quam indigeat, fateantur Britanni oportet se duos preciosissimos naturæ liquores Francis debere Accepto referant, quod & Gallica abundantia Britannicam sterilitatem quotannis fere leuet. Etenim vnde frumenti omnifarij copiam atque ex Gallia expectabunt? Non ab Hispania, quæ frequentissimis rupibus aspera, torrido solis vapore magna ex parte squallida & siticulosi tractus iniuria, famen vel incolis suis indicit. Profectò, Lusitaniæ, Galliciæ, Asturiæ, Cantabriæ Gallia horreum est. Non à Germania, hac enim quicquid frugis à cibo superest. Id omne in potum coquit absumitque in ceruisiam. Quid bellatores Morinorum, Treuerorumque equos commemorem? Quid opima Britonum armenta? Quid fœlicia Lemouicum, Aruernorumque pascua? Quid perpetua Cereris & Pomonæ in Armoricis studia? Tot nobilia Biturigum vellera? Tot generosa Leodiorum saxa? Tot splendida Heluetiorum æra? quid tenuia? quid candida? quid neruosa Atrebatum Rhemorum & Cameracensium lina? quod illa terris omnibus expetita Neruiorum aulæa? Allobrogum, Lotharingorum & Corisopitentium quo recentiores sunt argenti, aurique fodinæ, hoc magis arguunt Galliam nondum effœtam esse tot sæculorum prouentu. Nam apud Tectosagos, Tarbelios & Aquitanici maris accolas aurum effodi ex Strabone, apud Metellam ex Plinio nemo nescit. Sed quis

LVDOVICVS NONVS. obrizum Baionensibus fluere non potius mirabitur? quod tam profecto verum quam certum Guardonæ Rhodani & Dordonæ auriferas esse vndas. Druentiæ vero non solum aureis arenis beata, sed & gemmeis lapillis præciosa fluenta. Narbonensis Prouinciæ dotes, qui pro merito attigerit? tam suaues florum odores? tam numerosos succorum sapores? tam varios infectricum herbarum colores? tot suaue rubentia cocci grana? Fragrantes thymo, saliunca, libanotide campos? emicantes benigne calidorum fontium scaturigines? Fertilissimos croci Albigesiorum agros. In plenum autem Galliæ promiscua, tot munifica opacorum nemorum genera; tam teneras luxuriantis soli glebas? tot læta apricorum collium vineta? Iam superba frugiferarum arborum poma? iam multiplices pecorum greges? Et sunt multa dictu maiora. Sed quæ alia pars terrarum vrbibus frequentior? quæ sacratissimis ædibus sanctior? quæ virorum forma liberalior? quæ morum dignatione acceptior? quæ Christianæ fidei cultu vnquam habita est religiosior? Romam sane, qua vt sacrosancta Itali gloriantur, prophanissimam dixerim, si tantum Christiani sanguinis sola pæne hausit, quantum ne reliquus quidem orbis illa imperante effudit. O praua interpretatio. An quia per tot piorum greges decem illis proscriptionibus plusquam ferina rabie desæuit. Ideo pure? ideo religiose? ideo inuiolabilis cognomentum meruerit? Sacer ne Diocletianus quod se Christianorum cædibus vsque contaminauerit? pietate ne insignis Romanus ille populus quod suos in Pontifices pæne semper grassatus est? Non Galliam æquius sacrosanctam appellaueris quæ profugos Ecclesiæ præsules, suo semper Asylo texit, fouit, venerata est. Sacra nimirum Roma, cui si vel humillimum tuguriolum, hoc nomine conferam Christianæ reipublicæ nedum Galliæ sugillatio esset. Nam quæ conuentio Christi ad belial? Quod si ideo locus quispiam sacer est, quod multis nobilibusque beatorum reliquiis scateat, pulchre vicimus. Nam apud vnam Francorum gentem, omnes Christi exuuias reperies. Quippe præputium, inconsutilem togam, spineum diadema, crucem, clauos, spongiam, lanceæ cuspidem, & cum qua sepultus est, sindonem. Adde quorum dum in humanis ageret, obsequio maxime vsus est, auiæ Annæ septemque Apostolorum ac trium Magorum corpora, neque non Lazari, Magdalenes, Martialis & Marthæ, ac trium Mariarum cineres. Ad hæc præciosum baptistæ Ioannis caput, virginum insuper milia vndecim, cum deuota fidei Thebanorum illa legione, præterea Dionysij, Martini, Cosmæ, Damiani, Sebastiani, Antonij, aliorumque selectorum heroum innumerabilium reliquias perpetua Romanæ impietatis monimenta. Illud vero insolentiæ venetæ Francicæque religionis argumentum, quod diuus Marcus paucis ab hinc sæculis odio gentis ad nos migrarit, quia publico edicto peregrini venetiis pellebantur, quorum è numero se vnum esse testatus est. Hic de moribus Italorum non ago, nec secundum Iouiniani Pontani sententiam, singulis fere ciuitatibus peculiares notas inuro, modestissimus in eos futurus qui ad gallicum nomen semper despuunt, quum ipsi eo maxime infamentur vitio, quod nec vlla circumlocutione honeste explicari, nec vlla insputatione satis detestari potest. Enimuero quia & ambitiosis titulis, cætera quoque oppida insigniuerunt. Certe Veneto auro, non inuidebit Lutetiæ opulentia quam Architenius chryseam metallis dixit, ædium apparatu, ac turritorum mœnium pulchritudine Mettis æmulam reddet Florentiam, de magnitudine cum Mediolano contendet Gandauum, Neapolis elegantiam æquabit, vel Rothomagius, vel Auenido, vel Lugunum, vel Colonia, vel Turo. Sanctonum feracitati cedet Bononia, heduorum vetustati, Rauenna. Quod si de riguis amnium fluxibus, & piscosis lacuum vbertatibus litem Galliæ mouerint, num Trasimenum Lemano æquabimus Verbanum Laterna? Larium Constantiensi lacu? Benacum Ruscinonensi, Sebinum Tholosano? Eupilim Massiliensi? Fucinum Bardegallo? Nam quod ad fluuiorum meatus pertinet vincimus, haud dubie Carantono Ticinum. Mosa vulturnum, Dordona Arnum, Athesim, Athace, Druentia, Truentum, Isara, Lyrim, Mosella Tiberi concurret, Rhenus Pado. Sed quem Rhodano conferent? quem Garumnæ opponent? quem Ligeri committent? & quod turmatim recensuisse conueniat, quos Scaldi, Liziæ, Sequanæ, Arari, Matronæ, Sabi, Dordonæ, comparabunt? quum nullus ex iis non quemlibet magnarum nauium capax, multis passuum milibus nauigetur, cæteri Italiæ fluuij, immo torrentes, trabibus verius quam ratibus meabiles, nisi qua mare influunt nauigia patiantur? hæc denique illa est

regio

A regio quæ in orbis principatum nobiles religiosósque Francos extulit, quæ frequenti gentium incolatu duros educat Britones, vafros Normannos, industrios Flandros, mites Lotharingos, faciles Andegauos. Ad hæc Bellicosos Vascones, Burgundos feroces, Picardos alacres, Frugi Santones, atque Pyctauos, Narbonenses fideles. Iam forteis Aruernos, Hannonios pertinaces, magnanimos Senonenses, versutos Cenomanos. Denique militareis Bituriges, Cadurcos, Petragoricos & martios omnes qui cis rhenum habitant Theutogallos.

HACTENVS de Galliæ Principatu, Maius hinc opus texitur, quo gentis vtriusque gesta confligent. Et quum Francorum hæc semper extiterit vel gloria vel fœlicitas, vt singularum expeditionum facinoribus quantumuis obscuræ gentis nomen illustrare potuerint, nequeo ammirari qua fronte Latinarum rerum conditores (eloquentiæ scilicet magis quam veritatis studiosi) nostratum gloriam Romanæ postponant quam parcissime mentiti æqualem fecisse debuerant, vt enim Gallos Romanis stratagematibus olim concessisse: & obscuriori quidem non minori doctrina fuisse nihil grauate eis dabo. Ita Francorum gloriam eo adoleuisse fastigij contenderim, vt tantum supra militarem Italorum virtutem, tantum supra Romanorum ingenium euecti reperiantur, quantum Latini, cæteris olim gentibus bellica laude præstiterunt, quantum eruditione supra omnes Barbaros enituere. Quod ne ambitiosius dixisse, quam probasse disertius videar, huius rei haud obscura documenta, optima statim fide afferentur. Etenim summam Romanorum fuisse gloriam prædicant, qua etiam nihil temere maius sperari potuisse tradunt: quod à tam paruis initiis & ab infami illo Asylo circumductis vndique armis Africæ & Europæ haud in honora regna inuaserint, Antiocho & Mithridate sublatis regibus, tyrannidem Asiæ denique occuparint. Hactenus siquidem euagata Romanorum arma feruntur, tantumque interea sibi nominis vendicasse, vt nulla gens vnquam potentius, nulla vnquam maiori fœlicitate suos sit fines propagasse existimata. Quæ. P. A. tametsi non iniuria, vt sunt quidem. Ita magna etiam cuique videntur, scriptorumque suorum illustrata ingeniis longe maxima, multoque celeberrima euaserunt, nihilo tamen secius Francorum rebus collata, intra priscum splendorem subsidebunt, & quæ alioqui per se splendidissima essent, Francorum fulgore obscurabuntur & decident. Nec modo Gallorum (quos & Celtas Græci dixerunt) innumeras recensebo victorias, vt in septentrionem perfecti Celtoscytis nomen imposuerunt, vt Hispania longe, lateque domita Celtiberos & Gallecos sua victoria testes reliquerunt. Omittam quomodo à fertillissima Italia regione (quam Latini propterea Cisalpinam Galliam vocarunt) exactis Tyrrhenis, Mediolanum, Laudam, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vincentiam, Papiam condiderunt, & decimam Italiæ regionem ab incolatu suo Venetiam appellauerint. Non dicam qua virtute Senam fusis Ethruscis, deuictis vmbris Senogalliam profligatis Lucanis Galliopolim extruxerint. Qui Romanos ad Aliam fluuium strauerint, Romam ceperint, captam diripuerint, direptam incenderint. Qui perpetuo successu Tribalos, Getas, Pæones subegerunt, Græciam impleuerunt, Macedoniam occuparunt, sedes in ea parte Asiæ posuerunt quam à se Gallatiam nuncupauere. Tacebo Romanos, cum finitimis de principatu, cum Carthaginensibus de Imperio cum cæteris nationibus non nisi pro gloria, cum Gallis autem pro vxoribus, pro liberis, pro vita numquam non dimicasse, habuisse Romanos (etiam iam sibi viderentur rerum Domini) ad Gallicos tumultus aurum sanxius repositum Pontifices eorum (qui in reliquum militiæ vacatione honestabantur) Gallicis bellis ab aris ad arma progredi solitos. Mitto reges orientis, neque sine mercenario Gallorum exercitu bella gessisse, neque pulsos regno ad alios quam ad Gallos confugisse. Tantum Gallici nominis fuisse terrorem tam inuictam armorum fœlicitatem, vt regum nullus suam maiestatem tutam: neque amissam recuperare se posse sine Gallica virtute arbitraretur. Enimuero quam in hoc liberaliter cum eis actum tam nimirum ingenuam operam nauabo, vt & innumeras Francorum quoque victorias, referant muneribus acceptas. Nec enim longam rerum ad hæc tempora seriem nectere institui, nec Philippi Augusti recensere fœlicitatem: vt Anglos, vt Flandrenses, vt Portugallos, vt Burgundiones totidem filiorum auspiciis, diuersissimis in oris, & (quod tam verum quam creditu difficile) eodem die profligauerit. Patiar è manibus labi pulcherrima illa trophæa, quam Ludouicus Crassus aduersus Henricum, Item

LVDOVICVS NONVS.

Philippus contra Othonem Romanos Imperatores erexerunt. Quod nisi diuo Ludouico posthumaret Ioanna, non superatum puellari virtute Camillum ostenderem? Sed & Maximiliani Cæsaris apud Morinos fugam eo facilius dissimulabo, quo pertinacius vterque ad se victoriam trahit. Carolus porro octauus quanta fœlicitate: nempe solo nominis terrore, victricia signa, bis eodem anno Romanis ex Capitolio ostentarit, & exactis Aragoniis tyrannis Campaniam, Apuliam, Lucaniam, Calabriam rebus suis adiecerit (vt ipse præteream) Tarus æmiliæ fluuius abunde testabitur: apud quem Alexandri Pontificis, Venetorum, Longobardorum, Germanorum & Hispanorum coniuratas acies tam funesta clade affecit (& quantula quæso manu?) vt vel hodie Italia suorum sanguine redundans luxuriet. Nimis profecto, nimis Italiam vrgerem si bellipotens illud Sfortiadum genus, Francorum cathenas pertulisse commemorarem. Si Federicum Neapolitanum regem cum citima Sicilia in manus nostras venisse. Si æmiliam, si Insubres, si totam transpadanam Italiæ regionem Francis audire, Ergo & domitos Ligures, & rebellis Genuæ seruitutem, & totis campis fusos Venetos superstitum gloriæ detrahemus, Satis superque ostendisse fuerit: ea maiores nostros in re bellica extitisse virtute: qui de Romanis & multo potentissima terrarum parte pulcherrimum triumphum egerint aduersus Francorum arma nihil Italorum militarem profuisse disciplinam: nihil Hispanorum numerum atque tolerantiam, nihil Germanorum ferociam, nihil Scytharum immanitatem, nihil Punicam fraudem: nihil Græcorum ingenium, nihil Turcarum robur, nihil Asiaticas diuitias quominus Christianæ religionis fines iisdem fere terminis cum terra clauderentur, Etenim quum Romanum Imperium, scelestius dubium est an ignobilius ortum, terrarum dissidio auctum, ad rerum fastigium summa insolentia euectum direpti orbis prædam vnius in vrbis & Italiæ ornatum conuertisset, nec iam sub sole quicquam Romana fortuna maius speraretur futurum, quis vestrum est qui nondum legerit aut certe fando audiuerit Gothos (gentem Scythicam) cum innumera barbarorum colluuie in excidium conspirasse Romanorum: ac miserandi orbis captiuitatem statuisse vlcisci? Quis illos inquam nescit ab Aquilone excitos: instar sæuissimæ procellæ depopulatis lõge lateque Asia, Thracia, Græcia, Illirico, in prædam acta domitrice terrarum Italia, vrbem denique illam rerum dominam, vrbem quæ Hannibalem ad mortem coegerat, vrbem quæ Carthaginem cœperat, vrbem quæ de Antiocho triumphauerat, vrbem cuius ductu Macedonum Imperium ruerat, vrbem cuius Aquilis Libya paruerat, breuiter vrbem olim facturã de rerum gestarum gloria Francis controuersiam, cum orbis illo victore populo in barbaricam seruitutem deduxisse, ac prius fame confecisse quam gladio? Sed quos per Deum immortalem, motus in tanto rerum humanarum fuisse turbine putamus? Quam varios partium conatus? Quos tumultus? Quoties acie dimicatum priusquam vrbs depopulari orbem solita in prædam hostibus cesserit? Quale Getarum fuisse robur existimamus si numerosissimos atque florentissimos exercitus sustinuerunt, fuderunt, profligauerunt? Quis in Visigothorum perniciem Romani orbis vires incubuisse ambigit? vicit tamen egregie Visigothus, ac denique victorum victor, extimis quoque gentibus, ob nuper euersum Imperium, formidosus, nec tamen minus gratus futurus, si tyrannicæ vrbis ruina orbis libertatem suscitasset, vbi nobilissimas Europæ prouincias Romanorum exemplo, ferro, flammaque sub iugum trahere visus, ac barbaricis armis publicam gentium libertatem oppugnare cunctis metu consternatis (quid enim in Gothos potuissent, qui Romanis seruire didicerant) vna demum gens Francorum reperta est: immo tunc veluti salutare quoddam sydus mundo affulsit: vt immanium barbarorum tyrannidi nihil obscure obuiam iret, ac orbis nomine eas de Visigothis pænas sumeret: quas illis Romani haud ita pridem soluerant. Quis enim ab hac sæuissima Scytharum crudelitate Europam liberauit? Francus. cuius populi virtus tanta vel sperari potuit: quæ victoria Italiæ ac spoliis terrarum tumentes Visigothos ad internetionem sterneret? Franci, Cuius populi ea fuit fœlicitas, cuius (queso) robur quo Gothicum non modo regnum sublatum est verum etiam nomen posteritati fabula factum? Francorum. Quod si Gothis Romani Imperij euersoribus, tantum inde nominis accessit, quantum gens alia ne optare quidem potuisset. Quanta bone Deus Francorum debuit esse gloria, qui deuictis Visigothis, immo ab hominum memoria sublatis auarissimorum dominorum crudelissimis tyrannis, hoc nomine de Romanis ac cæteris terrarum Prouinciis

A uinciis triumphauerunt. Nolite. P. A. orationis meæ potius breuitate, quam rerum ipsarum magnitudine Francorum virtutem ponderare, paucis hæc dicuntur, cæterum æstimationem relinquunt maximam: si martiæ causæ firmamentum circa hunc cardinem vertitur. Sane mihi properare incumbit: si vel defunctoriè Francorum decora perstrinxisse velim. Non hic victoriarum modum statuemus: nec vnius gentis (licet potentissimæ) excidio Francorum militia terminabitur, iam pedem conferemus & Romanum quondam orbem, armis nostris domitum sigillatim ostendemus, concertabiturque summa questio, immo acies explicabuntur & concurrent, dum memineritis Romanos non tam robore suo valuisse quam aliorū imbecillitate & cum rudi adhuc mundo dimicasse, gentibus quidē ferocibus, sed quem nihil præter audaciam in bellum ferebant: cætero nudis ac inermibus & ad cædem expositis Francos autem cum ipsis Romanis & assiduo armorum vsu exercitis populus cum ijs quoque debellasse quo Romanum Imperium recens exciderant, innumera namque Barbarorum examina lapsis Romanorū rebus, cum laceri Imperij reliquias non tam inuaderent quam hostiliter passim diriperent, inter quos enumerasse haud pigeat Alanos, Vandalos, Herulos, Gepidas, Hunos, cum hi inquam alijque (quorum etiam B nomina ipso pæne) vt ille ait (sono timenda) orbem calamitosis tempestatibus quaterent irritatis in se Francorum armis (qui pro terrarum salute atque pace semper excubarunt (nihilo fœliciori euentu Gothis Francicum robur sunt experti) Siquidem omnes tam crebris stragibus ex Sycambria veniens Francus per partes deiecit: quam ipse fœlicissimis auspiciis in Belgarum Parisiorumque agro sedem fixit, Ac vt Barbarorum illa coluuies maiorum nostrorū virtute pedetentim attritis viribus, nomen quoque sensim amisit, ita Francorum processu temporis, auctis potentia & fama quicquid terrarum inter Rhenum & Pyreneos, Alpes quoque & Oceanum iacet in Franciæ nomen propemodum abiit, atque ita superis visum, vt quanto hinc romana amplitudo exinaniretur & florentissimum olim Imperium marcesseret, tantum inde Francorum opes inualescerent ac regni celebritas vbique gentium propagaretur, Sed forte vt Romanorum sic & Francorum, ex homicidis, sacrilegis & fugitiuis coaluit potentia. Fortasse & rapto, vt illi, sic & maiores nostri non tam sibi connubia quem stupra quæsiuerunt, Quod si ita esset. P. A. nullo id sane modo Itali supressissent. genus hominum non minus in gloriam suam effusissimum quam Franco nomini ob gestarum rerum æmulationem infestissimum. Quis illos Francorum gloriæ detrahendi ansam neglixisse crediderit, si nefandissimæ suæ origini haud quaquam pepercerunt, nunc vestalis incestum, nunc infame Asyllum alias Romuli parricidium, & fraterno cruentata sanguine mænia, alias Sabinarum raptum commemorando? Sed nec Franci latrocinantium more Quiritum per rura, per pagos grassando imbellium aggrestum inhiando spoliis congressus bellicos meditati feruntur. Cæ- C terum cum à ferocia tum à libertate nomen auspicantes, positis ad tempus iuxta rhenum sedibus, eam cui insederunt Germaniæ partem à se Franconiam denominarunt: vbi cum à Theodosio Imperatore ad pendendum Romanis tributum compellerentur: nominis sui atque virtutis memores, sumptis armis quatuor Theodosij duces Mammeam, Quintinum, Heraclium, & Iouinianum aperto marte fuderunt, tantamque eo prælio stragem Romanorum edidere vt iam non stipendiariorum sed sociorum numero haberentur. Enimuero cum hic tempus operirentur quo fatali sibi Galliæ succederent, sublato populari statu, democratiam in Monarchiam commutarunt & ducem sibi crearunt Marcomirum, à quo primum rem militarem & vrbes muris ac vallo munire didicerunt, Post hunc Pharamundus Regium nomen inter eos princeps tulit, atque Francorum mores legibus & optimis institutis ornauit. Quem sequutus Clodio Francis auctor fuit in Galliam populariter transmigrandi, Superbia namque Romanorum irritatus traiecto Rheno Treuerim primum cepit, mox obsessam Cameracum vrbem illis ademit, demum magno prælio victos Tornaco pepulit, Merouæus regnum à Clodione per manus accipiens inito cum Aætio Patricio ac Visigothis fœdere Athilam illum Hunnorum Regem in Catalaunicis campis fugit egitque ex Gallia præcipitem cæsis centum octoginta millibus Marcomanorum, Quadorum, Ostrogothorum, Herulorum, Thuringorum, Gepidarum. Quo conflictu cum & ipse strennue prælium ciens tanquam Epaminundas alter occubuisset, Childericum regni hæredem reliquit: qui cum à patria virtute degenerare existimaretur, suorum sibi conflauit odium, ac tandem

LVDOVICVS NONVS. Gillonis Romani factione pulsus est. Cæterum cum fortuna mutatis moribus & regno victum Gillonem exturbauit, & Odo agrum Saxonem porro fugauit, & Aureliam cum Paulo præfecto Romano ad deditionem compulit, Inde superato Ligeri Andegauos in fidem suam recepit, atque demum alia mundi parte rebellantes sæpius Theutonas domuit. Sic annis, ad summum nonaginta quis Francorum pueritiam terminamus, Belgas & Celtas pulsis Romanis dicto audientes reddidere, cum sub septem Regibus annos tres & quadraginta supra ducentos non vltra duodeuicesimum à mænibus vrbis miliare Romanum processerit Imperium. Hoc si alicui mirum videbitur, secum reputet, Romanam pueritiam aut Regum suorum cæde; aut ipsorum principum infamia semper vacillasse, cum nec agrestis populus, nec pellitus ille Senatus regibus commode pareret, neque pastores, neque haruspices, neque exules, neque serui, neque superbi ad imperandum insolentes regnandi modum satis tenerent, puerilis autem Francorum ætas solertia Marcomiri educata, Pharamundi Religione instituta, Clodionis bellacitate aucta, Merouæi ardore illustrata, Childerici successibus ad summum euecta Reges suos ita venerari didicit, vt nec vnquam Franci ducibus nec duces Francis defuerint. Quid? quod & in adolescentiæ nostræ principe Clodouæo, dictatorem Cæsarem æquauimus? vicit ille hospes semiuirum Ægypti Regem & meretricis quidem armis. Clodouæus commisso difficilique bello captum Gondobaldum Burgundionum tyrannum in soceri vltionem vinxit. Fugauit Cæsar Pharnacem Bosphori regulum, Clodouæus huius in vrbis conspectu Alaricum Visigothorum Regem Arrhianæ perfidiæ affectatorem cum toto pæne exercitu cecidit. At Cæsar Galliam domuit, & quanto (quæso) spatio? & quorumnam viribus? Nempe non nisi decennio, & Celtarum armis. Immo quam perfide, Nam ab eo Galli proditi sunt quem in auxilium accersiuerant. verum & maiores nostri, haud Galliam modo subiugarunt, sed & ab ea Romanos Gothos & Hunos exturbarunt, At Cæsar Galliam subegit. Esto dum Clodouæus vectigales Alemanos Francis reddiderit. verum Cæsar perpetuam dictaturam tenuit, vt hac in re hominis tyrrannidem atque cæcæ fortunæ ludibrium immo primas Gallorum partes transeam, & Clodouæus patricij & perpetui consulis & Augusti nomen Anastasij Imperatoris iudicio, tulit. Nam bellorum plusquam ciuilium victorias, tantamque coactam Romani generis iniuriam, nemo Cæsaris gloriæ ascripserit, nisi si quis Pompeium & Catonem vt nefandi illius belli auctores incessat, ac Brutum & Cassium cæterosque Romanæ libertatis vindices tanquam impios parricidas execretur. quod si non fit relinquitur Cæsarem tyrannidis causa illos patria pepulisse & his demum publici latrocinij pœnas dedisse, Aufferor transuersus. P. A. tametsi enim statueram gentis vtriusque ætates conferre, facit tamen Romani incrementi ignobilitas vt ab instituto desciscam & adolescentiæ Francorum, adulta Romanorum ætas inique & præpostere committatur. Quod si nihil à Franca fortitudine alienum est, iniquum subire certamen atque eodem vincere, certe minus decorum fuerit illustres obscuris, Reges priuatis collidere, quod tamen interdum eadem necessitate fieri oportebit. Atqui vna res est. P. A qua nihil obscure herbam (vt aiunt) porrigere cogimur, quippe magnifica & fœlix illa principum nomenclatura, quos enim Africanos? quos Asiaticos? quos Germanicos proferemus? ô festiuum Romanorum ô plumbeum Francorum ingenium, qui nullis adhuc Imperatorum suorum cognominibus victoriam domitis gentibus insolenter impieque exprobrauerunt? Superamur nimirum superamur Romana arrogantia: sed vincimus modestia. Nam prostratis numquam insultauimus, numquam deuictorum nominibus tanquam spoliis duces nostros nobilitauimus, inuidiosa sunt hæc, & inhumanitatis plena. Quod si nunc sua cuique cognomenta pro merito reddere liceret, quo (quæso) insigni Clotarium secundum prædicarem: quem Gneo & Cornelio Scipionibus non iniuria prætuleris? Illi quod in Hispania Carthaginienses tumultuariis aliquot præliis fuderint, duo belli fulmina dicti sunt, cum tamen à pænis haud semel victi fuissent, & tandem quoque cæsi, Clotarius exercito inter arma hostesque æuo, non mollissimæ cæli plagæ incolas Aphros ita afflixit vt ab eis tandem profligaretur, sed cum adhuc ab vberibus maternis penderet, Burgundiones fudit & castris exuit, puer Theodebertum ac Theodoricum Reges ingenti

A ingenti prælio superauit. Adolescens Neustriam regno suo adiecit, Iuuenis Sigibertum Mettensium tyrannum regno priuauit. Senex Italiæ tributum remisit, Saxones domuit eorumque ferocissimum ducem singulari certamine obtruncauit, hostesque omnes (quorum etiam regnis potitus est) adeo atriuit, vt quamdiu vixerit non rebellandi sed parendi occasionem semper habuerint. Ecce. P. A. cum Clotarius Hispanienses Scipiones bellicarum rerum fulgore longo interuallo à tergo reliquerit, cedit nihilominus superbiori aliquo titulo, vt certum sit, Romanos omnia in maius auxisse. Potuisse enim grandius aliquid Scipionibus reperiri, Clotarius perspicue docet. Scipionum cognomento sublimius vel excogitari posse nihil, belli fulmina demonstrant, quod eo pertinet ne tantos fuisse Romanos existimemus, quanti videri cupiunt. Neque enim quam magni fuerunt, sed quantum immoderati (res suas commendando) legimus, Itaque non iam titulis sed rerum gestarum magnitudine vtriusque gentis virtus expendetur. Mirantur Romani suum Marcellum, cum opimis Viridomari Gessatæ spoliis. Nos Caroli Martelli virtutem suspicimus, cuius auspiciis tres potentissimi Hispanorum Afrorumque Reges Athinius Amorræus & Abdiramus occubuere. Ille Syracusis furto vix tandem potitus est, hic Aneuionem B natura & arte ducentorum insuper millium Sarracenorum præsidio munitissimam, oriente sole oppugnare aggressus nihil dum occidente, quis credat? expugnauit. docuit ille Hannibalem vinci posse. hic duobus præliis & Hispanorum & Afrorum quingenta septuaginta millia absumpsit. Summa summarum in Martello gloria fuit & cui nulla Romana comparari possit, Visigothorum gentem funditus sustulisse, quo nomine Romani quantum Francis debeant, immo cedant, ipsis æstimandum relinquo. Celebris Sertorium fama extulit, quod à Lusitanis dux constitutus non contemnenda Iberiæ parte opes suas auxerit, ac Syllanos duces cum paruis copiis sustinuerit atque adeo comessabundum Metelli exercitum aliquando fuderit. Cæterum maior Childebertum gloria comitabitur quod Sigisinundum Burgundionum Regem ingenti prælio victum captumque in paternæ necis vltionem extinxerit, & maiore postea animo domitam Hispaniam ad orthodoxæ fidei cultum traduxerit. Coriolani nomen etsi propter oppugnatam patriam aliquando nobilius, Theodeberto tamen cedet, nisi minus existimamus Alpinas frænasse gentes & transpadanam omnem regionem, ac demum Ethruriam subiugasse, quam expugnasse Coriolos Volscorum oppidum. Sed nonne Lucullo Pipinus illustrior? Lucullus Cyricum obsidione exemit, Pipinus Italiam ab Aistulphi tyrrannide liberauit. & Stephanum pontificem summum, semel atque iterum sedi suæ restituit. Fudit ille ad Granicum Mithridatis copias, Pipinus Alanos cum tota Aquitania domuit. Cruenta quidem aduersus Tigranem Luculli prælia fatemur, verum Pipini victoriis minime conferenda, si hic ferocissimos Germaniæ populos Frisios, Suæuos, & Hungaros subegit, illi cum quolibet hoste res fuerit, & eo Rege, quem C maius pene agmen spadonum & eunuchorum sequebatur quam militum. Et audebit his quisquam Romanorum originem pueritiam & adolescentiam componere? quis pecuarij Aboriginum, Arioli Sabinorum, fugitiui Corinthiorum, vernæ Thuscorum imperauerunt. quis Sora & Algidum fuere terrori, Satricum atque Corniculum prouinciæ. quos de Vehiis & Bouillis triumphare summa venotorum fuit quæ nil nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, & Latinorum armenta in triumphis videre quæ Aricinum nemus, vt herciniumsaltum extimuere. quæ de sex Antiatum nauibus, veluti numerosissima classe, tropheum in medio vrbis extruxere. quæ annos vltra quingentos Italiam non tam subegerunt quam sibi confœderatam reddidere. & quoties vrbe interea impune lacerata? à Porsena obsessa, à Pœnis oppugnata, à Gallis capta & incensa. Quod si hæc Romani & qui mox in vtramuis partem dicentur inficiari perrexerint, obsignatis tabellis haud dubie conuincentur. neque domesticam fidem implorabo, sed eorum testimonia proferam. Vtrius porro inuenta spectatius floruerit, sequens narratio decidet. Ergo ad eum se conferat oratio, qui princeps Occasus & Septentrionis sparsa regna sub Francorum congregauit Imperio. Carolus is est, cui à rerum gestarum magnitudine magno cognomen fuit, Qui patria æmulatus vestigia Hadrianum & Leonem Romanos pontifices illum obsessum, hunc exulantem in integrum restituit. Hic ille est qui Longobardorum tyrrannidem euertit, Hunnorum Imperium excidit, Angliam recepit, Bauariam domuit, Hispaniam subiugauit. Italiam possedit. A Corsica Mauros, Sardinia Pœnos, Balearibus Sa-

LVDOVICVS NONVS. racenos exegit, expulit, exturbauit. Hic ille qui Bohæmos contudit, Dacorum impietatem coërcuit. Sclauorum ferociam fregit. Saxones Christo audientes reddidit. Hic ille qui Fluentinorum vrbem ruderibus obrutam instaurauit denominauitque Florentiam à liliorum floribus Francorum insignibus. hic ille quæ cum tantus foret, vixque ab armis (ingruentibus vndique hostibus) respiraret, interea tamen Papiæ iuris vriusque professores, sed & Parisij maius aliquanto diuinæ humanæque sapientiæ gymnasium instituit, ex quo quam multi omnibus disciplinis conspicui Christianum orbem veluti micantia sydera illustrauerint, tam mihi nimirum dictu reor difficile, quam longum vel summos hominem flores nobilitatis Francæ delibare vel nuda deuictarum prouinciarum commemorare nomina. Hic ille cuius fœlicitatem miratus Oriens ab India vsque Legatos cum muneribus amicitiam eius petentes misit. Hic denique ille est Carolus, quem Augusto parem fuisse atque adeo maiorem haud immerito contendimus, nisi quod nec vim patriæ intulit, nec Imperium armis inuasit, neque consules de se optime meritos extinxit, neque ciues suos truculentissime proscripsit, neque collegas & consanguineos ad mortem compulit. M. Sergio Fortitudinis principatum Romanæ tribuunt litteræ sed hunc nemo sanæ mentis Rolando parem dixerit, cum hic non modo Francorum suffragiis sed & Italiæ prædicatione orbem suæ virtutis ammiratione impleuerit, ille vel apud suos ignobilis raro studiosis occurrat. Hic cæterorum quoque patriciorum nostrorum decora prudens transeo, Siciniis, Coruinis, Torquentis, Capitolinis dentatis nimirum anteferenda. Sed quoniam Francorum armis Religio semper Comes, immo dux fuit (quod enim bellum non Religionis causa suscepimus? aut quod illi assetendæ gratia pietatis vnquam gessere? Certe si Romanos armis vincimus & Religione superamus. Est ne Ro. Po. Religiosissimus aliquando dictus? An regum An consulum? An Imperatorum quisquam? Nihilminus. Quæ enim Religio apud illos esse potuit: quos auaritia & luxuria (pugnantia sane vitia) occæcarunt & superstitiosus deorum cultus in sacrosanctæ fidei assectatores semper animauit? Nam ridiculum illud Numæ de Egeria commentum tam facile contemnimus quam Senatus anxie eius nefandos libros flammis abolendos curauit. At vero Francorum Reges maximus orbis consensus ob eximiam in superos pietatem exosumque impiorum genus Christianissimorum cognomento nobilitauit, quo demum effectum est vt Parthis, Scythis, Indis, Turcis, Aphris omnes Christiani vno Francorum nomine veniant. neque iam sibi cum Hispanis, Italia, Anglis, Germania, Dacis aut Pannonia futurum negotium putent sed cum Francis, adeo vnius gentis arma totam illam Mahumetis superstitionem exercuerunt & sæpe alias profligauerunt. Cuius rei laudem cum alij haud pauci parturierint, peperere nimirum Caroli & Gothofredus Bollionius in quo nihil obscure pompei magnitudinem superamus, si Gothofredi ductu sub Francorum signis sexcenta peditum, centum equitum millia stetisse æstimes necnon adeo pacate militasse vt ne suspicionem quidem seditionis vllam dederint, tametsi per Germanias Italiam, Pannonias, Græciam, Thraciam & omnia prope maria tam numerosus exercitus est in Asiam deductus, vnde militaris disciplinæ scientiam & auctoritatem Gothofredo nusquam defuisse colligimus. Eius porro virtuti ac fœlicitati subscribent Bithynia, Lydia, Gallogræcia, pisidia, Caria, Lychaonia, Pamphylia, Armenia, Cilicia & Syria Francorum armis domitæ. Pompeius in profligando Mithridate quem & Sylla iam fuderat & Lucullus paulo ante vicerat, & filij etiamnum obsidebant, omnes Romani Imperij vires defatigauit. neque sic tamen miserandum senem conficere potuit cum à Romanis starent Deiotarus, Polemon, Attalus & Ariobarzanes Asiatici Reges, Gothofredus haud temere aliis quam gallicis septus ducibus, captis, in deditionem acceptis, cæsis Turcarum, Ægyptiorum, Persarum, Babyloniorum, Arabum plusminus centies tricies nonaginta milibus Mesopotamiam & Palestinam cum Hierosolymis ab impiorum iugo liberauit. Pompeius domitium Sullæ fugitiuum in Africa profligauit, Gothefredus singulari certamine Arnoldum Saxoniæ Regem & regno & vita priuauit, gentemque ferocissimam post multas clades ad officium retraxit. At Pompeius Cilices Pyratas toto mari expulit. Hic dixerim Gothefredi nomen Pyratis omnibus tam formidolosum extitisse vt nemo toto eius principatu Pyraticam exercuerit. Sed Pompeius Celium Carinnam & Brutum parua manu fudit. Esto dum Gothefredus cum duabus semiplenis legionibus quinquaginta

A quinquaginta Ægyptiorum millia cum Abdela eorum duce profligauerit ex eisque triginta millia cæciderit. Quintus Flaminius Ætolorum virtute fretus Philippum Macedonem tributarium reddidit: Almaricus Andegauensis sola Francorum manu fultus Ægyptum sibi stipendiariam fecit, quam eo nomine multis expeditionibus à Noradino Tyracino & Soladino strennue tutatus est. Tertium vrbis conditorem C. Marium Ro. Po. appellauit, quod Cymbros & Theutones ab Italiæ ceruice depulisset. Nos Gothofredo dentato nullum festiuius agnomen excogitabimus contenti docuisse hoc vno apud Romanos prestantiorem fuisse neminem, quod & Cælosyriæ Regem Greciæ imminentem nauali prelio vicerit, & Damascenum Salthanum cum sexaginta millium Barbarorum exercitu profligauerit, & Ioppen atque Baruchum maritimas Iudeæ vrbes post ingentem Sarracenorum cædem euerterit, & Gallophrynum Ægyptium Regem Christiani nominis osorem propria manu trucidauerit. Nunquam de Iugurtha Marius triumphasset, nisi profugum Numidam à Calfurnio primum, deinde à Metello Elephantis armis & pecuniis exutum regnoque pulsum Sylla licitatore à Boccho tandem emisset, vt non iam victi Iugurthæ sed mancipij cuiusdam pudendũ ciuibus suis spectaculum præbuerit. Atqui Dentatus noster, B post subactos multis præliis Britones procerissimum eius gentis non tam hominem quam gigantem Grimoaldum memorabili duello confecit atque diuersa mundi perte superatum Austriæ ducem, cum multis Germaniæ regulis captiuum abduxit. Fœlix Sylla & quod hostes fortiter vltus est, & quod postremum seruorum Mithridatis Archelaum tota Hellade expulerit. At qui multo fœlocior Balduinus quem Bizantino potitus Imperio Achaiam, Peloponessum, Euboiam, Thessaliam, Misyam, Thraciam, Pontum, Sarmatiam, Capadociam & Cyprum suis opibus adiunxit, subacta etiam Macedonia illa, quondam Imperio terrarum potita, Athænis quoque & Sparta, quarum hæc virtutis & constantiæ doctrinarum: illa & humanitatis parens habita est. Quid plura? An non haud ita multos post annos Carolus Andegauus diui Ludouici frater cum Manfredo Apuliæ, Calabriæ, atque Siciliæ tyranno debellauit? Non illum acie victum & regno & vita spoliauit? Non pari successu Conrardum ferocissimum Germanorum Regem prælio exceptum fudit, retractum ex fuga cum Austriæ duce supremo affecit supplicio? Non eadem de causa post tetram Hispanorum stragem in Henricum Castulonis infantem Sardiniæque Regem circa reate captum hostiliter animaduertit? Quod eo tendit ne aliquem nobis defuisse existiment qui clare illi cohorti obiici queat: quam Alexandro Macedoni parem arbitrabantur futuram. Senatus enim ille quem Cyneas ex regibus constare dixit toties à Pyrrho victus in eadem Italiæ parte Greculum vnum Regem haud vnquam sustinuisset, nisi domesticis seditionibus reuocatus hostis bello abstinuisset. At ne Camillum extra omnem comparationis aleam positum arbitrentur, concurret C huic secundo vrbis conditori Balduinus Burgensis, quando vt ille dictaturam, ita hic magno Christianorum assensu Hierosolymitanum regnum tenuit. Camillus Vehios decennium obsessos non expugnauit quidem: sed effosso cuniculo furtim cepit, Latinos ancillari commento castris exuit, & vrbem à Gallis nihil minus quem bellum cogitantibus violata pace fraudulenter recepit: quam perfidiæ maculam diluisset Phaleriorum obsidione quos suæ virtutis admiratione ad deditionem inuitauit, si flagitia qualibet virtute pensarentur, & mala bonis paria essent vel pari numero. Nunc quæ Balduinus in Syria gesserit, attendite. Borsetum Comagenum Regem in valle ramorum fudit. Gazim minoris Asiæ ducem Hierosolymas infesto agmine petentem aperto marte superauit captumque in vincula coniecit. Damascænum Solthanum quater collatis signis cum multo inferioribus copiis fugauit. Borsequinum Turcarum principem multis cladibus afflictum fuga sibi consulere bis coëgit, Ægyptios secus Ascalonæ mœnia ad satietatem cæcidit, & innumera oppida partim recepit partim expugnauit. Nec propterea Camillus insignior, quod patriam ab hoste quomodolibet liberauerit, vt enim maius est inoffensa valetudine humanum semper vegetasse corpus quam ægrotum a morborum vendicasse iniuria, sic longe magis Camillo laudandus Balduinus, quod vel à prospectu Hierosolymatum Sarracenicam Turcamque barbariem irrequiete passim irruentem ita arcuerit, vt eos aut in hostico aut certe in confinibus fere nunquam non vicerit. Quod si nos Italia non omnem maiorum suorum nobilitatem ex solido recensuisse dixerit, Nolim id maligne factum interpretetur, cum nec præclara Francorum

LVDOVICVS NONVS. quoque facinora ex asse retulerim. Sed & prætereunda consulto fuere nonnulla, A
quæ non tam nobis decori quam Romanis dedecori futura videbantur, non quod tales viros tulerint, sed quod eos monimentis suis tantopere nobilitauerint. Boni itaque consulant si publicolæ ambitioni, Torquati parricidio, Fabij cunctatoris vt putat Scipio ignauiæ, vt omnes fatentur inuidiæ, Catonis inhumanitati, Gracchorum seditioni, Crassi auaritiæ, Antonij crapulæ pepercimus, Nam cum Paulo Æmilio Dagobertus contendet, & si qui apud eos alij principis notæ sunt viri, cedent haud dubie Theodorico Clodouei, Carolomano Martelli, Ludouico Pio, Galeno Rhetorato, Carolo Caluo, Ludouico Balbo, Lothario, Roberto, tribus Hugonibus, Arpino Biturico, Balduino Bollionio, Raymundo Tolosati, Ludouico iuniori, Simoni Montforto, & Lysigniacis, quorum illustris familia celebrem Metellorum domum & fœlicitate & gloria porro superauit, vt enim illa Creticis, Balearicis, Macedonicis, Dalmaticis & Numidicis superbit, ita Lysigniaca gens tanquam regum seminarium & Cypro & Armeniæ & Mesopotamiæ & Bohemiæ & Aragoniæ Reges dedit, Orienti vero & Occasui Imperatores. Hic tota Romanorum factio exclamabit quidem Europam & Asiam ac (vt mox ostendetur) Africam quoque deuicisse. Cæterum nunquam eo nostratium fœlicitatem extulisse caput, vt terris B
soli moderarentur, quarum Imperio cum ipsi præfuerint, Quiritum gloriam nostra superiorem proculdubio euadere. Quibus responsum velim, ne togatos illos quidem rerum fuisse aliquando potitos, cum enim enunciamus Romanos orbem domuisse plus dicitur quam actum sit, quemadmodum & cum Alexandrum terrarum victorem appellamus. Sed imperauerint sane maximæ terrarum parti, non propterea tamen Francorum luminibus obstruxerint, dispari siquidem ratione bella vtrinque suscepta sunt. Francus vt oppressis adesset, Romanus vt oppressum iusta & opprimentem ipse opprimeret. Francus vt regna seruaret, Romanus vt excideret. Francus deiectos in libertatem restituere, Romanus ingenuos in seruitutem trahere. Francos ad arma Christi Religio, Romanos ambitio impellere. Francus cum orthodoxæ fidei hostibus, Romani cum sociis & federatis bellare, Illos in Africam auaritia traxit, diuum Ludouicum propagandi Christiani nominis pietas. Illos Syriacæ diuitiæ ad inuadendam Asiam sollicitauerunt, ad quam seruitute liberandam Francos inuitauit Hirosolymarum captiuitas, Græciam illi nulla iniuria lacessiti rapuerunt quam impulsis humani generis perduellibus Balduinus asseruit. In summa Francorum is semper fuit animus, ea liberalitas, ea animi magnitudo vt non tam propagare fines, quam vrbibus leges: gentibus reges, omnibus libertatem dare studuerint, nec sibi sed Christo vincere arduum & pium duxerint: Contra Romani nulla habita fœderis humani ratione, omni abiecta pietate, omni calcata æquitate veluti gentium latrones rapina, ruina, ferro, incendio orbem terrarum frænare conati, eo nimirum fastigij subierunt, vnde grauissime ruerent, C
vt prostrati Francum victorem suæ fœlicitatis olim intuerentur, Conferat hic (oro) aliquis refugas Hispanorum acies, qui suis in sedibus tanquam latebris delitescentes toties Francis prædæ fuerunt, quoties iusta acie congredi sunt ausi. Glorietur hic Germanus & corporis molem & ferocem audaciam ostentet, si tam seruiliter diu Francis paruit, quam sese domi semper inglorius continuit, Cedat Pannonia quæ suæ vastitatis solum vltorem Francum cæsis Gothis & Hunis sperare potuit. Roma vero, quod ab Herulis inuasa, à Sarracenis violata, lacerata à Vandalis, capta à Visigothis, ab Hunis direpta, ab Ostrogothis euersa priscam ex parte dignitatem vrbisque formam receperit, Francos vt salutare aliquod numen veneretur, memor Carolum magnum sublata Longobarborum tyrannide (qua latinum nomen cum Romanis litteris pessum ibat) Italiam ab obliuionis iniuria asseruisse Maximus ipse pontifex suæ maiestatis vindicem, & quo nemo de sede Apostolica aut frequentius aut præclarius meritus est, Francum agnoscat, foueat, amplectatur quando enim maior fuit admiratione pontificium nomen? quando à Regibus & cæteris mortalibus tantum Apostolicæ sedi tributum quam cum Barione successores in Francorum principum fuere tutela? vt cum Marco Sabellico æquum sit dicere, non minus Romanæ Ecclesiæ quam reliquæ Italiæ Calamitosum esse quod à Francis ad Germanos translatum sit imperium. Verum enimuero cum omnium confessione religionis & armorum palmam Romanis eripuerimus, Reliquum est. P. A. vt & eruditionis splendore Italiam Francis cedere ostendamus. Nec id

vtique

LVDOVICVS NONVS.

A vtique (præter multorum expectationem) arduum fuerit. Quippe de vtrius eloquentiæ laudibus nobis controuersiam faciunt. Sed quæ tanta est oratoris in inueniendo subtilitas, in distribuendo diligentia, in eloquendo copia, in dicendo tum memoria pronunciatio, vt physicarum rerum indagationi, vt morum vitæ rationibus, vt disserendi subtilitati, vt Arithmeticis supputationibus, Musicæ concentui, dimensionibus Geometricis, Syderali diuinitati, Medicæ vtilitati atque sacratissimis Theologiæ mysteriis collidi possit? Quibus disciplinis quantopere vel sola parisiorum Academia reliquum orbem vicerit (vt Romanorum Pontificum Architrenijque haud minus crebra quam illustria elogia transeam) assiduus testis edocebit Mantuanus alter poëta, alioquin Franco nomini infestus, apud quem Paulus Areopagitam Dionysium Galliarum Apostolum ita compellat Caroli præcinens magnitudini.

Nunc desit Gallis vllum decus, illa per orbem
Clara, per Æthiopes, nigros audita per Indos,
Illa tuæ quibus in cœlum tollantur Athenæ:
Tot sophiæ fœcunda bonis: tot lucida claris
B *Scriptorum ingeniis: quæ tanquam sidera lumen*
Æterno splendore ferunt, gimnasmata primus
Transferet ad Gallos. Mox subdit
Et tua de Graiis migrans Academia campis
Ibit ad occasum: vacuasque relinquet Athenas.

AVDISTIS. P. A. Athenas in Franciam concessisse? & tale super Francos Baptistæ Mantuani fuisse iudicium, quale Apollonij Mollonis de Cicerone? Et tamen an Romani litterarum gloria Atheniensibus cesserint in dubium qui reuocat is dubio procul de omnibus dubitat. Ergo & studiorum laudem Romanis abstulimus, & doctrinarum decus, vt Atheniensium hæredes nobis merito vendicamus. Hinc illa per vniuersam Galliam sparsa litterarum gymnasia, cum summorum antistitum Regum Imperatorumque liberalitate opulentissima: tum omnium liberalium disciplinarum professoribus, nec non studiosæ iuuentutis multitudine nobilissima: Nam præter Parisiensem scholam, & suas habent diatribas Colonia, Louanium, Moguntia, Treueris, Basilea, Auenio. Iam celebrantur Bardegalia, Pictauium, Tholosa, Nanetum, Aurelia, Caturcum, Ad hæc Cadomum, Biturix: Andegauum, Valentia, Monspessulanus, Dola, Hissidorus & Biliomus. Quotusquisque est in tam numerosa priscorum Romanorum turba, qui præter linguæ lenocinium, superstitiosam verborum festiuitatem calamistratæ oromnis cincinos, aliquid ex naturæ sacrariis depromptum, aut ex cœli regia huc translatum, commode, sapienter apte tractauerit. Franci autem quam omnis sermonis eliminato fuco, quam omni C relegato exotico ornatu, sint in disquerendo prudentes, in explorando circumspecti, graues in considerando, in disserendo versuti, religiosi in decernendo, ingenue omnes Europæi fatentur, in Galliam commeando sanctioris doctrinæ gratia, vt quondam in Ægyptum Græci, ipsique Romani Athenas, & Massiliam. Cæterum quia eloquentiam veluti filiolam exosculantur suam, non dixerim, quod ex ipsis quidam, haud aliud oratoris esse quam mentiri, decipere, circumscribere, præstrigiari. Fallax verborum modulamen non nisi ad circumagendam Imperitæ plebeculæ multitudinem pollere, sapientem à proposito, linguæ tectorio auerti nunquam. Francos patrij sermonis suos habere oratores. Et inter eos vnum Octauianum à sancto Gelasio, quo Romanos omnes poëtas Rhetoresque fere prouocamus. Sed illud dicam. Lu. Plotium Lugdunensem Romanos primum docuisse Rhetoricem, Tullius certe Latinæ facundiæ antistes sese ab eo prima Romani eloquij rudimenta didicisse fatetur. Quid satyricus Aquinas non peculiari apposito Gallos ornandos putauit?

Gallia causidicos docuit facunda Britannos.

QVID Lucianus ille Samosatenus in nullam alioqui gentem, haud debacchari solitus, non lepido apologo ex Herculis statua Gallicam eloquentiam insinuauit? Audiamus (quæso) diuum Hieronymum in vigilantium. Sola (inquit) Gallia monstra non habuit. sed viris semper fortibus & eloquentissimis abundauit. Quid Crinam? Quid Charmidam Massilienses commemorem? quorum ille ob sideralem Mathematumque peritiam Romani populi fata Nerone principe rexit, hic damnatis

LVDOVICVS NONVS. Chrisippi, Erasistrati, Herophili, Asclepiadis, priscorumque medicorum placitis, A omnibus tam Græcis quam Latinis reclamantibus medendi artem immutauit, adeo vel eruditione vel eloquentia vterque præstitit? Quis Pithia Cosmographiam repræsentauit apertius? Quis Lu. floro historiam compendiosius elegantiusque texuit? Quis Hilario diuina tractauit diuinius? Quis Hirenæo Lugdunensi hæreses proscidit acerbius?

QVIS victorino aquitano Paschal dibi cursum numerosius stabiliuit? Quis animæ essentiam Claudiano subtilius aperuit? Quis Faustino diuinam gratiam cum libero arbitrio copulauit sanctius? Quis omnes dicendi veneres Remigio excoluit blandius? Vincentij nitidum apertumque in dicendo eloquium eo certe magis suspiciendum existimo, quo modestius se sua gloria peregrini inscriptione defraudare conatus est. Saluiani quam sublimis fuerit doctrina, cognomen eius declarat, qui vnus à condito æuo Episcoporum magister dictus est. Quid paterium? Quid Genuadium? Quid Musæum referam? Quid Euridemum? Stacium Surculum Seuærum Sulpitium? Rheticium? quid duos consentios, patrem & filium? quid Herdicium? quid claudium quirinalem? quid Eucherium aliosque innumeros diuinarum humanarumque rerum peritissimos, in quibus eloquendi artificium & eruditionis altitudo de principatu certasse videri possunt? At forte defuerunt nobis poëtæ. B Cuiatem igitur fuisse communiscemur Statium Cæcilium? cuiatem Antonium Gniphum? cuiatem Decium Ausonium? cuiatem Atacinum varronem? Qui Sydonius Apollinaris? Qui Valerius Cato? Qui Prosper Aquitanus? Qui Pontius Paulinus? Qui Dephirius? Nostra est Seueriani tuba. Noster Sebastianus Cadurcus, Noster Asser Lampridius quibus succenturiantur Tetradius, Faustus Gallus, dulcis Antidius. Sed vnde ille maiestatis Vergilianæ censor? vnde illud Auli Gelij oraculum? vnde ille quo neque doctiorem neque eloquentiorem Roma vidit Phauorinus? At qui ne temporibus his inuidere existimer: par fuerit & nostræ ætatis lumina attigisse, eos dumtaxat quorum iam inuulgata monimenta fidem Italiæ facere possunt, nihil me comminisci, nihil amplificare nihil extollere, sed prænudas quosdam rerum notas decurrere. Itaque vt à vatibus ordiar, In Belæio etiamnum ephebo poëticam indolem demiraberis. In Germano Brixio facilitatem, in Varannio simplicitatem, sanctitatem in Burro. elegantiam in Iacobæo, in Delpho candorem, in Pio ingenium, In Conrardo varietatem, acumen in Briando, in Castello eruditionem. Dicet Budæus diligenter. Briconetus leniter, Narrabit aperte Sciffelus. Eloquetur grauiter Tisardus, apposite Badius, Gaguinus luculenter. Pinus scite, duo Eernandi splendide. Erasmus copiose, acute, nitide, Faber Stapulensis philosophice. Cuius incude expolita, iam pure loqui didicit philosophia. Clichtouei casto sermone, Theologia melle dulcius concionabitur. Litteratura Bouilli Mathesi rubiginem detersit. Copo duce medici & cum eloquentia morbos curabunt, præeunte C Champerio omnes philosophiæ partes tentabunt. Neque singulis has solas inesse virtutes existimo, sed his insigniores, cum nemo ex eis & prosa & versa oratione non polleat, nemo item quin sit aut medicinæ, aut philosophiæ, aut iuris, aut Theologiæ consultus, omnes fere atticissantes, plerique Hebraicæ periti, nonnulli & Chaldaicæ. Quod si ingeniorum delectum agere per tot disciplinarum genera, ac tantarum rerum operumque varietatem, his temporum angustiis liceret, si illos rursus in medium proferre qui ex vberrimo Parisiorum fonte, nectareos solidæ doctrinæ latices hauserunt, ostenderem, proculdubio, vnam Francorum gentem plures in quocumque genere eximios vel tulisse vel extulisse, quam reliquæ terræ. Cæterum tempus appetit, vt diuo Ludouico regum neminem posse comparari, nedum æquari palam faciam. Ideo autem vnde alius auspicatus fuisset, inde finem dicendi fecimus, cum vt perpetuus historiarum nostratium contextus, secundum gestarum rerum seriem distribueretur, tum vt post Europam & Asiam Francorum armis domitas, huius vnius diuinitate Africam rebus nostris accessisse probarem ac tantæ controuersiæ Colophonem imponerem. Sed nec ab eius claris natalibus sumam initium, nec fastigio humano augustiorem indolem commemorabo, nec quibus miraculis diuorum ascriptus Cathalogo inter superos celeberrimus Reges Cæsarum diuinos honores rideat. Nempe flamines, Circenses, Sodales, euolantemque in cœlum Aquilam. Illa vulgo nota sunt, nec piorum vocibus non decantatissima. Ergo à victoriis Tropheis & triumphis incohabimus, perinde ac tamen Caroli Andegaui,

A gaui, decoris ista collimarentur. Cum itaque tam prospero successu, tanta armorum gloria (& quota eorum portione commemorata?) Francorum virtus qua Sol oritur, qua occidit, qua nunquam accedit haud semel cognita, victoriæ suæ terminum Africam statuisset, ne non & maiorum nostrorum gloriæ Meridies quoque accederet, ne non & cum Africanis & Asiaticis Scipionibus duce aliquo congrederemur, cuius hodie memoriam colimus sacratissimi regis præstitit pietati coniuncta magnanimitas, Hic enim post concussum orientem, Phœnicem, Palestinam, Arabiam, Ægyptum, variis affectas cladibus, vt Christiana religio, Lybiæ quoque aliquando innotesceret, validissima instructus classe, intercepta obiter Meninge Lotophagitarum insula, Carthaginem illam, cuius imperij fines Ægyptus & Atlanticus Oceanus terminarunt, haud citra fœdissimam Pœnorum stragem expugnauit. Cepit Carthaginem, cui Sicilia, Sardinia, Hispania paruerunt, diripuit Carthaginem quæ (vt aliæ dissimulentur clades) Hannibalis ductu quadringentas Italiæ vrbes incendio consumpsit sexcenta hominum millia diuersis præliis interfecit. Sed quia & Romani Carthagine quoque potiti sunt, viderint diui Ludouici an Scipionis æmiliani maior hinc arguatur gloria? ille prius exarmatam & iuuentute & classe & Elephantis exhaustam omnique præsidio à multis retro Consulibus B Perfide nudatam, Europæ Asiæ totiusque fere Africæ viribus & (quod mireris) ipsorum quoque Pœnorum armis oppugnatam vix ineunte quadriennio expugnauit. diuus Ludouicus solis Francorum copiis stipatus cum vrbi tota Libya propugnaret, eo quo primum eam vidit die rapuit atque euertit.

At maior Africanus Syphacem vicit & Hannibalem, quasi vero diuus Ludouicus & Numidas & Mauritanos & Getulos (qui ad soluendam Tuneti obsidionem, tanquam ad commune extinguendum incendium confluxerant) non multis etiam præliis fusos ad facietatem cæcidisset. Scipionis Æmiliani quam vile nomen Romanis fuerit, hinc liquet, quod ciuium suorum manibus strangulatus nullum sui desiderium reliquerit. quæ enim de morte eius habita quæstio?

Africani quoque Senioris victorias non tam virtute quam fœlici temeritate partas & Albinus Cæsar indicauit & multo ante populus Romanus idem sensisse videtur, cum illum victa Carthagine publico iudicio damnatum relegauit.

Contra diuus Ludouicus & suis tam charus & hostibus vsque adeo formidolosus fuit, vt cum in ipso Africanæ victoriæ cursu cœli intemperie expirasset, neque potentissimus hostis ferocior sit factus, neque Francus tanto casu consternatus animum demiserit. Nam & hic Ludouici numine fretus maiore aliquanto vi ac prius, Libicas opes exercuit, & ille pacem multo obnixius resarcita totius belli impensa præterquam annuo tributo redemit, hac insuper lege vt liberum esset iuratis in verba diuorum Francisci atque Dominici Christianum dogma toti Africæ an- C nunciare, nec cui præterea fraudi aut noxæ foret Christianis sacris initiari.

Quis itaque huius exitum, non illorum triumphis prætulerit? si & in eo Orthodoxam fidem propagauimus, & Christus ex pia acie strennuissimum quemque pignerari solet? Quid superstite rege aut sperari maius aut optari improbius potuit? Immo Romanis, quid profligato Hannibale? quid excisa Carthagine amplius contigit? vicerunt, vicimus, ceperunt, cepimus, diripuerunt, diripuimus.

Africanos reges fœderatos habuere, Franci & tributarios. Cæterum quia dispar bellandi causa vtrosque mouerat, ideo & dissimilis belli ratio fuit. Nam præterquam quod in diuo Ludouico Asiaticum Scipionem Syriaca expeditione æquauimus reliquos duos hac victoria eodem duce superauimus, diuinus præterea fauor Francis aspirauit, & quod illi bellis tribus annis plus minus quinquaginta innumeris expeditionibus iactura facile tanta, vt victores proximi victis fuerint, id Franci bello vno anno minus, singulari expeditione, damno si Romanorum clades, si hostium stragem æstimes prope nullo sunt assecuti. Sic diuus Ludouicus Fabios, sic Decios pietate in patriam superauit, si non pro vnius ambitiosæ vrbis tyrannide, sed Christiana repu. non modo fortunas suas & liberos verumetiam caput deuouit atque ita pulcherrima morte litauit. Sic Traianus de Parthis, sic de Britannis Seuerus quoniam iam nulli essent triumphauerunt. Sed forte nihil ab eo domi gestum. Quis igitur Francam nobilitatem in eum conspirantem compescuit? Quis Petrum Britonum Comitem & Angliæ Regem Henricum superauit? At ne sibi Romani longa Imperatorum serie blandiantur, quin potius vt Cæsareo sanguine tumidi

LVDOVICVS NONVS.

LVDOVICVS BONVS.

superbiæ modum aliquando statuant. Nonne Augustorum inertia Romana virtus consenuit atque decoxit? Nonne vbi ad vnius nutum publica deuoluta est potestas, martius ille impetus remisit, ac vrbicis delitiis eneruatus elanguit? Quid dictatore Cæsare optimatibus inuisius? quid ex eius nece argui potest. Quid Octauiano tot ciuilibus bellis, tot proscriptionibus exhausta Italia, eademque in prædam militibus data pernitiosius? funestius? Quid Tyberio in Capreis delitescente portentosius? siue prodigiosam hominis luxuriam, siue (quod de eius sæuitia prædictum fuerat) lutum sanguine maceratum consideres? Horret animus, quoties duæ illæ generis humani faces Caligula & Nero subeunt, quorum vt nefandissima scelera cum Claudij stoliditate transeam, quid tribus illis scænicis, immo Tragicis Imperatoribus Galba, Othone, Vitellio despicatius, mollius, auarius, fædius? Quid Domitiano incestuosius? quid crudelius? quid hoc ipso magis impium? qui & Dominus & Deus appellari voluit? Quid Commodi comessationes commemorem? quem senatus etiam Domitiano crudeliorem, impuriorem Nerone iudicauit? vnus est Antoninus cognomento Pius. Rex quidem inculpatus, & cui haud temere parem alterum inuenias. Sed ille tantus noster est. Nempe ex Nemauso ad Imperandum accitus. Quid cæteri? Mouerem profecto mouerem vel Romanis ipsis stomachum, si Didij Iuliani nephariam ambitionem, si Seueri perfidiam, si Caracalæ parricidia, si Heliogaballi execrabilem impudicitiam, si Maximini sæuitiam vel leuissime attingerem. Si ad hoc demum monstrificos illos naturæ abortus, Imperium rapuisse ostenderem vt innocentissimum Christianorum genus, vinculis, exiliis, fame, siti, equuleis, fidiculis, rotis, aqua, ferro flamma & ad Phalaridis inuidiam omnibus cruciatibus torquerent, laniarent, extinguerent. Quod si vt illi omnibus flagitiis pollutissimi, ita Francorum reges omni virtute ornatissimi extiterunt, quos inter diuus Ludouicus suo sibi iure principatum vendicat, operosum sane foret & inexhausti laboris opus, rarissimas huius & professoris & doctoris & regis dotes calculis nostris circumscribere. Quid enim generis nobilitatem iactare attinet? quid opes? quid potentiam? quid florentissimum regnum? cum hæc omnia (ad quæ mortale genus caligat) in eo summa fuerint, sed ea tamen vt caduca, vt friuola, vt euanida, nunquam in bonis duxerit, magno semper sit animo aspernatus? Hic ille est, qui nulla sordidæ cupiditatis macula respersus, neque vectigal vrinarum excogitauit. neque publicis administratoribus vsus est vt spongiis. Hic ille est, qui in Asia nullius meretricis reginæ flagrauit amoribus, neque innumeram deditorum multitudinem in mutuas cædes concurrere truculenter coëgit, neque Syracusano apparatu ad inediam noctem extendit conuiuia cum perditissimo quoque familiarium. Hic ille, qui nullum exoletum cognouit, nullum Antinoum muliebriter fleuit, nullum cinædum cœlo dicauit, nullum canem consecrauit. Hic ille qui philosophiæ prætextu nec collegam, nec fratrem, nec generum, suilla vulua sustulit.

REGIAS virtutes esse tradunt. Fortitudinem, Seueritatem, Magnanimitatem, Beneficentiam, Liberalitatem & Iustitiam.

SED quis hoc vno fortior? qui maiore animi constantia fortunæ acerbitatem tulit? cum in hostium manus transfugarum proditione deductus, nec minis perpetuæ seruitutis, nec terroribus fœdissimæ mortis in verba Mahumetis adigi potuit, vel eo certe adduci vt Christum eiuraret, quo factum est vt Ægyptius Tarquemenius regis constantiam demiratus illum statim in integrum restituerit, & incolumen cum omnibus copiis Ptolemaidam vsque perduxerit.

MAGNANIMITAS eius hinc argui potest, quod vt aduersam fortunam, generoso inuicto pertulit animo, ita etiam maximo secundam sit moderatus, quando neque opes moribus tradidit, neque in summo rerum fastigio vel quemlibet est aspernatus, vt alia omittam, notum est, qui regia seposita maiestate, egenis (quos frequentes alebat) ipse quotidie ministrauerit, vlcerosa mendicorum crura lauerit, & cum alibi fere semper, tum in Syriaca Africanaque expeditionibus diligens Christianorum cadauerum funerator vespillonis munus pientissime obierit, ratus nihil, neque esse difficilius, neque Deo gratius quam principalis fulgoris radios humanitati summittere atque sui contemptu Christianæ religionis amplitudinem illustrare, augustioremque reddere. Sed quis in vindicandis flagitiis & grauior & seuerior? si toto eius principatu vel frustra deierasse piaculum fuerit? & alias blasphemi linguam candenti stilo perfudi iusserit?

MAGNIFICENTIÆ

LVDOVICVS NONVS.

A MAGNIFICENTIÆ liberalitati ac beneficentiæ eius, innumeræ quas Deo sacrauit ædes, tot xenodochia, tot cœnobia non modo à fundamentis extructa verum & amplis insuper dotata prouentibus, & in hodiernum diem classicum testimonium ferunt.

IVSTITIÆ porro exempla quæ vbertas ingenij digerere posset? quæ tanta est dicendi copia, qui tam longus dies, quo immensas huius virtutes quisquam non dico eloqui sed dissignare queat? Itaque quod ille de Carthagine, id mihi multo æquius hac in tam superba censura dicendum autumo, satius esse de tanti herois laudibus tacere quam pauca dicere. Profectò nisi tam alieni continentissimus fuisset, quam in omnes munificentissimus, tam in alios indulgentissimus fuisset, quam in sese expiando acerbissimus, tam in superos pientissimus quam reis facillimus, omni in re pariter & vita æquissimus, nunquam in beatorum relatus numerum has nobis ferias celebrandas reliquisset. Proinde cum non minus inter Francorum reges vnus clementia, frugalitate, religione enituerit, atque cæteri gestarum rerum magnitudine Romanos indubie superarunt, cœlumque meritus Francorum Oratorem apud Deum optimum Maximum agat, Eia ergo Francigenæ Patronum vestrum colite, ad hunc pia vota dirigite, huius auxilium implorate. huius in clientelam
B confugite. Et quo vos officiosiores suoque numini magis ac magis addictos experiatur, stata hæc diuo Ludouico sacra haud minus celebri nationis vestræ conuentu quam pia animorum deuotione annuatim frequentate, celebrate, veneramini. Sed & quia vos illa Gallia nascentes excepit, natos aluit, æditos sustinet, quæ positura amænitate, opulentia, fertilitate, iam artium munimine, opidorum numero, templorum honore, iam virorum forma, robore, multitudine, auctoritate nulli terrarum parti cesserit, pluribus vero antistat, sed Italiæ potissimum cuius etiam incolas armorum præstantia, sacrorum cultu, artium claritudine, Principum virtute, Francis porro cessisse ostendimus. Agedum, & quod nunc facitis, maiores vestros regenerate, Romanos edocturi Francorum hanc semper fuisse gloriam, vt & militari disciplina, & religionis obseruantia & eruditionis amplitudine cunctis mortalibus antecellerent.

C

PHILIPPVS TERTIVS.

GESTA
PHILIPPI TERTII, AVDACIS DICTI, DEI GRATIA REGIS FRANCIÆ.

FILII SANCTÆ MEMORIÆ LVDOVICI NONI FRANCORVM REGIS.

Descripta per Fratrem GVILLELMVM DE NANGIACO Monachum Sancti Dionysij in Francia.

Editio Petri Pithei recognita & emendata ope duorum Codicorum MS. quorum vnus est in Bibliotheca Cœnobij eiusdem, alter in Bibliotheca viri clarissimi Alexandri Petauij Senatoris Parisiensis.

QVONIAM quidem dignis præmiorum titulis pretiosissimam Christi gemmam Ludouicum sanctæ memoriæ Regem Francorum apud Carthaginem defunctum, non vt dignus erat, sed sicut potuimus, extulimus: operæpretium videtur, vt carbunculus ab ipso exoriens in præclarissimæ ingenuitatis Francorum genere obsidem teneat: scilicet Philippus eiusdem filius verè laudum titulis excolendus. Nam quamuis illiteratus & actui sæculari fuerit aliquando deditus, totus tamen in fide Catholicus & erga Dei cultores extitit beneuolus ac deuotus. Hic igitur post decessum patris sui Ludouici Regis Franciæ gloriosi, qui dum in Africanis partibus Regem Tunarum cum valido Francorum exercitu expugnaret, migrauit ad Dominum, ad regni gubernacula & administrationem exercitus patri successit, anno scilicet ab incarnatione Domini M. CC. LXX. Veruntamen adolescentis animus adhuc rebus bellicis inexpertus, & corporis imbecillitas, quam ex graui infirmitate contraxerat, insufficientiam Principis in tanto regimine & in tanto necessitatis articulo minabantur. Turbato igitur aliquantulum Francorum exercitu, tum propter Regis Ludouici interitum, tum propter variæ fortunæ mutationem, subito classis illius nobilis Ecclesiæ defensoris, Caroli videlicet Regis Siciliæ illustris, in mari apparuit. Qui clangore tubarum tubicinibus aëra verberare præcipiens, quando classis in portu debuit applicari, audientium auribus, intuentium oculis mirabilem se reddebat. Exiuit ergo de nauibus illo die, quo Ludouicus Rex frater eius migrauit à sæculo, vel eadem hora, vt quidam referunt, qua spiritum exhalauit. Videns autem exercitum quasi corporis mania inuolutum, & nullum in aduentu suo signum lætitiæ præparari, nec Regem vel optimates aut Principes Francorum exercitus sibi obuiare, mirari cœpit, donec causa mœstitiæ fuit sibi & suis militibus intimata. Considerans autem & prudenter animaduertens, quod si suis signum mœstitiæ aut doloris in vultu prætenderet, per hoc posset eis metum aut desperationem incutere, & inimicis fidei videretur ministrare materiam insultandi. Igitur magnanimitate cordis dolorem reprimens intrinsecus de necessitate fecit virtutem, & vultum hilarem cunctis sibi obuiantibus offerens

A offerens intrauit exercitum cum tanta lætitia ac si fuisset ad nuptias inuitatus. Accelerans autem ad castra regalia, corpus Regis exanime reperit aliquantulum adhuc calore complexionali tepidum, cùm quasi incontinenti spiritum exhalasset. Mox humo prostratus humiliter breui oratione fratris animam Deo recommendans, affectu carnis & dilectione præcipua qua viuentem dilexerat, coactus est, vt dicitur, lachrymas fundere, si fas est credere pectus tam nobile corque giganteum modum muliebrem saltem aliquantulum induisse. Tunc vultu mœstitiæ deposito ab oratione surgens, corpus Regis condiri præcepit aromatibus præciosis. Clientes verò aulici & ministri, quibus hoc incumbebat officium, corpus Regis membratim diuidentes aquæ vinique admixtione tamdiu decoxerunt, quousque ossa pura & candida à carne quasi sponte euelli potuissent. Carnem tamen corporis eius excoctam & ab ossibus separatam, nec non & intestina ipsius petiit & impetrauit Carolus Rex Siciliæ à nepote suo Rege Philippo. Qui susceptas sanctas reliquias honorificè fecit eas in Siciliam deportari, & prope Panormum in quadam nobili & cathedrali Ecclesia Ordinis sancti Benedicti quæ Mons regalis dicitur præcepit tumulanda: vbi cum valde solemni ac deuota processione totius cleri ac populi terræ illius sepulta sunt. Ossa autem lotione mundissima pannis sericis inuoluta cum speciebus odoriferis in loculo B reponentes, in Ecclesia Areopagitæ Dionysij, quæ est iuxta Parisius in Gallia cum suis patribus antiquis Francorum Regibus loco & tempore tumulanda reseruarunt. Quippe in illa omissis cæteris elegerat sepulturam; quam semper amore piissimo in sua vita fouerat, & sub alis suæ defensionis semper protexerat ac priuilegiis munierat, coronisque aureis & ornamentis ditauerat pretiosis. In qua etiam quod maius est, corpus illius Martyris & Apostoli totius Galliæ Areopagitæ Dionysij cum suis sanctis sociis Rustico & Eleutherio & cum magna caterua Martyrum, Confessorum & Virginum; regni Franciæ & populi Gallici defensoris requiescens veneratur Gallicanus populus, ac cum magna deuotione & reuerentia mundus recolit vniuersus.

De loco vbi Rex Siciliæ iussit figi tentoria sua, & quomodo dominus Hugo de Bauceio perditus est.

LVDOVICI Regis obsequiis celebratis Carolus Rex Siciliæ iussit figi sua tentoria versus mare, quasi per milliare à magno exercitu nostratorum. Penetralia vero Sarracenorum distabant ab exercitu Christiano quasi per quatuor milliaria, versus suam ciuitatem Tunicij, qui quotidie erant consueti satis prope nostrorum exercitum accedere, & eos sagittis & iaculis infestare. Nostri autem, qui deforis speculam faciebant, & exercitum ab incursionibus subitis tuebantur, huc illucque prout necesse erat discurrendo, quandoque cum eis conflictum transitorium facientes plurimos occidebant. Et ipsi quandoque similiter videntes tres vel C quatuor de nostris ab aliis sequestratos, in eos impetum faciebant. Si autem vidissent centum vel ducentos milites de nostris ad eos properare, arripiebant fugæ præsidium festinanter. Moris enim Sarracenorum est, Christianos infestare cum iaculis & sagittis. Sciunt verò eos probos & audaces, & impatientes iniuriæ, & ideò cùm vident eos impetu furibundo accurrentes, fugæ præsidium tunc assumunt. Cùm enim eo modo quo diximus prope nostrorum exercitum vna die lacessendo sagittis & iaculis infestarent; quidam milites in armis strenui, scilicet dominus Hugo de Bauceio, & Guido frater eius, ac alij potentissimi bellatores vehementer indignati, quòd illi Sarraceni vilissimi in eos tam improbè insæuirent, super eos debito longius irruerunt. Quos statim alij superuenientes Sarraceni multis millibus includentes, graui pugna & multa strage suorum antefacta, eos ad vltimum vt creditur, occiderunt. Retulerunt enim quidam Sarraceni, pace composita, quibusdam ex nostris ab eis quærentibus si tales vidissent; responderunt, quòd occisi fuerant, & multos prostrauerant antequam interissent. Et vnus eorum maximè, qui duobus cruribus abscisis plures occiderat antequam interiret. Illis, vt dictum est, in Sarracenos impetum facientibus, fit tumultus magnus in exercitu Christiano, ita vt ad arma, ad arma vbique conclamarent. Quibus armatis, & extra fossata exercitus iam egressus, vt in hostes fidei Christianæ impetum facerent, subito ventus oculis nostrorum contrarius tantos turbines pulueris & sabuli, Sarracenis cum palis & aliis instrumentis hæc agitantibus & in altum iactantibus, per medium

PHILIPPVS TERTIVS. ætheris, excitauit, quòd vix alter in alterum poterat oculorum acie penetrare. Et ita nostri in hac die nihil operantes, in castris se traxerunt. A

De quadam victoria, quam nostri habuerunt iuxta Tunicium.

ALIA quadam die circa horam primam accesserunt Sarraceni satis prope exercitum Christianum cum lanceis & iaculis, & talibus armorum vtensilibus quibus vtuntur in prælio illuc quaque discurrentes, & in nostros, prout poterant, sagittis & iaculis debacchantes, vt ipsos ad prælium prouocarent. Erat enim illorum multitudo quasi innumerabilis, in tantum vt totam terræ planiciem viderentur operire. Vt autem nostris terrorem incuterent, altisonis tympanorum tonitruis & tubarum clangoribus replentes aëra, se reddebant terribiles & horrendos. O quàm erat eorum inanis & vacua opinio, qui fictis audaciæ simulationibus deterreri putabant, quos, eorum audito nomine, formidabant: qui etiam nihil aliud peroptabant, nisi vt ipsos ad prælium expectarent! Quorum insuper erat summum desiderium, & auiditas effrænata, omnem populum Religioni Christianæ contrarium abolere, & maximè gentem Sarracenicam extirpare. Videntes autem Franci eos ita cominus accessisse, æstu summæ indignationis accensi, ad arma, ad arma ingeminant, armari concita festinatione intendentes. Non enim se abscondere & conflictum euitare proponebant: sed qui prior exiret ad prælium decertabat. Armati ergo velociter equos insiliunt, certatim exeuntes, & per camporum planicies se distendunt. Sarraceni verò, qui proposito præliandi venerant, si vidissent se posse resistere, non putantes nostros fortitudine tanta & multitudine præualere, gressu velocissimo se retrahentes, fugæ beneficio se tutantur. Rex autem Siciliæ, qui ex aduerso longe ab exercitu tentoria sua figi præceperat, multo vallatus milite de castris suis festinanter egressus, in parte alia cursu velocissimo illos insequitur, non in proposito longius insequendi, sed vt ipsos tentaret decipere per cautelam, cuius ipsi etiam sunt doctores. Illos enim quasi per milliare insecutus retrogrado gressu laxis habenis fugam dissimulans cum suis, quos ad hoc priùs instruxerat, citò reuertitur, vt illos audaciæ resumpto spiritu se suosque induceret ad sequendum. Nec spe sua frustratus affuit; quia sic accidit vt sperabat, & dum nolentem fugari mira celeritate insequuntur, ab eisdem, qui prius illos fugauerant, includuntur. Rex autem cautelam suam bene prosperari conspiciens, signo dato suis celeriter redeundi, in medios hostes illorum sitientissimi sanguinis strictis gladiis inferuntur. Alij verò, qui à tergo illos, vt dictum est, infestabant, fugæ penitus beneficium auferentes, impetu furibundo exertis gladiis in eos irruerunt. Tunc strage nimia Sarraceni prosternati cæduntur gladiis more bidentium, sed murmur resonat & querimonia in eorum lingua nimis. Sarracenorum vero numerus, qui ibidem fuerunt obtruncati, potuerunt ad tria millia æstimari; excepta multitudine maxima, qui gladij interitum fugientes se in mari præcipites immerserunt. Alij autem, qui tantæ, cædis periculum fugæ remedio ad suos reuertentes putabant euadere, periculum aliud suis suorumque manibus præparatum præcipites inciderunt. Fecerant enim fossas profundissimas in sabulo aut propter aquas hauriendas, vt moris est apud eos, aut vt nostri, si eos insequi contingeret, intus caderent improuisi. Sed in insidias & laqueum, quem parauerat inimicus, ipse cecidit repentinus. Ceciderunt namque in foueas, quas fortè propter metum mortis obliuioni tradiderant, vel propter aspersionem pulueris & sabuli, quam ventus contrarius in tantum in facies eorum reuerberabat, quòd quasi cæcati non poterant præcaueri. Sic enim in illa die dedit Dominus vindictam seruis suis de inimicis, qui omnes penitus aut capti aut obtruncati fuissent, si nostros ad certamen vel certum prælium expectassent.

B

C

De galeis & castello ligneo factis contra galeas & tentoria Sarracenorum.

LOCVS autem, vbi sua fixerant tentoria Sarraceni, erat ex opposito contra castra nostrorum distans quasi per quatuor milliaria ab eisdem versus Tunicij ciuitatem. Erant etiam inter vrbem & Sarracenorum exercitum æquoris fluenta, inter fauces montium tortuoso limite redundantia in fluminis effigie decurrentis.

Siquidem

A Siquidem ipsi non poterant de suis tentoriis ad vrbem nisi nauigio commeare: quia lacus ille præ latitudine & profunditate sua pedestris viæ & pontis beneficium penitus auferebat. Quicquid igitur Sarracenis de exercitu & equis eorum erat necessarium, galearum & coquarum vehiculo ciuitas ministrabat. Quo comperto, Philippus Rex Franciæ, & alij Barones exercitus Christianorum, inierunt consilium, qualiter eis illius æquoris transitum, per quem ipsis vehebatur rerum copia, impedirent, vel penitus hunc auferrent. Nam hoc facto oportebat Sarracenos vlterius transfretare, & à loco eodem discedere, aut eorum exercitum propter necessariorum inopiam penitus inaniri. Præparata igitur multa lignorum congerie, castellum ligneum iusserunt fieri latitudine & altitudine competenti, & in tali etiam littoris latere munitum defensoribus collocandum, quod foret vtile ad Sarracenorum galeas & carinas expugnandas, quæ ab vrbe ad ipsorum exercitum transitum faciebant. Ordinauerunt etiam postea galeas fieri fortes, & omnium aliarum agillimas, balistariis munitissimas, quæ possent in æquoris alueo ab aduersariarum galearum incursibus prædictum castellum defendere, & transeuntes per lacum illum fulmineis occursibus expugnare. Quo definito, Rex Philippus cuidam carpentario operum suorum artifici doctissimo curam operis illius imperauit. B Qui cùm omnia sibi imperata subtilissimo opere consummasset, galeas ad littus nescio quo trahentes ingenio, in vndas æquoreas impulerunt. Quæ balistariis audacissimis & defensoribus munitissimæ, multo numero remigum impellente, super vndas lapsu velocissimo discurrentes, contra vasa hostium sui fulminosi impetus aciem direxerunt; & cum eis viriliter dimicantes, aliqua vasa eorum Sarracenis, qui intus vehebantur, nostris se reddentibus ceperunt, & in lymphis aliqua demerserunt. Castellum autem ligneum, quod similiter ad eos debellandos constructum fuerat, in loco proposito erigi pax interim composita non permisit.

Quomodo nostri Regem Tunarum & Sarracenorum exercitum fugauerunt, & tentoria eorum lucrati sunt.

Rex autem Tunarum volens muliebris suæ potentiæ virtutem ostendere, sperans Francos vndique circumuentos & expugnare & capere, aut saltem præ multitudine equitum & peditum territos à suis finibus perturbare, contractis vndecunque viribus, & aliquibus Sarracenorum Regibus in auxilium conuocatis, ingentes copias congregauit. Exierunt ergo vna die summo mane cum toto conamine pedites & equites per acies ordinati, altisonis clamoribus nescio quid vlulantes cum ingenti tonitruo diuersorum instrumentorum, longe lateque per camporum planicies dispersi, vt maior eorum numerus appareret, quasi locustæ totam C terræ superficiem tegentes, prima facie cum magno desiderio conflictum appetere videbantur. Quod videntes Christianorum exercitus custodes, ad arma, ad arma vociferant, clamore horribili exercitum excitantes. Franci verò subita turbatione commoti mira celeritate ad arma prosiliunt, loricas induunt, & desuper picturis variis secundum diuersas armorum differentias se distingunt. Armato igitur Rege Francorum Philippo, Rege Siciliæ, Rege Nauarræ, & aliis Christianæ militiæ Principibus, castris egressi mira securitate & audacia, se per campi planitiem dilatantes quasi per miliare in medio distante spatio se hostibus opponunt, se paratos ad prælium offerentes. Interea regum & principum quilibet militiam ad se recolligens, totum exercitum in diuersas phalanges secundum diuersos eorum duces variis differentes baneriis diuiserunt. Agmine igitur balistariorum equitum & peditum præcedente, fuit protinus ordinatum quis procerum primus in hostes irrumperet, quis secundus, quis tertius; & sic de aliis vniuersis. Et ne forte Sarraceni venientes à latere nostris longe præliantibus subitò in castra insultum facerent, scientes bellatores & robur exercitus in tentoriis non adesse, Comes Alansonis Philippi Regis Franciæ frater cum suo comitatu, & Hospitalis militia, sunt castrorum & infirmorum, qui intus remanserant, custodiæ deputati. Vexillo igitur sancti Dionysij erecto, omnibusque ritè dispositis, prout moris est ad bellum procedere, sonantibus tubis nostri milites in hostes primæ cohortis inferuntur. Sarraceni autem, qui tanta venerant arrogantia, videntes exercitum fidelium tanta

PHILIPPVS TERTIVS. numerositate ditatum, & per bellicosas acies tam decenter ornari, spe triumphi deposita, & pauore nimio dissoluti, nostris ipsos sequentibus fuga celerrima se versus sua tentoria retraxerunt. Tunc eorum probata est pusillanimitas & defectus languentis animi, cùm nec ante castra sua, vbi tutum debuerant reperisse refugium, ausi fuerunt bellum conserere: sed castris suis cum omnibus qui intus aderant prædæ expositis, fugientes vlterius transierunt. Tunc Rex Franciæ docto functus consilio, præconari fecit prohibitione Regia, ne quis ausus esset ad prædam manum extendere, donec diuina potentia concessisset eis ex hostibus victrici dextera triumphari. Sapienter enim hostium cautelam sic præcauit, quæ aliquotiens damnum permaximum intulit Christianis. Sæpè verò fugam dissimulant de spoliis suis facientes prædam sponte sequacibus, & diuitiarum dulci sapore allicientes ornari permittunt spoliis, donec eos rapacitati intentos & circumquaque discurrentes viderint ad propria remeare. Tunc reuertentes in eos subitò irruunt: & quia inordinatos per acies reperiunt, & spoliis oneratos, satis faciliter in eos suas iniurias vlciscuntur. Rex autem Franciæ & sui sequaces post turbas hostium per medium castrorum illorum iter accelerantes, tandiu illos insequuntur, donec eos montes ascendere, & inter fauces montium fugere coëgerunt. Tunc Rex videns viarum pericula, & difficultates montium, noluit eos vlterius insequi. Graue enim esset equis eorum propter insidentium armorum pondera rupes ascendere, nec nón & periculum latebras vallium locis incognitis introire. Potest enim paucorum numerus, in decisione montium angusti tramitis munimine tutus, multorum potentium millibus obuiare. Dum verò talia agerentur, quidam Sarracenorum inter ruinas murorum Carthaginis latitanes, cùm vidissent aliquos nostrorum peditum pauperes & nullius nominis garciones inter nostrorum tentoria & Sarracenorum castra incautè discurrere, & lucri cupiditate armorum fragmina colligentes, irruerunt in eos, & aliquos occiderunt. Rex igitur Franciæ, cùm virtutis materia defuisset triumpho, vacuus cum bellicosa Francorum militia ad Sarracenorum reuertens tentoria, inimicorum spolia suis prædam fieri liberali munificentia imperauit. Mox certatim milites, & qui lucri desiderio tenebantur ad prædam saliunt, pampiliones & tentoria passim diripientes, boues, arietes, panes, farinas & vtensilia, vel quæcumque rapere potuerunt, rapaci dextera prædati sunt. Sarracenos etiam, qui infirmitatis languore detenti cum aliis fugere non poterant, in suis tentoriis circumquaque iacentes in ore gladij peremerunt. Nec tali vltione contenti, per aceruos cadauera colligentes strue lignorum pampilionum succensa in ignium clibana proiecerunt. Quòd videntes alij, qui montium iuga fuga petierant, nimia indignationis ira succensi, super mortuorum suorum interitu lugubri lamentatione dolentes, hoc maximè incredibili tulerunt impatientia, quòd nostri mortuorum suorum cadauera combussissent. Sic igitur hostibus fuga lapsis, & eorum tentoriis tam manuum prædatione, quam ignis combustione deletis, Reges & principes aciebus suis, vt prius mouerant, ordinatis, ad castra propria reuertuntur.

De variis morbis & incommodis, quæ acciderunt tam nostris quàm Sarracenis; & quomodo Sarraceni petierunt treugas.

LVES autem pestifera ex aëris corruptione geminum sumens principium, ex aquarum maculatione & veterum cibariorum esu partim morbi causam concipiens, in Christianorum exercitu interim sæuiebat, quod plurima hominum millia suffocatrix extinguere, & plures qui mortis periculum euaserunt redderet imbecilles. Nec etiam Sarraceni huius cladis immunes aderant, imò passim eos aceruatim vt porcos per castrorum suorum tabernacula iacentes morbus consimilis affligebat; ita vt eis præsentis vitæ beneficium auferret, & eorum animas ad tartaros mitteret gehennæ flagitiis perpetuò cruciandas. Vnde Rex Tunarum propriæ saluti consulens, timens incurrere commune periculum, in exercitu suorum Satraparum, vt creditur, nunquam comparuit: sed, vt dicebatur, aëris corruptionem fugiens, se sub speluncis subterraneis abscondebat, vt vitam sibi tali remedio reseruaret. Affirmabant enim Sarracenorum periti seniores, qui multa rerum experientia olim cognouerant, hoc ex aëris intemperie prouenire, atque ex inferiorum rerum

A rerum macula cladis materiam huiusmodi generari. Interea verò Rex Tunarum cum suis Satrapis videntes gentis suæ & patriæ periculum imminere, & eos tam pestiferæ cladis, quàm Francorum gladiis interire: considerans etiam contra tantæ gentis fortitudinem in acie non posse resistere, consilium cum suorum prudentioribus iniit, scilicet quali pacto, vel qua pacis compositione, ex quo vi superare aut repellere non poterat, suos fines à tanti populi debacchatione liberaret. Verumtamen, quia in gestorum confectione mentiri nefas credimus, cum in talibus non debeat rerum veritas reticeri, nostri status exercitus iam in parte clade pestifera diminuti, salubris aëris recreatione & nouorum ciborum beneficio plurimum indigebat. Carnes enim recentes, gallinæ, cæteraque volatilia, omniaque recentia cibaria, quando reperiri poterant, carissimè vendebantur. Tentantes igitur Sarraceni, vtrum Reges & Principes Christiani exercitus vellent paci treugis consentire, miserunt nuntium, vt ex parte illorum peteret ea quæ pacis sunt, & eis responsa nostrorum Principum reportaret. Qui festinus prope exercitum nostrorum accedens, vt aliquis ad ipsum accelerans suæ petitionis copiam exaudiret, & super hoc consulerent Principes Christiani exercitus, signum dedit. Tunc ad illum accedens B vnus ex nostris militibus, qui linguam Arabicam intelligebat & loquebatur, intentionis suæ summam nostris Regibus & Principibus intimauit. Rex autem Franciæ super hoc considerans in partibus illis parum aut nihil posse proficere, & tempus in otio deducendum, cum regio foret exilis & sterilis, & à circunstantibus hostibus occupata, qui ideo deleri non poterant, quia nolebant in acie decertare, nec nostros ad certum prælium expectare; sed vt canes oblatrantes, vt eos afficerent tædio, quandoque cominus infestare, postea fuga velocissima per abrupta montium transuolabant. Item considerans quòd si ciuitatem vi caperet, quod satis facile fieri videbatur, pro sola ciuitate tuenda, quæ occursibus hostium erat circumquaque exposita, oportere ibi aliquem ex Principibus cum parte exercitus ciuitatis custodiæ mancipari, & sic exercitum fidelium ad maiora profuturum multa numerositate minui, cùm vlterius ad partes Syriæ ex principali proposito transfretare intenderent, & hostes fidei Christianæ illis in partibus expugnare. Summa ergo consilij Regis in bimembri diuisione consistens talis erat: scilicet Sarracenos quantum reperiri potuissent occidere, vrbem prædatam destruere, & destructam cum tota regione taliter derelinqui. Sed de consilio Regis Siciliæ & Nauarræ, & aliorum optimatum exercitus Christiani, multa munera & infinitam auri summam pro expensis accepturus, tandem treugis habita deliberatione consensit. Verumtamen simplex militia & vulgi communitas spoliis hostium, vt dicitur, inhiantes, & istam compositionem nullatenus acceptantes, vltum iri in hostes fidei, vrbem capi, & funditus dirui vtilius & honorabilius iudicabant. Regem autem Siciliæ quasi per C similitudinem obiurgantes, dicebant; consilium Achitofel vtile eius machinatione, & consilio dissipari, qui propter hoc huiusmodi treugarum concessionem procurarat, vt Regem Tunarum metu Francorum perterritum iam annis pluribus à solutione tributaria dissuetum, per talem quasi pacis compositionem in solitum tributum reduceret, quod antea annis aliquibus non fuerat persolutum. Illud enim regnum regno Siciliæ subiectum est, & à longo tempore tributariis conditionibus obligatum. Tale murmur oriri cœpit in populo contra Regem Siciliæ sine causa. Cum communis simplicitas communi oppositioni consentiens, prorumpat multotiens in incertum, ignorans quid armorum debeat negotiis expedire.

De treugis & forma pacis factæ cum Rege Tunarum.

REGE igitur Franciæ, cunctisque Principibus, qui secum erant, treugis, vt dictum est, & quasi cuiusdam pacis conditionibus consentientibus, fuit inter eos & Regem Tunicij taliter ordinatum. Scilicet quòd expensæ, quas Rex Franciæ & Barones in via fecerant, deberent sibi totaliter in auro purissimo restitui: & decennes treugæ nulla interruptione decisæ vsque ad præfixum terminum vtrinque firmiter obseruari. Fuit etiam postea additum, quòd portus Tunarum tantis seruitutis conditionibus oneratus, qui commeantes mercatores grauibus exactionibus opprimebat, tantæ immunitatis & libertatis de cætero fieret, quòd omnes mercatores, qui ad portum confluerent, vel transirent vlteriùs, cuiuscunque mercimoniæ

PHILIPPVS TERTIVS. forent, nihil omninò soluere tenerentur. Omnes enim antea rerum omnium, quas in nauibus deferebant, nullo remedio vel exceptione suffragante, Regi Tunarum partem decimam tributi nomine persoluebant. Fuit etiam ordinatum, quòd Rex Tunarum Regi Siciliæ tributum, quod in thesauris suis antecessores sui percipere consueuerant, persolueret annuatim. Erat autem in vrbe Tunarum multitudo Christianorum, iugo tamen seruitutis Sarracenorum oppressa, & fratrum Prædicatorum congregatio, ac Ecclesiæ constructæ, in quibus fideles quotidie confluebant. Quos omnes ex sui Regis præcepto Sarraceni captos incarcerauerant, cùm fines suos intrauisse Francorum exercitum cognouissent. Isti omnes ex pacto non solùm à carceribus liberātur, sed à seruitutis conditionibus immunes, vt ritum Christianæ Religionis exerceant permittuntur. Treugarum ergo prædescriptis conditionibus certis captionibus vtrinque roboratis, & auri polliciti summa pro parte maxima iam soluta, vsus armorum deponitur, & securè Sarracenorum magnates & humiles inter nostros spatiatum veniunt, mercatū victualium offerentes. Stupebant autem, & modum stuporis excedendo mirabantur exercitus Francorum in armis & equis ornatum & nobilitatem, gentis numerum, & personarum elegantiam intuentes. Reges autem & proceres Christiani exercitus nolentes in irritum diutiùs ibi moras protrahere, cum ex mora nullum profectum, sed cladis pestiferæ periculum immineret, quid vlterius agerent consilium inierunt. Considerantes verò peregrinationis suæ finem nondum attingere, nec votum suum tunc bene posse compleri, tum propter exercitum morbi contagio debilitatum, tum quia Legatum Romanæ Ecclesiæ, qui eos in terram sanctam dirigere debebat, non habebant, & maximè quædam litteræ directæ Regi Franciæ ex parte Matthæi Abbatis sancti Dionysij in Francia, & Simonis domini de Nigella militis, custodum regni sui, nimis vrgentes eum, vt in Franciam remearet, decreuerunt repatriare, & postea in terram sanctam resumptis viribus proficisci.

De tempestate, quam in reditu de Tunicio passi sunt.

POST hanc verò deliberationem, indictum est castra & armorum vtensilia colligere, & ad naues deferre, quæ in portu prope Carthaginem adiunctis anchoris adhærebant, vbi Regina Franciæ, Comitissæ, & concio muliebris sub militum & clientum custodia morabantur. Ascensis itaque nauibus, omnibúsque ritè paratis, Philippus Rex Franciæ, Theobaldus Rex Nauarræ, Alphonsus Comes Pictauiæ, Petrus Comes Alensonis, Robertus Comes Attrebati, & Episcopus Lingonensis, cum pluribus aliis, afflatibus ventorum carbasa dilatantes, primo nauigio transferuntur. Qui ventis prosperis & sequaci remige mare pacificum exarantes, portui Traparum primæ ciuitatis Siciliæ appulerunt, & relictis in portu vacuis nauibus, quietis beneficio recreandi sese intra ciuitatis mœnia receperunt. Pars autem exercitus, quæ in portu Africani littoris prope Carthaginem postremo nauigatura remanserat, infelicis hominis nescia, quod futurum continuò fortuna pessima minabatur, vasa sua, rebus nauigij secundum ritum adaptatis, in vndas æquoreas pepulerunt. Cùm autem partem itineris attigissent, mox Neptunus infensus implacabiliter producens ventos de thesauris, eos in tantam rabiem excitauit, vt antea inauditos & incomparabiles commouisset spiritus procellarum. Nam quædam nauium impulsu fluctuum agitantur, quasi protinus demergendæ, & aliæ ventis validissimis raptæ, occursu rapidissimo alterutram collidentes, fractis remigibus & antennis frustratim lacerationibus dissolutæ in æquore demerguntur. Quibus & occurrerunt naues, quæ in portu Traparum vacuæ remanserant; quæ eiusdem tempestatis rabie ab vndis æquoreis dissoluuntur. Ex quibus vna, Porta gaudij nuncupata, quæ pro Rege Franciæ specialiter fuerat fabricata, quantitate & solida compage atque materia aliis præstantior, ita ductu diabolico, vt creditur, circumquaque ferebatur, quòd omnium sibi occurrentium suffocatrix & causa naufragij existebat. Aliæ vero spiritu procellarum longius agitatæ, vsque ad portum Tunarum redierunt. Quia Rex vrbis pactionis non immemor, quam cum Rege Francorum pepigerat, nihil eis iniuriarum intulit, sed eas honore præueniens, placatis æquoribus plena securitate remisit. Perierunt autem ex illa tempestate circa quatuor millia personarum vtriusque sexus, tam nobilium quàm ignobilium, & decem & octo naues

A naues fortes & magnæ, cum multis minoribus, & cum equis multis & rebus infinitis.

Incidentia de Edoardo filio Regis Angliæ.

REBVS itaque sic se habentibus, Edoardus Henrici Regis Anglorum primogenitus, qui ad obsidionem Tunarum tardiùs aliis venerat, post dictam compositionem factam cum Sarracenis, nolens adhuc ad propria remeare, sed peregrinationis votum quod inceperat, si posset, volens perficere, cum quibusdam Francigenis militibus vlterius ad partes Syriæ transfretauit, & in breui portui ciuitatis applicuit Acconensis. Alibi enim securè terram occupare non poterat, cùm totum regnum Hierusalem, & totam terram Syriæ Sarraceni, proh dolor! occuparent, præter quædam castella maritima Templi & Hospitalis, quæ propter locorum naturalem situm modis omnibus defensioni congruunt, & propter inclitos defensores qui intus aderant non poterant expugnari. Licet verò essent alia quædam castella fortissima maritima, ad quæ fideles transmarini reperiebant refugium, sola Accon ciuitas post Tyrum Soldani Babyloniæ viribus & Orientis infidelibus resistebat. Tyrus enim ciuitas nobilis æquorum profundissimo circumsepta, & sublimi B murorum ambitu cincta, densitate turrium interiecta, dum tamen victualium & defensorum haberet copiam, nullo modo nisi proditionis ingenio caperetur. Edoardus, vt dictum est, cum quibusdam de Francia probatæ militiæ, vrbi Acconensi moram quasi per annum protrahens, cum ciuibus, & Hospitalis & Templi militia, ciuitatem à Sarracenorum inuasionibus indemnem satis laudabiliter custodiuit. Verumtamen in armorum negotiis nihil interim accidit dignum memoria, cùm tam pauca, licet probata, militia, contra Soldanum Babyloniæ, Syriæ, & Ægypti, ac totius Orientis dominum extra muros in acie confligere non valeret. Interea quidam Harsacida ad Edoardum perimendum à suo Rege, vt moris est, apud eum missus sicut creditur quasi cum eo secreto locuturus in thalami secretario sequestratum toxicato cultello transfodiens lethaliter vulnerauit: ita tamen quòd in veneni diffusione interiora corporis occupante, & humorum naturalium vegetationem extinguente, maius periculum immineret, quàm in sola vulnerum cicatrice. Ipse vero ex graui & periculosa læsione infirmitatem contrahens, post dies multos non tamen ad plenum conualuit, paratoque nauigio iter arripuit transiturus in Angliam ad regnum suscipiendum, quod ad ipsum de nouo propter patris sui dissolutionem iure hæreditario fuerat deuolutum. Fines vero Siciliæ penetrans, ab illustri Rege Carolo multis muneribus ex regali munificentia donatus, multo est cum honore susceptus. Inde ad Gasconiam terram propriam, quam à Rege Franciæ tenebat in feodum, tendens, ibidem cum Gascone de Biardo terræ illius viro nobili C & potente altercationem aliquantulum habuit. Sed Rege Franciæ Philippo mediante, compromisso lis eorum ad tempus sopita quieuit. Ad vltimum verò per Franciam transitum faciens, vbi sibi plurimum honoris impenditur, ad terram natiuitatis suæ nauali vehitione est translatus. Sed quoniam non est propositi historiam Anglorum describere, hic de ipso quasi ex incidenti narrata sufficiant.

De morte Theobaldi Regis Nauarræ.

CVM autem Philippus Rex Franciæ, & Principes Francorum exercitus, in villa Traparum & villæ confinio post prædicta maris pericula quieti aliquantulum indulsissent, moram ibidem quasi per quindecim dies facientes, Theobaldus Rex illustris Nauarræ & Comes Campaniæ in lectum mortis decidens, vitæ suæ diem clausit extremam. Cuius mors cunctis dolorem inferens, ex vno meliore sui membro exercitum mutilauit. Erat enim post Regem Franciæ præpotens, vir peritus consilio, & beneficiorum egentibus largissimus distributor. Cuius corporis interiora trahentes ministri talis officij, quia diu propter sui putrefactionem deferri non possent, in quadam villæ Ecclesia ea more debito terram terræ tradiderunt. Corpus vero multa lotione mundatum, sale & odoriferis aromatibus ad putrefactionis & odoris pestiferi remedium diligenter conditum, sui in loculo reseruantes, secum in Franciam detulerunt, & apud Pruuinum in Bria in fratrum Minorum Ecclesia honorificè sepelierunt. Vxor autem sua Maria illustris regina filia Ludouici

Sereniſſimi Regis Francorum apud Carthaginem defuncti à diebus infantiæ ſuæ ſacris moribus exornata, in ſancta viduitate abſque liberis derelicta, ſacræ continentiæ votum inuiolabiliter ſeruare proponens, luxit eum, & mortem patris fratriſque Iohannis Comitis Niuernenſis, qui in illa expeditione obierant, pia lamentatione quandiu ſuperuixit. Veruntamen non multum poſt, dum rediret in Franciam, & eſſet prope Marſiliam, illum filum, quo pendebat ſuæ vitæ præſentis portio, altera ſororum fatalis Atropos amputauit. Quam ſui apud Pruuinum deportantes, iuxta maritum ſuum cum honore, quo tantam perſonam decuit, honeſtæ tradiderunt ſepulturæ. In regno autem Nauarræ, Briæ & Campaniæ Comitatibus, ſucceſſit prædicto Theobaldo Regi Henricus frater eius. A

De tranſitu Regis Franciæ per Siciliam & Calabriam, ac de morte Yſabellis Reginæ Franciæ.

EXERCITV Francorum quietis beneficio, ſicut dictum eſt, apud Trapas reparato, omnibus eſt indictum Philippi Regis Imperio, vt parato itinere ciuitatem Panormitanam tenderent, quæ à Trapis quaſi duarum dietarum diſtantia differebat. Eſt autem illa Panormitana ciuitas metropolis & ſedes regia totius regni Siciliæ, præpotens & magiſtra, licet quidam velint aſtruere illi Meſſanenſem vrbem præualere, vel ad minus multimodis nobilitatis ſpeciebus & rerum opulentia coæquari. Rex autem Franciæ cum parte exercitus itinere pedeſtri gradiens, celebri lætitia à ciuibus in vrbe receptus eſt. Alij vero nauali beneficio laborem redimentes, cum proſperitate ventorum ad ciuitatis portum per æquora transferuntur. Deinde cùm ibidem quaſi per dies quindecim moram protraxiſſent, Philippus Rex Franciæ Meſſanam tendens, & ibidem aliquibus diebus perendinans, Farum nauigio tranſiit, & Calabriam ſubintrauit. Tunc regionis illius fines pertranſiens & terram Apuliæ ingrediens, antequam de regione illa egrederetur, contigit Yſabellem Illuſtrem Reginam vxorem eius, dum quendam fluuium ſubtus Martrenenſem vrbem Calabriæ pertranſiſſet abſque nauigio, vtero prægnante grauidam de equo in terram ſubitò corruiſſe. Quæ in vrbem Cuſantinam delata, non multum, proh dolor! poſtea expirauit; cuius mors Regem maximè totumque exercitum conturbauit. Rex igitur poſtmodum terram Apuliæ, Laboris, & Campaniæ pertranſiens, per vrbem Ferentini venit Romam. Vbi aliquorum dierum ſpatio protracto, & Apoſtolis reuerenter honoratis, adiit vrbem Viterbij, in qua tunc temporis Papalis Curia ſine capite reſidebat. Cardinales enim in diſcordia poſiti, vrbis poteſtate cogente ad eligendum ſummum Pontificem in quodam Palatio tenebantur incluſi. Quos Rex cum reuerentia & honore viſitans, cuilibet dato pacis oſculo, vt ſecundum Deum ad regendum ſanctam Eccleſiam idoneum paſtorem eligerent, monuit ſimpliciter & orauit. B C

Incidentia. ANTE Regis Philippi aduentum in Viterbio, venerat ad Curiam Henricus filius Richardi quondam Regis Alemanniæ, & vt dicebatur, propter regnum quod pater ſuus poſſederat obtinendum. Cuius præſentiam Guido de Monte forti præſentiens, filius Symonis de Monte forti Comitis Leyceſtiæ in bello Anglicano per conſilium iſtius Henrici, vt dicebatur, perempti, tota mentis intentione quomodo poſſet prædictum Henricum occidere cogitauit. Hunc igitur inſidiis circumuentum in quadam Eccleſia in honore ſancti Laurentij dedicata iuxta ſuum hoſpitium reperit, & eum de medio ſuorum euellere putans, nec valens, primo eum in Eccleſia ictu cultelli transfodit, & poſtea tractum extra fores Eccleſiæ, licet multum renitentem, & vt ſibi parceret iunctis manibus exorantem, ictu cultelli ter vel quater iterato per latera penitus interfecit. Statimque comitatu ſeptus equitantium, quem ſibi prius parauerat, ab vrbe receſſit, & ad Comitem Thuſciæ Rufum, cuius filiam duxerat, ſe transtulit. Et quoniam in Regis Franciæ præſentia perſonaliter in vrbe exiſtente, huiuſmodi ſcelus perpetrauerat, eius offenſam & indignationem incurrit, & Eccleſiæ Romanæ iudicium, cuius vindictæ propter hoc ipſum poſtmodum oportuit ſubiacere. Nam in pœnam tanti ſceleris decreuit Eccleſia, vt in caſtello fortiſſimo, donec tempus ſuæ miſerationis adueniret, ſub arcta cuſtodia teneretur.

A

De transitu Regis Franciæ per Lombardiam.

POSTQVAM igitur Rex Franciæ Philippus & sui Principes à Viterbio recesserunt, per Montemflasconem directo itinere Thusciam intrantes, Vrbeueteri, Montebargue, & Florentia vrbibus peragratis, in planum Lombardiæ subintrarunt, & per Bononiam, Modram, & Parmam, vsque Cremonam peruenerunt. Vbi ciues tanti Principis maiestatem non attendentes, pro honore & reuerentia dedecus intulerunt. Nam clientes aulicos, quorum intererat ante Regis aduentum hospitia præparare, casam communem pro ipso rege rogantes, cum sua petitione vacuos & cum iniuria repulerunt. Cuius facti continuò pœnitentes ad ipsum in domo fratrum Minorum venerunt, petentes humiliter, vt satisfactione præambula, erga ipsos cor eius, quod sciebant pro tanta illata iniuria commotum, mitigaretur. Sed nec sic, nec aliter eis, licet multa sub dissimulatione fingeret, acquieuit. In crastinum Mediolanenses Regis aduentum speciali lætitia præstolantes, versus fines Cremonæ sibi obuiam occurrerunt, & in vrbem introductum honorabiliter vsque ad regale palatium conduxerunt, duodecimque dextrarios phaleris decenter adornatos sibi facientes præsentari, rogauerunt etiam ipsum vt eorum vellet fieri dominus, suamque ciuitatem reciperet in tutelam. Quibus rex propter beneuolentiam ipsorum & honorem sibi impensum grates multas reddidit: sed super dextrariorum receptione & ciuitatis oblata dominatione se fecit totaliter excusare. Rege itaque de Mediolano in crastinum, conducentibus ipsum ciuibus, recedente, Marchisius de Monteferrato, vir nobilis & potens in illis partibus, regi obuiam pergens, eum honorabiliter recepit, & ei se suaque suæ voluntati promptissimè repromisit. Rex postmodum Vercellensem ciuitatem attingens, & per terram Sabaudiæ transitum faciens, Susam ciuitatem antiquam in Alpibus introiuit, ibique per triduum comitatu repausato, montes Cinisij die postera cum magno labore pertransiuit. Denique per valles Moriennæ directo itinere vsque Lugdunum super Rhodanum iter continuans equitauit; ac postea fines Burgundiæ penetrans, per Cabilonem Masconensemque ciuitates transitum faciens, vsque Cligniacum Abbatiam accessit. Postea verò Burgundionum regionem egrediens, per Trecensem vrbem, totaque Campania traiecta, cum magno cordis desiderio pagum Parisiacum subintrauit.

B

De sepultura Ludouici Regis, & morte Alphonsi Comitis Pictauiensis.

CVM igitur illam nobilissimam vrbem Parisiensem Rex Philippus attigisset, delatis ad Ecclesiam beatissimæ Virginis Mariæ defunctorum loculis, scilicet sanctæ memoriæ Ludouici Regis patris sui, Ysabellæ Reginæ vxoris suæ, Ioannis Niuernensis Comitis fratris sui, Alphonsi Comitis Augi, filij quondam Illustrissimi Regis Hierusalem, Ioannis, & Domini Petri Cambellani militis, viri sanctitate præcipui, & amici quondam præcordialissimi sanctæ memoriæ Ludouici Regis, qui omnes in peregrinatione Tunarum obierunt, cum magnis cereorum luminibus alternatim chori psallentium totam noctem in vigiliis transigerunt. Mane facto, Rex cum ingenti frequentia populorum, plurimis Optimatum regni Franciæ comitantibus, & Prælatis, Processionibusque Religionum Parisius ordinatè præcedentibus, patris reliquias cum cæteris defunctorum loculis ad illam nobilissimam sancti Dionysij Abbatiam pedes ipse cum cæteris ambulans propriis humeris deportauit. Cuius Ecclesiæ Conuentus in capis sericis reuestitus, cereorum accensis luminaribus quilibet in manu sua quasi per milliare occurrens obuius astitit, sanctasque reliquias cum magno desiderio suscepit. Sicque beati viri corpus vsque ad locum sepulchri hymnis canora celestibus Monachorum & aliorum Religiosorum atque Clericorum turba prosequitur. Sed cùm peruentum fuisset ad Ecclesiam, valuas Ecclesiæ clausas reperiunt, propter Senonensis Archiepiscopi & Parisiensis præsulis præsentiam, qui ibi aderant in Pontificalibus reuestiti. Nolebant enim Monachi antiquæ exemptionis libertate fungentes, quòd isti duo, à quorum iurisdictione Ecclesia totaliter est exempta, in præiudicium suum Ecclesiæ cum Prælatis cæteris inducti taliter introirent, ne ipsi propter hoc aut eorum successores vsum & consuetudinem postmodum allegarent. Vnde accidit, quòd antequam valuæ Ecclesiæ

C

PHILIPPVS TERTIVS. aperirentur, Rege cum Baronibus & Prælatis de foris astante, quod ipsi extra metas diocesis Ecclesiæ sancti Dionysij deponere ornamenta Pontificalia tunc abirent. Tandem in Ecclesiam introeuntes, & patrato defunctorum officio, Missisque solemniter celebratis, sacrosancta Regis ossa retro altare Trinitatis iuxta patrem suum Ludouicum Regem inclytum, & auum suum Philippum Regem Augustum, in tumulo lapideo locauerunt, insignientes postmodum tumba mirabili monumentum. Cuius operis cælatura auri & argenti ditante materia, quæ fuerunt à mundi principio artificum operibus excellenter, vt creditur, supereminet vniuersis. Corpus vero Domini Petri militis Cambellani sui, viri, vt dictum est, vitæ laudabilis ad pedes eius, sicut viuus iacere consueuerat, superficiei terræ coæquatæ in simplici tumulo lapideo posuerunt. Ysabellis etiam Illustris Reginæ, Ioannisque Niuernensis Comitis parua segregatione loci distantia in dextro latere coniunctis tumulis locauerunt. Veruntamen de obitu Alphonsi Comitis Pictauorum & Tholosæ, & eius fine laudabili non arbitror omittendum. Qui cùm à via prædictæ peregrinationis cum Rege Franciæ nepote suo, & cum cæteris Baronibus rediret ad propria, contigit illum cum vxore sua & copioso numero familiæ suæ in finibus Thusciæ ad quoddam Castellum, quod Cornetum dicitur, diuertisse, & ibi primo infirmitatis molestiam persensisse. Cuius contagium in tantum inualuit, vt non solùm in ipsum & vxorem suam, sed in totam vtriusque sexus familiam taliter pullularet, quòd vix essent de ipsis aliqui qui sufficerent infirmis iacentibus necessaria ministrare. Qui cùm diem suæ resolutionis cerneret imminere, testamentum disposuit, & in Ecclesia beati Dionysij in Francia cum suis patribus sepulturam elegit, assignans eidem Ecclesiæ sufficientes redditus pro suo anniuersario celebrando. Cuius corpus ad sepulchrum sui familiares post paucos dies à Regis Ludouici fratris sui tumulatione detulerunt. Comitissam vero vxorem suam, quæ quasi eisdem diebus obierat, ad quandam Abbatiam Monialium, cui nomen est Garciacum, quam in pago Meledunensi prope Abbatiam Esderæ ipsa fundauerat, sepulturæ honorificè tradiderunt. Comitatus vero Tholosæ & Pictauiæ, quia hæredes non habebant, ad Regem Franciæ obuenerunt.

A B

De Coronatione Regis Philippi.

ANNO Domini M. CC. LXXI. in festo Assumptionis beatæ Mariæ Philippus Rex Franciæ Remis fuit per manum Episcopi Suessionensis, vacante sede Remensi, coronatus. Et quoniam à tempore Caroli magni Regis Franciæ & Imperatoris Romanorum, consueuerunt Reges Franciæ iocosam spatam prædicti Caroli Regis & Imperatoris, in die coronationis suæ, dum celebratur prædictæ coronationis officium, in memoriam tam victoriosissimi Principis à quodam de nobilioribus ante se facere teneri & deferri: illam Rex Roberto Comiti Attrebatensi consanguineo suo militi probissimo tradidit illa die deferendam. Seruatur enim illa spata cum corona & sceptro regali, ac cum cæteris regalibus ornamentis huiusmodi solemnitati aptis, in Ecclesia beati Dionysij in Francia: quæ tenentur Monachi illius Ecclesiæ, vbicunque Reges Franciæ Coronati sint, facere deportari. Rex autem in crastinum coronationis suæ Baronibus & Prælatis licentiatis Vermendense territorium visitauit. Vbi dum esset, à Roberto Comite Attrebatensi requisitus est, vt in terram suam venire dignaretur. Quod cum fecisset, apud Attrebatum tanta lætitia & exultatione susceptus est per quatuor dies, quòd nemo illorum qui viderunt meminerit se vidisse vel audisse fieri pro aliquo Rege Franciæ in aliquo loco tantam lætitiæ iucunditatem. Villa enim per totum palliis & pannis varij coloris mirabiliter palliata, mandauit Comes Attrebati omnes dominas & domicellas illius patriæ, vt cum vxoribus burgensium vrbis choreas ducentes, & lætitiæ & exultationi intendentes, totam lætificarent ciuitatem. Rege igitur sic honorato, reuersus est ipse in Franciam, & in festo Decollationis sancti Ioannis Baptistæ beatum Dionysium patronum suum visitauit.

C

De moribus Regis Philippi.

RECENSITIS igitur seriatim peregrinationis Tunarum actibus, & reuersionis ab eodem loco euentionibus atque incommodis, competens est vt de moribus

A moribus Regis nostri Philippi Illustrissimi, cui Dominus dedit sedem patris eius, aliquid proloquamur. Plerisque enim Scripturæ reperitur paginis, nequitia patris iniqui domum filij subuerti; è, contrario verò meritis boni patris solidiùs roborari. Christus autem bonæ memoriæ Ludouico Regi domum stabiliuit, dum Philippum eius filium in throno regali prouehi est dignatus. Denique dictum est Dauid à Domino; *Si custodierint filij testamentum meum, & testimonia mea hæc quæ docebo eos, & filij eorum vsque in sæculum, sedebunt super sedem tuam.* Super sedem paternam Philippus Rex, vt dictum est, collocatus, patris sui non immemor præceptorum, quibus illum in extremis laborans imbuerat, ambulauit cum Domino, sapientum tractatibus corde vltraneo adhærendo. Et maximè tunc vsus est consilio & disciplina reuerendi patris Matthæi Abbatis sancti Dionysij in Francia, viri religiosi & sapientiæ floribus adornati, cui super omnes assessores palatij regij, causas & vniuersa negotia regni sui, sicut & pater suus fecerat Ludouicus Rex, expedienda tradidit. Illo etiam tempore, quo post mortem Ysabellæ Reginæ sine vxore fuit, cilicio, vt aiunt, vsus est, loricam desuper indutus. Domabat enim corpus suum ieiuniis & mirabili ciborum abstinentia se restringebat, ne vitiis humanæ fragilitatis B fœdaretur. Ex illo verò tempore ita frugalitatem seruauit vsque ad mortem, quòd potiùs Monachus quàm rex vel miles, propter abstinentiam posset dici. Erat insuper omnibus blando eloquio affabilis, humilitatis gratiâ præclius, & inter suos Barones & milites mirabili mansuetudine residebat dominus absque vllo fastu superbiæ. Vnde his & aliis multis pollens virtutibus, toto tempore vitæ suæ pacem in regno suo meruit obtinere. Accidit enim tertio anno regni sui, scilicet anno ab incarnatione Domini M. CC. LXXII. quòd versus Tholosam contra Fuxi Comitem exercitum congregaret: cuius expeditionis causa talis fuit. Comes de Hermegniaco, & quidam nobilis Castellanus nomine Girardus de Casabone, inimicitias habentes ad inuicem, datis hinc inde diffidentiis, se inuicem ad bellum quotidie prouocabant. Contigit interea Comitem cum armata manu iuxta Castellum Girardi transitum facere: quod Girardus comperiens ingenti æstuat animo, putans se ab hostibus vilipendi. Mox cum paucis militibus armatis suo castro egrediens hostes insequitur, & quem primum obuiam habuit, scilicet fratrem Comitis ictu lanceæ interfecit, & Comitem cum suis fugere compulit. Comes vero fratris mortem vindicare desiderans, & confusionis suæ ruborem redimere volens, generis sui potentiores adiit. Quorum vnus & principalis Comes Fuxi existens, ad exterminandum Girardum, & castrum eius subuertendum, quasi exercitum congregauit. Quod vt Girardus comperit, sentiens se viribus imparem, nec se tanto generi posse diu resistere, ad alas protectionis Regis Franciæ se transtulit, & gentibus suis, scilicet Senescallis & Bailliuis, qui in partibus illis in persona Regis patriam tuebantur, se C committens, eorum arbitrio se tradidit iudicandum. Et quoniam castrum proprium ad defensionem minus idoneum videbatur, in quoddam castellum Regis se, vxorem, & filios transtulit, putans quòd hostes sui castrum illud inuadere propter Regem Franciæ non auderent. Sed Comes Fuxi & sequaces sui, gentes Regis vilipendentes, nec verentes terram eius infringere, castrum tantis viribus oppugnarunt, quòd tam per murorum fractionem, quàm per portarum aditus introgressi, de Regis & Girardi familia aliquos occiderunt. Et dum Girardum per castrum quærerent, furtiuè foris egressus de manibus eorum taliter tunc euasit. Cuius facti nouitas Regem Philippum diu non latens, vt audiuit, protinus ex nimia indignatione exæstuans animo, eo maximè quòd in primordio regiminis sui tales nullius operationis in respectu Baronum Franciæ terram eius tam superbè & hostiliter intrassent, talem congregari iussit exercitum, qui ad multas barbaras nationes sufficeret expugnandas. Non quia pauci ex tanta multitudine ad Comitem Fuxi & genus eius non suffecissent debellandum, sed vt alij de partibus illis, atque iunctæ eisdem exteræ nationes, Regis Franciæ potentiam attendentes, ipsum pertimescerent offendendum. Sicque versus Tholosam Rege & exercitu suo congregato, terram Comitis ingrediuntur, omnia depopulationi tradentes, & per multa viarum pericula montiumque sublimium discrimina, castrum Fuxinense appropinquauerunt. Sed quia propter montes oppositos obsideri non poterat de prope, in propinquiori loco quo potuissent figi tentoria rex præcepit. Comes verò cum vxore & familia suisque Albigensibus munitionem intus occupans, in castri fortitudine, eo quòd

PHILIPPVS TERTIVS. inexpugnabile videbatur, confidens, valuis clausis, turribusque balistariis cæterisque defensionis instrumentis munitis, se totis viribus defendere præparabat. Sed cùm Rex & eius exercitus prope castrum propter montem oppositum, vt diximus, accedere non valerent, iurauit Rex, vt erat magnanimus, se nunquam à castri obsidione recessurum, donec illud deditione vel vi reciperet expugnatum. Habitoque cum suis consilio, misit operarios qui montem celtibus scinderent, & iuxta pedes montium viam latam equitibus aperirent. Quod opus cùm incœptum fuisset, & labore continuo talis operis artifices pedem montis abscidissent. Comes videns firmum Regis propositum, & in decisione montis decisores nihil tepidiùs agere, timuit valde. Communicato igitur cum suis consilio, Regem per nuntios, supplicauit, vt iram erga se misericorditer mitigaret, & ipse corpus suum totamque terram suam in manu sua traderet ad suæ beneplacita voluntatis. Postea verò veniens coram Rege, & veniam humiliter postulans, tunc non obtinuit; sed vinculis ligatus, & ad Bellumquercum missus, per annum vnum in forti prisione custoditus est. Rex autem Fuxinense castrum & alia Comitis castella fortissima in manu sua ponens, vxorem eius reuertens in Franciam secum adduxit, faciens eam honorabiliter custodiri. Tandem anni curriculo reuoluto, Comes de prisione extractus, & aliquandiu in Palatio conuersatus, tantam gratiam apud Regem obtinuit, vt ipsum nouum militem faceret, & magistros ac custodes in armis traderet ad tyrocinia exercenda. Postremò verò de consueta Regum Francorum benignitate ac liberalitate terram suam illi reddens totaliter, liberum ad propria ire permisit. A B

Incidentia. EODEM anno post biennem & nouem menses sedis Apostolicæ vacationem, in festo beati Egidij electus est Theobaldus de Placentia Archidiaconus Leodiensis in Papam, cùm esset absens in transmarinis partibus apud Acon, & quarto Idus Februarij consecratus Gregorius decimus est vocatus. Anno Domini M. CC. LXXIII. Radulfus Rufus Comes de Assatio electus & coronatus fuit in Regem Alemanniæ. Henricus Rex Nauarræ Comesque Campaniæ duxit in vxorem sororem Comitis Attrebatensis Roberti, de qua genuit Iohannam postea Franciæ Reginam. Comes Alensonis Petrus frater Philippi Regis Franciæ desponsauit Iohannam filiam Iohannis Comitis Blesensis. Iohannes de Solliaco Bituricensis Archiepiscopus obiit: post quem electus fuit magister Gaufridus de Ponte cheuron Decanus Parisiensis: sed nec confirmatus, nec consecratus defunctus est. Cui successit magister Simon de Belloioco in Bria Carnotensis Archidiaconus. Eodem anno venit Papa Gregorius circa quadragesimam apud Lugdunum Galliæ, celebraturus ibidem Concilium generale. Ad quem salutandum accedens Philippus Rex Franciæ cum multo nobili comitatu, cùm tractasset apud ipsum de negotiis regni sui, benedictione eius percepta, in Franciam remeauit. Sed quia apud Lugdunum Dominus Papa, sicut dictum est, debebat Concilium celebrare, Philippus Rex, vtpote in regno suo, dimisit ibidem milites & seruientes ad custodiam Domini Papæ, & cæterorum in eodem Concilio congregandorum: præficiens eisdem militibus & seruientibus Ymbertum de Belloioco militem consanguineum suum. Anno Domini M. CC. LXXIIII. fuit dies Concilij assignata in Calendis Maij: & pluribus sessionibus habitis durauit Concilium vsque ad festum beatæ Mariæ Magdalenæ. In quo Concilio multa vtilia statuta fuerunt; scilicet de electione summi Pontificis, & statu Ecclesiæ vniuersalis. Et propter subsidium terræ sanctæ fuit concessa decima à prælatis & procuratoribus Capitulorum & Ecclesiarum vsque ad sex annos. Circa finem Concilij venerunt Græcorum & Tartarorum nuntij solemnes. Qui Græci ad vnitatem Ecclesiæ redire promittentes, in signum huius rei Spiritum sanctum à patre & filio confessi sunt procedere, Symbolumque Apostolorum in communi Concilio solemniter decantauerunt. In eodem etiam Concilio plures Ordines Mendicantes sunt quassati, & bigami qui tonsuram clericalem tunc temporis deferebant de cætero ferre prohibiti sunt, ac vti priuilegio clericali. Numerus vero Prælatorum qui ad hoc Concilium interfuerunt, quingenti Episcopi, sexaginta abbates, & alij prælati circa mille. Eodem anno cùm rediret de Concilio Petrus de Charni Archiepiscopus Senonensis, defunctus est, & successit eidem magister Gilo Cornuti præcentor Ecclesiæ Senonensis. C

De

A *De secunda vxore quam accepit Philippus Rex, & de morte Regis Nauarræ Henrici.*

ANNO vltimo prænotato Philippus Rex Franciæ die Martis infra octauas Assumptionis beatæ Mariæ virginis matris Domini, duxit in vxorem apud Vicenas, iuxta Parisius Mariam puellam nobilem, filiam Henrici quondam Ducis Brabantiæ ex filia Ducis Hugonis Burgundiæ, & sororem Ioannis tunc Brabantiæ Ducis. Hanc, quæ pulchra, sapiens, & optima erat, dilexit Rex nimio affectu, prout debuit & oportebat. Cum ergo de die in diem in gratiam Regis & amorem excresceret, Petrus de Brocia Regis Philippi Cambellanus, qui ipsum Regem dominum suum tanta tunc familiaritate sibi tenebat astrictum, quòd super omnes eidem in Regis curia honor ab omnibus deferretur, quemadmodum inuidus alterius macrescens rebus opimis, multum dolere cœpit, vt aliqui affirmabant, quòd Rex diligeret sic Reginam. Cogitauit enim, vt forte sibi in aliquo conscius, aut prudentia mulieris beneuolæ posse cognosci, aut suæ familiaritatis detrimentum erga maiestatem Regiam posse pati. Et ideo, vt dixerunt aliqui, concipiens iniquitatem in corde suo, cœpit cogitare de die in diem, quomodo cor Regis ab amore Reginæ B posset in aliquo diminuere, aut totaliter separare. Et quia de isto Petro fecimus mentionem, quis & vnde fuerit audientibus innotescat. Fuit enim, quando primò venit ad Curiam, sanctæ memoriæ Ludouici Regis patris istius Philippi Regis Chirurgicus, pauper homo, natus de Turonia. Post decessum enim Ludouici Regis, Cambellanus Philippi Regis factus tantum dilexit eum Rex, & credidit ei in omnibus, ac tam altè prouexit eum, quòd omnes Barones, Prælati, & milites regni Franciæ honorem permaximum eidem & munera sæpe ingentia conferebant. Timebant etiam ipsum, quia quicquid volebat apud Regem operabatur. Vnde multum tædebat Barones, & indignabantur, quòd tantam in regno & Rege potentiam obtineret. Fecerat vero Petrus per potentiam quam habebat quendam consanguineum vxoris suæ magistrum Petrum de Benais Episcopum Baiocensem, & maritabat filios ac filias suas vbi volebat ad suæ libitum voluntatis. Sed quantum ad præsens de ipso tacebimus, ad materiam de se loquentem loco & tempore reuertentes. Eodem anno quo supra, Henricus Rex Nauarræ Comesque Campaniæ in regno Nauarræ defunctus est, relinquens de vxore sua sorore Comitis Attrebatensis Roberti vnicam filiam Iohannam nomine totius terræ suæ hæredem. Hanc, quia adhuc in cunis erat, mater sua citò post decessum patris sui in Franciam asportare festinauit, metuens ne contra seipsam & filiam Nauarrorum infidelitas aliquid moliretur. Rex vero Franciæ Philippus blandè suscipiens eam, fecit illam cum pueris suis apud Parisius in domo Regia honorabiliter educari, donec posset puerilibus annis C transactis cum aliquo nobili Principe matrimoniali copula feliciter desponsari, aut dispensatione summi Pontificis, sicut rei postea declarauit exitus, cum filio suo primogenito: quia certum erat eos in tertio gradu eiusdem generis consistere, & ab eodem stipite ducere parentelam. Spectabant enim ad ipsam puellam iure hæreditario Nauarræ regnum, Briæque & Campaniæ Comitatus. Ideoque Philippus tanquam tutor matris & filiæ, regnum Nauarræ in sua protectione suscipiens, ad recipiendum homagia Procerum regni illius, & fidelitates ciuitatum nomine hæredis, Eustachium de Bellomarcasio militem suum ad partes Nauarrorum quantocius destinauit. Qui illuc paucis diebus effluxis perueniens, ostensis literis regiis & iussionibus, quos potuit de ciuitatibus ac Baronibus ad partem Regis Franciæ nomine hæredis attraxit. Pertransiensque vsque ad Pampilionem regni illius Regiam ciuitatem, garnisionem suam & gentes suas Francigenas tutiori loco, quo potuit, sagaciter introduxit. Et tunc paulatim fungens in persona Regis dominio, cœpit animaduertere mores & consuetudines Nauarrorum: proponens ad vtilitatem reipublicæ & Regis honorem, si posset, cuncta pacificè gubernare.

De coronatione Mariæ Reginæ.

ANNO Domini M.CC.LXXV. congregatis apud Parisius fere totius regni Franciæ Baronibus & Prælatis, ac de regno Alemanniæ quampluribus Principibus, militibus & personis, in festo sancti Ioannis Baptistæ, Maria Regina Franciæ

PHILIPPVS TERTIVS. fuit ibidem per manum Petri tunc Remensis Archiepiscopi solenniter coronata & vncta, sicut mos est Reginas Franciæ coronari. Sed tanta fuit ibi lætitiæ solennitas, quòd nemo qui tunc viuens aderat, vt à pluribus affirmabatur, meminerit tam iucundam & solennem festiuitatem pro aliqua Reginarum coronatione in loco aliquo fieri, vel exhiberi. Fuerunt enim Barones & milites diuersis & variis vestibus purpureis induti, & nobiles mulieres vestimentis & cicladibus auro textis, & immensis monilibus, tanquam filiæ Hierusalem compositæ, & ad templi similitudinem perornatæ. Populus etiam Parisiensis ciuitatis ab omni opere vacans, & lætitiæ & exultationi solummodò intentus, solennitatem per octo dies & amplius protraxit: ciuitate per totum cortinis pannorum varij coloris & ornamentis pretiosis mirabiliter palliata. Ibidem tunc Gilo Senonensis Archiepiscopus coram Legato Romanæ curiæ domino Simone sanctæ Ceciliæ presbytero Cardinali, qui præsens aderat, querimoniam detulit, dicens quòd in præiudicium Ecclesiæ suæ fuerat Regina in eodem loco à Remensi Archiepiscopo coronata. Quia sicut legitur in quadam Epistola Yuonis quondam Episcopi Carnotensis, ad Episcopum sedis Belgicæ, quæ est Remis, non pertinet extra Prouinciam suam inunctio Regum vel etiam Reginarum. Sed ex parte Regis sic allegatum fuit, quòd non erat vnde posset conqueri Senonensis Archiepiscopus, quoniam Capella Regis Parisius exempta erat, & ideo ratione loci ad ipsum inunctio non spectabat.

De morte Ferrandi primogeniti Regis Hispaniæ Alphonsi, & infidelitate aui contra filios Ferrandi.

CIRCA idem tempus obiit Ferrandus Regis Castellæ primogenitus, qui Blancham piæ recordationis & sanctæ memoriæ Ludouici Regis Franciæ filiam, & sororem Philippi Regis, à tempore patris ipsorum duxerat in vxorem. Cui, si patrem superuixisse contigisset, totius regni Hispaniæ dominatus iure hæreditario & pactis aliquibus interuenientibus obuenire debebat. Reliquit vero prædictus Ferrandus tunc defunctus ex prædicta coniuge sua Blancha duos pueros, Alphonsum & Ferrandum regni Hispaniæ hæredes, nisi aui sui Alphonsi Regis perfidia & innata infidelitas obstitisset. Noluit autem quòd patre puerorum defuncto, primogenitus ipsorum in regno sibi succederet, allegans in contrarium consuetudinem patriæ talem esse. Cùm inter ipsum ex vna parte, & Regem Franciæ Ludouicum defunctum, in contrahendo matrimonio talis conditio pactioni interesset, quòd eorundem puerorum primogenitus nullius fraternitatis successione præiudicium inferente, auo vel patre ipsorum defunctis, regnum Hispaniæ, & totius terræ dominatum pacificè obtineret. Habebat etenim ex parte matris suæ Blanchæ quondam Reginæ Franciæ ius in illo regno Ludouicus Rex; & ideo vt pax fieret inter ipsum & Regem Alphonsum auum istorum puerorum, qui regnum Hispaniæ iniustè detinuerat & tenebat adhuc; talis inter duos reges, sicut suprà diximus, de contrahendo matrimonio prædicto fuit pactio confirmata. Sed ille Pharao in suæ fraudis cumulum ius pueri totaliter auferre volens, alterum filium suum secundo natum de Baronum Hispaniæ homagiis reuestiuit, & quasi se curis regni & occupationibus subtrahens, vtpote paralytici morbi contagio iam corruptus, eum in parte regni præsentialiter introduxit. Et ita filiis primogeniti sui ius regni totaliter auferens, nec matri eorum Blanchæ sorori Regis Franciæ Philippi dotem, nec pro victu redditus assignauit. Sic ergo domina venerabilis, nobilibus orta natalibus, viri sui orbata consortio, & quasi omni humano auxilio destituta, inter Hispanorum incultos habitus, & eorum aspectus horribiles, remansit cum pueris suis quamplurimum desolata. Quod audiens & intelligens Rex Franciæ Philippus, sororis scilicet miseriam, & nepotum suorum exhæredationem, vt verè benigni & compassibilis cordis erat, valde condoluit. Et tunc dominum Iohannem militem dictum de Accon, filium Iohannis quondam Regis Hierusalem, Buticularium Franciæ, suum & Regis Hispaniæ Alphonsi consanguineum, cum aliis quibusdam militibus in Hispaniam ad Regem Alphonsum solenniter destinauit. Mandauit itaque Regi Hispaniæ per ipsos, vt sorori suæ ius dotis, & nepotibus suis successionem regni iustitiæ & pietatis intuitu custodiret, vel saltem sororem suam cum pueris suis in saluo conductu ad se redire in Franciam permitteret,

si

A si ita contingeret quòd nollet eius monitis & precibus consentire. Breui igitur tempore elapso, nuntij regales Hispaniam peruenientes, & legatione sua coram Alphonso Rege proposita & perorata, id omnino indurato corde facere renuit, sed tamen ad vltimum retentis pueris Blancham matrem ipsorum consensit in Franciam remeare. Hoc autem Regis Franciæ nuntij attendentes, & eius pertinacem animum ac perfidiam intelligentes, nec eum precibus vel monitionibus domini sui velle aliquatenus inclinari; indignatione permoti, in verba modum legationis aliquantulum excedentia proruperunt, & ipse similiter eos acerbis responsionibus refutauit. Ad vltimum autem post talem verborum altercationem dimittentes pueros cum Blancha, redire nuntij festinarunt. Sed Rex Hispaniæ suæ indignationis non immemor, per nuntium clam mandauit eos ad quendam passum, quem vitare non poterant, detineri, nisi fraudem eius Buticularius Franciæ præsensisset. Huiusmodi rei vel mandati suspicionem Buticularius iam in corde conceperat, & ideò Blancham, totamque comitiuam suam ita celerrimè abire coëgit, quòd de duabus dietis nisi vnicam faciebant. Et sic volente Deo, præuento Regis Hispaniæ nuntio malum ipsorum gerente, manus & insidias hostium euadentes, B & per prædictum passum præterientes sese in potestate Regis Franciæ receperunt. Et non modicum post hæc Rex Franciæ sororem suam cum lætitia suscipiens, eam in sancta viduitate permanentem, sicut decuit, honorificè custodiuit. Sed de Proceribus Hispaniæ fuerunt aliqui qui Regis sui iniustitiam attendentes, contra pactum quod cum Rege Franciæ initum erat, quo interfuerant, noluerunt homagium facere Sancioni Regis sui filio, quem, vt dictum est, in regni possessionem iam ex parte posuerat, & vlterius totaliter ponere satagebat. Ex quibus vnus Iohannes Nunnij miles strenuus fuit, qui, quia Rex Hispaniæ terram propter hoc suam & oppida confiscauit, ad Regem Franciæ Philippum se transtulit, promittens eidem, si vellet contra Regem insurgere, se eum pro posse suo fideliter iuuaturum. Quem Rex blandè suscipiens, ipsi quandiu in regno suo extitit, in expensis magnam summam pecuniæ ministrauit. Et licet multum contra Regem Hispaniæ commotus esset, non statim tamen exercitus congregauit. Sed cum suis fidelibus librato consilio rem ad tempus distulit, donec iterum legationem apud Hispanias misisset ad tentandum si fortè posset Regis animum per secundos nuncios à malo proposito reuocare, & suis monitis, quæ quasi preces erant, ad faciendam iustitiam emollire.

Incidentia. EODEM anno quo supra obiit Papa Gregorius X. cui successit Innocentius V. frater Ordinis Prædicatorum, prius Petrus de Tarentia in Burgundia nominatus. Comes Attrebati Robertus, qui ad visitandum Regem Siciliæ Carolum patruum suum cum vxore sua fuerat in Apulia aliquandiu commoratus, reuertens in Franciam venit Romam: & dum esset ibi, accidit quòd vxor eius infir- C mata moreretur, & sepulta fuit cum ingenti honore in Ecclesia sancti Petri. Cuius mors quamplurimum Robertum Comitem contristauit, quia propter bonitatem eius & pulchritudinem multum diligebat eam. Fuerat enim nobilibus orta natalibus & spectabili genere, vtpote filia cuiusdam Baronis Franciæ Petri de Cortenaio militis nobilissimi regum Francorum sanguine deriuati. De qua Comes Attrebati maritus suus susceperat duos filios, Philippum qui postea duxit in vxorem filiam Iohannis Comitis Britanniæ Blancham neptem Edoardi Regis Angliæ, & Robertum qui non longè postea mortuus est puer, ac vnicam filiam quam Othelinus Comes Burgundiæ duxit vxorem. Et antequam reuersus esset prædictus Comes Attrebati Robertus in Franciam, Philippus Rex Franciæ consilio Margaretæ Reginæ matris suæ dedit Emundo fratri Regis Angliæ Edoardi in vxorem, sororem eiusdem Comitis relictam Regis Nauarræ Henrici superiùs nominati. quod multum Comiti, vt dicebatur, displicuit vt agnouit. Circa idem tempus Almaricus Clericus filius Simonis de Monteforti Comitis Leycestriæ dudum in Anglia perempti, dum per mare sororem suam vnicam quam habebat, duceret in Walliam ad Principem Wallensium Loelinum, vt eam acciperet vxorem, per gentes Regis Angliæ Edoardi captus cum sorore sua fuit, & diu in carcere retentus. Quod molestè Princeps ferens Wallensium, non multo post tempore reuoluto à dominio Regis Angliæ resiliens, contra eum fortiter rebellauit, & montem quendam longum & arduum in confinio terrarum suarum nomine Senandone muniuit.

Quod Edoardus Rex intelligens, statim congregato exercitu, quamuis hyemalis temporis asperitas suo esset exercitui importuna & nimis molesta, montem illum per mare & terram obsedit. Sed de suis multi tunc perierunt: alij arctis viarum angustiis obruti, alij insultu hostium subito interfecti. Tandem Rex Principem ad talem deditionem coëgit, quòd ad suum rediret dominium, & quandiu ipse viueret potestate & nomine Principis fungeretur: sed post mortem suam Principatus auctoritas ad suos hæredes, si quos forte generaret, minimè deueniret. His peractis, Rex vxorem suam eidem reddidit, quam cum fratre Almarico in custodia detinebat, prius eam in præsentia faciens Principi maritali fœdere copulari. Almaricum verò, quia Clericus erat, Prælatis Angliæ reddens, non suo, sed Prælatorum nomine fecit per longum tempus sub arcta custodia reseruari. A

De morte Ludouici primogeniti Regis Philippi.

CIRCA idem tempus, scilicet anno Domini M. CC. LXXVI. obiit Ludouicus primogenitus filius Regis Franciæ Philippi impotionatus, vt murmurabant aliqui; & de hoc maximè in corde Regis dedit suspicionem Petrus de Brocia Cambellanus. Nitebatur enim astruere clam, non apertè, quòd mortem pueri Regina Maria vxor Regis procurauerat, & consimiliter de reliquis primæ vxoris Regis filiis facere moliebatur, vt ius & hæreditas regni Franciæ ad suos procreandos liberos deueniret. O nefanda lingua facinoris, quæ Reginam bonam & optimam tanti mali dicebat auctorem, cuius erat veraciter inscia & immunis! Maledicta sit pacis æmula detractorum conditio, quorum stimulis amarissimo felle tinctus animus satagebat pium Regem contra dilectam coniugem sic immerito prouocare. Erant tunc duo pseudoprophetæ in Francia, Vicedominus Laudunensis Ecclesiæ, & quidam Sarabita pessimus, quædam Beguina Niuellensis tertia pseudoprophetissa. Qui nulla religione approbati, Deo mentiti, per arctam vitam, quam deforis ostendebant habere Prophetiæ spiritum dicebantur. Sed verè spiritus mendax in eorum ore factus multos decepit, & ad credendum eis quamplurimos prouocauit. Suspectum enim fuit aliquibus, quòd eos Petrus de Brocia promissionibus illexisset, vt de Regina aliquid dicerent, per quod posset à Regis amore vel gratia aliquantulum separari. Nam Rex Philippus talibus motus ambagibus Abbatem sancti Dionysij in Francia Mathæum, quem præ ceteris fidelem Consiliarium habebat, & Episcopum Baiocensem Petrum vxoris Petri de Brocia consanguineum, misit ad Beguinam superius nominatam, vt sciret de filio veritatem. Sed Episcopus præuento Abbate loquens cum muliere, quid sibi dixerit vel responderit ignoratur. Tamen Abbas ad illam postea perueniens, illi mandatum Regis pro quo venerat aperuit; & ipsa nihil aliud respondens dixit: Episcopo socio vestro locuta sum, & quod à me petiit benè dixi. Abbas autem, quia sine ipso locutus fuerat cum illa Episcopus, & responsionibus mulieris permotus indignanter recessit cogitans ab ea aliquam proditionem esse factam. Redeuntes igitur ad Regem Episcopus & Abbas, Rex primo petiit ab Abbate quid apud mulierem illam inuenerant in responsionibus & mandatis. Abbas vero respondit, quòd ipsum præuenerat Episcopus, nec ex quo eidem locutus fuerat sibi quicquam noluit mulier respondere. Rex autem illico Episcopum mandans, & de prædictis ipsum interrogans, respondit Episcopus: Domine Rex, mulier illa in confessione aliqua mihi dixit, sed vobis nec alicui possum vel debeo reuelare. Ad quem Rex iratus respondit: Ad illam confitendum non miseram vos, nec ita rem dimittam, imo si possim veritas agnoscetur. Tunc Rex iterum ad prædictam mulierem Theobaldum Episcopum Dolensem in Britannia & fratrem Arnulphum de Visemale militem Templi quantocius destinauit. Qui ad ipsam in breui peruenientes, simul locuti sunt cum ea dicentes, se nuncios esse Regis. Et illa gratulanter eos suscipiens dixit, quòd secundum interrogationes eorum de ijs quæ quærerent omnimodè responderet. Eam igitur de multis interrogantes, ad vltimum respondit dicens: Regi dicite, quod si aliquid de vxore sua quisquam malè locutus sit, non credat talia; quia bona & fidelis est, sciat verissimè erga eum & suos plenariè toto corde. His & aliis auditis regales nuncij mulieri valedicto recesserunt, & Regi quæ audierant à muliere fideliter narrauerũt. Rex vero hoc audito, satis in corde suo intellexit, quòd aliquos habebat in seruitio prope se, qui nec boni nec fideles erga se

A se existebant. Sed tunc cordis sui voluntatem non aperuit, imo quantùm potuit dissimulauit.

De profectione Regis Philippi apud Saluamterram in Gasconia.

PHILIPPVS Rex Franciæ à rancore quem contra Regem Hispaniæ conceperat non decidens, sed summa indignatione ferens quòd sororem suam ita quasi orbatam liberis sibi transmiserat, iterum legationem ad ipsum super huiuscemodi rem destinauit. Veruntamen nec sic, nec aliter ille secundus Pharao in malo proposito pertinaciter induratus, nec verba paci & concordiæ satis conuenientia voluit respondere. Quapropter nuncij videntes suam legationem nihil proficere, ipsum ex præcepto sui domini Regis Franciæ diffidauerunt. Et sic festinato itinere hæc domino suo omnia relaturi in Franciam redierunt. Tunc Rex ex omnibus regni Franciæ prouinciis congregauit exercitum; tantáque ibidem fuit multitudo nobilium, & aliorum, quòd quasi arena maris innumerabilis videbatur. Nec solum de regno Franciæ inclytam adunauit militiam, sed de contiguis regionibus Duces & B Comites ad sui supplementum exercitus aduocauit. Ducem Burgundiæ, qui de iure tenebatur; Ducem Brabantiæ; Comitem de Iuliers, & Comitem Barri, aliosque quamplures, qui de regno Alemanniæ sola gratia conuenerunt. Sed prius, vt moris est antiquis Francorum Regibus, visitato patrono suo, scilicet S. Dionysio cum sociis, & audita Missa ad altare Martyrum, vexillum beati Dionysij de manu Abbatis illius Ecclesiæ tunc accepit. Sicque iter arripiens per Aurelianensem vrbem & Bituricam regionem, finesque Pictauorum peragrans, versus partes Hispaniæ cum suo exercitu accelerauit. Sed interim venerunt quinque milites missi ex parte Regis Hispaniæ nuncij, qui per septem dies in exercitu Regis Franciæ existentes vix accessum ad Regem habuerunt, vt ostenderent quod ex parte domini sui afferebant. Tandem concessa eis copia cum Rege loquendi, magna extollentia protinus garrulantes eum ex parte domini sui diffidauerunt, & pomposè minas, si contra dominum suum insurgeret, protulerunt. Tunc Rex prudenter & moderatè respondens, nec se iactans de aliquo, respondit, quod intendebat regnum intrare Nauarræ & pertransire vlterius, si valeret, regnúmque, si posset, Hispaniæ inuadere attentaret. Quod intelligentes nuncij festinato itinere ad propria redierunt. Ex illa autem hora Rex Franciæ nimia indignatione permotus eo quòd ipsum Rex Hispaniæ tam superbè diffidauerat, firmo proposito regnum ipsius hostiliter intrare disposuit, dicens dedecus & opprobrium fore sibi & regno Franciæ, nisi istam præsumptionem & dedecus vindicaret. Tandem in extremis partibus regni sui prope portus Cysereos in terra Gasconis de Biardo ad quandam villam, quæ Saluaterra nuncu- C patur, suum exercitum quasi innumerabilem congregauit. Qui si posset commodè in Hispanias introduci, credebatur sufficere ad deditionem regni Hispanici, & etiam ad alias debellandum exteras nationes. Sed multis incommodis impedientibus vlteriùs exercitus transire non potuit, quia ad sustentationem tanti populi dape frumentaria & pabulis equorum male prouisum fuerat, cùm iam antequam portus Cysereos & difficultates montium ingredi incepissent, hominibus & equis necessaria, rara, & carissima venderentur. Præterea hyemis instantis periculum, quod iam intrabat in ianuis, multas ventorum & frigoris molestias & madefactiones imbrium minabatur. Nec propter hoc adhuc exercitus restitisset, si rei frumentariæ & pabulorum sufficientia posset alicubi reperiri. Tunc inuito Rege, qui ardentissimè cupiebat Hispanias introire, proditorum, vt creditur, consilio oportuit exercitum reuerti, donec veris amœnitas & necessariorum sagax prouisio iter facilius & commodius præparasset.

Quomodo Robertus Comes Attrebatensis missus à Rege Franciæ in Nauarram fuit.

PAVLVLVM antequam Philippus Rex Franciæ ad Saluamterram viam inciperet, dominus Eustachius de Bellomarchasio miles, quem ipse Rex miserat in Nauarram ad Regem illius gentis in manu sua conseruandum, cùm vellet aliquas consuetudines Nauarrorum iniustas in melius, si posset, commutare, orta contentione propter hoc inter ipsum & Barones patriæ, fuit ab ipsis & Pampilionis ciuibus

apud Pampilionem in castello siue burgo cum suis Francigenis tunc obsessus. Quod Rex Franciæ intelligens, misit celeriter ad sui liberationem & Nauarrorum perfidiam vindicandam Robertum Attrebatensem Comitem, & Ymbertum de Bellioco Franciæ Conestabularium: præcipiens eis, vt de Senescatu Tholosæ, Carcassonæ, Petragori, & Belliquadri exercitum congregarent, & quamcitiùs commodè possent regnum Nauarræ ad gentis suæ subsidium introirent. Duos etiam viros nobiles & potentes in illis partibus, Gasconem de Biardo, & Comitem Fuxinensem vt assumerent in suum adiutorium voluit & mandauit. Comes igitur Attrebati mandatum Regis adimplere desiderans, ascitis ex præcepto eius duobus prædictis nobilibus, de illis partibus tantum collegit exercitum, quòd ad viginti millia hominum vel ampliùs tam equitum quàm pedestrium poterat æstimari. Tali ergo congregato exercitu, versus finem terræ Gasconis de Biardo, in Castello ipsius quod Mollans nuncupatur, aliquantulum restiterunt, donec consuluissent, quomodo possent commodius Nauarræ difficiles aditus penetrare. Interim dum hæc aguntur, vnus de Nauarrorum Principibus nomine Petrus Sances à malo ceterorum proposito resiliens, Regíque Franciæ & dominæ suæ regni Nauarræ hæredi de cetero consentire volens, per Garsium Morani Regis Franciæ aduersariorum principem & Capitaneum vna nocte in lecto suo quiescens cum quinque aliis personis proditionaliter fuit interfectus. Cuius necem vxor & amici omnimodè vindicare cupientes promiserunt domino Eustachio, quem Nauarri in castello vrbis, sicut dictum est, obsederant, se si vellet cum ipso includere, vel difficultates portuum & introitus taliter liberare, quod genti suæ liber pateret aditus & egressus. Sed interea Comes Attrebati, qui, vt diximus iuxta introitum portuum cum valida manu peditum & equitum se tenebat portus Cysereos euitando, & in partem alteram per montes Pyreneos & terram Regis Arragonum transitum cum magna difficultate fecerat, in regnum Nauarræ suum exercitum introduxit, veniensque vsque ad vrbem Pampilionem, eam die Iouis ante natiuitatem beatæ Mariæ virginis tunc obsedit. Et quia contra eum ad prælium qui intus erant exire non audebant, Comes erectis ingeniis fecit eos fortiter de die in diem assaillire. Intus erat Garsius Morani Petri Sanche, vt diximus, interfector, Gonsalues, & multi alij Principes Nauarrorum, qui dominum Eustachium de Bellomercasio prædictum & suos Francigenas fortiter opprimebant. Et ipse similiter eos sæpe vice reciproca damnificabat in pluribus, & insultus eorum vacuos repellebat.

Quomodo Pampiliona capta fuit.

CVM autem Comes Attrebati per suas petrarias, Mangonellos, & alia ingenia, domos ciuitatis quamplurimum destrueret, tantus timor ciues turris arripuit, quòd potiùs de fuga cogitarent, quàm contra Comitem & gentes suas in bello confligere, aut intra ciuitatis mœnia se tueri. Propter quod Garsius Morani & alij principes factionis nocte superueniente choreas ducentes & exultantes cantabant magnis vocibus, vt ciues suos lætos facerent & exercitum deterrerent, quasi hoc sibi prouenisset ex feruenti desiderio contra hostes suos in crastinum præliandi. Sed omnes mediæ noctis caligine obumbrante, remanentibus ciuibus in periculo, turpiter aufugientes, & per regnum circumquaque suis locis adeuntes latuerunt. Garsius vero Morani, qui tam timore parentum Petri Sanche quem occiderant, quàm exercitus Regis Franciæ, ad Regem Castellæ se transtulit festinãter (erat enim ad septem leugas introitus regni Nauarræ non cum magna multitudine bellatorum, & ibi finem huius rei præstolans se tenebat) mittebat Carthalanos contra dominum Eustachium ad ciuitatis subsidium, & iam ad tres leugas vrbis couenerant. Sed cùm audissent Regis Franciæ exercitum aduenisse ante Pampilionem, vlterius pertransire non audentes, effracti & vacui ad illum qui eos miserat redierunt. Mane igitur facto, sciens & dolens Comes Attrebati, quod proditores euasissent, misit Conestabularium in vrbem ad loquendum cum ciuibus, qui cum magna petebant instantia recipi in tutelam. Et propter hoc pauore exterriti ad magnam Ecclesiam beatæ Mariæ confugerant, vt ibi saltem mortis vel captiuitatis suæ remedium inuenirent. Sed dum adhuc ad eos loqueretur, pedestris populus de exercitu supra muros ciuitatis vacuos defensoribus ascendens, & in vrbem nullo iubente, & inuitis suis Capitaneis,

A Capitaneis, qui eos quantum poterant refrænabant, prædandi cupidine introiuit. Nec fuerunt isti valoris homines nec nati de Francia, sed de terra Gasconis de Biardo, & Fuxinensis Comitis Albigenses, nec solum vrbem spoliis prædati sunt, sed quod deterius est, tanquam Sarracenos & hostes fidei tam mulieres quàm homines crudeliter occidebant; & etiam quod erat nequissimum, matronas & virgines obstuprabant. Ad cumulum etiam sui sceleris in tumbam Henrici Regis, qui iacebat in maiori Ecclesia beatæ Mariæ, manus sacrilegas iniecerunt, & quia eam esse auream, quæ de cupro fuerat deaurato, crediderunt, totam de loco euellentes dilaceratam reliquerunt. Hoc intellecto, Comes Attrebati valdè condoluit, mandans Canonicos, qui præ timore aufugerant, & eis & ciuibus benignè compatiens securitate & libertate condonata, redditus confirmauit; & in quantum potuit de præda, quam manus sceleratissimæ rapuerant assignauit. Capta itaque Pampiliona, Comes ciuitates alias & munitiones, exceptis septem castellis, occupauit, aliosque Regis aduersarios, quos in ciuitatibus & castellis inuenire potuit, cepit & incarcerauit: siluitque terra in conspectu eius, dissensionis complicibus profligatis.

B *Quomodo Comes Attrebati iuit loqui cum Rege Hispaniæ, & de reditu eius in Franciam.*

AVDIENS autem Rex Hispaniæ, quòd Comes Attrebati Pampilionem expugnasset, & totum regnum Nauarræ Regis Franciæ potestati subiugasset; nec non quod & ipse Rex Franciæ apud Saluamterram in Gasconia contra ipsum exercitum congregasset, mandauit eidem Comiti tanquam suo consanguineo charissimo, multis subiunctis precibus, quòd ad ipsum securè visitandum accederet pariter & loquendum. Haberet enim libenter, vt mandabat, cum ipso familiare colloquium. Sed Comes Attrebati super hoc inconsulto Rege Franciæ id ratus est fieri non debere. Sciebat etenim, quòd Rex Franciæ & Rex Hispaniæ seipsos ad inuicem diffidauerant; & quòd Rex Franciæ tunc cum potenti exercitu existéns apud Saluamterram in Gasconia moliebatur hostiliter in Hispanias introire. Et propter hoc Regi Franciæ significauit Comes Attrebati, vt super huiuscemodi rem suum sibi mandaret beneplacitum voluntatis. Consentiente igitur Rege Franciæ, qui nullam de Comite malam suspicionem habebat, iuit Comes in conductu Regis Hispaniæ cum paucis militibus, quos secum habebat, ad ipsum in Hispanias visitandum. Quem Alphonsus Rex gratulanter, vt decuit, lætè suscipiens & multum honorans, ad vltimum multis verbis præambulis exorauit, vt de pace componenda inter ipsum & Regem Franciæ omnimodè laboraret. Interim Rege Franciæ Philippo reuerso in Franciam, hoc statim apud Hispanias est cognitum, & Regis Hispaniæ ore proprio fuit Attrebatensi Comiti intimatum. Quo audito, Comes Attrebati, & multis aliis de statu Curiæ Regis Franciæ, ammiratione perculsus, redire quamcitius potuit accelerauit, & etiam suspectum habuit, quòd si Rex Franciæ vlterius processisset, proditionem aliquam incurrisset. Enimuerò, quia is statum curiæ Regis Franciæ nuncians, ita sciebat de consilio Regis, & prope ipsum esse de necessitate oportebat, Comes Petrum de Brocia Cambellanum habuit tunc suspectum. Reuersus autem in Nauarram, quid agendum esset de vrbe Pampilonia, Prisionibusque suis, maiores qui secum erant consuluit, videlicet vtrum rebus sic se habentibus rediret in Franciam, aut illic adhuc propter casus fortuitos, qui possent accidere, remaneret. In hoc ergo maiorum consensit consilium, quòd prius sacramentis à militibus Petri Sanche de fidelitate seruanda receptis, & bonis villis ciuitatibusque sibi pacificè fœderatis, si partem militiæ suæ Domino Eustachio de Bellomercasio dimitteret, posset securè in Franciam remeare. Quo facto Comes reuersus in Franciam, rei gestæ processum & ordinem, & quid viderat & audierat apud Regem Hispaniæ, Philippo Regi Franciæ domino suo quamcitius potuit enarrauit. Vnde Rex dolens quamplurimum in corde suo, cogitauit illum per quem sui statum hospitij ita sciebat aut prope se morari in seruitio, aut de suo consilio interesse. Et propter hoc de cetero fuit in dubium, cui se crederet aut sua consilia aperiret.

C

Incidentia. CIRCA idem tempus in quadragesima venerunt nuncij Tartarorum in Franciam ad Regem Philippum, dicentes eidem ex parte domini sui Regis

PHILIPPVS TERTIVS. Tartarorum, quòd si ipse Rex Franciæ, quia cruce signatus erat, proponeret contra Sarracenos ad partes Syriæ in Acon transfretare, dominus ipsorum consilium gentis suæ & iuuamen totaliter ac fideliter promittebat. Si autem veri nuncij aut exploratores fuerint, Deus nouit. Non enim erant Tartari natione nec moribus, sed de secta Georgianorum Christiani, quæ natio Tartaris totaliter est subiecta. Ipsi vero ex parte Regis ad Abbatiam sancti Dionysij in Francia ducti solemnitatem Paschæ ibidem celebrauerunt, morem Christianum per omnia ostendentes; & postea, vt dicebatur, causa consimili ad Edoardum Regem Angliæ peruenerunt. Papa Innocentius V. obiit, cui successit Adrianus, huius nominis V. natione Ianuensis. Hic cum sedisset mense vno & diebus nouem, defunctus est. Cui successit Iohannes XX. natione Hispanus. Anno Domini M. CC. LXXVII. Iohannes Papa cùm sibi vitæ spatium in annos plurimos extendi crederet, & hoc etiam coram multis assereret, subitò cum camera noua, quam pro se Viterbij circa Palatium construi fecerat, solus ipsa ruente corruit, & inter ligna & lapides collisus, sexto die post casum, perceptis omnibus Sacramentis Ecclesiasticis, expirauit. Sepultus est autem in eadem vrbe in Ecclesia sancti Laurentij. A

B

De captione Petri de Brocia, & eius morte.

EODEM tempore accidit, quòd quidam Monachus quasdam afferret literas Regi Franciæ Philippo apud Meledunum super Sequanam existenti, quas, vt dicebat, reliquerat in domo siue hospitio Abbatiæ suæ in vna pixide quidam nuncius illic præteriendo mortuus; qui illos de Abbatia sua adiurauerat, ne alicui literas illas traderent nisi regi. Rex autem Monachum gratè suscipiens mandauit illico consilium suum, & aperta pixide, literas illas aspicientes, inuenerunt eas sigillo Petri de Brocia sigillatas. Sed quid in eisdem contineretur literis, omnibus præter stricto Regis Consilio fuit, & adhuc est ignoratum. Ammirante tamen multum Regis Consilio super contentum in literis, Rex de Meleduno recedens venit Parisius, & iterum ibidem habens cum suo Consilio colloquium, dum postea se traxisset apud nemus Vicenarum iuxta Parisius, Petrus de Brocia ibi captus, primo Parisius incarceratus, & post apud Ianuillam in Belsia ductus, fuit ibidem in turri fortissima collocatus. Quo audito & intellecto, Episcopus Baiocensis Petrus consanguineus vxoris, vt diximus, dicti Petri de Brocia incarcerati, statim de regno Franciæ recedens, ad curiam Romanam se transtulit. Vbi tanquam exulem sub protectione summi Pontificis & Ecclesiæ ipsum oportuit longo tempore permanere. Non de longe postea Petrus de Brocia Parisius reductus & in carcere positus, fuit ibidem præsentibus Ducibus Burgundiæ & Brabantiæ ac Roberto Attrebatensi Comite communi latronum patibulo suspensus. Cuius mortis causa apud vulgus incognita, magnam cunctis qui audierunt admirationem & murmurationis materiam ministrauit. In hoc etiam facto possumus patenter aduertere, quam stultissimus est homo pauper de humili plebe natus, Regis alicuius aut Principis in seruitio positus, cùm ipsum ad altum statum fortuna prouexerit, si par nobilibus aut magnatibus voluerit effici vel videri. Nec enim vnquam tam alte fortuna prouexit aliquem, vt non tantundem sibi quantum permiserat minaretur. Petrus autem de Brocia sicut cedrus Libani in regno Franciæ fortunaliter exaltatus, & in altiori loco volubilis fortunæ positus, dum ibidem permanere credidit, reuolutione vnica rotæ fortunæ plus decidit, quàm fuerat in duplo centies eleuatus. Et non solùm ipse cecidit, sed & omnes, qui eius ope promoti fuerant, seruitia perdiderunt. C

Incidentia. EODEM temporis concursu defuncto, sicut superius dictum est, Iohanne Papa, Dominus Iohannes Gaitanus natione Romanus de genere Vrsinorum in Papam eligitur, & Nicolaus huius nominis tertius nuncupatur. Hic autem anno Domini M. CC. LXXVIII. statim post promotionem suam Carolum Regem Siciliæ à vicariatu Thusciæ amouit, & constitutiones faciens tam de electionibus Prælatorum, quàm de electione Senatoris vrbis Romæ, se in Senatorem ad vitam fieri procurauit, faciens per suos parentes Senatoriam fere per duos annos Regi. Hic misit ad Carolum Regem Siciliæ in Apuliam vnum de suis Cardinalibus, volens super amotione Vicariæ Thusciæ, ac Senatoriæ vrbis Romæ, eius continentiam, patientiam, & obedientiam experiri. Sed hunc relatione Cardinalis in omnibus

A omnibus & per omnia magis bonum & humilem atque discretum quàm credidit inueniens, dixisse fertur: Fidelitatem habet à domo Franciæ, perspicuitatem ingenij à regno Hispaniæ, discretionem verborum à frequentatione Romanæ curiæ: alios possemus superare, istum autem non poterimus. Magister Iohannes de Aurelianis Cancellarius Parisiensis per Papam Nicolaum ad Episcopatum Parisiensem promotus, sæculo vale faciens totum dimittit, & in domo fratrum Prædicatorum Parisius religionis habitum assumens, pauper ibidem cum pauperibus deuotè Domino famulando huius vitæ peregit incolatum. Circa idem tempus Bondodar Babyloniæ Soldanus, qui Antiochenam vrbem destruxerat, & Christianitati in partibus transmarinis fecerat multa mala, congregans exercitum magnæ multitudinis in Turcia, cum Tartaris habuit conflictum: sed maxima parte sui exercitus à Tartaris cæsa, ipse lethaliter saucius redire compellitur in Damascum. Quo non multo post mortuo, succedens eidem filius eius non diu pacificè dominium gubernauit. Nam plures Amiralij contra eum conspirantes, ipsum in castello fortissimo, quod Lemat dicitur, iuxta Babylonem cum suis fautoribus obsederunt. Vnde inter ipsos paulatim tanta pullulauit discordia, quòd se passim communiter & vbique alterutrum occidebant.

B

De aduentu Caroli Principis Salernæ in Franciam, & de itinere Regis Philippi ad montem Masceij.

ANNO Domini M. CC. LXXIX. Princeps Salernæ Carolus Regis Siciliæ illustrissimi Caroli filius, veniens in Franciam cum magno honore à Rege & Baronibus est receptus, ac pro eius amore & reuerentia dedit licentiam Philippus Rex in ludis tyrociniorum milites exercendi. Fecerat enim parum ante Rex Franciæ fratrem suum Robertum Comitem Clarimontis militem nouum, & cum illo quamplures alios. Quibus & multis aliis ob honorem & amorem Principis cognati sui dedit ad tyrocinia exercenda, arma & equos quamplurimos affluenter. Ipse verò Rex per tyrocinia commonendo milites ad probitatem discurrens, quos pedites inueniebat releuans, dando equos animabat iterum ad conflictum & certamina subeunda. In quodam igitur illorum tyrociniorum Comes Clarimontis prædictus iuuenis & nouus miles armorum pondere prægrauatus, & malleorum ictibus super caput pluries & fortiter percussus, vexatione cerebri intonitus, decidit in amentiam perpetuam. De quo damnum & dolor maximus emanauit. Erat autem formâ egregius, & statura mediocriter eminens, cuius animus ad probitatem tendens peruenire poterat, si Dominus annuisset. Habebat verò vxorem filiam dominæ de Borbona vxoris quondam fratris Ducis Burgundiæ Roberti, & post Comitis Attrebatensis Roberti; de qua plures pueros postea genuit & suscepit. Reuerso denique postea Salernæ Principe Carolo ad patrem suum in Apuliam, Rex Franciæ Philippus anno Domini M. CC. LXXX. congregatis totius regni sui Baronibus profectus est apud montem Masceij in Gasconia. Ad illas enim partes accedere debebat Alphonsus Hispaniæ Rex tractaturus de pace super iniuria dominæ Blanchæ sororis Franciæ Regis, & puerorum eius filiorum defuncti Ferrandi primogeniti sui superius nominati, quos iure regni priuare totaliter nitebatur. Existente igitur Rege Hispaniæ & aduentato apud Baionam Gasconiæ ciuitatem maritimam, congregabantur hinc inde per plures dies regales & solemnes nuncij pro dicto negotio expediendo apud Aquas. Sed cùm minimè ita proficerent, & teneret firmum propositum Rex Franciæ iterum exercitum congregandi, mandauit interim Papa Nicolaus vtrique Regi sub pœna anathematis, quam in discordantes ferebat, vt saluis vtrinque iustis rationibus in pacem & concordiam ad honorem Dei & vtilitatem Ecclesiæ conuenirent. Destinauit ad hoc solemnes nuncios Ministros generales fratrum Prædicatorum & Minorum. Sed indignatione inter Reges pullulante, ipsi negotium ad finem perducere nequiuerunt. Et licèt Rex Franciæ satis esset summo Pontifici obediens, recedens tamen de monte Masceij absque effectu negotij, apud Tholosam se transtulit, ibique ad eum perueniens Petrus Aragoniæ Rex cum magno honore susceptus est, & donis ac iocalibus quamplurimis honoratus. Sed ingratus tanto honore & beneficiis, statim reuersus in regnum suum, consilio vxoris suæ Constantiæ Reginæ Manfredi quondam damnati filiæ, Siculis, qui iam contra

C

PHILIPPVS TERTIVS. Regem Siciliæ Carolum conspirauerant, confœderatus est. Nam missi Siculorum, Panormitanorum maximè & Messenensium, ad ipsum tunc conuenerant, dicentes quod si contra Regem Carolum vellet cum ipsis insurgere, & eosdem tueri, de cetero ipsum in Regem & dominum reciperent & haberent. A

Incidentia. ANNO posterius nominato Nicolaus Papa in Surlano castro prope Viterbium moritur, & vacauit Sedes quinque mensibus & diebus viginti. Eodem anno Sequana flumen Galliæ circa principium mensis Ianuarij sic suos transcendit alueos, quòd Parisius duos pontes & aliis locis quamplures fregerit, atque ita circumquaque inundauit ciuitatem Parisiensem, quòd nequiret à parte villæ sancti Dionysij absque nauigio ingredi, & ex alia parte infra muros vsque ad crucem Hemondi per totam plateam Maberti vasa naualia discurrebant. Hanibaldenses quamcitò mortem Nicolai Papæ sciuerunt, conuocata parte sua capitolij & cercocharium vrbis Romæ existentium sub custodia vicariorum, quos idem Papa constituerat, par dominium inuitis Vrsinis in vrbe habuerunt. Ita quod ex pacto inter eos habito pro parte Hanibaldensium vnus, & pro parte Vrsinorum alius in Capitolio Senatoris officium gerentes fuerint constituti. Sub quorum regimine multa homicidia, plurimæque dissensiones, & alia mala quamplura sunt habita tam in vrbe quàm in eius destrictu, & tamen impunita. B

Mötpicien Mons Pincij. ANNO Domini M.CC.LXXXI. dominus Simon S. Ceciliæ presbyter Cardinalis natione Gallicus de Montpincem in Bria in Papam eligitur, & apud Vrbemueterem x. Cal. April. consecratus, Martinus huius nominis IIII. est appellatus. Is electus in Senatorem vrbis Romæ ad vitam, loco sui substituit Regem Siciliæ Carolum, de domo seu familia ipsius Regis sumpsit milites ad regendum patrimonium Ecclesiæ Romanæ. In Romaniola verò destinauit dominum Iohannem de Apia Comitem cum soldenariis Francigenis fere octingentis contra Guidonem Montisfeltri, qui terram Ecclesiæ Romanæ detinebat illis in partibus occupatam. Iste autem Guido de ciuitate in ciuitatem se transferens malitiosè, infra forterici as se tenens, rapiebat interdum prædas, vnde sui sequaces pascebantur. Eodem tempore apud Vrbemueterem orta fuit discordia inter gentem Regis Siciliæ & Vrbeueteranos, assensu, vt dicebatur, Ranerij capitanei Vrbeueterani, qui volebat quòd Rex Siciliæ & Gallici damnum & vituperium sustinerent. Nam cùm tumultus magnus in ciuitate oriretur contra Gallicos, & clamores validos emitterent Vrbeueterani, mortem ad Gallicos exclamantes, sæpeuocatus Ranerius vt gentem suam refrænaret, se fingebat infirmum. Sed Francis ad arma concurrentibus, tandem cessauit dissensio, aliquibus tamen hinc inde vulneratis, & quampluribus Vrbeueteranis interfectis.

De rebellione Siculorum contra Regem Carolum assensu Petri de Arragonia.

CIRCA idem tempus Petrus Arragoniæ Rex, vxoris suæ Constantiæ Reginæ arte callida circumuentus, quæ se hæredem regni Siciliæ faciebat, assensum dedit Siculis, qui contra dominum suum Regem Siciliæ Carolum conspirauerant, si aduersus ipsum & gentem suam insurgeret pro posse suo eosdem iuuare fideliter & tueri. Sed ne credatur Constantia in regno Siciliæ ius habere, pauca hic de suis progenitoribus proloquatur. Fredericum enim auum suum Imperatorem Romanum & Regem Siciliæ Innocentius Papa IIII. propter suos excessus & culpas innumeras indignum imperio & regno omnique honore & dignitate in Concilio Lugduni eodem approbante sacro Concilio reddidit; & ne regnaret vel imperaret de cetero abiectum denuncians sententiando priuauit. Cùm autem postea ad dispositionem Ecclesiæ Romanæ regnum Siciliæ, cuius iuris & proprietatis existit, esset liberè deuolutum, & prædixisset in Concilio præfato Romana Curia de illo regno se prouisurum: Corrardus filius Frederici prædicti de filia Regis quondam Hierusalem Iohannis, sui patris sequendo praua vestigia, illud regnum præsumptione temeraria occupauit. Eo etiam subtracto de mundo, Manfredus Princeps Tarentinus istius Constantiæ Reginæ pater, quem sæpe dictus Fredericus de damnata copula susceperat, contra iuramentum fidelitatis, quod Ecclesiæ Romanæ præstiterat, veniendo, sub quadam Corrardini filij dicti Corrardi nepotis sui simulata protectione tutatoria, ad dictum regnum Siciliæ manus occupatrices extendit. Propter quod, & alios suos actus nefarios Alexander Papa quartus ipsum Tarentini G

principatu

A principatu & omni alio honore indignum sententiando priuauit, & priuando totaliter denunciauit. O Constantia mulier detestabilis, quæ malè suasa à diabolo tot mala fieri impetrasti, & tot bona quæ concepta fuerant & fieri poterant impedisti! Erat enim Christianissimus Rex Siciliæ Carolus cruce signatus, magnumque apparatum præparauerat in terræ sanctæ subsidium profuturum, & ad regnum Hierusalem, cuius ius emerat, conquirendum. Debebat verò illuc in breui proficisci, vt gentem Sarracenicam Christiani nominis inimicam expugnaret, si Dominus annuisset. Sed totius boni impeditor diabolus currens ad sua arma vetustissima, per quæ priuauit hominem de gaudiis Paradisi, ita commouit Siculos hortatu & consilio Reginæ Constantiæ Petri Aragoniæ vxoris, quòd statim de Aragonia reuersis ipsorum nunciis tyrannidem arriperent contra gentem Regis Caroli Gallicanam. Nam succensi rabie Panormitani & Messanenses rebellionis spiritum assumentes, Gallicos omnes, qui infra Siciliam morabantur, tam mares quàm feminas, senes & iuuenes in contemptum Regis Caroli occiderunt. Et quod detestabilius fuit, latus aperientes mulierum prægnantium, quæ dicebantur à Gallicis concepisse, partus occidebant antequam nascerentur. Hoc audito & intellecto, B Petrus Aragoniæ Rex statim parauit nauigium, & gentes in magna multitudine congregauit, vt Siculos, si opus esset, contra Regem Carolum adiuuaret. Sed ne perciperetur eius quam conceperat iniquitas, misit ad Romanam Curiam solemnes nuncios; fingendo significans, quòd cum sumptuoso & solicito apparatu ad Dei Ecclesiæ seruitium & exaltationem Catholicæ fidei versus Africam super barbaros suæ potentiæ brachium dirigebat. Petiit etiam à Papa & Cardinalibus ipsorum auxilium, & vt decimam Ecclesiarum regni sui sibi concedere dignarentur. Super quo Papa iam dubius mandauit eidem, quòd si bene se haberet, iuuamen & gratiam erga se quamplurimam inueniret.

De aduentu Petri Aragoniæ versus Siciliam.

IGITVR Petrus Aragoniæ Rex præparato nauigio mare intrans vento prospero & mare placido portui Tunarum applicuit, vbi multitudinem paganorum inter districtus montium reprimens, tria fere millia de suis amisit. In partibus verò illis quæ viciniores sunt Siciliæ diebus aliquibus declinans, expectauit vt oportunitate captata commodiùs iniquitatem quam conceperat parturiret. Siculos & maximè Panormitanos sollicitans per suos nuncios exinde missos, vt Regem Carolum non timerent, quia eius auxilium & gentis suæ certissimè obtinerent. Interim Carolus Rex audita morte suorum, & Petri Regis Aragoniæ prope Siciliam aduentu, hoc Papæ Martino & Regi Franciæ nepoti suo mandare non distulit. Quod Papa in- C telligens, & tantorum malorum principiis obstare cupiens, ne sero medicina pararetur, apud Vrbemueterem præsente multitudine fidelium de consilio fratrum suorum Cardinalium vniuersos & singulos cuiuscunque præeminentiæ, conditionis, aut status, attentè monuit, eisque districtè præcepit, ne in regno Siciliæ vel in parte eius Ecclesiam Romanam aut Regem Carolum, qui regnum Siciliæ ab Ecclesia tenebat, per se vel per alium molestarent, impeterent, vel etiam perturbarent quoquo modo. Si qui autem contra monitionem & præcepta eadem quocunque dolo, vel ingenio, vel machinatione venire præsumerent, ipso facto censuit excommunicationis sententiæ subiacere. Misit etiam ad partes illas Episcopum Sabinensem dominum Girardum de Parma Cardinalem cum plenæ legationis officio tanquam pacis angelum destinatum, qui rebelles Siculos ad pacis & satisfactionis concordiam reuocaret. Sed ecce, Cardinali ad littus maris ciuitatis Messanensis oppositum adueniente, dum nonnulli Siculi & specialiter Messanenses eius nuncios libenter admitterent, dominium Romanæ Ecclesiæ recognoscentes & publicè inuocantes, Petrus Aragoniæ Rex intrans Siciliam, ipsos & ceteros terræ Siciliæ in tantum incitauit, quod Cardinalis nuncios recipere de cetero denegarunt. Siquidem caterua militum & peditum stipatus, nomine vxoris suæ occupans terram, & pacem Ecclesiæ perturbans, nomen Regis vsurpat, & se Regem Siciliæ nominat, Carolo in suis literis regni Siciliæ titulum subtrahendo. Et sic Cardinali bona quærenti, ac pacem expectanti, turbinis grauioris tempestas apparuit. Vnde quia Petrum Siculi Regem & dominum inuocabant, Ecclesiam Romanam & Regem Carolum

PHILIPPVS TERTIVS. contemnentes, redire ad Papam inefficax compulsus est, narrans ipsi & Cardinalibus, quomodo Siculi ipsum ac Regem Carolum & Ecclesiam Romanam contemnerent pro Petro Aragoniæ Rege; & non solum ipsi, sed etiam maior pars Calabriæ rebellasset. A

Quomodo Rex Carolus iuit Messanam vrbem obsidere.

INTEREA Rex Carolus mittens in Franciam filium suum Salernæ principem Carolum, vt inde militiam congregaret, præcepit eidem quatenus ad se quàm citò commodius posset in Apulia, vel vbi ipsum adesse contingeret, collecta militia remearet. Ipse verò exercitu collecto in Apulia vel vndecunque tunc potuit, & assumpto secum domino Girardo de Parma Romanæ Ecclesiæ Cardinali, versus partes Siciliæ se transtulit festinanter. Qui Farro prospere transito, portui ciuitatis Messanæ applicantes, dum defensores nullos inueniunt vrbem protinus obsederunt. Ciues autem improuisi nec muniti fuerant, aut ad repugnandum modo aliquo præparati. Qui capi de facili potuissent in aduentu Regis Caroli, si ad vrbem in instanti assultus fieri præcepisset. Sed miseratione quæ non debuit vel decuit malos ciues, & tam nobilem vrbem destruere miseratus Rex Carolus, ad eos de ciuitate misit nuncios, volens scire vtrum de vita & corporibus se suæ subderent voluntati. Cardinalis enim fideliter laborabat, quantum poterat, vt ad pacem traherentur. Sed cùm hinc inde reconciliandi dantur induciæ, ciues se præparant, & ad suam defendendam ciuitatem se armis & aliis peroptime munierunt. Vnde patenter possumus aduertere illud vulgare prouerbium: *Qui non facit cum potest, non facit quando vult.* & illud Ouidianum: *Nocuit differre paratis.* Vrbe autem munita, vt viderunt ciues se posse à Gallicis defendere, pacta vel conuentiones, quæ primo antequam muniti fuissent facere promittebant, concedere vel obseruare, parati ad prælium, noluerunt. Et tunc sero Rex Carolus vrbem assaillire præcipiens, nil profecit; quia ciues, qui benè muniti fuerant, se audacter & viriliter defenderunt. Pluribus verò per dies aliquot assultibus factis, cùm in vanam Gallici laborarent, & plus amitterent quàm lucrarentur: Carolus consilio suorum, & maximè Comitis Acherrarum, vt post decessum Regis Caroli apparuit proditoris, Farro iterum transmeato versus Calabriam se retraxit. Ibi enim in planis sancti Martini cum exercitu se tenens, ne ceteri de Calabria aut Apulia rebellarent, expectauit donec ad ipsum filius suus cum succursu de Francia adueniret. Naues etiam suas, quas diuersis maris littoribus fere repletas armis & aliis garnisionibus, quæ omnia ad Terræ sanctæ subsidium præparauerat, euacuans, nonnullas fecit frangere, ne ad manus hostium suorum deuenientes, eorum lucro recalcitrarent Siculi fortius impinguati. Interim Petrus Aragoniæ Rex quemadmodum præsumptuosus & superbus vento superbiæ inflatus, eo quòd Rex Carolus obsidionem Messanensium reliquisset & Farrum sine alicuius effectu operis pertransisset, fecit se in contemptum ipsius Caroli Regis contra inhibitionem domini Papæ, propter quod excommunicatus fuit, in Regem Siciliæ coronari. Insuper ad maioris sui ipsius præsumptæ exaltationis & temeritatis cumulum, per suas mandauit literas Regi Carolo destinatas in Calabria, in quibus Regem se Siciliæ nominabat; quòd ipse de regno suo exiens, in eodem non præsumeret amplius immorari. Quo audito & intellecto, Papa Romanus ipsum Petrum iam excommunicatum de consilio fratrum suorum Cardinalium omni honore, regno, & dignitate abiectum ostendit, & sententiando priuauit: regnum Aragoniæ nepoti suo Carolo Comiti de Valesio Philippi Regis Franciæ filio per suas patentes literas concedendo.

Incidentia. MENSE Februario piscis marinus in effigie leonis captus, cuius pellis pilosa, pedes breues, cauda leonina, & ceterum corpus erat leoninum, apud Vrbemueterem, vbi erat Papa & Curia, deportatus fuit. Referebatur enim quòd in eius captione planctus horribiles emiserat, quod à multis signum dicebatur fieri prænosticum futurorum. Parisius inter clericos Picardiæ nationis & Anglicos ibidem scholares tanta fuit discordia, quòd studium omninò Parisius deficere crederetur. Nam domos Picardorum Anglici confringentes tanta debacchatione in ipsos irruerunt, quòd nonnullos occidentes, ceteros de ciuitate Parisiensi ad suas partes fugere compulerunt.

ANNO

A ANNO Domini M.CC.LXXXII. pridie Calendas Maij, dominus Ioannes de Apia & soldenarij domini Papæ Martini missi contra Guidonem Comitem Montis feltri, in Romaniola burgum ciuitatis Foriliuij capiunt, per hanc diem & noctem sequentem ibidem remanentes. Die verò crastina, scilicet prima die Maij, congregatis aciebus in tres turmas ante faciem ciuitatis, hinc inde fit acre prælium: in quo Comes Thadeus nobilis Ecclesiæ pugil cum quingentis fere Gallis cecidit, & ex aduersa parte mille quingenti tam nobilium quam ignobilium occisi sunt. Tandem nocte superueniente, superstites ad suas partes se trahentes, nulli fuit illa die victoria attributa. Soldanus Babyloniæ fugatur à Tartaris per octo dietas, perdiditque de suis fere quinquaginta millia: sed iterum Soldanus viribus resumptis Tartaros fugere compulit, & ex ipsis triginta millia occidit. Solemnis inquisitio fuit facta de vita & miraculis sanctæ memoriæ Regis Franciæ Ludouici.

De succursu qui venit ad Carolum Regem Siciliæ; & quomodo Petrus Arragoniæ mandauit ei bellum centum contra centum.

B CIRCA idem tempus Petrus Alansonis Comes frater Regis Franciæ Philippi, Robertus Comes Attrebati, Comes Burgundiæ Othelinus, Comes Boloniæ, Comes Domni Martini Iohannes, dominus de Morenciaco Matheus, & multi alij nobiles & ignobiles cum magno exercitu de Francia egressi, in auxilium Regis Siciliæ Caroli apud Apuliam profecti sunt. Transeuntes igitur absque impedimento per Italiam vexilis deplicatis, festinato itinere peruenerunt ad Regem Carolum, qui adhuc reuersus de obsidione Messanæ ciuitatis, in planis sancti Martini de Calabria se tenebat. Rex aduentu ipsorum lætificatus, quasi quotidie aciebus ad bellum dispositis, per terram Calabriæ vsque Alagatonne & alibi equitabat, videns & tentans si suis hostibus posset obuiare. Sed aduersarij Gallorum probitatem & audaciam scientes, & in plerisque locis virtutem illorum experti, cum ipsis confligere non sunt ausi. Imò statim vt videbant eos, ad ciuitates & castella fugiebant, vel se ad mare in galeis tuebantur. Præterea Petrus Aragoniæ non ignorans Regis Caroli probitatem, & succursum sibi de Francia aduenisse, vt potius dolo vel artis industria quàm aliquo belli genere contra ipsum & Gallicos dimicaret, ac se & suos interim ad defensionem prępararet, & de multis sibi necessariis prouideret, tale belli pactum Carolo demandauit; scilicet vt haberet eorum quilibet, videlicet Petrus & Carolus, centum quos vellet & posset secum milites prima die Iunij sebsequentis in planis Burdegalis, centum contra centum ad pugnandum ad inuicem præparatos: inter quos debebant ipsi duo Petrus & Carolus computari. Et qui victus esset, infamis perpetuò ac priuatus honore Regióque nomine remaneret, vno qui cum ipso solus incederet contentus de cetero seruiente. Non veniens
C verò ad diem prædictum in dicto loco sic præparatus, similes pœnas & periurium incurrebat. O mira & præsumpta fraus callidi inimici, cuius fortitudo aduersus Gallicos vt fauilla stupæ verè erat & posset fieri, si contra illos manutentim voluisset in campi planicie exertis gladiis dimicare. Sed cognoscens gentem Francorum, vtpote delicatam & delitiis assuetam, aut aëris intemperie, aut in alienis partibus moras diu protrahendo, morbis aliquibus fuisse multotiens debilitatam, virtutem illorum talibus sic lacessionibus tunc elisit. Nam assultus hostium suorum dimittendo Rex Carolus consensit Petro in talibus, & hoc Regi Franciæ nepoti suo significans, mandauit vt sibi & centum militibus armaturas faceret fortiores & meliores quas posset diligenter Parisius operari. Sed nec tunc mandato summi Pontificis, qui hoc fieri sibi sub interminatione anathematis prohibebat, retineri potuit, quin conflictum prædictum acceptaret, & ad hunc se totis viribus præpararet.

Quomodo Carolus Rex Siciliæ venit apud Burdegalas contra Petrum Arragoniæ.

REX igitur Franciæ Philippus Regis Siciliæ auunculi sui mandatum intelligens, fecit eidem quod mandauerat præparari, satis admirans quomodo Petrus de Arragonia talia facere contra Regem Siciliæ præsumpsisset. Et hoc regni sui Baronibus significans mandauit eisdem, vt secum ad diem belli impositum obuiam Regi Carolo auunculo suo apud Burdegalas aduenirent. Interim Rex Siciliæ

PHILIPPVS TERTIVS. quæ sibi necessaria fuerant præparatis, in filij sui principis Caroli & nepotum suorum Petri Alensonis & Roberti Attrebatensis Comitum terram suam custodia dimittens, ad Romanam Curiam profectus est. Papa verò & Cardinales ipsum multum de huiusmodi conflictu faciendo increpantes, cùm nihil proficerent, dimiserunt. Et ipse eis valedicto recedens, duxit secum dominum Iohannem dictum Cholet sanctæ Ceciliæ presbyterum Cardinalem, qui potestatem à Papa receperat excommunicandi & iterum condemnandi Petrum, nisi satisfaceret de commissis. A

1283. Anno autem Domini millesimo ducentesimo octogesimo tertio, prima die Iunij apud Burdegalas veniens Rex Carolus in præsentia Regis Franciæ, qui illuc aduenerat cum magna Baronum ac militum comitiua, Senescallo Regis Angliæ, cuius erat terræ dominium, qui tenebat Curiam, se contra Petrum de Arragonia præsentauit, eodem modo quo sibi mandauerat præparatus. Sed non ausus illuc venire vt debebat dictus Petrus; nocte tamen diem statutam præcedenti cum duobus sociis, vt tradunt aliqui, locutus est in priuato loco & remoto cum Burdegali Senescallo; prætendens quòd seruare pactum suum ibidem propter timorem Regis Franciæ non auderet. Quo tamen expectato aliquantis diebus, cùm non veniret, Rex Franciæ iratus Iohannem Nunnij militem illum, qui ad se iamdudum de Hispania, sicut superiùs dictum est, aduenerat, misit, & cum eo seruientes & milites quamplures de regno suo, vt per deuersus Nauarram regnum Petri inuaderent & vastarent. Qui celeri expeditione regnum Arragoniæ intrantes, hostiliter terræ illi damna quamplurima intulerunt, & omnia vastantes ante se munitionem quandam cum turri fortissima, quæ ibidem aderat, euerterunt. Captus vero fuit ibidem quidam miles probissimus, qui ductus apud Tholosam in carcere, post euasit. Dicebatur enim quòd si vlteriùs processissent, eo quòd Petrus improuisus aderat, nec in aliquo munitus totum regnum tunc Arragoniæ de facili occupassent. Sed Philippo & Carolo Regibus de Gasconia reuersis in Francia cum legato, Rex Franciæ consilio habito pro gente sua misit, & vt ab incæpto desisterent, demandauit. B

Incidentia. CIRCA idem tempus Guido de Monte forti miles strenuus, filius Simonis de Monte forti Comitis quondam Leycestriæ in Anglia perempti qui ob interfectionē Henrici de Alemannia in prisione Ecclesiæ Romanæ dudum permanserat, à Papa Martino in auxilium suorum in Romaniolam fuit missus. Quo illuc adueniente, statim Guido de Monte-feltri Comes per se terras & ciuitates Ecclesiæ occupatas ipsi Guidoni de Monte forti nomine Romanæ Ecclesiæ restituit, iurans se mandatis Ecclesiæ pariturum. Sicque terra Romaniolæ ad mandatum domini Papæ pacificè reuersa, excepta Vrbinati ciuitate, eam Guido de Monte forti hostiliter aggreditur, accipiens & deuastans quicquid reperit extra muros. Interim defuncto Thusciæ Comite Rubeo, cuius filiam Guido de Monte forti desponsauerat in vxorem, oportuit ipsum Guidonem exercitum domini Papæ in obsidione Vrbinatis relinquere, vt terram quæ vxori suæ ex morte Comitis Rubei & pueris suis obuenire debebat, contra Comitem sanctæ Floræ, qui eam satagebat impetere, defensaret. Licentia igitur à domino Papa accepta, cum in Thusciam aduenisset, Comes Anguullariæ ipsum nitens pro posse suo offendere, terram eius hostiliter subintrauit. Sed ipse Guido contra eum pergens viriliter, quosdam de suis cepit, & plurimos interfecit. Eodem tempore Comes Alansonis Petrus Philippi Regis Franciæ frater, qui in Apuliam profectus fuerat, diem clausit extremum. Cuius caro & viscera in Abbatia Regalis montis Apuliæ Cisterciensis ordinis, quam fundauit Rex Carolus Siciliæ, sepulta sunt. Ossa vero nec non & cor Parisius allata, illud apud fratres Prædicatores, & ea fuerunt apud Minores reposita sepulturæ. Vxor autem eius Iohanna Blesis comitissa absque liberis remanens, in sancta viduitate vitæ huius pertransiuit incolatum. Eodem anno posteriùs annotato Philippus Rex Franciæ circa natale Domini, grande tenens Parisius Parlamentum, regnum Arragoniæ oblatum sibi pro filio suo Carolo ab Ecclesia tunc recepit. Et concessa fuit sibi Ecclesiarum decima, ad expeditionem dicti regni Arragoniæ conquirendi. Prædicauit etiam Cardinalis Romanæ Curiæ dominus Iohannes Coleti, de cruce; vt irent homines super Petrum Arragoniæ condemnatum. Et tunc Rege Franciæ cruce signato, multi tam nobiles quàm ignobiles ad huius expeditionem itineris consimiliter crucis signaculum assumpserunt. C

De reditu

A *De reditu Regis Siciliæ in Apuliam; & quomodo filius eius Princeps Salernitanus captus à Siculis fuit, & ipse Rex post defunctus.*

POSTQVAM Franciæ Rex Philippus Arragoniæ crucem assumpserat, Carolus Rex Siciliæ inclytus, qui ferè per annum in Francia fuerat commoratus, accepta à Rege Franciæ nepote suo licentia, redire versus Apuliam breuiori itinere quo potuit festinauit. Misit autem de Prouincia per mare nuntios ad filium literas deferentes, in quibus prohibebat ipsimet, ne conflictum erga Siculos per mare inciperet vel haberet. Debebat etenim cum ingenti galearum numero, quas de Marsilia & alibi congregatas armis & gentibus ac omni bellicoso apparatu parauerat, ad ipsum in proximo peruenire. Sed dum eius nuntij per mare nauigant festinanter, capti sunt à Siculis, qui mare curiosiùs obseruabant: & literis ac bonis omnibus spoliati. Vt ergo Regis Caroli per literas nuntiorum aduentum celerem agnouerunt, Siculi statim cum XXVII. galeis, armis & gentibus munitis, venerunt prope Neapolim proferentes multos clamores & indicia, quibus possent aliquos ante Regis aduentum offendere, aut mouerent ibidem existentes Gallicos ad pugnandum. Quos B audiens Princeps Regis filius, qui dimisso Attrebatensi Comite certis de causis de Calabria illuc aduenerat, motus & incitatus clamoribus eorundem, ac de aduentu patris inscius, damnosæ probitatis sumens audaciam, cum suis bellatoribus Francigenis & aliis intrans galeas ad pugnandum præparatas, ipsos fortiter aggressus est. Sed quia belli naualis gens sua ignara extitit, & potius fraude nautarum, vt aiunt, deceptus, cum suis deuictus & captus fuit, ac Messana ciuitate illico ductus ibidem carceri mancipatus. Quod audiens Regina Constantia Petri vxor de Arragonia, quæ apud Panormum iamdiu cum natis suis Iacobo & Manfredo aduenerat, fecit eum festinanter prope Neapolim ducere, & de mari eius ostendere vxori, prætendens nisi suam sibi redderet sororem, quam tenebat Rex Carolus captiuatam, viri sui caput abscindere statim faceret, & in mare corpus ante oculos eius præcipitari. Quo permota pietate principis capti vxor, statim sororem Constantiæ illis reddidit, sed virum suum aut pro ipsa aliquem non recepit. Quarta igitur die sequenti postquam Princeps captus fuerat, veniente Carolo Rege Neapolim, Neapolitanos qui iam rebellionis spiritum assumpserant, & gentes suas Francigenas in parte expulerant, castigauit, & eos comminantibus oculis quasi inscius præmissorum à suis permisit sequacibus cruciari. De captione vero filij quamplurimum turbatus: sed hoc quantum potuit sub dissimulatione præteriens, versus Regiam in Calabria, vbi erat Comes Attrebati nepos suus se transtulit cupiens Farum transire, vt Messanam obsideret ciuitatem. Sed nequiens quod conceperat propter instantem hyemem adimplere, vasa sua in portu Brundusij, ne per flatus hyemales frangerentur, C aut forte ab inimicis caperentur, destinauit. Ipse tandē in infirmitate cadens septimo die mensis Ianuarij diem clausit extremum, scilicèt anno Domini M.CC.LXXXIV. Cuius corpus conditum aromatibus pretiosis apud Neapolim ciuitatem suam delatum est, & in maiori Ecclesia sepultum cum honore, sicut decuit tantum principem sepeliri. Mortem vero ipsius audiens Papa Martinus cum suis Cardinalibus Lugubres dies sicut licuit celebrauit, & Comiti Attrebatensi, cui tutelam regni Siciliæ & puerorum capti Principis Salernæ mittebat, magnam summam pecuniæ in suæ gentis sustentationem & regni Siciliæ subsidium destinauit. Qui quandiu ibidem interfuit, bonus tutor ac regni defensor extitit, & egregius inimicorum debellator. Et nisi in illis partibus tunc fuisset, tota terra Apuliæ & reliquum gentis Calabriæ totaliter rebellasset.

Incidentia. EODEM anno, quo defunctus est Rex Siciliæ Carolus, in crastino Assumptionis beatæ Mariæ, Philippus Regis Franciæ Philippi primogenitus, Ioannam consanguineam suam defuncti Henrici Regis Nauarræ Comitisque Campaniæ filiam vnicam dispensatione Romanæ Ecclesiæ duxit apud Parisius in vxorem. Eodem anno quo supra in vigilia sanctæ Catharinæ virginis per totam noctem tanta fuit ventorum vehementia, quod multæ domus, multaque monasteriorum clocheria & multæ fortes ac magnæ proceritatis arbores per regnum Franciæ in diuersis locis ceciderint. Comes Iouiniaci, qui in obsidione Vrbinais cum gente domini Papæ remanserat, contra instructionem domini Guidonis de Monte forti Vrbinaes im-

A prudenter inuadens, ibidem extitit interfectus. Anno Domini M.CC.LXXXV. die Annuntiationis beatæ Mariæ, qui fuit dies Resurrectionis Dominicæ, postquam Papa Martinus Missam celebrasset, & refectionem solitam sumpsisset cum suis Capellanis, arripuit eum occulta & grauis infirmitas. Ex qua licèt se grauiter pati diceret, eius Physici morbum ignorantes & causas, asseruerunt nullum mortis indicium in eo apparere. Die vero Mercurij proximo sequenti circa noctis horam quasi quintam, debitum exoluens conditionis humanæ, ad Dominum vt certis opinatur indiciis transmigrauit. Nam diuersarum afflicti passionum & morborum ad tumulum eius venientes, multis videntibus sunt sanati. Successit autem eidem dominus Hieronymus Cardinalis ordinis fratrum Minorum, natione Romanus, de domo Sabellorum, & Honorius huius nominis quartus est appellatus. Hic statim post promotionem suam tam Comiti Attrebatensi in Apulia, quàm stipendiariis in certis locis per dominum Papam Martinum prædecessorem suum ordinatis eos confouendo præstitit stipendia, & animauit ad suscepta negotia sollicitè prosequenda. Eodem temporis concursu Comes Burgundiæ Othelinus duxit in vxorem filiam Comitis Attrebatensis Roberti, qui tunc in Apulia morabatur.

B

De profectione Regis Franciæ Philippi apud Arragoniam.

ANNO posteriùs annotato Philippus Rex Franciæ circa Pentecosten in partibus Tholosanis incredibilis multitudinis de omni regno suo exercitum congregauit, vt regnum Arragoniæ concessum filio expugnaret. Erat enim eius intentio, si prosperè egisset ibidem, vlteriùs gentem suam apud Hispanias deducere, ad sororis suæ & natorum eius dedecus vindicandum, quod eisdem intulerat minùs iustè Hispaniæ Rex Alphonsus. Iuerúntque cum Rege Ecclesiæ Romanæ legatus dominus Ioannes cognomento Cholet sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis, & fere totius Franciæ nobilitas vniuersa. Sane classis Regia gentibus, armis, ac victualibus munita, Regem tam ingens per æquora sequebatur, quòd alter Neptunus posset non immeritò appellari. Dimissa vero Rex vxore sua Regina Maria apud Carcassonam, cum reliquis quæ viros suos secutæ fuerant; apud Narbonam celeriter pertransiuit. Expectauit enim ibidem aliquantulum gentem suam, quæ affluens è diuersis partibus debebat in eadem vrbe ex edicto Regio congregari. Postquam ergo conuenissent præcepit Rex, vt de Narbona armis omnibus præparati exeuntes, tanquam essent cum hostibus conflicturi, versus terram Rossilionis equitarent. Erat autem terra illa in Regis Maioricarum dominio, qui Petri de Arragonia frater, non de parte ipsius, sed Ecclesiæ & Regis Franciæ se tenebat. Vt audiuit aduentum Regis Franciæ, protinus eidem obuiam pergens, ipsum cum gente sua ac nepotes suos Philippum & Carolum Regis Philippi filios cum honore maximo in terra suscepit, & vsque Parpigniacum cum magna exultatione & lætitia ducere festinauit. Interea Petrus de Arragonia intellecto quod Rex Franciæ versus Narbonam exercitum congregasset ad regnum Arragoniæ peruadendum, protinus de Sicilia, dimissa ibidem vxore sua, in regnum Arragoniæ se transferens, ciuitates, villas, & castella, atque regni sui introitum munire non distulit, & se ad repugnandum quantum potuit præparauit. Sed quia Siculi principem Salernæ Carolum, quem captum tenebant, de vrbe Messana ad quoddam castellum Siciliæ transtulerant, volentes cum ipso, sicut sibi dictum fuerat, reconciliari, timens Siculorum infidelitatem, & noui dominij semper habendi ipsorum pronam & auidam voluntatem non ignorans, fecit eum in terram suam Arragoniæ transportari, & sub arcta custodia diligentissimè custodiri. C

Quomodo Philippus Rex cepit Ianuam vrbem.

REx itaque Franciæ apud Parpeigniacum, sicut diximus, cum magno honore receptus, ibidem habuit consilium, ad quem locum super hostes primitus se transferret. Visumque est genti suæ, & maximè Regis Maioricarum, vt creditur, hortatu, quòd versus vrbem Ianuam cognominatam, superbam, quæ patebat quasi in ianuis, dirigerent gressus suos. Erat enim in terra Rossilionis sita, sub dominio Regis Maioricarum. Sed ipsum à longo tempore contemnentes ciues Petro de Arragonia adhærebant. Vt autem Francorum exercitum versus suam ciuitatem accedere cognouerunt,

A cognouerunt, portas suas claudentes, totis viribus vt eisdem possent resistere parati sunt. Rex vero Francorum illud perueniens cum suo exercitu, statim iussit assultus fieri. Sed illi de ciuitate super muros in defensionibus suis existentes, ita se ea die viriliter defenderunt, quòd parum aut nihil penitus amiserunt. Crastina autem die Francis ad conflictum redeuntibus, cùm fuisset multum debilitata ciuitas, ciues ad Regem Franciæ nuntios mittentes, treugas vsque in triduum petierunt, fingentes se velle ad inuicem de reddenda ciuitate consilium habituros. Et interim dum cessarent Gallici à conflictu, ipsi in eminentiori loco ciuitatis super turrim altissimam maioris Ecclesiæ ignem accenderunt, sperantes quòd Petrus de Arragonia, qui non longe in montibus aderat, viso igne ad eorum succursum & subsidium adueniret. Sed fraude eorum percepta, Rex Franciæ iteratos insultus ad ciuitatem fieri imperauit. Legatus etiam Romanæ Ecclesiæ gentem absoluens Francigenam, vt nemini parcerent admonuit, sed eos tanquam hostes fidei Christianæ, vtpote excommunicatos & contemptores præceptorum sanctæ matris Ecclesiæ, trucidarent. Tunc equitum aciebus ad bellum circumquaque ciuitatem dispositis, seruientes & pedites ad muros vrbis accedentes inuitis hostibus, qui se quantum poterant defendebant, facto impetu portas fregerunt, & super muros B scalis appositis ascenderunt. Mox in vrbem reliquus intrans exercitus hostes passim trucidant, nulli ætati vel sexui parcentes. Populus autem ciuitatis timore perterritus ad maiorem fugit Ecclesiam, putans loci reuerentia aut fortitudine ibi mortis periculum euitare. Sed quia sanctæ matris Ecclesiæ & ministrorum eius præceptum contempserant, damnato & impio præbentes auxilium, ipsis nec loci sanctitas suffragium contulit, aut fortitudo potuit præualere. Nam portas Ecclesiæ confringentes Gallici, omnes absque misericordia tam mares quàm fœminas, senes & paruulos ibidem in ore gladij peremerunt. Quidam tamen armiger, Batardus de Rossilione dictus, qui turrim Monasterij cum quibusdam aliis ascenderat, ad voluntatem Regis Franciæ se reddens mortis dispendium meruit obtinere. Sic ergo stultus & insipiens populus, qui se super baculum arundineum conquassandum cito Petrum de Aragonia innitebat, sua superbia & insipientia deletus, ac ciuitas eorum destructa sunt, qui humilitate indemnes poterant conseruari.

Quomodo exercitus Francorum montes Pyrenæos ascendit, & aliquas villas cepit.

DESTRVCTA igitur ciuitate Ianua, Rex Franciæ Philippus cum suo exercitu versus montes Pyrenæos tendens iter, consilium postulauit, quomodo securiùs & commodiùs posset difficultates montium & eorum graues introitus penetrare. Sunt enim tantæ altitudinis, vt penè cœlos videantur attingere, & maximè C passum Eclusæ, per quem patebat introitus, sic munierant Aragones doliis arena repletis, & grossis lapidibus, quòd nulla multitudo gentium per eundem locum posset ascendere, quin citò repelleretur, aut mortis periculum sustineret. Erant & super montes iuxta prædictum passum Aragonij præstolantes in suis tentoriis, vnde poterant Francorum exercitum intueri, & credebant quòd vellent & deberent Francigenæ per loca eadem pertransire. Sed accedens ad Regem Franciæ prædictus armiger Batardus nomine, qui captus apud Ianuam fuerat, significauit eidem, quod loca cognouerat non longe à prædicto passu Eclusæ distantia per quæ posset securè suæ gentis exercitus transmeare, & se eos per illa, si vellet, fideliter conducturos. Cuius verbis Rex fidem adhibens, de consilio Baronum suorum iussit in conualle montium castra metari exercitum, vt semper eos præ oculis habentes Aragonij de monte, putarent quòd per passum quem obseruabant ascendere niterentur. Ipse autem Rex acceptis secum quamplurimis militibus & seruientibus armatis, clam egrediuntur de exercitu cum Batardo; & peruenientes ad locum quem Batardus docuerat per miliare ab exercitu non distantem, ipso prævio per montem arduum spinis & sentibus repletum, & quasi nulli incognitum cum graui pœna & labore maximo ascenderunt. Et sic tandem cum difficultate maxima per locum eundem, quod videbatur impossibile, non sine grandi hostium admiratione paulatim illæsus totus exercitus pertransiuit. Videntesque Aragonij qui passum Eclusæ obseruabant, ex aduerso, quod non sperabant, Gallicos ascendisse, statim relictis pampilionibus suis, fugæ præsidium assumpserunt. Franci vero castra eorum

PHILIPPVS TERTIVS. protinus diripientes, & in montis cacumine sua figentes tentoria, cum magna ciborum & potus penuria per dies tres propter laborem quem in ascensu montium sustinuerant, quieuerunt. Pausato igitur ibidem Francorum exercitu, suis præcepit Rex gentibus, vt versus villam quandam, quam Petramlatam cognominant, equitarent. Cum autem ante villam suus stetisset exercitus, gens villæ, quæ eosdem à longe venire conspexerat, portas suas mox fecit claudere, fingens quòd vellet se contra eos modis omnibus defensare. Et quia Petrus de Aragonia in villa adesse dicebatur, Philippus Rex Franciæ iussit, consilio suorum, figi tentoria, proponens in crastino villam toto gentis suæ conamine facere impugnari. Sed illi de villa metuentes eius potentiam, quam videbant numero gentis prævalidam, cum nocte quieuisset Francorum exercitus, sublatis omnibus quæ habebant & ferre poterant, per deuersus hortos apposito in villa prius igne nocte media aufugerunt. Ignem vero de castris suis Franci percipientes, & protinus armati illuc currentes, igne extincto, villam, quam vacuam defensoribus inuenerunt, in potestatem sui domini Regis Franciæ redegerunt. Interim Philippus Regis Franciæ primogenitus ad quandam villam cognominatam Figeriam cum gente sua accedens, gentes villæ fecit tam acriter impugnare, quod non valentes Francorum impetum sustinere, ad voluntatem illius se redderent, & ad Regem Franciæ patrem ipsius apud Latampetram positis in sua voluntate corporibus aduenirent.

De obsidione Gerundæ ciuitatis.

In Cod. D. Petauij hæc inscriptio deest.

ITAQVE Petralata & Figeria captis, & nonnullis aliis villis in deditionem receptis, Rex Franciæ versus Gerundam regni Aragoniæ vrbem fortissimam, quæ non longe aberat, iussit exercitum equitare. Quò properantes, cum ad quendam fluuiolum peruenissent, qui inter eos & ciuitatem discurrebat, non potuerunt vlterius pertransire, sed oportuit illos super littus fluuioli expectato triduo remanere. Crescebat etenim pluuiarum tempore mirabili & dilatabatur: quod & tunc fecerat, sed cessante pluuia satis citò vadabilem se præstabat. Interea dum Franci fluuiolum pertransire parant, Gerundenses de sua ciuitate viso eorum exercitu, burgum ciuitatis suæ, ne Francis fieret in commodum, & sibi in ruinam, incenderunt, & se ac vrbem suam ad defendendum toto conamine de Gallicis parauerũt. Sed Franci transuadato prædicto fluuiolo ad vrbem Gerundensem accedentes, positis circumquaque tentoriis eam totam in circuitu obsederunt. Assilientes ergo multis diebus ciuitatem, parum aut nihil profecerunt, quia vrbs erat fortissima, & gens vrbis super muros constituta se sagittis & grossis lapidibus peroptimè defendebant. Habebant enim quendam Capitaneum Remondum de Cerdona militem Comitis Fuxi, & Remondi Rogeri cuiusdam militis in Francorum exercitu militantis consanguineum, qui ipsos ad repellendum & sustinendum aduersariorum impetus mirabiliter animabat. Ad ipsum autem in ciuitate ibant, & cum eo loquebantur multotiens Comes prædictus & Remondus Rogeri, sicut quidam asserunt: sed si bona pro Rege Franciæ & eius gente locuti sunt, à pluribus ignoratur. Videns vero Rex Franciæ contra ciues assultus incassum fieri, propter murorum vrbis fortitudinem, præparari iussit ingenium, per quod possent muri ciuitatis suffodi & dirui. Quod opus cum fuisset sagaciter adimpletum, & fossores ingenium per longum sub terra spatium iam transmisissent, quidam ex ciuibus de muris hoc percipientes, nocte quadam de vrbe egressi combusserunt ingenium, & magistrum qui illud fecerat suffocarunt. Propter quod iratus Rex Franciæ, iurasse dicitur, quòd obsidionem non dimitteret, donec vi vel deditione ciuitas caperetur. Sed dum obsessam sic tenebat ciuitatem, putans ciues, quòd ad ipsos victualia venire non poterant, fame perimere, magnum totius sui exercitus patitur detrimentum. Nam tantam æstus molestiam & quarundam muscarum importunitatem sustinebant, quòd passim per exercitum moriebantur homines & iumenta: tantusque fœtor ex equorum cadaueribus mortuorum per aëra ascendebat, quòd vix sanus aliquis in eodem loco eodem tempore poterat permanere. Petrus etiam de Aragonia latens in insidiis, eos qui ad portum Rosarum pro victualibus exercitui asportandis ibant & reuertebantur, sæpè damnificabat in pluribus, si contigisset quòd conductum peroptimum non haberent. Erat autem per quatuor leugas distans ab exercitu Francorum dictus

A dictus portus, vbi classis Regis Franciæ existens toto exercitui necessaria ministrabat.

De morte Petri de Arragonia & deditione vrbis Gerundæ.

DVM igitur sic sederet Francorum exercitus ad vrbis Gerundensis obsidium, in sero vigiliæ Assumptionis beatæ Mariæ accidit, quòd Petrus de Arragonia cum quadringentis equitibus & duobus millibus peditum armatis in insidiis poneretur, putans in mane Francorum victualia de portu Rosarum ad exercitum venientia deprædari. Sed piissima virgo Maria, quæ suos famulos vbique protegit & defendit, gentem Francorum, quæ vigiliam suæ Assumptionis deuotè celebrauerat, non est permissa hoc quod ipse conceperat adimpleri. Nam à quodam garcione in insidiis posito visus & perceptus, Radulpho de Nigella Franciæ Constabulario, & Iohanni de Hardicuria Marescallo adesse cum sua gente in latebris nuntiatur. Qui protinus assumentes secum Comitem Marchiæ, & quingentos equites armatos, in aurora Petro & suis, qui latebant in insidiis, occurrerunt. Petrus verò ipsos venire percipiens, quia pauci ad suorum numerum videbantur, in damnum sui ipsius, vel potius mortis dispendium, eosdem inuadere festinauit. Tunc è contrario Franci probrosè & audaciter venientes, in ipsos toto virtutis suæ conamine irruerunt, consertoque prælio fit acre bellum ex vtraque parte. Sed Francis præualentibus, Arragones fugere compulsi sunt. Quos aliquantulum insequentes Gallici, de ipsis tam equites quàm pedites centum pronos in terram mortuos deiecerunt, & multo plures fugientium insequendo lethaliter vulnerarunt. Petrus etiam ad mortem vulneratus turpiter aufugit, & de dictis vulneribus satis citò postea, Francis ignorantibus, expirauit. Cumque reuertisset ad sua tentoria gens Francorum, inuentum est de suis nisi duos solummodo cecidisse. Pro quo lætantes & exultantes, hoc Regi suo cum gaudio narrauerunt. Rex verò pro illorum victoria Dominum & beatam virginem eius matrem collaudans, de hoc tamen quod Petrus euaserat, tristis fuit, ignorans quòd lethaliter fuisset sauciatus. Postea dum ciues Gerundenses per spatium duorum mensium & amplius obsessi victualibus indigerent, Comes Fuxi & Remondus Rogeri, qui in exercitu, sicut dictum est, superiùs, militabant, statum vrbis non ignorantes, loqui cum Rege Franciæ accesserunt. Suggesserunt denique eidem dicentes, quòd si bonum sibi videretur ad ciuitatem accederent, & de reddenda ciuitate modis omnibus, quibus possent, cum ciuibus & Capitaneo loquerentur. Rex autem super hoc habens consilium, de assensu Baronum suorum & Legati, ad ciues prædictos Comitem & militem destinauit. Ad quos cùm in vrbe accessissent, & mandata Regia eisdem declarassent; ipsi inter se deliberato consilio mandauerunt Regi Franciæ in hunc modum. Dentur nobis « C induciæ siue treugæ, quousque domino Regi nostro Petro de Arragonia significare « possimus, vtrum nobis suum præstabit auxilium & succursum. Quod si fecerit, sciatis quia ipsum tanquam dominum nostrum charissimum sustinemus, & villam nostram totis viribus quantum poterimus defendemus: sin autem nobis succurrere « noluerit, vel non possit, vrbem sumus parati reddere, vita nostra & rebus omnibus « nobis saluis cum octo dierum spatio exeundi. Quo illis Rege Franciæ, de suorum « Baronum consilio, concedente, ipsi statim per suos nuntios Petri domini sui Regis interitum agnoscentes, sed hoc Francis minimè intimantes, vrbem sicut spoponderant, reddiderunt, & de ea cum rebus suis pacificè recesserunt. Tantaque ibidem victualium penuria inuenta est, quòd, sicut apparuit, nisi pax fuisset tam citò prolocuta, & hinc inde inter partes composita, ciues in breui fame defecissent. Propter quod patenter ostenditur, aut Regem Franciæ fuisse proditum, aut Fuxi Comitem & Remondum Rogeri simplices & deceptos, qui bene statum ciuium minimè aduertissent.

De reditu Philippi Regis ex Arragonia, & eius obitu.

IGITVR post deditionem vrbis Gerundensis, Rex Franciæ eandem reparari & inforciari præcipiens; postquam illam gentibus, armis, ac victualibus satis sufficienter munierat, redire proposuit propter instantem hyemem in partibus Tholosanis. Et etiam quorundam nescio consilio in damnum sui ipsius, & gentis suæ peri-

PHILIPPVS TERTIVS. culum, maiori parti nauigij, quod in portu Rosarum habuerat, dedit licentiam redeundi. Cumque recessissent quamplures galeæ, gens Rosarum & de confinio naues & arma assumentes in magna multitudine, partem nauigij quam in portu Rosarum Franci reliquerant protinus inuaserunt, consertóque prælio multos de familia Regis Franciæ occidentes, damna eidem quamplurima intulerunt. Ibidem ab Arragoniis captus fuit classis Amiralius Ingerranus de Balliolo miles egregius; & alius quidam in armis strenuissimus Aubertus de Longa Valle interfectus, qui supra Arragones vlteriùs quam debuit pertransiuit. Istum Aubertum, vt tradunt aliqui, cùm potuisset eidem in instanti succurrisse, occidere permisit Ioannes de Hardicuria Franciæ Marescallus. Videntes ergo gentes Regis Franciæ, quòd ibidem diu non valerent subsistere, combustis suis prius garnisionibus, & Ingerrano de Balliolo milite redempto, in villa portus Rosarum ignem apponentes protinus recesserunt. Et dum Rex Franciæ & eius exercitus redire inciperent, tantam pluuiarum molestiam perpessi sunt, quòd vix præ mollitie terræ possent aut pedibus aut in equis incedere, vel propter aquarum decursus in suis pampilionibus habitare. Rex vero Philippus propter aëris intemperiem, infirmitatem tunc incurrens, equitare non potuit, sed ipsum morbo aggrauante portare oportuit in lectica. Transeuntes igitur per passum Eclusæ montes Pyrenæos, ab Arragoniis, qui super montes stabant in latebris, multum infestati damna quamplurima receperunt. Nam si aliquando videbant paucos ab exercitu elongari, statim in ipsos irruentes rapiebant quicquid poterant, & incontinenti ad suas forteritias fugiebant. Tandem cum magno labore vsque Perpeigniacum veniens Francorum exercitus, cùm Rex Philippus grauiter infirmaretur, testamentum suum, vt bonum decuit Christianum, ordinauit, & in breui postea, perceptis Ecclesiasticis Sacramentis, proh dolor! expirauit. Cuius obitus dignè pro meritis flendus, Barones & milites totius regni Franciæ quamplurimum contristauit. Nam eius ad probitatem de die in diem tendens animus, sic ibi per dilectionem coniunxerat corda eorum, quòd miro dilectionis affectu ipsum venerari inciperent & amare. Fleuit eum quasi inconsolabiliter vxor sua Regina Maria, quæ super omnes ipsum diligens, vix potuit per annos plurimus consolationis remedium à quoquam recipere vel habere. Exequiis ergo Regis Philippi expletis, & ossibus per excoctionem à carne seiunctis, carnem quidem & viscera apud Narbonam in maiori Ecclesia sepelientes, cùm redissent Parisius Barones & Prælati, ossa apud sanctum Dionysium cum honore præcipuo iuxta patrem suum Ludouicum Regem sanctissimum tumularunt. Sed antequam fuissent ibidem sepulturæ tradita, magna dissensio inter Monachos dicti loci & fratres Ordinis Prædicatorum Parisius fuit orta. Nam Rex Philippus defuncti Regis Philippi filius & regni successor ad petitionem cuiusdam fratris de Ordine prædicto concesserat improuisus cor patris sui Fratribus, vt ipsum Parisius in suo Monasterio sepelirent. Petentibus ergo ipsum cor Monachis, & dicentibus, quòd ex quo elegerat Rex Philippus apud ipsos in suo Monasterio sepeliri, non debere alibi cor reponi: Rex flecti non potuit, immò auctoritate Regia præualente sepultum est Parisius apud fratres. De quo postea fuit determinatum Parisius per plures Magistros Theologos, quòd neque Rex, neque Monachi dare, neque Fratres prædicti possent illud cor Regium absque dispensatione duntaxat summi Pontificis retinere.

FINIS.

FRAGMENTVM

A PHILIPPVS TERTIVS.

FRAGMENTVM DE VITA EIVSDEM PHILIPPI REGIS FRANCIÆ AVDACIS DICTI, SANCTI LVDOVICI FILII.

Ex veteri Codice MS.

ISTE PHILIPPVS sanctissimi Regis LVDOVICI filius defuncto ante patrem primogenito Ludouico, patri successit in Regem. Anno sequenti sancti patris obitum in festo assumptionis beatæ Mariæ innunctus ac coronatus per manum Episcopi suessionensis, Remensi Ecclesia tunc vacante.

B ISTE Philippus quamuis illiteratus fuerit, quod in Rege quolibet superius dicta clamant esse dolendum, fuit tamen totus in fide Catholicus & erga Dei cultores beneuolus & deuotus, sapientum & proborum consilio volenti animo semper adhæsit, operibus pœnitentiæ deditus, corpus suum ieiuniis & abstinentia castigans, mirabili illo tempore post Ysabellis Reginæ mortem vt aiunt, vsus cilicio lorica desuper comprimente, erat omnibus blando eloquio affabilis, & cum omni mansuetudine inter Barones valdè humilis residebat.

ISTE Philippus circa regni sui principium contra Raymondum bernardi Comitem fuxinensem qui plures de Regis familia occiderat, mouit exercitum in partibus tholosanis. Animosus itaque Philippus castrum fuxinense aggrediens, dum viam quæ equis & hominibus arctam faceret dilatari, rupes celtibus decindendo, Comes timens Regis animosam fortitudinem, humiliter se ei reddidit, petens indulgentiam de commissis, quem Rex ligatum adducens fecit in carcere per anni spatium custodiri castrumque prædictum aliaque eiusdem Comitis in manu sua vsque ad tempus congruum reseruari.

ISTE Philippus defuncta Ysabelle Regina, & in Ecclesia beati Dionysij sepulta post aliquot annos illustrem Dominam Ducis brabantiæ sororem Mariam infrà assumptionis beatæ Mariæ octabas duxit vxorem, sequentique festo decollationis sancti Iohannis baptistæ inungi & coronari fecit Parisius in Regali capella, loco C scilicet exempto, vt sic Remensis Archiepiscopus, qui eam inunxit nullum super hoc præiudicium faceret Archiepiscopo Senonensi, sicut idem Archiepiscopus Senonensis opponebat.

HVIVS Philippi tempore Petrus de Brocia eiusdem Regis Cambellanus magnus vir apud dominum suum Regem, & regni principes quamplurimum honoratus, apud Parisius communi Latronum patibulo est suspensus, cuius causa mortis incognita apud vulgus magnam admirationem & murmurationis materiam ministrauit.

ISTE Philippus cum graui nimis indignatione ferens quod Rex Alphonsus Hispaniæ sororem suam Blancham inhonorificè & sine dote in Franciam destinasset, contra duos eiusdem Blanchæ ex præfati Alphonsi primogeniti filios iniquè agens, frangens pactum cum sancto Ludouico initum, eos à regno totaliter expellendo magnum aduersum eundem Alphonsum prius sui precibus patroni Dionysij eleuatis, eiusque sociorum sacris corporibus se recommendans; vexillumque sancti Dionysij de manu venerandæ memoriæ abbatis Mathei recipiens, apud vrbem Gasconiæ Baionam exercitum congregauit, sed dum Hispanias intrare nititur iussu, & mandato Nicolai Papæ ineficax est reuersus.

ISTE Philippus Petro Arragoniæ per Ecclesiam Romanam excommunicato & damnato & regno Arragoniæ priuato, eo scilicet quod idem Petrus Ecclesiæ Romanæ inobediens regnum Siciliæ iniustè inuaserat. ad occupandum præfatum Arragoniæ regnum filio suo Karolo ab Ecclesia concessum magnum exercitum secum duxit. veniens ergo in terra Rossilionis Iamiam vrbem cepit, transiensque pyreneos

PHILIPPVS TERTIVS. montes per loca quasi inuia, villasque plures capiens vsque ad Gerundam vrbem A fortissimam, suum exercitum introduxit, & eam viriliter expugnans cepit, sed parum in sua potestate tenuit, capta namque vrbe Rex versus partes Tholosanas hyemandi gratia dirigens iter, ibi paucos in custodia relinquens, partem nauium suarum nescio cuius minus bono consilio licentians, damnum inde & pudorem maximum reportauit; naues namque licentiatas Arragonij conducentes, aliasque Regis Franciæ naues impugnantes plurimasque lucrantes Gerumnam, cum Iudeis & Paganis qui ad eorum auxilium conuenerant, obsidentes pactione facta cum Francis qui ibidem remanserant, vt cum suis sani recederent, vrbem in suo iterum dominio receperunt. Rex itaque Philippus versus Carcassonam reuertens, dolens nimium & admirans quod cum maximo suo exercitu parum profecerat in Arragonia, graui febre correptus qua inualescente apud Perpegniacum deuote susceptis sacramentis Ecclesiasticis est defunctus. Eius autem visceribus apud Narbonam sepultis, corpus cum corde ad Ecclesiam sancti Dionysij patroni Regis Franciæ, vt viuens ordinauerat, ibidem concesso, tamen eius corde nescio cuius improuiso consilio, fratribus Prædicatoribus est sepultum. regnauit autem Philippus iste annis XVI. relinquens ex prima coniuge Ysabelle Philippum regni successorem & Karolum comitem de Valeyo. Defuncto, ante patrem & in Ecclesia sancti Dionysij B sepulto, primogenito ex eadem coniuge Ludouico. ex secunda vero vxore Maria sorore Ioannis Ducis Brabantiæ reliquit Ludouicum comitem Ebroicensem, Blancham Ducissam Austriæ, & Reginam Angliæ Margaretam.

NOMINA MILITVM
ET ARMIGERORVM
QVI VENERVNT IN EXERCITVM
PHILIPPI TERTII REGIS
APVD APAMIAM, CVM ADVERSVS
COMITEM FVXI PROFECTVS EST
ANNO M.CC.LXXI. C

Ex veteri Registro MS.

MILITES BAILLIVIÆ PARISIENSIS.

IOANNES de Trie, Henricus de Trie milites pro Comite de Domnomartino, qui debet duos milites pro terra sua de Mouceio, & pro terra sua de Trie, & insuper Comes prædictus de gratia, misit Domino Regi Theobaldum de Trie, & Guerardum de Fayel.

IOHANNES d'Ormoy debet seruitium per quatuor dies.

MILITES BANNERII REGIS NAVARRÆ.

HVGO de Couulans, Marescallus Campaniæ, Hugo de Couulans filius eius, Dominus d'Arzilieres, Dominus de Broyes, Dominus de Paceio, Gaufridus de Ioinuille, Dominus de S. Phale.

REGINALDVS d'Yury, & Petrus d'Yury fratres.

IOHANNES Oudardi miles pro Petro dubois milite, & est de Bailliuia Turonensi.

Guillelmus

A GVILLELMVS Oudardi miles pro eodem
GAVFRIDVS de Montbazon debet seruitium Domino Regi vnius militis.
IOHANNES de Paceio Armiger debet seruitium Domino Regi per quadraginta dies, & dicit quod non tenet nisi quintum seruitij de præpositura syluanecti.
COMES de Ponthis venit ad mandatum Regis cum duodecim militibus, quorum tres erant Bannerij, videlicet Iohannes de Nigella filius eius, vicedominus de Piqueny, & Guillelmus de Poix milites.

MILITES BAILLIVIÆ ROTHOMAGENSIS.

HERBERTVS de Agayus miles pro Radulpho de Croilleio qui debet seruitium vnius militis per quadraginta dies pro Episcopo Lexouiensi, & iam fecit viginti dies.

B MILITES BAILLIVIÆ CALETENSIS.

GVILLELMVS de Gaieu debet Domino Regi seruitium pro Matheo de Caieu fratre suo.
IOHANNES Malet miles debet seruitium per viginti dies pro quo seruitio misit Richardum fichet.

MILITES BAILLIVIÆ GISORTII.

ANSELLVS de Blaru miles pro Roberto de Villequier
IOANNES de Cantulupi miles pro Matheo de Moy milite qui debet seruitium per quadraginta dies.
PETRVS dictus le Brun miles pro Iohanne le Brun, qui debet seruitium quadraginta dierum.
GVIDO de Laual debet seruitium duorum militum, & dimidij pro terra sua de Aguigny.

MILITES SENESCALLIÆ PICTAVIENSIS.

DOMINVS Sabrandus dictus Chabot dicit quod non debet seruitium Domino Regi nisi in Comitatu Pictauiensi, & ad sumptus Regis, tamen
C venit ad preces Regis cum tribus militibus, & duodecim scutiferis.
GVILLELMVS l'Archeuesque dicit quod non debet seruitium Domino Regi, quia iuuenis est, sed tamen cum quinque militibus paratus venit suam plenariam voluntatem facere.
KAROLVS de Rupeforti dicit quod debet seruitium Regi de vno milite.
IOHANNA de Ranes Vicecomitissa de Alneto dicit quod debet Domino Regi in Comitatu Pictauensi tantum quinque milites armatos ad expensas suas proprias eundo.
PETRVS Chabot miles dicit quod tenetur Regi pro suo feodo de sancto Maxentio homagium, & 32. libras de placito, & rouceium de seruitio, & sexaginta solidos in capite anni.
PETRVS de saincte Flaine dicit quod nihil debet præter placita manus mortuæ, & seruitium ad Castellum de Luc.
GVIDO de Lesigniaco Dominus de Peirac, dicit quod non credit aliquid Regi præter homagium.
AIMERICVS de Rochechoüart Armiger debet homagium Regi, & seruitium per quadraginta dies in Comitatu cum se tertio milite, misit pro se Fulcandum d'Archiac, Aimericum d'Aisse & Loubaudum milites.
ROBERTVS de Mastacio debet sequi Dominum Regem se & alter militum, per quadraginta dies in Comitatu Pictauensi, & secum adduxit apud Apamiam, Guillelmum, Gerardum, & Robertum de Bria milites.

A

Aimericvs vicecomes de Rochechoüart miles debet sequi Dominum Regem se quinquaginta militum, per Comitatum Pictauiæ, tamen ad expensas Regis.

Aimericvs Bechet est in homagio Regis ratione huius quod habet in Castellania Cornaij.

MILITES SENESCALLIÆ XANTONENSIS.

Comitissa de Marchia misit decem milites, videlicet Ymbertum Erij, Bertrandum de Confolent, Guillelmum de Chabanes, Bertrandum de Crecio, &c.

IN BAILLIVIA XANTONENSI.

Gaufridus de Rupeforti miles dicit quod debet seruitium Domino gi trium militum per quadraginta dies, venit apud Apamiam.

B

DE THOLOSA, AGEN. ET ALVEN.

Berengarius de Calomonte & Bernardus Escafredi Diocesis Ruthenensis, dicunt quod quondam Domini Comites Tholosani qui per tempora fuerunt, & mandabant eisdem seu prædecessoribus ipsorum, quod eos cum armis sequerentur, qui de consuetudine illius obseruata, de qua memoria non extitit; consueuerunt eum sequi, infrà Comitatum Tholosæ cum armis ad expensas eorumdem Comitum, à die quà à Domibus propriis recedebant.

Hugo de Arpaione Baro dicit quod ipse debet Dominō Regi homagium, & iuramentum fidelitatis, ost, seu caualcatum ex debito non debet, & si contigerit, quod ipse veniat in exercitum, & caualcatum, dicit quod hoc debet esse ad expensas proprias Comitum Tholosæ.

Comes Drocensis misit pro se...... decem milites scilicet Guillelmum de Caieu, Ioannem de Caieu, Mabin de Caieu, &c.

C

TAXATIO

A

TAXATIO EXPENSARVM ET EMENDARVM CONTRA NOBILES QVI SVBMONITI, NON FVERVNT in exercitum Fuxensem.

Ex Registro MS.

PHILIPPVS *Dei gratiâ Francorum Rex, Bailliuo, &c.* Vt iura regni nostri liberiùs & pleniùs conseruentur, & etiam delinguentes animaduersione debita puniantur, per nostram fuit Curiam ordinatum, quòd nostri subditi, qui nobis tenentur cum expensis suis ad seruitium exercitus, & qui de veniendo nobiscum in exercitum fuxensem submoniti, non venerunt, tantundem nobis reddant, quantum secundum æstimationem communem, si
B nobiscum fuissent veniendo, redeundo, & morando expendere debuissent, & quòd emendam insuper idoneam nobis præstent. Vnde mandamus vobis secundum ordinationem prædictam, quatenus exigatis pro qualibet die, qua nobis, vt dictum est, seruitium prædictum debebant, à singulis Baronibus pro personis suis centum solidos turonenses ratione dictarum expensarum, & quinquaginta solidos turonenses pro emenda. Et à singulis Vexillariis seu Baneriariis xx. solidos turonenses ratione dictarum expensarum, & x. solidos turonenses pro emenda. Et à quolibet simplici milite x. solidos turonenses ratione prædictarum expensarum, & v. solidos turonenses pro emenda. Et à quolibet seruiente seu Armigero v. solidos turonenses ratione dictarum expensarum, & pro emenda ij. solidos vi. denarios turonenses. Ita videlicet quòd singulo Barones & singulos Vexillarios nihilominus compellatis ad soluendum nobis pro singulis militibus, quos secum habuissent, seu habere debuissent, ad faciendum seruitium supradictum, videlicet pro singulis diebus x. solidos turonenses pro expensis cuiuslibet militis, & v. solidos ratione cuiuslibet similiter pro emenda. Summa verò per xl. dies pro quolibet Barone, ratione personæ suæ, militibus suis in hac summa minimè computatis ccc. libræ turonenses. Summa per xl. dies pro quolibet milite vexillario ratione personæ suæ, militibus suis in hac summa minimè computatis, lx. libræ turonenses & per xl. dies pro quolibet milite xxx. libræ turonenses Summa per xl. dies pro quolibet seruiente xv. libræ turonenses. Rursus mandamus vobis, vt à singulis qui nobis
C ad nostras expensas tenentur ad seruitium supradictum, & qui submoniti de faciendo dicto seruitio, illud facere noluerunt, seu etiam non fecerunt, siue sint Barones, siue sint Vexillarij, vel milites, aut seruientes, similiter compellatis ad soluendum nobis totidem, quantum dictum est superiùs de singulis supradictis. Hoc excepto, quòd de dictis summis per singulos dies pro expensis cuiuslibet militis vi. solidi Paris. & pro expensis armigeri iv. solidi Paris. deducentur. Factum fuit hoc statutum Parisius in Parlamento Assumptionis beatæ Mariæ virginis anno Domini M.CC.LXXIV. mense Septembri.

A

APPENDIX PRIMVS AD TOMVM QVINTVM.

CONTINENS

RERVM ALBIGENSIVM SCRIPTORES.

B

PETRI MONACHI COENOBII VALLIVM CERNAII ORDINIS CISTERCIENSIS HISTORIA ALBIGENSIVM,

ET SACRI BELLI IN EOS SVSCEPTI, ANNO M.CC.IX. DVCE ET PRINCIPE Simone de Monteforti.

Ex editione NICOLAI CAMVSATI, *Canonici Trecensis. Quæ recens collata est cum MS. codice Domni* MARTINI MARIER *sancti Martini Parisiensis Monachi.*

SANCTISSIMO patri & Beatißimo, Domino Innocentio Dei gratiâ vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici: humilis licet immeritus seruus eius, Frater Petrus qualiscumque vallium Cernay Monachus, non solum C *oscula pedum, sed & ipsa pedum eius vestigia humiliter deosculari. Benedictus Dominus Deus sabaoth, qui nouißime diebus nostris, Sanctißime pater, cooperante vestra sollicitudine non pigra, Ecclesiam suam in partibus Prouinciæ, inter persequentes hæreticorum procellas, iam quasi penitus naufragantem, per ministrorum suorum manus, de ore leonum misericorditer eripuit: de bestiarum manibus liberauit. Verum ne tam gloriosum & tam mirabile factum, per euolutiones temporum successiuas, possit in obliuionem venire, sed nota fiant in gentibus magnalia Dei nostri: seriem facti, qualicumque modo in scriptum redactam, vestræ Beatißime pater, offero maiestati, humiliter supplicans, ne deputetur præsumptioni, quod puer elementarius manum misit ad fortia: onus subire præsumpsit supra vires: quia fuit mihi intentio in hoc opere, hæc sola scribendi causa, vt sciant gentes mirabilia opera Dei: maximè, cum, sicut ex ipso dicendi modo perpendi potest, non studuerim superfluis verbis ornare codicem, sed simplicem exprimere simpilciter veritatem. Firmum igitur habeat, pater bone, vestra dignatio sanctitatis, quod & si ad omnia, quæ in hoc facto contigerint scribenda, per ordinem non potuerim pertingere, vera sunt illa quæ scripsi, cum nihil vnquam apposuerim, nisi quod viderim oculis meis, vel audierim à magnæ auctoritatis personis, & plenißima fide dignis. In prima autem huius operis fronte, breuiter tango de sectis hæreticorum, & qualiter Prouinciales, infidelitatis lepra infecti fuerint, à temporibus retroactis. Postea exprimo, quomodo memorati Prouinciales hæretici, per prædicatores*

A *catores verbi Dei, & vestræ Sanctitatis ministros, admoniti fuerint, vt redirent præuaricatores ad cor & sæpius requisiti deinde cruce signatorum aduentus: ciuitatum & castrorum captiones, cæteraque ad progressum negotij fidei pertinentia, prout possum per ordinem represento. Vnde sciant qui lecturi sunt, quia in pluribus huius operis locis, Tholosani, & aliarum ciuitatum & castrorum hæretici & defensores eorum, generaliter Albigenses vocantur: eo quod aliæ nationes, hæreticos Prouinciales, Albigenses consueuerint appellare. Vt autem lector in hoc libello, quod quæsierit, possit facilius inuenire: sciat quod secundum multiplices & successiuos negotij fidei processus, per varias destinctiones digestum est opus istud.*

INCIPIT HISTORIA ALBIGENSIS.

De legatione fratris Petri de Castronouo & fratre Radulphi de Ordine Cisterciensi ad Prouinciam Narbonensem.

B

CAPVT PRIMVM.

IN Prouincia Narbonensi vbi quondam fides floruerat, cœpit inimicus fidei superseminare zizania: desipuit populus: Christi sacramenta qui est Dei sapor & sapientia profanans, factus insipiens, à vera desipiens theosebia, vagus & vagans per errores in ima, factus in inuio, & non in via. Monachi duo Cistercienses, zelo fidei succensi: F. Petrus videlicet de Castronouo, & F. Radulphus, autoritate summi Pontificis, contra pestem infidelitatis instituti legati, negligentiam omnem relegantes, legatione sibi indicta officiose fungentes, vrbem Tholosam ingressi sunt & aggressi, à qua venenum principaliter emanabat, plebes inficiens: sicque deficere faciens à Christi cognitione, à veridico splendore, à deifica caritate. Radix amaritudinis sursum germinans, profundius in cordibus hominum conualuerat, nec sine multa difficultate potuit explantari. Suasum est Tholosanis sæpe & multum vt hæresim abiurarent, vt hæreticos relegarent. Suasum fuit eis à viris Apostolicis, sed minimè persuasum, adeo siquidem morti inhæserant, qui recesserant à vita, affecti & infecti nequam sapientia animali, terrenali, diabolica: expertes illius sapientiæ quæ desursum est, suadibilis est, bonis consentiens. Tandem illæ duæ oliuæ, illa duo candelabra lucentia ante Dominum, seruis seruilem incutientes timorem: minantes eis rerum depredationem, Regum ac Principum dedignationem intonantes: hæreseon abiurationem, hæreticorum expulsionem eis persuaserunt. Sicque C ipsi, non virtutis amore, sed secundum poëtam, *Oderunt peccare mali, formidine pœnæ*: quod manifestis indiciis demonstrarunt, nam statim periuri effecti, & miseriæ suæ recidiuum patientes, in conuenticulis suis, ipso noctis medio, prædicantes, hæreticos occultabant. Heu quam difficilè est à consuetudine euelli. Hæc Tolosa, tota dolosa, à prima sui fundatione (sicut asseritur) raro vel vnquam expers huius pestis vel pestilentiæ detestabilis, huius hæreticæ prauitatis, à patribus in filios successiue, veneno superstitiosæ infidelitatis diffuso. Quam ob rem & ipsa in vindictam tanti sceleris, tantum dicitur iam dudum sustinuisse manus vltricis & iustæ depopulationis excidium, vt in ipso meditulio ciuitatis, sulcata vomeribus planicies pateret agrorum. Vnus etiam de Regibus suis inclytis, qui tunc temporis in ipsa regnabant, Alaricus vt creditur nomine, in extremum dedecus, pro foribus vrbis eiusdem, est suspensus in patibulo. Huius antiquæ viscositatis fece infectum genimem prædictæ ciuitatis, genimen viperarum, non poterat etiam nunc temporibus nostris, à suæ peruersitatis radice diuelli; quinimò naturam hæreticam, & hæresim vernalem, furca dignæ vltionis expulsam, vsque quaque passa in se recurrere: *Patrissare sitit, degenerare negans*, Cuius vicinitatis exemplo, sicut *vua conspecta, liuorem ducit ab vua: Et grex totus in aruis, vnius scabie cadit, & porrigine porci:* Iuu. saty. 2. Vicinæ vrbes & oppida, radicatis in se hæresiarchis, per eiusdem infidelitatis surculos pululantes, inficiebantur mirabiliter & miserabiliter peste ista. Barones terræ Prouincialis, fere omnes hæreticorum defensores & receptores effecti, ipsos amabant ardentius, & contra Deum & Ecclesiam defendebant.

 A

De diuersis Hæreticorum sectis.

CAPVT II.

ET quoniam se in hoc loco quodammodo ingerit opportunitas, hæreses & sectas hæreticorum, enucleatius stilo breuitatis prosequi dignum duxi. Primò sciendum quòd hæretici duos constituebant creatores: inuisibilium scilicet, quem vocabant benignum Deum, & visibilium, quem malignum Deum nuncupabant. Nouum testamentum benigno Deo, vetus verò maligno attribuebant, & illud omninò repudiabant, præter quasdam auctoritates quæ de veteri testamento, nouo sunt insertæ, quas ob noui reuerentiam testamenti, recipere dignum estimabant. Auctorem veteris testamenti mendacem asserebant, quia protoplastis dixit. *Quacunque die comederitis de ligno scientiæ boni & mali, morte moriemini*, nec (sicut dicebant) post comestionem, mortui sunt: cum tamen reuera post gustum pomi vetiti, mortis miseriæ fuerunt subiecti. Homicidam quoque ipsum nominabant, tum quia Sodomitas & Gomorrhæos incinerauit, & aquis diluuij mundum deleuit, cum quia Pharaonem & Ægyptios mari obruit. Omnes veteris testamenti patres, damnatos affirmabant: Ioannem Baptistam vnum esse de maioribus dæmonibus asserebant. Dicebant etiam in secreto suo, quòd Christus ille qui natus est in Bethleem terrestri & visibili, & in Hierusalem crucifixus, malus fuit: & quòd Maria Magdalena fuit eius concubina, & ipsa fuit mulier in adulterio deprehensa, de qua legitur in Euangelio. Bonus enim Christus (sicut dicebant) nunquam comedit vel bibit, nec veram carnem assumpsit: nec vnquam fuit in hoc mundo nisi spiritualiter in corpore Pauli. Ideo autem diximus in Bethleem terrestri & inuisibili: quia hæretici fingebant esse aliam terram nouam & inuisibilem, & in illa terra secundum quosdam, bonus Christus fuit natus & crucifixus. Item dicebant hæretici, bonum Deum, duas habuisse vxores, Collant & Colibant, & ex ipsis filios & filias procreasse. Erant alij hæretici qui dicebant quod vnus est creator, sed habuit filios, Christum & diabolum. Dicebant & isti, omnes creaturas bonas fuisse, sed per filias de quibus legitur in Apocalipsi, omnia fuisse corrupta. Hi omnes membra Antichristi primogeniti sathanæ, semen nequam, filij scelerati, in hipocrisi loquentes, mendacio corda simplicium seducentes, Prouinciam Narbonensem, veneno suæ perfidiæ infecerant. Fere totam Romanam Ecclesiam, speluncam latronum esse dicebant, & quia ipsa erat meretrix illa, de qua legitur in Apocalipsi. Sacramenta Ecclesiæ vsque adeo annullabant, vt sacri baptismatis vndam, ab aqua fluuiali non distare: sacrosancti corporis Christi hostiam, à pane laïco non differre, publice dogmatizarent: simplicium auribus, hanc instillantes blasphemiam, quod Christi corpus & si magnitudinem alpium in se contineret, iam dudum consumptum à comedentibus & adnichilatum fuisset. Confirmationem, confessionem, friuolas esse & inanes omnino reputabant. Sacrum matrimonium, meretricium esse, nec aliquem in ipso saluari posse prædicabant, filios & filias generando. Resurrectionem quoque carnis diffitentes, quasdam adinuentiones confingebant inauditas: dicentes animas nostras, esse spiritus illos angelicos qui per superbiæ apostasiam præcipitati de cœlo, corpora sua glorificata in aëre reliquerunt, & ipsas animas, post successiuam qualiumcumque corporum septem, & terrænorum inhabitationem, quasi tunc demum penitentia peracta, ad illa relicta corpora remeare. Sciendum autem, quod quidam inter hæreticos dicebantur perfecti siue boni homines, alij credentes hæreticorum qui dicebantur perfecti, nigrum habitum præferebant: castitatem se tenere mentiebantur: esum carnium, ouorum, casei, omnino detestabantur: non mentientes videri volebant, cum ipsi maxime de Deo quasi continuè mentirentur. Dicebant etiam quod nulla vnquam ratione debeant iurare. Credentes autem hæreticorum dicebantur illi, qui seculariter viuentes, licet ad vitam perfectorum imitandam non pertingerent, in fide tamen illorum se saluari sperabant, diuisi siquidem erant in viuendi modo, sed in fide & infidelitate vniti erant. Qui dicebantur credentes hæreticorum, dediti erant vsuris, rapinis homicidiis & carnis illecebris, periuriis & peruersitatibus vniuersis. Isti siquidem ideo securius & effrenatius peccabant quia credebant sine restitutione ablatorum, sine confessione & penitentia se esse saluandos, dummodo in supremo

A supremo mortis articulo *Pater noster* dicere, & manuum impositionem recipere à magistris suis potuissent. De perfectis vero hæreticis, magistratus habebant, quos vocabant diacones & Episcopos, sine quorum manuum impositione, nullus inter credentes moriturus, se saluari posse credebat. Verum si morienti cuilibet quantumcumque flagitioso manus imposuissent, dummodo *Pater noster* dicere posset, ita saluatum, & secundum eorum vulgare consolatum estimabant, vt absque omni satisfactione, absque omni alio remedio statim euolaret ad cœlum. Vnde ridiculum quod super hoc audiuimus duximus inserendum. Quidam credens hæreticorum, in supremo mortis articulo, per manuum impositionem à magistro suo consolationem tum accepit, sed *Pater noster* dicere non potuit, & sic expirauit. Consolator eius, quid de ipso diceret nesciebat, saluatus videbatur per receptam manuum impositionem: damnatus quia non dixerat dominicam orationem. Quid plura? Consuluerunt hæretici quendam militem nomine Bertrandum de Saxiaco qui erat hæreticus, quid de illo iudicare deberent: miles autem tale dedit consilium & responsum. De isto sustinebimus & dicemus, quod saluus sit: omnes alios, nisi *Pater noster* dixerint in fine, damnatos iudicamus. Item aliud ridiculum. Quidam credens hæreticorum in morte legauit hæreticis 300. solidos, & præcepit filio suo, vt daret hæreticis B pecuniam illam, quam cum post mortem patris, hæretici requirerent à filio, dixit eis, volo vt dicatis prius, quomodo est patri meo. Et dixerunt. Certissimè scias quod saluus est, & iam in cœlestibus collocatus. Quibus ille, subridens. Gratias Deo & vobis. Verumtamen ex quo pater meus iam est in gloria, animæ ipsius non est opus eleemosynis: & ego tam benignos vos scio esse, quod amodo patrem meum à gloria non reuocabitis. Sciatis igitur, quod nihil à me, de pecunia reportabitis. Non credimus autem silendum, quod & quidam hæretici dicebant, quod nullus poterat peccare ab vmbilico & inferius. Imagines quæ sunt in Ecclesiis dicebant idolatriam: campanas earum, tubas dæmonum affirmabant. Item dicebant, quod non peccabat quis grauius dormiendo cum matre vel sorore sua, quam cum qualibet alia. Illud & inter supremas fatuitates dicebant, quod si quis de perfectis peccaret mortaliter, comedendo videlicet modicissimum carnium, vel casei seu oui vel alicuius rei sibi inhibitæ: omnes consolati ab illo, amittebant spiritum S. & opportebat eum iterum reconsolari: & etiam saluati, pro peccato consolatoris, cadebant de cœlo. Erant præterea alij hæretici qui Waldenses dicebantur, à quodam Waldio nomine Lugdunensi. Hi quidem mali erant, sed comparatione aliorum hæreticorum, longè minus peruersi: in multis enim nobiscum conueniebant, in aliquibus dissentiebant. Vt autem plurima de infidelitatibus eorum omittamus: in quatuor præcipuè consistebat error eorum: in portandis scilicet sandalis more Apostolorum: & in eo quod dicebant nulla ratione iurandum, vel occidendum. In hoc insuper quod asserebant, quemlibet eorum in necessitate dummodo haberet sandalia, absque ordinibus ab Episcopo acceptis, posse conficere corpus Christi. Hæc nos de sectis hæreticorum breuiter exerpsisse sufficiat. Quando aliquis se reddit hæreticis, ille dicit qui recipit eum. Amice si C vis esse de nostris, oportet vt renuncies toti fidei quam tenet Romana Ecclesia. Respondet, abrenuntio. Ergo accipe Spiritum sanctum à bonis hominibus, & tunc aspirat ei septies in ore. Item dicit illi, Abrenuntias cruci illi, quam tibi fecit sacerdos in baptismo, in pectore, & in scapulis, & in capite de oleo & chrismate. Respondet, Abrenuntio. Credis quod aqua illa operetur tibi salutem, Respondet, non credo. Abrenuncias velo illi, quod tibi baptizato sacerdos posuit in capite. Respondet. Abrenuncio. Ita accipit ille baptismum hæreticorum, & abnegat baptismum Ecclesiæ, tunc ponunt omnes manus super caput eius & osculantur eum, & induunt eum veste nigra, & ex illa hora est quasi vnus ex ipsis.

Iudicium præceps, insani iudicis index.

Vualdensium præcipui errores.

Qualiter & quando primum Prædicatores venerunt ad Prouinciam Narbonensem contra hæreticos.

CAPVT III.

ANNO verbi incarnati 1206. Oxomensis Episcopus Diegus nomine vir magnus & magnifice extollendus, ad curiam Romanam accessit, summo desiderio

desiderans Episcopatum suum resignare, quo posset liberius ad paganos, causa prædicandi Christi Euangelium se transferre. Sed dominus Papa Innocentius noluit acquiescere desiderio viri sancti: imo præcepit ei, vt ad sedem propriam remearet. Factum est igitur dum rediret à curia, & esset apud Montempessulanum, inuenit ibi venerabilem virum Arnaldum Abbatem Cisterciensem, & F. Petrum de Castronouo, & F. Radulphum Monachos Cistercienses Apostolicæ sedis legatos: iniunctæ sibi legationi, præ tædio renunciare volentes, eo quod nihil aut parum hæreticis prædicando proficere potuissent. Quotiescumque enim vellent ipsis hæreticis prædicare, obiiciebant eis hæretici conuersationem pessimam clericorum, & ita nisi vellent clericorum vitam corrigere, opporteret eos à prædicatione desistere. Memoratus autem Episcopus, aduersus huiusmodi perplexitatem salubre dedit consilium, monens & consulens, vt cæteris omissis prædicationi ardentius insudarent: & vt possent ora obstruere malignorum, in humilitate præcedentes exemplo, pij magistri facerent & docerent: irent pedites, sine auro & argento, per omnia formam Apostolicam imitantes. Dicti vero legati hæc omnia, quasi quandam nouitatem per se arripere non volentes dixerunt, quod si quis fauorabilis auctoritatis eos sub hac forma vellet præcedere, ipsum libentissime sequerentur. Quid plura? obtulit se vir deo plenus, moxque familiam suam Oxomum transmittens, vno comite contentus, cum duobus sæpedictis Monachis, Petro videlicet & Radulpho, montem ingreditur pessulanum, Abbas autem Cisterciensis, Cistercium perrexit, tum quia in proximo celebrandum erat Cisterciense capitulum, tum quia post celebratum capitulum, quosdam de Abbatibus suis volebat secum adducere: qui eum in exequendo iniuncto sibi prædicationis officio, adiuuarent. Exeuntes autem à monte Pessulano, Oxomensis Episcopus & præfati Monachi, venerunt ad castrum quoddam Carmanum, vbi inuenerunt quemdam Hæresiarcham Balduinum nomine, & Theodoricum quemdam filium perditionis & stipulam incendij. Iste de Gallia oriundus, erat quidem nobilis genere, & canonicus fuerat Niuernensis. Postea vero cum quidam miles qui erat auunculus ipsius & hæreticus pessimus, in Parisiensi concilio, coram Octouiano Cardinale & Apost. Sedis legato, fuisset de hæresi condemnatus: videns iste quod diutius latere non valeret, ad partes se transtulit Narbonenses, vbi ab hæreticis in maximo amore, & veneratione est habitus: tum quia aliquantulum cæteris acutior videretur, tum quia gloriabantur se habuisse de Francia, vbi esset fons scientiæ & religionis Christianæ, suæ iniquitatis socium, suæ nequitiæ deffensorem. Nec prætereundum, quod Theodoricum faciebat se vocari, cum Guillelmus antea vocaretur, habita cum his duobus disputatione per octo dies, Balduino videlicet & Theodorico: Prædicatores nostri vniuersum populum dicti castri, salutaribus monitis, ad sæpedictorum hæreticorum odium conuerterunt. Ipsos siquidem hæreticos à se libentissime expulissent, sed dominus castri, veneno perfidiæ infectus, eos sibi familiares fecerat & amicos, verba autem illius disputationis, longum esset per omnia enarrare. Sed hoc solummodo adnectere dignum duxi: quod cum venerabilis Episcopus, dictum Theodoricum, ad ima conclusionis disputando, deduxisset. Scio, inquit Theodoricus, scio cuius spiritus sis, siquidem in spiritu Heliæ venisti, ad hæc sanctus. Et si ego in spiritu Heliæ veni, tu venisti in spiritu Antichristi. Actis igitur ibi octo diebus exeuntes à castro, venerabiles viros prosecutus est populus per leucam fere vnam. Illi autem recto itinere procedentes, Biterrensem aggressi sunt ciuitatem, vbi per dies 15. disputantes & prædicantes, confirmabant in fide paucos qui ibi erant, Catholicos, hæreticos confundebant. Venerabilis autem Episcopus Oxomensis & F. Radulphus consuluerunt F. Petro de Castronouo, vt ad tempus ab eis recederet, timebant siquidem, ne occideretur F. Petrus eo quod ipsum odio haberent hæretici super omnes. Recessit igitur F. P. ab Episcopo & F. R. tempore aliquanto. Ipsi à Biterris egressi Carcassonam gressu prospero deuenerunt: vbi per octo dies morantes, prædicationi & disputationibus insistebant. Contigit, tempore illo prope Carcassonam miraculum quod præteriri non debet. Metebant hæretici segetes suas, in die natiuitatis sancti Ioannis baptistæ: ipsum enim non Prophetam, sed malignissimum esse dicebant, dum igitur meterent, aspiciens vnus ex eis manum suam vidit manipulum suum sanguinolentum, quod videns putauit, quod incidisset manum, sed inueniens eam sanam, exclamauit sociis. Quid vltra? Apiscientes singuli manipulos quos tenebant inuenerunt eos sanguinolentos, manibus

Hæretici discessus sui ab Ecclesia, causam improbam clericorum vitam prætexunt.

Festa SS. non violenda stupendo miraculo ostenditur.

A B C

A manibus conseruatis illæsis. Venerabilis autem Abbas Vallium Guido tunc erat in illa terra, qui manipulum sanguinolentum vidit, & ipse mihi hoc narrauit. Quia verò longum esset enarrare per ordinem, quomodo viri apostolici, scilicet prædicatores nostri circuibant per castra, euangelizantes & disputantes vbique: his omissis ad præcipua veniamus. Quodam die conuenerunt omnes hæresiarchæ apud quoddam castrum in Carcassonensi dioecesi, quod dicitur mons Regalis, disputaturi vnanimiter aduersus viros sæpius memoratos. Ad hanc disputationem rediit F. P. de castronouo, qui sicut paulo ante diximus discesserat apud Biterrim. Disputantibus autem, dati fuerunt iudices de ipsis credentibus hæreticorum, protelata autem fuit disputatio per 15. dies & redacta fuerunt in scriptum hinc inde proposita, & tradita iudicibus, vt diffinitiuam sententiam promulgarent. Videntes autem ipsi iudices, hæreticos suos manifestissimè superatos, noluerunt dare sententiam sed & scripta quæ à nostris acceperant, ne venirent in publicum noluerunt reddere, sed tradiderunt hæreticis. His peractis recessit F. P. de castronouo à sociis suis, & iuit in Prouinciam, & laborauit vt componeret nobiles Prouinciæ, hac autem intentione, vt auxilio eorum qui pacem iurauerant, posset hæreticos de Narbonensi Prouincia extirpare. Sed Comes Tholosanus Raimundus nomine, inimicus pacis, noluit
B acquiescere dictæ paci, donec tam per guerras, quas mouebant ei nobiles Prouinciæ, mediante industria viri Dei: quam per excommunicationem ab eodem in ipsum Comitem promulgatam, iurare compulsus est pacem illam. Sed qui fidem negauerat, & erat infideli deterior, nunquam deferens iuramento, iurauit pluries, pluries periurauit. Quem vir sanctissimus F. Petrus, magna animi virtute corripuit, tyrannum intrepidus aggrediens, eique in facie resistens, quia reprehensibilis, imo damnabilis erat valde, confundebatque eum vir magnæ constantiæ, vir conscientiæ illibatæ, adeo vt exprobraret ei, quod erat per omnia periurus, & vere sic erat.

Descriptio vitæ corruptæ atque morum Comitis Tholosani erga Deum & eius Ecclesiam.

CAPVT IV.

QVIA ergo opportunitas se ingessit, hic de incredulitate ipsius Comitis aliquid breuiter explicemus. Primo dicendum, quod quasi à primis cunabulis, semper hæreticos dilexit & fouit, & eos in terra sua habens, quibuscumque modis potuit, honorauit, vsque hodie etiam (sicut asseritur) vbicumque pergit, hæreticos sub communi habitu secum ducit, vt si ipsum mori contigerit, inter manus ipsorum moriatur, credebat enim, absque omni pœnitentia quantumcumque pecca-
C tor fuerit, se saluandum, si in ipso mortis articulo, impositionem manuum eorum potuisset adipisci. Faciebat & deferri nouum testamentum, vt si necesse esset impositionem manuum cum libro reciperet ab hæreticis. Vetus siquidem testamentum detestantur hæretici: dicunt Deum illum qui veterem legem instituit, malum esse, vocantes eum traditorem, propter spoliationem Ægypti: homicidam, propter diluuium, & subuersionem Ægyptiorum dicunt, & Moysem, Iosue, Dauid, illius mali Dei fuisse ruptarios & ministros. Dixit & sæpedictus Comes quodam die hæreticis, sicut pro certo scimus, quod volebat facere nutriri filium suum apud Tholosam inter hæreticos, vt addisceret fidem, imo infidelitatem illorum. Dixit & quadam die, quod vellet dare centum marchas argenti, vt quidam miles suus posset capere fidem hæreticorum, ad quam multoties inuitauerat eum, & quam faciebat ei sæpius prædicari. Præterea quādo hæretici mittebant ei aliqua xenia vel cibaria, gratissimè suscipiebat, & faciebat optime seruari ea, nec patiebatur, quod aliquis comederet ex eis, nisi ipse & aliqui eius familiares. Multoties etiam sicut certissimè cognouimus, adorabat hæreticos flexis in terra genibus, & petebat ab eis benedictionem & osculabatur eos. Quodam die erat dictus Comes in expectatione quorundam hominum, qui debebant venire ad eum, sed cum non venissent: dixit, bene apparet, quod diabolus fecit mundum istum, quia nihil succedit nobis ad votum. Dixit præterea idem Comes venerabili Episcopo Tholosano, sicut ab eodem Episcopo audiui, quod monachi Cistercienses non poterant saluari, quia tenebant oues

quæ luxuriam exercebant. O hæresis inaudita. Dixit & Comes dicto Episcopo Tholosano, vt veniret de nocte in palatium eius, & audiret prædicationem hæreticorum: vnde perpenditur, quod sæpe de nocte audiebat eos. Erat quondam memoratus Comes quadam die in Ecclesia quadam vbi missa celebrabatur: habebat autem secum quemdam mimum, qui sicut mos est huiusmodi iaculatorum, homines cum bucca histrionice deridebat. Cum autem sacerdos qui celebrabat missam verteret se ad polulum dicens, *Dominus vobiscum*, sceleratissimus Comes dixit histrioni suo, vt contra faceret & derideret sacerdotem. Dixit præterea aliquando supradictus Comes, quod mallet assimilari cuidam hæretico, qui erat apud Castras in Albigensi diocesi detruncatus membris & habitu miserabili, quam esse Rex vel Imperator. Quod autem ipse hæreticos semper fouit, ex hoc habemus probatissimum argumentum: quia nunquam ab aliquo sedis apost. legato, potuit induci ad hoc, vt sæpedictos hæreticos de terra sua depelleret, licet compulsus ab ipsis legatis multotiens abiurauit. Præterea adeo parui pendebat matrimonij sacramentum, quod quotiescumque ei displicuit vxor propria, ipsam dimittens aliam duxit, ita quod quatuor vxores habuerit, quarum tres adhuc viuunt. Habuit enim primò sororem vicecomitis Biterrensis, nomine Beatricem: qua dimissa duxit filiam ducis Cipri hac dimissa duxit sororem Regis Angliæ Richardi, quæ contingebat ei in tertio gradu consanguinitatis, qua mortua accepit sororem Regis Arragonensis, quæ similiter erat consanguinea eius in quarto gradu. Nec silendum est, quòd cum ipse teneret primam vxorem suam, monuit eam sæpissimè, vt habitum religionis assumeret. Illa autem intelligens quid intenderet, ex industria quæsiuit ab eo: vtrum vellet, quod ipsa in ordine Cisterciensi fieret monialis: ipse autem dixit, quod non. Quæsiuit iterum vtrum vellet quod ipsa fieret monacha, in ordine Fontis Ebrardi. Respondit Comes quod non volebat. Tunc quæsiuit ab eo quid ipse vellet, & mandauit, quod si vellet fieri heremetica, ipse ei in omnibus prouideret, & factum est ita. Erat quidam pessimus hæreticus apud Tholosam, Hugo faber nomine, qui quondam in tantam lapsus est dementiam. quod iuxta altare cuiusdam ecclesiæ purgauit ventrem, & in contemptum Dei cum palla altaris ter sit posteria sua. O scelus inauditum. Dixit & hæreticus prædictus quadam die, quod quando sacerdos in missa percipiebat dominici corporis sacramentum, traiiciebat dæmonem in corpus suum: quæ omnia cum vir venerabilis Abbas Cistercij qui tunc erat abbas grandis syluæ in territorio Tholosano Comiti retulisset, & eum moneret, qui tantum facinus perpetrarat, respondit Comes, quod nullo modo puniret propter hoc ciuem suum. Abominationes prædictas narrauit Dominus abbas Cisterciensis, qui tunc erat Archiepiscopus Narbonensis fermè viginti Episcopis, me præsente in Concilio apud Vaurum: adeo autem semper fuit luxuriosus & lubricus dictus Comes, quod sicut pro certo didiscimus, sorore propria abutebatur, in contemptum religionis Christianæ: ab infantia enim sua, concubinas patris sui quærebat diligentissimè, & cum illis diligentissimè concubebat, vix enim ei aliqua placere poterat, nisi sciret patrem suum prius accubuisse cum ea, vnde & pater ipsius, tam propter hæresim, quam propter enormitatem istam, exhæredationem suam ei sæpissimè prædicebat. Præterea ruptarios mirabili quoque amplexatus est affectu dictus Comes, per quos spoliabat Ecclesias, monasteria destruebat, omnesque sibi vicinos quos poterat exhæreditabat, ita semper se habuit membrum diaboli, filius proditionis, primogenitus Sathanæ, inimicus Crucis & Ecclesiæ persecutor, hæreticorum defensio, Catholicorum depressio, minister perditionis, fidei abiurator, plenus scelerum, peccatorum omnium apotheca. Ludebat quodam die Comes in ludo scacorum cum quodam capellano & inter ludendum, dixit capellano. Deus Moysi quem vos creditis, non poterit vos iuuare in ludo isto, & addidit, nunquam me iuuet Deus ille. Alio tempore, cum ipse Comes à partibus Tholosanis iturus esset contra aduersarios quosdam suos in partes Prouinciæ: media nocte surgens, venit ad domum, in qua hæretici Tholosani erant congregati, & dixit eis. Domini ac fratres, bellorum varij sunt euentus, quicquid de me contingat, in manus vestras commendo corpus & animam meam: quo facto desuper abundanti duos hæreticos in veste communi secum adduxit, vt si forte mori eum contingeret, inter manus ipsorum moreretur. Infirmabatur quodam tempore Comes maledictus in terra Arragonum, & cum multum inualesceret infirmitas, fecit sibi fieri lecticam, & in lectica illa faciebat se

Impia Raimundi Comitis ineptia.

Tholosam

A Tholosam deportari: & cum quadam die quæreretur ab eo, cur cum tanta festinatione se faceret deportari, cum tam grauissima infirmitate laboraret, respondit miser, quia non sunt boni homines in terra ista inter quorum manus possim mori, hæretici enim à fautoribus suis, boni homines vocabantur sed & amplioribus signis & dictis, se fatebatur hæreticum: dicebat enim, scio me exhæredandum fore pro bonis hominibus istis, sed non tantum exhæredationem, imò etiam decapitationem pro ipsis paratus sum sustinere. hæc de incredulitate & malicia dicti miseri dixisse sufficiat, nunc ad propositum reuertamur.

De aduentu 12. Abbatum Ordinis Cisterciensis causaque prædicationis & reditu ac obitu Domini Didaci Episcopi Oxomensis, & disputationibus.

CAPVT V.

CELEBRATA disputatione prænotata in monte Regali, dum adhuc essent prædicatores nostri apud montem Regalem: & circumquaque verbum Dei & salutis monita seminantes mendicarent ostiatim panem suum, superuenit vir venerabilis Abbas Cistercij Arnaudus nomine à partibus Franciæ, Abbates duodecim habens secum, qui totius viri Religionis, viri perfectæ & sanctæ scientiæ, viri incomparabilis sanctitatis, iuxta numerum sanctissimum Apostolorum, cum Abbate decimo tertio, duodecim aduenerunt, parati de ea quæ in ipsis erat fide & spe, omni disputanti reddere rationem: & hi omnes cum pluribus monachis, quos secum adduxerant, omnem sectantes humilitatem, iuxta exemplar quod eis ostensum erat in monte, idest quod audierant de Episcopo Oxomense, pedites procedebant, statim ab Abbate Cisterciense longe lateque singuli dispersi, & assignati sunt vnicuique termini proprij, per quos discurrendo prædicationi insisterent, disputationibus insudarent.

B — *Arnaudus Abbas Cistercij.*

De colloquio Apamiensi, & morte Oxomensis Episcopi.

CAPVT VI.

EPISCOPVS Oxomensis voluit ad suum redire Episcopatum, vt & domui suæ disponeret, & prædicatoribus verbi Dei in Narbonensi Prouincia, de suis prouentibus necessaria prouideret. Dum ergo recederet tendens ad Hispaniam, venit apud Apamias in territorio Tholosano: & conuenerunt ad eum Fulco Tholosanus, & Nauarrus Conforanensis Episcopi & plurimi Abbates habita ibi disputatione cum Waldensibus, plane conuicti sunt Waldenses & confusi, & populus castri, præcipue pauperes ex parte maxima fauit nostris: ille etiam qui constitutus erat iudex in disputatione, & erat fauens Waldensibus, magnusque in castro illo, renunciauit prauitati hæreticæ, & in manu Domini Oxomensis obtulit se & sua, à die etiam illa & deinceps, sectatores superstitionis hæreticæ viriliter impugnauit. Huic disputationi, interfuit ille pessimus traditor Comes Fuxi, ille crudelissimus persecutor Ecclesiæ, Christi hostis. Hic vxorem habebat manifestam hæreticam de secta Waldensium & duas sorores, quarum vna sectas Waldensium, alia verò aliorum perfidorum hæreses profitebatur. Celebrata autem disputatione prædicta in palatio ipsius Comitis, idem Comes Waldenses die vno, prædicatores nostros de altero procurauit. O ficta humilitas, post hæc Episcopus Oxomensis, ad suum perrexit Episcopatum, firmum habens propositum redeundi, quam citius posset, ad peragendum negotium fidei in Prouincia Narbonensi. Peractis vero in Episcopatu paucis diebus, dum redire disponeret morte præuentus, in senectute sua feliciter obdormiuit: prius autem quam ipse decederet, in fata decesserat supramemoratus F. Radulphus vir bonæ memoriæ, in quadam Abbatia Ordinis Cisterciensis prope S. Ægidium quæ dicitur Francia vallis. Subtractis igitur his duobus luminaribus, Episcopo videlicet Oxomensi & F. Radulpho, venerabilis Guido Abbas vallium sarnay in dioecesi Parisiensi, qui cum aliis Abbatibus causa prædicationis, in Nar-

C — *Oxomensis Episcopi interitus.* — *Guido Abbas cernaij*

vallium cernaij demum Carcassonensis Episcopus.

bonensem Prouinciam venerat vir nobilis genere, sed scientia longe nobilior & virtute, qui etiam postea Episcopus factus est Carcassonensis, prior inter prædicatores constitutus est & magister, Abbas siquidem Cisterciensis ad alias partes se transtulit, quibusdam magnis negotiis tunc temporis impeditus. Discurrentes igitur prædicatores sancti hæreticosque disputando manifestissimè conuincentes: sed quia obstinati erant in malitia conuertere non valentes post multum temporis, cum parum aut nihil prædicando siue disputando proficere potuissent, ad partes Galliæ sunt reuersi. Nec prætereundum est, quod cum dictus Abbas vallium Sarnay, cum supradicto Theodorico, & quodam alio hæresiarcha maximo, Bernardo scilicet de Cimorra, qui in Carcassonensi diocesi præcipuus habebatur, disputasset pluries & eos sæpius conuicisset: quodam die cum sæpedictus Theodoricus, nihil aliud respondere potuisset, dixit Abbati, diu me detinuit meretrix, sed de cætero non tenebit hoc dicens, dicebat Romanam Ecclesiam meretricem. Nec silendum, quod cum sæpedictus Abbas vallium sarnay, alio die Castellum quoddam prope Carcassonam, Lauranum nomine causa prædicationis intraret, in ipso introitu castri signaculo crucis se signauit: quod videns miles quidam hæreticus qui erat in castro dixit Abbati, nunquam me adiuuet signum istud. B

Miraculum de scedula, B. Dominici manu scripta, quæ ter flammis iniecta, illæsa resilijt.

CAPVT VII.

Contigit tempore illo quoddam miraculum fieri, quod in hoc loco, dignum duximus interserendum. Disputauerant quadam die, quidam prædicatores nostri, viri religiosi aduersus hæreticos, vnus autem de nostris, Dominicus nomine, vir totius sanctitatis, qui socius fuerat Episcopi Oxomensis, auctoritates, quas in medium produxerat, redegit in scriptum, & cuidam hæretico tradidit scedulam illam, vt supra obiectis deliberaret. Nocte igitur illa erant hæretici congregati in vna domo, sedentes ad ignem. Ille autem cui vir Dei tradiderat scedulam, produxit eam in medium, tunc dixerunt socij sui, vt in medium ignem illam proiiceret, & si scedula illa combureretur vera esset fides, imo perfidia hæreticorum: si vero incombusta maneret, fidem quam prædicabant nostri, veram esse faterentur. Quid plura? in hoc consentiunt omnes, scedula in ignem proijcitur, sed cum in medio igne aliquantulum moram fecisset, incombusta penitus ab igne resiliuit. Stupentibus qui aderant vnus cæteris durior ait illis: proiiciatur in ignem iterum ex tunc experiemini plenius veritatem: proiicitur iterum, iterum resiliit incombusta: quod videns ille durus & tardus ad credendum dixit iterum trina vice proiiciatur, & tunc C sine dubio rei exitum cognoscemus, proiicitur tertio, nec tunc quidem comburitur, sed integra ab igne resiliit & illæsa, hæretici autem, visis tot signis, ne tunc ad fidem voluerunt conuerti, sed in sua manentes malicia, districtissime sibi inuicem inhibuerunt, ne miraculum istud, per narrationem alicuius, ad nostrorum notitiam deueniret sed miles quidam, qui erat cum illis, qui aliquantulum consentiebat fidei nostræ noluit celare quod viderat, sed pluribus enarrauit. Factum est autem hoc apud montem Regalem, sicut ab ore viri Religiosissimi audiui, qui scedulam hæretico tradidit superscriptam.

Nullis miraculis ferrea hæreticorum pectora molliuntur.

De martyrio Fratris Petri de Castronouo, qui gladijs impiorum occubuit.

CAPVT VIII.

His de prædicatoribus verbi Dei breuiter prælibatis, ad martyrium viri venerabilis & athletæ fortissimi F. Petri de Castronouo, iuuante Deo veniamus quod nullo modo melius, vel magis autentice credimus nos facturos, quam vt literas D. Papæ, narrationi nostræ inseramus, quas Christi fidelibus destinauit, ipsum martyrium plenius continentes. forma literarum hæc est.

INNOCENTIVS

A

INNOCENTIVS *Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis nobilibus viris, Comitibus, Baronibus, & vniuersis militibus, per Narbonensem, Arelatensem, Ebredunensem, Aquensem & Viennensem prouincias constitutis salutem & apost. benedictionem.*

REM credulam audiuimus, & in communem luctum generalis Ecclesiæ deducendam, quod cum sanctæ memoriæ F. P. de Castronouo monachus & sacerdos, vir inter viros vtique virtuosus, vita, scientia, & fama præclarus, ad Euangelisandum pacem, & confirmandam fidem, in Prouincia Auxitana cum aliis destinatus in commisso sibi ministerio laudabiliter profecisset, & proficere non cessaret: quippe qui plenè in schola Christi didiscerat quod doceret, & eum qui secundum doctrinam & fidelem obtinendo sermonem, in sana poterat exhortari doctrina, & contradicentes reuincere paratus omni poscenti semper reddere rationem, vt poterat vir in fide Catholicus, in lege peritus, in sermone facundus, concitauit aduersus ipsum diabolus ministrum suum Comitem Tholosanum Raimundum, qui cum pro multis & magnis excessibus, quos in Ecclesiam commiserat & in Deum, sæpe censuram Ecclesiasticam incurrisset, & sæpe sicut homo versipellis & callidus, lubricus & inconstans, penitudine simulata fuerat absolutus: tandem odium continere non B præualens, quod cæperat contra ipsum, eo quod non erat in ore eius verbum veritatis ad faciendam vindictam in nationibus & increpationes in populis, ac eo fortius in eodem Comite, quo magis pro maioribus erat ipse facinoribus increpandus tam tanquam collegam suum, Apost. sedis legatos ad villam S. Ægidij conuocauit, promittens super cunctis quibus impetebatur capitulis, satisfactionem plenariam exhibere. Cum autem conuenientibus illis in villam prædictam, præfatus Comes salutaria monita sibi facta, modo velut verax & facilis promitteret se facturum: est modo velut fallax & durus, ea prorsus facere recusaret, volentibus illis demum ab eadem villa recedere, mortem est publicè comminatus, dicens quod quocumque vel per terram diuertant, vel per aquam, vigilanter eorum obseruaret egressum: & confestim dictis facta compensans, complices suos ad exquisitas insidias destinauit. Cumque vero nec ad preces dilecti filij Abbatis S. Ægidij, nec instantia Consulum & Burgensium, furoris sui mitigari insania potuisset, ipsi eos inuito Comite nimiumque dolente cum armatæ manus præsidio, prope ripam rhodani fluuij deduxerunt, vbi nocte quieuerunt instante, quibusdam eiusdem Comitis satellitibus, ipsi prorsus ignotis hospitantibus cum eisdem, qui sicut apparuit in effectu sanguinem quærebat eorum. In castrino itaque mane facto & missa celebrata de more. cum innocui Christi milites, ad transitum se fluminis præpararent: vnus de prædictis Sathanæ satellitibus, lanceam suam vibrans, prænominatum Petrum, supra Christum Petram, immobili firmitate fundatum, tantæ proditionis incautum, inter costas inferius vulnerauit. Qui prius in ipsum respiciens percussorem, & Christi magistri C sui, cum B. Stephano secutus est exemplum, dixit ad ipsum. Deus tibi dimittat, quia ego dimitto, pietatis & patientiæ verbum sæpius repetendo. Deinde sic transfixus, acerbitatem illati vulneris, spe cœlestium est oblitus: & instanti suæ pretiosæ mortis articulo, cum ministerij sui sociis, qui fidem promouerent & pacem, non desinens ordinare, post multas ad Dominum orationes, in Christo feliciter obdormiuit. Qui profecto, cum ob fidem & pacem, quibus nulla est prorsus causa laudabilior ad martyrium, sanguinem suum fuderit, claris iam, vt credimus miraculis coruscasset, nisi hoc illorum incredulitas impediret. De quorum similibus in Euangelio legitur, qua ibi virtutes Iesus non faciebat multas, propter incredulitatem eorum, quia quamquam linguæ, non fidelibus sed infidelibus sint in signum: saluator tamen præsentatus Herodi, qui teste Luca valde gauisus est, viso ipso, pro eo quod signũ aliquod ab eo fieri sperabat, & facere dedignatus est signum, & reddere interroganti responsum, sciens quia incredulitas signorum, non credulitatis inductio, sed vanitatis illum admiratio delectabat. Licet autem ipsa praua generatio & peruersa Prouincialium non sit digna, vt tam cito sicut forsitan ipsa quærit. de suo sibi martyre signum detur. expedisse tamen credimus, vt vnus ipse pro ipsa, ne tota pereat moreretur, quæ contagio hæreticæ prauitatis infecta, per interpellantem occisi sanguinem, à suo melius reuocetur errore, hoc est enim vetus sacrificium Iesu Christi, hoc miraculosum ingenium saluatoris, vt cum in suis esse victus putatur, tunc vincat fortius in eisdem & ea virtute qua ipse mortem moriendo destruxit, à

superatis interdum famulis suis, superatores eorum faciat superari. Nisi granum A
frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit plurimum fructum affert. Sperantes igitur, quod de morte huius fœcundissimi grani, sit fructus in Christi Ecclesia prouenturus, cum profecto sit durè culpabilis & culpabiliter durus, cuius animam ipsius gladius non pertransit, nec vnquam penitus desperantes, cum vtilitas tanta debeat in sanguine suo esse, quod suæ prædicationis nunciis circa memoratam Prouinciam, pro qua ipse in corruptionem descendit ob tanta Deus tribuat incrementa. Venerabiles fratres nostros Archiepiscopos eorumque suffraganeos monendos duximus, attentius & hortandos per spiritum S. in virtute obedientiæ districte præcipiendo vt verbum pacis & fidei seminatum ab eo suæ prædicationis irriguis conualescere facientes, & ad pugnandam hæreticam prauitatem ac fidem Catholicam confirmandam. ad extirpanda vitia & plantandas virtutes indefessè studio sedulitatis instantes. Iam dictum Dei famuli occisorem, & vniuersos quorum ope vel opere consilio vel fauore, tantum facinus perpetrauit receptatores quoque vel defensores illius ex parte omnip. Dei Patris Filij, & Spiritus S. auctoritate quoque BB. Apost. Petri & Pauli & nostra, excommunicatos & anathematisatos per suas dioceses denuncient vniuersis: & omnia loca prorsus, ad quæ ipse vel aliquis ipsorum deuenerint præsentibus eis, interdicto faciant B
Ecclesiastico subiacere: singulis diebus dominicis & festiuis, pulsantibus campanis, & candelis accensis, donec ad sedem Apostolicam accedentes, per satisfactionem condignam mereantur absolui, sententiam huiusmodi solemniter innouantes. Illi autem qui ortodoxæ fidei zelo succensi ad vindicandum sanguinem iustum, qui de terra clamare non cessat ad cœlum, donec ad confundendum subuersos & subuersores de cœlo descendat ad terram Deus vltionum, viriliter se accinxerint aduersus hos pestilentes qui simul in vnum pacem & veritatem impugnant, suorum remissionem peccaminum à Deo eiusque vicario securè promittant indultam, vt eis labor huiusmodi, ad operis satisfactionem sufficiat similiter illis offensis pro quibus cordis Contritionem & veram Confessionem oris obtulerint vero Deo huiusmodi siquidem pestilentes Prouinciales, non tam iam nostra diripere, sed nos perimere molliuntur: nec solum ad perimendas animas linguas acuunt, verumetiam ad perdenda corpora manus extendunt prolisores animarum effecti, & corporum peremptores. Licet autem præfatus Comes pro multis & magnis flagitiis quæ longum esset per omnia enarrare, iamdudum sit anathematis mucrone percussus, quia tamen certis indiciis, mortis sancti viri præsumitur esse reus, non solum ex eo quod publice comminatus est ei mortem, & insidias parauit eidem: verum etiam ex eo quod occisorem ipsius in multam familiaritatem admisit, & magnis donis remunerauit eumdem, vt de cæteris præsumptionibus taceamus, quæ plenius innotescunt multis. Ob hanc quoque causam, iidem Archiepiscopi & Episcopi publicè nuntient Anathematizatum eumdem. Et cum iuxta sanctorum Patrum Canonicas sanctiones, ei qui fidem Deo non seruat, fides seruanda non sit, à communione fidelium segregato, vt potè qui vitandus est potius quam fouendus, omnes qui dicto Comiti fidelitatis seu societatis, aut fœderis huiuscemodi iuramento tenentur astricti, auctorite Apostolica denuncient interim absolutos, & cuilibet Catholico viro licere, saluo iure Domino principali, non solum persequi personam eiusdem, verum etiam occupare & detinere terram ipsius, illius præsertim obtentu, quod ab hæresi per suam prudentiam fortiter expietur, quæ per illius nequitiam fuit hactenus turpiter sauciata, maculata. Quia dignum est, vt manus omnium contra ipsum consurgant, cujus manus extitit contra omnes. Quod si nec sic vexatio dederit intellectum, manus nostras in eo curabimus aggrauare. Si quo modo vero satisfactionem promiserit exhibere, ipsum pœnitudinis suæ hæc signa præmittere opportebit, vt de toto posse suo depellat prauitatis hæreticæ sectatores, & se paci satagat conciliare fraternæ, cum principaliter propter culpam quam in vtroque noscitur commisisse, in eum Ecclesiastica fuerit prolata censura: quamquam si in suas iniquitates Deus voluerit obseruare, vix posset congruè satisfacere non tantummodo pro seipso, sed pro alia multitudine, quam in laqueum damnationis induxit. Quia vero secundum sententiam veritatis, timendi non sunt qui corpus occidunt, sed ille qui potest mittere corpus & animam in gehennam, confidimus & speramus in eo, qui vt à fidelibus suis timorem mortis auferret, mortuus die tertia resurrexit, quod præfati hominis

Dei

A Dei mors, venerabili fratri nostro Consoranensi Episcopo & dilecto filio A. Abbati Cisterciensi Apostolicæ sedis legatis, aliisque orthodoxæ fidei sectatoribus, non solum timorem non incutiet, sed amorem accendet, vt eius exemplo qui vitam æternam temporali morte feliciter est mercatus, animas suas in tam glorioso certamine, si necesse fuerit, pro Christo ponere non formident. Vnde Archiepiscopis & Episcopis consulendum duximus, ammonendo, preces præceptis, præcepta precibus inculcantes, vt legatorum ipsorum salubribus monitis & mandatis efficaciter intendentes, tanquam strenuissimi commilitones assistent eidem in omnibus, quæ propter hæc ipsis duxerint iniungenda. Scientes quod sententiam quam ipsi non solum in rebelles sed etiam in desides promulgauerint, nos ratam haberi præcipimus & inuiolabiliter obseruari. Eya igitur Christi milites, eya strenui militiæ Christianæ tyrones, moueat vos generalis Ecclesiæ gemitus: succendat vos ad tantam Dei nostri vindicandam iniuriam pius Zelus. Mementote quia creator noster, nostri non indiguit, cum nos fecit: qui quanquam nostro seruitio non indigeat, vt quasi per illud minus in agendo minus voluerint fatigetur, & sua omnipotentia minor sit obsequio nostro carens, occasionem tamen in hoc articulo nobis tribuit acceptabiliter seruiendi. Cum igitur post interfectionem præfati iusti, Ecclesia
B quæ in partibus illis est, absque consolatore in tristitia & mœrore sedente, fides euanuisse, periisse pax, hæretica pestis & hostilis rabies fortius inualuisse dicatur, ac si potenter in eius nouitate procellæ non sucurratur eidem, pene penitus videbitur nauis Ecclesiæ naufragari. Vniuersitatem vestram monemus attentius & propensius exhortamur, ac in tantæ necessitatis articulo in virtute Christi confidenter iniungimus, & in remissionem peccaminum indulgemus, quatinus tantis malis occurrere non tardetis, & ad pacificandum gentes illas, in eo qui est Deus pacis & dilectionis intendere procuretis: & quibuscumque modis reuelauerit vobis Deus, hæreticam ibi studeatis perfidiam abolere, sectatores ipsius eo quam Sarracenos securius quo peiores sunt illis in manu forti & extento brachio impugnando. Prænominatum etiam Comitem qui quasi fœdus percussisset cum eadem morte propria non recogitat, si forte vexatio sibi tribuat intellectum, & impleta facies eius ignominia incipiat inquirere nomen Dei ad satisfaciendum nobis & Ecclesiæ, imo Deo, pondere non desinatis inductæ super eum oppressionis vrgere ipsum & fautores eiusdem de castris Domini depellendo, & auferendo terras eorum in quibus relegatis hæreticis, habitatores Catholici subrogentur, qui scilicet ortodoxæ fidei nostræ disciplinam in sanctitate & iustitia seruiant coram Deo. Datum Laterani 6. Id. Martij, Pontif. nostri, an. 11.

His dictis de morte sanctissimi viri prælibatis, ad narrationis nostræ seriem redeamus.

C

Tholosanus & Consoranensis Episcopi Romam legantur, vt Pontifici maximo statum Ecclesiæ in Narbonensi Prouincia exponant.

CAPVT IX.

VIDENTES igitur Prælati Narbonensis Prouinciæ, & alij quos tangebat negotium pacis & fidei, decessisse bonos viros Oxomensem Episcopum & fratres Petrum de Castronouo, & F. Radulphū, qui fuerant Prædicationis in terra prænotata Principes & magistri. Animaduertentes quod eadem prædicatio etiam iam peregerit ex parte maxima cursum suum, nec multum profecerit, imo penitus fructu frustata sit exoptato, ad pedes summi Pontificis iudicant transmittendum. Accingunt ergo se viri venerabiles, Fulco Tholosanus, & Nauarrus Consoranensis Episcopi, Romamque properant, supplicaturi Domino Papæ, vt periclitanti in Narbonensi Prouincia & Bituricensi & Burdegalensi, pro pace Ecclesiæ, & quasi penitus naufraganti manum porrigat adiutricem. Dominus autem Papa Innocentius, qui defendendæ fidei Catholicæ necessitatibus, totis nisibus occumbebat, tanto morbo manum apposuit medicam, generales & efficaces super hoc negotio litteras in Franciam transmittendo, sicut inferius plenius exprimemus. Quod audiens Comes Tho-

losanus, imo dicamus melius Dolosanus, perrexisse videlicet prænotatos Episcopos ad curiam Romanam, timens se digne pro meritis puniendū, videnſque facta sua non posse impune transire, pœnitudinem simulans, & si possit sibi præcauens in futurum: cum multos alios iam misisset, quosdam execrabiles & malignos, Archiepiscopum Auxitanum & Raimundum de Rebastenchs, qui quondam fuerat Tholosanus Episcopus, sed meritis suis exigentibus erat depositus, misit Romam: conquestusque est Domino Papæ per nuntios illos, de Abbate Cisterciensi, qui legatione super negotio fidei fungebatur: asserens quod eum exacerbaret nimis aspere & plus iustò: promittens etiam Comes, quod si Dominus Papa, aliquem à latere suo ad illum dirigeret, ad voluntatem ipsius per omnia se haberet. Hoc autem non dixit, quia vellet se aliquatenus emendare. Sed cogitabat, quod si Dominus Papa aliquem de suis Cardinalibus ad eum mitteret, ipsum posset, sicut homo versipellis & callidus circumuenire: sed omnipotens qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum, noluit puritatem circumueniri Apostolicam, noluit tegi amplius dicti Comitis prauitatem. Prouidit igitur iuste & misericorditer iustus iudex, vt & Dominus Papa Comiti quasi iuste petenti satisfaceret, & ipsius Comitis malitia diutius non lateret. Misit enim Dominus Papa vnum de colateralibus suis clericis, ad partes Prouinciæ. Milonem nomine, virum vtique vita honestum, scientia præclarum, facundia disertum, qui vt probitatem eius breuiter perstringamus, nec terrore terreri potuit, nec minime frangi. Comes autem audiens quod veniret Magister Milo, gaudio gauisus est valde, quia putauit, quod sæpedictus magister, ad ipsius se haberet & per omnia voluntatem, discurrensque Comes per terram suam cœpit gloriari & dicere. Modo bene est mihi, quia legatum habeo secundum cor meum, imo ipse ero legatus. Sed omnia euenere contraria voto illius, sicut inferius exprimetur.

Mittitur Magister Milo clericus à latere vt legatus.

Mittitur cum M. Milone Magister Theodisius.

CAPVT X.

MISSVS est autem cum dicto M. Milone, clericus quidam magister Theodisius nomine, canonicus Ianuensis, qui sæpedicto M. Miloni assisteret, & ipsum in expediendo fidei negotio adiuuaret. Iste Theodisius vir multæ scientiæ, vir constantiæ mirabilis, vir eximiæ bonitatis, qui bene se habuit in negotio Iesu Christi, qui quanta pro eodem negotio pericula passus sit & labores, rei exitus patefecit, & nos postmodum curauimus latius intimare. Dominus vero Papa M. Miloni dederat in mandatis, vt de omnibus quæ ad negotium fidei pertinebant, & præcipue super facto Comitis Tholosani, ad consilium Cistercij Abbatis ordinaret: eo quod Abbas statum negotij, & versutias Comitis plene sciret. Vnde & Dominus Papa M. Miloni expresse dixerat, Abbas Cistercij totum faciet, & tu organum eius eris, Comes enim Tholosanus habet eum suspectum, tu non eris ei suspectus. Descendentes igitur M. Milo. & M. * Theodisius in Franciam, Abbatem Cistercij apud Authisiodorum inuenerunt. Consuluit igitur M. Milo Abbatem Cisterciensem, super pluribus certis capitulis quæ ad negotium fidei pertinebant. Abbas vero de omnibus diligentius instruens, consilium suum tradidit ei scriptum & sigillatum. Monuit etiam eum & consuluit, vt antequam aggrederetur Comimitem Tholosanum, conuocaret Archiepiscopos, Episcopos & alios Prælatos, quos expedire videret, & eorum quæreret & haberet consilia. Quosdam etiam de Prælatis, M. Miloni expresse & specialiter nominauit, quorum consiliis deberet idem magister adhærere. Post hæc Abbas Cisterciensis & M. Milo perrexerunt ad Regem Franciæ Philippum, qui apud Nouamvillam in territorio Senonico cum pluribus de Baronibus suis solemne colloquium celebrabat. Erat enim Dux Burgundiæ Odo, Niuernensis & S. Pauli Comites, & multi alij nobiles & potentes. Dominus autem Papa mittebat Regi literas speciales monens & deprecans, vt per seipsum saltem per filium suum Ludouicum, periclitanti in Narbonensi Prouincia Ecclesiæ auxilium impenderet opportunum. Rex autem nuncio domini Papæ tale dedit responsum, quod duos magnos & graues habebat à lateribus leones,

Corruptè apud Ciaconium legitur Hugo non Milo.

** ita exemplar M. non Theodosius vt habet Ciaconius in Innoc. 3.*

A nes, Othonem qui dicebatur imperator, & Regem Angliæ Ioannem, qui hinc & inde ad turbationem regni Franciæ totis viribus laborabant. Ideoque nec ipse à Francia vllo modo exire vellet, nec filium mittere, imo satis ei videbatur ad præsens, si Barones suos ire permitteret, ad perturbandum in Narbonensi Prouincia pacis & fidei perturbatores. Summus autem Pontifex, vt ad extirpandam pestem hæreticam, fideles populos efficeret promptiores, generales miserat litteras, ad omnes Prælatos, Comites, & Barones & vniuersum populum in regno Franciæ constitutum, monens efficaciter & exhortans, vt festinarent ad vindicandam in Narbonensi Prouincia iniuriam Crucifixi, scientes remissionem omnium peccaminum à Deo eiusque vicario vniuersis indultam, qui ortodoxæ fidei zelo succensi, ad opus se accingerent huius pietatis, dummodo contriti essent pariter & confessi. Quid plura? publicatur ista indulgentia in Francia, armat se multitudo magna fidelium signo crucis.

B *Concilium apud Montilum celebratur, ibique sistendi coram Milone dies Comiti apud Valentiam præfigitur.*

CAPVT XI.

CELEBRATO apud Nouam-villam colloquio prænonato, M. Milo cum collega suo M. Theodisio, ad partes Prouinciæ perrexit veniensque ad quoddam castrum quod Montilum nuncupatur, conuocauit Archiepiscopos & Episcopos quamplures: qui cum ad eum venissent, quæsiuit ab eis diligenter, qualiter procedendum esset in negotio pacis & fidei, præcipuè in facto Comitis Tholosani. voluit etiam vt singuli Prælati super certis capitulis, de quibus eum Abbas instruxerat Cisterciensis, sua ei traderent consilia scripta & sigillata. Factum est vt præcepit, & quod auditu est mirabile, omnia tam Abbatis Cisterciensis, quam Prælatorum consilia, sine dissensione aliqua conuenerunt. A domino factum est istud. Post hæc misit M. Milo ad Comitem Tholosanum mandans ei vt ad diem quam sibi præfigebat veniret ad ipsum apud Valentiam ciuitatem. Venit Comes ad diem illum, & sicut fallax & sæuus, lubricus & periurus promisit legato videlicet M. Miloni, licet in dolo, quod suam faceret in omnibus voluntatem. Legatus autem, vtpotè vir cautus & prudens, Prælatorum vsus consilio: voluit & præcepit vt Comes Tholosanus, traderet ei pro securitate de terra quam tenebat in Prouincia, castra septem. Voluit etiam vt consules Auinionensis & Nemausensis ciuitatum, C & Villæ sancti Georgij iurarent ei, quod si Comes Tholosanus mandato ipsius legati venire presumeret ex aduerso, non tenerentur ei hominij seu fœderis fidelitate astricti. Comitatus insuper Ingruensis, S. R. Ecclesiæ caderet in commissum. Comes verò Tholosanus, quamuis dolens & inuitus necessitate compulsus, omnia quæ legatus mandauerat, adimplere promisit. Sicque factum est, vt qui Abbatem Cisterciensem durum dixerat, legatum longè diceret duriorem. Hoc autem Deo disponente, iustissime factum esse creditur, quod vbi Tyrannus sperauit remedium, vltionem reperit & flagellum. Statim vir totius bonitatis M. Theodisius de mandato legati, venit in partes Prouinciæ, vt septem castra de quibus supra tetigimus reciperet, & ea occuparet ex parte S. R. E. & muniret.

A

Certis ceremoniis antiquitus vsitatis, Comes Tholosanus Ecclesiæ reconciliatur.

CAPVT XII.

HIs omnibus ritè peractis, descendit legatus ad villam S. Ægidij, reconciliaturus ibi Comitem Tholosanum, modus autem reconciliationis & absolutionis talis fuit. Adductus est Comes nudus ante fores Ecclesiæ B. Ægidij, ibique coram legato, Archiepiscopis & Episcopis qui ad hoc conuenerãt plusquam viginti, iurauit super corpus Christi, & sanctorum reliquias, quæ ante fores Ecclesiæ expositæ cum magna veneratione, & in multa copia à Prælatis tenebantur, quod mandatis S. R. Ecclesiæ in omnibus obediret. Mox legatus stolam ad collum Comitis poni fecit, ipsumque Comitem per stolam arripiens, absolutum cum verberibus in Ecclesiam introduxit. Nec silendum quod cum Comes Tholosæ introduceretur in Ecclesiam sicut diximus S. Ægidij cum verberibus, disponente Deo nullatenus de Ecclesia potuit exire præ turba, per viam qua intrauerat: sed opportuit eum descendere in inferiora Ecclesiæ, & per ante sepulchrum B. Martyris F. Petri de Castronouo quem occidi fecerat, nudum transire. O iustum Dei iudicium, quem enim contempserat viuum, ei reuerentiam compulsus est exhibere & defuncto. Illud etiam notandum puto, quod cum corpus prædicti martyris, qui in claustro Monachorum S. Ægidij prius fuerat tumulatum, post longum tempus in Ecclesiam transferretur, ita sanum inuentum est & illæsum, ac si ipsa die fuisset tumulatum: miri etiam odoris fragrantia de corpore sancti & vestibus emanauit.

Reconciliationis ritus notandus.

B

Comes Tholosanus, ficte crucem sacræ militiæ signum sumit, quam quidem Catholici exercitus milites pectori adsutam habebant.

CAPVT XIII.

POst hæc omnia callidissimus Comes Tholosæ, timens à facie cruce-signatorum, qui ad exturbandos hæreticos & eorum fautores in proximo, venturi erant de Francia ad partes Narbonenses, petiit à Legato dari crucem, vt sic terram suam, à cruce signatorum infestatione tueretur. Adquieuit legatus, comitique & duobus tantum de suis militibus cruces dedit. O falsum & perfidissimum crucesignatum, Comitem Tholosanum dico, qui crucem assumpsit, non ad vindicandam iniuriam crucifixi, sed vt ad tempus celare posset suam & tegere prauitatem. His omnibus itaque gestis, legatus & M. Theodisius redierunt versus Lugdunum, vt cruce-signatis, qui statim venturi erant, contra Prouinciales hæreticos obuiarent, per totam siquidem prouinciam diuulgata erat indulgentia quam fecerat dominus Papa proficiscentibus contra prædictos hæreticos, ideoque quamplurimi nobiles & ignobiles contra hostes crucis, armauerant se in pectoribus crucis signo. Signatis igitur in Francia ad vindicandum Dei nostri iniuriam tot fidelium millibus & signandis, nihil aliud supererat, nisi vt Dominus sabaoth, qui solita bonitate & inaudita benignitate inimicis suis videlicet hæreticis & eorum fautoribus compatiens, plures & pluries destinauerat ad eosdem: Sed illi in peruersitate sua perseuerantes, in sua nequitia obstinati, quosdam contumeliis affecerant, alios etiam interfecerant, missis exercitibus suis, crudelissimos perderet homicidas.

C

Aduentus cruce-signati exercitus in partes Prouinciæ.

CAPVT XIV.

ANno igitur ab incarn. Domini 1209. domini Papæ Innocentij II. regnante Philippo Rege Francorum, circa festum sancti Ioannis Baptistæ, cruce signati omnes

A omnes à diuersis Franciæ partibus iter arripientes, pari consilio & prouida dispositione, apud Lugdunum vrbem Galliæ conuenerunt. Inter eos autem qui ibi affuerunt, isti præcipui habebantur. Archiepiscopus Senonensis, Episcopus Eduensis, Episcopus Claromontensis, Episcopus Niuernensis, Dux Burgundiæ Odo, Comes Niuernensis, Comes sancti Pauli, Comes Montisfortis, Comes de Barro supra secanam, Guichardus de bello-joco, Willelmus de rupibus, Senescallus Andegauiæ, Gualcherus de Iouiniaco, Guido de Leuis, Lambertus de Tureyo, multi præterea nobiles & potentes, quos longum esset per singulos nominare.

Comes Tholosanus it obuiam Cruce-signatis.

CAPVT XV.

VIDENS autem Comes Tholosanus Raimundus signatorum multitudinem aduenire, timensque ne inuaderent terram eius, vtpote quam de perpetratis nequitiis, conscientiæ stimulus accusabat, exiuit obuiam eis, & peruenit vsque prope Valentiam ciuitatem: at illi egressi erant in manu excelsa, ipsos igitur inueniens prope ciuitatem dictam dictus Comes, pacem simulans, falsum spopondit obsequium, firmissime promittens, quod ad mandatum sanctæ Romanæ Ecclesiæ ad eorum etiam arbitrium se haberet, super quibus obseruandis, dedit castella quædam pro securitate. Voluit etiam dare filium suum in obsidem, vel seipsum. Quid plura? etiam associatur his hostis Christi, pergunt pariter, rectoque gressu perueniunt ad Biterrensem ciuitatem.

B

De malitia ciuium vrbis Biterrensis & eiusdem vrbis obsidione, expugnatione & excidio.

CAPVT XVI.

ERAT autem Biterris ciuitas nobilissima, sed tota veneno hæreticæ prauitatis infecta nec solum hæretici erant ciues Biterrenses, sed erant raptores iniusti, adulteri, latrones pessimi, pleni omni genere peccatorum. Non sit onerosum lectori si de malitia dictorum ciuium aliquid specialiter differamus. Pergebat quadam nocte in ipso diluculo sacerdos quidam ciuitatis illius ad Ecclesiam diuina celebraturus misteria, portans calicem manibus suis: quidam autem de Biterrensibus qui se posuerant in insidiis, arripientes sacerdotem illum, & vehementer

C verberantes, fracto brachio ipsum grauissime vulnerarunt, accipientesque calicem quem tenebat sacerdos, ipsumque discooperientes, minxerunt in eo in contemptum corporis & sanguinis Iesu Christi. Alioque tempore, ciues sæpedicti in Ecclesia B. Mariæ Magdalenæ quæ in ciuitate dicta sita est, dominum suum Vicecomitem Biterrensem Trancauilum, traditores pessimi interfecerunt, Episcopo etiam suo, qui Vicecomitem ab illorum manibus defendere nitebatur dentes confregerunt. Egrediebatur die quodam canonicus quidam Biterrensis de Ecclesia maiori, celebrata missa audiens autem tumultum laborantum in fossatis ciuitatis, interrogauit, quid hoc esset. Responderunt qui aderant, tumultus est laborantum ad fossata, quia munimus ciuitatem contra Francigenas qui aduenniunt iam enim imminebat aduentus peregrinorum, & dum ita loquerentur, apparuit quidam senex venerandæ ætatis, qui dixit eis. Vos contra peregrinos ciuitatem istam munitis: sed quis desuper poterit vos munire, per hoc innuit, quod dominus de cœlo bellaturus esset eos, quo audito illi vehementer moti sunt & permoti: Cumque vellent in senem insurgere, subito disparuit, & nusquam potuit inueniri. Nunc propositum prosequamur. Antequam cruce-signati ad Biterrensem peruenirent ciuitatem, Vicecomes Biterrensis Raimundus Rogerij nomine, nobilis quidem genere, nepos Comitis Tholosani, qui sectans auunculi prauitatem, in nullo hæreticos comprimebat, promiserat firmissime Biterrensis ciuibus ciuitatis, quod eos nullatenus desereret, sed cum ipsis ad mortem vsque perseuerans in sæpedicta ciuitate aduen-

Horrenda & stupenda sacri calicis pollutio.

rat obuiam eis, magistrum videlicet Regenaldum de monte pessulano, virum ætate, vita, scientia, venerandum. Dicebant siquidem nostri, quod causa perdendorum hæreticorum aduenerant, mandaueruntque ciuibus Catholicis si qui erant, vt in manus ipsorum traderent hæreticos, quos idem venerabilis Episcopus qui eos plene nouerat, & etiam in scriptum redegerat, nominaret, vel si istud facere non possent, exeuntes de ciuitate dimitterent hæreticos, ne perirent pariter cum eisdem. Quod verbum cum sæpedictus Episcopus ex parte nostrorum memoratis ciuibus retulisset, noluerunt adquiescere, sed se aduersus Deum & Ecclesiam erigentes, inito cum morte fœdere, elegerunt potius mori hæretici, quam viuere Christiani: priusquam enim nostri eos aliquatenus expugnarent, exierunt quidam de ciuitate, cœperuntque nostros sagittis acrius infestare, quod videntes seruientes exercitus, qui publica lingua dicuntur ribaldi, cum indignatione maxima muros adeunt ciuitatis, nobilibusque exercitus nescientibus & penitus inconsultis, facto insultu ipsa hora, quod dictu mirabile est capiunt ciuitatem. Quid plura? statim B intrantes, à minimo ad maximum omnes fere necati, tradentes incendio ciuitatem. Fuit autem capta ciuitas sæpè dicta in festo S. Mariæ Magdalenæ. O iustissima diuinæ dispensationis mensura: sicut in principio huius libri diximus, dicebant hæretici B. Mariam Magdalenam fuisse Christi concubinam, præterea in Ecclesia ipsius quæ erat in ciuitate sicut supra tetigimus, ciues Biterrenses dominum suum occiderant, Episcopo suo dentes confregerant. Merito igitur in illius festiuitate capti sunt & destructi, de qua contumeliosa tot dixerant, cuius etiam Ecclesiam sanguine domini sui Vicecomitis videlicet, nec non Episcopi fœdauerant canes impudentissimi. In eadem etiam Ecclesia, in qua vt sæpedictum est dominum suum occiderant ciues Biterrenses, ipsa die captionis ciuitatis, fuerunt vsque ad septem millia de ipsis Biterrensibus interfecti. Notabiliter est notandum quod sicut ciuitas Ierusalem 42. anno à passione Domini nostri à Tito & Vespasiano fuit destructa, ita ciuitas Biterrensis 42. anno ab interfectione Domini sui per francigenas est vastata. hoc quoque non est omittendum, quod sæpedicta ciuitas multoties deuastata fuerit ob causam superius memoratam, semper in die festi S. Mariæ Magdalenæ, in cuius Ecclesia tantum scelus perpetratũ fuerat, dignam recepit eiusdem sceleris vltionem.

De obsidione vrbis Carcassonæ & eiusdem deditione.

CAPVT XVI. C

CAPTA itaque & destructa ciuitate Biterrensi, proposuerunt nostri recto gressu tendere Carcassonam, ciues etenim Carcassonenses pessimi erant hæretici, & peccatores coram domino nimis, siquidem illi qui in castris inter Biterrim & Carcassonam positis habitabant, timore exercitus fugerant, castra sua vacua relinquentes, quidam tamen qui non vocabantur ex hæretica prauitate, reddiderunt se nostris. Audiens autem Vicecomes, quod nostri ad obsidendam tenderent Carcassonam, milites quoscumque potuit adunauit, seque cum eis in Carcassonam recipiens, præparauit se vt contra nostros defenderet ciuitatem. Nec silendum quod ciues Carcassonenses pessimi & infideles, refectorium & Cellarium canonicorum Carcassonensium, qui erant canonici regulares, ipsa etiam stalla Ecclesiæ quod execrabilius est destruxerunt, vt muros ciuitatis inde munirent. O prophanum consilium. O munitio immunita quæ sacra immunitate, domus Dei inuiolata & destructa construitur per hæc merito destruendam, domus rusticorum intactæ conseruantur, domus seruorum Dei delectæ prosternuntur. Peruenientes igitur nostri ad ciuitatem, in circuitu fixere temptoria obsidionem firmantes. Depositis ergo circumquaque bellatorum agminibus, ipsa quidem die & altera à præliis siluerunt. Ciuitas autem Carcassona in montis cuiusdam supercilio posita, duplici suburbio cingebatur, quorum vtrumque munitum erat muris pariter & fossatis. Die igitur tertia

A tertia sperantes nostri primum suburbium quod secundo suburbio erat aliquantulum minus forte, per insultum sine machinis se capturos, impetum fecerunt vnanimes in ipsum, Episcopis & Abbatibus cum vniuerso clero congregatis in vnum & cum maxima deuotione cantantibus, *Veni sancte Spiritus*, diuinumque postulantibus auxilium mox ad futurum, derelictum statim primum suburbium ab hostibus, vi cœperunt. nec prætereundum quod nobilis Comes montis fortis primus omnium, imo solus quoad milites, in fossatum se misit audacter cum cæteris dictum suburbium impugnando. Quod captum impletis fossatis, nostri terræ penitùs adæquauerunt. Videntes autem nostri quod tam facilè cœpissent sæpedictum suburbium, arbitrati sunt secundum suburbium, quod longe fortius erat & munitius per insultum similiter capi posse. Die autem altero ad murum eiusdem secundi suburbij accesserunt, quibus ad insultum instantibus, vicecomes cum suis ita se viriliter defendebat, quod ex frequenti & creberrimo iactu lapidum, nostros à fossato quod intrauerant opportuit resilire: in quo conflictu contigit quemdam militem de nostris fracto crure in fossato remanere, ad quem extrahendum cum nullus auderet accedere propter iactus lapidum incessantes, vir totius probitatis videlicet Comes montis fortis in fossatum se mittens, ipsum vnico auxiliante armigero, non sine
B grandi propriæ vitæ discrimine liberauit. Quibus gestis nostri mox machinas quæ dicuntur petrariæ ad diruendum murum suburbij erexerunt, quo muro aliquantulum pro iactu petrarum in summitate debilitato, nostri carrum quatuor rotarum bouinis pellibus coopertum, cum maxima difficultate muro applicantes, ad fodiendum murum artifices submiserunt. Aduersarij vero ignem, ligna, lapides proiicientes instantissime, ipsum carrum statim comminuerunt, fossoribus tamen in concauitate muri iam facta se recipientibus, quos nullomodo à perforatione muri potuerunt retardare. Quid plura? In castrino summo diluculo, suffosus corruit murus, mox nostris cum strepitu intrantibus, aduersarij sese in superiora ciuitatis transtulerunt, sed postea videntes milites nostros exisse à suburbio; & se in tentoria recepisse, exeuntes de ciuitate quotquot de nostris in suburbio, effugantes. Pluribus etiam de nostris præ difficultate exitus interfectis, in toto suburbio ignem mittunt, sese iterum ad superiora reportantes. Contingebat in illa obsidione quoddam quod non prætermittendum, sed pro maximo miraculo est habendum. Dicebatur quod in exercitu erant homines vsque ad quinquaginta millia, hostes autem nostri, omnia in circuitu ciuitatis molendina destruxerant, ita quod non poterant nostri panem habere nisi de paucis castris circumiacentibus, & tamen in tanta abundantia erat ibi panis quod modicissimo pretio vendebatur, inde & dicebant hæretici, quod Abbas Cisterciensis magus erat, dæmonesque adduxerat in specie hominum, quia videbatur eis quod nostri non comedebant. His itaque gestis, consilium habuerunt
C nostri, quomodo caperent ciuitatem, animaduertentes autem, quod si facerent hic sicut in Biterrensi factum fuerat ciuitate, destrueretur ciuitas, & omnia bona quæ in ipsa erant consumerentur, & ita ille qui præficiendus erat terræ illi, non haberet vnde viueret, nec posset milites & seruientes tenere ad terram custodiendam. Ad consilium igitur Baronum, tractatum est de pace in hunc modum. Ordinatum est quod omnes egrederentur nudi, & ita euaderent, vicecomes autem in custodia teneretur, bona omnia remanerent illi, qui futurus erat dominus dictæ terræ ob necessitatem superius nominatam, factumque est ita. Egressi sunt ergo omnes nudi de ciuitate, nihil secum præter peccata portantes. Tunc adimpletum est, quod dictum fuerat per venerabilem virum Berengarium qui fuerat Episcopus Carcassonæ. hic cum quadam die in ciuitate sua predicaret, ciuibusque sicut solitus erat hæresim improperaret, nolluerunt eum audire quibus ille, vos me audire non vultis, credite mihi, ego tantum mugitum emittam contra vos, quod à remotis mundi partibus venient, qui destruent villam istam. Certissime autem sciatis, quod si ferrei & altissimi essent muri ciuitatis istius, non possetis vos defendere quin pro vestra incredulitate & malicia, condignam recipiatis à iustissimo iudice vltionem. Propter hæc & his similia, quæ eis vir sanctissimus intonabat, quodam tempore expulerunt eum dicti ciues de ciuitate, inhibendo preconis voce districtissime & sub pœna grauissimæ vltionis, ne quis in emendo vel vendendo, sibi vel suis auderet in aliquo communicare. Nunc id quod cœpimus exequamur. Reddita ciuitate & omnibus egressis, eliguntur de exercitu milites, qui bona ciuitatis fideliter custodirent.

 A

Eligitur Comes Montis-fortis in principem territorij & ditionis Raimundi Comitis.

CAPVT XVII.

QVIBVS omnibus peractis, consilium habuerunt Barones ad inuicem, quem deberent præficere terræ prædictæ. Et primo quidem oblatum fuit terræ dominium Comiti Niuernensi, postea Duci Burgundiæ, sed accipere noluerunt. Eliguntur igitur de toto exercitu duo Episcopi & quatuor milites, & insuper Abbas Cisterciensis Apostolicæ sedis legatus ad terræ Dominum eligendum: qui firmiter promiserunt, quod illum eligerent, quem secundum Deum & seculum scirent vtiliorem. Hi septem, septiformis spiritus S. gratia cooperante, totamque terram misericorditer respiciente eligunt virum fidelem, Catholicum, moribus honestum, armis strenuum, Simonem videlicet Comitem Montis-fortis. Statim Abbas Cisterciensis, Apost. sedis legatus, huius sacri negotij pater & magister & Dux Burgundiæ, Comes etiam Niuernensis, ad ipsum veniunt, monent, rogant & consulunt, B vt suscipiat onus pariter & honorem, quod cum vir discretissimus instantissime renueret, & se fateretur insufficientem & indignum, mox Abbas Cisterciensis & Dux, eius pedibus se prouoluunt preces precibus inculcantes. Comite autem adhuc renuente, Abbas, auctoritate suæ legationis vtens, præcepit ei districtissime virtute obedientiæ vt faceret quod petebant. Suscepit igitur terræ gubernaculum vir præfatus ad laudem Dei & honorem Ecclesiæ, depressionem hæreticæ prauitatis. Hic adnectendum est, quoddam relatione dignissimum, quod contigerat paulo ante in Francia de nobili Comite Montis-fortis. Redibat quadam die venerabilis Abbas vallium Sarnay, Guido nomine supradictus, qui negotium fidei contra hæreticos in quantum poterat promouebat à Duce Burgundiæ, ipsius ducis literas habens secum, continentes quod Dux Rogabat Comitem Montis-fortis, vt cum ipso se accingeret ad militiam Iesu Christi contra hæreticos, ingentia dona offerens, si in hoc adquiescere vellet ei. Contigit autem vt dictus Abbas veniens à Duce dictum Comitem inueniret in Ecclesia cuiusdam castri ipsius Comitis, quod dicitur Rupis-fortis, quibusdam negotiis occupatum: cumque Abbas vocasset illum in partem, ducis literas ostensurus, transiens idem Comes per Cancellum Ecclesiæ, librum psalterij quem super formulam inuenit, apprehendens, diuino nutu ex industria aperuit, digitum suum super primam lineam tenens dixit Abbati, exponite mihi scripturam istam, *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*, quod diuina dispositione prouisum, rei exitus manifestissimè comprobauit. C

De preclaris animi & corporis dotibus Simonis Comitis Montis-fortis.

CAPVT XVIII.

Comitis Monfortij prosopographia.

QVIA vero loci opportunitas se ingessit, quod rationis ordo deposcit, hic de nobili Comite Montis-fortis, quod nouimus inseramus. primo dicetur quod erat genere præclarus, virtute robustus, in armis plurimum exercitatus. Erat præterea vt accedamus ad formam, statura procerus, cæsarie spectabilis, facie elegans, aspectu decorus, humeris eminens, brachiis exertus, corpore venustus, membris omnibus agilis & stabilis, acer & alacer, in nulla sui vel modica parte etiam ab hoste vel inuido reprobandus. Demum vt ascendamus ad maiora, erat facundia disertus, affabilitate comis contubernio amabilis, castitate mundissimus, humilitate præcipuus, sapientia præditus, in proposito firmus, in consilio prouidus, in iudicio iustus, in militiæ exercitiis sedulus, in suis actibus circumscriptus, in incipiendis arduus, in perficiendis non defessus, totus diuinis seruitiis mancipatus. O prouida principum electio: O sensata peregrinorum acclamatio quæ virum tam fidelem, fidei orthodoxæ prouidit electione, defendendæ, quæ virum tam accommodum vniuersæ reipublicæ sacrosancto negotio Iesu Christi contra pestilentes hæreticos voluit

A voluit principari. Talem quippe decebat dominum exercituum exercitui dominari quem vt prædictum est, generis nobilitas, morum sinceritas, militaris probitas adornaret, talem inquam, talem operæ prætium fuit, in periclitantis Ecclesiæ defensionem sublimari, sub cuius patrocinio innocentia Christiana secum consisteret, & hæreticæ prauitatis præsumptuosa temeritas, detestabilis erroris sui impunitatem non speraret, & pulchrè satis de Monte-forti oriundus naufraganti Ecclesiæ à Christo si monte non transmittitur, ipsam à persequentibus hæreticis defensurus. Et notandum quod licet aliqui possent reperiri, qui in aliquá ei gratia æqui-pollerent, audacter dico, vix aut nunquam reperietur in quo tanta simul donorum tam naturalium, quam gratuitorum confluxerit plenitudo, quem ne tot & tantarum diuini numinis largitatum extolleret magnitudo, datus est ei à domino stimulus incessantis sollicitudinis & vrgentissimæ paupertatis. Cum enim Deus in captione castrorum & destructione inimicorum, hinc ita miraculose magnifice faceret cum eo, hinc illum tot curis vexabat, tantæ paupertatis inopia deprimebat, quod vix licebat ei quiescere, ne superbire liceret. Vt autem virtus viri clarissimi, clarius innotescat, non sit onerosum lectori, si de his quæ gessit retroactis aliquando diebus aliqua
B quæ vidimus perstringamus.

De beneuolentia Simonis Comitis erga Iadrenses, & singulari eius in Romanam Ecclesiam obseruantia.

CAPVT XIX.

QVODAM tempore idem nobilis Comes & Abbas vallium Sarnay Guido, qui fuit postea Episcopus Carcassonæ, de quo sæpius fecimus mentionem, proficiscebatur cum Baronibus Franciæ vltramare. Videntes autem nobiles Franciæ Venetiam ciuitatem opulentissimam, vbi ad transfretandum debebant de communi conducto naues ascendere, naues ipsas de carissimo pretio conduxerunt. Erant autem nobiliores totius Franciæ. Comes videlicet Flandriæ Balduinus, & Henricus frater eius Comes Blesensis Ludouicus, & nobilis Comes Montis-fortis & alij multi quos non erat facile numerare. Ciues autem Venetici homines callidi & peruersi, videntes quod peregrini nostri, propter nauium pretium immoderatum, exhausti essent pecunia & penè penitus emuncti, nec tum dictum naulum ex magna parte soluere possent, nacta inde occasione, videlicet quod peregrini nostri erant illis obnoxij & subiecti, duxerunt eos ad destruendam ciuitatem quandam Christianorũ quæ erat Regis Hun-
C gariæ nomine Iadram, quò cum peregrini nostri peruenissent, sicut mos est obsidentium, fixere tentoria prope muros ciuitatis. Comes autem Montis-fortis & Abbas vallium non sequentes turbam ad faciendum malum, noluerunt obsidere cum aliis, sed longius à ciuitate se locauerunt. Interea Dominus Papa misit literas suas omnibus peregrinis, districtè & sub periculo indulgentiæ peccatorum quam eis fecerat, & sub pœna grauissimæ excommunicationis inhibens, ne ciuitatem Iadræ in aliquo damnificarent. Quas literas cum Abbas vallium die quodam nobilibus exercitus qui erant congregati in vnum recitaret, & Venetici ipsum vellent occidere, nobilis Comes Montis-fortis surrexit in medium, & Veneticis se opponens restitit eis, ne Abbatem occiderent prænotatum. Ciues autem Iadrenses qui ibi causa postulandæ pacis aduenerant, allocutus est Comes nobilis in presentia Baronum omnium in hunc modum. Non veni inquit huc vt destruerem Christianos, nullum malum vobis inferam, sed quidquid faciant alij, ego à me & meis facio vos securos. Sic fatur vir strenuissimus, statimque ipsi & sui à loco colloquij exierunt. Quid amplius immoremur. Barones exercitus mandato Apostolico non deferentes, capiunt & destruunt ciuitatem. Iterum à Domino Papa miserabiliter & grauissime excommunicantur: & ego qui ibi eram testimonium perhibeo veritati, quia & literas vidi & legi, excommunicationem Apostolicam continentes. Nobilissimus autem Comes non adquieuit plurimorum sententiæ, vt deuiaret à vero, sed exiens à consortio peccatorum, cum multo grauamine & dispendio, per terram desertam & inuiam, post multas angustias & multos labores Baronum, villam nobilissimam Apuliæ peruenit,

Expeditionẽ BiZantinam anno 1203. susceptam auctor intelligit, cuius historiam gallice & syncerè conscripsit Gaufridus de villarduini. Sed parum hic prudenter, imo inconsideratè prorsus, auctor perstringit Venetos, quorum fidem, summam industriam & fortitudinem in hac expeditione, impensè laudat dictus

Gaufridus qui rebus gestis interfuit & fermè præfuit aut saltem earum pars magna fuit, turbidaque quorumdam monachorum consilia damnat, eaque de causa eum lector consulas velim.

** Iadera hodie Zara, urbs Dalmatiæ seu Sclauoniæ.*

ibique denuo naues conducens perrexit, & ascendens cursu prospero vltra mare, vbi per annum & amplius moram faciens, & multas contra paganos militiæ probitates exercens, Baronibus Franciæ quos apud * Iadram dimiserat, periclitatis & mortuis ferè cunctis, ipse viuus & sanus rediit ad propria cum honore. Ab illo igitur tempore nunciauit triumphos quos feliciter postmodum consummauit, ex tunc honorem promeruit, quem assecutus est posteà in depressionem hæreticæ prauitatis. Nec silendum putamus, quod cum tantus sit & talis Comes iste, prouidit ei dominus adiutorium simile sibi, vxorem videlicet, quæ vt breuiter dicamus, religiosa esset sapiens & sollicita, In ea quippe religiosa religio sollicitudinem & sapientiam adornabat, sapientia religionem & solicitudinem informabat, solicitudo religionem & sapientiam exercitabat, insuper & Dominus benedixerat dictæ Comitissæ in familiæ procreatione. Comes siquidem habebat ex ea filios multos & pulchros nimis. his in commendatione Comitis sæpius memorati perstrictis, ad prosequendum narrationis nostræ ordinem accingamur. A

Comes Niuernensis ob quasdem simultates castra signatorum deserit. B

CAPVT XX.

POSTQVAM electus fuit Comes sæpè memoratus, modo & ordine quo superius est notatum, statim Abbas Cisterciensis & ipse, Ducem Burgundiæ adeunt, & Comitem Niuernensem orantes & deprecantes, vt in seruitio Iesu Christi dignarentur adhuc aliquantulum commorari. Adhuc enim erant hæreticorum castella multa & fortissima adquirenda: vt enim prætermittamus innumera, erant circa Carcassonam tria castra munitissima, in quibus habitabant tunc temporis præcipui fidei nostræ inimici. Erat quippe ex vna parte Minerba, ex alia castrum Finarum, ab alia Cabarerum. Dux autem Burgundiæ, vt pote, benignissimus, benigne deprecantibus adquieuit, promisitque per aliquantulum tempus, cum eis ad hæc moraturum. Comes autem Niuernensis, nullo modo voluit deprecantibus obaudire, sed statim ad propria remeauit: non enim bene conueniebant Dux & Comes ille, sed hostis pacis diabolus, ita inter illos mutuas inimicitias accuebat, quod timebant cotidiè nostri ne se mutuo occiderent. Præsumebatur etiam à nostris, quod Comes Niuernensis, non satis bonam gerebat erga nostrum Comitem voluntatem, eo quod Comes noster familiaris erat Ducis Burgundiæ, & cum eo venerat à partibus Gallicanis. O quanta antiqui hostis malitia, qui promotionem negotij Iesu Christi videns & inuidens, impedire voluit quod doluit promoueri. Exercitus siquidem cruce signatorum qui fuerunt in obsidione Carcassonæ, erat tam magnus & fortis, quod si vlterius voluisset procedere, & vnanimiter persequi ortodoxæ fidei inimicos, non inuenientes qui resisterent eis, totam terram illam in breui adquirere potuissent. Sed inquantum humana ratio potest comprehendere, superna pietas ideo aliter ordinabat, quia videlicet humani generis saluti prouidens, acquisitionem terræ voluit peccatoribus reseruare. Pius quidem dominus, simul in breui finiri noluit sanctissimam guerram istam, per hoc prouidens peccatoribus ad veniam, iustis ad gratiam ampliorem, paulatim & successiue, hostes suos voluit subiugari: vt dum paulatim & successiue, proceres se accingerent ad vindicandam iniuriam Iesu Christi, prolongata guerra tempus veniæ peccatoribus prolongarent. C

Expugnatio castri Fani Iouis.

CAPVT XXI.

PAVCIS diebus apud Carcassonam peractis, exiuit nobilis Comes à ciuitate cum Duce & magna parte exercitus, adiuuante domino vlterius processurus: maxima enim pars exercitus recesserat cum Comite Niuernensi. Mouentes igitur à Carcassona, ipsa die fixere tentoria apud villam quandam quæ Alzona dicebatur. In crastino consuluit Dux Comiti vt iret ad castrum quoddam quod dicitur Fanum

Iouis.

A Iouis. Castrum siquidem illud à militibus & hominibus suis, timore nostrorum derelictum intrauerant quidam milites Arragonenses, qui erant cum Comite nostro & munierant, plura enim de inimicis castellis nobilioribus & fortioribus terrore crucesignatorum vacua fuerant derelicta. Assumptis ergo Comes paucis militibus secum, duce cum exercitu remanente, castrum adiit praenotatum, quod acceptum, gente sua muniuit. Nec reticendum quod Comes Tholosanus qui fuerat in obsidione Carcassonae, felicibusque nostris successibus inuidebat, consuluit Comiti nostro, vt quaedam castra quae vicina erant terrae illius Comitis Tholosani destrui faceret. Ipse etiam quasi sub specie boni ad voluntatem Comitis nostri, aliqua castella funditus euertit, & combussit, sub hoc scilicet praetextu ne nostros de caetero impugnarent. Hoc ideo faciebat ille perfidus & iniquus, quia volebat quod terra illa destrueretur, & nullus resistere posset ei.

Intrat Comes Albiensem diaecesim.

CAPVT XXII.

B CVM haec agerentur, Burgenses cuiusdam nobilissimi Castri quod dicitur Castra in Albigensi territorio, venerunt ad Comitem nostrum, parati eum suscipere in dominum & facere eius voluntatem. Consuluit ergo Dux Comiti vt iret & acciperet castrum illud, quia quasi caput erat totius territorij Albigensis. Iuit ergo Comes cum paucis, Duce cum exercitu derelicto. Factum est autem dum esset Comes in praedicto Castro, & homines Castri fecissent ei hominium, Castrumque tradidissent, venerunt ad eum milites cuiusdam Castri nobilissimi prope Albiam nomine Lumbers parati facere Comiti sicut fecerant illi de Castris. Nobilis vero Comes volens redire ad exercitum, noluit tunc ire cum eis, sed tantum recepit in sua protectione Castrum, donec ire posset tempore competenti. Miraculum quod contigit in Castro de Castris, in presentia Comitis noluimus praeterire. presentati fuerunt duo haeretici ipsi Comiti: alter autem eorum perfectus erat in secta haereseos, alter vero erat quasi nouitius & discipulus alterius: habito Comes consilio, voluit vt ambo incenderentur. alter vero illorum haereticorum, ille videlicet qui erat discipulus alterius, tactus dolore cordis intrinsecus coepit conuerti, promisitque quod libenter abiuraret haeresim, sanctaeque R. E. per omnia obediret. Quo audito facta est grandis altercatio inter nostros: quidam enim dicebant, quod ex quo ille paratus erat ea quae diximus adimplere, non debebat morte condemnari. Alij è contrario asserebant illum esse reum mortis, tum quia manifestum erat ipsum fuisse C haereticum, tum quia putabatur, quod ea quae dicebat, potius timore imminentis mortis promitteret, quam amore Christianae religionis obseruandae. Quid plura? adquieuit Comes quod combureretur hac intentione, quod si nunc conuertatur, ignis esset ei pro expiatione peccatorum, si vero ficte loqueretur, reciperet pro perfidia talionem. Ligati sunt ergo ambo stricte duris vinculis & fortissimis, per crura, ventrem & collum, manibus etiam post terga reuinctis, quo facto inquiritur ab illo in qua fide vellet mori, qui ait, adiuro prauitatem haereticam, in fide S. R. E. volo mori, orans vt mihi sit pro purgatorio ignis iste. Accensus est igitur ignis circa stipitem copiosus, illo autem qui perfectus erat in haeresi in momento combusto: alter statim confractis vinculis fortissimis, ita sanus exiuit ab igne, quod nulla apparuit in eo combustionis nota, nisi quod summitates digitorum aliquantulum sunt adustae.

Castrum de Cabareto obsidione frustra tentatur à Comite.

CAPVT XXIII.

REDIENS Comes à Castro de Castris, ad exercitum remeauit, quem dimiserat versus partes Carcassonae. Post haec fuit consilium Ducis Burgundiae & militum & exercitus, vt tenderent Cabaretum, si forte possent illos de Cabareto vexare, & ad redditionem Castri cogere per insultum. Mouentes ergo nostri, vene-

runt prope Cabaretum ad dimidiam leugam, & ibi fixerunt tentoria. In craſtino autem armauerunt ſe milites, & magna pars exercitus, & appropinquauerunt Cabareto, vt expugnarent illud, factoque inſultu, cum parum proficere poſſent ad temptoria redierunt. A

De diſceſſu Ducis Burgundiæ, & deditione Appamiarum, Sauardini & Mirapinci.

CAPVT XXIV.

IN craſtino præparauit iter Dux & totum robur exercitus, & die tertia diſceſſerunt à Comite noſtro, ad propria remeantes. Remanſit igitur Comes ſolus & quaſi deſolatus, pauciſſimos quod habebat milites circiter triginta, qui cum aliis peregrinis venerant de Francia, & præ cæteris ſeruitium Chriſti & Comitem diligebant. Poſtquam igitur receſſit exercitus, venit nobilis Comes ad Fanum Iouis: quo dum perueniſſet, ſtatim venit ad eum venerabilis Abbas S. Antonini apud Appamias in territorio Tholoſano, rogans vt accederet ad eum, & ipſe ei traderet illico B nobiliſſimum caſtrum Appamiarum. Dum autem iret Comes apud Apamias, deuenit ad caſtrum quod dicitur Mirapeis, ſtatimque cœpit illud. Caſtrum illud hæreticis & Ruptariis erat receptaculum, & erat de dominio Comitis Fuxenſis. Capto caſtro illo, Comes recto itinere Apamias peruenit, quem Abbas honorifice ſuſcepit, & caſtrum Appamiarum ipſi tradidit, quod Comes ab eo recepit, & fecit Abbati hominium ſicut debebat. Caſtrum ſiquidem proprie erat de dominio Abbatis & Canonicorum S. Antonini, qui erant canonici regulares, & nullus in eo debebat habere aliquid niſi ab Abbate. Sed peſſimus Comes Fuxenſis, qui caſtrum illud tenere debebat ab Abbate, totum ſibi malitioſe volebat vendicare, vt inferius oſtendemus. Venit inde Comes noſter Sauarduum, & Burgenſes ſe ſine conditione aliqua reddiderunt. Erat autem Caſtrum illud, ſcilicet Sauarduum in poteſtate & dominio Comitis Fuxenſis.

Albia & Lombers, veniunt in poteſtatem Comitis Simonis.

CAPVT XXV.

REDIENS idem Comes noſter Fanum Iouis, propoſuit ire ad caſtrum de Lombers, de quo ſupra tetigimus vt reciperet illud. Erant autem in caſtro illo milites pluſquam quinquaginta. perueniens igitur Comes ad caſtrum, honorifice eſt C ſuſceptus, dixerunt milites, quod in craſtino, eius facerent voluntatem. Facto autem mane dicti milites de proditione in Comitem tentauerunt, cumque vſque ad nonam, ſuum conſilium protelaſſent, res innotuit Comiti: qui ſtatim quandam occaſionem ſimulans, indilate exiit de caſtro illo, quod videntes milites ſequuti ſunt eum, & timore ducti fecerunt eius voluntatem, caſtrumque reddiderunt, facientes ei hominium & fidelitatem iurantes. Venit idem Comes Albiam: erat autem Albia ciuitas, quam tenuerat vicecomes Biterrenſis, Epiſcopus autem Albiæ Guillelmus qui erat dominus ciuitatis principalis, gratanter ſuſcepit illum dominum, & tradidit ei ciuitatem. Quid plura? totam Albienſem diœceſim Comes tunc ſuſcepit, exceptis quibuſdam caſtris quæ tenebat Comes Tholoſanus, caſtra ſiquidem illa abſtulerat Comes Tholoſanus vicecomiti Biterrenſi. His rite peractis, Comes noſter rediit Carcaſſonam. Poſt paucos autem dies, iuit Comes ad quoddam caſtrum quod dicitur Limoſum in territorio Redenſi, vbi faceret munitionem. Caſtrum ſiquidem illud reddidit ſe Comiti, ſtatim poſtquam capta fuit Carcaſſona, quo dum pergeret, quædam caſtella, quæ ſanctæ Eccleſiæ reſiſtebant cœpit, pluresque homines caſtrorum illorum, digne pro meritis patibulis ſuſpendit. Rediens Comes à caſtro de Limoſo, venit ad quoddam caſtellum quod erat prope Carcaſſonam, & erat Comitis Fuxi, nomine Priſſanum, ipſumque obſedit: & dum eſſet in obſidione illius caſtri, venit ad eum Fuxenſis Comes, & iurauit quod ſtaret per omnia mandato Eccleſiæ, & ſuper

A & super dedit Comiti filium suum in obsidem: insuper & castrum quod Comes obsederat dimisit, quibus gestis Comes rediit Carcassonam.

Renuit Rex Arragonensis admittere Comitem Tholosanum ad præstationem hominij ratione vrbis Carcassonæ sibi debiti, frustra hoc vrgente Comite.

CAPVT XXVI.

REx Arragonensis Petrus, de cuius dominio erat ciuitas Carcassonæ, nullo modo volebat accipere hominium Comitis, sed volebat habere Carcassonam. Cum autem die quodam vellet ire ad montempessulanum, & non auderet, misit ad Comitem & mandauit ei vt obuiaret ei apud Narbonam. Quo facto ad montem pessulanum Rex & Comes noster pariter deuenerunt: vbi cum dies quindecim fecissent, non potuit inclinari Rex ad hoc, vt reciperet hominem Comitem sæpedictum: mandauit insuper, sicut dictum fuit secreto nobilibus per totum Vicecomitatum Biterrensem & Carcassonensem, qui adhuc resistebant sanctæ Ecclesiæ & B Comiti nostro, ne componerent cum Comite, promittens eis quod ipse cum eis Comitem impugnaret. Factum est autem dum rediret Comes à montepessulano, venerunt ad eum qui dicerent, plurimos de militibus Biterrensis, & Carcassonensis & Albiensis diœcesum cum Castellis à fidelitate quam Comiti promiserant resilisse, & verè sic erat. Insuper quosdam milites Comitis, obsederant traditores quidam in turre cuiusdam castri prope Carcassonam, Almaricum scilicet & Willelmum de Pissiaco. Quo audito festinauit Comes, vt posset venire ad castrum illud, antequam sui milites caperentur. Sed cum non posset transire flumen, quod dicitur Atax, inundauerat siquidem aqua, opportuit eum ire Carcassonam, aliter siquidem transire non poterat flumen istud, quò dum pergeret, agnouit quod dicti sui milites capti erant. Contigerat autem dum esset Comes apud montempessulanum, quod Bucardus de Marliaco, & Gobertus de Essigniaco, & quidam alij milites qui erant apud Saxiacum castrum quoddam fortissimum in Carcassonensi diœcesi, quod dederat Comes dicto Bucardo, quadam die vsque ad Cabaretum hostes insequerentur. Erat autem castrum quoddam prope Carcassonam fortissimum, & quasi inexpugnabile & multis militibus munitum. castrum istud Christianitati & Comiti præ cæteris resistebat: ibi siquidem erat fons hæresis. Dominus & eius castri Petrus Rogerij inueteratus dierum malorum, hæreticus erat & hostis Ecclesiæ manifestus. Factum est autem dum appropinquarent dictus Bucardus & socij eius Cabaretum, milites Cabareti qui posuerant in insidiis se, surgentes concluserunt eos & cœperunt Bu- C cardum. Gobertum autem cum nullatenus vellet se reddere occiderunt: Captum autem Bucardum ducentes Cabaretum, posuerunt in quodam terræ castro, vbi eum per menses sexdecim in vinculis tenuerunt. Eodem etiam tempore antequam Comes rediisset à monte Pessulano, Vicomes Biterrensis, Raimundus Rogerij, qui apud Carcassonam tenebatur in palatio in infirmitate laborans defunctus est. Nunc ad narrationis seriem revertamur.

De proditione & crudelitate Gerardi de Pepios in Simonem Comitem eiusque milites.

CAPVT XXVII.

CVm rediisset Comes Carcassonam à monte Pessulano, Guiraldus de Pepios miles quidam Minerbensis quem Comes, maximo amore & familiaritate habebat, cui etiam custodienda commiserat castra sua, quæ erant prope Minerbam, nequissimus proditor, & fidei crudelissimus inimicus, negans Deum, fidemque abiurans, beneficiorum immemor & amoris, ab amicitia Comitis & fidelitate quam ei fecerat resiliuit, qui etsi Deum fidemque eius non haberet præ oculis, saltem benignitas Comitis quam ei exhibuerat, ipsum à tanta crudelitate debuit reuocare. Veniens igitur dictus Guiraldus & quidam alij milites fidei inimici, ad quoddam castrum Comitis in territorio Biterrensi nomine Podium Soriguer, cœperunt duos

milites Comitis qui custodiebant castrum multosque seruientes, promiseruntque A cum iuramento, quod eos non occiderent, sed sanos conducerent vsque Narbonam, cum omni supellectili sua, quod cum audisset Comes, ad castrum illud quamcitius potuit peruenit, Guiraldus autem & socij eius erant adhuc in castro. Veniens autem Comes ad castrum, noluit obsidere illud, sed Aimericus dominus Narbonæ, qui ibi erat cum Comite & homines Narbonenses, noluerunt obsidere cum Comite, sed statim Narbonam reuersi sunt. Videns igitur Comes, quod quasi solus remansisset, secessit nocte illa ad quoddam vicinum castrum quod vocatur caput stagni, in crastino summo diluculo reuersurus. Contigit autem in castro superius notato quoddam miraculum, quod prætermittere non debemus. Cum venisset Guiraldus ad castrum Podij Soriguer & cœpisset illud, paruipendens pactum quod fecerat, scilicet quod sine damno duceret eos quos cœperat vsque Narbonam, seruientes Comitis, quos in castro cœperat vsque ad quinquaginta posuit in turre castri. Ipsa autem nocte qua Comes recessit à loco illo, timens sæpedictus Guiraldus, ne rediret Comes in crastino ad obsidendum castrum: media nocte de castro fugit, & quia non licuit ei per festinationem, illos quos in turre posuerat secum ducere, in fossa ipsius turris eos ponens, stipulam & ignem & lapides & quæcumque potuit super eos proiici præcepit, vsque dum eos obiisse putaret, moxque castrum deserens, duosque milites B Comitis, quos cœperat secum ducens Minerbam peruenit. O proditio crudelissima. Summo autem diluculo Comes, ad prælibatū castrum reuersus, inueniensque ipsum vacuum funditus euertit: ipsos autem quos in fossa posuerat Guiraldus, qui per triduum ieiunauerant, sine læsione & combustione aliqua repertos extrahi fecit, ô grande miraculum? ô res noua. Inde Comes progrediens, plurima castra quæ erant dicti Guiraldi, ad solum vsque destruxit, & post paucos dies rediit Carcassonam. Sæpedictus autem proditor Guiraldus cum milites Comitis duxisset Minerbam, paruipendens promissionem quam fecerat, nec deferens iuramento, non quidem eos occidit, sed quod est morte crudelius, dictis militibus oculos eruit, insuper auribus amputatis, & naso cum labio superiori, ipsos nudos ad Comitem redire præcepit. Cum igitur expulisset eos nudos ipsa nocte, vento & gelu vrgente, asperrima siquidem hyems erat, alter eorum (quod sine lachrymis audiri non debet) in quodam sterquilinio expirauit. Alter vero sicut ab ipsius ore audiui, à quodam paupere adductus est Carcassonam. O scelus nequam. O crudelitas inaudita, initia dolorum sunt hæc.

Venit denuo Abbas vallium in partes Albienses, vt penè fractos crucesignatorum animos confirmaret.

CAPVT XXVIII. C

IPso tempore venerabilis Abbas vallium Sarnay Guido vir prudens & bonus, qui negotium Iesu Christi miro amplectebatur affectu, & post Abbatem Cisterciensem præ omnibus promouebat, causa confortandi nostros, qui in multa depressione tunc erant, à Francia venerat Carcassonam. Adeo siquidem ardenter sicut diximus Christi negotium diligebat, quod à Principio negotij, prædicans per Franciam discurreret. Illi autem qui erant in ciuitate Carcassonæ, in tanta turbatione erant positi & timore, quod quasi penitus desperantes, de fuga tantummodo cogitabant. Circumclusi quidem erant ex omni parte, infinitis & fortissimis inimicis, sed vir virtutis, in illo qui cum tentationibus dat prouentum, metus & depressiones eorum, monitis cotidie salutaribus mitigabat.

Redit Robertus Malus-Vicinus à Curia Romana.

CAPVT XXIX.

SVPERVENIT etiam eodem tempore Robertus Malus-Vicinus, qui à Comite fuerat missus Romam, miles Christi nobilissimus, vir miræ probitatis, perfectæ scientiæ,

A scientiæ, incomparabilis bonitatis, qui à multis annis Christi seruitiis exposuerat se & sua, & præcipue negotium istud ardentissime & efficacissime promouebat. Hic est enim ille, per quem post Deum præ cæteris reuiguit Christi militia, sicut in sequentibus ostendemus

Acerba mors Cisterciensis Archimandritæ, prope Carcassonam trucidati.

CAPVT XXX.

EO tempore Comes Fuxi, quemdam Abbatem Cisterciensis ordinis de quadam domo inter Tholosam & Fuxum, quæ dicitur Elna pro negotiis suis miserat apud villam S. Ægidij ad legatos. Qui cum rediret venit Carcassonam, duos Monachos & vnum conuersum habens secum. Exeuntes à Carcassona Abbas & socij eius, cum per vnum fere miliarium, ille immanissimus hostis Christi, ille ferocissimus Ecclesiæ persequutor, Guillelmus videlicet de rupeforti frater Carcassonensis B Episcopi, qui tunc erat, aduersus eos subito insurrexit, armatus videlicet in inermes, crudelis in mites, sæuus in innocentes. Qui ob nullam aliam causam nisi quia Cistercienses erant, Abbati 36. Conuerso vero eius 24. plagas infligens eos in loco illo hominum crudelissimus interfecit. Vnum autem de duobus Monachis, sexdecim vulneribus inflictis, seminecem dereliquit. Alter vero qui erat notus & aliquantulum familiaris illis, qui erant cum prædicto Tyranno, viuus effugit. O bellum ignobile. O confusa victoria. Audiens Comes noster qui erat apud Carcassonam quod acciderat, iussit tolli corpora occisorum, & apud Carcassonam honorifice sepeliri. O virum Catholicum. O principem fidelem. Monachum vero qui derelictus fuerat semimortuus, fecit diligenter curari per medicos, & sanatum ad propriam domum remisit. Comes autem Fuxi qui Abbatem & socios eius pro negotiis miserat, occisorem eorum in multa familiaritate & amicitia recepit: carnificem quippe tenuit secum. Insuper equitaturæ Abbatis, quas traditor sæpedictus rapuerat, paulo post in societate Comitis Fuxensis sunt inuentæ. O hominem nequissimum, Comitem Fuxi dico. O pessimum traditorem. Nec silendum quod sæpe memoratus homicida, diuina legitimi iudicis Dei vltione percussus, sanguine occisorum contra ipsum ad Deum de terra clamante, sortitus est suæ crudelitatis mercedem: qui enim viris Religiosis multiplices plagas intulerat, non multo post vulnera recipiens infinita, in ipsa porta Tholosæ à Christi militibus digne pro meritis est occisus. O Iustum iudicium, ô æqua diuinæ dispensationis mensura.

Nec enim lex iustior vlla: *Ouid. lib. 1. de art. aman.*
C *Quam necis artifices, arte perire sua.*

Amittitur castrum, quod dicitur Castra.

CAPVT XXXI.

EODEM tempore Burgenses de Castris, ab amicitia & dominio Comitis recesserunt, militemque vnum ipsius quem in castro illo custodiendo posuerat, cœperunt, plurésque seruientes, nihil tamen mali eis facere ausi sunt, quia quidam de potentioribus de castris tenebantur obsides Carcassonæ. Sub eodem fere die milites castri de Lumbers à Deo & Comite nostro recedentes, seruientes ipsius Comitis qui erant in castro cœperunt, eosque apud castrum quod dicitur castra miserunt, carceri & vinculis mancipandos. Burgenses autem de castris, ipsos & dictum militem Comitis nostri, & seruientes quos cœperant, sicut supra diximus in quadam turre posuerunt, sed illi nocte quadam, facto quasi fune de vestimentis suis, se per fenestram mittentes Deo parante auxilium euaserunt.

A

Recedit Comes Fuxi ab amicitia Comitis Montis-fortis.

CAPVT XXXII.

EA tempestate Comes Fuxi qui sicut superius diximus in amicitiam iurauerat castrum de Prexano, quod ei tradiderat, facta proditione cœpit, & à Comitis nostri familiaritate recedens, ipsum cœpit acrius impugnare. Nam non multo post in festo S. Michaëlis venit proditor nocte ad castrum quod dicitur Fanum Iouis, erectisque ad murum scalis, intrauerunt hostes & ascenderunt muros & per castrum discurrere cœperunt. Quod scientes nostri qui erant in castro paucissimi, ipsosque aggredientes, cum confusione exire coëgerunt & se in fossatum præcipitare, & aliquos ex eis occiderunt. Erat prætereà prope Carcassonam, quoddam nobile castrum, Mons regalis nomine: castri ipsius dominus fuerat miles quidam qui vocabatur Aymericus, quo in tota terra illa post Comites potentior sibi nobilior nullus erat. Hic tempore obsidionis Carcassonæ, timore nostrorum castrum Montis-regalis, vacuum dereliquit: sed postea venit ad Comitem nostrum, & aliquanto tempore ei familiaris fuit, & post paucos dies à Deo & Comite traditor pessimus recessit. Castrum Montis-regalis occupaturus Comes noster commisit cuidam Francigenæ clerico custodiendum: sed ille diabolica suggestione corruptus, omnique deterior infideli, non multo post facta crudelissima proditione, dicto Aymerico memoratum castrum tradidit, & cum hostibus nostris aliquandiu mansit, sed diuina æquissima iudicis ordinante censura, nobilis Comes non post multo, in quodam castro quod expugnabat prope Montem-regalem quod Brom dicitur, cum aduersariis fidei cœpit clericum sæpedictum quem prius ab Episcopo Carcassonensi degradatum, & per totam Carcassonensem ciuitatem ad caudam equi distractum suspendi fecit: dignam pro meritis recompensans talionem. Quid amplius moramur? ita pari malignitatis affectu similiter omnes fere indigenæ recesserunt à Comite nostro, quod amissis in breuissimo temporis spatio castellis amplius quam quadraginta, nihil ei remansit præter Carcassonam & Fanum Iouis & Saxiacum & castrum de Limoso, de quo etiam desperabatur, & castrum Appamiarum & Sauarduum, ciuitas etiam Albia, cum vicino castro quod dicitur Ambiletum. Nec reticendum quod plures de illis quos nobilis Comes in castris custodiendis posuerat, vel occiderunt proditores terræ, vel membris detruncauerunt. Quid faceret Comes Christi? Quis in tanta aduersitate non deficeret, in tanto discrimine non desperaret, sed vir nobilis totum se in Deum proiiciens qui in prosperis erigi non nouit, deprimi non potuit in aduersis. Facta sunt autem omnia circa festum dominicæ natiuitatis.

B

C

Comes Raimundus Romam proficiscitur.

CAPVT XXXIII.

CVM hæc agerentur, Comes Tholosanus ad Regem Franciæ accessit, si quô modo posset obtinere à Rege, vt noua pedagia quæ de mandato legatorum abiurauerat, per auxilium & confirmationem Regis posset tenere: ipse enim Comes supra modum adauxerat pedagia in terra sua, ob quam causam multotiens fuerat excommunicatus: sed cum nihil apud Regem proficere posset super detentionem dictorum pedagiorum, recessit à Rege Franciæ & accessit ad Dominum Papam, tentans si quomodo posset restitui terræ suæ, quam legati Domini Papæ pro securitate occupauerant, sicut supra expressum est, & summi Pontificis gratiam adipisci: omnem quippe humilitatem & subiectionem pretendebat vir dolosissimus, & omnia quæcumq; Dominus Papa præciperet, promittebat se sollicite adimplere. Quē Dominus Papa tot vitiis lacessiuit, contumeliis tot confudit, quod quasi in desperatione positus, quid ageret ignorabat. Ipsum siquidem dicebat incredulũ, crucis persecutorem, fidei inimicum, & vere sic erat. Verũtamen cogitans Dominus Papa ne in desperationem versus, Ecclesiam quæ in Narbonensi Prouincia pupilla erat, impugnaret acrius

A acrius & manifestius dictus Comes indixit ei purgationem super duobus quibus maxime impetebatur criminibus, super morte videlicet Legati fratris Petri de Castronouo & super crimine hæreseos, super quas purgationes, misit Dominus Papa literas suas Episcopo Regiensi in Prouincia, & Magistro Theodisio, mandans quod si Comes Tholosanus posset se sufficienter purgare super duobus criminibus supradictis, reciperet eius purgationem. Interea magister Milo, qui sicut supra dictum est, in terra Prouinciæ, legatione pro pacis & fidei negotio fungebatur, conuocauit apud Auinionensem Prouinciam Concilium Prælatorum, in quo Concilio excommunicati fuerunt & expositi ciues Tholosani, pro eoquod ea quæ Legato & cruce-signatis promiserant de expulsione hæreticorum, contempserant adimplere. Comes etiam Tholosanus in prædicto Concilio excommunicatus fuit, sub conditione tamen si abiurata pedagia denuo accipere attemptaret.

Comes Raimundus spe quam in Galliæ Rege repositam habebat excidit.

B

CAPVT XXXIV.

REDIENS Comes Tholosæ à Romana curia, venit ad Othonem qui dicebatur imperator, vt eius gratiam adquireret, & eius contra Comitem Montis-fortis auxilium imploraret. Inde venit ad Regem Franciæ, vt eum verbis fictis corrumpens, posset eius ad se animum inclinare. Rex autem vt pote vir discretus & prouidus, despexit eum quia contemptibilis erat valde. Audiens autem Comes Montis-fortis, quod Comes Tholosæ pergeret in Franciam, mandauit præcipuis hominibus suis de Francia, vt terram suam & omnia quæ habebat, eius exponerent voluntati, adhuc enim non erant hostes manifesti ad inuicem. Comes etiam Tholosanus præstito iuramento promiserat, quod filiam Comitis Montis-fortis haberet filius suus in vxorem, quod postea spreto iuramento, fallax & inconstans facere recusauit. videns Comes Tholosæ quod nihil apud Regem proficeret, cum confusione ad propria remeauit: iam ad id quod dimisimus redeamus. Igitur nobilis Comes Montis-fortis, hostibus suis vndique circumseptus, hyeme illa in semetipso sese continuit, illud modicum terræ quod ei remanserat custodiens, suos etiam infestans sæpius inimicos: nec silendum quod licet haberet infinitos hostes, & paucissimos adiutores, nunquam tamen ipsum ausi sunt aggredi bello campali. Circa initium vero quadragesimæ, nuntiatur Comiti vxorem suam Comitissam (ipsam siquidem vocauerat à Francia) cum pluribus militibus aduenire, quo audito Co-
C mes iuit ei obuiam, vsque ad quoddam castrum in territorio Agathensi, quod dicitur Pesenacum, vbi ipsam inueniens, Carcassonam cum diligentia remeauit. Cum autem veniret ad quoddam castrum quod dicitur Canis suspensus, dictum est ei, quod homines cuiusdam castri, quod dicitur mons lauri prope Monasterium de Crassa, facta proditione, seruientes ipsius qui erant in turre castri impugnare cœpissent. Statim Comes & milites, dimittens Comitissam in quodam castro, illuc pergunt, & ita sicut audierant inuenientes, multos de proditoribus illis cœperunt, & patibulis suspenderunt, plures enim visis ex nostris fugerant. Post hæc venit Comes & qui cum eo erant Carcassonam, inde tendentes ad villam quæ dicitur Alzona, ipsam vacuam inuenerunt: vnde procedentes venerunt ad quoddam castrum quod dicitur Brom, quod contra se munitum inuenientes, obsederunt, & infra triduum cœperunt sine machinis per insultum, hominibs autem castri illius plusquam centum oculos eruerunt, nasos amputauerunt, dimittentes vni eorum vnum oculum vt in sugillationem inimicorum nostrorum omnes alios duceret Cabaretum. Hoc autem fieri fecit Comes, non quia placeret ei talis detruncatio membrorum hominibus illata, sed quia aduersarij sui hoc incœperant, & quoscumque de nostris inuenire poterant, membrorum detruncatione, carnifices crudelissimi trucidabant: iustum enim erat vt in foueam incidentes quam foderant, biberent aliquando calicem quem aliis sæpissime propinarent. Numquam enim delectabatur nobilis Comes aliqua crudelitate, vel cruciatibus alicuius, omnium siquidem mitissimus erat: illud poëticum ei manifestissime congruebat.

Ouid. lib. 1. de ponto eleg. 3.

Hic piger ad pœnas princeps, ad præmia velox:
Quique dolet, quotiens cogitur esse ferox.

Ex tunc dominus qui videbatur aliquantulum obdormisse, suorum resurgens in adiutorium famulorum, manifestius facere nobiscum manifestauit: in breui siquidem spatio totum adquisiuimus territorium Minerbense, præter ipsam Minerbam & quoddam castrum quod Ventilon dicebatur. Contigit die quodam prope Cabaretum miraculum, quod non credimus prætermittendum. Peregrini nostri à Francia venerant, ad præceptum Comitis, extirpabant vineas Cabareti, vnus autem ex aduersariis iactu balistæ sagittam in quemdam de nostris dirigens, percussit eum valide in pectore, in loco in quo crucis signum affixum erat: putantibus autem omnibus quod mortuus esset, erat enim penitus inermis, ita illæsus inuentus est quod vix sagitta nec etiam vestimentum eius aliquantulum potuerit penetrare, sed resiliuit ac si lapidem durissimum percussisset. O mira Dei potentia, ô virtus immmensa.

Obsidio Alarici. B

CAPVT XXXV.

CIRCA pascha vero, venit Comes & sui, ad obsidendum quoddam castrum inter Carcassonam & Narbonam quod Alaricum dicebatur, castrum illud in montanis positum erat, & vndique rupibus circumseptum. cum difficultate igitur maxima, & dura aëris temperie, obsidentes nostri castrum illud, infra vndecim dies, illi qui intus erant de nocte fugientibus, cœperunt: plurimi de illis de castro interfecti sunt, qui manus nostrorum effugere non potuerunt. Inde redeuntes nostri Carcassonam, non multo post ierunt ad castrum Apamiarum. Siquidem conuenerunt prope castrum illud Rex Arragonensis, Comes Tholosæ & Comes Fuxi, vt facerent pacem inter Comitem nostrum & Comitem Fuxensem: quod cum facere non potuissent, Rex Arragonensis & Comes Tholosæ ierunt Tholosam. Comes autem Montis-fortis dirigens aciem versus Fuxum, ibi ostendit mirabilem probitatem, veniens siquidem propè castrum, omnes aduersarios qui pro foribus stabant, cum vnico milite impetiit, & quod mirum est omnes intromisit, qui etiam post ipsos intrasset, nisi pontem castri ante faciem eius clausissent: sed cum rediret de castro Comes, militem qui eum sequutus fuerat, illi de castro, qui vndique super muros erant, lapidibus obruerunt, angusta siquidem erat via & muris vndique circumclusa, destructisque terris, vineis & arboribus prope Fuxum, Comes noster rediit Carcassonam.

--- C

Hæretici, Arragonum Regem sibi præfici cupiunt, quod ipse renuit.

CAPVT XXXVI.

TEMPORE illo, Petrus Rogerij dominus Cabareti, & Raimundus Thermarum, & Aimericus dominus Montis regalis & alij milites qui Ecclesiæ & Comiti resistebant, mandauerunt Regi Arragonensi qui erat in partibus illis, vt veniret ad eos, & constituentes illum Dominum suum, traderent ei totam terram. Quod cum Comes noster audisset, habuit cum militibus suis consilium, quid agere deberet. Tunc diuersis diuersa dicentibus, Comes & sui, in hoc conuenerunt, vt munitionem quandam quæ erat iuxta montem regalem obsiderent, apud montem siquidem regalem congregati erant milites supradicti, Regis aduentum ibi expectantes; hoc autem ideo volebat facere Comes, vt cognoscerent aduersarij sui, quod à facie eorum non timebat. Paucissimos autem tunc milites habebat Comes noster. Quid plura? pergunt nostri, ad obsidendam munitionem supradictam, quæ dicitur Bellagarda. In crastino venit Rex Arragonensis prope montem regalem: milites autem qui eum vocauerant, & multos iam dies fecerant in victualibus copiosissime præparandis, exierunt à monte regali, & venerunt ad Regem, rogantes vt intraret montem regalem & facerent ei hominium sicut mandauerãt, hoc autem facere volebant,

vt

A vt possent expellere de terra illa Comitem Montis-fortis. Rex autem statim vt sic accesserunt ad eum, voluit vt traderent ei munitionem castri Cabareti. Insuper dixit quod hac conditione eos reciperet in homines, si quotiescumque vellet suas ei traderent munitiones. Consilio igitur inter se habito, prædicti milites rogauerunt iterum Regem vt intraret montem regalem, & ipsi facerent ei sicut promiserant, quia Rex nullo modo voluit intrare, nisi prius facerent ei quod volebat, quod cum facere noluissent, vnusquisque ipsorum cum confusione à loco colloquij recessit. Rex verò misit ad Comitem Montis-fortis & mandauit ei, dum esset Comes in obsidione præfatæ munitionis, vt daret treugas Comiti Fuxi vsque in pascha, quod factum est, captæ sunt ab hostibus & dirutæ.

Obsidio Minerbæ.

CAPVT XXXVII.

B ANNO ab incar. domini 1210. circa festum B. Ioan. Baptistæ, ciues Narbonenses mandauerunt Comiti nostro vt obsideret Minerbam, & ipsi pro posse suo eum adiuuarent. Hoc autem faciebant, quia illi de Minerba eos nimis infestabant, magisque eos ad hoc mouebat amor vtilitatis propriæ quam zelus religionis Christianæ. Comes autem mandauit Aimerico Domino Narbonæ & ciuibus omnibus, quod si vellent eum iuuare melius quam antea fecerant, & cum ipso vsque ad captionem perseuerare, obsideret Minerbam: quod cum illi promisissent, statim ad obsidendam Minerbam Comes cum suis militibus properauit, quo cum peruenissent, Comes Montis-fortis, temptoria ab oriente, quidam miles Comitis qui dicebatur Guido de Luècio cum Vasconibus qui aderant fixit temptoria ab occidente, ab aquilone Aimericus de Narbona cum ciuibus suis, à meridie quidam alij peregrini, in toto enim exercitu non erat aliquis præpotens, nisi Comes & Aimericus de Narbona. Castrum autem illud incredibilis erat fortitudinis, profundissimis quippè & natiuis vallibus cingebatur, itaque si necessitas ingrueret, non poterat exercitus exercitui sine maximo discrimine subuenire. Post hæc à parte vasconum erecta est quædam machina, quæ dicitur mangonellus, in qua die ac nocte instantissimé laborabant. A meridie similiter & aquilone erectæ fuerunt duæ machinæ, vna hinc, alia inde. A parte vero Comitis id est ab oriente erat magna & optima petraria, quæ vnaquaque die constabat in conducendis trahentibus ad machinam 21. libra. postquam autem nostri aliquantulum temporis in expugnatione castri laborauerant memorati, quadam nocte dominica exeuntes illi
C de castro, venerunt ad locum vbi erat petraria, cophinosque plenos stupa, lignis siccis minutis & adipe vnctis instrumentis, dorso petrariæ applicuerunt, mox igne supposito flamma altius se infundit. Erat quippe tempus æstiuum & calidissimum, circa festum vt dictum est S. Ioannis. Contigit autem volente deo, quod vnus de illis qui trahebant ad petrariam, secessit in illa hora ad exquisita naturæ: qui viso igne vehementius exclamauit, mox vnus ex illis qui ignem apposuerant, lanceam proiiciens, illum grauiter vulnerauit: fit strepitus in exercitu, currunt multi, ipsamque petrariam tam miraculose & subito mox defendunt, quod nisi per duos ictus iacere non cessauit. Post aliquot vero dies, cum dictæ machinæ, castrum ex magna parte debilitassent, deficientibus etiam victualibus, defecit illis qui intus erant, animus resistendi. Quid plura? postulant pacem aduersarij. Exit foras dominus castri nomine Guillelmus de Minerba cum Comite locuturus, dum autem loquerentur, Abbas Cisterciensis, & Magister Theodisius de quo supra mentionem fecimus, subito ex insperato superuenerunt. Comes vero noster vt pote vir discretus & cum consilio cuncta agens, dixit quod de deditione & receptione castri nihil faceret, nisi quod Abbas Cisterciensis totius negotij Christi magister, decerneret faciendum: quo audito Abbas valde doluit vt pote inimicos Christi mori desiderans, & tamen ad mortem iudicare non audens, cum esset monachus & sacerdos. Cogitans ergo quomodo Comitem vel dictum Guillelmum, qui etiam super redditione castri se Abbatis arbitrio offerebat, posset à compromissione, quam inter se fecerant reuocare: iussit vt vterque, Comes videlicet & Guillelmus, modum redditio-

nis castri in scriptum redigerent: hoc autem faciebat, vt dum scriptum vnius alteri A non placeret, à compromissione quam facerant resiliret. Scriptum Guillelmi dum esset coram Comite recitatum, non adquieuit Comes, sed dixit domino castri, vt intraret castrum suum, & se defenderet sicut posset, quod ille noluit, sed subiecit se per omnia Comitis voluntati: nihilominus tamen Comes voluit, vt totum fieret, prout Abbas Cistercienſis disponeret faciendum. Ordinauit igitur Abbas, vt dominus castri & omnes qui in castro erant, credentes etiam hæreticorum, si vellent reconciliari & stare mandato Ecclesiæ, viui euaderent, castro Comiti remanente. perfecti etiam hæretici, quorum ibi erat plurima multitudo, nihilominus euaderent, si ad fidem Catholicam conuerti vellent. Quod audiens vir nobilis & totus in fide Catholicus Robertus malus-vicinus qui aderat: quia scilicet liberarentur hæretici, propter quos perdendos aduenerant peregrini, timens quod ne forte timore ducti, cum iam capti essent, quidquid nostri vellent promitterent adimplere, resistens Abbati in faciem dixit, quod hoc nostri nullomodo sustinerent, cui Abbas respondit: ne timeas quia credo quod paucissimi conuertentur. His diebus precedente cruce, & vexillo Comitis subsequente villam intrant nostri, & cantantes *Te Deum laudamus*. Ecclesiam adeunt, quam reconciliatam, crucem dominicam in summitate turris ponunt, vexillum Comitis alia in parte locantes. Christus quippe villam cœperat, & dignum erat vt vexillum eius precederet, & in eminentiori loco B positum, Christianæ victoriæ testimonium perhiberet: veruntamen Comes tunc non intrauit. His gestis venerabilis Abbas vallium Sarnay qui erat cum Comite in obsidione, negotiumque Christi vnico amplectebatur affectu, audiens hæreticorum multitudinem congregatam in quadam domo, accessit ad eos perferens illis verba pacis & salutis monita, ipsos in melius conuertere cupiebat: qui verba eius interrumpentes, omnes vna voce dixerunt. Quare verbis predicatis, fidem vestram nolumus, Romanam Ecclesiam abdicamus, in vanum laboratis, à secta quam tenemus, nec mors nec vita poterit nos reuocare: quo audito, mox Abbas venerabilis exiuit à domo illa, & ad mulieres quæ in alia mansione erant congregatæ, verbum prædicationis oblaturus accessit: sed si hæreticos duros & obstinaces inuenerat, obstinatiores inuenit hæreticas, & penitus duriores. Mox Comes noster intrauit castrum, & veniens in domum vbi erant hæretici omnes congregati in vnum, vir Catholicus & volens omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, cœpit monere, vt ad fidem Christi conuerterentur: sed cum nihil penitus proficeret, fecit eos extrahi de castro, erant autem perfecti hæretici centum quadraginta vel amplius. Præparato igitur igne copioso, omnes in ipso proiiciuntur nec tamen opus fuit quod nostri eos proiicerent, quia obstinati in sua nequitia, omnes se in ignem vltrò precipitabant. Tres tamen mulieres euaserunt, quas nobilis domina mater Buchardi de marliaco ab igne eripuit, & sanctæ Ecclesiæ reconciliari fecit. Combustis igitur hæreticis, cæteri omnes qui erant, abiurata hæresi, sanctæ sunt Ecclesiæ reconciliati. Nobilis etiam Comes dedit Guillelmo qui fuerat Dominus Mi- C nerbæ alios redditus prope Biterrim, sed ille non multo post spreta fidelitate, quam Deo & Comiti promiserat, recedens à Deo & Comite, se inimicis fidei sociauit. Non credimus etiam prætermittendum duo miracula quæ in obsidione castri Minerbæ contigerunt siquidem quando exercitus peruenit ad obsidendum castrum, aqua quædam defluebat prope castrum, & erat modicissima: sed diuina miseratione in aduentu nostrorum ita subito excreuit aqua illa, quod suffecit abundantissime toto tempore obsidionis hominibus exercitus & equis. Durauit vero ipsa obsidio ferme per septem hebdomadas: recedente vero exercitu, sæpedicta aqua retraxit se & facta est modicissima sicut prius. O Dei magnalia. O bonitas redemptoris. Item aliud miraculum. Cum recederet Comes à castro Minerbæ, pedites exercitus mansiunculis quas fecerant peregrini de ramis & frondibus ignem miserunt: cellulæ autem quæ erant siccissimæ, ita statim accensæ sunt & tanta in altum per totam vallem flamma erupit, ac si aliqua ciuitas maxima combureretur: erat autem quædam cellula de frondibus similiter, in qua sacerdos quidam tempore obsidionis celebrauerat, aliis mansiunculis circumclusa, quæ ita miraculose ab igne est illæsa seruata, vt nec etiam aliquod in ea adustionis indicium appareret, sicut à venerabilibus personis quæ presentes erant audiui. statim currentes nostri ad mirabilem visionem, inuenerunt quod cellulæ quæ combustæ sunt, illi cellulæ quæ incombusta mansit vndique à dimidij pedis spatio iungebatur: O virtus immensa.

Cruces

A

Cruces in speciem fulgetræ in muris templi virginis Deiparæ Tholosæ apparent conspicuæ.

CAPVT XXXVIII.

MIRACVLVM aliud quod contigit apud Tholosam, dum esset Comes noster in obsidione Minerbæ, hic duximus inserendum. In ciuitate illa, prope palatium Comitis Tholosæ, est quædam Ecclesia fundata in honorem B. M. Virginis: parietes autem illius Ecclesiæ de nouo erant forinsecus dealbati. Quodam autem die ad vesperum cœperunt videri infinitæ cruces in parietibus ipsius Ecclesiæ circumquaque, quæ videbantur quasi argenteæ ipsis parietibus albiores, erant enim cruces semper in motu, apparentesque subito, statim non videbantur: siquidem multi eas videbant, sed aliis se ostendere non volebant, ante enim quam posset digitum leuare quis, disparuerat crux cui volebat ostendere, nam in modum choruscationis apparebant nunc maiores, nunc mediæ, nunc minores. Durauit visio ista
B fere per quindecim dies singulis diebus ad vesperam, itaque fere omnis populus ciuitatis Tholosæ hæc viderunt. vt vero fides dictis adhibeatur, sciat lector quod Fulco Tholosanus, Raimundus Biterrensis Episcopi & Abbas Cisterciensis apost. sedis legatus & magister Theodisius qui in Tholosa tunc erant, viderunt & mihi per ordinem narrauerunt. Accidit autem Deo disponente, quod capellanus prædictæ Ecclesiæ, cruces videre non potuit prænotatas: quadam igitur nocte intrans ipsam Ecclesiam, dedit se in orationem, rogans dominum, vt sibi dignaretur ostendere quod viderant fere omnes: subito autem vidit innumerabiles cruces, non in parietibus sed in aëre circumfuso, inter quas vna cæteris maior & eminentior cunctis erat, mox egrediente maiore de Ecclesia, omnes egressæ sunt post illam, cœperuntque recto cursu tendere versus portam ciuitatis: sacerdos autem vehementissime stupefactus, cruces illas sequebatur & dum essent in egressu ciuitatis, visum est sacerdoti, quod quidam tendens in ciuitatem reuerendus & decorus aspectu, euaginatum tenens gladium, crucibus illis prebentibus ei auxilium, quendam magnum hominem egredientem de ciuitate in ipso ingressu interfecit: sæpedictus itaque sacerdos factus quasi exanimis præ timore cucurrit ad dominum Vticensem Episcopum, procidensque ad pedes eius, istud sibi per ordinem enarrauit.

Comes Raimundus per Legatum sed. apost. à communione fidelium segregatur.

C

CAPVT XXXIX.

CIRCA idem tempus, Comes Tholosanus qui sicut supradictum est accesserat ad Dominum Papam, redierat à curia Romana. Dominus autem Papa sicut superius tetigimus mandabat Episcopo Regiensi & M. Theodisio, vt præfato Comiti indiceret purgationem super duobus maxime criminibus, super mortem videlicet F. P. de Castronouo apost. sedis legati & super crimine hæreseos. Magister vero Theodisius intrauit Tholosam dum essent nostri in obsidione Minerbæ, sicut continetur in prædicto miraculo, vt super indicenda purgatione dicto Comiti, consuleret Abbatem Cistercij qui erat in partibus Tholosanis, & vt de mandato summi Pontificis, secundum formam Ecclesiæ ciues absolueret Tholosanos, recepto scilicet iuramento, quod starent mandato Ecclesiæ, sed Episcopus Tholosanus iam absoluerat eos iuxta formam prædictam, acceptis insuper pro obsidibus & securitate decem ciuibus de melioribus ciuitatis. Cum intrasset prædictus M. Theodisius Tholosam, habuit secretum colloquium cum Abbate Cisterciensi, super admittenda purgatione Comitis Tholosani. M. vero Theodisius vt pote circumspectus & prouidus, de negotio Dei valde sollicitus, ad hæc omnimodis aspirabat, vt posset de iure repellere ab indicenda ei purgatione Comitem memoratum, videbat enim quod si admitteret eum ad purgationem, & ipse per aliquas falsitates & dolos posset se purgare, destrueretur Ecclesia in partibus illis, periret fides & deuotio Christiana.

Dum igitur super his omnibus solicitus esset & secum tentaret, aperuit Dominus viam, modum insinuans quo posset negare purgationem Comiti sæpedicto, habuit recursum ad literas Domini Papæ, in quibus summus Pontifex inter alia dicebat, volumus vt Comes Tholosanus impleat mandata nostra multa: quippe mandata facta fuerant Comiti Tholosano: vt pote de expulsione hæreticorum de terra sua, de dimittendis nouis pedagiis & plura alia, quæ omnia adimplere contempsit. Igitur M. Theodisius cum socio suo Episcopo scilicet Regiensi, ne viderentur grauare vel iniuriari Comiti Tholosano, præfixerunt ipsi Comiti diem admittendæ purgationis ipsius apud villam S. Ægidij. Igitur conuocatis in villa S. Ægidij ab Episcopo Regiensi, M. Theodisio Archiepiscopis & Episcopis & aliis pluribus Ecclesiarum Prælatis, Comes etiam affuit Tholosanus, conaturus si posset quoquomodo purgare se de morte legati & crimine hæreseos. M. verò Theodisius de consilio Prælatorum dixit Comiti: quod non admitteretur purgatio ipsius, eo quod iuxta mandatum summi Pontificis, eorum quæ sibi mandata fuerant, & quæ se impleturum multotiens iurauerat nihil implesset. Dicebat siquidem magister, quod verisimile erat, imo manifestissimum, quod Comes quædam iuramenta non tenuerat, de mandatis leuioribus adimplendis super purgatione sua de tam enormibus criminibus, vt pote morte legati ac crimine hæreseos facillime imo libentissime, per se & suos complices peieraret, ideoque ipsum Comitem nullo modo admittendum esse dicebat, ad purgationem super tantis criminibus, nisi prius mandata impleuisset leuia. Quod audiens Comes Tholosanus, ex innata sibi nequitia cœpit flere. Magister vero sciens, quod lachrimæ non erant lachrimæ deuotionis & pœnitentiæ, sed nequitiæ & doloris dixit Comiti. *In diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Statim communi consilio & assensu Prælatorum, propter multas & multum rationabiles causas, iterum excommunicatus fuit in eo loco Comes nequissimus Tholosanus, & omnes fautores & adiutores eiusdem; nec silendum quod antequam omnia ista fierent in præterita hyeme decesserat apud Montempessulanum M. Milo apost. sedis legatus. Iam ad narrationis nostræ seriem reuertamur. Capto igitur castro Minerbæ circa festum B. Mariæ Magdal. venit ad Comitem nostrum quidam miles dominus cuiusdam castri qui vocabatur Ventilo, & se & suum castrum reddidit Comiti. Comes autem quia per castrum illud, multa mala euenerant Christianis, ad ipsum iter dirigens, turrim ipsius funditus euertit. Audiens Dominus Montis-regalis Aymericus & homines ipsius castri, quod capta esset Minerba, timentes sibi, miserunt ad Comitem rogantes de pace in hunc modum. Promisit idem Aymericus, quod traderet Comiti castrum Montis-regalis, dummodo Comes daret ei aliam terram cumpetentem planam & immunitam: quod Comes annuens, sicut postulauerat fecit ei, sed ipse postmodum vt potè pessimus traditor fracto fœdere recedens à dicto Comite, crucis hostibus se coniunxit.

Obsidio Termarum.

CAPVT XL.

IPSO tempore superuenit à Francia nobilis quidam Guillelmus nomine Decaicus crucesignatus & quidam alij peregrini nunciantes etiam Comiti ingentem Britonum multitudinem aduenire. habito igitur Comes cum suis consilio, confidens de Dei adiutorio direxit aciem ad obsidendum castrum Termarum. Dum autem iret Comes ad castrum illud, milites qui erant Carcassonæ, extruxerunt machinas quæ erant in ciuitate & portari fecerunt eas extra ciuitatem, vt deferrentur post Comitem qui properabat ad obsidendum Terma. Quod audientes hostes nostri qui erant Cabareti, scilicet quod machinæ nostræ expositæ erant extra Carcassonam, venerunt media nocte cum magna & armata multitudine, si forte possent eas securibus debilitare: qui cum venissent, exierunt nostri de ciuitate qui paucissimi erant, ipsosque aggredientes & viriliter effugantes, fugientes circumquaque longius sunt sequuti. Nec siquidem conquieuit furor aduersariorum, sed adhuc imminente diluculo redierunt, si forte possent dictas machinas in aliquo debilitare: quod nostri percipientes exierunt ad eos & longius & virilius quam antea fecerunt effugare.

A effugare. Dominum etiam Cabareti Petrum Rogerij bis vel ter cœpiſſent, ſed ipſe cum noſtris cœpit clamare, Mons-fortis, Mons-fortis præ timore ac ſi noſter eſſet, ſicque euadens & fugiens per montana non niſi poſt duos dies rediit Cabaretum. Britones autem de quibus ſupra fecimus mentionem, tendentes ad Comitem, venerunt ad caſtellum nomine Arrij quod adhuc erat Comitis Tholoſæ in territorio Tholoſano, ſed Burgenſes caſtelli noui Arrij noluerunt eos admittere intra caſtrum, ſed in agris & hortis manere fecerunt nocte illa: Comes ſiquidem Tholoſæ, negotium Chriſti quantum poterat latenter impediebat. Venientes Britones Carcaſſonam, machinas quas ſupra diximus poſt Comitem qui tendebat ad obſidionem Termarum portauerunt. Erat autem caſtrum Termarum in territorio Narbonenſi diſtans quinque leucis à Carcaſſona, caſtrum illud miræ & incredibilis erat fortitudinis, & quantum ad humanam æſtimationem penitus inexpugnabile videbatur: in altiſſimi ſiquidem montis ſupercilio ſitum erat, ſuper rupem maximam viuam propriam fundiſſimis & inacceſſibilibus abyſſis in circuitu cingebatur, à quibus abyſſis aqua fluebat, caſtrum circuiens prænotatum. Item valles illas, tam magnæ & vt ita dicam indeſcenſibiles cingebant rupes, quod ſi quis vellet ad caſtrum accedere, B opporteret eum præcipitare in abyſſum, itemque vt ita dixerim repere verſus cœlum. Erat præterea prope caſtrum ad iactum lapidis rupis quædam, in cuius ſummitate erat turrita munitio modica ſed fortiſſima, quæ vulgò Tumetum dicebatur. ita ergo ſitum caſtrum Termarum ex vna ſolummodo parte adiri poterat, quia ex illa parte humiliores & inacceſſibiles minus erant rupes. Caſtri ſiquidem huius dominus erat miles quidam, nomine Raimundus ſenex verſus in reprobum ſenſum, & manifeſtus hæreticus, qui vt ſummatim eius maliciam exprimamus, nec Deum timebat, nec homines verebatur: de fortitudine ſiquidem munitæ munitionis ſuæ adeo præſumebat, quod modo impugnabat Regem Arragonum, modo Comitem Tholoſanum, modo Dominum ſuum videlicet Comitem Biterrenſem. Audiens tyrannus iſte, quod Comes noſter proponeret caſtrum Termarum obſidere, milites quoſcumque potuit adunauit, victualibuſque copioſiſſimis & cæteris ad defendendum neceſſariis, caſtrum muniens ſæpedictum parauit ſe ad reſiſtendum. Veniens Comes noſter ad caſtrum, obſedit illud cum paucis partem eius modicam obſidendo occupauit. Illi autem qui intus erant multi & muniti à facie exercitus noſtri qui erat modicus non timentes, ad hauriendam aquam ad omnia ſibi neceſſaria videntibus noſtris & reſiſtere non valentibus, exibant libere & intrabant. Dum hæc & ſimilia agerentur, veniebant de die in diem pauci & guttatim ad exercitum Francigenæ peregrini: aduerſarij autem noſtri ſtatim vt videbant hos peregrinos aduenire, aſcendentes muros in ſuggillationem noſtrorum, quia ſcilicet illi qui veniebant erant pauciſſimi & inermes, irriſione conclamabant, fugite à facie exercitus, fugite à facie exercitus. Non multo poſt, cœperunt venire cum turbis & multitudine de C Francia, & Alemania peregrini. Noſtri vero aduerſarij hæc videntes, verſique in timorem, à deriſione prædicta ceſſauerunt, minuſque præſumentes facti ſunt & audaces. Interea illi de Cabareto, præcipui & crudeliſſimi Chriſtianæ religionis tunc temporis inimici, venientes propè Termas, nocte & die ſtratas publicas circuibant, & quoſcunque de noſtris inuenire poterant, vel morte turpiſſima condemnabant, vel in contemptum Dei & noſtrum, oculis, naſis, cæteris membris crudeliſſime detruncatis ad exercitum remittebant.

Carnotenſis & Bellouacus Præſules, cum Comitibus Drocenſi & Pontiuo in Catholicorum caſtra perueniunt.

CAPVT XLI.

REBVS ſic ſe habentibus, ſuperuenerunt de Francia viri nobiles & potentes, Carnotenſis videlicet Epiſcopus, Beluacenſis Epiſcopus Philippus, Comes Robertus de Drocis, Comes etiam Pontiui habentes ſecum peregrinorum multitudinem copioſam: de quorum aduentu, Comes totuſque exercitus lætabundi effecti ſunt & gaudentes, ſperabatur ſiquidem quod potentes & potenter operarentur, in manu potenti & brachio excelſo, Chriſtianæ fidei contererent inimicos ſed

qui deponit potentes, humilibus dat gratiam, per potentes illos magnum quid vel honorificum noluit operari, secreto suo iudicio quo ipse nouit: veruntamen quantum ex humana perpenditur ratione, hoc ideo fecisse creditur iustus iudex, quia scilicet, vel illi non fuerunt digni, per quos magna & laudabilia operaretur magnus & laudabilis Deus, vel quia si quando per magnos vel magnifice fieret, totum adscriberetur humanæ potentiæ non diuinæ. Ordinauit igitur melius cœlestis dispositor vt victoriam istam pauperibus reseruaret, per eosque gloriose triumphans, nomini suo daret gloriam gloriosus. Interea Comes noster, erigi fecerat machinas quæ petrariæ nuncupabantur, quibus ad primum castri murum iacientibus, nostri in expugnatione quotidie laborabant. Erat in exercitu, vir venerabilis Guillelmus videlicet Archidiaconus Parisiensis, qui zelo fidei Christianæ succensus, totum se pro Christi seruitio laboriosis sollicitudinibus exponebat: prædicabat quotidie, instituebat collectas in sumptus machinarum, cæteraque huius necessariæ sedulitatis officia prouidus exercebat. Ibat sæpissime ad nemus, ducens secum multitudinem peregrinorum, & ligna ad vsus petrariarum deferri copiosissimè faciebat. Quadam etiam die, cum nostri vellent quandam machinam erigere prope castrum, vallisque profunda eos impediret, vir magnæ constantiæ, vir feruoris incomparabilis, aduersus huiusmodi impedimentum, in spiritu consilij & fortitudinis per necessarium excogitabat remedium. Peregrinos siquidem ducens ad nemus, iussit afferri lignorum abundantiam copiosam, vallemque illam lignis, terra, lapidibus impleri fecit: quo facto nostri dictam machinam, in loci illius planicie locauerunt. Et quia non possemus omnes prouidas & sollicitas strenuitates dicti Archidiaconi, laboresque quos in dicta obsidione sustinuit ad plenum exprimere, breuiter hoc asserimus, quod huic præ cæteris, imo soli post Deum, adscribenda est peruigil, & diligentissima huius obsidionis cura, victoria captionis. Erat siquidem sanctitate præclarus, consilio prouidus, animo virtuosus: cui in huius negotij exercitio tantam gratiam diuina virtus contulerat, vt in omnibus quæ ad obsidionem necessaria videbantur, peritissimus haberetur. Docebat quippe fabros, carpentarios instruebat, omnemque artificem in edocendis his quæ ad obsidionis spectabant negotium superabat, impleri faciebat valles, sicut iam dictum est, itemque cum necesse esset, altos colles profundis vallibus adæquari. Adaptatis igitur prope castrum machinis ad murum castri per dies singulos iacientibus, cum primum murum castri viderent nostri ex continuo iactu lapidum debilitatum, armauerunt se vt primum burgum caperent per insultum, quod videntes aduersarij, appropinquantibus nostris ad murum, in burgo illo ignem miserunt, & se in burgum superius receperunt sed cum nostri primum burgum intrassent, exeuntes ad eos aduersarij, ipsos à burgo illo effugando, citius expulerunt. Dum res ita se haberet, videntes nostri quod turris quæ erat prope castrum, de qua supra mentionem fecimus quæ vocatur Tumetum militibus munita, captionem castri plurimum impediret, cogitauerunt quomodo caperent turrim illam. Ad pedem igitur turris illius, quæ in summitate rupis cuiusdam sicut superius diximus erat sita, posuerunt excubias, ne illi de turre ad castra accederent, vel illi de castro eis qui in turre erant si necessitas ingrueret subuenirent. Post paucos etiam dies nostri inter castrum Termarum & turrim prædictam in loco inaccessibili cum maxima difficultate & discrimine erexerunt machinam vnam quæ dicitur mangonellus. Illi autem de castro mangonellum vnum erigentes, super machinam nostram grandes iaciebant lapides, sed illam dirimere nequiuerunt. Mangonello igitur nostro ad sæpedictam turrim continuò iaciente, videntes illi qui intus erant, quod obsessi essent, & quia illi de castro in nullo eos poterant adiuuare, nocte quadam, diei timore ducti, fugæ præsidia quæsierunt, turrim vacuam dimittentes, quod cum seruientes Carnotensis Episcopi cognouissent, qui ad pedem turris excubias obseruabant, statim intrauerunt, vexillumque dicti Episcopi in turris superius memoratæ cacumine locauerunt. Dum hæc fierent, petrariæ nostræ ex alia parte ad muros castri continuò iaciebant, sed aduersarij nostri vt pote fortissimi & astuti, quando videbant quod machinæ nostræ, murorum suorum aliquid debilitarent, statim prope murum illum interius de lignis & lapidibus, aliud repagulum construebant, sicque contingebat quod quoties nostri aliquid de muris intrabant impediente repagulo quod aduersarij fecerant, vlterius procedere non valebant, & quia non possumus omnes euentus huius obsidionis exprimere hoc breuiter dicimus, quod

Guillelmi Paris. arch. praeclara elogia.

A B C

A quod illi de castro nunquam aliquid de muris perdiderunt, quin vt superius diximus, murum alium interius ædificarent. Dum hæc agerentur, erexerunt nostri Mangonellum vnum sub quadam rupe prope castri murum in loco inaccessibili. Cum autem iaceret Mangonellus ille, hostes nostros non modicum damnificabat. Deputauit autem Comes noster ad custodiam illius Mangonelli trecentos seruientes & quinque milites, valde enim timebatur de Mangonello illo, tum quia sciebant nostri, quod hostes nostri omnem darent operam, vt destruerent illum, eo quod valde eos infestaret, tum quia illi qui erant in exercitu non possent subuenire illis qui custodiebant Mangonellum, si necessitas immineret propter inacessibilitatem loci in quo erat Mangonellus. Quodam igitur die exeuntes à castro aduersarij nostri, cum scutis vsque ad octoginta, præparabant ad diruendum Mangonellum. Sequebantur autem eos alij infiniti portantes ligna, ignem, &c. ad ignis incentiuum necessaria: videntes autem trecenti seruientes nostri qui custodiebant Mangonellum aduersarios venientes, timore ducti omnes fugerunt, ita quod non remanserunt ad Mangonellum custodiendum, nisi quinque milites. Quid plura? appropinquantibus aduersariis, fugerunt omnes milites nostri, præter vnum qui vocabatur Guillelmus scureto. Iste siquidem vt vidit eos venientes,
B cum maxima difficultate cœpit ascendere per desuper rupem contra eos, illi autem vnanimes irruerunt in eum, ipse enim strenuissime defendebat. videntes autem hostes quod non poterant eum capere, cum lanceis proiecerunt eum, super Mangonellum nostrum, & post eum ligna sicca & ignem: vir autem probissimus statim surgens, statim ignem dispersit, ita quod Mangonellus permansit illæsus: cœpit iterum miles noster ascendere versus hostes, illi autem proiecerunt eum, sicut antea fecerant ignemque super ipsum. Quid plura? iterum surgit, hostesque appetit, ipsi illum reproiiciunt super Mangonellum vsque quater. Videntes autem nostri, quod miles noster non posset euadere, eo quod, nullus de nostris posset ei subuenire, accesserunt ad murum castri, ex alia parte quasi impugnaturi, quod scientes aduersarij, qui militem nostrum prædictum infestabant, retraxerunt se in castrum, miles autem noster, licet multum debilitatus viuus euasit, & per eius incomparabilem probitatem, Mangonellus noster illæsus permansit. Interea nobilis Comes Montisfortis, paupertate tanta & tam vrgentissima laborabat, quod sæpissime ipso etiam pane deficiente, quod comederet non habebat. Multoties quippe sicut certissime didiscimus imminente hora refectionis, dictus Comes se de industria absentabat, & præ confusione non audebat in suum redire tentorium, eo quod esset hora comedendi, & ipse nec etiam panem solum haberet. venerabilis autem Archidiaconus Guillelmus, confratrias instituens, collectas sicut diximus faciebat, & quidquid extorquere poterat exactor egregius, pius raptor in machinas & cætera ad obsidionem pertinentia, solicitus expendebat. Dum res ita se haberet, aduersariis nostris aqua defecit, nostri siquidem iamdudum obstruxerant
C aditus, & ad hauriendam aquam exire non poterant, deficiente igitur aqua, defecit eis, virtus & animus resistendi. Quid plura? loquuntur cum nostris, tractant de pace in hunc modum: promittit Raimundus dominus castri, quod nobili Comiti traderet castrum illud, dummodo Comes totam terram aliam ei dimitteret, insuper castrum Termarum statim post pascha ei reddere deberet. dum autem de compositione huiusmodi tractaretur, Carnotensis & Beluacensis Episcopi, Comes etiam Robertus & Comes Pontiui, recedere ab exercitu proponebant, supplicauit Comes, rogauerunt vniuersi vt adhuc in obsidione illa, per tempus aliquantulum remanerent, sed cum illi nullomodo flecti potuissent, nobilis comitissa Montisfortis eorum pedibus se prouoluit affectuose supplicans, ne in tantæ necessitatis articulo, negotio domini exhiberent humerum recedentem, Comitique Iesu Christi, qui se pro vniuersali Ecclesia morti cotidie exponebat, in tam arcto discrimine subuenirent. Episcopus autem Beluacensis & Comes Robertus, & Comes Pontiui deprecati, Comitissæ noluerunt acquiescere, sed dixerunt quod in crastino recederent, nec vllomodo expectarent, etiam vnico die: Carnotensis autem Episcopus, promisit quod adhuc aliquantulo tempore, cum Comite remaneret.

Comes simon penuria victus laborat.

A

Hæretici Termense castrum dedere nolunt, sed Deus in eorum exitium ingentem eis aquæ copiam immittit.

CAPVT XLII.

VIDENS Comes noster, quod recedentibus præfatis viris remaneret quasi solus, tam euidenti necessitate compulsus, licet inuitus acquieuit, vt modum compositionis reciperet quam aduersarij offerebant. Quid vltra? Loquuntur nostri iterum cum aduersariis, firmatur compositio supradicta. Statim mandauit Comes Raimundo domino castri, vt exiens redderet castrum suum: ille autem ipsa die exire noluit, sed firmiter promisit, quod in crastino redderet castrum summo mane. Dilationem autem istam diuina prouidentia voluit & prouidit, sicut in euentu rerum manifestissimis probatum est argumentis: noluit etenim iustissimus iudex, Deus illum qui tot & tanta mala intulerat Ecclesiæ sanctæ eius, & adhuc si posset ampliora facturus post tanta crudelitatis exercitia immunem abire, recedere impunitum. vt enim de cæteris malitiis taceamus, iam triginta anni transierunt & amplius sicut à personis fide dignis audiuimus ex quo in Ecclesia castri Thermarum diuina sacramenta non fuerant celebrata. Nocte igitur insecuta, cælo quasi disrupto & cataractis apertis tam subito erupit aquæ abundantia pluuialis, quod inimici nostri qui aquæ penuria diu laborauerant & propter hoc reddere se proposuerant, aqua illa abundantissimè sunt refecti: cithara nostra in luctum vertitur, luctus hostium in gaudium commutatur, statim siquidem in tumorem versi, resumpserunt vires & animos resistendi, eò vtique crudeliores affecti & ad persequendum nos pernitiosiores, quo diuinum sibi in necessitate adminiculum presumebant manifestius affuisse. O stulta & nequam præsumptio, de illius se iactare adiutorio, cuius cultum abhorruerant, fidem etiam abdicarent, dicebant siquidem, quia nolebat Deus vt se redderent, pro se etiam factum asserebant, quod diuina iustitia fecerat contra illos. Rebus sic se habentibus: Episcopus Beluacensis, Comes Robertus, & Comes Pontiui, imperfecto Christi negotio, imo in arctissimo & periculoso dispendio derelicto, recesserunt ab exercitu, ad propria remeantes, & si nobis dicere liceat quod ipsis facere non libuit, non completa sua quadragesima recesserunt: ordinatum siquidem erat à sedis Apostolicæ legatis, eo quod plurimi de peregrinis tepidi erant, & semper ad propria suspirantes, quod nullus consequeretur indulgentiam, quam cruce-signatis fecerat Dominus Papa, qui in seruitio Iesu Christi, vnam ad minus, non compleret quadragesimam. Summo autem diluculo, misit Comes noster ad Raimundum dominum castri, & mandauit vt redderet sicut & die præcedenti promiserat castrum suum: ille autem aquæ abundantia refectus, pro cuius penuria reddere se voluerat, videns etiam robur exercitus recedere fere totum, à pacto quod fecerat inconstans & lubricus resiliuit, duo tamen milites qui in castro erant, quia die precedenti promiserant firmiter Marescallo Comitis nostri quod se redderent, exeuntes à castro etiam Comiti reddiderunt. Cum rediisset igitur Marescallus ad Comitem ipsum enim miserat vt cum Raimundo loqueretur, & verba Raimundi Comiti retulisset, Episcopus Carnotensis qui in crastino volebat recedere, rogat & consulit, vt Marescallus ad Raimundum iterum remittatur, eique quemlibet offerat compositionis modum, dummodo reddat Comiti castrum suum, & vt facilius respondendo possit persuadere quod quærit, consulit Episcopus Carnotensis, quod Marescallus ducat secum Episcopum Carcassonensem qui erat in exercitu, eò quod erat indigena & notus carnifici: insuper mater eius quæ erat pessima hæretica esset in castro: frater & ipsius Episcopi nomine Guillelmus de Rupeforti de quo supra fecimus mentionem. Iste Guillelmus erat crudelissimus, vnusque de peioribus pro posse suo Ecclesiæ inimicis. Venientes igitur dictus Episcopus & Marescallus iterum ad Raimundum, verbis preces, precibus minas addunt, instantissime laborantes, vt tyrannus eorum consiliis acquiescens, secundum modum quem supra diximus, reddat se Comiti nostro, imo Deo, sed quia Marescallus durum inuenerat, obstinatum in malitia sua, Episcopus Carcassonensis & Marescallus, modo inueniunt duriorem noluit etiam sustinere supradictus Raimundus, vt Episcopus cum fratre Guillelmo secretius

Dei ope gloriantur hæretici, aduersus quem signa ferūt.

B

C

A secretius loqueretur: nihil igitur proficientes Episcopus & Marescallus ad Comitem reuertuntur, necdum tamen plenè intelligebant nostri, quod sicut iam diximus diuina pietas hæc ordinabat, Ecclesiæ suæ melius prouidendo. In crastino summo diluculo recessit Episcopus Carnotensis, Comes exiit cum eo ab exercitu ipsum aliquantulum prosecuturus. Cum autem paululum longe esset ab exercitu, exeuntes aduersarij multi & armati, vnum de nostris volebant discindere Mangonellis. Audiens autem Comes clamorem exercitus, rediens cōcitus venit ad illos qui machinam discindebant, eos in castrum suum solus intrare compulit, vellent nollent, insecutusque eos viriliter non sine proprio vitæ dispendio diutius effugauit. O audacia principis. O virtus virilis, post discessum igitur supradictorum nobilium, Episcoporum videlicet & Comitum, videns Comes noster remāsisse se quasi solum & pene penitus desolatum, in multa anxietate & perturbatione positus, quid ageret nesciebat, nullo modo enim volebat ab obsidione recedere, nec ibi poterat amplius remanere, multos quippe & armatos habebat aduersarios, adiutores paucos & ex parte maxima inimicos, sicut enim prædiximus, totum robur exercitus recesserat cum Episcopis & Comitibus supradictis. Erat præterea castrum Thermarum adhuc fortissimum, nec credebatur, quod nisi per multos & fortissimos capi posset, hyems insuper imminebat,
B quæ in locis illis asperrima esse solet: in montanis quippe situm erat, sicut iam diximus castrum Thermarum, ideoque propter pluuiarum inundationem, ventorum turbinem, niuium abundantiā vltra modum frigidus & quasi inhabitabilis erat locus. Dum in hac tribulatione & angustia esset Comes, & quod eligeret ignoraret, ecce quadam die superuenerunt à Lotharingia pedites peregrini, de quorum aduentu exhilaratus Comes, obsidionē firmauit contra Thermas, & mediante industria venerabilis Archidiaconi Guillelmi, resumpserūt vires nostri, cœperuntque circa ea quæ ad obsidionem spectabant strenuè laborare: statim machinas quæ antea parum profecerant, propius ad muros castri transferentes, laborabant in ipsis continue, murosque castri non modicum debilitabant, miroque modo incomprehensibili Dei iudicio, contingebat res mirabilis, quod machinæ dum sæpedicti nobiles erant in exercitu, parum aut nihil profecerant, post eorum discessum ita recte iaciebant, ac si à domino singuli lapides dirigerentur, & verè sic erat: à domino quippe fiebat istud, eratque mirabile in oculis gentis nostræ. Cum igitur nostri diutius laborassent in machinis, murosque & turrim castri ex magna parte debilitassent, quadam die in festo S. Cæciliæ, fecit Comes viam quamdam, & telis cooperiri, per quam suffosores ad murum accedere & ipsum suffodere possent. Cum igitur Comes in præparanda via illa tota die laborasset & ieiunasset, imminente nocte, in vigilia S. Clementis videlicet, ad suum rediit tentorium: illi autem qui erant in castro, diuina disponente clementia, & B. opitulante Clemente, versi in terrorem & penitus desperantes, statim exeuntes de
C castro, fugam arripere attemptauerunt: quod illi de exercitu cognoscentes, statim clamore facto cœperunt discurrere vt comprehenderent fugientes. Quid amplius immoremur? Quidam capti sunt viui, plures etiam interfecti. Peregrinus autem quidam Carnotensis pauper & ignobilis, dum discurreret cum aliis, & fugientes sequeretur hostes, diuino ordinante iudicio, Raimundum dominum castri, qui in quodam loco se absconderat apprehendit, & apprehensum nostro Comiti præsentauit: quod Comes, quasi amplum munus suscipiens, non quidem eum occidit, sed in fundo turris Carcassonensis retrudi fecit, vbi per plures annos, dignas pro meritis pœnas & miserias sustinuit. Contigit autem quiddam in obsidione Thermarum, quod prætermittere non debemus. Die quodam Comes noster, machinam quandam paruam, quæ lingua vulgari Catus dicitur, faciebat Duci ad fodiendum castri murum. Dum igitur Comes esset prope machinam illam & loqueretur cum quodam milite, brachiumque suum super collum illius causa familiaritatis teneret, ecce lapis ingens iactatus à Mangonello aduersariorum, cum maximo impetu veniens ab alto, percussit in capite militem prænotatum, mira Dei operante virtute, Comes qui militem illum quasi amplexatus erat, illæsus permansit, miles autem ictum mortis suscipiens expirauit. Alia etiam die dominica, erat Comes in pampilione suo, missamque audiebat. Contigit autem Dei prouidente clementia, dum staret erectus Comes & audiret missam, quod seruiens quidam Deo disponente, retro ipsum prope dorsum ipsius staret, & ecce sagitta per balistam ab aduersario emissa seruientem illum percussit & occidit, quod diuina pietate dispositum, nullus debet

ambigere, vt videlicet dum seruiens ille, stans retro Comitem ictum sagittæ susciperet, pius Deus Ecclesiæ suæ sanctæ athletam suum strenuissimum conseruaret. Capto igitur castro Termarum, & à nostris munito, in vigilia S. Clementis, Comes noster direxit aciem ad castrum quoddam quod dicitur Constantia, quod vacuum inueniens, venit ad aliud castrum quod viridepodium vocatur quod infra triduum sibi redditum recepit. His itaque gestis, proposuit Comes ire in Albigensem diœcesim, vt castra quæ à domino eius recesserant, recuperaret: venit ergo ad castrum quod castra dicitur, & Burgenses reddiderunt ei castra, & submiserunt per omnia eius voluntati. Inde venit Comes ad castrum de Lumbers de quo prius fecimus mentionem, inuenitque illud hominibus vacuum & victualibus plenum, milites enim & Burgenses castri timore Comitis omnes fugerant, eò quod in Comitem proditionem fecissent Comes vero castrum illud muniuit statim, & vsque in hodiernum diem in sua habet potestate. Quid amplius immoremur? omnia fere castra Albigensis territorij citra Tarnum fluuium sub eodem temporis spatio recuperauit nobilis Comes Christi. Eodem tempore venit Comes Tholosanus, ad castrum quoddam prope Albiam, cum Comite nostro colloquium habituro iuit Comes noster ad illud colloquium, & hostes parati erant rapere eum, Comes enim Tholosæ quosdam pessimos traditores qui Comitem nostrum manifestissime impugnabant adduxerat secum. Comes vero noster dixit Comiti Tholosano. Quid fecistis, vos vocastis me ad colloquium, & vobiscum meos traditores adduxistis. Respondit Comes Tholosæ, non adduxi. Cum hæc audisset Comes noster, voluit eos rapere, Comes autem Tholosæ supplicauit ei & noluit sustinere quod caperentur, ab illo igitur die cœpit Comes Tholosæ inimicitias quas aduersus Ecclesiam & Comitem nostrum conceperat aliquantulum exercere. A B

Solemne colloquium Narbonæ instituitur super negotiis Comitum Tholosani & Fuxensis, cui intersunt Rex Arragonensis, sedis Apostolicæ legati, Simo à Monteforti, sed sine profectu conuentus dissoluitur.

CAPVT XLIII.

NON post multos dies, conuenerunt apud Narbonam Rex Arragonensis, Comes Montisfortis, Comes etiam Tholosanus inter se colloquium habituri. Huic colloquio affuerunt Vticensis Episcopus & venerabilis Abbas Cistercij, qui præcipue post Deum Iesu Christi negotium promouebat. Iste Vticensis Episcopus Raimundus nomine, à multis diebus ardenter negotium fidei diligebat & quantum poterat promouebat, & illis diebus super eodem negotio cum Abbate Cisterciensi legationis officio fungebatur. Affuit & prædicto colloquio magister Theodisius de quo superius facta est mentio & multi alij viri sapientes & boni. Tractatum fuit in prædicto colloquio de Comite Tholosæ & facta fuisset ei magna gratia & copiosa misericordia, si idem Comes sanis consiliis acquiescere voluisset: volebat siquidem Abbas Cistercij Apostolicæ sedis legatus quod Comes Tholosanus, dummodo hæreticos de terra sua expelleret, omnes dominicaturas & proprietates suas haberet integras & illæsas. Illa etiam iura quæ habebat in castris aliorum hæreticorum, quæ de feodo eius erant, quæ idem Comes dicebat esse ad minus quinquaginta, volebat præfatus Legatus, vt quarta vel etiam tertia pars cederet in proprietatem Comitis supradicti. spreuit supradictus Comes illam magnam gratiam, Deo vtique in posterum Ecclesiæ suæ prouidente, & ita omni beneficio & gratia reddidit se indignum. Tractatum fuit præterea in prædicto colloquio de pace reformanda inter Ecclesiam & suum immanissimum persecutorem Comitem videlicet Fuxensem. Ordinatum etiam fuit ad preces Regis Arragonum, quod si Comes ille iuraret mandatum Ecclesiæ se facturum, iuraret etiam quod cruce-signatos præcipue Comitem Montis-fortis de cætero nullatenus impugnaret. Comes noster redderet ei illud quod iam habebat de terra ipsius præter castrum quoddam quod Appamiæ nuncupatur: castrum siquidem illud nullo modo recuperare debebat, propter multas causas quæ inferius exprimentur: sed Deus æternus qui absconditorum est cognitor, qui nouit omnia antequam fiant, nollens tot, & tantas immanissimi hostis sui crudelitates C

remanere

A remanere impunitas, scienſque quanta mala de hac compoſitione contingeret in futurum, alto ſuo & incomprehenſibili iudicio, indurauit cor Comitis Fuxenſis, ita quod noluit recipere pacem iſtam, Deo vtique Eccleſiam ſuam miſericorditer viſitante, vt dum hoſtis pacem recipere recuſaret, futuræ deinde turbationis ſuæ ipſe iam confirmatiuam ſententiam in ſe daret. Nec prætereundum, quod Rex Arragonum à quo Comes Fuxi tenebat pro parte maxima terram ſuam, in caſtro Fuxi poſuit cuſtodes milites ſuos, & coram Epiſcopo Vticenſi & Abbate Ciſtercienſi promiſit, quod per terram illam nullum malum inferretur Chriſtianitati. Iurauit etiam idem Rex, coram dictis legatis, quod ſi Comes Fuxi vnquam à communione S. Eccleſiæ vellet recedere, & à familiaritate & amicitia & ſeruitio Comitis Montisfortis, Rex ipſe ad primam ſæpedictorum legatorum vel Comitis noſtri requiſitionem, in manus ipſius Comitis noſtri traderet caſtrum Fuxi. ſuper hoc dedit Rex Comiti noſtro literas ſuas patentes, conuentionem iſtam plenius continentes: & ego qui literas vidi, tenui & diligenter inſpexi, teſtimonium perhibeo veritati. Sed quia male poſtea Rex ſeruauit quod promiſit, & quantum exinde noſtris reddiderit ſe infamen, luce clarius innoteſcit.

B

De malicia & tyrrannide Comitis Fuxi erga Eccleſiam.

CAPVT XLIV.

QVIA vero locus poſcit, quia opportunitas ſe ingeſſit, hic de crudeli malignitate, & maligna crudelitate Comitis Fuxi, quamuis partem centeſimam non poſſemus exprimere, aliquid breuiter perſtringamus. Primo ſciendum, quod hæreticos & hæreticorum fautores, in terra ſua tenuit, fouit quantum potuit & promouit. In caſtro præterea Apamiarum, quod erat proprium Abbatis & canonicorum B. Antonini, tenebat vxorem ſuam & duas ſorores hæreticas cum aliorum hæreticorum multitudine copioſa, qui in caſtro illo, inuitis prædictis canonicis & quantum poterant renitentibus, publice & priuatim venenum ſuæ nequitiæ ſeminantes, corda ſimplicium ſeducebant. Ipſis etiam ſororibus & vxori in proprio allodio canonicorum ædificari domum fecerat dictus Comes, caſtrum vero Apamiarum, canonicorum erat ſicut diximus, ſed Comes ille tenebat illud ab Abbate in vita ſua, & iurauerat Abbati ſuper ſanctam Euchariſtiam, quod nullam Abbati vel caſtro moleſtiam inferret: Monaſterium ſiquidem canonicorum, ſitum eſt extra caſtrum ad dimidium miliarium. Quodam præterea tempore, milites duo conſanguinei & familiares dicti Comitis qui erant hæretici peſſimi & manifeſti, ad quorum conſilia Comes ille omnia faciebat, matrem ſuam hæreſiarcham maximam,

Comitis Fuxenſis nefanda & impia facinora.

C quæ erat amica * Comitis ſæpedicti in caſtrum Apamiarum adduxerunt, vt ibi reſidens, virus diſſiminaret hæreticæ ſuperſtitionis, quod videntes Abbas & canonici memorati, & tantam Chriſti & Eccleſiæ iniuriam ferre non valentes hæreſiarcham à caſtro illo eiecerunt, quod audiens dictus proditor, Comes videlicet Fuxi, in iram verſus eſt & furorem. Alter vero duorum illorum hæreticorum militum, qui erant filij dictæ hæreſiarchæ, veniens Apamias, in odium canonicorum, vnum de canonicis qui erat ſacerdos, diuina celebrantem ſuper altare cuiuſdam Eccleſiæ prope Apamias, carnifex crudeliſſimus, membratim diuiſit, & vſque in hodiernum diem, manet ipſum altare illius occiſi ſanguine rubricatum. Nec ſic quieuit furor carnificis, ſed vnum de fratribus Monaſterij Apamiarum apprehendens, oculos illi eruit in odium Religionis Chriſtianæ & canonicorum contemptum. ipſe etiam Comes Fuxi non multo poſt Monaſterium ſupradictum, habens ſecum ruptarios, mimos & meretrices vocanſque Abbatem Monaſterij, cui ſicut prædiximus ſuper corpus dominicum iurauerat, quod nullam inferret moleſtiam, dixit ei vt omnes traderet & ſine mora claues Monaſterij, quod Abbas facere noluit. Verumtamen timens Abbas ne Tyrannus ille eaſdem claues auferret per violentiam, intrauit & claues ſæpedictas poſuit ſuper corpus S. Antonini martyris, quod erat ſuper altare, cum multis aliis ſanctorum reliquiis, in cuius etiam ſancti Honorem, Eccleſia illa erat fundata. Prædictus autem Comes ſecutus Abbatem, non deferens Eccleſiæ, Sanctorum reliquias non attendens, deſuper corpus Sanctiſſimi Martyris, ſacrorum

** forte amita.*

impudentissimus violator, claues rapuit prænotatas. Quid amplius? Abbatem & canonicos omnes in eadem conclusit Ecclesia, obseratisque ianuis, ibi eos tenuit per tres dies, ita quod per illud triduum non comederent, nec biberent, nec etiam ad quæsita naturæ egredi poterant. Tyrannus autem interim omnem substantiam Monasterij diripiens, in ipso infirmitorio canonicorum in contemptum religionis, cum suis meretricibus dormiebat. Post triduum autem Abbatem & canonicos de Ecclesia à Monasterio fere nudos expulit, insuper per totum castrum Appamiarum, quod erat proprium canonicorum sicut dictum est, fecit præconis voce clamari, vt nullus ausus esset hospitio recipere aliquem de canonicis vel Abbatem: facta est autem proclamatio huiusmodi, sub pœna grauissimæ vltionis. O nouum inhumanitatis genus, cum enim Ecclesia, incarceratis solet esse refugium & damnatis, iste peruersitatis auctor in ipsa Ecclesia incarcerat innocentes. sæpedictus etiam tyrannus statim ipsam Ecclesiam B. Antonini ex magna parte diruit, dormitorium & refectorium canonicorum eorum, sicut visu probauimus destruxit, & inde munitionem in castro Appamiarum fieri fecit. ad malorum huius traditoris exagerationem, rem quandam relatu dignam huic operi duximus inserendam.

Comes Fuxensis irreuerenter se gerit erga reliquias diui Antonini martyris, quæ solemni processione gestabantur.

CAPVT XLV.

EST quædam Ecclesia in supercilio montis cuiusdam prope dictum Monasterium, quam cum semel sicut consuetum habent in anno visitarent canonici, & cum processione veneranda, corpus sui patroni venerabilis Antonini honorifice deportarent, prædictum Comitem forte fortuita equitantem contigit pertransire, qui nec Deo, nec sancto martyri, nec religiosæ processioni deferens, saltem signis extrinsecis humiliari non potuit, nec de equo cui insidebat curauit descendere, sed exerto superbiæ collo, & elatione ceruicosa, quæ sibi plurima erat domestica pompatice præteriuit. Quod videns quidam vir venerabilis, Abbas videlicet de monte S. Mariæ Cisterciensis Ordinis qui vnus de duodecim longe prædictis Prædicatoribus ad prædicandum venerat, & tunc temporis processioni illi intererat, exclamauit post ipsum, Comes tu non defers domino tuo sancto martyri, scias quod in villa in qua ex parte sancti dominium habes modo, priuaberis ipso dominio, ita vt sancto faciente, te viuente sentias exhæredatum: cuius boni viri dicta, fides sequitur, sicut rei exitu manifestissime declaratur. crudelitates istas Comitis Fuxi & illas quæ sequuntur, audiui ab ore Abbatis ipsius Monasterij Appamiarum viri fide digni, viri multæ religionis, viri perspicuæ bonitatis.

Abbas de monte, non vanus vates.

Sacrilegia aliaque facinora à Comite Fuxensi per vim patrata.

CAPVT XLVI.

QVODAM tempore sæpedictus Comes iuit cum multitudine ruptariorum ad quoddam Monasterium quod dicebatur S. Maria in terra Comitis Vrgellensis, in quo erat sedes Episcopalis, canonici autem Ecclesiæ illius, timentes à facie dicti Comitis, receperunt se in Ecclesia, vbi tandiu fuerunt ab eo oppressi, quod præ sitis angustia vrinas suas bibere sunt compulsi, quibus tandem se reddentibus, intrans Ecclesiam hostis Ecclesiæ crudelissimus, omni abstracta supellectili, crucibus & vasis sacris fractis insuper Campanis, in ea præter parietes nihil dimisit: præterea Ecclesiam illam, quinquaginta milibus solidorum redimi fecit. Quo facto dixit ei quidam pessimus miles suus. Ecce inquit destruximus S. Antoninum & S. Mariam, nihil adhuc nobis restat, nisi vt destruamus Deum. Alio etiam tempore, vt idem Comes & sui ruptarij prædictam spoliarent Ecclesiam, ad tantam crudelitatis dementiam deuenerunt, quod ipsis imaginibus Crucifixi crura & brachia abscindentes, inde piperem & herbas ad ciborum condimentum terebant in contemptum dominicæ

A dominicæ passionis. O crudelissimi carnifices, ô pessimi derisores, ô crudeliores ipsis Christi crucifixoribus. O conspuentibus sæuiores. Cum vidissent ministri Herodis Iesum mortuum, ait Euangelista, non fregerunt eius crura. O nouum immanitatis artificium. O inauditæ crudelitatis indicium. O hominem, Comitem Fuxensem dico, miserrimũ miserorũ. O bestia omni fera crudeliorẽ, in ipsa etiam Ecclesia equos suos collocãtes ruptarij, duci ipsos super sacrosancta altaria comedere faciebant. Quadam die dictus tyrannus, cum multitudine magna armatorum, erat in quadam Ecclesia, statim armiger quidam ipsius Comitis capiti imaginis crucifixi imposuit galeam, & ipsam imaginem armauit scuto & calcaribus: moxque idem armiger lanceam arripiens, imaginem crebris ictibus impetebat, & dicebat ei vt se redimeret. O peruersitas inexperta. Alio tempore dictus Comes vocauit ad colloquium Episcopos Tholosanum videlicet & Consoranensem & assignauit eis diem & locum: die autem illa qua illi Episcopi perrexerunt ad colloquium, sæpedictus Comes impugnauit tota die quoddam castrum proprium Abbatis & Canonicorũ S. Antonini Appamiensis. O nequam & peruersa traditio. Fecit & aliud tyrannus memoratus quod non credimus prætermittendum. Inierat fœdus cum Comite Montis-fortis, sicut longe superius diximus, filiumque suum ei tradiderat in obsidem factæ compositionis: venerabilis autem Abbas Appamiarum, castrum suum iam tradiderat Comiti Montis-fortis. Venit igitur quodam die Comes Fuxi cum ruptariis suis prope Appamias, ponensque ruptarios suos in insidiis accessit ad castrum, & mandauit burgensibus vt exirent ad ipsum, cum eo colloquium habituri, promisitque eis firmissime sub iureiurando, quod secure exire poterant, quia non faceret eis malum: sed statim vt burgenses egressi sunt ad eum, vocauit secreto ruptarios suos qui in insidiis latitabant, qui venientes antequam burgenses possent intrare castrum, multos ex eis cœperunt, & captos secum duxerunt. O nequam proditio. Dicebat etiam Comes sæpè memoratus, quod si omnes crucesignatos contra hæreticos & cruce signandos, omnes etiam qui pro fidei negotio laborant, vniuersos insuper quibus hoc negotium placebat, manu sua interfecisset, arbitraretur se obsequium præstasse Deo. Illud quoque sciendum, quod sæpe memoratus Comes iurauit coram legatis Domini Papæ, quod de terra expelleret hæreticos, quod tamen nulla voluit facere ratione. Multa quidem & alia mala commisit crudelissimus canis iste in Ecclesiam & in Deum, quod si vellemus per ordinem enarrare, nec nos possemus sufficere, nec etiam qui dictis nostris fidem de facili adhiberet: excedit quippe malicia modum. Deprædatus est monasteria, Ecclesias dissipauit, omnique crudeli crudelior, Christianorum cædes anhelans, in siti sanguinis semper mansit. Diffitebatur hominem, imitabatur sæuitiam beluinam, factus fera pessima & non homo. His de eius malicia breuiter perstrictis, ad id quod dimisimus reuertamur.

B

C

Comes Monfortius Regi Arragonum hominij iura persoluit, pro ciuitate Carcassonensi debita.

CAPVT XLVII.

IN supradicto colloquio Narbonensi, supplicauerunt Vticensis Episcopus & Abbas Cistercij Regi Arragonum, vt reciperet in hominem Comitem Montis-fortis, ciuitas enim Carcassonæ erat de feodo Regis Arragonensis, quod cum ille facere noluisset, in crastino iterum accesserunt ad Regem viri sæpedicti, prociderunt ad pedes eius, humiliter & instantissime deprecantes, vt hominium Comitis recipere dignaretur: ipse autem Comes flexis ante Regem genibus, suum hominium humiliter offerebat. Tandem Rex victus precibus acquieuit, & recepit Comitem in hominem de ciuitate Carcassonæ, vt illam Comes ciuitatem teneret à Rege. Quibus gestis Rex & Comes noster, & Comes Tholosæ & Vticensis Episcopus exeuntes à Narbona, perrexerunt vsque ad montempessulanum. Dum adhuc essent prænomitati nobiles & Prælati in montepessulano, tentatum est de contrahendo matrimonio inter primogenitum Regis & filiam Comitis Montis-fortis. Quid plura? Firmabatur ab vtraque parte matrimonium præfatum, videlicet à Rege & Comite nostro, hinc & inde prestito iuramento. Insuper Rex tradidit Comiti, præfatum

primogenitum suum custodiendum: verumtamen Rex qui Comiti filium suum tradiderat, non multo post, dedit sororem suam filio Comitis Tholosani in vxorem, vnde non modicum, nec immeritò, apud nos infamen se reddidit & suspectum, iam enim quando matrimonium illud factum est, Comes Tholosæ persequebatur manifeste Ecclesiam sanctam Dei. Nec silendum, quod cum essent præfati viri in monte Pessulano, & multi etiam Episcopi & Ecclesiarum Prælati, tractatum fuit iterum de facto Comitis Tholosani. Voluerunt legati, Episcopus videlicet Vticensis & Abbas Cisterciensis, maximam gratiam & misericordiam facere dicto Comiti sicut superius est expressum, sed idem Comes cum promisisset impleturum se in crastino, quidquid dicti legati mandassent, summo mane in crastino recessit à montepessulano ipsis legatis insalutatis, viderat enim quandam auem quam indigenæ vocant auem S. Martini ad sinistram volantem, & perterritus fuit valde: ipse enim more Sarracenorum, in volatu & cantu auium & cæteris auguriis spem habebat.

Episcopus Parisiensis aliique nobiles veniunt in exercitum Monfortij Comitis.

CAPVT XLVIII.

ANNO verbi incar. 1210. circa mediam quadragesimam, venerunt de Francia crucesignati nobiles & potentes: Episcopus videlicet Parisiensis, Ingerranus de Cociaco, Robertus de Tornaco, Iuellus de meduana & plures alij. Hi nobiles viri, in Christi negotio se nobiliter habuerunt. Cum venissent autem Carcassonam, communicato consilio, omnes dicti peregrini in hoc consenserunt, vt ad obsidendum tenderent Cabaretum. Quia autem milites de Carcassonensi diœcesi, iamdudum timore nostrorum, dimiserant castra sua, & fugerant Cabaretum, inter quos erant duo fratres secundum carnem, quorum vnus vocabatur Petrus miro, alter Petrus de S. Michaële, isti cœperunt Buchardum de Marliaco sicut supra tetigimus. Exierant autem illi duo milites à Cabareto, & plures alij cum eis, & venerant ad Comitem nostrum, & reddiderunt se illi, itaque Comes illis dederat terras. Videns autem dominus Cabareti Petrus Rogerij, quod vellent Comes & peregrini obsidere Cabaretum, considerans quod valde debilitatus esset, eo quod recessissent ab eo milites supradicti, timore ductus, composuit cum Comite nostro & Baronibus in hunc modum. Castrum Cabareti tradidit, insuper præfatum Buchardum reddidit. Comes dedit ei terram aliam competentem, reddito Cabareto, mox ad obsidendum castrum quod Vaurum dicitur, Comes & Barones acies direxerunt.

Obsidio Vauri.

CAPVT XLIX.

ERAT autem castrum illud nobilissimum & amplissimum, situm super Agotum fluuium, distans quinque leucis à Tholosa. Erat in castro illo Aymericus traditor ille, qui fuerat dominus Montis-regalis, & multi alij milites inimici crucis vsque ad octoginta, qui castrum intrauerant & munierant contra nostros. Domina siquidem castri vidua nomine Giralda, pessima hæretica & soror dicti Aymerici. Venientes igitur nostri ad castrum, ex vna tantum parte illud obsederunt, non enim sufficiebat exercitus noster, ad castrum sæpedictum vndique obsidendum. Erectis igitur post aliquot dies machinis, cœperunt nostri, sicut mos est, castrum impugnare, aduersarij quantum poterant defendere, erat siquidem in castro infinita hominum multitudo, & armis optime munita, ita fere plures erant defensores quam essent impugnatores. Nec prætereundum quod quando nostri primo venerunt ante castrum, exierunt aduersarij de castro, militemque vnum de nostris cœperunt, & introductum statim occiderunt. Quamuis autem nostri ex vna parte obsedissent, diuisi tamen erant in duos exercitus, & ita dispositi quod si necessitas ingrueret, exercitus exercitui non posset sine discrimine subuenire. Sed non multo post superuenerunt à Francia nobiles multi, Episcopus videlicet Lexouiensis, & Episcopus Baiocensis,

A Baiocensis, Comes etiam Autisiodorensis & multi alij peregrini: obsederunt igitur castrum ex alia parte, insuper etiam facto ponte de ligno super Agotum fluuium, transeuntes nostri aquam castrum vndique circundederunt. Comes autem Tholosæ Ecclesiam Dei & Comitem quantum poterat persequebatur, non tamen in manifesto, adhuc enim veniebant victualia exercitui nostro à Tholosa. Rebus ita se habentibus, venit Comes Tholosæ ad exercitum. Comes autem Autisiodorensis & Robertus de Tornaco qui erant cognati eius germani, cœperunt monere Comitem Tholosæ vt rediens ad cor mandatis Ecclesiæ obediret: sed cum nihil profecissent, Comes cum rancore & indignatione recessit à Comite Montis-fortis: homines etiam Tholosæ qui erant in obsidione Vauri, recesserunt ab exercitu. Inhibuit etiam Comes Tholosæ ciuibus Tholosanis, ne vlterius deferrent victualia apud Vaurum. hic narrandum est quoddam scelus Comitum Tholosæ & Fuxi nequissimum: proditio inaudita.

B

Peregrini multi proditoriè à Comite Fuxensi, instigante Tholosano interficiuntur.

CAPVT L.

DVM fieret colloquium sicut diximus prope Vaurum, de pace inter Comitem Tholosæ & sanctam Ecclesiam reformanda, veniebat multitudo peregrinorum de Carcassona ad exercitum: illi autem doli ministri, traditionis artifices, Comes videlicet Fuxensis, Rogerus Bernardi filius eius & Geraldus de Pepios & multi de hominibus Comitis Tholosæ, posuerunt se in insidiis cum infinitis Ruptariis in quodam castro quod vocatur Mons-Gandij propè Podium Laurentij, quo cum peregrini deuenirent, illi insurrexerunt in eos, & quia inermes erant & proditionis ignari, ex ipsis innumerabiles occiderunt, omnemque occisorum pecuniam, Tholosam deportantes, ibi inter se diuiserunt. O beata occisorum agmina. O pretiosa in conspectu Dei mors sanctorum, nec silendum est, quod dum carnifices prædicti peregrinos occiderent memoratos, sacerdos quidam peregrinus confugit ad quandam Ecclesiam, quæ propè erat, vt pro Ecclesia moriens in Ecclesia moreretur. Traditor autem ille pessimus Rogerus Bernardi, filius Comitis Fuxi, à patris sui non degenerans prauitate, sacerdotem secutus est memoratum, ingrediens autem audacter Ecclesiam, ipsumque aggrediens, qualis homo esset inquisiuit, peregrinus inquit sum sacerdos, ad quem carnifex ostende mihi inquit quod sis sacerdos, at ille amoto caputio à capite (erat capa indutus) ostendit ei caracterem clericalem, crudelissimus autem ille loco sancto non deferens vel personæ, eleuata ascia acutissima quam tenebat, sacerdotemque per medium caracterem validissime percutiens, ministrum Ecclesiæ in Ecclesia interfecit. Iam ad id quod dimisimus redeamus. Non credimus autem prætermittendum quod Comes Tholosanus, immanis Christi hostis & crudelissimus persecutor, in castro Vauri in quo erat fons & origo totius hæreseos, quia non erat Comitis Tholosæ, imo à multis annis expugnauerat Tholosanos ob solum Christianæ religionis odium, quemdam Seneschallum suum latenter miserat in castrum Vauri, pluresque milites vt castrum defenderent contra nostros, quos capto castro Comes noster ibi reperit, & diu tenuit vinculatos. O nouum proditionis genus, intus milites suos ad castri defensionem posuerat, foris quasi præbens auxilium à Tholosa deferri victualia permittebat. Sicut enim supra diximus in initio obsidionis Vauri, deferebantur ad exercitum victualia sed modica à Tholosa, sed licet venirent victualia à Tholosa, Comes tamen Tholosæ districte inhibebat ne machinæ afferrentur. Ciues etiam Tholosani circa quinque millia ammonitione venerabilis Episcopi sui Fulconis in auxilium nostrorum, ad obsidionem venerant sæpedictam. Ipse etiam Episcopus pro fide catholica exulans, ibi aduenit: modum autem egressionis eius à Tholosa, non duximus superfluum enarrare.

C

A

Fulco Episcopus Tholosanus Episcopatu pulsus, magna animi constantia exulat, paratus etiam ceruicem gladio pro Christi nomine prabere.

CAPVT LI.

ERAT quodam die Episcopus apud Tholosam. Sabato videlicet post mediam quadragesimam, & sicut mos est in Episcopalibus Ecclesiis, volebat die illa ordines celebrare: verumtamen Comes Tholosæ tunc erat in ciuitate, qui pro excessu multiplici, ab Apostolicæ sedis legatis nominatim erat excommunicatus: itaque in aliqua villa in qua erat, non poterat quis diuina misteria celebrare, misit igitur ad Comitem Episcopus humiliter rogans & monens, vt ipse causa ludendi exiens à ciuitate, iret spatiatum, donec solummodo Episcopus ordines celebrasset. Tyrannus autem in furorem conuersus, misit ad Episcopum militem vnum, mandans & sub periculo capitis districtè præcipiens, vt de ciuitate Tholosa & de tota terra Comitis citius egrederetur. Vir autem venerabilis hæc audiens, in feruore spiritus, menteintrepida, clarissimo vultu, tale fertur militi dedisse responsum. Comes, inquit, Tholosanus, non me fecit Episcopum, nec per ipsum hic ordinatus sum, vel pro ipso: Ecclesiastica me elegit humilitas, non intrusit violentia principalis, non exeo propter eum, veniat si audet, paratus sum excipere gladium, vt pertingam ad maiestatem per calicem passionis: veniat tyrannus stipatus militibus & armatus, solum me reperiet & inermen, attendo brachium, non timebo quid faciat mihi homo. O constantia animi. O mirificum robur mentis. Manens igitur intrepidus ille Dei famulus, de die in diem expectabat tyranni gladium, sed cum ille non auderet eum interficere, vt pote qui Ecclesiæ Dei iam pridem mala intulerat tot & tanta, timebatque vt vulgo dicitur pelli suæ. Postquam Episcopus quadraginta dies in illa mortis expectatione peregerat, de ciuitate egredi proposuit Tholosana: die igitur quodam in octauis resurrectionis dominicæ, egrediens Episcopus de ciuitate, ad Comitem nostrum qui erat in obsidione Vauri deuenit. Nostri autem in expugnatione castri continuè laborabant, aduersarij vero vt pote superbissimi, se instantissime defendebant, nec silendum est, quod sedentes in equis ferro coopertis, super muros discurrebant in derisum nostrorum, vt sic videlicet ostenderent muros amplissimos & fortissimos se habere. B

Vaurum à Catholicis expugnatur, ibique multi nobiles viri suspendio necantur, alij flammis traduntur.

CAPVT LII. C

QVODAM præterea die, erexerunt nostri prope muros castri castella quædam de lignis, in cuius summitate Christi milites posuerant signum. Aduersarij vero ad crucis vexillum instantius cum machinis iacientes, inde supradictæ crucis brachium confregerunt: statim canes impudentissimi, tantum emiserunt vlulatum pariter & cachinnum, ac si de confractione crucis maximam victoriam reportarent: sed dedicator crucis, iniuriam istam miraculosè & manifestissimè vindicauit. Contigit autem non multo post res mirabilis & mirificè extollenda, quod crucis inimici, qui de crucis confractione exultauerant, cruce suas iniurias vindicante, in festo crucis capti fuerunt, sicut inferius ostendemus. Dum res ita ageretur, fecerunt nostri fieri machinam quæ vulgò catus vocatur, quæ cum parata esset, traxerunt eam vsque ad fossatum castri. Post hæc attulerunt nostri in magno conamine ligna & ramos, facientesque fasciculos de ipsis lignis & ramis, proiiciebant in fossatum vt implerent illud: aduersarij vero vt pote astutissimi, fecerunt viam quamdam subterraneam pertingentem vsque propè machinam nostram, exeuntesque de nocte per viam illam, ligna & ramos quos nostri in fossatum proiecerant extrahebant, & deferebant in castrum. Quidam insuper de aduersariis, accedentes prope sæpedictam machinam, illos qui sub protectione machinæ fossatum implere non cessabant,

Crucis contemptores, die festo S. crucis capti & morte mulctati.

vncinis

A vncinis ferreis latenter & fraudulenter ad se trahere nitebantur. Quadam præterea nocte exeuntes aduersarij à castro per viam subterraneam, intrauerunt in fossatum, iacientesque instantissime iaculos ignitos, ignem, stupam, adipem, & cætera ignis nutritiua, voluerunt comburere machinam supradictam. Duo autem Comites Alemani, custodiebant ipsa nocte vigilias circa machinam, statim clamor attollitur in exercitu, curritur ad arma, machinæque succurritur: dicti vero Comites Alemani, & qui cum eis erant Teutonici, videntes quod non possent pertingere ad hostes qui erant in fossato, cum probitate magna & sub magno discrimine proiecerunt se in fossatum hostesque suos viriliter aggredientes, retruserunt eos in castrum, prius aliquibus ex eis interfectis & pluribus vulneratis. Interea cœperunt nostri multum turbari, & de captione castri quodammodo desperare, eo scilicet quod quidquid de die in fossato proiicere possent, aduersarij de nocte extraherent, & in castrum deferrent: sed dum nostri ita turbarentur, quidam ex eis subtilius excogitantes, aduersus hostium insidias vtile remedium inuenerunt, fecerunt siquidem ante egressum viæ subterraneæ, per quam hostes egredi consueuerant proiici ligna viridia & ramos, post hæc apposuerunt minuta ligna etiam sicca, ignem etiam & adipem & stupam & cætera ignis incentiua in ipso viæ subterraneæ egressu iterum desuper pro-
B iecerunt ligna & segetes virides & herbam multam, statim fumus ex igne egrediens, ita impleuit totam viam subterraneam, quod aduersarij vlterius non potuerunt egredi per viam illam præ fumo, fumus etenim qui non poterat in altum prorumpere, propter ligna & segetes virides superpositas, totam sicut diximus viam sæpedictam implebat, quod videntes nostri solito liberius impleuerunt fossatum. Quo impleto milites nostri & seruientes armati, dictam machinam per multos agones ad murum versus trahentes suffosores muro apposuerunt. Illi autem de castro, ligna ignem adipem, sudes etiam acutissimos & maximos desuper machinam proiicere non cessabant, sed nostris viriliter ac miraculosè machinam defendentibus sæpedictam, nec machinam incendere nec fossores à muro depellere potuerunt. Dum autem nostri in expugnatione ista instantissime laborarent, Episcopi qui aderant & quidam venerabilis Abbas curiæ Dei Cisterciens. ordinis, qui de mandato legatorum, ipsorum vices in exercitu tunc agebat, vniuersusque clerus congregati in vnum cum deuotione maxima *Veni Creator spiritus decantabant* quod videntes & audientes aduersarij, ita Deo disponente stupefacti sunt, & vires resistendi pene penitus amiserunt, quia sicut postea confessi sunt, plus timebant eos cantantes quam pugnantes, psallentes quam insilientes, orantes quam infestantes. Muro igitur perforato, iam nostris intrantibus, & aduersariis cum iam non possent resistere se reddentibus, volente Deo & nostros misericorditer visitante, in festo Inuentionis S. Crucis, captum est castrum Vauri. Mox eductus est de castro Aimericus de quo supra tetigi-
C mus, qui fuerat dominus Montis-regalis & alij milites vsque ad octoginta, nobilis autem Comes proposuit, quod omnes patibulo suspenderentur, sed cum Aimericus qui erat maior inter illos, suspensus fuisset, cadentibus furcis, quæ præ nimia festinatione bene non fuerant terræ affixæ, videns Comes quod mora magna fieret, alios occidi præcipit, quos peregrini auidissime suscipientes occiderunt citius in eodem loco. Dominam etiam castri quæ erat soror Aimerici & hæretica pessima, in puteum proiectam, Comes lapidibus obrui fecit, innumerabiles etiam hæreticos, peregrini nostri cum ingenti gaudio combusserunt.

Rogerius de Comenge Comiti Mon-fortio se adiungit, sed postea, quam dederat fidem fallit.

CAPVT LIII.

SCIENDVM est autem, quod cum Comes noster esset in obsidione Vauri, quidam nobilis de Vasconia nomine Rogerius de Comenge consanguineus Comitis Fuxi, venit ad eum vt se redderet ei: dum autem esset ante Comitem in die parasceues, vt faceret ei hominium, Comes illa hora cœpit casu sternutare, audiens autem dictus Rogerius quod Comes vnicum sternitum emisisset, vocauit illos qui secum erant in partem, consulens eos, & nolebat illa hora facere quod Comiti pro-

posuerat, in terra enim obseruant auguria stultissimi homines terræ illius, qui firmissime credunt, quod si vnum sternitum emiserint ipse vel aliquis habens aliquid agere, non possit ad bonum eis contingere illa die: veruntamen videns ille Rogerius, quod nostri illum super hoc deriderent, timensque ne Comes notaret illum de superstitione peruersa, quamuis inuitus fecit ei hominium & recepit ab eo terram suam, mansitque in eius seruitio diebus multis sed postea à fidelitate quam ei fecerat, miser & miserabilis resiliuit. Non credimus autem prætermittendum miraculum quoddam quod apud Vaurum relatione veridica cognouimus accidisse, cuiusdam militis cruce-signati capa, nescio quo infortunio comburebatur contigit autem miraculoso Dei iudicio, quod combusta tota capa, sola illa particula in qua crux assuta erat, remansit integra & penitus incombusta. Audiens autem dominus Podij Laurentij Sicardus, qui quondam fuerat cum Comite nostro, sed ab eo recesserat quando captum est Vaurum, timore ductus, dimittentes castrum Podij Laurentij, Tholosam cum suis militibus properauit. Erat autem Podium Laurentij, quoddam nobile castrum, tribus leugis distans à Vauro in diœcesi Tholosana, quod cum recuperasset Comes noster, dedit illud Guidoni de Lucio viro nobili & fideli, qui statim illud intrauit & muniuit. Interea Episcopus Parisiensis & Ingelrannus de Corti, & Robertus de Tornaco, & Iuellus de Meduana recedentibus capto Vauro, ad propria remearunt. Capto castro Vauri, cum venissent nostri in castrum, homines Comitis Tholosani attendentes etiam quod ipse Comes recessisset cum rancore à Comite nostro: præterea inhibuerat ne deferrentur ad exercitum machinæ & victualia à Tholosa, insuper & præcipue quod idem Comes per legatos D. Papæ, pro multis excessibus excommunicatus erat & expositus, his inquam omnibus diligenter inspectis proposuit vt Comitem illum, quasi iam aperte damnatum, manifestius impugnarent. Comes igitur noster mouens castra, cœpit tendere ad quoddam castrum quod dicitur Mons-Gandij, vbi à Comite Fuxi peregrini fuerant interfecti. Factum est autem, dum exercitus tenderet ad castrum illud, & dum adhuc aliquantulum longe esset, apparuit in loco illo, vbi occisi fuerant peregrini à Comite Fuxi, columna ignis videntibus nostris, lucens & descendens super corpora occisorum. Venientes autem nostri ad locum, viderunt omnes occisos iacere resupinos, brachiis in modum crucis extensis. O res mira. Istud audiui miraculum ab ore venerabilis Episcopi Tholosani Fulconis qui præsens erat: apud prædictum ergo castrum Comes accedens, illud funditus euertit, homines enim castri effugerant præ timore. Inde perrexit Comes noster ad aliud castrum, quod dicitur Casser, & erat proprium Comitis Tholosani. Interim Comes Tholosæ, venit ad castrum nouum: erat autem castrum illud nobile, quod Comes prædictus igne succendit, timens ne caperetur à nostris & vacuum dereliquit. Veniens Comes noster ad castrum de Casser, obsedit illud: milites autem Comitis Tholosæ qui erant in castro illo licet fortissimo, videntes quod diu castrum illud tenere non valerent, reddiderunt se Comiti tali conditione: promiserunt quod redderent nostris omnes hæreticos qui erant in castro, ipsi autem euaderent, factumque est ita, erant enim in castro illo multi hæretici perfecti. Intrauerunt igitur Castrum Episcopi qui erant in exercitu, cœperuntque hæreticis prædicare, volentes eos ab errore reuocare: sed cum nec vnum conuertere potuissent exierunt à castro, peregrini autem arripientes hæreticos ferme sexaginta, eos cum ingenti gaudio combusserunt. hic autem manifestissime apparuit, quantum Comes Tholosæ hæreticos diligeret, cum in modicissimo ipsius Comitis castro, inuenti sunt hæretici perfecti, amplius quam quinquaginta.

Crux vesti assuta manet illæsa, veste ipsa cremata.

A B C

Clerus Tholosanus Christi corpus religiose deferens, vrbe ipsa hæreticorum nutrice & interdicta excedit.

CAPVT LIV.

HIs gestis, Episcopus Tholosæ qui erat in exercitu, mandauit præposito Ecclesiæ aliisque clericis, vt de ciuitate Tholosana egrederentur: qui statim iussa complentes, nudis pedibus cum corpore Christi, egressi sunt Tholosa. Capto autem castro de Casser, Comes noster progrediens, venit ad aliud castrum Comitis, quod

A quod dicitur Mons-ferrandus, erat autem ibi frater Comitis Tholosæ nomine Balduinus, quem frater suus miserat vt defenderet castrum illud, veniens Comes ad Castrum, obsedit illud. Post paucos autem dies, nostris insultum facientibus, videns Comes Balduinus (sic enim vocabatur) quod diu resistere non valeret, reddidit castrum tali pacto, quod ipse cum suis egrederetur liber, & liberatus præstitit etiam iuramentum, quod ipse de cætero Ecclesiam vel Comitem nostrum nullatenus impugnaret, imo si vellet Comes noster, ipse eum contra omnes & in omnibus adiuuaret. Egressus igitur Comes Balduinus de castro venit ad fratrem suum Comitem videlicet Tholosanum, sed post paucos dies, rediit ad Comitem Montis-fortis, veniensque ad eum rogauit, vt Comes ipsum in hominem recipere dignaretur, & ipse ei in omnibus & contra omnes fideliter deseruiret. Quid vltra? Annuit Comes, reconciliatus est Comes Balduinus Ecclesiæ, de ministro diaboli, factus est minister Christi, fideliter quippe se habens, toto nisu hostes fidei ab illo die & deinceps expugnauit. O respectus, ô misericordia redemptoris: ecce duo ex eodemque patre fratres, sed inter se longe dissimiles qui enim per Prophetam dixit, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, vnum istorum incredulitatis limo infixum deserens, alterum mirabiliter & misericorditer eripuit, secreto suo consilio quo ipse nouit. Nec silentio
B prætereundum, quod cum Comes Balduinus exiisset à Monte-ferrando, antequam veniret ad Comitem nostrum, quidam ruptarij, peregrinos qui à peregrinatione S. Iacobi redibant, in cruce-signatorum odium spoliauerunt, quod audiens Comes Balduinus, diligenter inquisiuit, qui essent qui hoc fecerant & omnia quæ à peregrinis rapuerant ex integro reddi fecit: hoc fecit, nuntium futuræ probitatis & fidelitatis Comes nobilis Balduinus. Capto Monte-ferrando & quibusdã aliis castris per circuitum, munito etiam à nostris castello nouo, quod sicut supradictum est Comes combusserat Tholosanus, transiens Comes noster fluuium Tarni, venit ad quoddam castrum quod dicitur Rabatense in territorio Albigensi, quod cum ei redditum fuisset à Burgensibus, inde vadens, proficiens & succrescens, sex alia castra nobilia pari modo, sine conditione aliqua acquisiuit, quorum ista sunt nominia. Mons acutus, Galliacum, Causacum, S. Marcellus, Guespia, S. Antoninus. Castra ista inuicem propè posita, Comes Tholosæ abstulerat Vicecomiti Biterrensi.

Peregrinatio ad S. Iacobum in Hispania antiquissima.

Prima Tholosæ obsidio per Barrensem & Mont-fortiensem Comites.

CAPVT LV.

HIs gestis, nuntiatum est Comiti nostro, quod Comes de Barro ad Christi
C militiam properans esset Carcassonæ, quo audito, Comes gauisus est gaudio magno valde, magna enim dicebantur de Comite illo: nostri etiam de aduentu eius plurimum confidebant, sed longe aliter se res habuit quam sperabamus, vt ostenderet dominus nomini suo dans gloriam, in se non in homine confidendum. Misit vero Comes noster ad dictum Comitem milites, qui eum adducerent versus Tholosam, super quandam ripariam, vbi ipse Comes noster & exercitus eius ei occurrere deberent, & factum est ita: Comes autem Tholosæ & Comes Fuxi & hostium multitudo, audientes exercitum venire versus Tholosam, pergunt ad dictam ripariam, non enim distabat vltra dimidiam leugam à Tholosa, ibi conuenerũt nostri ex vna parte, hostes ex alia, ipsi vero aduersarij timentes ne transirẽt nostri pontẽ qui erat super ripariam, citius dirui fecerant: nostri vero circumeuntes vt possent vadum aliquod inuenire, inuenerunt alium pontem, sed & ipsum tunc aduersarij diruebant, sed nostri cum maxima probitate, quidam per super pontem, quidam per aquam natantes fluuium transierunt, hostesque suos vsque ad ipsas portas Tholosæ viriliter effugarunt, indè redeuntes ad ripariam, ibi quidem manserunt nocte illa, etiam ibi datum fuit consilium, vt obsiderent Tholosam in crastino. Igitur nostri mouerunt Tholosã, ibi fixere tentoria ante portas. Fuit in obsidione illa Comes de Barro & plures nobiles viri de Allemannia. Obsessa est igitur ex vna parte ciuitas, non enim sufficiebant nostri, vt à parte alia obsiderent. Erat autem in ciuitate Comes Tholosanus, & Comes Conuenarum cognatus eius qui eum quantum poterat adiuuabat. Comes etiam Fuxi & alij milites infiniti, ciues etiam Tholosani, quorum erat innumerabilis multitudo. Quid

plura: ad comparationem multitudinis obsessorum, paucissimi videbantur. Quia vero longum esset, insultus omnes illius obsidionis exprimere, istud breuiter est dicendum, quod quotiescumque aduersarij exibant vt nostros infestarent, nostris viriliter resistentibus cum confusione compulsi sunt ciuitatem introire: Quodam etiam die, cum exiissent hostes, nostri audacius ipsos redire in ciuitatem compellerent, in ipso insultu occiderunt cognatum Comitis Comigensis, & Willelmum de Rupe-forti fratrem Episcopi Carcassonæ Bernardi de quo superius fecimus mentionem. Alio præterea die, dum pransi essent nostri, & vt mos est post prandium pausarent in meridie (æstas quippe erat) scientes aduersarij nostros quiescere, exeuntes per quandam occultam viam, in exercitum irruerunt: surgentes autem nostri hostibusque viriliter resistentes, in ciuitatem ipsos redire compellebant. Dum hæc fierent, Eustachius de Quen & Simon Castellanus de Malpha, viri nobiles qui ab exercitu exierat, vt præberent conductum illis qui ad exercitum victualia afferebant, eadem hora intrabant exercitum victualia conducentes, & dum essent in ingressu exercitus, obuiarunt eis hostes, qui sicut diximus exierant de ciuitate, ipsosque capere attentarunt, sed illis viriliter se defendentibus, vnus ex aduersariis iacto gladio, vt eis mos est, dictum Eustachium in latere percutiens, ipsum occidit. Castellanus autem Malphæ, per multos labores, & per miræ probitatis exercitia viuus & sanus euasit. Facta est caristia magna in exercitu deficientibus victualibus: insuper vero bona dicebantur de Comite Barrensi, cunctis qui erant in exercitu sinistram de illo gerētibus opinionem. O iustum Dei iudicium, sperabatur ab hominibus, quod Comes ille mirabilia esset facturus, hominesque plus iusto de homine presūmebant: sed Deus qui per Prophetam dixerat, gloriam meam alteri non dabo, sciensque si nostri in illa obsidione multum proficerent, attribueretur homini & non Deo noluit ibi magnifice operari. Videns igitur Comes noster quod nihil proficeret, sed magnum dispendium fieret, & promotio negotij Christi, detrimentum pateretur, recedens ab obsidione Tholosæ, venit ad castrum quoddā, versus terram Comitis Fuxi, quod dicitur Alta Ripa, quod castrum cum muniuisset seruientibus, ad castrum Appamiarum peruenit, & ecce subito venerunt ruptarij apud altam ripam, homines autem castri, statim voluerunt capere seruientes, quos Comes noster ibi dimiserat & tradere ruptariis: illi autem recipientes se in munitione castri quæ modicæ erat fortitudinis, cœperunt se defendere. O furiosa traditio. O scelus nequam. Videntes autem seruientes sæpædicti, quod non possent resistere, dixerunt ruptariis, quod redderent illis munitionem, dummodo paterentur illos abire viuos & indemnes. Et factum est ita: sed non multo post Comes noster transiit per castrum supradictum & totum illud succēdit. Mouens Comes noster ab Appamiis, venit ad castrum quod dicitur Varille prope Fuxum, quod combustum & vacuum inueniens, gente sua muniuit. In terra Comitis Fuxi penetrans, castella ipsius plurima deuastabat, ipsum etiam Burgum Fuxi totum combussit. Peractis igitur circa Fuxū octo diebus, destructisque arboribus, vineis extirpatis, Comes noster Appamias est reuersus: venerat autem ad ipsum Comitem, Caturcensis Episcopus, missus à nobilibus territorij Caturcensis, supplicantibus vt accederet ad eos Comes, & ipsi constituentes eum dominū, ab eo acciperent terras suas, Comes autem Tholosanus dominiū habuerat in territorio Caturcensi. Tunc rogauit Comes nobilis, Comitem de Barro & nobiles de Allemannia vt irent cum eo, qui omnes concesserunt & se ituros promiserunt. Ire igitur cœperunt, sed cum venirent prope castrum nouum, Comes de Barro à promissione quam Comiti fecerat resiliuit, nec famæ suæ prouidens, vel honori, dixit ei quod nullatenus iret cum ipso: mirati sunt omnes, Comes noster vehementissime conturbatus, supplicauit ipse, rogauerunt vniuersi & nihil proficere potuerunt. Mox quæsiuit nobilis Comes ab Allemannis si vellent ire cum eo, qui promiserūt libentissime se ituros. Mouens igitur Comes noster, tendēs versus Caturcum, Comes autem de Barro aliam viam tendens, cœpit tendere Carcassonam: in ipsa discessione, tantum opprobrium sustinuit Comes de Barro, quod non posset de facili explicari, illi enim qui erant in exercitu vsque eo conuitiis ipsum persequebantur publicè, quod præ confusione non audemus dicere & scribere quæ dicebant, sicque factum est iusto Dei iudicio, vt qui veniēs ad terram Albigensiū, in ciuitatibus & castellis honorabatur ab hominibus, ab omnibus timebatur, rediens cōfunderetur ab omnibus, in omnium oculis vilis factus. Tendens Comes noster Caturcum, transiit per quoddam castrū quod erat Comitis Tholosæ, nomine Cassutium in territorio Caturcensi,

A Caturcensi, & impetu facto, totum castri Burgum extrinsecus succendit. Inde veniens Caturcum honorifice est susceptus, & factis ibi paucis diebus, iuit cum Alemannis supradictis, conducens eos vsque ad villam quæ dicitur Rupis amatoris, inde redierunt Alemanni in terram suam, Comes autem cum paucissimis Caturcum est reuersus: & dum esset Comes Caturci, nuntiatum est ei, duos de militibus suis, Lambertũ videlicet de Tureio & Galterum de Langatone fratrem Episcopi Cantuariẽsis * à militibus Comitis Fuxẽsis esse captos. De modo captionis eorũ, sicut ab ore vtriusque ipsorum audiuimus, aliquid breuiter exprimamus. Equitabant quadam die dicti milites prope terrã Comitis Fuxi, cum multis de indigenis, quod cũ audiisset Comes Fuxi, cũ maxima multitudine insequutus est eos: indigenæ autẽ qui erãt cum nostris, qui sicut dicitur proditionem istam fecerant, vt viderunt multitudinem venientem, statim omnes fugerunt, ita nostri tantum sex remãserunt: circundãtes igitur illos sex vndique aduersariorum plurimi, Comes enim Fuxi fugientes indigenas insequebatur, equos ipsorum omnes occiderunt: amissis igitur equis nostri, inimicorum circundati multitudine, se viriliter defendebant, tunc quidam aduersariorum qui erat inter alios nobilior, cognatus Comitis Fuxi, dixit præfato Lamberto, ipsum siquidem nouerat, vt se redderet, quod audiens vir multæ probitatis, nondum venit inquit

* *Videlicet Stephani quẽ Innoc. 3. Cardinalem creauit, cuiusque obitum recenset M. Paris sub an. 1228.*

B horatum vt vidit quia non posset euadere, tali inquit conditione nos reddimus, si quinque nobis promiseris, videlicet quod non occides nos, vel membra truncabis: præterea honesta tenebimur custodia, nec nos ab inuicem separabis, & nos ad competentem induces redemptionem, nec in aliena potestate nos pones, si hæc omnia firmiter promiseris, sic nos tibi reddemus, quod si nolueris parati sumus mori, sed confidimus in domino quia non moriemur soli, sed carissime nos vendentes, auxiliante Christo, prius ex vobis plurimos occidemus: nondum ligatas habemus manus, nec capietis nos libere nec impune. Audiens dictus miles verba Lamberti, promisit omnia quæ petebat libentius facturum. Veni igitur dixit Lambertus, & super hoc in manu mea præstes fidem. Ille autem non fuit ausus accedere ad eum, nisi nostri ipsum prius securum fecissent. Assecurauit eum Lambertus & alij quinque, accessit ille ad eos & tali conditione captos duxit secum, qui mox quæ promiserat male seruans, tradidit eos Comiti Fuxensi. Comes autem ille maximis cathenis ligatos in tam deterrimo & tam angusto posuit carcere, quod nec stare, nec extenti iacere valebant, lumen etiam non habebant nec candelam, & solummodo dum comedebant, vnum breuissimum foramen in illo erat ergastulo, per quod cibaria eis porrigebantur. Ibi longissimo tempore eos tenuit Comes Fuxi, donec multa pecunia sunt redempti. nunc ad id quod dimisimus reuertamur. Per actis apud Caturcum Comes nobilis negotiis, pro quibus illuc aduenerat, proposuit abire in terram Albigensem. Rediens igitur à Caturco, transiensque per castella sua, & visitans marchias suas, versus Appamias remeauit.

C Venit igitur ad quandam munitionem prope Appamias, & inuenit eam contra se munitam, erant quidem in ea sex milites & homines multi, Comes vero ipsa die munitionem illam non potuit capere, sed in crastino mane insultu facto, porta succensa, suffoso muro, ipsam munitionem vi cœpit & destruxit, tribus militibus qui erant in ea & hominibus interfectis, tres solum milites ad consilium suorum reseruauit, quia promiserant, quod facerent reddi Lambertum de Tureyo & Galterum de Langatone Anglicum, quos sicut dictum est, Comes Fuxi tenebat: inde Appamias Comes noster peruenit & dum esset ibi, nuntiatum est ei, quod homines de Podio Laurentij facta proditione tradiderant villam Sicardo, qui fuerat dominus castri, & iam tam ipse Sicardus cum suis militibus, quam homines illi milites Guidonis de Luceio qui custodiebant castrum in munitione positos impugnarent, sicut enim prædiximus, Comes noster, castrum illud dederat dicto Guidoni, quo audito turbatus est Comes, in auxilium militum properare cœpit, & cum venisset ad castrum nouum, venit ad eum qui diceret, milites dicti Guidonis turrem podij Laurentij reddidisse aduersariis, & vere sic erat, omnia mœnia castri: quidam siquidem miles, qui præcipue Guido sæpedictus custodiam commiserat castri sui, pecunia vt dictum est mediante reddiderat aduersariis turrem prædictam, sed post aliquot dies cum de proditione in curia Comitis accusaretur miles ille, & nollet se defendere per duellum, memoratus Guido illum patibulo suspendi fecit. Dimissis Comes apud castrum nouum quibusdam militibus suis ad munitionem castri, ipse iuit Carcassonam, verumtamen antequam recederet à castro nouo, quosdam milites & balistarios miserat

apud montem Ferrandum, vt custodirent castrum illud, iam enim Comes Tholosæ & cæteri aduersarij fidei, vires resumpserant resistendi, videntes Comitem nostrum esse quasi solum, & discurrebant per terram vt possent castra quæ amiserant per proditionem recuperare. Dum esset Comes noster Carcassonæ: nuntiatum est ei quod aduersarij sui in graui multitudine veniebant ad obsidendum castrum nouum, quo audito Comes turbatus est valde: statim misit Comes ad milites suos qui erant in castro nouo & mandauit ne timerent à facie aduersariorum quia ipse veniret & adiuuaret eos. A

Comes Tholosanus, castrum nouum & Simonem Comitem illud defendentem obsidet.

CAPVT LVI.

QVADAM igitur die dominica, cum esset Comes Carcassonæ & audisset missam & diuinis sacramentis communicasset, iturus statim ad castrum nouum, conuersus quidam Cisterciensis qui aderat, cœpit consolari eum & quantum poterat animari. Cui vir nobilis totum de Deo præsumens, putatis inquit quod timeam, Christi geritur negotium, vniuersa pro me orat Ecclesia, scio quod non poterimus superari. his dictis ad castrum nouum, vir nobilissimus properauit, verum quædam castella prope castrum nouum iam à dominio eius recesserant, & de hominibus quos in castris illis posuerat, plures iam fuerant ab aduersariis per proditionem interfecti. Dum igitur esset Comes noster in castro nouo, ecce Comes Tholosæ & Comes Fuxi & Gasto de Bearno & quidam nobilis Vasconiæ cum infinita multitudine à Tholosa egressi, properabant vt obsiderent castrum nouum. Veniebat etiam cum aduersariis ille pessimus Apostata, ille præuaricator, iniquus filius diaboli, minister Antichristi Sauaricus videlicet de Malleone omnem excedens hæreticum, omni deterior infideli, impugnator Ecclesiæ, Christi hostis. O virum, imo virus pessimum, Sauaricum dico, qui scelestus & perditus, & pudens & imprudens, currens aduersus Deũ exerto collo, etiam impugnare ausus est Ecclesiam sanctam Dei. O hominem Apostasiæ principem, crudelitatis artificem, peruersitatis actorem. O hominem malignorum participem, ô peruersorum consortem, ô hominem opprobrium hominum, ô virtutis ignarum, ô hominem diabolicum, imo totum diabolum. Audientes nostri tantam multitudinem aduenire, consuluerunt quidam ex ipsis Comiti vt aliquos de suis dimittens ad defensionem castri, secederet ad fanum Iouis, vel etiam Carcassonam: sed habito saniori consilio, Deo melius prouidente, aduersariorum aduentum in castro nouo, Comes voluit expectare. Nec silendum, quod cum Comes esset in castro nouo, & iam quasi esset in manus inimici, ecce missus à Deo Guido de Luceio cum quinquaginta ferme militibus superuenit, siquidem miserat omnes Comes nobilis Regi Arrogonensi in auxilium contra Turcos de quorum aduentu exhilaratus est Comes, omnium nostrorum animi confortati: Rex autem ille vt pote pessimus, qui nunquam dilexerat negotium fidei vel Comitem nostrum, militibus quos Comes miserat in eius auxilium, valde inurbanum se exhibuit, imo etiam dum milites ipsi redirent ad Comitem nostrum, de mandato ipsius Comitis per literas eis facto, Rex perfidissimus sicut dictum fuit, ipsis nostris militibus ad capiendos eos in via insidias præparauerat: innotuit sæpedictis militibus proditio, & à strata publica declinauerunt. O crudelis pij operis recompensatio. O tanti seruitij dura stipendia, iam propositum exequimur. Comite igitur apud castrum nouum, secretius inimicorum suorum aduentum expectante, ecce quodam die subito, cum infinita multitudine venerant hostes, qui quasi locustæ terram operientes, circumquaque discurrere cœperant: vt autem appropinquauerant castro, statim homines de burgo exteriori, per desuper murũ se præcipitantes, & ad aduersarios transferentes, burgum ipsis in primo accessu dimiserunt. Intrantes igitur aduersarij burgum, cœperunt huc illuc discurrere, lætabũdi, gaudentes. Comes vero noster tunc erat in mensa: armantes autẽ se nostri postquam comederãt, de castro sũt egressi & quotquot de aduersariis in burgo inuenerũt citius effugarũt, fugientesque aduersarios & tremẽtes de burgo viriliter eiecerũt, quo facto Comes Tolosæ & qui cũ ipso erant, fixerũt tẽtoria à parte castri super montẽ, posthæc ita fossatis, lignis, repagulis se cinxerunt, vt nõ tam obsidentes, quã obsessi viderentur,

Aurea Christiani principis verba.

B

C

videbaturque

A videbaturque quasi fortior, & ad accessum difficilior locus in quo erat exercitus obsidentium, quam castrum obsessum. cum autem sero esset, aduersarij intrauerunt burgum, erat enim hominibus vacuum, quia nostri propter paucitatem, non poterant illud munire, non enim erant in castro inter milites & seruientes, amplius quam quingenti homines, cum hostes fere centum millia esse crederentur. Timentes autem hostes qui burgum intrauerant, ne nostri expellerent eos, sicut antea fecerant, ipsum Burgum lignis & quibuscumque potuerunt munierunt à parte murorum, ne ad eos exire possent, murumque forinsecum qui erat inter Burgum & exercitum pluribus locis perforarunt, vt liberius fugere possent, si necessitas immineret. In crastino autem exeuntes nostri de castro, & quidquid aduersarij fecerant destruentes, ipsos de burgo sicut prius fecerant proiecerunt, & fugientes vsque ad tentoria sunt sequuti: nec silendum credimus, in quo tunc discrimine, nobilis erat Comes: Comitissa quippe erat apud Vaurum, primogenitus eius Almaricus apud fanum-Iouis infirmabatur, filia quam in terra illa genuerant, nutriebatur apud Montem regalem nec poterat alter alterum videre, vel in aliquo subuenire: illud quoque supprimendum non est, quod licet nostri essent paucissimi, omni die exibant, hostesque crebrissime & validissime impetebant, nec enim sicut iam diximus, nostri videbantur obsessi, sed potius obsidentes, tot vero repagulis sicut dictum est, aduersarij se cinxerant, quod nostri ad eos intrare non poterant, licet ardentissime affectarent. Illud quoque adiiciendum est, quod seruientes nostri ad hostium oculos, cotidie equos nostrorum longe à castro ad dimidiam leugam ad aquandum ducebant, vineas etiam quæ erant prope exercitum pedites nostri, videntibus & inuidentibus aduersariis cotidie vindemiabant, erat enim tempus vindemiarum. Quadam autem die, pessimus ille traditor Comes Fuxi & filius eius Rogerius Bernardi, non impar malitia & magna pars exercitus, venientes prope castrum voluerunt impugnare nostros, qui pro foribus castri armati stabant. Videntes autem nostri illos appropinquare cum maxima ipsos impetentes, ipsumque filium Comitis Fuxi & plures alios de equis præcipitantes, ad sua cum confusione tentoria redire compulerunt. Et quia non possemus omnes insultus & euentus illius obsidionis ad plenum exprimere, istud breuiter asserimus, quod quotiescumque aduersarij ad nostros accedere ausi sunt, causa alicuius impetus faciendi, nostri tota die, ante portas foris castrum manebant, bellum desiderantes, ipsos cum maxima eorum erubescentia in sua tentoria reduxerunt. Cum hæc aguntur, vicina castra per circuitum recesserunt à dominio Comitis nostri & reddiderunt se Comiti Tholosano. Die quadam illi de Cabareto, miserunt ad Comitem Tholosæ & mandauerunt ei, vt veniret vel mitteret ad eos, & ipsi statim ei reddiderunt Cabaretum: castrum autem Cabareti, distabat à castro nouo quinque

C leugis. Nocte igitur quadam mouentes aduersariorum plurimi à castris suis missi à Comite Tholosano, cœperunt ire vt acciperent Cabaretum, cum autem essent hostes nostri in itinere, diuina disponente clementia, viam quæ ducebat Cabaretum perdiderunt, & diutius deuiantes per inuia, ad sæpedictum castrum Cabareti peruenire nequiuerunt, sicque post longas vagationes, ad castra vnde exierant sunt reuersi. Interea erigi fecit Comes Tholosæ machinam quæ dicitur Mangonellus cœpitque iacere Mangonellus in castrum, sed obfuit nostris in modico aut in nullo. Post aliquot autem dies parari fecit Comes Tholosanus machinam quandam miræ magnitudinis, ad diruendum murum castri, iaciebantur autem in machina illa maximi lapides, & quidquid contingere poterant diruebant. Cum iecissent autem hostes in machina præfata per multos dies accessit ad Comitem Tholosæ quidam suus iaculator & dixit ei, vt quid in machina illa tot & tanta expenditis, vt quid muros castri huius destruere satagitis, nonne videtis cotidie, quod vsque ad tentoria nostra veniunt hostes nostri, & exire non audetis? certe deberetis velle quod ferreus esset murus, vt ad nos accedere non valerent: contingebat siquidem in illa obsidione præter solitum res mirabilis, quia cum obsidentes obsessos soleant impugnare, obsessi nostri iure contrario, suos impetebant crebrius obsessores, nostri præterea aduersarios deridebant in hæc verba. Cur in machina vestra & tanta & tot expenditis, in duruendo diutius laboratis, credite nobis, nos ab expensa vobis parcemus, nos expediemus vos à labore, viginti solummodo marchas nobis date & nos ipsius muri centum cubitos in longitudine funditus diruentes, terræ faciemus adæquari, ita vt si ausi fueritis, no-

Facetum & salsum vrbani hominis dictum.

nobstante muro ad nos libere transeatis. O virtus animi. O fortissimũ robur mentis. A
Die quadam exiens Comes noster à castro, tendebat vt discinderet machinam supradictam: aduersarij autem tot circa machinam illam fecerant repagula fossataque, quod nostri ad eam pertingere nequiuerunt: vir autem fortissimus, Comes videlicet noster, sedens in equo, fossatum quoddam amplissimum & profundum transire voluit, & in suos irruere audacius inimicos, quod videntes quidam de nostris, discrimenque ineuitabile, si Comes istud faceret attendentes, arripientes ipsum per frenum, tenuerunt ne se morti exponeret imminenti, quo facto omnes nostri, nullo de suis amisso, ad castrum redierunt, pluribus de aduersariis interfectis. Rebus sic se habentibus, misit Comes noster Marescallum suum Guidonem de leuis virum fidelem & armis strenuum vt à fano Iouis & Carcassonæ faceret victualia deferri ad Comitem, hominibus etiam Carcassonensibus & Biterrensibus præciperet, vt ad Comitis auxilium festinarent, sed cum nihil proficere posset, omnis quippe terra corruperat viam suam, ad Comitem remeauit: Comes iterum remisit eum, & cum eo virum nobilem Mathæum de Marliaco fratrem Buchardi: qui venientes ad homines terræ Comitis, iterum atque iterum rogauerunt vt ad Comitem veniret, minas precibus adiicientes: sed cum peruersi homines & iam vacillantes, nolentes eos audire, etiam tunc Aimericum dominum Narbonæ & ciues Narbonenses adierunt, rogantes & B
monentes, vt ad adiuuandum Comitem festinarent: responderunt ciues Narbonenses & dixerunt Marescallo, quod si Aimericus dominus eorum iret cum eis, ipsi eum sequerentur, ipse vero nullomodo vt pote vir multum argutissimus, potuit ad hoc induci. Exeuntes autem dicti milites nostri à Narbona, de tam populosa ciuitate, vix trecentos homines extraxerunt, & cum venissent Carcassonam, de tota terra illa non potuerunt habere homines plusquam quingentos, quos cum vellent ducere ad Comitem, illi nullomodo voluerunt, sed omnes statim ad propria refugerunt. Interea perfidissimus Comes Fuxi, quoddam castrum quod erat Buchardi de Marliaco prope Castrum nouum à parte orientali versus Carcassonam, quod S. Martinus dicitur, & quasdam alias munitiones in circuitu occupauerat & munierat contra nostros. Comes autem mandauerat Buchardo de Marliaco & Martino algais, qui erant cum Comitissa apud Vaurum, vt venirent ad castrum nouum. Iste Martinus miles erat Hispanus, quondam ex nostris, sed quam pessime postea se habuit in sequentibus ostendetur.

Comes Fuxensis arcem sancti Martini occupat.

Acerrimo conflictu, illustrique victoria, cruce-signati Fuxi Comitem ad arcem sancti Martini profligant.

CAPVT LVII.

ERAT autem cum Comite nostro miles quidam Carcassonensis de Monte regali Guillelmus cognomine catus, cui dominus Comes terram dederat, ipsumque militem fecerat, quem in tanta familiaritate habebat, quod filiam ipsius Comitis dictus Guillelmus leuauerat de sacro fonte, Comes siquidem & Comitissa & omnes nostri, de ipso super omnes indigenas confidebant, adeo quod dominus Comes, proprium suum primogenitum ipsi tradidit aliquando custodiendum, miserat autem comes à castro nouo, ad fanum Iouis, vt homines de castris vicinis in auxilium Comitis adduceret ad castrum nouum, sed iste omni hoste deterior, omnium pessimus traditorum, ingratus beneficiis, oblitus amoris, associatis sibi aliquibus indigenis, pari crudelitatis affectu, in tantam nequitiã pariter cõsenserunt, vt Marescallum prædictum & socios eius redeuntes à Carcassona, caperent & traderent in manus Comitis Fuxensis. O iniquum proditionis genus, ô pestis dura, ô crudelitatis artificium, ô adinuentio diabolica: innotuit autem Marescallo prædicto, & ab insidiis declinauit. Nec prætereundum quod plures homines terræ illius, aliqui etiam Abbates qui castra multa habebant, recesserunt tunc à Comite nostro, & iurauerunt fidelitatem Comiti Tolosano. O iuramentum execrabile, ô infedelitas infidilis. Interea Buchardus de Marliaco, & Martinus algais & quidam alij milites Comitis nostri venientes à castro Vauri, & ad auxiliũ Comitis properantes, venerunt Saxiacum castrum Buchardi, quia non audebãt venire recta via, à Vauro ad castrum nouum. Die autem præcedẽti ingressum eorum in castrum nouum, Comes Fuxi qui eorum aduentum præsciebat, C

exiens

A exiens ierat ad castrum supradictũ, quod dicitur S. Martinus, per quod milites nostri debebant transire, vt impugnaret eos. Nobilis vero Comes noster istud sciens, Guidonẽ de Luceio, Castellanũ de Malpha, Vicecomitẽ Donges militesque alios vsque ad quadraginta, misit suis in exilium, & mandauit quod in crastino sine dubio, contra prædictum Comitem Fuxi, pugnam essent habituri. Missis illis militibus, non remanserunt cum Comite inter milites & armigeros in equis amplius quam sexaginta. Videns autem Comes Fuxi quod Comes noster misisset suis in auxilium, recedens à castro S. Martini rediit ad exercitum vt inde assumens armatos, secum rediret ad impugnandum Mareschallum & eos qui cum eo manebant. Interea Comes noster, Guillelmum catum & milites indigenas qui cum eo in castro nouo erant allocutus est in hunc modum. Ecce inquit fratres charissimi Comes Tholosæ & Comes Fuxi, viri potentes cum infinita multitudine sanguinem meum quærunt, ego autem sum in medio hostium quasi solus, rogo vos pro Deo, quatinus si timore vel amore ducti, vultis ire ad eos & à me recedere, non celetis, & ego sanos & saluos vsque ad ipsos faciam vos conduci. O nobilitas viri. O excellentia principis? respondens autem alter iudas, Guillelmus videlicet catus dixit, absit, domine mi, absit vt à vobis recedamus, etenim & si omnes vos reliquerint, vsque ad mortem vobiscum perseuerabo. Similiter autem & omnes dixerunt sed non multo post, dictus traditor, cum quibusdam sociis suis recessit à Comite, factus de familiarissimo, crudelissimus persequutor. his ita gestis, Marescallus & Buchardus de Marliaco, & qui cum ipso erant summo manè, audita missa, facta confessione & communione dominici corporis suscepta, ascensis equis ad Comitem dirigunt iter suum. Comes autem Fuxensis, sentiens eos venire, accepta secum de melioribus exercitus totius innumera multitudine equitum armatorum, pluribusque etiam milibus peditum electorum, pugnaturus contra nostros obuiam properauit, fecerat autem idem Comes tres turmas: Comes autem noster qui erat illa die ante foras castri noui, & aduentum suorum sollicitus expectabat, videns quod Comes Fuxi ad dimicandum contra eos properaret, illos qui secum erant consuluit quid facere tunc deberent, diuersis diuersa sentientibus, dicentibus quibusdam ipsum debere ad custodiam castri remanere, aliis è contrario dicentibus vt ad auxiliandum suis militibus properaret, vir indefessæ virtutis, vir probitatis inuictæ dixisse perhibetur: paucissimi in castro isto remansimus, totumque Christi negotium pendet ex hoc bello, absit vt milites nostri moriantur in prælio gloriosi, ego viuus & ignominosus euadam, volo vincere cum meis vel cum meis mori, eamus & nos, & si necesse fuerit moriamur cum illis, quis inter hæc se à lachrimis contineret, sic fatur lacrymans, statimque suis properat in succursum. Comes autem Fuxi vt appropinquauit nostris, tres turmas quas fecerat in vnam redegit. Hic adiiciendum, quod Episcopus Caturcensis & quidam monachus Cisterciensis qui de mandato Abbatis Cistercij, de negotio Iesu Christi curam gerebant, veniebant cum Marescallo, qui videntes hostes venientes, bellumque imminere, cœperunt hortari nostros, vt viriliter se haberent, promittentes firmissime, quod si tam glorioso certamine pro fide occumberent Christiana, remissionem adepti peccatorum, omni statim gloria & honore coronati, mercedem reciperent sui certaminis & laboris. Strenuissimi autem milites nostri, certi quidem de præmio, sed & bonam de reportanda victoria spem habentes, hilares & intrepidi hostibus occurrebant: illi autem veniebant in vnum conglobati: ordinauerunt autem ipsi aduersarij aciem suam: illi qui in equis sedebant, ferro coopertis incedebant medij: reliqui autem equites ex vna parte, pedites vero ex altera optime muniti: habito igitur nostri inter se consilio, quod illos qui habebant equos coopertos prius impeterent. Dum hæc fierent, aspiciebant nostri à longe, viderunt Comitem nostrum exeuntem à castro nouo, & in eorum auxilium properantem: statim duplicata audacia, animosiores effecti, inuocato Christo in hostes se medios immiserunt, ipsosque dicto citius penetrarunt: illi autem, victi in momento & confusi, fugæ præsidia arripuerunt, quod videntes nostri, statim ad pedites qui stabant à parte altera se vertentes, de illis innumerabiles occiderunt. Nec silendum, quod sicut Marescallus veridica relatione asseruit, contra vnumquemque ex nostris, erant hostes plusquam triginta, agnoscatur igitur operata diuinitas, non enim potuit Comes noster bello interesse, quamuis sub festinatione maxima adueniret, iam enim suis militibus, victoriam dederat victor Christus. Insequentibus igitur nostris

Liberrima Comitis Mon-fortij ad milites oratio.

Veterum militum summa pietas & deuotio, quæ hodie plane refrixit.

Comes Mõfortius, corda virum fouet hortando reuocatque vigorem militibus.

Victoria non in hominum multitudine posita est, sed dignis hanc Deus concedit.

fugientes aduersarios & extremos quosque cædentibus, facta est hostium strages magna: de nostris autem non occubuerunt amplius quam triginta, cum de inimicis innumerabiles fuerint interfecti. Nec prætereundum, quod Martinus Algais de quo supra tetigimus, in primo insultu de bello resiliens fugere cœpit: quem venerabilis Episcopus Caturcensis, qui prope erat fugientem videns, & quid factum esset requirens, mortui, inquit ille, sumus omnes, quod vir Catholicus non credens, ipsumque durius obiurgans, redire compulit ad certamen. Prætereundum etiam non est, quod fugientes hostes præ timore mortis, exclamabant fortiter, Mons-fortis, Mons-fortis, vt sic se fingerent esse de nostris, & manus persequentium euaderent arte tali. Nostri vero artem istam, arte alia deludebant: cum enim audiret aliquis de nostris, quempiam hostium exclamare Mons-fortis præ timore, dicebat ei. Si noster es occide istum fugientem, demonstrato videlicet de fugientibus, at ille timore ductus suum socium occidebat, sed ille qui socium occiderat, occidebatur, mercedem recipiens fraudis suæ & sceleris à nostris. O res mirabilis & inaudita, qui enim causa occidendi nostros ad bellum accesserant, iusto Dei iudicio, suosmetipsos occidentes nobis famulabantur licet inuiti. Postquam nostri hostes diutius fugauerant & occiderant infinitos, stetit Comes in medio campo, vt suos qui insequentes hostes circumquaque dispersi erant, recolligentes congregaret. Interea ille apostatarum omnium præcipuus, Sauaricus videlicet de Malleone & magna multitudo armatorum, egressi à loco castrorum, ad foras accesserant castri noui, ibique stantes cum magna superbia, eleuatis vexillis, belli exitum expectabant, plurimi etiam ex ipsis inferius burgum intrantes, cœperunt acrius impugnare illos qui in castro remanserant, quinque videlicet solummodo milites & paucissimos seruientes, sed quamuis essent paucissimi, infinitos hostes armis & balistis munitissimos, de ipso burgo repellentes, se strenuissime defendebant. Videns igitur dictus proditor Sauaricus videlicet, nostros in campo belli obtinuisse victoriam, cernensque quod illi qui erant cum eo, castrum capere non potuissent, recollectis suis, confusus ad tentoria remeauit. Comes autem noster & qui cum eo erant, à campo reportata victoria reuertentes, in ipsa tentoria aduersariorum irrumpere noluerunt. O inuicti milites. O Christi tyrones, sicut iam supradictum est, hostes tot se repagulis concluserant & fossatis, quod nostri nisi de equis descenderent, ad eos accedere non valebant: quod cum Comes facere festinaret, consuluerunt quidam, vt differret in diem alteram, eo quod recentes essent hostes, nostri vero prælio fatigati: acquieuit Comes vt pote qui omnia agens cum consilio & semper, in his obtemperare voluit. Rediens igitur in castrum vir nobilis, sciens quia Dei esse virtutem, Dei esse victoriam, descendens de equo in ipso introitu castri noui, nudus pedes ad Ecclesiam perrexit, omnipotenti Deo pro collatis beneficiis gratias repensurus, in qua Ecclesia decantantes nostri cum deuotione & exultatione maxima, *Te Deum laudamus*, in hymnis & confessionibus benedicebant dominum qui magna fecit in populo suo, & victoriam de suis contulit inimicis. Non credimus autem prætereundum quoddam miraculum, quod contigit ipso tempore, in quadam Abbatia Ordinis Cisterciensis, quæ est in territorio Tholosano & dicitur Grandissylua. Monachi domus illius in magna afflictione positi erant, quia si nobilis Comes Montis-fortis caperetur in castro nouo, vel occumberet in bello imminebat eis mors & gladius: Comes siquidem Tholosanus & complices sui, super omnes, exosos habebant monachos Cisterciensis Ordinis, & præcipue domum illam, eo quod Abbas Cisterciensis Arnaldus Apost. sedis legatus, cui exhæredationem suam præ cæteris imputabant, Abbas fuerat domus illius. Quadam itaque die dum quidam monachus dictæ domus vir religiosus & sanctus, celebraret diuina, in ipsa Eucharistiæ consecratione, ex intima cordis deuotione, pro dicto Comite Montis-fortis, qui tunc temporis in dicto castro nouo obsessus erat supplicauit: ad quem vox diuina. Quid pro eo oras? tot pro ipso sunt orantes, quod oratione tua non est opus.

Fallite fallentes, sic ars deluditur arte.

Gratia Deo ob victoriam aguntur.

Vox cœlitus missa, ad religiosum sacris operantem.

A B C

Castrum

A

Castrum nouum obsidione liberatur.

CAPVT LVIII.

INTEREA Comes Fuxi, nouum proditionis artificium adinuenit, imitans videlicet patrem suum diabolum, qui cum in vno fuerit superatus, ad alia nocendi conuertitur argumenta. misit igitur nuncios suos longe lateque per castella, qui Comitem Montis-fortis in bello superatum assererent, quidam etiam excoriatum dicerent & suspensum, qua de causa reddiderunt se id temporis aduersariis nostris. In crastino vero gloriosæ victoriæ, consuluerunt Comiti nostro milites sui vt exiret de castro nouo, quosdam de suis dimittens ibi, pergensque per terram suam, homines quos posset adunaret. Exiens igitur Comes de castro nouo perrexit Narbonam: veniebant autem de Francia tunc peregrini, Alanus videlicet de Rociaco vir multæ probitatis, & quidam alij sed pauci. Comes autem Tholosæ & qui cum ipso erant, videntes, quod nihil in obsidione castri noui proficerent, per aliquot dies combusta machina sua, cum magna confusione ad propria sunt reuersi. Nec silendum quod non fuerunt ausi egredi de castris suis, donec agnouerunt Comitem nostrum à castro exisse. Dum igitur esset Comes noster apud Narbonam, haberetque secum supradictos peregrinos, plures etiam congregasset de hominibus indigenis, vt rediens pugnaret contra Comitem Tholosanum & eos qui cum eo erant, nuntiatum est ei quod Comes dictus & sui recesserant ab obsidione castri noui, Comes autem noster dimissis indigenis quos adunauerat, peregrinos tantum ducens secum, rediit ad castrum nouum, & proposuit quod omnes in circuitu munitiones quæ ab eius dominio recesserant funditus euerteret. Quod dum fieret, nuntiatum est ei, quoddam castrum nomine Constantianum versus Termas ab eius iurisdictione resilisse, & se inimicis fidei reddidisse, quo audito statim properauit Comes vt castrum illud obsideret: quod castrum cum per aliquot dies impugnasset, videntes qui intus erant, quod non poterant resistere, se & castrum Comiti reddiderunt, vt suam de ipsis faceret per omnia voluntatem, quo facto rediit Comes ad castrum nouum: statim nunciatur Comiti nostro quod homines castri, quod dicitur Mons-acutus in diœcesi Albiensi, reddiderant se Comiti Tholosano, munitionesque castri & eos quos Comes noster in eo custodiendo posuerat, impugnabant, properauit Comes noster, sed antequam posset peruenire, illi qui erant in munitione prædicta, iam reddiderant aduersariis munitionem. Quid plura? omnia in circuitu castra nobilissima & fortissima exceptis duobus paucissimis, tunc quasi in vno die reddiderunt se Comiti Tholosano. Nomina autem castrorum nobilium, quæ tunc temporis sunt amissa, sunt hæc, in Albiensi diœcesi. Rabasten, Mons-acutus, Galliacum, castrum de Graua, Cahusacum, S. Marcellus, Guespia, S. Antoninus. In diœcesi autem Tholosana, iam se reddiderant ante obsidionem castri noui, in ipso tempore obsidionis Podium Laurentij, Casser, S. Fœlix, Mons-ferrandus, Auinio, S. Michaël, Cuc & Sauerdunum: præterea perdita sunt alia castra minora, quæ non possemus per singula enarrare, dicuntur siquidem amplius quam quinquaginta. Quandam autem pessimam & inauditam traditionem quæ facta est tunc in castro de Grauis quod est in diœcesi Albiensi, non credimus prætermittendam. Nobilis Comes noster, cuidam militi Francigenæ castrum illud tradiderat: miles autem ille credebat se hominibus castri plusquam opus esset, illi autem de eius morte cogitabant. Quadam vero die, faciebat sæpedictus miles dolia sua refici à quodam carpentario dicti castri, & dum idem carpentarius vnum dolium refecisset, dixit præfato militi vt inspiceret & videret vtrum dolium esset bene reparatum, qui cum caput in dolium submisisset, carpentarius eleuata securi, caput illius amputauit. O crudelitas inaudita: Statim insurrexerunt homines castri, & paucos Francigenas qui erant in castro occiderunt, quod cum audisset nobilis Comes Balduinus, de quo supra tetigimus, frater Comitis Tholosani, quadam die summo diluculo venit ante castrum, at illi exeuntes obuiam, putantes quod ipse esset Comes Tholosæ, eo quod similia arma portaret, introduxerunt eum in castrum, & lætabundi & gaudentes, crudelitatem quam fecerant narrauerunt: ille autem cum

Falsus rumor spargitur de Mon-fortio Comite in prælio victo.

B

Arx Constantiana hæreticis deditur.

C

Grauiensi arci prefectus miles incautus obtruncatur.

armata multitudine in eos insiliens, ferè omnes à minimo vsque ad maximum interfecit. Videns Comes noster, quod tot & tanta castra amisisset, venit Apamias, vt castrum illud muniret, & cum ibi moraretur, mandauit ei Comes Fuxi, quod si solummodo quatuor dies expectaret, veniret ipse & pugnaret contra ipsum. Comes autem noster remandauit ei, quod non solummodo quatuor dies, imo plusquam decem apud Apamias expectaret, Comes autem Fuxi non fuit ausus venire: insuper milites nostri, etiam sine Comite nostro, terram Fuxensem intrauerunt, & quoddam castrum dicti Comitis destruxerunt. Post hæc reuersus est Comes noster versus Fanum Iouis, misitque castellanum de Malfa, & Gaufridum fratrem eius milites strenuos cum aliis paucissimis ad quoddam castrum, vt facerent deferri bladum à castro ad Fanum Iouis, ad muniendum castrum ipsum, qui cum redirent à castro prædicto, filius Comitis Fuxi, à patris nequitia non degenerans, posuit se in insidiis iuxta viam per quam dicti milites venire debebant, habebat autem traditor ille secum armatorum multitudinem copiosam. Transeuntibus autem nostris surgentes hostes de insidiis, aggressi sunt eos, circumdantesque dictum Gaufridum, ipsum vndique infestabant. Ille autem vt pote miles optimus, se viriliter defendebat, habebat vero paucissimos adiutores: cum ergo equum suum iam amisisset, & esset iam in suprema necessitate, dicebant ei hostes vt se redderet: vir autem miræ probitatis, tale fertur dedisse responsum: Christo inquit, me reddidi, absit vt eius me reddam inimicis, sicque inter hostium ictus, gloriosum vt credimus, spiritum exhalauit. Occubuit etiam cum eo quidam strenuissimus iuuenis cognatus dicti Gaufridi & alij pauci, miles quidam vero nomine Droco, viuum se reddidit, quem Comes Fuxi detinuit incarceratum, Castellanus autem de Malfa viuus euadens, amissis fratre & cognato, gemebundus ad castrum à quo recesserant remeauit. Post hæc reuertentes nostri ad locum, & tollentes corpora occisorum sepelierunt ea in quadam Abbatia Ord. Cisterciensis quæ dicebatur Bolbonia. Tempore illo Guillelmus venerabilis Archidiaconus Parisiensis, & quidam alius magister Iacobus de vitriaco, de mandato & ad preces Episcopi Vticensis, quem Dominus Papa pro negotio fidei, contra hæreticos legatum præfecerat, qui etiam ipsum negotium diligebat, & efficaciter promouebat, prædicationis officium assumpserunt, qui zelo fidei succensi, Franciam imo Alemaniam circumeuntes, tota hyeme illa, incredibilem fidelium multitudinem, ad Christi militiam signo crucis in pectoribus signauerunt, isti siquidem duo, præcipue post Deum, fidei negotium in partibus Gallicanis & Teutonicis promouerunt.

G. Paris. Archidiaconus & M. I. de Vitriaco, crucidem contra Albigenses fæliciter ad modum successu prædicant.

B

R. Maluicinus centum stipatus militibus ex Gallia, Mon-fortio Comiti suppetias venit.

CAPVT LIX.

C

Rebvs sic se habentibus, ille nobilissimus militum, ille Christi seruus, ille Iesu negotij amator præcipuus & promotor Robertus videlicet malus vicinus, qui præcedenti ætate perrexerat in Franciam, redibat habens secum de electis militibus Franciæ plusquam centum, qui omnes ducem suum fecerant & magistrum. Hi omnes admonitionibus virorum venerabilium, Episcopi videlicet Tholosani & Abbatis vallium signati, accinxerant se ad militiam Iesu-Christi, qui tota hyeme illa, in seruitio Iesu-Christi perseuerantes, supradictum negotium, quod in multa depressione tunc erat nobiliter erexerunt. Audiens Comes dictos milites aduenire, iuit obuiam eis vsque Carcassonam, quo cum peruenisset, fit exultatio incredibilis inter nostros, fit gaudium magnum valde: inde venit Comes cum dictis militibus, vsque ad Fanum Iouis. Ipso tempore Comes Fuxi, obsederat quoddam castrum cuiusdam militis indigenæ nomine Guillelmi Daura, qui Comiti nostro adhærens, ipsum quantum poterat adiuuabat. Erat autem castrum illud, prope terram Comitis Fuxi, & vocabatur Carun: Comes autem Fuxi, iam illud castrum, impugnauerat per 15. dies. Mouentes igitur nostri à Fano-Iouis properabant vt Comitem Fuxi amouerent ab obsidione dicti castri. Comes autem ille, audiens nostros aduenire, relictis ibi machinis suis, cum magna confusione fugiens, ab obsidione recessit:

A recessit : nostri vero per aliquot dies, deuastantes terram eius, quatuor de castellis eius destruxerunt. Inde redeuntes ad Fanum Iouis, properauerant vt obsiderent quoddam castrum in Tholosana diœcesi, quod dicitur Pomaireda, quod castrum cum per aliquot dies impugnassent, quodam die facto insultu, fossatum castri vi impleuerunt, sed nocte superueniente, non cœperunt castrum ipsa die, videntes autem qui in castro erant quod quasi capti erant, media nocte perforantes murum, clanculo aufugerunt, quo facto statim nunciatur Comiti, quod castrum quoddam nomine Albedunum in diœcesi Narbonensi, ab eius dominio recessisset, quo dum pergeret Comes, dominus castri venit obuiam ei, & se & castrum, eius tradidit voluntati.

Castella 4. Comitis Fuxi à Catholicis direpta & deuastata.

Venit Guido de Monte-forti ad Comitem Montis-fortis fratrem suum de vltramarinis partibus, cuius aduentu mirifice exultat Comes.

CAPVT LX.

B HIs gestis venit Comes ad illud nobile castrum in diœcesi Albigensi, quod dicitur Castra, vbi dum moraretur, & ageretur festum Dominicæ Natiuitatis, venit ad ipsum Guido frater eius germanus, rediens à partibus transmarinis. Iste Guido frater Comitis cum ipso ierat vltra mare, sed redeunte Comite, remansit iste Guido in partibus transmarinis, quia duxerat ibi vxorem nobilissimam de regio semine, quæ erat domina Sydonis, quæ etiam veniebat cum eo, cum filiis suis, quos de ipso Guidone susceperat. Nec silendum quod dum veniret dictus Guido ad Comitem, quædam castella in territorio Albiensi quæ resilierant à dominio Comitis sæpememorati, Guidoni se reddiderunt, quanta autem in aduentu fratris fuerit Comitis & nostrorum exultatio, non est qui posset explicare. Post paucos autem dies, properauerunt nostri, ad obsidendum quoddam castrum in Albiensi diœcesi, quod dicitur Tudelle, & erat patris Giraldi de Pepios illius pessimi traditoris. Impugnantes autem nostri castrum, post paucos dies illud cœperunt, & fere omnes in ore gladij interfecerunt, solummodo pater Giraldi vnus euasit, quem Comes reddidit pro quodam milite, quem Comes Fuxi tenebat in vinculis nomine Drocone de compenso consanguineo Roberti maluicini. Post hæc properauit Comes nobilis, vt obsideret quoddam castrum quod dicitur Cahusacum in territorio Albiensi, vbi cum media hyeme, præter solitum esset in obsidione, & paucissimos haberet secum, per multos labores & angustias cœpit illud castrum. Comes autem Tholosæ & Comes Comingensis, & Comes Fuxi cum infinita multitudine, congregati C erant apud quoddam castrum proximum nomine Galliacum, miseruntque nuncios ad Comitem nostrum, mandantes quod venirent ad impugnandum eum. Hoc autem dicebant, vt si possent terrere Comitem nostrum, suam forte dimitteret obsidionem. Miserunt semel, miserunt iterum, & tamen non sunt ausi venire, videns autem Comes, quod non venirent, dixit suis, ex quo non veniunt certe ego ibo & visitabo illos, & accipiens secum armatos de suis, properare cœpit tendens versus Galliacum, cum paucis ibat spirans & anhelans bellum. Quod audiens Comes Tholosæ & qui cum eo erant, exeuntes à Galliaco, fugerunt versus quoddam castrum proximum, nomine Montem-acutum. Comes autem noster sequutus est eos, vsque ad castrum illud, quod videntes illi inde fugerunt, at illi egressi à castro illo, fugerunt versus Tholosam. Videns igitur Comes noster, quod non auderent eum expectare, ad castrum vnde venerat remeauit. His ita rite peractis, misit dominus Comes ad Abbatem Cisterciensem qui erat apud Albiam, quærens ab eo quid facto opus esset. Consilium autem Abbatis fuit, vt Comes obsideret castrum illud S. Marcelli, quod prope Albiam ad tres leugas situm erat. Comes vero Tholosæ, cuidam pessimo traditori Geraldo de Pepios, commiserat castrum illud. Venientes igitur nostri ad castrum, tantum ab vna parte obsederunt illud : erant siquidem paucissimi, castrum vero magnum & fortissimum. Statim certa machina nostri cœperunt fortiter impugnare. Post aliquot vero dies Comes Tholosæ & Comes Comigensis & Comes Fuxi, cum incredibili multitudine venientes, intrauerunt castrum vt illud defenderent contra nostros : & quia castrum licet amplum, non potuit ca-

Obsidio Cahusaci.

Obsidio S. Marcelli.

pere tantam multitudinem, fixerunt tentoria sua plurimi hostium ex alia parte castri: quo facto, nostri ab expugnatione castri non desistebant, aduersarij se quantum poterant defendebant: O res mirabilis & stupenda, cum obsidentes soleant obsessos numero & fortitudine superare, obsessi ferme in decuplo plures erant quam obsidentes: non enim erant nostri amplius quam centum milites, cum hostes essent amplius quam quingenti: habebant præterea dicti Comites, innumerabilem peditum multitudinem, nostri vero habebant pedites nullos aut paucissimos. O grande factum. O nouitas inexperta: nec silendum quod quotiescumque aduersarij exire ausi sunt aduersus nostros, statim à nostris cum virtute maxima sunt repulsi. Quodam denique die Comes Fuxi, cum multis exiens de castro veniebat vt nostram petrariam debilitaret, quod videntes seruientes nostri, ipsosque solo iactu lapidum viriliter repellentes, antequam milites nostri armari potuissent, in castrum recluserunt. Facta est autem caristia magna in exercitu, non enim poterant nostri habere victualia, nisi ab Albia: aduersarij præterea nostri cum maxima multitudine exeuntes, ita stratas publicas obseruabant, quod illi de Albia non audebant venire ad exercitum, nisi Comes dimidium gentis suæ mitteret pro conductu. Peracto igitur in obsidione illa mense vno, sciens Comes quod si paucos milites quos habebat diuideret, dimidiam partem secum retinens, dimidiam pro victualibus mittens, exeuntes aduersarij qui infiniti erant, hos vel illos expugnarent: tam euidenti necessitate compellente perplexus, postquam per plures dies panis in exercitu defecerat, ab obsidione recessit. Nec prætermittendum, quod cum Comes ipsa die parasceues, vt pote totus Catholicus, & diuino seruitio mancipatus, in pampilione suo, Dominicæ passionis officium faceret solemniter celebrari, audientes aduersarij clericos nostros cantantes, in subsannationem & derisum, ascendentes muros, vlulatum teterrimum emittebant. O peruersa infidelitas. O infidelis peruersitas: si quis autem diligenter consideret, ampliorem in ista obsidione honorem & gloriam consecutus est Comes noster, quam vnquam fuerat, in alicuius castri licet fortissimi captione: ab illo siquidem tempore & deinceps, eius probitas magna emicuit, constantia plus refulsit. Nec silendum quod cum Comes noster à castro recederet sæpedicto, aduersarij licet infiniti, non sunt ausi exire, vt nostros recedentes aliquantulum impugnarent. Miraculum quod contigit ipso tempore, in diœcesi Rutenensi, nolumus præterire. Prædicabat namque quadam die Dominica in quodam castro Abbas quidam de Bonaualle, Ordinis Cistерciensis, Ecclesia autem modica erat, & non poterat capere populum qui aderat: qua de causa egressi erant omnes, & ante foras Ecclesiæ, prædicationem Abbatis audiebant: circa finem vero prædicationis, cum venerabilis Abbas vellet hortari populum qui aderat, super assumendis crucibus contra Albigenses, subito videntibus cunctis apparuit crux in aëre quæ versus partes Tholosanas tendere videbatur. Miraculum istud audiui ab ore dicti Abbatis, viri religiosi & grandis auctoritatis. Recedens Comes ad obsidione S. Marcelli, ipsa die scilicet in vigilia Paschæ, venit Albiam, actum ibi festum Dominicæ Resurrectionis. Aduenerat autem ibi à Francia, venerabilis Abbas Vallium de quo supra fecimus mentionem: erat enim electus in Episcopum Carcassonensem, quem cum Comes & milites nostri in prædicta reperissent ciuitate, gauisi sunt valde, omnes enim ipsum affectu præcipuo diligebant: erat etiam à multis annis familiarissimus Comiti, idem insuper Comes, quasi ab infantia, eius consiliis se subdiderat, ad eius se habuerat voluntatem. Ipso etiam tempore electus fuerat Abbas Cistercij Arnaldus, de quo sæpe fecimus mentionem in Archiepiscopum Narbonensem. Ipsa die Paschæ, exiens Comes Tholosæ, & qui cum eo erant à castro S. Marcelli, venerunt Galliacum quod tribus leugis distat ab Albia. Cogitans autem Comes noster ne forte gloriarentur aduersarij, se vicisse nostros, volensque palam ostendere, quod à facie eorum non timebat, in crastino paschæ, exiens ab Albia cum suis, iuit Galliacum, suos inuitans ad prælium inimicos. Et cum illi non essent ausi egredi aduersus eum, ipse Albiam remeauit. Electus autem Carcassonensium, de quo supra tetigimus, erat in ciuitate illa, & ego cum eo, me enim adduxerat secum de Francia, ob solatium suum in terra aliena peregrinus, cum essem monachus & nepos ipsius.

Comitis Mon-fortij eximia pietas & in Deum deuotio.

Crux ingens in cœlo apparet & cernitur.

Abbates duo Cistercij, nempe Archiepiscopus Narbonensis, & Guido vallis-Sarnensis Carcassonensis Episcopus, cuius nepos erat Petrus huius historiæ scriptor, creantur.

A B C

A

Obsidio Alti pulli, & expugnatio fortissima atque captio gloriosa.

CAPVT LXI.

PERACTIS apud Albiam aliquot diebus, perrexit Comes cum suis ad castrum quod dicitur Castra, vbi cum fecissemus paucos dies, habito Comes consilio, proposuit Comes obsidere quoddam castrum inter castra & Cabaretum, quod dicitur Altus-pullus; castrum siquidem illud, circa tempus obsidionis castri noui, reddiderat se Comiti Tholosano. Exeuntes igitur à castris quadam die dominica, scilicet in quindenna paschæ, venimus ante castrum prædictum, hostes autem qui ad defendendum intrauerant castrum illud, cuius suburbia magna, exeuntes aduersus nostros, cœperunt eos acrius infestare nostri vero, mox illos in castrum retrudentes, à parte vna castri fixere tentoria, erant enim pauci. Castrum autem Alti pulli, in altissimi & arduissimi montis arduitate, super rupes maximas & quasi
B inaccessibiles situm erat, tantæ siquidem erat fortitudinis sicut ipse vidi oculis & experientia didici; quod si apertæ essent ianuæ castri, & nullus penitus resisteret, non posset quis sine graui difficultate ipsum castrum perambulare, & ad turrim ipsius pertingere. Præparantes igitur nostri petrariam vnam, ipsam die tertia aduentus sui erexerunt, & fecerunt iacere ad turrem castri. Eadem etiam die armauerunt se nostri milites, descendentesque in vallem ad pedes castri, voluerunt ascendere in castrum, si fortè illud capere possent per insultum. Factum est autem dum intrassent primum Burgum, ascendentes illi de castro super muros & domos, cœperunt ingentes lapides creberrimosque iacere super nostros. Alij autem in loco per quem nostri intrauerant ignem copiosum accenderunt: videntes igitur nostri quod nihil proficerent, eo quod hominibus quasi inaccessibilis esset locus ille, iactus etiam lapidum sustinere non possent, per medium ignem, non sine graui dispendio exierunt. Quadam autem die pessimam & crudelissimam traditionem quam fecerant illi de castro, non credimus prætermittendam. Erat autem cum Comite nostro, miles indigena cognatus cuiusdam traditoris, qui erat in castro, qui etiam ex parte dominus fuerat Cabareti. Mandauerunt igitur illi de castro Comiti nostro, vt mitteret ad eos dictum militem vt haberent cum eo colloquium de compositione, & per ipsum quod vellent, Comiti remandarent. Dum igitur accessisset ad eos de licentia Comitis miles prædictus, loquereturque cum eis in porta castri, quidam de illis de castro sagittam ictu balistæ dirigens, ipsum grauissime vulnerauit. O proditio crudelissima. Sed non multo post, scilicet ipso die vel in crastino, contigit
C iusto Dei iudicio, quod ille traditor, qui dictum militem nostrum cognatum suum, ad colloquium vocauerat, in eodem loco vbi vulneratus fuerat, in crure videlicet, ipse à quodam de nostris validissimum vulnus accepit. O iusta diuinæ vltionis mensura. Interea petraria nostra, ad turrem castri continue iaciebat. Die autem quarta ab initio obsidionis, post occasum solis, orta est spisissima nebula: illi de castro diuino timore correpti, nacta occasione apti temporis, exeuntes de castro fugere cœperunt, quod nostri percipientes, statim clamore facto, in castrum irruerunt, & quotquot inuenerunt de hostibus interfecerunt. Alij autem in ipsa obscurissima nocte, illos qui fugiebant insequuti, aliquos ex eis comprehenderunt: in crastino autem, fecit Comes castrum illud dirui & comburi: quibus gestis, milites qui venerant à Francia cum Roberto malouicino, sicut superius dictum est, & tota hyeme præcedēte fuerant cum Comite, recedentes ab eo fere omnes ad propria remearunt.

Insurgunt Narbonenses malitiose contra Almaricum filium Simonis Comitis.

CAPVT LXII.

SCELVS quoddam ciuium Narbonensium, quod ipso tempore perpetrarunt non credimus omittendum: ciues enim Narbonenses, homines erant pessimi, & nunquam dilexerant negotium Iesu Christi, licet per ipsum negotium, infinita

prouenissent eis bona. Quodam die Guido frater Comitis nostri, & primogenitus Comitis Almaricus Narbonam perrexerunt, & cum esset in ciuitate illa, dictus Almaricus, vt pote puer, causa spatiandi intrauit palatium Aimerici domini Narbonæ, palatium autem illud vetustum erat, & quasi in solitudinis desertum redactum. Cum igitur dictus Almaricus, quandam fenestram palatij manu tangeret, & vellet eam aperire, fenestra illa nimia vetustate consumpta, casu cecidit quo facto Almaricus, rediit ad domum Templariorum vbi tunc hospitabatur. Guido vero frater Comitis, hora illa erat in domo Archiepiscopi Narbonensis, & statim ciues Narbonenses quærentes occasionem ad faciendum malum, imposuerunt prædicto paruo filio videlicet Comitis, quod voluisset vi intrare palatium Aimerici: O modica sceleris perficiendi occasio, imo nulla. Statim armauerunt se ciues præfati, & currentes donec venirent ad locum vbi erat puer, in ipsam domum Templariorum irrumpere satagebant: videns autem puer, quia quærebant animam eius, armauit se & in quadam turre domus Templariorum se recipiens, à facie hostium se abscondit, at illi domum sæpedictam instantissime impugnabant: alij Francigenas quos in ciuitate reperiebant apprehendentes, plures occiderunt. O rabies iniquorum, duos etiam armigeros proprios Comitis interemerunt. Guido vero frater Comitis in domo Archiepiscopi erat hora illa, & egredi non audebat. Postquam vero dicti ciues diutius impugnauerant domum in qua erat Almaricus, tandem consilio cuiusdam ciuis Narbonensis, quieuerunt ab impugnatione illa, sicque puer de graui periculo liberatus, viuus per Dei gratiam & sanus euasit. Nunc ad id quod dimisimus reuertamur. Recedens Comes nobilis à castro Altipulli cum militibus paucissimis, intrauit terram Comitis Tholosani, post paucos autem dies, venerunt ad eum plures de Alemannia peregrini, cœperunt præterea de die in diem venire peregrini, qui vt supra diximus, ad prædicationem Guillelmi venerabilis Archidiaconi Parisiensis & M. Iacobi de vitriaco, crucesignati erant: & quia non possemus omnia sigillatim exprimere, quomodo videlicet misericors Deus à diebus illis, negotium suum cœpit mirabiliter promouere, hæc breuiter dicimus, quod Comes noster, in breuissimo tempore plura castra vi cœpit, multa etiam vacua inuenit. Nomina autem castrorum, quæ in fratres septimanas recuperauit Comes sunt ista. Castrum quod dicitur Cuc, Mons-Maurus, S. Felix, Casser, Mons-ferrandus, Auinio, S. Michaël, & alia multa. Dum autem esset exercitus apud castrum quod dicitur sanctus Michaël distabatque vna leuga à castro nouo, superuenit Episcopus Carcassonensis Guido, qui fuerat Abbas vallium & ego cum eo, ipse enim post captionem Altipuli, recesserat ab exercitu adhuc electus, & perrexerat Narbonam, vt cum Domino Abbate Cisterciensi, qui etiam erat electus in Archiepiscopum Narbonensem, consecrationis beneficium sortiretur. Destructo igitur funditus castro quod dicitur S. Michaël, proposuit Comes obsidere illud nobile castrum quod dicitur Podium Laurentij, quod etiam sicut supra diximus, anno præcedenti à dominio eius recesserat. Mouentes igitur & ad castrum illud tendentes, fiximus tentoria in loco prope Podium Laurentij, ad duas ferme leugas. Ipsa die superuenerunt peregrini, præpositus videlicet Coloniensis Ecclesiæ potens & nobilis, pluresque cum eo nobiles Alemanni: Comes autem Tholosæ erat apud Podium Laurentij cum suis ruptariis infinitis, verumtamen audiens nostros appropinquare, expectare non est ausus, sed cum velocitate exiens de castro, omnesque castri homines secum trahens, fugit versus Tholosam, castrum vacuum derelinquens. O vecordia hominis. O contemptibilis stupor montis. In crastino summo diluculo venientes ad castrum, & inuenientes ipsum vacuum vlterius processimus, & fiximus tentoria in quadam valle. Guido autem de Luceio, cui Comes iamdudum dederat castrum illud Podij-Laurentij, intrauit illud & gente sua muniuit. Exercitus autem moratus est duos dies prope castrum in quadam valle: ibi nuntiatum est Comiti nostro, quod peregrini multi & magni Rothomagensis videlicet Archiepiscopus Robertus, & electus Laudunensis Robertus, Guillelmus venerabilis Archidiaconus Parisiensis pluresque alij nobiles & ignobiles veniebant à Francia Carcassonam, videns autem Comes quod multum exercitum haberet secum, habito consilio, Guidonem fratrem suum & Guidonem Mareschallum misit obuiam dictis peregrinis Carcassonam, vt alium facientes exercitum per se, ad alias partes se verterent, Christi negotium promoturi. Comes autem mouens cœpit tendere apud castrum de Rabastenx:

Arces & castella intra septimanas à Comite recuperata.

Comes Raimundus abiecti & demissi animi.

A B C

A Rabastenx: vt autem prætermittentes superflua, ad magis vtilia attingamus, dicamus breuiter, quod illa tria castra nobilia, videlicet Rabastenx, Mons-acutus, Galliacum, de quibus sæpius fecimus mentionem, tunc quasi vno die sine obsidione & difficultate aliqua, se nostro Comiti reddiderunt. Audientes Burgenses castri, quod dicitur S. Marcellus, quod Comes noster, recuperatis pluribus castris, ad obsidendum eos properaret, timore ducti, miserunt ad eum supplicantes, vt eos in pace recipere dignaretur, & ipsi voluntati eius traderent castrum. Comes autem scelera eorum recogitans & peruersitates inauditas, nullo modo voluit componere cum eis, sed nuncios eorum ad ipsos remittens, mandauit quod pacem eius vel concordiam, nullo pondere vel pretio possent aliquando adipisci: quod audientes dicti homines, fugientes de castro suo, ipsum vacuum reliquerunt, ad quod cum venissemus, fecit illud Comes comburi, turrimque eius & omnes muros, terræ penitus adæquari: inde progredientes, venimus ad illud proximum castrum, quod Guespia dicebatur, quod cum inuenissemus vacuum, iussit Comes illud destrui & comburi, vnde proficiscens Comes, in vlteriora procedens perrexit vt obsideret S. Antoninum: Comes autem Tholosæ, dederat castrum illud, cuidam militi homini pessimo & peruerso. Factum est autem, dum

Castellum S. Marcelli penitus dirutum.

B pergeremus ad castrum illud, Episcopus Albiensis præcesserat nos, & venerat ad castrum sæpedictum, oblaturus pacem, moniturusque dictum militem vt nostro Comiti redderet castrum illud: ille autem vt pote superbissimus, cum magna indignatione respondit, sciat Comes Montis-fortis, quod Burdonarij nunquam poterunt capere castrum meum, Burdonarios autem vocabat peregrinos, eo quod baculos deferre solerent, quos lingua communi Burdones vocamus. Audiens hoc Comes, festinauit ad obsidionem castri sæpedicti. Quadam vero die dominica, in octauis videlicet Pentecostes, venimus ad castrum S. Antonini, illud obsessuri, & fiximus tentoria ex vna parte castri ante portas. Castrum autem illud nobilissimum, in valle quadam, ad pedes montis, in loco amœnissimo situm erat. Inter montem & castrum iuxta muros ipsius castri, perlucida fluebat aqua: ex alia autem parte castri, erat grata planicies, partemque illam nostri occupauerant obsessores. Exeuntes autem aduersarii à castro, cœperunt tota die nostros sagittis à longe infestare. Aduesperascente die, egressi hostes à castro, cœperunt aliquantulum progredi, nostrosque de longè aggredi, sagittas suas vsque ad tentoria dirigentes, quod videntes seruientes exercitus, & præ confusione diutius sustinere non valentes aggressi sunt aduersarios, ipsosque in castrum suum repellere cœperunt. Quid plura? fit clamor in exercitu, currunt peregrini pauperes & inermes, ipsoque Comite nostro & militibus exercitus nescientibus & inconsultis, castrum impugnare cœperunt, tantaque & tam incredibili & penitus inaudita probitate aduersarios impetebant, quod ex continuo iactu lapidum timorem mittentes in eos pariter & stu-

Obsidio castri S. Antonini.

C porem, abstulerunt eis in vnius horæ spatio tres fortissimas Barbacanas. O quasi sine ferro pugna. O victoria gloriosa. Testem enim inuoco Deum, quod post redditionem castri, intraui ipsum castrum, & vidi parietes domorum, quasi corrosos ex ictibus lapidum, quos nostri iecerant peregrini. Videntes autem illi de castro, quod amisissent Barbacanas, exeuntes à castro ex alia parte, per aquam fugere cœperunt, quod videntes peregrini nostri transierunt aquam illam, & quotque apprehendere potuerunt, in ore gladij peremerunt. Captis Barbacanis, peregrini nostri retraxerunt se ab insultu, iam enim inclinata die, nox imminebat. Circa mediam igitur noctem, videns dominus castri, quod amissis Barbacanis, quasi captum erat castrum, misit ad Comitem nostrum, quasi paratus reddere castrum, dummodo ipse posset euadere: quem reditionis modum, cum Comes renueret, dominus castri, iterum misit ad eum: exponens eius per omnia voluntati. Summo igitur diluculo, iussit Comes omnes extrahi de castro, habitoque cum suis consilio, quod si homines vt pote rudes & agricolas interfici faceret, castrum illud destructis habitatoribus, redigeretur in solitudinem, saniori igitur Comes vsus consilio, dimisit homines, dominum vero castri qui totius huius mali causa fuerat, retrudi iussit in imo carceris Carcassonensis, vbi in custodia, & vinculis, per multos detentus est dies: milites etiam paucos qui erant cum eo, fecit Comes carceri mancipari.

Vocatus Comes ab Episcopo Aginensi, vadit & recipit ciuitatem. A

CAPVT LXIII.

ERANT autem tunc temporis in exercitu Vticensis & Tholosanus Episcopi & Episcopus Carcassonæ, qui nunquam ab exercitu recedebat. Communicato igitur cum istis consilio, in hoc Comes eiusque milites consenserunt, vt dirigeret Comes aciem suam, versus territorium Aginnense, Episcopus siquidem Aginnensis, iampridem mandauerat Comiti nostro, quod si ad partes Aginnenses se transferret, ipse & sui consanguinei, qui potentes erant in terra illa, eum pro posse suo adiuuarent. Erat enim Aginnum ciuitas nobilis, inter Tholosam & Burdegalam in amœnissimo loco sita: ciuitas illa in territorio suo à diebus antiquis fuerat Regis Angliæ: sed Rex Ricardus, quando dedit sororem suam Ioannam Raimundo Comiti Tholosano in vxorem, ciuitatem sæpedictam cum territorio suo, dedit pro matrimonio sororis suæ, Comiti Tholosano. Dominus etiam Papa, Comiti nostro dederat in mandatis, vt omnes tam hæreticos, quam hæreticorum fautores impugnaret auxilio cruce-signatorum. Mouentes igitur à castro S. Antonini, venimus recto gressu, ad quoddam castrum Comitis Tholosani, quod dicebatur Mons-cuc. Nec silendum quod munitiones, per quas transiebamus, quæ timore nostrorum, ab incolis erant derelictæ, de quibus poterat prouenire malum aliquod Christianitati, faciebat Comes, funditus euerti vel comburi. Quoddam præterea nobile castrum quod est prope Antoninum nomine Caslutium, quod tenebat Comes Tholosæ, traditum est tunc temporis Comiti nostro, mediante industria viri nobilis & fidelis, Comitis videlicet Balduini. Comes enim noster iam habuerat antea castrum illud, sed homines de castro anno præterito ab eo recesserat & redideral castrum Comiti Tholosano. Audientes autem homines castri de monte, tunc nostros aduenire, timore ducti omnes fugerunt, castrum vacuum relinquentes: erat autem castrum illud nobile, & in optimo & fortissimo loco situm. Comes vero noster dedit ipsum supradicto Comiti Balduino, fratri Comitis Tholosani. Inde progredientes, venimus prope quoddam castrum ad duas leugas, quod dicebatur Penna, in territorio Aginnensi: castrum illud commiserat Comes Tholosæ cuidam militi Senescallo suo, qui dicebatur Hugo d'Alfar & erat Nauarrus: insuper & filiam suam non de legitimo matrimonio eidem militi dederat in vxorem. Audiens miles ille aduenire Comitem Montisfortis, adunauit ruptarios suos fortes & munitissimos circiter quadringentos. Omnes autem homines castri, à minimo vsque ad maximum expulit à castro: ipse vero cum ruptariis suis in munitionem se recipiens, victualibusque copiosissimis, omnibusque quæ ad defensionem necessaria videbantur, munitionem ipsam optime muniens, parauit se ad resistendum: quod audiens Comes noster, proposuit obsidere illud, sed habito cum suis consilio, prius ire voluit Aginnum, vt in poteste sua reciperet ciuitatem. Assumens igitur de militibus exercitus secum quos voluit, perrexit Aginnum, exercitu in loco in quo erat eius reditum expectante, perueniensque Aginnum, honorificè est susceptus. Insuper & ciues constituentes eum dominum suum, præstito sacramento fidelitatis, tradiderunt ei ciuitatem. Quibus omnibus rite peractis, Comes ad exercitum remeauit, castrum de Penna obsessurus. Anno Domini 1212. 3. Non. Iunij, die Dominica venimus ad destruendum castrum Pennæ, illud adiuuante domino obsessuri. Hugo autem d'Alfar qui erat custos castri, de quo supra tetigimus, videns appropinquantem exercitum signatorum, se & ruptarios suos, in castri munitione recepit, per totum Burgum inferius ignem mittens, erat autem castrum Pennæ nobilissimum in territorio Aginnensi, in cuiusdam siquidem collis amœnitate situm, latissimis & fœcundissimis circumquaque vallibus cingebatur: ornabat quippe castrum hinc terrarum opulentia, illinc pratorum planities gratiosa, hinc delectabilis syluarum amœnitas, illinc lætificans fertilitas vinearum, arridebat insuper aëris desiderata salubritas, circumcurrentium opulenta iocunditas fluuiorum, ipsa autem castri munitio supra rupem fundata maximam & natiuam, muris munita fortissimis, quasi inexpugnabilis videbatur. Richardus siquidem Rex Angliæ, cuius supradiximus fuerat castrum Pennæ, munitionem supradictam fortissimè munierat, puteumque in ea fodi fecerat, quia castrum illud erat, quasi caput & clauis totius territorij Aginnensis. Prædictus autem Comes, Hugo videlicet cui Comes Tholosæ castrum illud dederat, munitionem illam adeo munierat electis bellatoribus, & minutis victualibus, insuper & machinis quæ dicuntur petrariæ, lignis, ferro & omnibus ad defendendam

Situs & descriptio vrbis Aginnensis.

B

C

Obsidio Pennæ eiusdemque expugnatio.

Penna castrum à Richardo Rege Angliæ munitum.

A munitionem necessariis, quod non posset quis credere munitionem sæpedictam, per multorum annorum curricula posse capi. Fecerat denique intra sæpedictam munitionem officinas fabrorum duas, furnum & molendinum. Multiplici ergo munimine septus, obsidionem quasi intrepidus expectabat. Venientes autem nostri ante castrum, fixere tentoria circumquaque: in ipsa autem fixione tabernaculorum, cœperunt aliqui de castro egredi, nostrosque sagittis acrius infestare. Post aliquot autem dies, intra Burgum quod combustum fuerat, erexerunt nostri petrarias vt iacerent versus munitionem: quod videntes illi de castro, erexerunt & ipsi petrarias, ad perturbandum & impediendum nostras, iacientesque lapides magnos & creberrimos, nostros haud modicum infestabant. Post hæc nostri, plures petrarias erexerūt: verumtamen quamuis machinæ nostræ continuè iacerent, domos quæ in munitione erant confringerent, muros ipsius munitionis debilitabant in modico aut in nullo. Erat autem tempus æstiuum & calidissimum, circa festum videlicet B. Ioannis Baptistæ. Nec silendum credimus, quod Comes noster, paucos habebat milites, licet multos haberet pedites peregrinos. Vnde contingebat, quod quotiens nostri causa inpugnationis accedebant ad munitionem, aduersariis quia muniti erant & docti ad prælium se viriliter defendentibus parum aut nihil proficere poterant. Quadam die etiam cum nostri sæpedictam munitionem infestarent, quoddam repagulum de lignis muro proximum vi cœperunt, sed aduersarij per desuper murum, creberrimos lapides iacientes, nostros statim à repagulo quod cœperant repulerunt, cumque nostri se in interiora recepissent, exeuntes aduersarij, in ipso ardore diei veniebant vt comburerent machinas nostras, afferentes secum ignem & stipulam & cætera ad ignis incentiuum necessaria: sed nostris viriliter resistentibus, petrarias nostras, non solum comburere, sed nec ad ipsas quidem accedere poterant. Nōn solum autem illa die exierunt aduersarij contra nostros, sed per multas vices exibant, nostrosque prout poterant infestabant. Erat in obsidione illa venerabilis Episcopus Carcassonæ, de quo sæpius mentionem fecimus, & ego cum eo. Hic in exercitu domini, de mandato Archiepiscopi Narbonensis, qui fuerat Abbas Cisterciensis, & erat legatus, sicut superius est præmissum, vice fungens legati, in feruore spiritus indefesso, in labore corporis incredibili, officium prædicationis, cæteraque ad obsidionem pertinentia sedulus exercebat, vt breuiter dicam tanto & tam importabili curarum sibi inuicem succedentium pondere premebamur, quod vix licebat nobis comedere, vix modicum pausare. Nec prætermittendum, quod dum esset Comes in obsidione Pennæ, venerunt ad eum omnes nobiles terræ illius, & facientes ei hominium, acceperunt ab eo terras suas. Dum res ita se haberet, Guido de Monte-forti, frater Comitis nostri, & Archiepiscopus Rothomagensis Robertus, & electus Laudunensis Robertus, & Guillelmus Archidiaconus Parisiensis & Ingerrannus de boua, cui Comes noster iampridem terrā Comitis Fuxi pro parte C te concesserat, pluresque alij peregrini, egressi à Carcassona, versus terram Fuxensem, se transtulerant & venerant ad quoddam castrum quod dicitur Anclanetum, quod statim per insultum vi capientes, hostes qui in eo erant ceciderunt, quod audientes illi qui erant in castris vicinis, castella sua tradentes incendio, à facie nostrorum fugerunt: nostri vero castra illa perambulantes, ea funditus euertebant. Inde procedentes versus Tholosam, castra multa & fortissima, quæ derelicta erant vacua, penitus destruxerunt: ex quo etiam cœperunt Anclanetum, non inuenerunt qui auderet eos, in aliquo castro licet fortissimo expectare: timor quippe magnus irruerat super omnes habitatores terræ illius. Dum ita viriliter se haberent nostri prædicti, misit ad eos Comes noster, mandans vt venirent ad eum apud Pennam. Peregrini siquidem qui erant cum eo, peracta quadragena sua in exercitu, volebant ferè omnes, ad propria remeare: properantes igitur viri prædicti, veniebant ad Comitem. Quodam autem die venerunt ad castrum fortissimum, quod dicitur Penna in Albiensi: castrum illud adhuc Christianitati & Comiti resistebat, semperque ruptariis erat plenum. Cum ergo venissent supradicti peregrini ante castrum illud, ruptarij qui erant in castro exeuntes aduersus nostros, vnum de nostris militibus occiderunt: nostri autem nolentes in captione castri diutius morari, eo quod Comes noster vocaret eos sub festinatione, destructis in circuitu castri segetibus & vineis, recedentes nostri ad Comitem festinabant. Illi autem de castro post discessum nostrorum, qui ibi fuerant per aliquot dies, venerunt ad locum vbi nostri militem qui occisus fuerat tradiderant sepulturæ, extrahentes corpus de tumulo & per plateas distrahentes be- *Corpus militis exhumatum, feris prada obiicitur.*

bestiis & auibus exposuerunt. O iniqua rabies. O crudelitas inaudita. Peruenientes sæpius dicti peregrini ad Comitem qui erat in obsidione Pennæ, ab eo cum ingenti gaudio sunt suscepti, statimque diuisis circumquaque agminibus, fixere tentoria prope castrum: Comes autem cum suis militibus obsedit castrum à parte occidentis, in illa enim parte erant machinæ nostræ adaptatæ: Guido vero frater Comitis, ab alia parte scilicet ab oriente fixit tentoria, & in illa parte erigens machinam, cœpit & ipse castrum fortiter impugnare. Quid plura? multiplices adhuc eriguntur machinæ, instant nostri impugnationi castri: erant autem circa castri circuitum nouem machinæ erectæ, & quia nec omnia, quæ in illa obsidione gesta sunt sigillatim exprimere non valemus, attingamus ad summa. Videns Comes noster quod machinæ nostræ non poterant diruere murum castri, fecit fieri aliam machinam, longe præ cæteris maioris magnitudinis, & dum machina illa pararetur, Archiepiscopus Rothomagensis, & electus Laudunensis & cæteri qui cum eis erant, expleta quadragena sua, recedere volebant, singulis etiam diebus, completa quadragena sua recedebant peregrini, veniebant autem nulli aut paucissimi. Sciens igitur Comes noster, quod quasi solus remanebat, in multa angustia positus, accessit ad maiores exercitus, & supplicauit ne Christi negotium, in tanta necessitate desererent, sed adhuc ibi per aliquantulum temporis spatium morarentur: dicebatur autem, quod multitudo magna peregrinorum veniens à Francia erat Carcassonæ, & vere sic erat: nec silendum, quod præpositus Coloniensis, omnesque Allemanni, qui multi & nobiles cum eo, & post eum venerant, iam ab exercitu recesserant. Audiens electus Laudunensis, preces Comitis non exaudiuit, sed quandam infirmitatem prætendens nullo modo potuit detineri: similiter & cæteri fere omnes fecerunt, solummodo Archiepiscopus Rothomagensis, qui se in seruitio Dei laudabiliter habuerat, secum tenens propriis sumptibus plurimos milites, & familiam multam nimis, ipse benignus, benigne Comiti acquieuit, & tandiu cum eo remansit, donec nouis superuenientibus peregrinis, ipse de licentia & voluntate Comitis, cum honore ad propria remeauit. Cum ergo recessisset Episcopus Laudunensis, & pars magna exercitus, cœpit venerabilis Archidiaconus Guillelmus, vir magnæ constantiæ & mirificæ probitatis, in his quæ ad obsidionem pertinebant instantissime laborare: Episcopus autem Carcassonensis, propter quædam negotia perrexerat Carcassonam, interea illa magna machina, quam superius commemorauimus parabatur, quæ dum parata fuisset, fecit eam dictus Archidiaconus à parte quadam erigi prope castrum, illa autem machina, vt pote magna magnos iaciens lapides, murum castri paulatim debilitare cœpit. Post aliquot vero dies, superuenerunt peregrini, de quibus supra fecimus mentionem, Abbas videlicet sancti Remigij Remensis, & quidam Abbas Suessionensis, Decanus etiam Autisiodorensis, qui ibi postea defunctus est, & Archidiaconus Cathalaunensis, viri magni & litterati, plures & milites & pedites peregrini: qui cum venissent, venerabilis Episcopus Rothomagensis, de voluntate & beneuolentia Comitis recedens ab exercitu repatriauit: illi autem qui superuenerant, cœperunt in expugnatione castri strenuè laborare. Quodam die aduersarij nostri, pauperes & mulieres quos secum habebant, eiecerunt à castro, & exposuerunt morti, ne victualia eorum consumerent. Comes autem noster, eiectos illos noluit occidere, sed redire repulit in castrum. O nobilitas principis, dedignatus est occidere, quos non cœperat, nec de illorum morte credidit adepturum se gloriam, de quorum captione, non fuerat assecutus victoriam. Igitur cum machinæ nostræ diutius iecissent intra munitionem omnesque domos & refugia quæ in ea erant confregissent, machina insuper magna quæ de nouo erecta fuerat, ipsum murum munitionis debilitare cœpisset, videntes illi qui in castro erant, quod non poterant diu se tenere, & si castrum vi caperetur, omnes in manu gladij traderentur, attendentes insuper quod nullum habituri essent succursum à Comite Tholosano, tentauerunt cum nostris, de compositione, in hunc modum: debebant reddere Comiti nostro castrum, dummodo ipsi euaderent cum armis suis: quo audito, habuit Comes cum suis consilium, vtrum reciperet compositionem quam aduersarij offerebant. Attendentes autem nostri, quod ferè omnes peregrini erant quasi in recessu, completa scilicet quadragena sua, & quod Comes remaneret ibi quasi solus, considerantes etiam quod illi de castro, adhuc per multos dies poterant resistere, cogitantes insuper quod Comes multa alia & magna necessaria habebat

Præpositus Coloniensis castris discedit.

A bebat facere, hyemps verò imminebat, in qua non poterat obsidionem tenere. His inquam omnibus circumspectis, consuluerunt Comiti vt acquiesceret compositioni quam aduersarij offerebant. Anno igitur incarnati verbi 1212. mense Iulij, in festo S. Iacobi eiectis aduersariis, recepit Comes nobile castrum Pennæ. Die autem crastina superuenit venerabilis Archiepiscopus Rhemensis Albericus, vir multæ bonitatis, qui negotium Iesu-Christi deuotissimo amplexabatur affectu, venitque cum eo cantor Rhemensis, & quidam alij peregrini: non credimus autem supprimendum, quod dum esset Comes noster in obsidione Pennæ, rogauit Robertum malum-vicinum, vt ipse pergeret ad quandam villam valde nobilem nomine Marmandam, quæ fuerat Comitis Tholosæ, acciperetque eam ex parte Comitis nostri & custodiret: vir autem nobilissimus, licet grauissima infirmitate laboraret, non recusans laborem, nec fatiscentem prætendens infirmitatem, libenter ac liberaliter acquieuit. Hic est enim de cuius præcipue circumspecta prouidentia, saluberrimoque consilio pendebat Comes, imo totum negotium Iesu-Christi. Veniens Robertus ad villam prædictam, honorifice à burgensibus est susceptus, sed quidam seruientes Comitis Tholosæ, qui custodiebant munitionem castri, noluerunt se reddere, sed cœperunt resistere, ipsamque deffendere munitionem: quod videns *Marmanda in potestatem Comitis Montfortij venit.*

B vir strenuus videlicet Robertus, statim ante munitionem, fecit erigi vnum mangonellum, qui cum aliquot lapides iecisset, dicti seruientes reddiderunt munitionem. Mansit autem Robertus in villa illa aliquantis diebus, & post hæc rediit ad Comitem apud Pennam. Capto castro Pennæ & munito, proposuit Comes noster vt obsideret quoddam castrum proximum nomine Biron: Castrum illud, dederat Comes Tholosæ cuidam traditori nomine Martino Algais, quia sicut in superioribus diximus, fuerat cum Comite nostro, sed postea proditione facta ab eo recesserat: hic in castro prænotato moram faciens, aduentum nostrorum ibi voluit expectare, quod iusto Dei iudicio prouisum, rei exitus demonstrauit. Venientes igitur nostri ante castrum obsederunt illud, post hæc impugnatione facta, per multos labores, & miræ probitatis exercitia, ascendentes muros, vi burgum cœperunt. Statim aduersarij, se in munitionem receperunt, videntesque quod non poterant resistere, quæsierunt pacem, parati reddere munitionem illam, dummodo euaderent ipsi viui, quod Comes nullatenus facere volebat: verumtamen timens Comes, ne furtiue euaderet dictus traditor, Martinus videlicet Algais, propter cuius captionem, Comes præcipuè obsederat castrum illud, obtulit aduersariis, quod si traditorem illum in manibus eius traderent, ipse eos ab imminentis mortis angustia liberaret. Quo audito, illi auidissimè currerunt, Martinumque arripientes, ipsum Comiti tradiderunt, quem Comes arripiens, obtulit ei confessionem, sicut aliis damnatis facere consueuerat vir Catholicus, post hæc ligatum ad caudam equi, per exercitum *M. Algais Hispanus proditor patibulo affigitur.*

C distrahi fecit, distractumque dignè pro meritis patibulo suspendi. Venit ibi ad eum, nobilis quidam princeps Vasconiæ Gasto de Bearno, homo pessimus, qui semper adhæserat Comiti Tholosano, facturus colloquium de compositione: Comes autem noster, quia ipsa die componere nequiuerunt, alterum ei diem assignauit apud Aginnum, sed ille pacis inimicus, à compositionis pacto resiliens, ad diem illam venire noluit. Dum hæc agerentur, nobilis Comitissa Montis-fortis, & venerabilis Episcopus Carcassonensis & ego cum eo, à partibus Carcassonæ properabamus ad Comitem, habentes nobiscum paucos pauperes & peregrinos. Nec silendum quod dum pergimus, multi de peregrinis nostris, propter calorem feruentissimum & arduitatem viæ, deficiebant in via: venerabilis autem Carcassonensis Episcopus & nobilis Comitissa, eorum dolori compatientes, eos tota die in equis suis, retro se deportabant, aliquando etiam, vterque ipsorum, Episcopus videlicet & Comitissa, super equum suum duos leuari faciebant peregrinos, ipsi autem pedites incedebant. O compassio pia Episcopi. O nobilis humilitas Comitissæ. Cum autem venissemus Caturcum, ad Comitem properantes, dictum est nobis, quod illic propè erant castella, in quibus ruptarij & inimici fidei morabantur: cum ergo accederemus ad castella, & essemus paucissimi, diuina clementia mirabiliter operante, perterriti hostes & à facie nostra fugientes, plura castra & fortissima vacua reliquerunt, quæ postquam destruximus, venimus ad Comitem apud Pennam. His omnibus ritè peractis, habito Comes nobilis cum suis consilio, proposuit obsidere quoddam castrum nomine Mosaicum, quod erat in potestate Comitis Tholosani. *Obsidio Mosayci.*

Venientes igitur ad castrum in vigilia Assumptionis B. Mariæ, obsedimus illud. A
Castrum autem Mosaici situm erat ad pedem montis in quadam planicie, propè fluuium Tarni, in loco plurimum fertili & amœno, vocatur Mosaïcum, à moys, quod est aqua, eo videlicet, quod dulcissimis intus fontibus abundat. Homines autem castri, cum audissent nostros accedere, vocauerunt ad se ruptarios, & homines Tholosanos quamplurimos, vt eorum auxilio resistere nostris possent, erant autem ruptarij illi, homines peruersi & pessimi: cum enim castrum illud, iamdudum fuisset à legatis D. Papæ interdictum, eo quod faueret hæreticis, impugnaretque Ecclesiam cum Comite Tholosano, dicti ruptarij in contemptum Dei & nostrum, campanas Ecclesiæ, quæ in castro erat nobilis & amplissima, omni die, ad omnem horam, festiuè faciebant pulsari. Rex siquidem Franciæ Pipinus in castro illo monasterium mille fecerat monachorum. Post paucos dies, fecit Comes parari machinas & erigi propè castrum, quæ iacientes cœperunt aliquantulum murum debilitare, erexerunt autem & aduersarij machinas suas, & fecerunt iacere contra nostras: viri autem venerabiles, & huius negotij rectores & magistri, scilicet Episcopus Carcasson. & Guillelmus Archidiaconus Parisiens. in his quæ obsidioni erant necessaria instantissime laborabant: Archiepiscopus etiam Rhemensis, qui ibi erat, verbum prædicationis & exhortationis, sæpissimè & libentissimè peregrinis ministrans, & in his quæ opus erant obsidioni se humiliter exponens, & sua liberaliter expendens, valde erat necessarius negotio Iesu-Christi: quodam autem die exierunt aduersarij à castro, & cœperunt venire vt debilitarent machinas nostras: currens autem Comes noster & quidam de nostris armati, hostes in munitionem suam retrudebant. B.

Cœnobium à Pipino rege extructum, in quo degere debent mille monachi.

Archiepiscopus Remensis præco dominici verbi.

In illo autem conflictu, quidam de aduersariis sagittam dirigens, Comitem nostrum in pede vulnerauit, sed & quendam iuuenem de nostris, qui erat nepos Archiepiscopi Remensis, capientes, illum post se traxerunt, quem occidentes, & turpiter detruncantes, ad nos proiecerunt. Venerabilis autem Archiepiscopus auunculus occisi iuuenis, licet affectu diligeret eum singulari, propter seruitium tamen Iesu-Christi, mortem nepotis æquanimiter sustinens, & multa animi virtute dissimulans, cunctis qui in exercitu erant, miræ patientiæ & magnanimitatis exemplum demonstrat. Nec silendum est, quod circa huius obsidionis initium, cum præ paucitate peregrinorum, non possemus castrum vndique obsidere, exibant quotidie aduersarij à castro, venientesque per super montem, qui castrum supereminebat, cum multa superbia exercitum infestabant, peregrini autem nostri, ascendentes ad eos tota die contra illos dimicabant. Quotiescumque vero aduersarij, aliquem de peregrinis nostris occiderant, in contemptum nostrorum, circumdantes corpus occisi, in ipsum singuli gladios infigebant: tantæ enim crudelitatis erant, quod non sufficiebat eis, si aliquem nostrorum occisum viderent, nisi noua adiicientes vulnera, omnes quotquot erant hostes, corpus defuncti, gladiis suis transuerberabant. O pugna contemptibilis. O rabies iniquorum. Cum autem hæc agerentur, cœperunt venire de die in diem à Francia peregrini: Episcopus etiam Tullensis Regenaldus, die quadam cum aliis peregrinis superuenit. C Crescente igitur peregrinorum multitudine, occupauerunt dictum montem, venientibusque paulatim peregrinis, sicut antea facere consueuerant, castrum ferè vndique obsederunt. Nec silentio prætereundum, quod antequam castrum vndique esset obsessum, exeuntes aduersarij à castro, & ascendentes in montem, quando videbant Episcopum Carcassonæ, sermonem exhortationis ad populum habentem, in turbam populi qui sermonem audiebat, cum balistis sagittas iaciebant, sed per Dei gratiam nullum lædere potuerunt: & quia non omnia quæ ibi gesta sunt, possemus latius exprimere, accingamur ad summa. Postquàm machinæ nostræ diu iecerant, & debilitarant muros castri, fecit fieri Comes machinam quandam, quam lingua vulgaris Catum dicit, quæ cum facta esset, iussit Comes trahi eam ad fossatum castri, quod latissimum & profundissimum erat, aqua etiam plenum. Aduersarij autem, quædam extra fossata repagula de lignis fecerant, & post illa repagula, iterum aliud fossatum, manebantque semper inter illa duo fossata, & inde exibant sæpius & infestabant nostros, interea dicta machina nostra ad fossatum trahebatur. Erat autem cooperta pellibus bouinis recentibus, ne ab hostibus posset comburi: aduersarij autem quandam machinam petrariam, faciebant iacere assiduè super machinam illam, vt diruerent illam. Dum autem esset machina sæpedicta super primum fossatum, ni-

Nepos Archiepiscopi Remensis membratim discerpitur.

Albigenses in mortuos immanissimè sæuiunt.

A hilque superesset, nisi vt ipsum fossatum sub protectione à nostris impleretur, quodam die post occasum solis, exeuntes aduersarij à castro, attulerunt ignem, ligna sicca, stipulam, stupam, carnes salsas, adipem, oleum, & cætera ignis incentiua, cœperuntque instantissimè proiicere, vt comburerent machinam nostram. Habebant præterea balistarios, qui nostros defendentes machinam, grauissimè vulnerabant. Quid plura? altius erupit flamma, turbati sumus omnes. Comes autem & frater eius Guido erant inter machinam. Proiicientes igitur aduersarij indefesse ad incendendum ignem necessaria, nostri constantissimè & cum multo labore, vinum, aquam, terram, in ignem mittebant, alij autem instrumentis ferreis, frusta carnium & vasa oleo plena, quæ aduersarij iactabant, ab igne extrahebant. Sic itaque nostri per incredibiles caloris & laboris anxietates, quod sine lachrymis videri vix posset, sæpedictam machinam, ab igne exemerunt. In crastino autem, armantes se peregrini nostri ad castrum vndique accesserunt, intrantesque audacissimè primum fossatum, per multos labores & constantissimas probitates, repagula lignea confringebant, aduersarij autem, qui inter repagula & in barbacanis erant, ipsas barbacanas, prout poterant defendebant. Cum fieret autem insultus iste, Episcopus Carcassonæ, & ego per exercitum discurrebamus nostros exhortantes. Archiepiscopus

B autem Rhemensis, & Tullensis & Albiensis Episcopi, & Guillelmus Archidiaconus Parisiensis, Abbas etiam Mosayci cum quibusdam monachis, reliquusque clerus exercitus, in montis descensu ante castrum stabant, induti vestibus Albis, & nudis pedibus tenentes ante se crucem, cum reliquiis sanctorum, voce altissima & deuotissima cantabant, *Veni creator spiritus*, diuinum auxilium flagitantes, nec defuit exorantibus paracletus, sed mox vt versum hymni, scilicet, *Hostem repellas longius*, tertio repetentes incœperunt, exterriti aduersarij diuinitus & repulsi, dimissis barbacanis, ad castrum confugerunt, seque intra murorum ambitum concluserunt. Interea burgenses cuiusdam castri Comitis Tholosæ quod proximum erat, & vocabatur castrum Sarracenum, venerunt ad Comitem nostrum & reddiderunt ei castrum illud: misit etiam Comes Guidonem fratrem suum, & Comitem Balduinum fratrem Comitis Tholosæ, & alios milites ad aliud castrum nobile, quod erat Comitis Tholosæ, distans quinque leugis à Tholosa, super Garumnam fluuium situm, nomine Verdunum, homines autem castri illius, sine conditione aliqua reddiderunt se Comiti nostro, similiter autem omnia in circuitu castra se reddiderunt, excepto vno, quod dicitur Mons-Albanus. Audientes burgenses Mosayci, quod castella quæ in circuitu erant, se reddiderant Comiti nostro, videntes etiam quod resistere non valebant, miserunt ad Comitem, postulantes pacem: cogitans autem Comes, quod erat adhuc satis forte, nec poterat capi vi, sine multa nostrorum interfectione, attendens etiam quod si caperetur vi, destrueretur villa quæ optima

C erat & propria monachorum. Videns insuper, quod omnes qui in castro erant pariter interirent, dixit tali conditione reciperet illos, si ruptarios illos, & omnes qui causa munitionis castri venerant à Tholosa, traderent in manus eius, ipsi insuper iurarent super sacrosancta Euangelia, quod non impugnarent de cætero Christianos, quibus ritè peractis, traditisque ruptariis & hominibus Tholosanis, recepit Comes castrum & restituit ipsum Abbati, saluo eo quod de iure habuerant in castro Comites Tholosani. Accipientes autem peregrini nostri ruptarios, auidissime interfecerunt. Nec silendum credimus, quod castrum Moysiaci, quod in vigilia Assumptionis B. Mariæ obsessum fuerat, in festo Natiuitatis eiusdem Virginis captum fuit: agnoscitur ergo, operata B. Virgo. Mouens Comes à Moysiaco, proposuit obsidere castrum quoddam prope Fuxum, nomine Sauerdunum in diœcesi Tholosana castrum illud à dominio Comitis nostri recesserat, Comesque Fuxi qui illud tenebat, occasione castri illius, castrum Apamiarum plurimum infestabat. Interea quidam peregrini nobiles de Alemannia, venerant Carcassonam. Ingerrannus autem de Boua, cui supradiximus, Comes noster concesserat pro parte magna terram Comitis Fuxi, alij etiam milites nostri qui custodiebant terram Carcassonensem, dictos Alemannos apud Appamias duxerunt: Comes autem Tholosæ & Comes Fuxi, erant apud Sauerdunum: mouentes autem milites nostri cum Alemannis, properabant versus Sauerdunum, quo audito, Comes Tholosæ & Comes Fuxi fugerunt à Sauerduno, sicque sine conditione vel pugna, Ingerrannus recuperauit Sauerdunum. Dum hæc agerentur, Comes noster cum suo exercitu, à Moysiaco

Catholicorum præsulum, mira deuotio & feruor religionis.

Recuperatur Sauerdunũ diœces. Tholosanæ oppidum.

veniebat, & cum esset prope Sauerdunum, ipse iuit Appamias vbi erant Alemanni, exercitus vero perrexit Sauerdunum. Comes autem assumens Alemannos, equitauit ante castrum Fuxi, & inde rediit ad exercitum, qui recesserat à Sauerduno, & perrexerat ad altam ripam, homines autem Altæ ripæ à facie eorum fugerant, & dimiserant castrum vacuum, Comes autem muniuit castrum Altæ ripæ, quia per illud suos arcere poterat inimicos, erat enim situm inter Tholosam & Fuxum. His gestis proposuit Comes inuadere terram Comitis Conuenarum, venitque ad castrum quoddam, quod erat prope Tholosam nomine Murellum, erat enim castrum illud amœnissimum, super Garonnam fluuium situm: cum autem appropinquaremus castro Murelli, homines castri timentes à facie nostra, fugerant & intrauerunt Tholosam: sed & quidam ex ipsis, in pontem castri qui erat ligneus & longissimus super Garonnam, per quem transire debebamus ignem miserunt. Cum venissemus igitur ante castrum, & ponte combusto, non possemus in ipsum intrare, Comes & plures de nostris, mittentes se in aquam quæ profunda erat & valida, non sine grandi periculo transierunt: exercitus autem fixit tentoria citra aquam: statim currens Comes cum quibusdam suis ad pontem, ignem cum multo labore extinxerunt, statimque tanta abundantia aquæ pluuialis erupit, adeoque aqua prædicta excreuit, quod nemo sine graui propriæ vitæ periculo, poterat illam transire. Vespere autem facto, videns nobilis Comes, quod fere omnes milites & fortiores exercitus transeuntes per aquam intrassent castrum, pedites autem & inualidi non valentes transire, remansissent citra aquam, vocauit marescallum suum & dixit ei, volo redire in exercitum cui ille, quid inquit, quid dicitis? robur exercitus totum est in castro isto, vltra aquam non sunt nisi pedites peregrini, præterea tam magna & valida est aqua, quod nullus modo posset eam transire, insuper venire possent Tholosani, & vos & omnes peregrinos interficere. Respondit Comes Marescallo, absit à me vt faciam quod consulitis, pauperes Christi expositi sunt gladio, & ego in munitione manebo, fiat de me voluntas Domini, certe ego ibo & manebo cum eis, statim exiens à castro, transiuit aquam & rediit ad exercitum peditum, mansitque ibi cum paucissimis, scilicet quatuor vel quinque militibus plures dies, donec facto ponte, totus transiuit exercitus. O magna probitas principis. O virtus inuicta, noluit enim cum militibus manere in castro, dum modo pauperes expositi peregrini erant in campo.

Alta ripa castrum à Comite Simone munitum.

Simonis Comitis gloriosum responsum.

Comes Mon-fortiensis San-gaudentium occupat, Tholosam modis omnibus diuexat. Comes Raimundus ad Arragonensem Regem confugit, vt ab eo auxilia impetret.

CAPVT LXIV.

DVM Comes noster moraretur in castro Murelli: venerunt ad eum Episcopi Conuenarum & Consoranensium, viri venerabiles & Deo pleni, qui negotium Iesu-Christi vnico diligebant affectu, exhibitione operis promouebant, quorum etiam consilio & industria, Comes adierat partes illas, monuerunt igitur Comitem vt vlterius procederet, & sine pugna & gladio maximam reciperet Wasconiæ partem: properans igitur Comes, perrexit ad castrum quoddam quod dicebatur S. Gaudentius, & fuerat Comitis Conuenarum, homines autem castri tradentes ei castrum ipsum cum gaudio receperunt, venerunt etiam ibi ad eum nobiles illius, facientesque ei hominium, receperunt ab eo terras suas: insuper penetrans montana apud Fuxum, terram Rogerij de Cominges nepotis Comitis Fuxi ex parte maxima deuastauit. Interea Carcassonensis Episcopus, qui cum quibusdam peregrinis, in castro Murelli remanserat, circa munitionem castri ipsius assidue laborabat, Peractis Comes noster in Wasconia negotiis pro quibus perrexerat rediit Murellum, non enim habebat milites peregrinos, nisi Comitem Tullensem, & quosdam alios milites paucissimos, sed quamuis esset cum paucis, frequenter tamen equitabat vsque ad portas Tholosæ: illi autem qui in Tholosa erant innumerabiles & munitissimi, non audebant exire aduersus eum, ipse vero omnia in circuitu deuastans, munitiones ante ipsorum oculos deuastabat. Erat autem Tholosa ciuitas vltra

modum

A modum plena populo, quia Biterrenses, & Carcassonenses, & Tholosani hæretici & hæreticorum fautores & ruptarij, amissis diuino iudicio terris suis, Tholosam intrauerant, adeoque impleuerant, quod ipsa claustra monachorum ciuitatis expulsis canonicis fecerant pecorum ouilia & stabula equorum. O nidus hæreticorum Tholosa, ô tabernacula prædonum. Nec prætermittendum, quomodo afflicta & obsessa erat tunc Tholosa: Comes enim noster erat ex vna parte apud Murellum, quidam milites nostri ex alia parte apud Verdunum: Comes Balduinus ex alia. Guido frater Comitis ex altera. Hi omnes ex omni parte Tholosam circumdantes, & vsque propè portas ipsius sæpius equitantes, eam non modicum infestabant. Comes autem Tholosæ qui peccatis suis exigentibus exhæreditatus, præter Tholosam & Montem-Albanum, perdiderat terram suam, ad Regem Arragonum confugerat, ab eo super recuperatione terræ suæ, consilium & auxilium quæsiturus. O iustum iustissimi iudicis Dei iudicium: O misericordissimi fratris videlicet P. de castro nouo, viridica sententia, dicebat siquidem vir bonus, sicut ab illis audiui, qui ab illius ore sæpius audierunt. Negotium inquiebat Iesu-Christi, in partibus istis, nunquam prosperum sortietur effectum, donec aliquis de nobis prædicatoribus, pro defensione fidei moriatur, & vtinam ego prior, persecutoris exciperem

Tholosa hæreseon parens, fautrix, receptatrix.

B gladium. Ecce miser ille Comes Tholosanus, cum mortem huic sanctissimo viro videlicet intulisset, eo quod ipsum de perpetratis nequitiis, publicè & in facie redargueret vir bonus, post hæc se euasisse putauit, post hæc recuperare se credidit terram suam, sed domino retribuente vindictam, sanguinemque sui martyris vindicante, vnde sperauit se habere lucrum, nisi dispendium grauissimum, inde damnum irrecuperabile reportauit. Diligenter etiam est notandum, quod dictus Comes miser ille, occisorem viri Dei, in maximo amore & familiaritate receperat, adeo quod per ciuitates & castella ipsum ducens, quasi pro spectaculo omnibus dicebat. *Iste solus me diligit, iste solus concordat maximè votis meis: iste eripuit me ab inimico*, licet autem crudelissimum homicidam illum, Comes prædictus ita extolleret, ipsum muta etiam animalia abhorrebant. Sicut enim multorum & proborum virorum canonicorum Tholosanæ Ecclesiæ, veridica relatione audiuimus, ab illo die quo prædictus homicida, memoratum virum Dei occidit, in detestationem tanti sceleris, nunquam canis dignatus est accipere de manu eius. O res miranda. O res inaudita. Hoc idcirco inseruimus, vt quam iustè Comes Tholosæ exhæreditatus sit ostendamus. Dum res ita se haberet, vt supradictum est, Rogerius Bernardi filius Comitis Fuxensis, propè Carcassonam cum ruptariis transiens, equitabat quodam die versus Narbonam, vt si quos inueniret peregrinos, vinctos perduceret Fuxum, aut morte crudelissima condemnaret. Factum est igitur, dum iret, obuios habuit paucos peregrinos, qui tendebant ad Comitem nostrum, venientes

Homicidij vltio diuina.

C à partibus Gallicanis: peregrini autem illi, videntes hostes venientes, putantesque quod essent de nostris, intrepidi aduersariis occurrebant. * Traditores siquidem prædicti, in his nequitiæ suæ prouidebant, quia videlicet lento passu, & per stratam publicam ambulabant, vt non esset facilè aduertere, quod non essent de nostris. Vt autem appropinquauerunt ad inuicem, statim crudelissimi carnifices, insurrexerunt in nostros qui pauci erant & inermes, vt potè proditionis ignari, occidentesque plures de nostris, & membratim dilacerantes, reliquos secum duxerunt vsque Fuxum, vbi eos tenentes in vinculis, tormentis validissimis dilaniabant: cum maximo siquidem studio, noua quotidie & inexperta excogitabant supplicia, quibus suos affligerent captiuos: sicut enim ab ore cuiusdam militis nostri audiui, qui ibi tenebatur in vinculis, qui præsens erat & videbat, captiuos suos cruciabant illi tot & tantis tormentis, quod Diocletiano & Maximiano posset æquiparari malitia, vel etiam anteferri. Vt enim prætermittamus ibi minima, ipsos sacerdotes & diuini mysterij tractatores frequentius suspendebant: quandoque etiam quod dictu horribile est, ligatis ad genitalia membra funibus, ferocissimè distrahebant. O crudelitas immanis, ô rabies inaudita.

** Fertur etiam pro certo, quod aliqui eorum, super arma deferebant habitum monachorum Cisterciensium & alios præcedebant.* Hæc habentur in margine M.S.

A

Conuentus Episcoporum & Baronum apud Apamiam celebratur à Simone Comite, vbi multa decreta & leges statuuntur, quas se Comes seruaturum pollicetur.

CAPVT LXV.

ANNO Incarnationis Domini 1212. mense Nouembris, conuocauit nobilis Comes Montis-fortis Episcopos & nobiles terræ suæ, apud castrum Apamiarum celebraturus colloquium generale. Causa autem colloquij huius ista fuit, vt Comes noster, in terra quam acquisierat, sanctæque R. E. subiugauerat, institui faceret bonos mores, hæretica spurcitia procul pulsa, quæ totam corruperat terram illam, bonæ tam cultu religionis Christianæ, quam etiam de temporali pace & quiete, consuetudines plantarentur. Terra siquidem illa, ab antiquis diebus depredationibus patuerat & rapinis, opprimebat quippè potens impotentem, fortior minus fortem. Voluit igitur Comes nobilis, cunctas consuetudines fixosque limites terræ dominis ponere quos transgredi non liceret, quatenus etiam milites de suis certis & rectis redditibus rectè viuerent: minor etiam populus sub alis dominorum posset viuere, immoderatis exactionibus non grauatus: ad quas consuetudines statuendas, electi fuerunt viri duodecim qui super sacrosancta Euangelia iurauerunt, quod pro posse suo tales consuetudines ponerent, per quas Ecclesia sua libertate gauderet, tota etiam terra in statu firmaretur meliori. De illis autem 12. electoribus, quatuor fuerunt Ecclesiastici, duo scilicet Episcopi, Tholosanus & Consoranensis, vnus Templarius, vnusque hospitalarius, quatuor præterea Francigenæ milites, quatuor etiam indigenæ, duo milites & duo burgenses, per quos dictæ consuetudines, satis competenter positæ & firmatæ. Vt autem consuetudines illæ inuiolabiliter seruarentur, antequam proferrentur in medium, nobilis Comes, omnesque milites sui super quatuor Euangelia iurauerunt, quod supra memoratas consuetudines, nunquam præsumeret violare: vt etiam maiorem obtinerent firmitatem redactæ sunt in scriptum, sigillo etiam Comitis & omnium Episcoporum, qui ibi plures erant firmatæ & munitæ. Dum hæc agerentur apud Apamias, hostes fidei à Tholosa egressi, discurrere cœperunt per Wasconiam & facere mala quæcumque potuerunt. Venerabilis autem Episcopus Conuenarum, assumptis secum aliquibus de militibus nostris, perrexit in Wasconiam, terramque illam ab hostibus fidei viriliter defendebat: nobilis autem Comes noster perrexit Carcassonam & inde Biterrim, habiturus colloquium, cum Archiepiscopo Narbonensi, super his quæ spectabant ad negotium Iesu-Christi. Dum autem essemus apud Biterrim, & sedes Episcopalis vacaret, canonici illius Ecclesiæ, communi assensu, elegerunt venerabilem Archidiaconum Parisiensem Guillelmum in suum Episcopum & pastorem, sed ipse nulla ratione, ad hoc potuit induci, vt electioni eorum assensum præberet.

B

G. Paris. Archidiaconus, in Episcopum Biterrensem electus, electioni consensum non prebet.

C

Rex Arragonensis venit Tholosam & colloquium habet cum Comite Simone, & Apostolicæ sedis legato.

CAPVT LXVI.

CIRCA festum vero Dominicæ apparitionis, Rex Arragonum Petrus, qui negotio fidei plurimum inuidebat, venit Tholosam, & fecit ibi milites, excommunicatis & hæreticis communicando: mandauitque Rex Archiepiscopo Narbonensi Apost. sedis legato, & Comiti nostro, quod volebat habere colloquium cum eis, & de pace & de compositione inter Comitem nostrum & hostes fidei tentare. Igitur assignata fuit communi assensu dies & locus inter Tholosam & Vaurum, vbi colloquium celebrari deberet. Cum igitur venissemus ad locum consilij, rex cœpit rogare Archiepiscopum Narbonensem & Episcopos, de restituendis terris Comitibus Tholosano, Conuenarum, & Fuxensi, & Gastoni de Bearno: Archiepiscopus autem

A autem Narbonensis respondit Regi, vt omnes petitiones suas redigeret in scriptum, & scriptas & sigillatas mitteret Episcopis apud Vaurum. Rex vero Arragonensis, postquam applausum magnum fecerat Comiti nostro, & fratri & filiis eius, rogauit ipsum Comitem, vt octo diebus desisteret à malefaciendo inimicis suis, cui nobilissimus & Vrbanissimus respondit: non desistam inquit, à malefaciendo, sed ob reuerentiam vestram, cessabo his octo diebus à benefaciendo. Similiter autem & Rex promisit ex parte hostium nostrorum, quod ipso tempore colloquij, non facerent nostris malum. Sed ipsi infidelissimi, cum scirent nostros conuenisse ad colloquium, licet nos per Regem fecissent securos, discurrere cœperunt per terram nostram versus Carcassonam, & multa mala facientes, plurimos etiam occiderunt. O fraus nequam: die tertio postquam recessit Rex à loco colloquij, & intrauit Tholosam, scripsit petitiones suas ad Archiepiscopos & Episcopos nostros, in hæc verba.

Petitiones Regis Arragonensium ad Prælatos in Concilio apud Vaurum congregatos.

B QVONIAM sacrosancta mater Ecclesia non solum verba, sed verbera quoque docetur habere, deuotus Ecclesiæ filius P. Deo miserante Rex Arragonensis, pro Comite Tholosano, ad sinum eiusdem matris Ecclesiæ cupiens redire, & à sanctitate vestra petit humiliter, & rogat instanter, quatenus faciendo satisfactionem personalem pro excessibus quibuscumque, prout ipsi Ecclesiæ visum fuerit expedire, ac pro damnis & iniuriis illatis diuersis Ecclesiis & Prælatis satisfaciendo id quod clementia matris Ecclesiæ, ipso Comiti duxerit inungendum, restituatur clementer & misericorditer ad possessiones suas, & alia quæ amisit quod si forte in persona Comitis nollet Ecclesia ipsius Regis petitionem audire: petit & rogat hoc idem pro filio, ita tamen quod puer nihilominus satisfaciat personaliter pro excessibus, vel in frontaria Sarracenorum cum militibus eundo in subsidium Christianorum, vel in partibus transmarinis, secundum quod Ecclesia melius arbitrabitur expedire & infans in terra sua, in tam diligenti custodia, & tam fideli cura, ad honorem Dei & S. R. E. habeatur, vsqueququo de bonitate sua, signa compareant manifesta.

Comes Tholosanus ad Ecclesiæ amplexus redire simulat.

ET quoniam Comes Conuenarum, nec fuit vnquam hæreticus, nec eorum susceptor, sed potius impugnator, & ideo terram dicitur amisisse, quod astiterit consobrino & domino suo, Comiti Tholosano: petit idem Rex & rogat pro eo, sicut pro vassallo suo, vt restituatur ad terram suam, satisfaciendo quoque ad arbitrium Ecclesiæ, si eum apparuerit in aliquo deliquisse.

C ITEM, Comes Fuxensis, cum nec sit, nec fuerit hæreticus, pro eo memoratus Rex petit, & rogat sicut pro consanguineo suo charissimo, cui sine verecundia in iure sic deesse non potest, quatenus pro reuerentia ipsius & gratia restituatur ad sua, satisfaciendo nihilominus Ecclesiæ in his & pro his, quibus clementiæ matris Ecclesiæ eum apparuerit deliquisse.

ITEM, pro Gastone de Bearno Vassallo suo, petit sæpedictus Rex & rogat affectuosè, quatenus restituatur ad terram suam & fidelitates Vassallorum suorum, maximè cum paratus sit parere, & ad arbitrium Ecclesiæ satisfacere coram iudicibus non suspectis, si nobis causam ipsius audire & expedire non licet.

IN omnibus tamen præmissis, duxit memoratus Rex, misericordiam potius quam iudicium inuocandum, mittens ad clementiam vestram clericos & Barones suos super præmissis, ratum habiturus, quicquid à vobis cum eis fuerit ordinatum. Supplicans vt talem habere dignemini circumspectionem & diligentiam in hoc facto, vt in negotio Christianitatis in partibus Hispaniæ, ad honorem Dei & S. matris Ecclesiæ dilatationem, prædictorum Baronum & Comitis Montis-fortis subsidium posset habere. Datum Tholosæ 17. Cal. Februarij.

Responsio Concilij.

ILLVSTRI *& dilecto in Christo P. Dei gratia Regi Arraganum, Comiti Barchilonensium, Concilium apud Vaurum* * *salutem, & sinceram in domino dilectionem.* Pe-

** Lauaur.*

titiones & preces vidimus, quas pro Tholosano & eius filio & Fuxensi & Conuenarum Comitibus, & nobili viro Gastone de Bearno, vestra regalis Serenitas destinauit: in quibus etiam literis, inter cætera Ecclesiæ filium dicitis vos deuotum: super quo Domino Iesu Christo, ac regali vestræ celsitudini, gratiarum referimus actiones, & in cunctis quibus secundum Deum possemus, propter illam mutuam dilectionem, qua vos sancta Romana mater Ecclesia, sicut intelligimus, amplectitur, & vos ipsam, nec non & ob reuerentiam excellentiæ vestræ regalis, admitteremus affectuosius preces vestras. Super eo quod pro Comite Tholosæ petitis & rogatis, hæc duximus Serenitati Regiæ respondendum, quod tam causa Comitis quam filij, quæ pendet ex facto patris, auctoritate superioris est à nobis exempta cum idē Comes Tholosæ, Regiensi Episcopo & Magistro Theodisio, à Domino Papa, negotium suum fecerit sub certa forma Comiti. Vnde sicut credimus, memoriter retinetis, quot & quantas gratias, dicto Comiti post multos excessus ipsius, Dominus Papa fecit: necnon & quam gratiam, ad intercessionem vestram & preces, venerabilis Narbonensis Archiepiscopus, Apost. sedis legatus, tunc Abbas Cistercij apud Narbonam & Montem-pessulanum, eidem Comiti faciebat, biennio si bene meminimus iam transacto. Volebat siquidem idem legatus, omnes dominicaturas & proprietates, eidem Comiti remanere integras & illæsas: & vt illa iura quæ habebat in castris aliorum hæreticorum, quæ de feodo eius erant, sine Alberga, sine Quista, sine Caualgata, eidem integra remanerent. De illis preterea castris quæ erant aliorum hæreticorum, quæ de feodo eius non erant, quæ idem Comes dicebat esse quinquaginta, volebat præfatus legatus, vt quartalis & tertia pars eorum, caderet in proprietatem Comitis supradicti. Spreta vero Comes illa magna gratia domini Papæ ac prædicti legati & Ecclesiæ Dei, veniens directe contra omnia iuramenta, quæ olim præstiterat in manibus legatorum, & addens iniquitatem iniquitati, crimina criminibus, mala malis, Ecclesiam Dei & Christianitatem, fidem & pacem cum hæreticis & ruptariis impugnauit & damnificauit, adeo vt omni gratia & beneficio reddiderit se indignum. B

Comes Raimundus omni gratia & fauore Ecclesia, indicatur indignus.

Qvod autem pro Comite petitis Conuenarum, taliter super hoc duximus respondendum. Pro certo intelleximus, quod cum post excessus suos multiplices, & iuramenti transgressionem fœdus cum hæreticis & eorum fautoribus contraxisset, & ipsam Ecclesiam, licet nunquam in aliquo læsus esset, cum eisdem pestilentibus impugnasset, licet postmodum diligenter fuerit admonitus, vt cessaret à cœptis, & rediens ad cor, tandem reconciliaretur Ecclesiasticæ vnitati: nihilominus idem Comes, in sua nequitia extitit, excommunicationis & anathematis vinculo alligatus de quo etiam vt dicitur, Comes Tholosæ asserere consueuit, quod ipse Comes Conuenarum, eum ad guerram impulit & induxit. Vnde idem Comes, actor per hoc guerræ & malorum quæ Ecclesiæ multipliciter prouenerunt extitit. Verumtamen si talem se exhibuerit, vt absolutionis beneficium mereatur, postmodum cum fuerit absolutus, & habuerit potestatem standi iudicio, si de aliquo quereletur, Ecclesia ei iustitiam non negabit. C

Petit præterea Regia celsitudo, pro Comite Fuxensi, ad quod taliter respondemus, quod constat de ipso, quod hæreticorum extitit à longo tempore receptator, præsertim cum non sit dubium, quin credentes hæreticorum, hæretici sint dicendi: qui etiam post multiplices excessus suos, post præstita iuramenta, post obligationes tam personarum quam rerum, post iniectionem manuum in clericos, & detrusionem eorum in carcerem, pro quibus causis & multis aliis anathematis mucrone percussus: post illam etiam gratiam, quam idem legatus ad intercessionem vestram, olim ipsi Comiti faciebat, cruentam cædem exercuit in signatos, tam laicos quam clericos, qui in paupertate & simplicitate sua, contra Vauri hæreticos in Dei seruitium ambulabant, qualis autem & quanta erat illa gratia, bene recolit sicut credimus, Regia celsitudo, ad cuius preces cum eodem Comite, compositionem faciebat dictus legatus. Sed quod non fuit facta illa compositio per ipsum Comitem stetit: extant enim litteræ ad dominum Comitem Montis-fortis regali sigillo munitæ, talem clausulam continentes. Dicimus etiam vobis, quod si Comes Fuxensis, nolluerit stare placito illi, & vos postea non audieritis preces nostras pro eo, non erimus inde vobis dipacati: verumtamen si dederit operam, vt absolutionis beneficium consequatur, & post modum, cum absolutionis

Comes Fuxensis ob violentas manus in clericos iniectas, anathematis mucrone confossus.

fuerit

A fuerit gratiam consequutus, de aliquo querelctur, iustitiam ei Ecclesia non negabit.

POSTVLATIS insuper & rogatis, pro Gastone de Berno, vt restitueretur ad terram suam, & ad fidelitates vassalorum suorum, super quo vobis taliter respondemus. Vt alia multa, imo potius infinita, qui in ipsum Gastonem dicuntur ad præsens silentio transeamus, confœderatus tamen hæreticis & receptatoribus seu defensoribus eorum contra Ecclesiam & signatos, est Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum manifestissimus persecutor. Venit in auxilium Tholosanorum ad obsidionem castri noui. Interfectorem Fr. P. de castro nouo, Apostolicæ sedis legati habet secum, ruptarios diu tenuit atque tenet.

IN anno præterito, ruptarios in Cathedralem Ecclesiam Oleronis induxit, vbi amputato fune de quo pendebat pixis, continens corpus Domini nostri Iesu Christi in terram cecidit, & quod nefas est dicere, ipsum corpus dominicum est per terram expensum transgressus iuramenta manus in clericos violentas iniecit: pro quibus & aliis causis pluribus quas ad presens tacemus, idem Gasto, excommunicationis & anathematis est nexibus innodatus. Verumtamen si satisfecerit Ecclesiæ. Prout B debet, & absolutionis beneficium consequetur: & conquestus fuerit de aliquo, audietur de iure suo. Aliter siquidem, pro prædictis sic excommunicatis, clarissime princeps, vestram Regiam maiestatem intercedere non deceret, nec nos pro talibus & in talibus audemus aliter respondere. Ad hæc, Serenitatem vestram regalem monemus & hortamur in domino, quatenus ad memoriam reuocare dignemini * honorem quem vobis fecit sedes Apostolica, & illum quem in præsentiarum, illustri Regi Siciliæ sororio vestro facit, quid etiam D. Papæ in vestra promisistis vnctione, & quid vobis sedes Apost. dederit in mandatis. Oramus vt Deus ad honorem suum, & S. R. Ecclesiæ, per multa tempora vos conseruet. Quod si per hanc nostram responsionem, vestræ Regiæ maiestati non fuerit satisfactum, nos ob reuerentiam vestram & gratiam, D. Papæ curabimus intimare. Datum Vauri 15. Cal. Februarij.

Corpus Christi cista ereptũ, humi sparsum in Ecclesia Oleronensi.

** Petrus etenim anno 1204. Romæ ab Inno. 3. Regiis insignibus decoratus est, cuius rei summa cum põpa peractæ, literarium monumentum profert Ciacon in eodem Innocentio.*

AVDIENS Rex Arragonum, responsiones Prælatorum nostrorum, visensque petitiones quas fecerat, penitus refutatas, affectumque suum non posse perduci ad effectum, alium circumuentionis modum inuenit. Misit itaque nuntios ad prælatos, mandans & rogans, quatenus inducerent Comitem Montis-fortis, ad hoc, vt Comiti Tholosano, cæterisque fidei Christianæ inimicis treugas daret, vsque ad futurum proximum Pentecostem, vel saltem vsque in Pascha: quod audientes Prælati nostri, animaduertentesque quod Rex ob nihil aliud peteret hoc, nisi vt hoc audiretur in Francia, sicque deuotio tepesceret signatorum, petitionem istam sicut & primas fecerant refutarunt. Quia vero longum esset omnia enarrare per ordinem, quæ Rex ille mandauit, & nostri ei respondenda duxerunt: istud breuiter C dicamus, quod hæc fuit tota intentio dicti Regis, laborare videlicet, vt Comes Tholosæ & alij Religionis Christianæ inimici sui, restituerentur ad terras suas, vel saltem ipsis treugæ darentur à nostris, ob intentionem superius memoratam. Nostri vero, viri prouidi & constantes, nec terras reddere, nec treugas concedere voluerunt. Videns Rex quod nihil proficere potuisset, in graue dispendium famæ suæ pariter & honoris, apposuit quod excommunicatos & terras eorum quas adhuc tenebant, in sua protectione reciperet: & vt suam nequitiam, aliquantulum palliaret, sedem Apost. appellauit, Prælati autem nostri, huic appellationi quia multiplicibus ex causis friuola erat & inualida minimè detulerunt: sed Archiepiscopus Narbonensis Apost. sedis legatus misit literas in hunc modum.

ILLVSTRISSIMO *domino Petro, Dei gratia Regi Arragonensi, Frater A. diuina miseratione Narbonensis Archiepiscopus, Apost. sedis legatus, salutem in charitate animi, & visceribus Iesu Christi.* Intelleximus non sine turbatione multa, ac amaritudine animi, quod ciuitatem Tholosæ, ac castrum Montis Albani & terras propter crimen hæreseos, ac alia multa & nefanda facinora traditas sathanæ ac ab omni communione matris Ecclesiæ separatas, & cruce-signatis auctoritate Dei, cuius nomen in his grauiter blasphematur expositas, disponitis in protectione ac custodia vestra recipere, ac eas contra Christi exercitum defensare. Cum igitur hæc si vera sint (quod Deus auertat) non solum in salutis vestræ dispendium, sed in honoris Regij, ac opinionis vestræ & famæ possint cedere detrimentum. Nos qui salutem vestram,

Littera Archiepiscopi Narbonensis ad Regem Arragonum.

& gloriam & honorem Zelamus, totis visceribus charitatis, celsitudinem Regiam rogamus, consulimus, monemus & hortamur in Domino, & in potentia virtutis huius, & parte Dei redemptoris nostri Iesu Christi, ac sanctissimi vicarij eius Domini nostri summi Pontificis, auctoritate legationis qua fungimur, inhibemus, & modis quibus possumus obtestamur, ne per vos, vel per alios, terras recipiatis, vel defendatis prædictas. Optamus autem, quatenus tam vobis quam & ipsis, taliter dignemini prouidere, ne communicando excommunicatis & maledictis hæreticis & fautoribus eorumdem, labem excommunicationis incurrere vos contingat. Vnum autem non volumus Serenitatem vestram latere quod si quos de vestris, in defensionem prædictæ terræ duxeritis relinquendos, cum omnes excommunicati sint ipso iure, vos denunciari excommunicatos, tanquam defensores hæreticorum publice faciemus. A

Rex Arragonensis, in nullo resipiscens, sed quæ male proposuerat, peius adimplens, hæreticos omnes & excommunicatos Comites Tholosanum videlicet, Conuenarum & Fuxensem, Gastonem de Bearno, omnesque milites Tholosanos & Carcassonenses, qui pro hæresi exhæredicati Tholosam confugerant, ciues etiam Tholosanos in sua protectione suscepit, & ab ipsis iuramentum recepit: ciuitatem etiam Tholosanam quæ est propriè de dominio Regis Franciæ, & totum illud terræ, quod illi adhuc tenebant, in sua custodia recipere præsumpsit. Non credimus omittendum, quod cum essent nostri prope dictum colloquium apud Vaurum Comesque Montis-fortis ob reuerentiam Regis, diebus colloquij, inimicis treugas dedisset: & Rex similiter ex parte aduersariorum treugas firmasset, ipso tempore colloquij manentibus treugis, nostrisque non cauentibus, equitarunt hostes pluries per terram nostram prædamque multam capientes, plurimosque insuper homines occidentes, multos captos ducentes, mala vbique grauissima intulerunt: super quibus malis, cum Rex sæpius requireretur à nostris, non fecit vllatenus emendari. Videntes igitur nostri, quod Rex detineret eos nuntiis, literis, & etiam appellationibus superfluis, & nihilominus tempore colloquij & treugarum nostros ab excommunicatis quorum causam fouebat, permitterent apertissime & sæpissime infestari, à Vauro recesserunt, verumtamen antequam recederent, scripserunt D. Papæ de communi negotio Ecclesiæ, & de præfato colloquio in hunc modum. B

Induciarum tempore, hæretici insidiantur Catholicis in eosque sæuiunt.

Literæ Synodi Vaurensis ad D. Papam Innocentium.

SANCTISSIMO *patri in Christo ac beatissimo Domino suo Innocentio Dei gratia summo Pontifici, deuoti & humiles serui eius, Archiepiscopi, Episcopi, & alij Ecclesiarum Prælati, apud Vaurum pro sancta fidei negotio congregati, cum omni affectione, longum vitæ spatium, & salutis.* Ad agendas paternitatis vestræ solicitudini dignas grates, cum nec lingua nec calamus nobis sufficiant, retributorem omnium bonorum exoramus, vt nostrum in hac parte suppleat defectum & abunde vobis retribuat omne bonum, quod nobis & nostris aliisque partium nostrarum Ecclesiis tribuistis. Cum enim in partibus, istis, pestis hæretica, antiquitus seminata, nostris partibus, vsque adeo succreuisset, quod cultus diuinus ibidem haberetur omnino in opprobrium & derisum & in clerum & bona Ecclesiastica, hinc hæretici, inibi ruptarij grassarentur, & tam princeps quam populus, in reprobum sensum datus, à fidei rectitudine deuiauit, vt per vestros exercitus signatorum, quos ad emundandas spurcitias pestis huius, sapientissime destinastis, & Christianissimum eorum principem, Comitem Montis-fortis, intrepidum omnino athletam & inuictum dominici prælij bellatorem: Ecclesia quæ tam miserabiliter ibi corruperat, caput inibi cœperit releuare, & in parte maxima destructis aduersitatibus & erroribus vniuersis, terra dudum à cultoribus horum dogmatum conculta, demum diuino cultui assuescat: restant vero adhuc reliquiæ dictæ pestis Tholosa videlicet ciuitas, cum castris aliquot, vbi tanquam sordes in sentinam cadentes, residuum prauitatis hæreticæ se collegit: quorum princeps, Comes scilicet Tholosæ, qui ab antiquis temporibus sicut multoties iam audistis hæreticorum & fautor extitit & defensor & pro viribus quæ sibi remanserunt, impugnat Ecclesiam, & quoad potest pro fidei hostibus, eius cultoribus se opponit. Ex quo enim rediit à sanctitatis vestræ præsentia cum mandatis, in quibus, vltra omnem meritorum exigentiam suorum, egeratis misericorditer C

Hæresis Dei cultū destruit, Ecclesiasticos spoliat, sacra profanat.

A ricorditer cum eodem, introiuit, sicut manifeste videtur Angelus sathanæ in cor eius, & gratiæ vestræ beneficiorum ingratus, de his quæ coram vobis promiserat, nihil impleuit, imo pedagia sæpius abiurata, vehementer addauxit, & ad omnes quos sciuit nostros & Ecclesiæ aduersarios se conuertit. Sane per Othonem Dei & Ecclesiæ inimicum, opinatus contra ipsam Ecclesiam vires assumere, sub ipsius confidentia manifeste sicut asseritur minabatur quod Ecclesiam de finibus suis & & clerum radicitus extirparet: hæreticos & ruptarios, quos multoties abiurauerat ex tunc feruentius solito fouere studuit & tenere. Cum enim Catholicorum exercitus obsideret Vaurum, vbi sedes erat sathanæ, & quasi huius erroris hæretici Prouincia, ipse in subsidium peruersorum, misit milites & clientes, & in castro suo quod Casser appellatur, fuerunt inuenti & combusti à cruce-signatis plusquam quinquaginta hæretici, præter credentium eorum multitudinem copiosam. Inuocauit etiam contra Dei exercitum, Sauaricum inimicum Ecclesiæ, Regis Angliæ Senescallum, cum quo Christi pugilem prædictum Comitem Montis-fortis, apud castrum nouum Arrij obsidere præsumpsit: sed Christi dextera faciente, cito fuit eius præsumptio, in confusionem conuersa, ita quod pauci Catholici, infinitam Arrianorum multitudinem effugarunt. B Prædictorum autem Othonis & Regis Angliæ confidentia defraudatus, vt qui baculo arundineo nitebatur, cogitauit iniquitatem abominabilem, & ad Regem Marrochitarum nuntios destinauit subsidium eius, non solum in terræ nostræ, sed totius Christianitatis exitium implorando, sed conatum ipsius diuina pietas impediuit. Episcopum Agennensem à sede propria expellendo, bonis omnibus spoliauit, & Abbatem de Mosiaco cœpit, & Abbatem Montis-Albani fere per vnum annum tenuit captiuatum. Ruptarij quoque ipsius & complices peregrinos clericos & laïcos innumerabiles, variis tormentis affecerunt & nonnullos detinent ac diutius tenuere captiuos, in his omnibus, non auersus est furor eius, sed adhuc manus eius extenta, ita vt fiat quotidie semetipso deterior, & omnia mala quæ potest per seipsum & filium & complices suos Fuxensem & Conuenarum Comites & Gastonem de Bearno, viros sceleratissimos & peruersos contra Dei Ecclesiam operetur. Cum autem vltione diuina & censura Ecclesiastica memoratus athleta fidei, Comes Christianissimus terras ipsorum, tanquam hostium Dei & Ecclesiæ, sancto & iusto occupauit prælio fere totas, ipsi adhuc in sua persistentes malitia & humiliari sub potenti manu Dei contemnentes, nuper ad Regem Arragonum recurrerunt, per quem forte intendunt vestram circumueniri clementiam, & Ecclesiam suggilare. Adduxerunt enim ipsum Tholosam nobiscum, qui de mandato legati & delegatorum nostrorum apud Vaurum conueneramus, colloquium habiturum, qui quæ aut qualia proposuit, & quæ nos ei duxerimus respondenda, ex rescriptis quæ vobis sigillata mittimus, plenius cognoscetis. Omnes igitur vnanimiter & concorditer hæc præmissa, C sanctitati vestræ intimamus, liberantes animas nostras, ne per defectum significandi in negotio fidei, de contingentibus aliquid omittatur: pro certo namque sciatis quod si terra quæ dictis tyrannis, cum tanta iustitia & multa Christianorum effusione sanguinis est ablata, ipsis aut hæredibus eorum restituatur, non solum fieret nouissimus error peior priore, sed exinde excidium clero & Ecclesiæ inestimabile immineret: ad hæc quoniam enormitates abominabiles & alia scelera prædictorum, per singula præsenti paginæ non credimus annotanda, ne librum texere videremur, quædam in ore nuntiorum posuimus, quæ sanctis auribus vestris, poterunt viua voce referri.

Albigenses 50. combusti.

Rex Arrag. opem infidelium contra Christianos impie prorsus implorat.

NVNCII qui detulerunt litteras istas ad D. Papam fuerunt hi, Venerabilis Conuenarum Episcopus, Abbas de Claraco, Archidiaconus Parisiensis Guillelmus, M. Theodisius, & clericus quidam, qui diu fuerat corrector literarum, in curia D. Papæ, & dicebatur Petrus Marci. Priusquam autem venirent ad curiam dicti viri prouidi & discreti, Rex Arragonum per nuntios suos circumuenire intendebat simplicitatem Apostolicam, & per suggestionem falsitatis & veritatis supressionem, impetrauerat literas in quibus D. Papa, præcipiebat Comiti Montis-fortis, quatenus Comitibus Conuenarum * & Fuxi, & Gastoni de Bearno, redderet terras suas. Scripsit etiam Archiepiscopo Narbonensi alias literas in quibus D. Papa, indulgentiam quam fecerat proficiscentibus contra hæreticos Albigenses videbatur reuocare, Venientes igitur nuntij nostri ad curiam Romanam, D. Papam inuenerunt aliquantulum durum, eoquod nimis credulus fuisset falsis suggestionibus nun-

Legati ad summum Pontificem à consilio Vaurensi missi,

** Cominges.*

tiorum Regis Arragonensium: sed postea veritate comperta per nuntios nostros, A
quicquid fecerat ad Regis nuntiorum suggestionem, reuocauit in irritum, & ipsi
Regi misit literas in hæc verba.

Litera D. Papæ Regi Arragonensium, ne opponat se ne negotio Ecclesiæ.

INNOCENTIVS *Episcopus, seruus seruorum Dei, Petro Illustri Regi Arragonensium.* Is in cuius manu sunt omnium corda Regum, inspiret tibi humiliter exoratus, vt prudenter attendens, quod iuxta mandatum Apostolicum, nos oportet arguere, obsecrare increpare, nostras increpationes, quas paterna affectione in te depromimus, deuotione recipias filiali, & sic obtemperes salubribus monitis & consiliis, & correctionem Apostolicam recipiendo, demonstres te in his, & affectum habuisse sincerum in quibus absque dubio, per effectum nosceris deliquisse. Sane ad totius fere mundi notitiam iam peruenit, nec Serenitatem tuam credimus ignorare, aut etiam diffiteri, quod inter cæteros principes Christianos, te specialiter studuimus honorare, per quod & potentia tibi accreuit & fama: & vtinam cum his & prudentia & deuotio pariter, cum his accreuissent: quod licet nobis gratum existeret, tibi tamen amplius expediret. Verum in hoc, nec tibi prouidisse B dignosceris, nec nobis vt decuit detulisse, quia cum Tholosani ciues, tanquam putrida membra sint præcisi excommunicationis mucrone & ipsa ciuitas supposita sit interdicto: pro eo quod quidam eorum manifesti sunt hæretici, plures vero credentes, fautores & receptatores eorum ac defensores adeo vt alij quoque quos Christi exercitus, imo verius ipse Christus, qui contra ipsos suis adinuentionibus prouocarant, à suis fecit tabernaculis emigrare, ad Tholosanam quasi quandam sentinam erroris confugerint ciuitatem, tu diuini timoris oblitus quasi præualere valeas contra dominum, vel auertere manum eius contra eos exigentibus suis culpis extentam, ipsos in defensionem sub specie pietatis impietatem exercens, in scandalum populi Christiani & propriæ famæ dispendium recepisti. Nuper igitur auditis quæ venerabilis frater noster Segobiensis Episcopus, ac dilectus filius Columbus nuntij, ac nuntij legatorum nostrorum & Comitis Montis-fortis in præsentia nostra proponere voluerunt, & literis hinc inde directis lenius intellectis, habito cum fratribus tractatatu ac consilio diligenti, volentes honori tuo quantum ad famam, saluti quantum ad animam, indemnitati quantum ad terram paterna sollicitudine præcauere: Serenitati tuæ, in virtute Spiritus sancti sub obtentu diuinæ ac Apost. gratiæ prouidimus iniungendum, vt prænominatos deseras Tholosanos, nonobstante promissione vel obligatione quacumque præstita, in elusionem Ecclesiasticæ disciplinæ, ipsis quandiu tales extiterint, non impensurus consilium, auxilium vel fauorem. Si vero ijdem ad Ecclesiæ redire desiderant vnitatem, prout fuit à dictis nuntiis tuis propositum, coram nobis, nos venerabili fratri nostro F. C Tholosano Episcopo, viro integræ opinionis & vitæ, qui testimonium habet non solum ab his qui intus, sed ab his etiam qui sunt foris, nostris damus literis in mandatis, vt adiunctis sibi duobus, eos qui voluerint de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta redire, sufficienti ab eis cautione recepta, reconciliet Ecclesiasticæ vnitati: illos vero quos in erroris sui tenebris persistentes, idem Episcopus de labe notauerit hæreticæ prauitatis, exterminari faciat à ciuitate iam dicta, & bona eorum omnia, confiscari, ita quod nullo vnquam tempore recipiantur in ipsa, nisi forte diuinitus inspirati, se veros fidei orthodoxæ Christianos, exhibitione bonorum operum demonstrarent, & sic ipsa ciuitas reconciliata pariter & purgata, sub Apost. sedis protectione consistat, non molestanda de cætero à Comite prædicto vel aliis Catholicis, sed defendenda potius & fouenda. Miramur insuper & mouemur, quod pro terra nobilium vestrorum Comitis Fuxensis & Conuenarum & Gastonis de Bearno restituenda sibi, per nuncios tuos, Apostolicum suppressa veritate mendacium exprimentes, subripi fecisti mandatum, cum propter multa & magna eorum flagitia ob hæreticorum fauorem quos manifestè defendunt, excommunicationis sint vinculo innodati: vnde cum mandatum pro talibus sic obtentum non teneat, illud tanquam subreptum penitus reuocamus. Si vero iidem Ecclesiasticæ vnitati reconciliari desiderant, prout dicunt, ven. fratri nostro Narbonensi Archiepiscopo Apost. sedis legato, nostris damus literis in mandatis, vt recipiens ab ipsis non

solum

A solum iuratoriam cautionem, cum sua iam sint iuramenta trangressi, sed & aliam quam viderent expedire, beneficium absolutionis impendat, & iis rite præmissis, quasi veræ deuotionis indiciis, legatum de latere nostro, virum honestum prouidum & constantem, ad partes illas curabimus destinare, qui non declinans ad dexteram vel ad sinistram, sed incedens regia via, semper quæ recte facta inuenerit, approbet & confirmet, errata corrigat & emendet, & tam nobilibus antedictis quam aliis conquerentibus, exhiberi faciat iustitiæ complementum. Interim ergo inter te & terram tuam & dictum Comitem Montis-fortis, volumus & mandamus firmas treugas fieri & seruari. Mandantes nihilominus Comiti antedicto, vt pro terra quam à te tenet, reuerenter exhibeat quod exhibere tenetur. Illud autem excellentiam tuam vollumus non latere, quod si Tholosani & nobiles supradicti, adhuc quoque in errore suo duxerint persistendum, nos per indulgentias innouatas, crucesignatos & fideles alios excitamus, vt ad extirpandam pestem hanc, diuino freti auxilio, insurgentes tam contra ipsos, quam contra quoslibet alios receptatores & defensores ipsorum, qui plus ipsis hæreticis sunt nociui, procedant in nomine Domini Sabaoth. Monemus igitur serenitatem tuam, rogamus & obsecramus in Domino, quatinus quæ promisimus, prompto animo, quantum ad te pertinet exequaris, pro certo sciturus, quod si aliter (quod non credimus) duceres faciendum, præter indignationem dominicam, quam ex hoc contra te proculdubio euocares, graue & irreparabile posses incurrere detrimentum, nec nos quantumcumque diligamus personam, tibi contra fidei Christianæ negotium, possemus parcere vel deferre quantum enim tibi immineret periculum, si Deo & Ecclesiæ præsertim in causa fidei te opponeres, vt consummationem sancti operis impediret, non solum vetera, sed etiam moderna possunt te exempla mouere. Datum Laterani 12. Kal. Iunij Pontif. nostri anno 16.

Inducias summus Pontifex fieri mandat.

B *Fautores hæreticorum ipsis deteriores.*

Post consummatum prælatorum concilium apud Vaurum, cum Rex Arragonensis exiisset ad Tholosa, & plures de militibus suis ob ciuitatis custodiam, & hostium Christi auxilium dimisisset in eadem ciuitate, post paucos dies mandauit Comiti nostro, quod volebat habere cum eo colloquium prope Narbonam, Comes autem noster volens deferre Regi vt Domino quantum posset secundum Deum & obedire, respondit quod libenter iret ad colloquium prænotatum: Rex autem non venit ad locum colloquij, nec vnquam venire proposuerat, sed tam de Arragonensibus quam de Tholosanis hæreticis, & ruptariis multi venerunt, & timebatur, ne venientem Comitem cum paucis ad colloquium proditiose caperent: innotuit Comiti quod fiebat, & à loco colloquij declinauit.

C

Rex Arragonum, Comiti Montis-fortis per fæciales bellum indicit.

CAPVT LXVII.

Post paucos vero dies, præfatus Rex misit nuncios ad Comitem ferentes ipsius litteras, in quibus continebatur, quod Rex diffidebat Comitem, & ei quantum poterat minabatur. Veruntamen Comes noster, licet Rex illum cum tanta superbia diffidasset, nullum damnum voluit inferre terræ Regis, à quo diebus singulis mala multa & grauia sustinebat, homines siquidem Catholonenses intrabant terram nostram, & eam quantum poterant infestabant. Post aliquot vero dies, misit Comes noster ad Regem, Lambertum de Turreio probum militem, & discretum, quærebatque à Rege per prædictum militem, vtrum super diffidatione præmissa per nuncios Regis Rex ita se haberet, mandabatque etiam ei, quod in nullo vnquam ei forefecerat, sed paratus erat ei reddere quod debebat. Offerebat insuper, quod si de ipso Rex conquereretur super terris hæreticorum, quas de mandato summi Pontificis, auxilio cruce-signatorum acquisierat, paratus erat stare iuri in curia D. Papæ, vel in curia D. Narbonensis Archiepiscopi, Apost. sedis legati: quasdam etiam litteras tradidit militi prænotato, quas Regi præsentari præcepit, si in sua obstinatia duceret permanendum. Continentia autem litterarum hæc erat. Scribebat Comes Regi, absque salutatione, significans ei, quod ex quo ipse post tot iuris, & pacis oblationes sibi factas, in sua diffidatione & obstinacia permane-

bat, Comes eum similiter diffidebat, dicens quod nullo ei de cætero iure seruitij tenebatur, sed per Dei auxilium tam de ipso, quam de aliis se defenderet Ecclesiæ inimicis. Veniens sæpedictus miles ad Regem, coram ipso multisque Baronibus terræ suæ, diligenter & prouide omnia, quæ Comes in eius ore posuerat, per ordinem enarrauit: obstinatus autem Rex, omnem respuit modum pacis, nec à diffidatione sua contra Comitem, animum voluit reuocare. Satim sæpedictus nuncius, literas Comitis super diffidatione Regi præsentauit, quæ in communi tam ipsius Regis quam Baronum suorum audientia sunt perlectæ: quibus lectis & plenius intellectis, Rex & sui in iram versi sunt & furorem. Post hæc emisso nuncio ab aula Regia & diligenter custodito, quæsiuit Rex à suis consilium, quid facere deberet de nuncio supradicto. Consuluerunt autem eum quidam Barones sui quod mitteret ad Comitem nostrum, mandans & præcipiens vt veniens ad ipsum in sua curia, faceret ei vt suo Domino quod debebat: quod si Comes nollet venire, iudicabant ipsum nuncium reum mortis. In crastino autem venit nuncius ad curiam, & quæ die præcedenti ex parte Comitis dixerat, diligentius replicauit audacter se etiam obtulit, quod si quis de militibus Regis vellet dicere, quod Comes noster, Regem iniustè offendidisset, vel extitisset ei aliquando infidelis, paratus erat in ipsa curia Regis, Dominum super fidelitate defendere, per duellum: sed cum nullus auderet eum impetere, omnes tamen clamarent durius contra illum, tandem ad preces quorumdam Arragonensium militum, quibus aliquantulum erat notus, dimissus à Rege post multa mortis pericula, ad Comitem remeauit. Ex tunc sæpedictus Rex, qui à retroactis diebus, persecutus fuerat Comitem Iesu-Christi, sed tantum in oculto, cœpit ipsum grauare in omnibus & persequi manifestè.

Ludouicus Regis Galliæ filius, sumpta bellicæ crucis tessera, multos ad eam sumendam inducit.

CAPVT LXVIII.

Anno 1212. ANNO ab Incarnatione Domini 1212. mense Febr. Ludouicus filius Regis Franciæ, mitissimus iuuenis, & bonæ indolis adolescens, signo crucis signauit se contra hæreticos: quo audito, infiniti milites eius amore & æmulatione prouocati, signum crucis viuificæ assumpserunt. Rex vero Franciæ audiens, quod filius suus cruce signatus esset, multum doluit, sed causam doloris eius non est nostrum exponere. Prima vero die quadragesimæ, celebrauit Rex generale colloquium in ciuitate Parisiensi, vt ordinaret de motione filij sui, & sciret, qui & quanti & quales irent cum eo. Erant tunc Parisiis Tholosanus & Carcassonensis Episcopi, viri totius sanctitatis, qui tunc venerant in Franciam, vt promouerent negotium fidei, contra hæreticos pestilentes. Rex autem Arragonensis qui quantum poterat, impediebat negotium, nuncios suos misit ad Regem Franciæ, Episcopum scilicet Barcilonensem, & quosdam milites cum eo: duabus autem de causis, misit Rex Arragonum nuncios illos. Sollicitabat enim Regem Franciæ per nuncios suos, vt daret ei filiam suam in vxorem: sæpedictus enim Rex Arragonum, vxorem suam legitimam, filiam Guillelmi de Monte-pessulano, dimittere volebat, imo quantum in se erat iam dimiserat: ipsa autem ad Dominum Papam accesserat, conquærens quod vir suus iniuste dimisisset eam. Summus autem Pontifex, cognita plenius veritate, dedit sententiam contra Regem & confirmauit matrimonium, inter ipsum & præfatam Reginam. Volebat autem Rex ille, habere filiam Regis Franciæ in vxorem, vt sic posset eum per talem confœderationem sibi allicere, & auocare cor eius à dilectione negotij fidei, & auxilio nobilis Comitis Montis-fortis: sed videntes supradicti nuncij Regis Arragonum, iam manifestum & publicum esse in curia Regis Franciæ, quod Dominus Papa confirmasset matrimonium, inter Regem & Reginam Arragonum, non fuerunt ausi de contrahendo matrimonio, pro quo venerant facere mentionem. Secunda autem causa aduentus eorum in Franciam, hæc fuit: sæpe memoratus Rex, ciuitatem Tholosanam, quæ ab antiquo fuit & erat receptaculum hæreticorum & sentina, necnon ipsos hæreticos & fautores eorum in sua custodia & protectione receperat, excommunicatis hæreticis plenè & planè communicans,

Rex Arragonum legatos ad Regē Galliæ mittit.

A communicans, laborabatque quantum poterat, quasi sub specie pietatis, impietatem exercens, ad hoc vt peregrinorum deuotio cessaret & zelus tepesceret signatorum, volens ciuitatem Tholosam, & quædam circumadiacentia castra, quæ adhuc Christianitatem impugnabant manere illæsa, vt sic totum sacrosanctæ fidei negotium, posset postmodum destruere, & penitus dissipare. Ob hoc etiam misit litteras quasdam Regi Franciæ & Comitissæ Campaniæ, & multis aliis, sigillatas sigillis multorum Episcoporum terræ suæ, in quibus D. Papa intendebat reuocare indulgentiam quam fecerat contra hæreticos sæpius memoratos, litterasque illas faciebat publicare per Franciam, vt à peregrinatione contra hæreticos, animos omnium reuocaret. His breuiter perstrictis, de illius malitia propositum exequamur. Videns Episcopus Bachilonensis, & alij nuncij Regis Arragonum, qui venerant adhoc vt laborarent, quod peregrini non irent contra hæreticos, quia Ludouicus filius Regis Franciæ & multi nobiles cum eo, contra hæreticos se signassent, non fuerunt ausi etiam mutire de reuocatione nostrorum à deuotione peregrinationis prædictæ, sic nihil eorum pro quibus venerant facientes, ad Regem Arragonum sunt reuersi. Rex autem Franciæ, qui sicut diximus, conuocauerat Barones suos Parisiis, ordinauit de peregrinatione filij & aliorum qui cruce-signati erant,
B & motionis diem præfixit, in octaua videlicet dominicæ resurrectionis. Quid plura? fit ingens Christianorum gaudium & exultatio, hæreticis autem mœror & timor magnus: sed heu post modicum, cithara nostra in luctum conuertitur, luctus hostium in gaudium commutatur: antiquus enim hostis generis humani diabolus, videns quod negotium Christi esset quasi in consummatione, mediante labore, & industria cruce-signatorum, nouum nocendi artificium inueniens, impedire voluit quod doluit consummari: suscitauit enim Regi Franciæ guerras & occupationes tot & tantas, quod opportuit eum retardare filium suum & cruce-signatos ab executione propositæ peregrinationis.

Manasses Aurelianensis & Guillelmus Autisiodorensis Episcopi fratres, crucem aduersus Albigenses assumunt.

CAPVT LXIX.

EA tempestate, Episcopus Aurelianensis Manasses, & Autissiodorensis Episcopus Guillelmus viri per omnia laudabiles & constantes, duo magnanimo præcipua, tunc temporis Gallicanæ Ecclesiæ lumina, fratres insuper secundum carnem germani, crucem assumpserant contra hæreticos superius comprehensos: hi videntes signatorum multitudinem remansisse, scientesque negotium fidei, in arcto dis-
C crimine constitutum, pro eo quod hostes fidei, pro remansione peregrinorum, cornua solito crudelius assumpsissent, collectis secum militibus quotquot potuerunt, miro feruore spiritus & virtute iter arripuerunt contra hæreticos, parati non solum sua expendere, sed & seipsos si opportuerit, periculis & morti exponere pro seruitio Iesu-Christi. Properantes igitur viri Deo pleni, recto itinere peruenerunt Carcassonam, de quorum aduentu, nobilis Comes Montis-fortis, & pauci qui cum eo erant, gauisi sunt gaudio magno valde. Inuenerunt autem dicti Episcopi nostros, in castro quodam prope Carcassonam, quod dicitur Fanum-Iouis: fecerunt autem in castro illo paucos dies, post quos, perrexit Comes cum Episcopis ad castrum Murelli prope Tholosam, de quo supra fecimus mentionem: inde equitarunt nostri ante Tholosam, vt Christi & suos arcerent crebrius inimicos, sed miles quidam nomine Alardus de Estrepiq & alij pauci qui non satis bene se habuerant in negotio Christi, noluerunt ire cum eo: Comes autem non habebat tantum exercitum vt circa Tholosam, vel aliquod aliud forte castrum posset obsidionem firmare, proposuit frequenter equitare ante Tholosam cum exercitu quem habebat, vt & munitiones quæ circa Tholosam erant multæ & fortes euerteret, arbores decorticaret, segetes & vineas extirparet: tempus siquidem messionis instabat, sicut autem proposuit, ita & fecit. Sæpedicti autem Episcopi, semper erant cum Comite, seque quotidie pro Christi seruitio periculis exponebant: de suo præterea dabant larga dona militibus, qui cum eis erant in seruitio Dei, redimebant captiuos, & cætera

largæ & sanctæ probitatis officia viri sanctissimi sollicitè exercebant. Quia vero non possemus omnia sigillatim exprimere, istud breuiter dicimus, quod infra paucos dies, septemdecim munitiones euerterunt nostri, segetes etiam Tholosæ, vineas & arbores ex parte maxima destruxerunt. Nec silendum est, quod cum nostri equitarent ante Tholosam, & Tholosani & ruptarij qui erant Tholosæ duplo plures quam nostri, frequenter exibant, & nostros à longè infestabant: sed quoties nostri ipsos volebant impetere, ipsi fugam arripiebant. Inter munitiones autem quas nostri destruxerunt, erat quædam munitio propè Tholosam satis debilis & immunita. Quidam autem milites strenuæ probitatis, scilicet Petrus de Sissi, Simon Lisesnes, Robertus de Sartis, qui supportauerant ab initio pondus guerræ, rogauerunt Comitem, vt dimitteret eis munitionem illam, vt ibi morantes, equitarent ante Tholosam, & infestarent sæpius Tholosanos. Comes autem licet inuitus, victus tamen precibus eorum, annuit eis. Circa festum Natiuitatis B. Ioannis Baptistæ, Comes voluit vt primogenitus suus Almaricus fieret nouus miles. Ordinauit autem Comes de consilio suorum, qui in castro nouo, quod est inter Tholosam & Carcassonam, celebraretur ista nouæ militiæ solemnitas, in festo Natiuitatis B. Ioannis. Dum hæc agerentur à Comite, & illis qui cum eo erant, Guido de Monte-forti, frater germanus Comitis, erat in obsidione cuiusdam castri, quod dicitur Podium celsum in diœcesi Albiensi, à quo recedens, properauit ad Comitem fratrem suum qui & ipse properabat, ad castrum nouum Arrij, propter nouam filij sui Almerici militiam, de quo supra tetigimus, eo quod instaret Natiuitas B. Ioannis. Venerunt etiam sui Barones & milites de terra Comitis, ad nouæ militiæ festiuitatem: modum autem ipsum, quo prædictus filius Comitis, factus fuit miles Christi, exprimere volumus, vt potè nouum & à sæculis inauditum.

17. castella à Catholicis breui expugnata.

Almaricus filius Comitis Simonis fit miles.

CAPVT LXX.

ANNO verbi Incarnati 1213. Comes nobilis Montis-fortis, & plures Barones & milites ipsius, in festo Natiuitatis B. Ioannis, conuenerunt apud castrum nouum Arrij erant autem cum Comite duo venerabiles Episcopi memorati, & quidam milites peregrini. Christianissimus autem Comes, voluit & rogauit Aurelianensem Episcopum, vt filium suum Christi militem faceret, & ipsemet traderet ei cingulum militare: venerabilis autem Episcopus, diu multum restitit, sed tandem victus precibus Comitis & nostrorum, petentibus acquieuit: Comes autem quia tempus æstiuum erat, & quia castrum nouum non poterat competenter capere tantam multitudinem, eo quod iam semel vel bis fuisset destructum, in amœna planicie iuxta castrum, fecit figi plures papiliones. Ipsa autem die Natiuitatis S. Ioannis, venerabilis Aurelianensis Episcopus, induit se Pontificalibus indumentis, celebraturus in papilione quodam, Missæ solemnitatem. Conuenerunt autem tam clerici, quam milites ad audiendam Missam: astante igitur Episcopo ante altare, & Missam celebrante, apprehendens Comes Almaricum primogenitum suum per dexteram, & Comitissa per sinistram, accesserunt ad altare, & obtulerunt illum domino, rogantes Episcopum vt faceret eum militem, ad seruitium Iesu-Christi. Quid plura? statim Aurelianensis & Autissiodorensis Episcopi, flexis genibus ante altare, cinxerunt puerum cingulo militari, incipientes cum deuotione maxima, *Veni creator spiritus*. O nouus & inexpertus militiæ modus, quis ibi se à lachrimis contineret? hoc modo & ordine sæpedictus puer, cum magna solemnitate, factus est nouus miles, qua solemnitate expleta, mouens Comes post paucos dies à Castro-nouo cum Episcopis & filio suo, equitauit ante Tholosam, captisque aliquibus de Tholosanis, perrexerunt nostri Murellum: venerunt ibi ad Comitem, nobiles Wasconiæ plures, vocauit enim eos & voluit Comes, vt facerent hominium paruo filio suo, & factum est ita. Post paucos autem dies, mouit Comes à Murello versus Wasconiam, ducens filium suum, vt traderet ei partem Wasconiæ iam acquisitam, & per Dei auxilium, acquireret acquirendam. Episcopi autem remanserunt Murelli, die tertia ad propria reuersuri: suam enim peregrinationem diebus 40. laudabiliter,

Duo Episcopi balttheo militari Almaricum accingunt.

A laudabiliter, vt potè per omnia laudabiles expleuerant, cum labore magno & expensis. Die autem tertia mouentes Episcopi à Murello, tendebant Carcassonam. Videntes autem Tholosani, & alij hostes fidei, quod Comes noster pergeret cum filio suo in Wasconiam, Episcopi vero & qui cum ipsis erant peregrini, reuerterentur ad propria, nacta occasione securitatis: egressi à Tholosa cum exercitu magno, obsederunt milites quosdam de nostris, scilicet Petrum de Sissi, Simonem de Sesne, Rogerum de Sartis & alios paucos, qui sicut diximus superius, munitionem quandam satis debilem & immunitam tenebant prope Tholosam. Venientes aduersarij ad munitionem illam, cœperunt nostros acriter impugnare, obsessi quantum poterant se defendere. Post paucos autem dies, videntes obsessi nostri, quod non possent diu se tenere, cogitantes etiam, quod non poterant habere tempestiuum succursum, eo quod Comes perrexisset in Wasconiam, Episcopi autem & peregrini reuerterentur ad propria, post duras angustias, reddiderunt se aduersariis, tali tamen conditione & securitate apposita, quod aduersarij conseruarent vitam & membra. Illud autem supprimendum non est, quod prædicti Episcopi, qui iam erant Carcassonæ, cum audissent milites nostros, obsessos esse prope Tholosam, B consuluerunt, monuerunt & supplicauerunt peregrinis, qui cum ipsis erant, vt cum eis reuerterentur ad succursum obsessorum. O viri per omnia commendabiles. O viri virtutis, acquieuerunt omnes, egressique à Carcassona, festinabant vt succurrerent obsessis, sed cum venissent prope castrum nouum Arrij, dictum est eis, quod iam capti erant obsessi nostri à Tholosanis, & vere sic erat: quod audientes cum dolore multo, reuersi sunt Carcassonam: aduersarij autem, duxerunt milites captos Tholosam. Statim omnibus infidelibus deteriores, non deferentes promissioni vel Sacramento, milites nostros, quos vt dictum est, de vita & membris securos fecerant, distrahi fecerunt ad caudas equorum per plateas ciuitatis, & distractos in patibulis suspenderunt. O graue traditionis & crudelitatis genus. Nobilis autem Comes Montis-fortis, qui sicut diximus, duxerat filium suum in Wasconiam, & multa castra & fortia, iam per Dei auxilium acquisierat, cum audisset quod Tholosani obsedissent milites suos prope Tholosam, dimittens filium suum in Wasconia, festinanter rediit vt succurreret obsessis: sed antequam ad eos peruenire posset, iam capti erant & Tholosam perducti. Rex Arragonensis Petrus, præterita hyeme, nuncios suos miserat Romam, insinuans Dominus Papæ per falsissimam suggestionem, quod Comes Montis-fortis, iniuste abstulisset terras suas Comitibus Conuenarum & Fuxi & Gastoni de Bearno: dicebat etiam Rex, quod tres nobiles prædicti, nunquam fuerant hæretici, licet manifestissimum esset, quod hæreticos fouissent & sanctam Ecclesiam toto nisu impugnassent: inescauit Dominus Papæ quod negotium fidei consummatum esset contra hæreticos, ipsis hæreticis procul fugatis, & C de terra Albigensi penitus exterminatis, ideoque necesse erat, quod Dominus Papa Indulgentiam quam fecerat proficiscentibus contra hæreticos, penitus reuocaret, eamque transferret, vel contra paganos Ispanienses, vel ad subsidium terræ sanctæ. O inaudita sub specie pietatis impietas, hoc enim dicebat Rex pessimus, non quod de angustiis & necessitatibus S. Ecclesiæ pertineret ad eum, sed vt negotium Christi contra hæreticos, quod per multos annos cum maximo labore, & multa sanguinis effusione fuerat miraculose promotum, ipse suffocaret & destrueret in momento, sicut manifestissimis indiciis demonstrauit. Summus autem Pontifex nimis credulus falsis suggestionibus dicti Regis, ipsius petitionibus facile acquieuit. Misit nempe litteras suas Comiti Montis-fortis, mandans ei & præcipiens, vt prænotatis Comitibus Conuenarum & Fuxi & Gastoni de Bearno, viris sceleratissimis & perditis, terras suas, quas iusto Dei iudicio, auxilio cruce-signatorum acquisierat, redderet indilate, suam præterea indulgentiam, quam fecerat proficiscentibus contra hæreticos reuocauit. Post modum etiam, misit Dominus Papa legatum suum in Franciam Magistrum Robertum de * Corceone, Anglicum natione, cum multis paribus litterarum & indulgentiarum, vt sollicite prædicaret, & prædicari faceret, pro succursu terræ Hierosolymitanæ. Qui legatus veniens in Franciam sollicitudine non pigra, iniunctum exequens officium, cœpit discurrere per Franciam, Archiepiscoporum & Episcoporum concilia celebrare, prædicatores instituere, modisque omnibus terræ sanctæ negotium promouere. Prædicatores quoque illos qui laborabant pro negotio fidei, contra hæreticos sæpedictos, eidem

Rex arrago. per nuncios falsa Pontifici exponit.

Cito credere nocet.

** Illius habetur commemoratio in necrologio Ecclesiæ Trecens. ad diem 6.*

Feb. ibique Rob. de Tercon nominatur à Ciacc. in Innoc. 3. vocatur R. Corson, & à M. Paris in Henr. 3. R. de Sumercote, quem veneno sublatum asserit sub anno. 1241.

negotio abstulit, & fecit eos pro terræ sanctæ negotio prædicare, & ita quantum ad humanum iudicium, quasi in abolitionem venit negotium fidei contra hæreticos pestilentes. In tota siquidem Francia non erat nisi vnus, venerabilis scilicet Carcassonensis Episcopus, vir eximiæ sanctitatis, qui pro sæpedicto fidei negotio laboraret; ipse enim cum magna instantia, discurrebat per Franciam & negotium fidei ne in obliuionem veniret, omnimode in quantum poterat promouebat. His de statu Franciæ præmissis ad narrationis seriem redeamus. Cum emanassent litteræ Apostolicæ à curia, in quibus Dominus Papa mandabat Comiti Montis-fortis, vt redderet terras tribus nobilibus supradictis: Christianissimus Comes noster & Episcopi terræ Albigensis, miserunt nuncios suos ad Dominum Papam, Episcopum videlicet Conuenarum, Archidiaconum Parisiensem Guillelmum, quendam etiam Abbatem de Claraco, viros prouidos & constantes: duos etiam clericos, quos Dominus Papa iam miserat à latere suo Comiti Montis-fortis, Magistrum scilicet Theodisium Pisanum, qui negotium fidei, miro amplexabatur affectu, & Petrum Marci, qui fuerat notarius Domini Papæ, & erat de Nemausensi diœcesi oriundus. Hi omnes venientes ad curiam ipsam, tam duram & admodum sibi difficilem inuenerunt, quia nuncij Regis Arragonensis, quorum quidam morabantur in curia, animos ferè omnium qui erant in curia, per suggestionem falsitatis inclinauerant sibi, tandem post multos labores, Dominus Papa agitata plenius veritate, per nuncios Comitis misit litteras Regi Arragonensi, in quibus asperrimè increpabat eum, eo quod Tholosanos & alios hæreticos, in sua protectione & custodia recepisset: iniungebatque ei districtissimè, in virtute Spiritus S. vt ab eis recederet indilatè, nec eis impenderet de cætero auxilium, vel fauorem. Conquærebatur insuper per litteras, Dominus Papa, de Rege Arragonensi, eo quod per falsi suggestionem omnimodam, impetrasset litteras Apostolicas, de restituendis terris, Comitibus Conuenarum, Fuxi & Gastoni de Bearno: vnde D. Papa literas illas tanquam subreptitias reuocabat. Mandabat præterea in eisdem literis nobilibus prædictis & ciuibus Tholosanis, vt ad concilium & voluntatem Narbonensis Archiepiscopi Apost. sed. legati & Episcopi Tholosani, satisfacerent Deo & redirent ad Ecclesiæ vnitatem, quod si nollent, Dominus Papa præcipiebat, per memoratas indulgentias populos excitari contra Tholosanos & fautores eorum. hæc fuit summa litterarum, quibus litteris impetratis nuncij nostri à curia redierunt. Nobilis autem Comes Montis-fortis, & qui cum eo erant, graui tunc temporis discrimine arctabantur, erant enim quasi soli, & pene penitus desolati, eo quod pauci vel nulli in eorum auxilium venirent à Francia peregrini: sicut enim iam diximus, iam pene in obliuionem venerat negotium fidei per nouam prædicationem legati, quem D. Papa miserat in Franciam pro negotio terræ sanctæ, ideoque fere nulli signabant se cruce contra hæreticos pestilentes. Rex præterea Franciæ, per intestinas guerras quas habebat, non permittebat, quod milites, qui se iamdiu cruce-signauerant contra hæreticos, attingerent ad perficiendum vota sua: super hæc omnia, dicebatur in tota terra Albigensium, & celebri iam erat sermone vulgatum, quod Rex Arragonensis, congregabat exercitus suos, vt intraret cum superbia terram nostram, militesque Christi de terra illa penitus extirparet. Comes autem noster, iterato discrimine, misit ad filium suum, qui in Wasconia erat in obsidione castri, quod dicitur Rupes-fortis mandans ei, vt recedens ab obsidione festinanter veniret ad eum: timebat enim ne si Rex intraret Wasconiam, cum exercitu suo, posset eum comprehendere, eo quod paucissimos Francigenas secum haberet: pius autem dominus Iesus, qui semper adiutor est in opportunitatibus in tribulatione, ita ordinauit, vt filius patris mandato obediret, & de dimissa obsidione, erubescentiam non haberet: ea siquidem nocte, qua litteræ Comitis venerunt, aduersarij qui erant in castro obsessi, rogauerunt ea quæ pacis sunt, parati reddere castrum & captiuos quos tenebant fermè sexaginta, dummodo ipsi permitterentur abire illæsi: quo, quia instabat necessitas, concesso, Almaricus filius Comitis, castrum illud muniens paucis militibus, ad patrem suum properauit: tota autem terra Albigensium, in multa turbatione & vacillatione erat posita: hostes siquidem fidei, & milites Regis Arragonensis, quia iam longam moram fecerant in Tholosa, circuibant per ante castella nostra, inuitantes indigenas ad Apostasiam & redditionem nostram. Plures autem ex ipsis ob securitatem Regis Arragonensis, quem cum maximo desiderio expectabant,

Francia intestinis bellis æstuat.

A expectabant, conuertebant se ad aduersarios & ita plura castra magna & fortia reamisimus. Ea tempestate, nobilis Comes Montis-fortis & Episcopi terræ Albigensis, duos Abbates miserunt ad Regem Arragonum, qui litteras & mandatum D. Papæ deferrent ad eum, supplicantes ei, iuxta mandatum Apostolicum, vt ab hæreticorum auxilio desisteret, nec Christianitatem impugnaret. Rex autem, vt pote fallax & subdolus, respondit in dolo, quod omnia quæcumque mandabat ei summus pontifex, libenter adimpleret: sed licet semper promitteret mandatum Apostolicum libentissimè se facturum: noluit tamen reuocare milites suos, quos præterita hieme Tholosæ dimiserat, per quos cum Tholosanis & aliis hæreticis, Christianitatem impugnaret: sed & alios plures Tholosam misit milites. Præterea de terra sua, quos poterat adunabat & insuper sicut audiuimus, partem terræ suæ non modicam, pignori obligauit, vt haberet, vnde conducere posset stipendiarios in auxilium hæreticorum & Christianitatis impugnationem. O crudelitas subdola, ô proditio crudelissima: licet enim toto posse suo, exercitus contra nos adunaret, promittebat tamen, quod mandatum Domini Papæ de deserendis hæreticis & excommunicatis libenter adimpleret, vt nos immunitos redderet & securos, sed quia non sit prudentia, nec consilium contra dominum, rei exitus demonstrauit. B Per id tempus, sæpememoratus Rex Arragonensis, vt iniquitatem quam contra Christum & suos conceperat parturiret, egressus de terra sua, cum infinita equitum multitudine, ingressus est Vasconiam, volens si posset totam terram quæ per Dei gratiam & auxilium cruce-signatorum, fuerat acquisita, hæreticis reddere, & suo dominio subiugare. Ingressus fines Vasconiæ, cœpit tendere versus Tholosam, plura autem castella Vasconiæ, per quæ transitum faciebat, timore eius reddiderunt se illi. Quid vltra? fit in tota terra illa sermo de aduentu Regis celeberrimus, gaudent indigenæ plures, plures apostatant, reliqui ad apostandum se parant. Rex autem impius, cum circuisset plura castella, venit ante Murellum quoddam nobile castrum, sed quoad fortitudinem satis debile, distans tribus leugis à Tholosa: sed licet muris esset debile & fossatis, erat tamen munitum militibus triginta, & paucis peditibus, quos nobilis Comes Montis-fortis, ibi ad custodiam castri dimiserat, qui Tholosanos præ cæteris impugnabant. Veniens Rex Arragonum Tholosam, congregauit Tholosanos & alios hæreticos, vt obsidionem firmaret circa Murellum.

Obsidio Murelli.

CAPVT LXXI.

C ANNO Domini nostri Iesu Christi 1213. 4. Id. Sept. feria 3. post Natiuitatem beatæ Mariæ Rex Arragonum Petrus, congregatis Comitibus Tholosano, Conuenarum & Fuxi, & copioso exercitu Arragonensium & Tholosanorum, Murellum obsedit: erat autem castrum Murelli situm super Garonam fluuium prope Tholosam ad tres leugas versus Vasconiam. Accedentes aduersarij ad castrum Murelli, statim primo incursu, primum castri Burgum intrauerunt, quia obsessi nostri, non poterant illud munire, pauci quidem erant, & se in aliud Burgum aliquantulum fortius receperant, ipsum tamen primum castri Burgum hostes citius dimiserunt. Statim milites nostri de castro, miserunt ad nobilem Comitem Montis-fortis, significantes ei quod obsessi erant, & rogantes quod succurreret eis, quia modica, imo quasi nulla habebant victualia & de castro egredi non audebant. Erat Comes apud castrum quod dicitur Fanum jouis, distans octo leugis à Murello, proposuerat enim ire Murellum, vt muniret illud tam hominibus quam victualibus, pro eo quod de aduentu Regis Arragonum, & de obsidione Murelli, aliquid suspicaretur: in ipsa autem nocte, qua Comes proposuerat egredi à Fano jouis, Comitissa nostra quæ ibi erat, somnium vidit, vnde perterrita fuit valde: videbatur enim ei, quod ab vtroque brachio suo, in magna abundantia exibat sanguis: quod somnium, cum manè Comiti referret, & diceret, vehementissime super hoc se turbatam, Comes respondit, quasi vna de mulieribus estis locuta, putatis enim quod more Hispanorum sequamur somnia vel auguria: certè & si somniassem hac nocte, me interficiendum esse in bello ad quod propero, securius & libentius irem, vt stultitiæ *Hispani somniorum vani obseruatores.*

Hispanorum & hominum terræ huius. Qui somnia curant, & auguria, plenius contrairem, his dictis, exiuit Comes à Fano Iouis, & properabat cum suis versus Sauerdunum, & dum esset in via, venit ad eum nuncius missus à militibus, qui in castro Murelli erant obsessi, ferens eorum litteras continentes, quod Rex Arragonum obsidionem firmasset ante Murellum: quo audito, omnes nostri iam de futura victoria spem habentes, gauisi sunt valde: statim Comes mandauit Comitissæ, quæ & ipsa recedens à Fano Iouis, tendebat Carcassonam, milites quotquot potuit congregauit. Rogauit insuper quendam nobilem de Francia, Vicecomitem videlicet Corbolicum, qui peracta peregrinatione sua, reuertebatur ad propria, vt rediret, & festinaret ad succursum Comitis nostri, qui libenter adquieuit, & libenter se rediturum spopondit. Mouentes igitur prænotatus Vicecomes cum suis & pauci milites quos sicut diximus Comitissa mittebat Comiti in succursum, venerunt ad Fanum Iouis. Comes autem noster, & qui cum eo erant, properantes Sauerdunum, venerunt prope quandam Abbatiam Cisterciensis ordinis, quæ dicitur Balbona, ad quam diuertens Comes noster, intrauit Ecclesiam causa orationis, vt etiam se & suos, orationibus Monachorum commendaret, & cum prolixius & diutius orasset, arripiens ensem quo erat præcinctus, posuit illum super altare dicens: ô bone domine. O Iesu benigne, tu me licet indignum, ad tua prælia elegisti, desuper altare tuum, hodie arma accipio, vt præliaturus prælia tua, à te accipiam iustitiam præliandi, his dictis, exiens Comes cum suis, venit Sauerdunum. Erant autem cum Comite septem Episcopi, & tres Abbates, quos Narbonensis Archiepiscopus Apostolicæ sedis legatus congregari fecerat, vt cum Rege Arragonensi, de pace & concordia loquerentur, sed & quidam milites circiter triginta, nuperrime venerant à Francia, vt votum suæ peregrinationis complerent, inter quos erat quidam miles iuuenis, & frater Comitis nostri ex parte matris, nomine Guillelmus de Barris, à domino facta sunt ista. Cum venisset Comes Sauerdunum, conuocatis militibus qui cum ipso venerant, quæsiuit ab eis auxilium, quid facto opus esset, ipse autem de hoc omnimode aspirabat, sicut ab ore ipsius postea audiuimus, vt ipsa eadem nocte iret & intraret Murellum, quia princeps fidelissimus multum de suis sollicitus erat obsessis, cæteri autem volebant nocte illa manere Sauerduni, eoquod erant ieiuni & lassi & dicebant quod forsitan opporteret eos, in ipsa via cum hostibus habere conflictum: acquieuit Comes licet inuitus, vt pote qui semper omnia cum consilio faciebat. Incrastino summè diluculo vocauit Capellanum suum, faciensque confessionem, ordinauit testamentum suum, ipsumque testamentum scriptum & sigillatum, misit ad dominum Abbatem Bolbonæ, mandans & ordinans, quod si contingeret ipsum in bello occumbere, mitteretur Romam prænotatum testamentum, & confirmaretur ad D. Papa. Postquam autem factus est dies, Episcopi qui erant Sauerduni & Comes, & omnes sui conuenerunt ad Ecclesiam. Statim vnus ex ipsis sacris vestibus se induit, missam celebraturus, in honorem B. Mariæ virginis in qua missa omnes Episcopi, excommunicauerunt Comitem Tholosanum & filium eius: Comitem Fuxi & filium eius. Comitem Conuenarum & omnes fautores & Coadiutores & defensores eorum, in qua sententia proculdubio Rex Arragonum inuolutus est, licet Episcopi ex industria, nomen eius suppresserint: tamen pro eo facta fuit excommunicatio, quia ipse non solum erat adiutor dictorum Comitum & defensor sed totius militiæ quæ exercebatur in obsidione Murelli, caput erat & auctor. Celebrata missa, Comes & sui armis se induunt, & egredientes à Sauerduno in quadam planicie iuxta castrum ordinauerunt acies, in nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Et procedentes venerunt ad quoddam castrum quod dicitur Alta-ripa, quod medium est inter Sauerdunum & Murellum: inde progredientes, venerunt ad quemdam locum transitu difficilem, inter Altam-ripam & Murellum, in quo loco arbitrati sunt nostri quod haberent obuios hostes, quia Lutosus erat locus, via astricta & aquosa: erat autem prope locum illum quædam Ecclesia, in qua secundum consuetudinem intrauit Comes causa orationis: inundabat autem ipsa hora pluuia, & milites nostros non modicum infestabat, sed orante milite Iesu Christi, videlicet Comite nostro cessauit pluuia, fiunt nubila in serenum. O immensa bonitas conditoris. Cum surrexisset Comes ab oratione, reascensis equis locum prædictum transierunt, nullumque hostilem obicem inuenerunt. Inde progredientes, venerunt, vsque prope Murellum citra Garonam. Rex autem Arragonensis, & qui cum eo erant à parte alia, vltra Garonam

G. de Barris frater vterinus Monfortij Comitis.

Comites Tolosanus, Fuxensis & Conuenarum eorumque fautores à communione Ecclesiæ anathemate semouentur.

Simonis Comitis oratione, nubibus discussis dies serenior emicat.

Garonnam, castrum obsederant, multiplicati super arenam maris. Milites autem nostri, vt pote ardentissimi, consuluerunt Comiti, vt statim intrans castrum, bellum cum hostibus committeret ipso die, sed Comes nullo modo voluit, quod ipsa die fieret bellum, quia erat hora vespertina, & nostri tam milites quam equi, erant lassi: hostes vero recedentes. Præterea ipse Comes omnem volebat exhibere humilitatem & offerre Regi Arragonum verba pacis, & supplicare ne contra Ecclesiam veniens, se Christi iungeret inimicis. His ergo de causis, noluit Comes, quod congressus fieret ipso die. Transeuntes igitur pontem, intrauerunt Murellum, statim Episcopi nostri, plures & pluries nuntios miserunt ad Regem, orantes & deprecantes vt misereri dignaretur Ecclesiæ sanctæ Dei, sed Rex vt obstinatissimus, nullis ipsorum petitionibus acquiescere voluit, nec aliquid pacifice respondere, sicut inferius continetur. In ipsa nocte, Vicecomes Carboliensis, & pauci milites Francigenæ, qui veniebant à Carcassona, de quibus supra tetigimus, intrauerunt Murellum, de quorum aduentu, comes & qui cum eo, gauisi sunt valde: nec prætermittendum, quod in castro Murelli, non erant victualia quæ possent sufficere nostris in vnum diem, & ipsa quidem nocte Rex ita se habuit.

B

De strenuissima pugna & gloriosissima victoria Comitis Monti-fortis & suorum, habita in campo Murelli de Rege Arragonum, & hostibus fidei.

CAPVT LXXII.

IN crastino summo mane, intrauit Comes basilicam suam, quæ erat in munitione castri, auditum missam: Episcopi autem nostri & milites perrexerunt ad Ecclesiam quæ erat in Burgo, vt & ipsi missam audirent. Comes autem audita missa, de munitione exiuit in Burgum cum suis, & à suis consilium habiturus, & nostri simul loquerentur, erant inermes, pro eo quod de pace cum Rege quamdammodo per Episcopos tractabatur. Statim Episcopi, de communi nostrorum assensu, discalciaciatis pedibus voluerunt ire ad Regem, supplicaturi ei ne Ecclesiam impugnaret: & cum misissent nuntium, qui talem Episcoporum nuntiaret aduentum, ecce plures de hostibus armati in equis intrauerunt Burgum in quo erant nostri, erant enim fores apertæ, quia nobilis Comes, non promittebat vt clauderentur, mox Comes noster, alloquutus est Episcopos dicens, videtis quia nihil proficitis, sed magis tumultus fit, satis, imo plusquam satis sustinuimus, tempus est vt nobis detis licentiam dimicandi, Episcopi autem, quia necessitas sic vrgebat, concesserunt eis: tunc C nostri recedentes à loco illo colloquij, perrexerunt vnusquisque in domum suam vt se armarent: cum autem intraret Comes munitionem castri, vt se armaret & transiret per ante basilicam suam, subito introspexit & vidit Vticensem Episcopum celebrantem missam & dicentem, *Dominus vobiscum*, post Euangelium ad offerendam, statim cucurrit Comes Christianissimus, & flexis in terram genibus, & iunctis manibus ante Episcopum, dixit ei, do & vobis offero animam meam & corpus meum. O deuotio principis: post hæc intrans munitionem, armis se muniuit, rediensque iterum ad Episcopum, in prænotata basilica, denuo obtulit se ei & arma sua: sed cum flecteret genua ante altare, brachile eius à quo dependebant caligæ ferreæ, ruptum est medium sed vir Catholicus ex eo quod acciderat, nihil timoris, nihil turbationis concipiens, aliud brachile afferri præcepit, quo facto egressus est de basilica Comes, cui egredienti, adductus est equus suus, quem cum vellet ascendere, essetque in loco eminenti, ita quod videri posset à Tholosanis, qui erant foris castrum, equus eleuato capite, percussit Comitem, & à se aliquantulum resilire fecit: quod videntes Tholosani, in derisionem Comitis, vlulatum maximum emiserunt: quibus Comes Catholicus dixit: vos modo clamando deridetis me, sed confido in domino, quod victor clamabo post vos vsque ad portas Tholosæ. Quo dicto Comes ascendit equum, veniensque ad milites qui in Burgo erant, inuenit eos armatos & paratos ad bellum. Consuluit autem Comiti, miles quidam, vt numerari faceret milites suos, & sciret quod essent. Cui Comes nobilis, non est inquit opus, satis sumus ad superandum, per Dei auxilium, hostes nostros, omnes autem nostri, inter

Comes in terram prouolutus, corpus animumque suum, Dei obsequio deuouet.

milites & seruientes in equis, non erant plusquam octoginti, cum hostes centum millia esse crederentur, paucissimos autem & quasi nullos pedites, nostri habebant. Insuper & Comes nobilis inhibuerat nequis pedes egrederetur ad pugnam. Dum igitur Comes & milites nostri mutuo loquerentur, & de bello tractarent, ecce Episcopus Tholosanus aduenit habens mitram in capite, in manibus vero, viuificæ lignum crucis. Mox nostri cœperunt descendere de equis & singuli crucem adorare: Episcopus autem Conuenarum, vir miræ sanctitatis, videns quod in ista adoratione crucis à singulis, nimia fieret mora, aripiens de manu Tholosani Episcopi lignum crucis, ascendens in locum eminentiorem, signauit eos dicens. Ite in nomine Iesu Christi, & ego vobis testis sum, & in die iudicij fideiussor existo, quia quicumque in isto glorisо occubuerit bello, absque vlla purgatorij pœna, æterna præmia & martyrum gloriam consequetur dummodo confessus sit & contritus, vel saltem firmum habeat propositum, quod statim peracto bello, super peccatis de quibus nondum fecit confessionem, ostendet se sacerdoti. Qua promissione, ad instantiam nostrorum militum repetita sæpius, & multoties ab Episcopis confirmata, statim nostri per cordis contritionem, & oris confessionem mundati à peccatis, donantes sibimetipsis, si quis aduersus aliquem querelam haberet, egrediuntur de castro, & tribus aciebus dispositis, in nomine Trinitatis, contra hostes intrepidi procedebant. Episcopi autem & clerici intrauerunt Ecclesiam, deprecaturi dominum pro seruis suis, qui se pro eius nomine, morti exponebant imminenti: qui orantes & clamantes in cœlum, tantum pro imminenti angustia, mugitum emittebant in cœlum, quod vlulantes dici deberent potius quam orantes. Ibant igitur milites Christi gaudentes ad locum certaminis, parati pro eius nomine, non solum contumeliam, sed & mortem pati. Qui egressi de castro, in campi planicie iuxta castrum, viderunt hostes paratos ad pugnam, quasi totum mundum. Statim prima acies nostra, audacter in hostes insiliit, & in ipsos medios se immisit: mox secunda subsequitur, hostes penetrat sicut prima, in quo congressu Rex Arragonensis occubuit, & multi Arragonenses cum eo: ipse enim vt potè superbissimus, in secunda acie se posuerat, cum Reges, semper esse soleant in extrema. Insuper arma sua mutauerat, armisque se induerat alienis. Videns Comes noster, duas acies suas in medios hostes mersas, & quasi non comparere, irruit à sinistris in hostes, qui stabant ex aduerso innumerabiles. Stabant autem ordinatio ad pugnam, iuxta fossatum quoddam, quod erat inter ipsos & Comitem nostrum: statim irruens Comes in hostes prænotatos, & licet non videret aliquam viam, per quam ad eos posset pertingere, inuenit tandem in fossato modicissimam semitam, ordinatione diuina, vt credimus tunc paratam, per quam transiens, in hostes se dedit, & vt pote miles Christi fortissimus, ipsos fortissime penetrauit, nec silendum est, quod cum Comes, vellet in ipsos irruere, ipsi eum cum gladiis suis, tanto nisu à parte dextera pupegerunt, quod pro nimia ictuum impulsione, ruptus est ei staphus sinister: nobilis vero Comes, calcar sinistri pedis voluit infigere coopertura equi, sed ipsum calcar confractum de pede resiliuit, miles tamen validissimus non cecidit, sed hostes validè percussit. Quidam autem de aduersariis, Comitem nostrum validè percussit in capite, vir autem nobilis, dictum militem, cum pugno cecidit subtus mentum, de equo cadere fecit, quod videntes socij dicti militis, qui infiniti erant, sed & cæteri omnes aduersarij nostri, victi citius & confusi, fugæ præsidia quæsierunt: quod videntes nostri, illi videlicet, qui fuerant in prima acie & in secunda, instantissime insequuti sunt fugientes, & grauissime prosequuti, extremos etenim cædentes, ex ipsis multa millia occiderunt. Comes vero noster, & illi qui cum eo erant, lento cursu post nostros qui eos insequuntur, de industria sequebantur, vt si forte hostes conglobarent se, & resumerent animos resistendi, nostri qui fugientes, diuisi alter ab altero consequebantur, ad Comitem possent habere recursum. Nec silendum, quod Comes nobilissimus, non est dignatus in bello aliquem percutere, ex quo fugientes vidit, & vertere sibi tergum. Dum hæc agerentur, ciues Tholosani, qui remanserant in exercitu infiniti ad pugnam parati, in expugnando castro totis viribus laborabant. Quod videns Episcopus Tholosanus qui erat in castro vir bonus & mitis, eorumque miseriæ compatiens: quendam virum Religiosum misit ad eos, monens, & consulens, vt iam tandem conuerterentur ad dominum Deum suum, armaque sua deponerent, & ipse eos eriperet à morte imminenti: in cuius assecurationis testimonium, misit

Exhortatio Conuenarũ Episcopi ad Catholicos milites.

Rex Arragonum in prælio occisus.

Comes Monfortius in capite percussus.

A misit eis cucullam suam, Monachus quippe erat, illi autem vt pote obstinati & diuinitus excæcati, responderunt quod Rex Arragonensis vicerat omnes nostros, Episcopus autem volebat eos morti tradere, non saluare, & hac de causa, auferentes cucullam nuntio, ipsum lanceis grauiter verberarunt. Interea milites nostri reuertebantur à cæde, cum victoria gloriosa, venientesque ad ipsos Tholosanos, ex ipsis plura millia occiderunt. Post hæc præcepit Comes quibusdam de suis, vt ducerent eum ad locum vbi Rex Arragonensis fuerat interfectus, locum siquidem & horam interfectionis ipsius, penitus ignorabat. Veniens igitur Comes ad locum, inuenit corpus Regis Arragonensis prostratum in medio campo nudum, pedites siquidem nostri, ipsum iam nudauerant, quia visa victoria, egressi erant de castro, & quos adhuc viuos iacentes inuenire potuerant, peremerant. Piissimus autem Comes, videns Regem iacentem prostratum, descendit de equo, alterum Dauid, super Saül alterum representans. His omnibus ritè peractis, & de hostibus fidei, tam submersione quam gladio: circiter viginti millibus interfectis, Christianissimus Comes intelligens tantum miraculum, Dei virtute, non humanis viribus factum esse, ab illo loco vbi descenderat, nudus pedes ad Ecclesiam perrexit, omnipotenti Deo pro collata victoria gratias rependsurus: equum etiam suum & arma B dedit pauperibus in eleemosinam: vt autem veritas huius pugnæ mirabilis & gloriosæ victoriæ, audientium cordibus plenius infigatur, litteras quas Episcopi & Abbates qui aderant, ad vniuersos Christi fideles miserunt, operi nostro duximus inserendas.

Albigensium 20. millia in prælio Murelli perierũt vnicus autem miles Catholicus, paucique pedites vt inferius narratur.

Litteræ Prælatorum qui in exercitu Simonis Comitis erant, cum de fidei hostibus triumphauit.

CAPVT LXXIII.

GLORIA *in excelsis Deo & in terra pax hominibus, qui sanctam Ecclesiam, bona diligunt voluntate, Deus fortis & potens, Deus potens in prælio. Quinta feria infra octauas natiuitatis beatæ Mariæ virginis, sanctæ concessit Ecclesiæ, deuictis miraculose inimicis fidei Christianæ victoriam gloriosam, & triumphum gloriosum, in hunc modum.* Post correctionem affectuosissimam, zelo paternæ pietatis à summo Pontifice diligentissime Regi factam Arragonensi, inhibitionemque districtissimam, ne inimicis fidei, præstaret auxilium, consilium vel fauorem, sed ab eisdem recederet indilatè, & treugas haberet firmissimas cum Comite Montisfortis, quibusdam etiam litteris, quas eiusdem Regis nuntij per falsissimam suggestionem contra Comitem C Montis-fortis impetrarant de terris reddendis Comitibus Fuxensi, Conuenarum & Gastoni de Bearno, post veritatis cognitionem cassatis à D. Papa, & tanquam nullius valoris penitus reuocatis: idem Rex correctionem patris sanctissimi, non deuotione recipiens filiali, sed transiisset contra mandatum Apostolicum superbe recalcitrans quasi cor habens durius induratum, licet venerabiles patres, Narbonensis Archiepiscopus Apostolicæ sedis legatus, & Tholosanus Episcopus, sibi litteras & mandatum summi Pontificis transmisissent, mala, quæ pridem conceperat, voluit postmodum parturire: quia in terram qua per virtutem Dei, auxilio signatorum contra hæreticos & eorum defensores fuerat acquisita intrauit cum exercitu, eamque contra mandatum Apostolicum subiugare, ac prædictis inimicis reddere attentauit, parte eius tam sibi aliquantulum subiugata cum pars multa residui, ob ipsius securitatem Apostatare intenderet, & se ad Apostatandum iam pararet. Congregatis in simul, Comitibus Tholosæ. Fuxi & Conuenarum & Tholosanorum exercitu magno valde feria 3. post natiuitatem beatæ Mariæ, Murelli castrum obsedit: quo audito patrum venerabilium, Archiepiscoporum, Episcoporum & Abbatum, quos venerabilis pater Narbonensis Archiepiscopus, Apostolicæ sedis legatus, propter sanctum negotium fecerat congregari, qui vt de dicto negotio & de pace tractarent, diligenter aduenerant, in Christo vnanimes & deuoti. Simon Comes Montis-fortis, habens secum quosdam nobiles & potentes crucesignatos, qui nuperrime de Francia, venerant, ipsi & Christi negotio in succursum, suamque familiam, quæ in Christi negotio diu secum laborauerat, iter arripuit ad

Has literas M. Paris inseruit historiæ Angliæ in Ioã. Rege ad an. 1213.

castrum obsessum viriliter succurrendum. Et dum die martis infra octauas supradictas, venisset ille Christi exercitus, ad quoddam castrum quod dicitur Sauerdunum, venerabilis Episcopus Tholosæ, cui commissa erat à summo Pontifice Tholosanorum reconciliatio, licet de reconciliatione ter vel quater monuisset, cuius admonitionibus licet salubribus, acquiescere postponebant respondentes super hoc nullatenus respondere: ad dictos Regem & Tholosanos in obsidione Murelli assistentes suas misit litteras significans eis quod Episcopi memorati veniebant, vt de pace & concordia diligenter tractarent, & petebat sibi dari ducatum securum. In crastino autem, prima die mercurij subsequente, quia res sic vrgebat, supradictus exercitus exiit Sauerduno, festinans ad succursum Murelli celeriter aduenire, dicti vero Episcopi memorati proposuerant, apud quoddam castrum quod dicitur Altaripa, quod medium inter Sauerdunum & Murellum, distatque ab vtroque duabus leugis, vt ibi missum nuncium expectarent, qui nuncius rediens ex parte Regis respondit, quod ex quo Episcopi cum exercitu veniebant, non daret eis ducatum: ipsi quidem alio modo non poterant ire sine manifesto periculo propter guerram. Cum Episcopi & Christi exercitus Murellum accederent, ex parte ciuium Tholosanorum, prior hospitalis Tholosæ ad Episcopum Tholosanum missus venit, ferens eorum litteras in quibus continebatur, quod modis omnibus parati erant D. Papæ & ipsius Episcopi facere voluntatem, quodquidem eis bonum fuisset, si compensassent verius facta dictis. Eidem vero priori statim remisso ab Episcopo respondit Rex, quod ducatum Episcopo non præberet, sed si vellet ire Tholosam, vt cum Tholosanis loqueretur, eum concederet illuc ire, & hoc derisorie fuit dictum: ad quod Episcopus. Non decet inquit seruum ciuitatem intrare, de qua dominus suus exul est eiectus, nec ego, cum corpus Christi de ciuitate illa eiectum fuerit, illuc reuertar, donec Deus meus & dominus meus reuertatur: verumtamen dicti Episcopi cum exercitu Murellum intrauerunt die mercurij superius memorata: qui sollicitudine non pigra, duos viros Religiosos ad Regem & ciues Tholosanos destinarunt, qui à Rege tale habuerunt responsum, quod propter quatuor ribaldos, quos Episcopi secum adduxerant, petebant colloquium habere cum ipso, & hæc dixit in derisum & contemptum signatorum. Tolosani vero prædictis nuntiis responderunt, quod in crastino super hoc responderent, & hac de causa eos vsque in crastinum tenuerunt. In crastino autem prima die jouis, responderunt, quod ipsi Regi Arragonensi erant confederati, & nihil facerent, nisi Regis in omnibus voluntatem: quod cum redeuntes mane, ipsa die jouis nuncij retulissent, Episcopi & Abbates discalciatis pedibus, ire proposuerunt ad Regem: & cum quemdam Religiosum mitterent, ad nunciandum Regi aduentum ipsorum in hunc modum, patefactis ianuis, cum Comes Montis-fortis ac cruce-signati essent inermes, pro eo quod de pace, Episcopi & Abbates insimul loquebantur, hostes Dei superbe ac fraudulenter armati, vicum subintrare cum impetu attentarunt, sed per Dei gratiam, à suo fuerunt desiderio defraudati. Quorum superbiam Comes & cruce-signati videntes, cum sine periculo & damno maximo, vlterius differre non possent, per cordis contritionem & oris confessionem, vt pote viri cultores fidei Christianæ, mundati salubriter à peccatis, armis suis se viriliter accinxerunt, venientesque ad sæpedictum Tholosæ Episcopum, qui auctoritate D. Narbonensis Archiepiscopi Apostolicæ sedis legati, legationis officio fungebatur, exeundi licentiam contra hostes fidei humiliter petierunt, qua quia negotium erat in arcto constitutum necessitatis articulo compellente concessa, pro eo quod ipsam domum in qua Episcopi morabantur, ipsi hostes erectis iam machinis, aliisque bellicis instrumentis, festinabant protinus impugnare, balistarum quarellis, iaculis atque lanceis emissis hostiliter circumquaque: Christi milites reuerendi, ligni dominici signaculo cum insigniis Pontificalibus consignati, in nomine S. Trinitatis tribus aciebus dispositis exierunt. Hostes vero è contrario, multas habentes àcies, & multum magnas, suis iam muniti armis tentoria sunt egressi. Quos licet multos milites & populum multum nimis, clientes Christi de ipsius auxilio confidentes, & licet illorum respectu paucissimi, magnam multitudinem non verentes, armati ex alto viriliter sunt aggressi. Statim virtus altissimi, per manus seruorum suorum hostes suos confregit, & comminuit in momento, terga enim vertentes, in fugam facti sunt, tanquam puluis antefaciem venti, & Angelus domini persequens eos erat: hi turpiter fugientes, turpi fuga mortis

Seruus non debet in ea vrbe consistere, vnde eius dominus expulsus est.

A mortis periculum euaserunt, alij vitantes gladios, aquæ periculo perierunt: quamplures vero fuerunt in ore gladij deuorati. De Illustri Rege Arragonensi, qui cum interfectis occubuit plurimum est dolendum, quia princeps tam potens, & nobilis, qui si vellet, posset & deberet Ecclesiæ sanctæ vtilis multum esse, nunc Christi adiunctus hostibus, Christi amicos, & sanctam Ecclesiam, improbe perturbabat. Cæterum, cum victores à cæde & persecutione hostium reuerterentur cum victoria gloriosa: sæpedictus Tholosanus Episcopus, Tholosanorum stragi & miseriæ, caritatiue & miserabiliter compatiens, corde pio, eos qui de stragis residuo, adhuc intra sua tentoria morabantur, saluare cupiens ne perirent, vt saltem tantorum flagellorum verbere castigati, citum periculum euadentes, conuerterentur ad dominum, & viuerent in fide Catholica permansuri, Missa eis per quemdam religiosum virum cuculla qua indutus erat, mandauit eis, quod nunc demum, arma sua & suam deponerent feritatem, & inermes venirent ad ipsum, vt eos saluaret de morte: qui adhuc quoque in sua perseuerantes malitia, & se, qui iam victi erant, vicisse Christi populum autumantes, non solum parere sui Episcopi ammonitionibus contempserunt, verum etiam ablata cuculla, ipsum nuncium austerius verberarunt: post quos B Christi militia recursum faciens, circa sua diffugientes tentoria interemerunt. Certus hostium interfectorum, tam nobilium quam aliorum numerus, præ multitudine nullatenus sciri potest: de militibus autem Christi vnus solus interemptus est in conflictu, & paucissimi seruientes. Omnis igitur populus Christianus, pro Christianorum victoria, mente pia & toto cordis affectu gratias agat Christo, qui per paucos fideles, infidelium multitudinem innumerabilem superauit, & sanctam Ecclesiam suam, de hostibus suis concessit fideliter triumphare, ipsi honor & gloria, in sæcula sæculorum amen. Nos Tholosanus, 1. Nemausensis, 2. Vticensis, 3. Lodouensis, 4. Biterrensis, 5. Agatensis, 6. & Conuenarum Episcopi, & de Claraco, villa magna & S. Tiberij Abbates qui mandato venerabilis patris Narbonensis Archiepiscopi, Apost. sedis legati veneramus, & de pace ac concordia tractare, cum summa diligentia summoque studio nitebamur, præscripta omnia sicut quæ vidimus & audiuimus, esse verissima, in verbo Dei perhibemus, consignantes ea nostrorum munimine sigillorum, vt pote reseruari digna, in memoriam sempiternam. Datum Murelli, in crastino victoriæ, gloriosæ, scilicet sexta feria, intra octauas Natiuitatis B. Mariæ anno Domini. 1213.

Arragonum Rex in prælio occumbit.

Parta victoria apud Murellum, Tholosani ad eorum reconciliationem obsides præsulibus dare offerunt.

C

CAPVT LXXIV.

POST gloriosam & inauditam victoriam, septem Episcopi prænotati, & tres Abbates, qui adhuc erant in castro Murelli, credentes quod ciues Tholosani tanto miraculo Dei pariter & flagello territi, citius faciliusque à suis possent erroribus reuocari, ad gremium matris Ecclesiæ secundum mandatum, potestatem & seriem mandati Apostolici, rursum tractarunt rogando, monendo, terrendo eos inducere ad Ecclesiæ vnitatem, cumque promitterent Tholosani, se mandatum Apostolicum adimplere, viua voce petierunt ab eis Episcopi sufficientem cautionem standi mandato Apostolico, videlicet obsides ducentos de ciuibus, quoniam iuratoria cautione nullatenus possent esse contenti, cum multoties Tholosani, sua iuramenta, super hoc eodemque negotio fuerint transgressi: qui post multas altercationes verborum, sexaginta tantum obsides de suis ciuibus se daturos promiserunt: Episcopi vero, ob maiorem securitatem, propter magnitudinem ciuitatis, & dolosam in domabilemque populi multitudinem: & quia etiam alia vice datos obsides super eodem negotio, de ditioribus ciuitatis, in commissum cadere permiserunt, vsque ad ducentos petebant: ipsi vero subterfugium quærentes, sexaginta se daturos & non plures promittebant. Statim Episcopi, ne aliquam causam * excommunicationis habere possent Tholosani, aut occasionem aliquam subterfugiendi, & suos errores palliandi, responderunt Episcopi, sexaginta obsides quos promittebant, se libenter suscipere, & sic eos reconciliare, & in pace Ecclesiæ & vnitate

** Legendum excusationis.*

fidei Catholicæ conseruare. Ipsi autem, iam amplius suas malitias, non valentes velare, responderunt, quod nullo modo obsides darent, per hoc manifestè denudantes, quod non nisi in fraudem & intentionem dolosam de 60. obsidibus, priorem fecerant promissionem. Hic annectendum est, quod homines cuiusdam nobilis castri in diœcesi Albigensi cui nomen Rabastenx, qui paulo ante recesserat à Deo & nostris, & se reddiderat Tholosanis, audita prædicta victoria, omnes præ timore fugerunt, castrumque hominibus vacuum dimiserunt. Guido autem de Monte-forti, frater Comitis Montis-fortis, cuius fuerat castrum, misit & occupauit illud & gente sua muniuit. Post paucos dies, superuenerunt à Francia peregrini sed pauci, Episcopus videlicet Atrebatensis Radulphus & pauci milites cum eo, & milites peregrini non multi. Comes autem noster & omnes qui cum eo erant, equitauerunt in terram Comitis Fuxi, ipsumque Fuxi burgum, inferius combusserunt, & inde vlterius per terram Comitis dicti equitantes, quidquid extra munitiones inuenire poterant combusserunt.

Guido Mōfortius arcem Rabastensem receptā præsidiis, firmat.

Comitis Fuxensis terras, Mon-fortius inuadit, Narbona & Mons-pessulus rebellant.

CAPVT LXXV.

POST hæc, nunciatum est Comiti nostro, quod quidam nobiles Prouinciæ, rupto pacis fœdere, perturbabant Ecclesiam sanctam Dei, insuper & stratas publicas obseruantes, cruce-signatis venientibus à Francia, mala quæ poterant inferebant. Habito igitur Comes cum suis consilio, proposuit descendere ad partes illas, vt perturbatores pacis opprimeret, & stratas publicas, ab incursu malignantium, redderet expeditas. Mouens igitur Comes cum peregrinis, qui cum eo erant, venit Narbonam, ciues autem Narbonenses, quia semper exosum habuerant Christi negotium, & illi quam multoties sed latenter se opposuerant, nulla vnquam ratione, ad hoc potuerunt induci, vt Comitem nostrum cum peregrinis suis, aut etiam peregrinos sine Comite, suam intrare permitterent ciuitatem, & ideo opportuit tunc, omnes nostros manere fortis nocte illa in hortis & virgultis ciuitatis: inde in crastino venerunt Biterrim, & inde post duos dies progredientes, venerunt vsque ad Montem-pessulanum. Homines autem Montis-pessulani pares Narbonensibus in malitia, nullo modo permiserunt Comitem nostrum, nec illos qui cum eo erant villam suam intrare, ad hospitandum nocte illa, sed fecerunt illis per omnia sicut ciues Narbonenses fecerant. Mouentes igitur à Monte-pessulano, venerunt Nemausum, ciues vero Nemausenses, primo quidem noluerunt Comitem in suam introire ciuitatem, sed videntes eius iram & indignationem, ipsum & omnes qui cum illo erant in ciuitatem receperunt, & multa eis debitæ humanitatis obsequia impenderunt. Inde progrediens Comes noster, venit ad castrum de Boucolio vbi à dominis castri, honorificè est susceptus. Inde perrexit Comes in villam quæ Argentata dicitur eo quod in partibus illis esset quidam nobilis nomine Pontius de Monte lauri qui Episcopos terræ, pacem & Ecclesiam in quantum poterat perturbabat. Omnes autem cruce-signati, iam recesserant à Comite, nec habebat nisi secum paucos stipendiarios & Archiepiscopum Narbonensem: audiens prædictus Pontius aduentum Comitis nostri, timore ductus venit ad eum, & se & sua eius voluntati reddidit. Erat præterea in partibus illis, nobilis quidam potens sed malus, Ademarus Pictauensis qui negotium Christi semper exosum habuerat, & corde adhæserat Comiti Tholosano: hic aduentum Comitis nostri audiens, muniuit castra sua, milites etiam quos potuit in quodam castro adunauit, vt si Comes transitum faceret iuxta castrum, illo exiret cum suis, & impugnaret illud: sed cum Comes nobilis per ante castrum transiret, licet cum paucissimis, memoratus Ademarus, quamuis multos haberet secum, non est ausus egredi contra nostros. Dum esset Comes noster in partibus illis, venit ad eum Dux Burgundiæ Odo, vir potens & bonus, qui negotium fidei contra hæreticos, insuper & Comitem nostrum multo amplectebatur affectu: venerunt etiam cum Duce, Lugdunensis & Viennensis Archiepiscopi. Dum ergo essent Dux & Comes noster propè Valentiam, apud

Romam

A Romam vocauerunt inimicum Ecclesiæ Ademarum Pictauensem ad colloquium, conuocatus venit, sed super his quæ pacis erant, noluit Comiti vel Duci assentire. Item vocauerunt eum Dux & Comes noster ad colloquium, & tunc quidem nihil proficere potuerunt. Videns igitur quod nihil proficere posset, motus ira & indignatione Dux contra Ademarum, promisit Comiti nostro, quod nisi supradictus Ademarus staret per omnia mandato Ecclesiæ, & haberet se ad voluntatem Comitis nostri, & super his bonam faceret securitatem, ipse Dux cum Comite nostro eum impugnaret. Statim etiam vocauit plures milites suos, iturus cum Comite nostro contra Ademarum sæpius memoratum: quod audiens Ademarus, tandem necessitate ductus, venit ad Ducem & Comitem nostrum, & se obtulit eorum per omnia voluntati, tradidit etiam quædam castra sua pro securitate, quæ Comes commisit Duci custodienda. Interea venerabilis pater Narbonensis Archiepiscopus, vir consilio prouidus & omnino virtuosus, ad cuius monitionem etiam prædictus Dux Burgundiæ ad partes venerat Viennenses, cœpit tentare cum Duce de negotio, pro quo ipsum vocauerat, de contrahendo videlicet matrimonio inter primogenitum Comitis nostri nomine Almaricum, & filiam Delphini, qui erat princeps potens,

De nuptiis inter Almaricum & Delphini filiam agitur.

B & frater germanus ipsius ducis. Acquieuit Dux consilio & voluntati Archiepiscopi. Interea dum hæc agerentur, Arragonenses ruptarij, & alij fidei inimici, cœperunt discurrere per terram Comitis nostris, venientesque vsque Biterrim, fecerunt mala quæcumque potuerunt: sed & plures de militibus terræ Comitis nostri periuri effecti, & innatæ sibi maliciæ recidiuum patientes, à Deo & Ecclesia & dominio Comitis nostri recesserunt. Nobilis vero Comes, peractis in Prouincia negotiis, pro quibus ad partes illas accesserat, rediit ad terram suam: statimque terram hostium suorum aggrediens, equitauit ante Tholosam, vbi per dies quindecim moram faciens, multas munitiones diruit penitus & destruxit. Dum res ita se haberet, magister Robertus de Corceone Cardinalis, Apost. sedis legatus, qui sicut superius diximus, laborabat in Francia quantum poterat pro negotio terræ sanctæ, prædicatoresque nostros, qui pro negotio fidei contra hæreticos prædicare soliti erant, nobis abstulerat, faciebatque illos pro succursu terræ sanctæ instantius prædicare, ad bonorum & prudentum virorum consilium, quosdam de prædictis prædicatoribus nobis reddidit, vt pro negotio fidei prædicarent. Ipse etiam ad expugnandos hæreticos Tholosanos, suscepit in pectore viuificæ signum crucis. Quid vltra? Reuixit prædicatio pro negotio fidei in Francia, multi cruce se signant, fit Comiti & nostris, gaudium magnum valde. Proditionem crudelissimam, quæ facta fuit illo tempore in Comitem Balduinum, præterire nec volumus nec debemus. Iste Comes Balduinus frater Comitis Tholosani, & Regis Franciæ consobrinus, longe à fratris malicia, & in Christi militia totis viribus se exercens, Co-

C mitem Montis-fortis & Christianitatem, contra fratrem suum & alios hostes fidei, quantum poterat adiuuabat. Quadam igitur die, secunda videlicet feria post primam Dominicam Quadragesimæ, venit prædictus Comes ad quoddam castrum in Caturcensi diœcesi quod Olima dicebatur. Statim milites de castro illo qui erant homines ipsius Comitis miserunt ad ruptarios & quosdam milites indigenas pessimos traditores qui erant in quodam vicino castro, quod dictur Mons Lenardus, & significarunt eis quod Comes Balduinus erat in Olima, mandantes vt venirent, & sine difficultate aliqua, traderent eis Comitem Balduinum. Hoc idem significauerunt cuidam traditori pessimo sed occulto, Raterio videlicet de castro nouo. Iste Raterius, iamdiu inierat fœdus cum Comite Montis-fortis, & iurauerat ei fidelitatem. Comes etiam Balduinus, de ipso quasi de amico confidebat. Quid plura? venit mox, & Comes Balduinus securus, vt pote inter suos, somno se dedit & quieti. Erat autem cum Comite Balduino miles quidam Francigena nomine Guillelmus de Contris, cui Comes Montis-fortis dederat castrum quoddam, quod dicitur Sarracenum. Quidam etiam seruiens Francigena, custodiebat castrum quod Moysiacum nominatur. Quiescentibus igitur Comite & illis qui cum eo erant, in diuersis domibus ab inuicem separatis; dominus castri, clauem cameræ in qua Comes Balduinus dormiebat arripiens, obserato hostio, de castro ad prædictum Raterium & ruptarios properauit quibus clauem ostendens dixit. Quid tardatis ecce hostis vester in manibus vestris, properate & eum vobis tradam dormientem pariter & inermem, nec solum ipsum, sed plures de vestris hostibus vobis tradam: quo audito

gaudentes ruptarij, & velocissime concurrentes, ad portas Olimæ deuenerunt. Statim dominus castri qui erat Dux eorum qui comprehendere volebant Comitem videlicet alter iudas, conuocatis secretissime hominibus castri, diligenter quæsiuit à singulis, quot de sociis Comitis Balduini quisque haberet apud se hospitantes: quo diligenter quæsito, ad hostia domorum duplo plures de ruptariis armatos poni fecit, quam essent de nostris dormientes inermes: Statim accensis candelis innumerabilibus, clamor attollitur, hostes in nostros irruunt imparatos. Raterius autem de castro nouo & prænotatus dominus castri, venientes ad cameram in qua Comes nobilis Balduinus dormiebat, aperiensque ostium, cœperunt ipsum dormientem inermem imo nudum: quidam autem de nostris qui erant per castrum occisi sunt, alij capti, nonnulli fuga opitulante euaserunt. Nec prætereundum, quod quidam de nostris, quem viuum cœperant præstitoque iuramento, ipsum de vita securum fecerant & de membris, in ipsa postmodum Ecclesia latitantem occiderunt. Arripientes aduersarij Comitem Balduinum, duxerunt eum ad quoddam castrum ipsius Comitis, quod dicitur Mons Euæ in territorio Caturcensi, homines autem castri, vt potè pessimi, ruptarios qui dominum suum ducebant captum, libenter receperunt: mox ruptarij dixerunt Comiti Balduino, vt faceret eis reddi turrem castri, quam quidam Francigenæ, de mandato ipsius custodiebant. Ipse autem Comes districtissimè inhibuit Francigenis illis, ne aliqua ratione turrim redderent, etiamsi viderent ipsum Comitem suspendi in patibulo, sed se instantissimè defenderent, donec haberent succursum, à nobili Comite Montis-fortis: O virtus principis. O mirificum robur mentis. Quo audito ruptarij irati sunt valdè, ipsumque Comitem per duos dies ieiunare fecerunt, quibus transactis, fecit vocari Comes capellanum quendam diligentissimum, eique puram fecit confessionem, qua facta, communionem postulauit corporis Iesu-Christi: sed dum capellanus afferret diuini misterij sacramenta, superuenit quidam pessimus ruptarius, iurans & firmissime cõtestans, quod Comes Balduinus non comederet nec biberet, donec redderet ruptarium quendam quem cœperat, & teneri in vinculis faciebat, ad quæ Comes. O crudelissime inquit, nunquid panis aut vini abundantiam, aut frustum carnis quæsiui, qui nihil ad corporis sustentationem, sed ad animæ salutem, diuini mysterij communionem petij. Iterum carnifex, cœpit firmiter asserendo iurare, quod nec comederet, nec biberet, nisi faceret, quod petebat, ad quæ denuo vir nobilis: ex quo inquit mihi diuinis sacramentis communicare non permittitur, ostendatur mihi saltem Eucharistia, videlicet salus mea, vt in vita ista, videam saluatorem meum: qua à capellano leuata & ostensa, Comes eam deuotissime adorauit. Dum hæc agerentur, illi qui erant in turre castri, timore mortis, tradiderunt turrem ruptariis, recepto tamen prius ab eis iuramento, quod ipsos abire dimitterent, sanos pariter & indemnes: sed traditores pessimi, spreta religione iuramenti, ipsos statim, patibuli morte turpissima condemnarunt. Quo facto, arripientes Comitem Balduinum, duxerunt eum ad quoddam castrum Comitis Tholosani, quod dicitur Mons-Albanus, vbi eum tenentes in vinculis, aduentum Tholosani Comitis expectabant. Post paucos vero dies, venit Comes Tholosanus, habens secum illos pessimos traditores, Comitem videlicet Fuxi, & Rogerium Bernardi filium eius, & quendam militem de terra Regis Arragonensis, qui dicebatur Bernardus de Portellis: statim ad mandatum Comitis Tholosani, eductus est de castro Montis-Albani Comes nobilissimus Balduinus. Id autem quod sequitur, quis vnquam sine lachrymis legere poterit, vel audire. Mox Comes Fuxi, & filius eius, à patris malitia non degenerans & Bernardus de Portellis ligauerunt funem in collo viri nobilissimi, ipsum de voluntate, imo de præcepto Comitis Tholosani suspensuri, quod videns vir Christianissimus, instanter ac humiliter quæsiuit confessionem & viaticum, sed canes crudelissimi, vtrumque ei penitus denegarunt, quibus miles Christi. Ex quo inquit, non licet me ostendere sacerdoti, testis est mihi Deus, quod prompta voluntate semper & ardenti Christianitatem & dominum meum Comitem Montis-fortis, & pro hac & in hac defensione volo mori. Vix verba compleuerat, ecce tres prænotati traditores, eleuantes eum à terra, ad nucis arborem suspenderunt. O crudelitas inaudita. O alterum Caym, imo longè peiorem Caym, Comitem dico Tholosanum, cui non suffecit fratrem, & talem Fratrem occidere, nisi ipsum inaudita mortis crudelitate damnaret.

Balduinus Comes, inaudita proditione in lectulo quiescens inuaditur.

Albigenses perfidi patibulo affigunt, quibus salutem iurati promiserant.

Balduinus, impio fratris sui Comitis Tholosani iussu de nuce indignißime suspenditur.

A B C

Aymericus

Aymericus & ciues Narbonenses, Comitis Mon-fortij hostes in vrbem admittunt, eamque ob causam, territorium Narbonense Comes deuastat.

CAPVT LXXVI.

CIRCA idem tempus, Aymericus Dominus Narbonæ & ciues Narbonenses, qui nunquam dilexerant negotium Iesu-Christi, vt iniquitatem quam longe ante conceperant, parturirent, recesserunt manifeste à Deo, receperuntque in ciuitatem suam ruptarios, necnon Arragonenses & Cathalonenses, vt per eos expellerent si possent nobilem Comitem Montis-fortis, Arragonenses siquidem & Cathalonenses prosequebantur dictum Comitem in vindictam sui Regis. Malitiam autem istam perpetrauerunt Narbonenses, non quia Comes eos læderet in aliquo, vel læsisset, sed quia putabant, quod cruce-signati de cætero non venirent, sed aliter disponebat ille, qui sapientes in sua astutia comprehendit. Dum enim congre-
B gati essent Narbonæ omnes quos prædiximus hostes nostri, vt impetum facerent vnanimes in Comitem nostrum & paucos qui cum ipso erant : ecce subito venerunt à Francia peregrini, Guillelmus videlicet de Barris, vir probatæ militiæ, pluresque milites cum eo, quibus adiunctus, & à quibus adiutus Comes noster, venit prope Narbonam, discurrensque & deuastans terram Aymerici domini Narbonæ, eius fere omnia castra cœpit. Quadam autem die, proposuit Comes noster equitare ante Narbonam, armatisque omnibus suis, & tribus aciebus dispositis, ipse Comes in prima fronte, appropinquauit portæ ciuitatis. Hostes autem nostri, egressi erant de ciuitate, & stabant in porta. Miles autem inuictus, videlicet Comes noster, per locum arduum & inaccessibilem, in ipsos subito voluit insilire, hostes autem qui stabant in loco eminenti, ipsum tot lanceis impulerunt, quod rupta sella equi in quo sedebat, cecidit ipse de equo : statim concurrunt vndique hostes ad capiendum vel occidendum Comitem, nostri ad protegendum, sed nostri gratia Dei per multos labores, Comitem viriliter erexerunt. Post hæc Guillelmus qui erat in extrema acie, & nostri omnes impetum fecerunt in hostes, ipsosque in ciuitatem intrare citius compulerunt : quo facto Comes & nostri, ad locum vnde ipsa die venerant sunt reuersi.

Narbonæ congregati hæretici, impetum in Comitem Montis-fortis moliuntur.

Comes in pugna equo delapsus.

Petrus Beneuentanus Cardinalis Apostolicæ sedis legatus, Comites Fuxensem & Conuenarum Ecclesiæ reconciliat.

C

CAPVT LXXVII.

DVM hæc agerentur, Magister Petrus Beneuentanus Cardinalis Apost. sedis legatus Missus à D. Papa veniebat ad partes Narbonenses, vt de his quæ pacis erant & fidei ordinaret. Audiens autem legatus, quomodo se habebant Narbonenses, mandauit eis & districte præcepit, vt firmas treugas haberent cum Comite Montis-fortis, quo vsque ipse veniret. Idem etiam mandauit Comiti nostro, ne scilicet læderet in aliquo Narbonenses. Post paucos autem dies, venit legatus & intrauit Narbonam, viso tamen prius Comite nostro, & habito cum ipso colloquio diligenti. Statim accesserunt ad eum hostes fidei, Comes scilicet Conuenarum & Fuxi, & alij multi, qui exigentibus meritis fuerant exhæredati, pro restitutione sua, ipsi legato supplicaturi : legatus sapiens & discretus, omnes reconciliauit, recipiens ab eis non solum iuratoriam cautionem, standi mandato Ecclesiæ sed etiam quædam castra fortissima, quæ adhuc remanserant hostibus, prænotatis. Rebus sic se habentibus, homines de Moysiaco, tradiderunt villam Moysiaci per proditionem Comiti Tholosano. Illi autem qui erant in villa ex parte Comitis nostri, receperunt se in munitionem villæ satis debilem & immunitam. Comes vero Tholosanus, in graui multitudine ruptariorum, cœpit impugnare munitionem illam per tres continuas septimanas : sed obsessi nostri quamuis paucissimi, se viriliter defendebant. Quod audiens Comes nobilis, statim properauit in subsidium obsessorum :

ſed Comes Tholoſanus & qui cum eo erant, plures etiam de hominibus dictæ villæ, qui factæ proditionis capitales fuerant & actores, præſcientes aduentum Comitis noſtri, cum ſumma feſtinatione fugerunt, obſidionem quam diu tenuerant dimittentes. Comes autem noſter & qui cum eo erant, audientes quod hoſtes prædicti aufugiſſent, deſcenderunt ad partes Aginnenſes vt caſtrum quod dicitur Manſum, in extremis finibus diœceſis Aginnenſis, quod ipſo anno apoſtatauerat, ſi poſſent caperent per inſultum. Rex etenim Angliæ Ioannes, qui ſemper aduerſatus fuerat negotio Ieſu-Chriſti, & Comiti Montis-fortis, ipſo anno verſus partes perrexerat Aginnenſes, plures de nobilioribus terræ illius, in eius ſperantes auxilium, receſſerunt à Deo & dominio Comitis Montis-fortis: ſed poſtea per Dei gratiam, fruſtrati ſunt à ſpe ſua. Properans igitur Comes noſter cum ſuis ad prædictum caſtrum, venit ad quemdam locum, vbi opportebat eum tranſire Garonam. Habebat autem nauiculas paucas immunitas, homines autem de Regula quod eſt caſtrum quoddam Regis Angliæ, aſcenderant cum nauibus multis & armaturis, vt noſtris tranſitum prohiberent, ſed noſtri intrantes aquam, ipſis inuitis libere tranſierunt. Venientes ad caſtrum ſupradictum ſcilicet Manſum, illud per triduum impugnarunt, ſed quia non habebant machinas, nec Comes poterat ibi firmare obſidionem, eo quod ad mandatum legati, opportebat eum redire ad partes Narbonenſes, receſſit à caſtro ſæpedicto ad partes proprias Narbonenſes.

Comes Mõfortius obſidionem caſtri Manſi re infecta dimittit.

Carcaſſonæ antiſtes, è Gallia cum ingenti peregrinorum multitudine reuertitur.

CAPVT LXXVIII.

ANNO verbi incar. 1214. venerabilis Carcaſſonæ Epiſcopus, qui toto præcedenti anno pro negotio fidei contra hæreticos, diſcurrendo & prædicando, laborauerat in partibus Gallicanis, circa octauam dominicæ reſurrectionis, iter ad partes arripuit Albigenſes: ipſe etenim omnibus cruce-ſignatis, tam illis quos ſignauerat, quam aliis qui de manu magiſtri Iacobi de Vitriaco, viri per omnia laudabilis, & quorumdam aliorum, ſuſceperant ſignum crucis, diem motionis alligauerat, ita quod in quindena Paſchæ, eſſent pariter congregati, profecturi cum eo per partes Lugdunenſes contra hæreticos peſtilentes: Sed M. Robertus de Corceone Apoſt. ſedis legatus, & venerab. Archidiaconus Guillelmus, cruce-ſignatis ſuis diem præfixerant, vt eſſent in quindena Paſchæ Biterris, contra prænotatos hæreticos, per partes alias profecturi. Mouentes igitur à Niuerinis Epiſcopus Carcaſſonenſis peregrinique ſupradicti, itinere proſpero, ad Montem deuenerunt peſſulanum, ego autem eram cum Epiſcopo Carcaſſonenſi: ibi inuenimus Pariſienſem Archidiaconum & peregrinos qui cum ipſo venerant à partibus Gallicanis. Cardinalis vero, ſcilicet M. Robertus de Corceone, in partibus Podienſibus, quibuſdam negotiis occupatus. Proficiſcenteſque à Monte Peſſulano, venimus prope Biterrim ad caſtrum S. Tiberij, ibique occurrit nobis nobilis Comes Montis-fortis: eramus autem tam equites quam pedites circiter centum millia peregrini, inter quos vnus de militibus, erat vicecomes caſtri Dunenſis, pluresque alij milites, quos non eſt opus per ſingulos numerare. Progredientes à partibus Biterrenſibus venimus Carcaſſonam, ibique fecimus paucos dies. Notabiliter autem notandum eſt & pro miraculo illo eſt habendus, totus illius anni euentus, ſicut ſupradiximus, quando venit ſupra memoratus Petrus Beneuentanus in terram Albigenſem, Arragonenſes, Cathalonenſes erant Narbonæ congregati contra Chriſtianitatem & Comitem Montis-fortis & hac de cauſa, Comes noſter erat prope Narbonam, nec ſæpe poterat elongare, quia hoſtes, ſtatim totam terram in circuitu deuaſtarent. Sed & Tholoſani & Arragonenſes & Caturcenſes à remotis partibus mouebant ei guerras multum graues. Dum in hac tribulatione eſſet athleta Chriſti, non defuit adiutor in opportunitatibus in tribulatione, in vno ſiquidem & eodem temporis ſpatio, venit legatus à Curia Romana, venerunt à Francia peregrini. O magna multitudo miſericordiæ Dei, nec enim peregrini, ſicut multis viſum eſt, ſine legato aliquid magni feciſſent, nec legatus ſine peregrinis adeo profeciſſet, ſi enim hoſtes fidei non timerent peregrinos, non obediſſent legato: rurſus ſi non veniſſet legatus, peregrini qui tunc venerunt,

A venerunt, contra tot & tantos hostes parum proficere potuissent. Egit ergo misericorditer diuina dispositio, vt dum Legatus, hostes fidei, qui Narbonæ erant congregati alliceret & compesceret fraude pia, Comes Montis-fortis & peregrini qui venerant à Francia, possent transire ad partes Caturcenses & Aginnenses, & suos imo Christi impugnare inimicos. O Legati fraus pia. O pietas fraudulenta.

Guido de Monte-forti & peregrini terras Raterij de castronouo inuadunt & deuastant.

CAPVT LXXIX.

CVM fecissent supradicti peregrini paucos dies Carcassonæ, nobilis Comes Montis-fortis rogauit eos, vt cum Episcopo Carcassonensi & Guidone de Monte-forti fratre Germano ipsius Comitis, ad partes Rutenenses accederent, & etiam Caturcenses, vt terras tam Raterij de Castronouo, qui nobilissimum & christianissimum Comitem Balduinum, crudelissime prodiderat, quam aliorum hostium B Christi penitus deuastarent. Ipse vero Comes cũ suo primogenito Almarico, descendit vsque Valentiam, inuenitque ibi Ducem Burgundiæ & Delphinum, habitoque super præfato matrimonio consilio & assensu. Comes noster quia non erat tempus congruum ad contrahendum, nec ipse propter multimodas guerræ necessitates, ibi poterat facere multos dies, dictam puellam duxit secum Carcassonam, ibique fuerunt nuptiæ celebratæ. Peregrini vero, qui iam diu à Carcassona exierant, & iam Episcopatum intrauerant Caturcensem, terras hostium fidei, quæ timore eorum erant derelictæ vacuæ, vastauerunt. Nec prætereundum est, quod cum transiremus per Episcopatum Rutenensem, venimus ad quoddam castrum quod Mauriliacum vocatur, illi autem de castro voluerunt nobis resistere, quia miræ fortitudinis erat castrum & penitus inaccessibile. Erat autem in exercitu nostro magister Robertus de Corceone Apost. sedis Legatus, de quo supra tetigimus, qui nuperrime venerat à partibus Gallicanis: mox nostri in suo aduentu accesserunt ad castrum & cœperunt hostes suos acriter impugnare. Videntes illi de castro, quod amplius resistere non valerent, reddiderunt se ipsa die Legato, ad ipsius per omnia voluntatem: nostri vero de voluntate Legati, castrum penitus destruxerunt. Nec silendum, quod ibi inuenimus septem hæreticos, de secta illa quæ Waldensium dicebatur, qui ad Legatum adducti, suam incredulitatem plenius sunt confessi, quos nostri arripientes peregrini, cum ingenti gaudio combusserunt. Post hæc nunciatum est Comiti nostro, quod quidam milites Aginnenses, qui præcedenti anno ab eius dominio recesserant, C castrum quoddam munierant, quod dicitur Mons Pisatus. Quid plura? accessimus ad illud obsidendum: prænotati vero milites de Monte-pisato, audientes aduentum crucesignatorum, timore ducti fugerunt, castrum vacuum dimittentes, nostri vero venientes ad castrum, illud penitus destruxerunt. Mouens Comes noster à Monte-pisato, cœpit vlterius progredi per Episcopatum Aginnensem vt castra quæ præcedenti anno à suo dominio recesserant occuparet: omnes autem aduersarij timore ducti, antequam Comes accederet ad eos reddiderunt se illi, præter quoddam nobile quod Marmanda vocatur. Comes autem ob maiorem securitatem, ne iterum apostatarent sicut consueuerant, fere omnes turres & muros dirui faciebat, exceptis paucis de fortioribus castris, quæ ipse tam sibi quam Francigenis munire voluit & tenere. Veniens Comes ad obsidendum castrum Marmandæ, inuenit illud contra se munitum: miles enim quidam Regis Angliæ, quosdam seruientes in castrum adduxerat, vexillumque suum in summitate castri posuerat, vt castrum defenderet contra nostros, sed appropinquantibus nostris, & in ipso aduentu suo ad muros accedentibus, post modicam defensionem de castro fugere cœperunt, recipientesque se in nauibus per Garonam fluuium celeriter descendebant ad quoddam castrum proximum Regis Angliæ, quod Regula dicebatur: seruientes vero Regis Angliæ, qui ad defensionem castri venerant, se in tuto receperunt. Nostri vero intrantes castrum, bona illius omnia diripuerunt: seruientes vero Regis Angliæ, qui erant in turre, Comes viuos & sanos abire dimisit. Post hæc datum fuit Comiti à suis consilium, vt non funditus destrueret castrum, eo quod esset satis nobile, & in extremitate terræ suæ, sed

Nuptiæ inter Almaricum & Delphini filiam celebrantur.

Capitur Maurilia-cum.

consuluerunt vt turrim maiorem muniret cæterasque turres, & partem murorum dirueret, quo facto, reuersus est Comes Aginnum. Erat autem castrum Cassanolij nobile & fortissimum in territorio Aginnensi, ad pedem siquidem cuiusdam Montis, in amœnissima planitie situm erat, sed & aquis circumfluentibus, & natiuis rupibus cingebatur: erat in castro illo sedes hæreticorum vna de principalibus, & fuerat ab antiquo, homines autem castri illius, erant pro magna parte raptores & periuri, repleti omni iniquitate & genere peccatorum, iam enim semel & iterum, reddiderant se Christianitati, nunc etiam & tertia vice, Christianitati & Comiti nostro resistere attentarunt. Erat autem castri illius dominus maior, Hugo de Rominiaco frater Episcopi Aginnensis, hic Comitis familiaris fuerat & amicus: sed ipso anno rupta familiaritate & sacramento, per proditionem, à Deo recesserat, & Comite memorato: collegerant etiam se alij proditores quamplurimi in castro illo. Veniens igitur nobilis Comes Montis-fortis cum exercitu ante castrum, in vigilia Apostoli Petri & Pauli obsidionem firmauit ex vna parte super Montem, non enim sufficiebat exercitus eius, ad castrum in circuitu obsidendum. Post paucos autem dies, fecit Comes machinas erigi, ad diruendos muros castri: machinæ autem illæ, & ad muros & intra castrum instantius iacientes, in breui domos castri plurimas diruerunt, post aliquot autem dies, superuenientibus peregrinis, descendens Comes de Monte, fixit tentoria in planicie prope castrum, partem exercitus habens secum, plures vero remanserunt in monte, cum nobilissimo & probissimo iuuene Almarico filio Comitis, & venerabili Episcopo Carcassonæ Guidone, qui ibi Legati fungens officio, ad expugnationem & captionem castri instantissimè atque efficacissimè laborabat. Fecit autem Comes in planicie vbi se locauerat, erigi machinas quæ petrariæ nuncupantur die noctuque iacientes, muros castri debilitabant plurimum. Quadam autem nocte circa auroram, exeuntes plures ex aduersariis de castro, ascenderunt in montem impetum facturi vnanimiter in exercitum, venientesque ad tentorium, in quo Almaricus filius Comitis dormiebat, irruerunt in eum validissimè, ipsum capturi vel occisuri si possent, sed currentes nostri, & hostes viriliter infestantes, ad castrum suum redire compulerunt. Dum hæc agerentur in obsidione illa, Rex Angliæ, Ioannes, qui dolens exhæredatione nepotis sui videlicet filij Comitis Tholosani, bonis nostris successibus inuidebat, accesserat prope partes illas, ad Petragorisensem videlicet ciuitatem, habens secum exercitum magnum valde, confugerant enim plures de hostibus ad ipsum, qui peccatis suis exigentibus, iusto Dei iudicio fuerant exhæredati, quos idem assumpsit, & diu tenuit, non sine multorum scandalo, & graui propriæ famæ iactura. Illi vero qui erant in castro obsessi, frequentes nuntios mittebant ad Regem prædictum petentes succursum, & ipse eos per nuntios & promissiones plurimum animabat. Quid plura; fit rumor celebris in exercitu nostro, quia Rex sæpedictus, volebat in nos irruere, & fecisset forsitan si ausus fuisset. Comes autem fortissimus Mortis-fortis, in nullo perterritus est de auditis, sed firmiter proposuit, quod si Rex vellet irruere in exercitum, non ideo recederet ab obsidione, sed se & suos defendentes pugnaret contra eum, sed sæpedictus Rex, saniori vsus consilio, nihil de his quæ dicebantur, & quæ forsitan proposuerat agere attentauit. Nec silendum quod magister Robertus de Corceone Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus de quo supra fecimus mentionem, venit ad exercitum in obsidione Cassanolij, & paucos ibi faciens dies, laborabat prout potuit, vt pote homo bonæ voluntatis ad expugnationem castri, sed negotiis iniunctæ sibi legationis ipsum reuocantibus, non expectauit vsque dum caperetur castrum. Igitur laborantibus nostris in obsidione illa, & per iactus machinarum, muris castri pro magna parte debilitatis: quadam nocte, conuocatis Comes de maioribus exercitus, & quodam artifice carpentario, inquisiuit ab artifice illo, quomodo possent nostri ad muros accedere, & castrum capere per insultum, erat enim aqua profunda inter exercitum & castrum, & quoniam oportebat transire si vellent nostri ad muros accedere, & non erat ibi pons, quia aduersarij ipsum à parte exteriori diruerant ante aduentum nostrum. Multis multa dicentibus, tandem ad consilium dicti artificis, in hoc conuenerunt vt fieret pons de lignis & cledis, qui per mirabile artificium super dolia magna impulsus, per aquam nostros vltra portaret. Statim venerabilis Episcopus Carcassonæ, qui vt vltra ingredi etiam posset, die noctuque laborabat in his quæ obsidioni opus erant, conuocata multitudine peregrinorum, fecit

Obsidio Cassanolij.

A B C

A fecit afferri copiosa ligna ad faciendum pontem. Postquam autem factus est pons, armantes se nostri, parauerunt se ad insultum, impellentesque pontem, ad aquam vsque venerunt: sed mox vt pons aquam tetigit, pro sui ponderositate, & quia Ripa aquæ à parte illa alta erat, ad ima tanto impetu dilapsus est, quod nullo modo retrahi potuit vel leuari, sicque totus labor noster quo ad Pontem illum quassatus est in momento. Post paucos autem dies, fecerunt nostri alterius modi Pontem, si forte possent per ipsum aquam illam transire, parauerunt etiam nauiculas paucas, per quas licet cum magno discrimine, pars nostrorum transiret, omnibusque paratis, armantes se nostri, Pontem trahunt ad aquam, alij autem nauiculas ascenderunt. Illi autem de castro habentes petrarias, multas contra nostros instantissime & validissime iaciebant. Quid plura? proiiciunt nostri Pontem super aquam sed nihil profecerunt, quia nimis breuis & omnino insufficiens erat ponticulus ille: fit mœror & luctus nostris, gaudium & exultatio inimicis. Constantissimus autem Comes ex his quæ acciderant nihil desperationis concipiens, conuocat artifices suos consolans eos & mandans, vt attentarent parare machinas ad transeundum aquam, magister vero artificum, mirum & inauditum excogitauit machinæ modum, fecit enim afferri ligna multa & magna, & primo super ligna maxima construere quasi
B domum amplam de lignis, tectum habentem de cledis, non cacuminatum sed planum: postea super medium tecti, erexit quasi turrem altissimam de lignis & cledis, quinque habentem in altum mansiones, in quibus balistarij stare possent. Post hæc in circuitu turris illius, fecit super tectum memoratum quasi murum de cledis, in quibus stare possent multi de nostris qui turrem defenderent, habentesque aquam multam in cupis magnis, vt extinguere possent si hostes proiicerent ignem ob hoc etiam videlicet, ne hostes possent incendere machinam illam, fecit artifex ipsam operiri totam ex parte anteriori coriis bouinis. Omnibus igitur paratis, cœperunt nostri, trahere & impellere machinam versus aquam, hostes vero lapides grandes & creberrimos cum petrariis è contra iaciebant, sed nocebant per Dei gratiam in modico aut in nullo. Cum ergo nostri, machinam impulissent vsque ad aquam, attulerunt in cophinis terram, ligna & huiusmodi ad proiiciendum in aquam: illi qui erant sub tecto inferiori securi & inermes implebant fossatum, balistarij & alij qui erant in superioribus munitionibus, impetus hostium coërcebant. Quadam autem nocte aduersarij quidam nauiculam impleuerunt lignis siccis, carne salsa, adipe, & aliis lignis incentiuis, volentes eam impellere ad machinam nostram, vt comburerent eam, sed non potuerunt, quia seruientes nostri nauiculam illam combusserunt. Quid vltra? laborantibus nostris in implendo fossato, transibat machina nostra sicca pariter & illæsa, quantum enim implebant de fossato, tantumdem machinam vlterius impellebant. Quadam igitur die dominica videntes aduersarij
C transeunte machina, sibi captionis periculum imminere, proiecerunt ignem contra machinam, sed nostris cum aqua ignem extinguentibus, nihil proficere potuerunt, iam enim propinqui erant nostri & aduersarij, qui se mutuo cum lanceis impetebant. Cogitans igitur Comes noster, ne forte aduersarij de nocte comburerent machinam ipsam eadem die dominica circa vesperam, fecit armari suos, & omnes concrepantibus tubis vocari ad insultum: Episcopus autem Carcassonæ & clerici qui erant in exercitu cum eo, conuenerunt in locum eminentiorem prope castrum clamaturi in cœlum & pro nostris pugnantibus oraturi. Mox igitur nostri intrantes machinam, ruptis anterioribus machinæ cledis, cum multa probitate transiere fossatum. Interea clerici nostri, *Veni creator Spiritus*. Cum deuotione maxima decantabant: aduersarij autem videntes irruentes nostros, receperunt se intra muros, & cœperunt nostros per desuper muros iactu lapidum creberrimo grauiter infestare: nostri vero quia imminebat nox, & quia non habebant scalas, muros conscendere nequiuerunt, sed intra muros & fossatum, in modica quadam planicie stantes, barbacanas quas hostes extra muros fecerant, ipsa nocte destruxerunt. In crastino vero, tota die laborauerunt artifices nostri in scalis faciendis & aliis machinis, vt die tertia, castrum ascenderent per insultum, quod scientes & timentes milites ruptarij qui erant in castro, sequenti nocte exeuntes cum armis quasi insultum facturi in exercitum, omnes fugerunt, plures autem de nostris, insequuti sunt eos diutius sed comprehendere nequiuerunt, reliqui vero accedentes ad castrum media nocte, vi intrauerunt, apponentesque ignem, com-

busserunt illud, & quos inuenire potuerunt in ore gladij peremerunt, per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios, & si non omnes. Post hæc fecit Comes noster, quasi solo tenus, destrui in circuitu muros castri, sicque captum est & cassatum Cassanolium 16. Cal. Sept. ad laudem Domini nostri, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. A

De destructione castri Domæ in Petragoricensi diœcesi, quod erat pessimi tyrranni G. de Cahusaco.

CAPVT LXXX.

HIs ita gestis, significatum est Comiti nostro, quod in Episcopatu Petragoricensi, erant castra in quibus habitabant pacis & fidei inimici, & vere sic erat. Proposuit igitur Comes progredi & inuadere castra, vt per Dei gratiam & auxilium peregrinorum, expulsis ruptariis & raptoribus relegatis, pacem Ecclesiis, imo toti terræ Petragoricensi relinqueret: omnes autem Christi, & nobilis Comitis nostri aduersarij, audito quod captum esset Cassanolium, tanto timore percussi sunt, quod in nulla munitione etiam fortissima, aduentum Comitis & exercitus, ausi sunt expectare. Mouens igitur exercitus à Cassanolio, venit ad vnum de castris, quod Doma dicebatur, & inuenit illud vacuum & absque defensore, erat autem castrum nobile & fortissimum super Dordoniam fluuium, in amœnissimo loco situm. Statim Comes noster, turrem castri quæ erat altissima & pulcherrima, & pene vsque ad summum munita, subfodi fecit & dirui: ad dimidiam vero leugam, erat castrum aliud miræ fortitudinis, quod dicebatur Mons-fortis. Dominus vero castri, nomine Bernardus de Casuacio, homo crudelissimus & omnium pessimus, timore ductus, fugerat à facie Comitis nostri, castro suo vacuo derelicto, tot enim & tantæ erant crudelitates, rapinæ, enormitates illius nequissimi & sceleratissimi, quod vix possent credi, aut etiam cogitari. Et cum talis esset, procurauerat ei diabolus adiutorium simile sibi, vxorem videlicet, quæ erat soror Vicecomitis Turenæ. Hæc altera Iesabel, imo longe peior & crudelior quam Iesabel, omnium malarum erat pessima fœminarum, & viro in crudelitate non impar & malitia. Ambo igitur, cum essent nequissimi, spoliabant, imo destruebant Ecclesias, peregrinos inuadebant, membris innoxios detruncabant, ita quod in vnico Monasterio Monachorum nigrorum, quod Sarlatium dicitur, inuenti sunt à nostris centum quinquaginta inter viros & mulieres, qui manibus vel pedibus amputatis, erutis oculis, siue cæteris membris cæsis, à prædicto tyranno & vxore eius fuerant mutilati. Ipsa enim vxor tyranni, totius pietatis oblita, pauperibus mulieribus, vel mammillas faciebat extrahi, vel pollices abscindi, vt sic ad laborandum inutiles redderentur. O crudelitas inaudita: sed his omissis, cum nec millesimam malitiarum dicti Tyranni & vxoris eius partem possemus exprimere, ad propositum redeamus. Destructo igitur & euerso castro Domæ, voluit Comes noster subuertere castrum Montis-fortis, quod erat sicut diximus, præfati tyranni. Mox Episcopus Carcassonæ, qui totum pro negotio Christi, se laboribus exponebat, assumens secum partem peregrinorum, abiit & fecit dirui castrum illud, adeo autem fortissimi erant muri illius, quod vix poterant dirui, eo quod cementum in lapidem obduruisset, vnde etiam multos dies oportuit nostros facere diruendo castro. Ibant peregrini mane ad operandum, & sero reuertebantur ad locum castrorum, exercitus enim non recesserat à Doma, eo quod aptior & competentior exercitui erat locus. Erat præterea prope Montemfortem aliud castellum nomine castrumnouum, non impar cæteris in malitia, & hoc ipsum timore exercitus fuerat derelictum. Proposuit autem Comes noster tenere & occupare castrum illud, vt per hæc melius posset, pacis compescere turbatores: sicut cogitauit, ita & fecit. Erat insuper quartum castrum satis forte nomine Bænatium, huius castri dominus pessimus erat, & Ecclesiarum molestissimus oppressor: dedit autem ei Comes noster optionem, vt vnum eligeret de duobus, videlicet vt infra terminum à Comite & ab ipsis qui ibi erant præfixum, restitueret male ablata, aut humiliarentur muri castri ipsius, & ad hoc exequendum datæ fuerunt induciæ per plures dies, sed cum intra dies illos, de rapinis non fecisset restitutionem,

B and C margin letters omitted above?

noluit

A noluit Comes noster humiliare munitionem castri Bænacij, inuitoque tyranno & multum dolente, fecit Comes noster humiliare turrem & muros castri Benacij: allegabat enim maleficus sæpedictus, castrum suum non debere humiliari, eoquod ipse solus erat in terra illa, qui iuuaret Regem Franciæ, contra Regem Anglorum: sed Comes allegationes istas, vanas sciens & friuolas, non destitit à proposito. Iam etiam allegationes prædictas, tyrannus memoratus exposuerat Regi Franciæ, sed nihil proficere potuit. In hunc modum, subiugata sunt quatuor castra illa, Doma videlicet, Mons-fortis, Castrum nouum, Bænacium. In his 4. castris, à centum annis & antea, sedes fuerat sathanæ, ab his egressa fuerat iniquitas super faciem terræ. Istis igitur subiugatis, per peregrinorum laborem, & probitatem expertissimam Comitis Montis-fortis, reddita est pax & tranquilitas, non solum Petragoricensibus, sed etiam Caturciensibus & Aginnensibus & Lemouicensibus pro magna parte. His igitur ad gloriam nominis Christi peractis, rediit, Comes noster & exercitus ad partes Aginnenses, & data sibi opportunitate, fecit dirui munitiones quæ erant pet diecœsim Aginnensem. Postea venit Comes Figiacum, auditurus loco Regis Franciæ, causas & quæstiones indigenarum, Rex enim commiserat ei in partibus illis vices suas in multis. Multa audiuit & multa correxit, & plura correxisset, B sed noluit excedere fines Regij mandati. Inde progressus versus diœcesim Ruthenensem, occupauit, quoddam castrum fortissimum prope Figiacum, nomine Capdecanacum, vbi ab antiquo fuerat nidus & refugium ruptariorum. Inde venit Comes cum exercitu Ruthenam ciuitatem, impetiit autem Comes Comitem Ruthenensem de multis, ipse enim Comes Ruthenensis, homo ligius erat Comitis nostri, sed quoddam quærens subterfugium dicebat, quod partem terræ suæ maximam, tenebat à Rege Angliæ. Quid plura? Post multas altercationes, recognouit totam terram suam tenere à Comite nostro, & de tota terra sua fecit ei hominium, & ita facti sunt amici & concordes. Erat prope Ruthenam, castrum quoddam forte, nomine Seueracum, in quo habitabant ruptarij turbatores, tot enim & tanta mala proueniebant à castro illo, quod non posset de facili exprimi. Illi siquidem qui erant in castro illo, non solum Ruthenensem diœcesim infestabant, sed totam terram in circuitu ad Podium B. Mariæ. Dum igitur Comes noster esset apud Ruthenam, mandauit domino castri vt redderet ei ipsum castrum, ille vero de fortitudine munitionis confisus, cogitans etiam quod Comes tunc temporis non posset obsidionem circa castrum tenere, eo quod hyems erat, & castrum illud in montanis, & in locis frigidis esset situm, noluit reddere castrum suum. Quadam igitur nocte Guido de Monte-forti, frater Comitis nostri Germanus, assumptis militibus & seruientibus secum, exiens à ciuitate Ruthenensi, equitauit de nocte, vsque prope castrum sæpedictum, & summe diluculo, illucescente aurora, irruit subito in burgum inferius, cœpitque illud in momento & occupauit. C Illi autem de Burgo receperunt se in inferiorem munitionem, in summitate siquidem montis sita erat munitio, Burgum vero forinsecum à munitione illa per descensum montis protendebatur. Ideo autem dictus Guido occupauit Burgum, ne aduersarij veniente exercitu possent illud comburere. Veniens igitur Comes cum exercitu ad castrum Seueraci, inuenit dictum Burgum illæsum, domosque plurimas exercitui aptas ad manendum, quas occupantes nostri, firmauerunt obsidionem: à domino factum est istud, qui verus est in opportunitate adiutor, & pius in necessitate prouisor. Paucis diebus transactis, erexerunt machinam vnam quæ petraria dicitur, & fecerunt iacere contra castrum: aduersarij vero vnam similiter machinam erexerunt, & cum ipsa, nostros quantum poterant, infestabant. Nec silendum quod obsessos illos ita attenuauerat dominus in victualibus quod nimia penuria arctabantur, frigus præterea & hyemis asperitas, ita eos affligebat, vt pote qui modicas, & vilissimas habebant vestes, quod nesciebant quid agerent. Si quis autem de paupertate & miseria eorum miretur, nouerit, quod ita subito præoccupati fuerunt, quod non licuerit eis, nec armis nec victualibus se munire, non enim putabant, sicut diximus, quod nostri media hyeme, & in locis tam frigidis, possent obsidionem tenere. Post paucos vero dies, fame & siti & frigore & nuditate afflicti, postulauerunt pacem. Quid plura? Post longum & varium de modo compositionis tractatum, tandem ad proborum consilium, in hoc conuenerunt, tam nostri quam dominus castri, quod ipse redderet Comiti castrum, & Comes ipsum castrum

Obsidio Seueraci.

Episcopo Ruthenensi, & cuidam nobili militi qui dicebatur Petrus Brimundi traderet custodiendum, factumque est ita. Statim nobilis Comes de mera liberalitate sua, reddidit supradicto domino Seuaraci totam aliam terram suam, quam occupauerat Guido de Monte-forti: prius tamen quam redderet ei terram suam, induxit eum ad hoc, quod hominibus suis malum non inferret, eo quod se reddidissent memorato Guidoni. Post hæc etiam nobilis Comes, vtpote liberalissimus, reddidit ei Seueracum recepta ab ipso hominij fidelitate & sacramento, & ita in gratiam & familiaritatem Comitis est susceptus. Nec prætermittendum, quod per redditionem castri Seueraci, toti terræ illi reddita est pax & quies, in omnibus laudandus est Deus, amplectendus athleta ipsius fidelissimus, Comes videlicet Christianissimus Montis-fortis. His omnibus rite peractis, Magister Petrus Beneuentanus, Apostolicæ sedis legatus, de quo supra fecimus mentionem, reuersus à partibus Arragonensibus, in quibus pro grauibus negotiis fecerat longam moram, conuocauit celeberrimum & generalissimum Concilium in quindena natiuitatis dominicæ apud Montem-pessulanum. A

Concilium apud Montem-pessulanum legatus celebrat, cui intersunt 5. Archiepiscopi, & 28. Episcopis super dominio terræ conquisitæ, cuius Comes à Monte-forti princeps vno totius Concilij ore & consensu constituitur. B

CAPVT LXXXI.

ANNO ab incarnationis Domini 1214. in quindena natiuitatis dominicæ, conuenerunt apud Montem-pessulanum Archiepiscopi & Episcopi vocati à magistro Petro Beneuentano Apostolicæ sedis legato ad Concilium, vt de his, quæ pacis erant & fidei, idem legatus secundum Prælatorum consilium ordinaret. Conuenerunt autem ad illud Concilium quinque Archiepiscopi, videlicet Narbonensis, 1. Accitanus, 2. Ebredunensis, 3. Arelatensis, 4. Aquensis. Fuerunt Episcopi 28. pluresque de Baronibus terræ ibi affuerunt. Nobilis autem Comes Montis-fortis non intrauit cum aliis Montem-pessulanum, sed mansit diebus Concilij in quodam vicino castro quod erat Episcopi Magalonensis. Homines autem Montis-pessulani, vt potè pessimi & superbissimi, semper exosum habebant Comitem & omnes Francigenas, ita quod ipsum Comitem non permittebant Montem-pessulanum intrare: hac de causa mansit sicut diximus in castro prædicto, veniebatque cotidie vsque Montem-pessulanum in domo fratrum militiæ templi foris murum, vbi egrediebantur foris ad eum .... Archiepiscopi & Episcopi, quoties opus erat. Igitur conuenientibus vt prædictum est legato, Archiepiscopis & Episcopis, Abbatibus & aliis Ecclesiarum Prælatis apud Montem-pessulanum, fecit legatus sermonem, in Ecclesia beatæ virginis Mariæ. Postea vocauit in domo in qua manebat, Archiepiscopos quinque & Episcopos 28. Abbates & alios Ecclesiarum Prælatos innumerabiles: quibus in vnum congregatis, primo eos allocutus est in hæc verba. Repeto & requiro à vobis, sub obtestatione diuini iudicij & obedientiæ debito, quo Romanæ Ecclesiæ tenemini, vt omni gratia, odio, liuore postpositis, detis nobis fidele consilium, secundum scientiam vestram, cui melius & vtilius, ad honorem Dei & sanctæ matris Ecclesiæ & pacem terræ ad expugnandam vel expurgandam spurcitiam hæreticorum concedi & assignari debebat Tholosa, quam Comes Tholosanus tenuit & aliæ terræ quas occupauerunt exercitus Christianorum crucesignatorum. Omnes Archiepiscopi & Episcopi habuerunt longam & diligentem deliberationem, vnusquisque cum Abbatibus suæ diœcesis & familiaribus clericis suis, & quia bonum videbatur & rectum redegerunt in scriptū, & in hoc tandem omnium & singulorum vota & consilia conuenerunt, vt nobilem Comitem Montis-fortis eligerent in totius terræ illius principem & Monarcham. O res miranda, si creandus est Episcopus aut Abbas, vix in vnam personam conueniunt paucissimorum consensus, ecce in electione principis tantæ terræ, tot & tantæ personæ, in memoratum Christi pugilem, sine aliqua dissentione vota sua vnanimiter contulerunt: à Deo proculdubio factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Postquam ergo Archiepiscopi & Episcopi elegerunt prænobilem Comitem modo quo prædiximus, instantissime requisierunt C

A requisierunt à legato, vt ipse statim traderet totam terram eidem Comiti, sed habito recursu ad litteras D. Papæ, quas miserat legato, inuentum est, quod legatus non poterat istud facere, inconsulto D. Papa: & hac de causa, communi assensu tam legatorum quam Prælatorum, Ebredunensis Archiepiscopus Girardus, vir multæ scientiæ & totius bonitatis, Missus est Romam, & quidam clerici cum eo, litteras tam legati quam Prælatorum ferentes secum, in quibus supplicabant Prælati omnes D. Papæ instantissime, vt nobilem Comitem Montis-fortis, quem vnanimiter elegerant, concederet eis in terræ Dominum & Monarcham. Illud autem non credimus reticendum, quod dum celebraretur memoratum concilium in Montepessulano, quodam die legatus Comitem nostrum qui erat foris muros, in domo militiæ templi fecit vocari, vt intraret ad ipsum & Prælatos: statim Comes intrauit cum paucis, militibus vero suis, qui cum eo pauci intrauerant causa spatiandi per villam euagantibus, Comes erat cum legato & Prælatis ipse & duo filij eius, mox illi de villa vt pote nequissimi armauerunt se clanculo pro magna parte, intrantesque Ecclesiam beatæ Mariæ, postquam Comes intrauerat, totam viam per quam ipsum redire putabant obseruantes, expectabant reditum eius, vt eum occiderent si B possent, sed pius dominus, aliter & longe melius ordinabat. Innotuit ergo Comiti nostro quod fiebat, & per aliam viam quam intrauerat exiens, ab insidiis declinauit. His omnibus rite gestis, & celebrato per multos dies concilio, Prælati qui aderant, ad propria redierunt: legatus autem & Comes noster, venerunt Carcassonam. Interea legatus Episcopum Tholosanum misit Tholosam, vt ex parte ipsius occuparet & muniret castrum Narbonense, sic enim vocabatur munitio & palatium Comitis Tholosani. Ciues autem Tholosani, ad mandatum domini legati, imo potius, timore ipsius, filium Comitis Tholosani fecerunt exire à munitione iam dicta, quam hactenus tenuerant, & tradiderunt eam ex parte legati Episcopo suo, qui intrans munitionem tenuit eam, & muniuit eam militibus & seruientibus, tamen in sumptibus ciuium & expensis.

Primus aduentus Ludouici filij Regis Franciæ in partes Albigensium.

CAPVT LXXXII.

ANNO verbi Incarnati 1215. Ludouicus filius Regis Franciæ primogenitus, qui triennio iam transacto, crucem contra hæreticos assumpserat, sed multis & grauibus guerris fuerat impeditus, sopitis pro magna parte guerris, quas contra hostes multas & multum graues habebat pater eius, ipse iter arripuit ad partes Al- C bigensium, vt votum suæ peregrinationis expleret. Venerunt cum eo multi nobiles & potentes, qui omnes ad diem quam eis præfixerat, in die S. Dominicæ resurrectionis, conuenerunt ad Lugdunum. Fuerunt ibi cum Ludouico, Episcopus Beluacensis Philippus, Comes S. Pauli, Galterus Comes Pontiui, Comes Sagiensis, * & de Alancone Robertus, Guiscardus de Bello-ioco, Mathæus de Monte- * *sez.* Maurenciaco, vicecomes Meleduni, & multi alij probi milites nobiles & potentes. Fuit etiam ibi venerabilis Episcopus Carcassonæ Guido, qui ad preces nobilis Comitis Montis-fortis, paulo ante pro negotio fidei, ad partes descenderat Gallicanas, & cum Ludouico veniebat. Ludouicus autem & qui cum eo erant, ipsum tenerrime diligebant, eiusque voluntati & consiliis in omnibus acquiescebant. In crastino Paschæ, mouens Episcopus cum suis à Lugduno, venit Viennam: Comes autem Montis-fortis occurrebat domino suo, Ludouico videlicet, lætabundus & gaudens, & descenderat vsque Viennam: quanta autem fuerit in mutua illa obuiatione & visione exultatio, non esset facile exprimere. Progrediens Ludouicus cum suis Vienna, venit Valentiam: legatus autem de quo supra tetigimus, scilicet Magister Petrus Beneuentanus, occurrebat Ludouico, & venerat vsque Valentiam. Sicut in superioribus expressimus, memoratus legatus, ciues Tholosanos & Narbonenses & alios qui fuerant contra Christianitatem & Comitem Montis-fortis absoluerat, secreto suo & prouido consilio, quo ipse nouit: Tholosanam insuper & Narbonensem ciuitates & alia castra hostium Christi in partibus Albigensibus, in manu sua & protectione tenebat, timebatque ne Ludouicus, vt pote primogenitus

Regis Franciæ, & totius terræ quam legatus tenebat dominus principalis, aliquid potestatiue vellet facere contra consilium & ordinationem legati, aut occupando ciuitates & castella, quæ legatus tenebat, aut etiam destruendo, ideoque sicut dicebatur & erat verisimile, non placebat legato aduentus & præsentia Ludouici, nec mirum. Cum enim tota terra sæpius memorata, veneno hæreticæ prauitatis infecta fuisset, Rex Franciæ vt pote dominus principalis, admonitus fuerat, & multoties requisitus, vt tanto morbo manum apponeret expulsiuam, & ab hæretica spurcitia, purgare intenderet. Regnum suum: ipse vero non apposuerat consilium vel auxilium vt deberet, & ideo cum terra illa per D. Papam auxilio signatorum fuisset acquisita, non videbatur legato, quod Ludouicus deberet aut posset, contra ordinationes eius aliquid attentare. Videbatur etiam legato, qui cruce-signatus erat, & tanquam peregrinus veniebat, vnde non deberet eius dispositioni in aliquo contraire. Ludouicus autem vt potè mitis & benignissimus, respondit legato, quod ad voluntatem ipsius & consilium se haberet. Exiens Ludouicus à Valentia, venit ad villam S. Ægidij. Dum esset Ludouicus in villa S. Ægidij, & Comes nobilis Montis-fortis cum eo, venerunt à curia Romæ nuncij, quos sicut supra memoratum est, legatus & Archiepiscopi & Episcopi patriæ Prouincialis miserant ad Dominum Papam, postulantes ibi Dominum & Monarcham nobilissimum & Christianissimum Comitem Montis-fortis. Dominus autem Papa, misit litteras legato & Prælatis & etiam Comiti Montis-fortis, sub eadem forma, quibus continebatur, quod ipse Dominus Papa, totam terram, quam Comes tenuerat Tholosanus, terras etiam illas quas cruce-signati acquisierant, & quas legatus tenebat per obsides & custodes, commendabat Comiti Montis-fortis custodiendam, donec in Concilio generali, quod in Kalend. Nouemb. illius anni Romæ conuocauerat, de terris prædictis plenius ordinaret: hoc audito Ludouicus & Comes noster, significauerunt Legato de aduentu nunciorum. Legatus autem tunc erat prope S. Ægidium cum pluribus Episcopis in ciuitate Arelatensi.

Commendatur terra acquisita Comiti Montis-fortis.

Forma litterarum Dominus Papæ ad Comitem Montis-fortis hæc est.

INNOCENTIVS *Episcopus, seruus seruorum Dei, dilecto filio suo nobili viro S. Comiti Montis-fortis salutem & Apost. ben.* Nobilitatem tuam dignis in domino laudibus commendamus, quia pura dilectione, mente sincera & viribus indefessis, tanquam verus & strenuus miles Christi, & inuictus Catholicæ fidei propugnator, prælia domini laudabiliter præliaris, vnde in omnem fere terram, tuæ fidei & fidei sonus exiuit, propter quod, super caput tuum, multæ benedictiones effunduntur, ad gratiam tibi amplius acquirendam, & totius Ecclesiæ præcamina congeruntur, & multiplicatis intercessoribus, corona tibi gloriæ conseruatur, reddenda tibi à iusto iudice in futurum, quam propter tua merita, speramus esse tibi repositam nunc in cœlis. Eya miles Christi, ministerium tuum imple, currens per propositum tibi stadium, donec brauium comprehendas, nec in tribulationibus vnquam deficias. sciens collateraliter tibi assistere Deum Sabaoth, Dominum videlicet exercituum, ac principem militiæ Christianæ, nec velis bellicos sudores abstergere, antequam palmam victoriæ consequaris, quinimo cum bene inchoaueris bonum principium, ac media quæ postmodum laudabiliter prosequi curauisti, per longanimitatem & perseuerantiam quæ coronat, laudabilius optato fine studeas consummare, sciens iuxta verbum Apostoli, neminem esse coronandum, nisi legitime decertantem. Cum igitur totam terram quam Comes tenuit, Tholosanus, cum aliis terris à cruce-signatis obtentis, quæ à dilecto filio nostro Petro S. Mariæ in * Aquito Diacono Card. Apost. sedis Legato tenentur per obsides vel custodes, vsque ad tempus Concilij generalis, in quo de ipsis Consilio Prælatorum, plenius possimus salubriter ordinare, prudentiæ tuæ duximus committendas, vt eas conserues, custodias & defendas, concedentes tibi redditus & prouentus earum, cum iustitiis, & cum aliis ad iurisdictionem spectantibus, cum nec possis, nec debeas propriis stipendiis militare, saluis expensis, pro munitione & custodia castrorum, quæ de mandato nostro tenentur, nobilitatem tuam cum omni diligentia commonemus, totis affectibus in domino postulantes pro numine, ac sub obtestatione diuini numinis obsecrantes in remissionem peccaminum iniungendo, quatenus non refugias hanc pro Christo legationem

Exhortatio feruentissima summi Pontificis ad Simonem Comitem.

** Ciacon. habet Aquiro.*

A legationem recipere, cum ipse pro te à patre legatione suscepta tanquam gigas cucurrit vsque ad crucis patibulum & ad mortem, cum te totum deuoueris in Christi obsequio, non deficias fatigatus, nec recuses vsque ad finem, bonam pro Christo militiam exercere, nec vnquam in cor tuum ascendat, vt tam dulcibus paternis obuies monitis & mandatis, sed potius toto desiderio & affectu, amplecti studeas quæ mandamus, vt in perpetuum Christi amplexibus fouearis, qui te ad amplexus inuitans, extendit pro te brachia indefessa: prouida etiam deliberatione diligenter attendas, ne in vacuum cucurreris, aut etiam laboraueris, si per tuam negligentiam, locustarum multitudo, quæ de abyssi puteo sunt egressæ, sed per tuum ministerium, de terra quam occupauerant eiectæ, ipsam quod absit iterum occupauerint in exterminium plebis Dei. Nos autem quia pro certo speramus, quod de tua salute sollicitus, nunquam debeas mandatis Apostolicis obuiare, Baronibus, Consulibus & aliis Christi fidelibus in terris prædictis constitutis, dedimus in mandatis, in virtute Spiritus S. præcipientes districtè, quatenus plenarie intendentes mandata tua super negotio pacis & fidei, & aliis quæ superius sunt expressa, inuiolabiliter obseruare procurent, contra impugnatores Catholicæ fidei, & pacis disturbatores, B magnifice ac potenter tibi consilium & auxilium impendentes, ita quod eorum cooperante subsidio, negotium pacis & fidei salubriter exequaris: quod quoque Legato præcipiendo mandamus, vt super his statuat & disponat, quidquid ipsi negotio viderit expedire, impendens tibi consilium & auxilium opportunum, & quod statueris, faciat firmiter obseruari; contradictores si qui fuerint vel rebelles, sublato cuiuslibet conditionis vel appellationis obstaculo, ad id quod viderit expedire, districtione compellens. Datum Laterani 4. Non. Apr. Pontif. anno 18.

PROGREDIENS Ludouicus à villa S. Ægidij, venit ad Montem-pessulanum, & inde Biterrim, ciuitas autem Biterris, distat quatuor tantum leugis à Narbona, ciues autem Narbonenses timore ducti, miserunt ad Ludouicum, significantes ei, quod parati erant ad faciendam eius in omnibus voluntatem. Nec silendum quod Archiepiscopus Narbonensis Arnaldus, quantum poterat laborabat ad hoc, quod muri Narbonæ non diruerentur, ob hoc etiam descenderat obuiam Ludouico vsque Viennam: dicebat siquidem quod sua erat Narbona, & hoc pro parte verum erat: insuper etiam Ducatum Narbonæ, quem ab antiquis temporibus Comes tenuerat Tholosanus, vsurpauerat sibi Archiepiscopus & tenebat. Quamuis autem homines Narbonenses, essent pro parte de dominio Archiepiscopi, tamen contra Deum & Christianitatem, Comiti Montis-fortis se opposuerant, imo Christum impugnauerant toto nisu, ob hoc etiam in villam suam intromiserant hostes Christi & diu tenuerant. Archiepiscopo etiam, qui pro conseruatione murorum ita ardenter laborabat, graues præcedenti anno intulerat metus mortis, vnde videbatur nostris, quod Archiepiscopus contra vtilitatem Ecclesiæ, & suam etiam, instabat ne C muri caderent Narbonæ, propter hoc & alia quædam, quæ non est necessarium replicare, aliquantulum discordiæ interuenerat, inter Archiepiscopum & Comitem Montis-fortis: videbatur fere omnibus, quod Archiepiscopus quo ad prædicta, non satis in futurum prouidebat vtilitati negotij fidei Christianæ. Cum essent Biterris, Legatus & Ludouicus & Comes Montis-fortis & peregrini, omnes de voluntate Legati & consilio Prælatorum, qui plures illuc conuenerant, ita est ordinatum, quod Ludouicus de voluntate & auctoritate Legati, faceret dirui muros Narbonæ, Tholosæ, & quorumdam castrorum, eo quod per munitiones illas, Christianitati euenerant multa mala. Inhibuit autem Ludouico, ne homines dictarum ciuitatum, perturbaret in aliquo, nisi tantum in dirutione murorum. Quod vt posset melius obseruari. Ludouicus mandauit ciuibus Narbonæ, vt ipsi ad arbitrium duorum militum, quos ad hoc misit Narbonam, infra tres septimanas diruerent muros suos, quod nisi facerent, scirent se grauiter puniendos. Cœperunt igitur Narbonenses diruere muros Iericho, Narbonæ videlicet ciuitatis. Ludouicus autem mouens à Biterris, venit cum suis Carcassonam, vbi cum per aliquot dies moram fecisset, venit Legatus. Quadam igitur die conuocauit legatus ad se in domum Episcopi Carcassonensis, Episcopos qui aderant, Ludouicum, & Comitem Montis-fortis, & nobiles qui erant cum Ludouico. Quibus omnibus congregatis, legatus iuxta formam mandati Apostolici, commendauit Comiti terram vsque ad Concilium generale. Post hæc mouens Ludouicus Carcassonam, porrexit ad quoddam castrum

Archiepiscopus Narbonensis vrbis ipsius ex magna parte dynasta.

A vicinum, quod dicitur Fanum-Iouis, & fecit ibi paucos dies. Interea Legatus & Comes Montis-fortis, perrexerunt ad castrum Apamiarum. Venit ibi ad Legatum, pessimus Comes Fuxi. Comes autem noster, noluit illum videre: ibi commendauit Legatus Comiti nostro castrum Fuxi, quod diu in manu sua tenuerat, Comes autem noster, statim misit milites, & castrum Fuxi muniuit. Nec silendum quod antequam exirent Legatus & Ludouicus à Carcassona, Comes Montis-fortis, misit Guidonem fratrem suum & milites cum eo, ad recipiendam & occupandam ex parte eius Tholosam. Post hæc receperunt ex parte Comitis nostri sacramenta fidelitatis à ciuibus, & præceperunt eis vt diruerent muros ciuitatis: acquieuerunt ciues licet inuiti nimiumque dolentes, & plus timore impulsi, quam amore inducti, cœperunt diruere muros suos. Ab illo igitur tempore, humiliata est superbia ciuitatis Tholosanæ. Igitur postquam Legatus commendauit Comiti nostro castrum Fuxi, Legatus ipse & Ludouicus, & Comes Montis-fortis & peregrini omnes, perrexerunt & intrauerunt Tholosam. Inde Ludouicus & peregrini, peracto peregrinationis suæ termino videlicet 40. dierum, ad partes Franciæ redierunt. Legatus etiam exiens à Tholosa, venit Carcassonam, ibique expectauit per aliquos dies Comitem Montis-fortis. Comes autem nobilis, postquam paucos dies fecerat in Tholosa, venit Carcassonam ad Legatum. Postquam igitur Legatus in terra Albigensium fecerat plures dies, & sicut vir circumspectus & prouidus, iniunctæ sibi legationis officium laudabiliter fuerat exequutus, tota insuper terra sæpedicta, de mandato summi Pontificis commendata erat nobili Comiti Montis-fortis, descendensque idem Legatus in partes Prouinciæ, ad summum Pontificem est reuersus: Nobilis autem Comes Montis-fortis, prosecutus est Legatum Carcassona, vsque ad S. Antonium prope Viennam. Inde perrexit Legatus Romam, nobilis autem Comes, postquam fecit in Prouincia paucos dies, ad partes reuersus est Carcassonæ, factisque ibi paucis diebus, versus partes Tholosanas & Aginnenses se transtulit, vt visitaret terras illas, & corrigeret corrigenda. Nec silendum, quod muri Tholosæ, pro magna parte, fuerant iam subuersi. Post aliquot autem dies, Bernardus de Casuacio, vir pessimus & crudelis de quo supra fecimus mentionem, castrum quoddam in Petragoricensi diœcesi, quod ipsius fuerat, & dicebatur castrum nouum, proditiose recuperauit. Miles enim quidam Francigena, cui Comes custodiendum commiserat castrum illud, minus sufficienter illud munierat, sed dimiserat pene vacuum, quo audito, prædictus Bernardus, venit ad castrum & obsedit illud, statim cœpit, milítesque qui ibi erant morte patibuli condemnauit.

Tholosani muri ab inuitis ciuibus deijciuntur.

B

Concilium Lateranense celebratur, in quo Comitatus Tholosanus, Simoni Comiti commendatus, decreto Concilij eidem conceditur.

C

CAPVT LXXXIII.

ANNO verbi incarnati 1215. mense Nouembri, Dominus Papa Innocentius 3. conuocatis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus & aliis Ecclesiarum Prælatis, in Lateranensi Ecclesia, celebrauit in vrbe Roma generale Concilium & solemne. Inter alia quæ ordinata fuerunt in Concilio & statuta, tractatum fuit de negotio fidei contra Albigenses: venerat etenim ad Concilium, Raimundus quondam Comes Tholosanus & filius eius: Comes etiam Fuxi, pacis & fidei manifestissimi turbatores, supplicaturi Concilio, pro recuperatione terræ suæ, quam perdiderant, diuina disponente censura, suffragante auxilio signatorum. Comes vero nobilis Montis-fortis, misit illuc fratrem suum Germanum, Guidonem de Monte-forti, aliosque fideles nuncios & discretos. Verum quidem est, quod fuerunt ibi aliqui, etiam quod est grauius de Prælatis, qui negotio fidei aduersi, pro restitutione dictorum Comitum laborabant, sed non præualuit consilium Architofel, frustratum est desiderium malignorum. Dominus etenim Papa approbante pro maiori parte & saniori sacrosancto Concilio, in hunc modum ordinauit de negotio memorato. Statuit siquidem & prouidit, quod Tholosa ciuitas, & aliæ terræ à cruce-signatis obtentæ, concederentur Comiti Montis-fortis, qui in prædicto negotio, viriliter & fideliter laborauit supra omnes: terram vero quam Comes Tholosanus

Episcopi nonnulli pro hæreticis indecore supplicant.

A losanus habuerat in Prouincia, custodiri voluit summus Pontifex, vt de illa fieret prouisio in parte vel in toto, filio dicti Comitis Tholosani, si tamen per certa fidelitatis & bonæ conuersationis indicia ostenderet, se misericordia dignum esse. Sed quam male prædicta se habuerint, & qualiter misericordiam in durum sibi conuertit iudicium, in sequentibus ostendemus. Post reditum nunciorum suorum à Concilio, Comes Montis-fortis, de Prælatorum terræ Albigensis, & Baronum suorum consilio, perrexit in Franciam ad Dominum suum Regem, vt ab eo terram reciperet, quæ de feudo eius erat. quantus autem honor ei exhibitus in Francia, nec à nobis scribi, nec ab audiente de facili, credi posset: in quamcumque enim ciuitatem, castellum, seu villam intrabat, exibant ei obuiam cum processione clerus & populus, clamantes & dicentes, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, tantaque & talis erat pia & religiosa deuotio populi, quod beatum se esse dicebat, qui eius poterat tangere fimbriam vestimenti. Veniens Comes ad Regem, ab eo benignissime & honorifice est susceptus. Post iocunda vero gratæ familiaritatis colloquia, Rex inuestiuit Comitem & confirmauit ducatum Narbonæ, Tholosani, ei & hæredibus eius: totam etiam terram, quam in feudo eius acquisierant cruce-signati, contra hæreticos & defensores eorum. Cum esset nobilis Comes in Francia, Raimundus filius

B Raimundi P. quondam Comitis Tholosæ puer sed non à puerilitate, imo potius à stultitia, mandatis Apostolicis per omnia veniens ex aduerso, spreta insuper illa magna gratia, & copiosa misericordia, quam ei sedes Apost. fecerat licet indigno, ad partes Prouinciales accessit, & facta coniuratione contra Deum & iura ciuilia & canonica, cum Auinionensibus, & Taraconensibus, & Massiliensibus, consilio & auxilio quorumdam nobilium Prouinciæ, occupauit terram illam, quam de commendatione D. Papæ, custodiebat nobilis Comes Montis-fortis. Occupata terra trans Rhodanum, venit ad quoddam nobilissimum castrum in regno Franciæ, in diœcesi Arelatensi, in ripa Rhodani fluuij magni situm. Castrum illud fuerat Comitis Tholosæ, sed Ecclesia Romana illud concesserat, & Rex confirmauerat Comiti Montis-fortis, nec non & Archiepiscopus Arelatensis, cuius est minus dominium eiusdem castri, eidem Comiti vt vassalo in feudum concesserat, & ab eo hominium acceperat pro eodem castro. Veniens dictus Raimundus Belliquadrum, vocatus ab hominibus eiusdem castri, qui nostro Comiti hominium fecerant, in burgum est receptus. Statim confluentibus ad eum quibusdam nobilibus Prouinciæ, ciuibus & Auinionensibus & Massiliensibus, Burgensibus insuper Tarasconensibus, viris perfidis & malignis, Seneschallum Comitis Montis-fortis, militesque & seruientes, qui cum dicto Seneschallo munitionem seruabant, in ipsa munitione obsedit, cœpitque acriter impugnare. Quo audito, Guido frater Comitis Montis-fortis, & Almaricus ipsius Comitis primogenitus, cæterique Barones Comitis &

C milites, qui erant in partibus Tholosanis, festinanter venerunt versus Belliquadrum, vt suis si possent, succurrerent obsessis. Erat autem cum eis, venerabilis Episcopus Carcassonæ Guido, qui sicut sæpedictum est, erat in fidei negotio totus ardens. Interea Comes nobilissimus Montis-fortis, cum festinatione veniebat à Francia: adducebat autem secum plures milites, quos magnis stipendiis conductos traxerat à Francia. Properantes Guido frater Comitis, & Almaricus filius eius, versus Belliquadrum, venerunt Nemausum ciuitatem, quæ distat à castro Belliquadri spatio quatuor leugarum, & manserunt ibi nocte vna. Facto autem mane, audita Missa, facta confessione, & communione dominici Sacramenti percepta, ascensis equis egrediuntur à Nemauso, Belliquadrum properantes. Ibant autem parati ad bellum: hoc enim erat summum ipsorum & solum desiderium, scilicet quod possent cum hostibus, capitalem habere congressum. Factum est autem dum essemus in via, dictum est nobis, quod prope publicam stratam, erat quoddam castrum Bellagarda nomine, quod reddiderat se hostibus nostris, & etiam ipsam publicam stratam poterat plurimum infestare: ideoque de nobilium nostrorum consilio diuertimus ad castrum illud, quo statim capto, ibi quieuimus nocte illa. In crastino summo diluculo audita Missa, exiuimus à castro illo, Belliquadrum properantes. Ibant autem nostri parati ad bellum, tribus aciebus dispositis, in nomine Trinitatis. Venientes autem nostri ante castrum Belliquadri, inuenimus infinitam hominum multitudinem, qui milites & seruientes nostros in castri munitione obsessos tenebant: sed cum essent infiniti hostes, nostri vero respectu eorum pauci, non tamen ausi sunt exire inferiores

muros castri, licet nostri ante muros diutissime stantes eos ad prælium inuitarent. A
Videntes nostri, quod non exirent hostes ad dimicandum contra eos, postquam expectauerant eos & inuitauerant ad exeundum, reuersi sunt ad castrum Bellegardæ, vnde venerant die altero reuersuri. Dum autem essemus apud Bellamgardam, Comes nobilis Montis-fortis, rediens à Francia, properansque Belliquadrum, venit Nemausum. In crastino summo manè, mouit Comes à Nemauso, & nos à Bellagarda, venientesque ante Belliquadrum, Comes ex vna parte, & nos ex altera, ipsos obsedimus obsessores. Videns Filius quondam Comitis Tholosani, quod Comes Montis-fortis, obsedisset Belliquadrum, conuocauit quoscum que potuit, Auinionenses, Tarasconenses, Volobercenses & multos alios de vicinis castellis & gentem perfidiam, gentem apostatantem, hi enim in vnum congregati, contra Deum & athletam Christi, scilicet Comitem Montis-fortis, obsessos nostros qui erant in munitione, quantum poterant infestabant, non enim solummodo obsederamus Belliquadrum, sed ciuitates & castella supradicta, imo Prouinciam fere totam: fecerant autem hostes circa munitionem à parte exteriori murum & fossatum, ne nostri ad munitionem accedere possent, ipsam præterea munitionem cum machinis quæ dicuntur petrariæ acriter infestabant, crebros præterea & duros insultus, nostris qui B
erant in munitione faciebant, sed nostri se viriliter ac mirabiliter defendebant, & ex eis plurimos occidebant. Fecerunt hostes arietem miræ magnitudinis, quam applicantes ad murum munitionis, ipsum murum fortiter concutiebant. Nostri vero, per miræ probitatis & subtilitatis artificia, ita impediebant ictus arietis, quod in nullo, vel in modico, debilitauerunt murum. Fecerunt etiam aduersarij multas & alias multimodas machinas, sed nostri obsessi omnes combusserunt: Comes autem nobilis Montis-fortis, cum multo discrimine & expensis, foris tenebat obsidionem, tota quippe terra in circuitu, corruperat viam suam: non enim poteramus habere victualia ad opus exercitus, nisi à villa S. Ægidij, & à Nemauso. Opportebat etiam, quod quando volebamus, habere victualia à duabus villis, mitterentur milites, qui armati conducerent eos, qui victualia deferebant. Opportebat insuper quod sine intermissione, tam die, quam nocte, tertia pars militum exercitus armata esset, tum quia timebatur, ne hostes subito in exercitum irruerent insperati, quod tamen nunquam ausi sunt attentare, tum propter machinas custodiendas. Parari etiam fecerat Comes nobilis petrariam, quæ iaciebat ad primum murum burgi, non enim poterat habere plures machinas, quia non habebat milites, qui traherent eas, paucissimos habebat milites indigenas, & illi tepidi erant & trepidi, & in modico, vel in nullo, exercitui Christi proficientes. Illi vero qui erant à parte aduersa, animosi erant & audaces. Nec silendum, quod quando hostes, aliquos de nostris capere poterant, siue clerici essent, siue laici, morte turpissima condemnabant, postquam enim suspenderant eos, alios occidebant, alios membris truncabant. O bellum ignobile, ô C
confusa victoria. Quadam die cœperunt quemdam militem de nostris, captum occiderunt, occisum suspenderunt, suspenso manus & pedes abstulerunt. O crudelitas inaudita. Pedes insuper militis quos absciderant, proiecerunt in munitionem cum Mangonello, vt ita terrerent, & irritarent obsessos nostros. Interea Raimundus quondam Comes Tholosæ, discurrebat per Cathaloniam & Arragoniam, adunando quos poterat milites, vt eorum auxilio intraret terram nostram, & occuparet Tholosam. Ciues autem Tholosani nequam & infideles, parati erant eum recipere, si veniret. Insuper obsessis nostris qui erant in Belliquadro, victualia defecerunt, nunquam enim possent eos capere hostes, si ad sustentationem solummodo haberent victum: significata est Comiti nostro, suorum inopia obsessorum, qui in multa anxietate positus, quid ageret nesciebat, nec enim suos obsessos poterat liberare, nec vlla ratione volebat, expositos morti dimittere. Tholosana insuper ciuitas, & aliæ terræ quas tenebat, erant in summo perditionis periculo. His omnibus diligenter consideratis, laborare cœpit Comes nobilis & fidelis, quomodo obsessos suos, liberare posset & habere. Quid plura? loquuntur nostri per interpositas personas cum hostibus, fit talis dispositio, ne expositionem dicamus. Ordinatur, quod obsessi nostri, dimitterent hostibus munitionem Belliquadri, ita quod dimitterent eos aduersarij exire cum suppellectili sua tota, factumque est ita. Si quis autem consideret huius obsidionis circumstantias, licet nobilis Comes de captione Belliquadri, non habuerit victoriam, tamen fidelis nobilitatis, & nobilissimæ fidelitatis insignia reportauit.

Recedens

A Recedens nobilis Comes cum suis ab obsidione Bellicadri, venit Nemausum, ibique dimittens equites, qui custodientes ciuitatem, etiam discurrerent per terram, ipse properauit Tholosam, quod audiens Raimundus quondam Comes Tholosæ, qui & ipse veniebat ad occupandam Tholosam, confusus aufugit. Accedens Comes Tholosam, præmisit quosdam de militibus suis in ciuitatem, ciues autem perfidi & ad proditionem parati, cœperunt illos, & in vna domo tenuerunt inclusos: quod audiens Comes, iratus & miratus est valde, vidensque quod Tholosani vellent resistere, fecit ignem apponi in parte ciuitatis, ciues autem fugerunt in Burgum adhuc volentes resistere; sed videntes quod Comes vellet eos aggredi per insultum, timore ducti, exposuerunt se & ciuitatem eius per omnia voluntati: Comes vero muros & turres ciuitatis, funditus euerti fecit: insuper & de ciuibus obsides habuit, quos in castris suis posuit custodiendos. Interea homines sancti Ægidij apostatæ & infideles, receperunt in villam suam, filium quondam Comitis Tholosæ, contra Abbatis & Monachorum voluntatem, quod videntes ipse Abbas & Monachi, extrahentes de Ecclesia corpus Christi de villa nudis pedibus exierunt, villam ipsam interdicto & anathemati supponentes. Peractis Comes nobilis apud Tholosam aliquantis diebus, iuit in Vasconiam, ibique contractum est matrimonium inter Guidonem fratrem ipsius Comitis qui erat secundus natu & Comitissam Bigorræ, & B post paucos dies, Comes rediit Tholosam.

Obsidio Montis Grenarij.

CAPVT LXXXIV.

EO tempore, ille negotij Iesu Christi hostis antiquus & persecutor indefessus Comes Fuxi, mandatis summi Pontificis & generalis Concilij secundi, super pace vel saltem treugis, per quindenium obseruandis, veniens ex aduerso, munitionem quandam extruxerat prope Fuxum quæ Mons Grenarius dicebatur. Erat autem dicta munitio, in altissimi summitate montis fundata, & quantum ad humanam æstimationem, non solum inexpugnabilis, sed quasi inaccessibilis videbatur, ibi habitabant turbatores pacis & fidei subuersores, ibi hostes Ecclesiæ habebant refugium & recursum. Audiens Comes nobilis Montis-fortis, quod per munitionem sæpedictam, damna multa & grauia prouenirent, quod nisi festinanter periculo occurreret imminenti, damnificari posset incomparabiliter negotium Iesu Christi, obsidere proposuit munitionem sæpius nominatam.

ANNO igitur verbi Incarnati 1216. 8. Id. Febr. Montem-Grenarium, obsedit C Comes fortissimus Montis-fortis. Erat autem in munitione illa Rogerius Bernardi filius Comitis Fuxensis, non degenerans ab iniquitate paterna, plures erant milites & seruientes cum eo: non enim credebat, quod aliquis mortalium, Montem-Grenarium non solum capere posset, sed etiam tali tempore obsidere auderet: sicut enim diximus, in montanis altissimis & frigidissimis situs erat, hyemps adhuc erat, quæ in locis illis solet asperius dominari, sed fortissimus Comes, fidens in illo, qui aquis & ventis imperat, & cum tentationibus dat prouentum, non veritus ventorum turbinem, non asperitatem niuium, non pluuiæ abundantiam expauescens, in luto & frigore obsidionem suam firmans, castrum obsessum cœpit fortiter impugnare, illi de castro se defendere toto nisu. Et quia omnes huius obsidionis difficultates & argutias, vix possemus per ordinem enarrare, istud breuiter dicimus, quod totus illius obsidionis status, non tam labor, quam martyrium debeat appellari. *Mons grenarius oppugnatur.* Post multos autem dies, obsessis aqua defecit, & deficientibus etiam victualibus, defecit eis animus resistendi. Obsessores autem nostri licet cum difficultate maxima, ita die noctuque, omnes aditus obstruebant, quod obsessi, nec victualia inferre poterant in castrum, nec audebant descendere ad hauriendum aquam. His afflicti angustiis, loquuntur de redditione castri, veruntamen nostri, non plene sciebant statum eorum, vnde facilius petitioni eorum assenserunt. Modus autem redditionis quem aduersarij offerebant, talis erat. Offerebant, quod redderent Comiti castrum, dummodo permitterentur abire cum armis suis. Exit de castro Rogerius Bernardi cum suis: iurauit autem Rogerius Comiti, quod per vnum annum, non

faceret ei guerram, quod iuramentum, quam male seruauerit, in sequentibus ostendemus. Redditum est castrum in vigilia dominicæ Resurrectionis. Statim Comes nobilis castrum seruientibus muniuit, & post hæc, perrexit Carcassonam, erant autem castra quædam in diœcesi Narbonensi & prope Termas, in quibus habitabant ruptarij, qui peccatis exigentibus, fuerant de terris suis expulsi. Iuit Comes ad partes illas, & ex castris illis, quædam vi cœpit, quædam sine conditione aliquâ reddiderunt. His rite gestis, peruenit Comes nobilis, versus partes Prouinciæ, ad diœcesim videlicet Nemausensem, villa siquidem sancti Ægidij, inito mortis fœdere, cum Auinionensibus & Bellicadrensibus, & plura castra dictæ diœcesis, ipso anno recedentes à Deo & ab Ecclesia reddiderant Raimundo, filio Raimundi quondam Comitis Tholosani. Cum vero Comes nobilis, causa peregrinationis, & de voluntate Abbatis, qui plenum habet dominium in dicta villa, ad villam sancti Ægidij peruenisset, non est admissus ab hominibus eiusdem villæ, sed appellantes ad dominum B. Cardinalem, portas villæ clauserunt: sed Comes noster, sicut vir humilis & deuotus appellationi deferens, inde recessit: venerat enim in Prouincia ipso tempore, Magister Bertrandus, tituli SS. Ioannis & Pauli Præsbyter Cardinalis, Apostolicæ sedis Legatus, vir multæ scientiæ & probitatis immensæ, missus à summo Pontifice, vt in Prouincia Viennensi, Arelatensi, Aquensi, Ebredunensi, Narbonensi, quæ pacis sunt & fidei ordinaret, erat autem trans Rhodanum in Arausica ciuitate. Ciues autem Auinionenses & Massilienses, & homines villæ sancti Ægidij, & Bellicadrenses, & Tarrasconenses, dati in reprobum sensum, & versi in apostasiam, obedire nolebant. Interea Comes nobilis Montis-fortis, castra quæ apostatauerant ipso anno sicut prædiximus in diœcesi Nemausensi, fortiter impugnabat. Venerant autem in eius auxilium, Girardus Bituricensis Archiepiscopus, & Robertus Claromontensis Episcopus viri potentes, qui anno præcedenti, crucem assumpserant, contra turbatores pacis, & fidei subuersores. Venerunt autem cum eis, milites & seruientes quamplures, quorum auxilio suffultus Comes, obsedit quoddam castrum prope villam sancti Ægidij quod Postquariè nuncupatur: quo capto in breui, obsedit aliud castrum, quod Brimicium appellatur, quod viriliter impugnans, potenter expugnauit, multosque de hominibus castri, pro meritis, patibulis suspendit, quæ res, apostatas omnes de terra illa, adeo perterruit, quod dati in stuporem, castra omnia in quibus habitabant, fugientes à facie Comitis, vacua dimiserunt, in tota enim terra illa citra Rhodanum, vix remansit qui resisteret Comiti, præter villam sancti Ægidij & Bellicadrum, & aliæ munitiones paucissimæ. His gestis, descendit Comes versus villam super Rhodanum, quæ dicitur portus sancti Saturnini, Cardinalis autem transiuit Rhodanum versus Viuariam ciuitatem, volens videre Comitem, & cum eo habere colloquium super negotio Iesu Christi, non enim erat liber transitus in aliquo viciniori loco per Rhodanum, quod Auinionenses & alij hostes fidei impedirent propositum & conatum, qui sicut ipse conquerebatur, eum quodammodo obsessum tenuerant in Arausica ciuitate, & venit ad sanctum Saturninum, vbi inter alias iniurias, quas fecerunt ipsi Legato inimici fidei atque pacis, hæc fuit non modica, quod cum ipse Legatus sederet cum multis clericis & laicis in aspectu Rhodani, subito inimici Dei qui portum munierant, in personam Legati, septem & octo emiserunt quarellos, Deo ipsum conseruante illæsum, tamen tractarius Papæ qui ibi aderat, vulneratus est. Comes autem cum exultatione & festinatione maxima, venit ibidem ad Legatum. Quantum autem honorem exhibuit Comes christianissimus Cardinali, non esset facile explicare. Circa idem tempus, Archiepiscopus Bituricensis & Episcopus Claromontensis, peracto suæ peregrinationis termino, videlicet 40. dierum, ad propria remearunt: Comes vero noster, turrem Draconeti fortissimam, super Ripam Rhodani sitam obsedit viriliter, cœpit & funditus dissipauit, captis illis omnibus qui intus erant & vinculis mancipatis: ad hoc autem turris facta fuerat, vt esset spelunca latronum, peregrinos & alios spoliantium, tam per terram, quam per Rhodanum transeuntes. Post hæc omnia, fuit Cardinalis consilium & voluntas, vt nobilis Comes transiret Rhodanum, & in Prouinciæ partibus, pacis compesceret turbatores: Raimundus enim filius quondam Comitis Tholosani, & Ademarus Pictauensis, & complices eorumdem, negotium pacis & fidei in partibus illis, totis nisibus perturbabant. Obediuit Comes nobilis Cardinali, & fecit sibi parari apud Viuariam nauiculas, vt Rhodanum transiret: quod audientes aduersarij ipsius, conuenerunt

Descendit Comes in Prouinciã.

A conuenerunt in vnum per terram, vt eis transitum impedirent: sed & Auinionenses venientes per Rhodanum cum nauibus valde munitis, proposuerunt Comiti transitum prohibere: sed cum paucissimos de militibus Comitis transire viderent, diuino miraculo versi in timorem, fugæ præsidia quæsierunt: sed & omnes qui de terra illa, adhærebant aduersariis Comitis, tantus terror inuasit, quod castra multa & fortia dimiserunt. Transiuit igitur Comes nobilis cum suis, & venit ad castrum quod dicitur Montilium: Cardinalis autem transiuit cum eo de cuius voluntate & mandato, Comes omnia faciebat, Guitaldus autem Ademari, qui erat dominus Montilij pro maiori parte, erat cum aduersariis Comitis, cum esset ligius homo D. Papæ, nec requisitus, voluit dictum castrum reddere Cardinali, quod receptaculum fecerat hæreticorum, sed homines de castro receperunt Comitem: quidam enim miles, consanguineus dicti G. qui erat alter dominus Montilij, adhærebat & semper adhæserat Comiti. Peractis Comes apud Montilium paucis diebus, perrexit ad obsidendum quoddam castrum in diœcesi Valentina, quod dicitur Crestal, & erat Ademari Pictauensis. Ademarus autem sicut iam diximus, aduersabatur Comiti Montis-fortis & multum persecutus fuerat Episcopum Valentinum: ciuitas enim Valentia adhærebat, & semper adhæserat Comiti memorato. Veniens Comes B ad castrum Crestæ, obsedit illud. Erat castrum nobilissimum & fortissimum & militibus & seruientibus bene munitum: firmata obsidione, cœpit Comes castrum fortiter impugnare, obsessi defendere se pro viribus. Erant autem cum Comite, plures de Episcopis illius terræ, & milites Francigenæ quos Rex ei Philippus per sex menses seruituros miserat ferme centum. Et dum esset Comes in obsidione illa, tentatum fuit de compositione & pace facienda, inter Comitem & Ademarum Pictauensem. Post multa autem verba longumque tractatum, firmata est compositio inter Comitem & dictum Ademarum, promissumque est ab vtroque firmiter, quod filius Ademari, haberet filiam Comitis in vxorem. Tradidit etiam Ademarus quædam castra pro securitate, quod de cætero Comitem nullatenus impugnaret. Quidam præterea nobilis de terra illa nomine Draconetus, qui anno præterito recesserat à Comite reddidit se ei. Facta est insuper compositio & pax inter Episcopum Valentiæ, & sæpedictum Ademarum. Dum igitur Dominus Iesus, negotium suum ita miraculose in partibus illis promoueret, antiquus hostis videns impedire voluit, quod doluit promoueri. Eisdem siquidem diebus, ciues Tholosani, imo dicamus melius Dolosani, instinctu diabolico agitati, apostatantes à Deo & ab Ecclesia, & recedentes à Comite Montis-fortis, receperunt in ciuitatem suam, Raimundum quondam Comitem & dominum suum, qui meritis exigentibus, exhæredatus fuerat, auctoritate summi Pontificis, imo generalis Concilij Lateranensis secundi. Nobilis autem Comitissa, vxor Comitis Montis-fortis, & vxores Guidonis fratris sui, & Almarici & Guidonis filiorum, & multi filij & filiæ, tam Comitis, C quam fratris sui, erant in munitione Tholosæ, quæ dicitur castrum Narbonense. Statim dictus Raimundus & Rogerius Bernardi filius Comitis Fuxi, & quidam alij qui cum eo venerant, ciuesque Tholosæ, cœperunt die noctuque munire Tholosam multis repagulis & fossatis. Audito nuncio de proditione Tholosæ, Guido de Monte-forti frater Comitis, & Guido filius eiusdem Comitis & plures milites cum eis, quos Comes dimiserat in partibus Carcassonæ, vt custodirent terram, cum festinatione perrexerunt Tholosam, & miserunt se in munitionem prædictam, vbi erat Comitissa in domibus forinsecus, ne aduersarij à parte exteriori obsiderent munitionem.

Comes Rhodanum traijcit.

Secunda Tholosæ obsidio.

CAPVT LXXXV.

AVDIENS Comes nobilis apostatasse Tholosam, transiuit Rhodanum & rediit festinanter: Cardinalis autem transiuit cum eo. Venientes igitur Tholosam Cardinalis & Comes, obsederunt eam anno 1217. Erat enim ciuitas maxima & populosa valde, & ruptarij & * faydici, nec non & multi alij qui antea inimici erant oculti Comitis Montis-fortis, se receperunt in eam, vt eam defenderent,

Tholosani rebellāt & à Comite obsidentur.

* *Forte faidici.*

contra Deum, Comitem & Ecclesiam sanctam, pro qua Comes nobilis totis viribus laborabat. In dicta enim proditione, multi castra multique nobiles circa Tholosam, consenserant, Valentiam loco & tempore promittentes. Cum autem Comes nobilis venisset cum suis ad fossata Tholosæ, volens per insultum capere ciuitatem, repulsus est à ciuibus violenter, fixitque sua tentoria iuxta castrum Narbonense. Sed cum Tholosa, obsideri cum affectu non posset nisi vltra fluuium Garonam, qui à parte Vasconiæ, Tholosam vallabat, esset exercitus, qui exitum Tholosanus defenderet, qui per duos pontes super ipsum fluuium eisdem patebat, transiuit vltra Comes cum multis, multis etiam citra dimissis cum filio suo Almarico: fuit illic Comes nobilis aliquantis diebus, tandem intelligens, quod exercitus Almarici non esset sufficiens ad resistendum inimicis, transiuit fluuium, vt de duobus inualidis, vnus fieret exercitus validus & securus. Sed miraculum, quod Deus fecit in ipso transitu, non omittemus, vt semper & in omnibus magnificetur Deus: dum enim ipse Comes Montis-fortis, totus armatus, & in equo armato, nauem intrare vellet, in flumen cecidit, vbi aqua profundissima cernebatur: qui cum non appareret, timor & tremor & planctus nimius, nostros tenuit vniuersos. Rachel plorat filium, infernus dolose exultans vlulat, nostros appellat orphanos viuo patre: sed qui ad preces Heliæ, securim in aqua supernatare voluit, nostrum de aquæ abysso leuauit principem, manus coniunctas ad cœlum deuotissime extendentem, quem nostri de nauigio cum gaudio suscipiunt, & sanctæ matri Ecclesiæ seruant incolumem, pro qua se opponebat obicem dictus Comes. O ineffabilis clementia saluatoris. Interim Tholosani, machinas multas, petrarias & Mangonellos erigunt, vt & castrum Narbonense præcipitent, & Bertrandum Cardinalem Apostolicæ sedis Legatum lapidibus obruerent, & eius socios, & in eo Romanam Ecclesiam lapidarent. O quoties dictus Cardinalis mori ibidem timuit, qui tanquam vir prouidus, pro negotio Iesu Christi, viuere minime recusauit. Eodem tempore Comes nobilis hostagia ab hominibus de Monte-albano accepit, eo quod suspecti habebantur, ne cum Tholosanis fraudem facerent contra pacem: mel inquam illi portabant in ore, sed fel conceptum gestabant in corde, quod comparuit ex post facto, quia cum Seneschalus Aginnensis ex parte Comitis Montis-fortis & Episcopus Lectorensis venissent Montem-albanum, & nocte illa dormissent secure, ecce illi de Monte-albano Tholosam miserant, vt Raimundus quondam Comes cum Tholosanis ad castrum accederent, & eis Seneschallum redderent, & socios interficerent vniuersos: qui Raymũdus, quingentos præmisit armatos, qui in illa eadem nocte intrantes castrum, prope enim erat Tholosam, cum consilio illorum de castro, qui erant ad tria millia & amplius, plateas obstaculis munierunt, & ad hostia domorum, vbi Seneschallus & eius iacebant socij armatos pro custodibus posuerunt, ne illi euaderent, nihilominus ligna plurima ostiis apponentes, vt si aliter capi non possent, igne penitus consumerentur: quo facto exclamant Tholosani, clangunt buccinæ, fit metus & strepitus magnus, surgunt Francigenæ somnolenti & stupidi, non de viribus confidentes, sed de solo Dei adiutorio præsumentes, armant se subito, & licet dispersi per castrum, omnes tangit vna voluntas, vna fides in domino, vna spes triumphandi: exeunt de domibus inuitis hostibus, in quos more Leonis irruunt impatientes. Hostes fugiunt, quidam in laqueos incidunt quos fecerunt, quidam de muris se præcipitant, licet à nemine fugaretur. Omnia fere mobilia nostri capiunt, cætera incendio consumũtur.

Comes Monfortius in fluuium delapsus, miraculosè incolumis euadit.

Mont albani, Seneschallum Comitis proditoriè aggrediuntur.

Tholosani obsessi in obsessores impetum faciunt. Nobilis Comes à Monte-forti, postridiè natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ interimitur.

CAPVT LXXXVI.

CVM Comes nobilis in obsidione Tholosæ, iam peregisset circiter nouem menses, quadam die, videlicet in crastino beati Ioannis Baptistæ, illi qui erant in Tholosa, summo se diluculo munierunt, vt dormientibus adhuc quibusdam de nostris, quibusdam in audienda celebratione diuinorum intentis, ipsi solita fraude, & inolita malignitate insultum in nos facerent repentinum, & vt acrius improuisos impeterent, vt vexarent crudelius inimicos, ordinauerunt machinarum custodiæ

A custodiæ deputatos, quod quædam pars irrueret in nostros, alij ex alia parte, in exercitum insilirent, quatinus nostri, sicut diximus immuniti, à parte duplici expugnaturi, ad obuiandum hostibus minus essent habiles & ad sufferendum insultum minus fortes. Nunciatum est Comiti, quod hostes sui se armauerant, & infra munitionem suam iuxta fossam latebant: Comes vero audiebat matutinas, quo audito rumore, sua iussit arma parari, quibus indutus, vir christianissimus, ad Ecclesiam, auditurus missam cum festinatione perrexit. Factum est autem, cum esset in Ecclesia, & missa iam incepta, oraret attentissime vir deuotus, ecce multitudo maxima Tholosanorum, per meatus occultos, à fossatis suis egressi, eleuatis vexillis, cum maximo strepitu & clangore, in nostros, qui prope fossatum custodiebant machinas, irruerunt: alij vero ex altera parte egressi, versus exercitum, acies direxerant: factus est clamor in exercitu, nostri se quam citius munierunt: verum antequam nostri essent armati, illi pauci, à nostris qui sicut diximus, machinarum & exercitus erant custodiæ deputati, contra inimicos dimicantes, tot & tanta persecutionum & vulnerum discrimina sunt perpessi, quod non posset de facili æstimari. In ipso autem hostium egressu, venit nuncius ad Comitem, qui missam sicut diximus audiebat, sollicitans eum, vt suis succurreret indilatè, cui vir deuotus, sine, inquit, diuina audire mysteria, & redemptionis nostræ prius cernere sacramentum: adhuc eo loquente, venit B alter nuncius dicens festinate, ingrauatum est bellum, nec nostri possunt diutius sustinere: ad quæ vir christianissimus non exibo, nisi prius meum videro redemptorem. Cum autem sacerdos, sacræ consecrationis hostiam eleuaret ex more, vir deuotissimus flexis in terram genibus, sed manibus eleuatis in cœlum, *Nunc dimittis*, inquit, *seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Et addidit, eamus, & si opportuerit moriamur pro illo, qui pro nobis dignatus est mori: his dictis, vir inuictissimus ad pugnam properauit. Ingrauabatur autem bellum vtrimque, pluresque hinc & inibi vulnerati fuerant & interfecti, sed adueniente milite Iesu Christi, nostris audacia & viribus duplicatis, aduersarij omnes repulsi sunt, & vsque ad fossata, à nostris viriliter sunt retrusi. Retrahentes se Comes & qui cum eo erant aliquantulum propter grandinem lapidum, & intolerabilem ruinam sagittarum, steterunt ante machinas cledis ante se positis, quibus se tuerentur, à lapidibus & sagittis: iaciebant siquidem hostes super nostros creberrimos lapides cum duobus trabuchetis, Mangonello & pluribus matafundis. Vnde illud quod sequitur, quis scribere vel audire, quis inquam istud sine dolore poterit recitare, quis sine singultibus audire: quis inquam non resoluatur & penitus liquefiat, audiens contritam pauperum vitam. Omnia quippe sunt ipso recumbente contrita, ipso moriente mortua: ipse etenim erat mœstorum consolatio, ipse debilium fortitudo, ipse in afflictione refrigerium, ipse refugium miserorum. Deo lachrymabile propositum exequimur. Dum staret Comes fortissimus sicut iam dictum est cum suis ante machinas suas, ne hostes denuo exirent, ad sæpedictas machinas diruendas, ecce lapis Mangonello aduersariorum proiectus, percussit in capite militem Iesu Christi, qui ictu lethali recepto, pectus suum bis percutiens, Deoque & B. Virgini se commendans, mortem imitatus B. Stephani, & ipsius lapidatus in vrbe, * cum ipso in domino obdormiuit. Nec silendum, quod iste fortissimus miles domini, imo ne fallamur gloriosissimus martyr Christi, postquam ex ictu lapidis vulnus excepisset lethale, quinque à sagittariis vulnera receperat ad similitudinem saluatoris, pro quo mortem patienter sustinuit, cum quo post mortem vt credimus, fœliciter gloriatur & viuit. Cui successit filius suus primogenitus Almaricus, iuuenis bonus & strenuus, imitator per omnia bonitatis & strenuitatis paternæ: cui milites omnes Francigenæ quibus terras dederat, ipsi sacramentum fidelitatis, & hominium præstiterunt. Post paucos autem dies, videns nouus Comes, quod non posset diutius in Tholosa obsidionem tenere, tum quia audita morte Comitis, multi de indigenis apostatæ pessimi recedebant ab eo & Ecclesia, imo Christi hostibus se iungebant: tum quia exhaustus erat sumptibus, & victualia exercitui deficiebant, ac peregrini in terram suam redire volebant: ab obsidione recessit castrum resignans, quod tenere non poterat Narbonense & corpus primum apud Carcassonam curatum, more gallico exportauit.

Comes Monfortius mortis suæ præsagus.

C *Simon Comes ictu lapidis interfectus.*

* *Primatiũ etenim templum Tholosanũ, D. Stephano dicatum est.*

Explicit historia de factis & triumphis memorabilibus nobilis vir Domini Simonis Comitis de Monte-forti.

 A

CHRONICA
M. GVILLELMI
DE PODIO LAVRENTII,
SVPER HISTORIA NEGOTII B
FRANCORVM ADVERSVS ALBIGENSES.

Quod Actum est in Prouinciis Narbonensi, Albiensi, Ruthenensi, Caturcensi, Agennensi Diocesibus, pro tuenda fide Catholica, & prauitate hæretica extirpanda.

Ex Editione GVILLELMI CATEL *Regij in Senatu Tholosano Consiliarij.*

PROLOGVS.

CVM inter hæc quæ gesta referuntur ab annis centum circa, inter hæc nostra Maria in Europa illud valde dignum memoria sit habendum, quod cæptum pro fide Catholica defendenda, & prauitate hæretica extirpanda in Prouincia Narbonensi & Albiensi, Ruthenensi Caturcensi, Agennensi Diocesibus, & quibusdam terris vltra Rhodanum domini Comitis Tholosani vix intra 70. annorum spatium finem dignoscitur habuisse. De his vel quæ ipse vidi, vel audiui è proximo, duxi aliqua in scriptis posteris relinquenda, vt ex gestis intelligere possint quæ sunt superiores, mediocres & minores Dei iudicia, quibus propter peccata populi decreuit terras has miseras flagellare : & licet dixerim propter peccata populi, tamen Prælatorum, aut C *Principum negligentiam non excludo vt sint cauti de cætero ne super semen bonum mundanum agro exculto tanto labore, tanta voragine expensarum, tantaque denique sanguinis effusione humani, iactet Zizania inimicus : dormientibus enim olim, qui vigilare debuerant, latenter hostis antiquus in terras istas miseras, homines perditionis filios introduxit, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, quorum sermo, vt cancer serpens infecit plurimos & seduxit, sicque nemine opponente se in murum pro fide ascendentibus ex aduerso, adeo profecerunt in penis ipsi hæretici, quod per villas & oppida habere sibi hospitia, agros & vineas incœperunt, domos latissimas in quibus hæreses publicè prædicarent suis credentibus venditantes. Erantque quidam Arriani, quidam Manichæi, quidam etiam Waldenses siue Lugdunenses, qui licet inter se dißides, omnes tamen in animarum perniciem contra fidem Catholicam conspirabant, & illi quidem Waldenses contra alios accutißimè disputabant. Vnde & in eorum odium alij admittebantur à Sacerdotibus idiotis : propter quod terra tanquam reproba & maledictioni proxima pauca præter spinas, & tribulos germinabat, raptores & ruptarios, fures, homicidas, adulteros & vsurarios manifestos.*

CAPELLANI *autem tanto contemptui habebantur à laïcis, quod eorum nomen ac si iudæi essent in iuramentam à pluribus sumebatur. Vnde sicut dicitur* mallem esse iudæus, *sic dicebatur;* Mallem esse. Capellanus quàm hoc vel illud facere. *Clerici quoque si prodirent in publicum coronas modicas prope frontem pilis occipitis occultabant. Milites enim*

A *enim raro suos liberos clericatui offerebant: sed ad Ecclesias, quarum tunc ipsi decimas percipiebant hominum suorum filios præsentabant. Et Episcopi quales pro tempore poterant clericabant: ipsi quoque milites dominationem contemnentes prout libebat, nemine prohibente his aut illis hæreticis adhærebant & hæretici in tanta reuerentia habebantur, quod habebant cimeteria, in quibus quos hæreticauerant publicè tumulabant, à quibus lectos integros & vestes recipiebant, quibus & largius, quàm personis Ecclesiasticis legabantur: ipsi nec ad excubias, nec ad taliias cogebantur. Si quis etiam homo de guerra gradiens cum eis inueniretur ab hostibus tutus erat; sic pro magna parte diabolus per illos terram in pace sua, velut suum atrium possidebat: erant enim positæ tenebræ, & facta erat nox ignorantiæ, & in illa bestiæ siluæ diaboli pertransibant.*

De beato Bernardo Clareuallensi Abbate, qui maledixit castrum viridis folij, quia repulit, & audire noluit verbum Dei.

B

CAPVT PRIMVM.

ÆGROTANTEM ergo terram tantæ infidelitatis disgratia vir Religiosus beatus Bernardus Clareuallensis Abbas, vita, & literatura conspicuus, zelo fidei accensus aliquando visitauit, & ad castrum Viridisfolij quo eo tempore vernabat militari multitudine, & vulgari duxit ociùs accedendum, intendens quod si posset ibi extinguere hæreticam prauitatem quæ locum ipsum multum infecerat facilius contra eam in aliis præualeret. Cumque cœpisset sermonem in Ecclesia proponere contra eos qui maiores erant ibi, illi Ecclesiam exierunt, quos & populus est sequutus, quos vir beatus sequens in platea cœpit proponere verbum Dei, illi autem per domos vndique latuerunt, eo tamen plebeculæ arlæ circumstanti nihilominus prædicante; sed eis perstrepentibus, & fores percutientibus, vt & nec plebs posset percipere vocem eius, & allegantibus verbum Dei, excusso pedum puluere in testimonium illis, vt esse puluerem, & reuersuros in puluerem declararet, exiuit ab eis, & ipsum castrum respiciens maledixit, dicens; *Viride folium desiccet te Deus*, quod quidem manifestis indiciis perseuerat. Nam eo tempore sicut antiqua tenet relatio, erant in eodem castro centum hospitij militum, equos cum intersignibus, & arma habentium ad auenam alienam non reuenientium, sed ad suam; ex tunc vera pauperies sicut vir armatus cœpit occurrere eis frequenter, quos aut grando frequens, aut sterilitas, aut seditio, aut guerra etiam parum quiescere non permisit. Nam & ipse cum infans essem vidi nobilem virum Dominum Isarnum Nebulatum, qui fuerat maior Dominus Viridis folij, qui bene dicebatur ætate centenarius, Tholosæ
C contentum vno rocino pauperrime commorantem: qualiter autem & quantum animaduersum est, Dei iudicio, in plures qui defecerunt eiusdem castri dominos, ipsa rerum declarat euidentia, dum quod vir sanctus maledixerat, nequiuerit reparari, donec dante ipsum castrum Comite Montis-fortis venerabili Patri Domino Fulconi Episcopo Tholosano, ex tunc cœpit paulatim expulsis inde dominis, reformari; sicut suo loco sequentia declarabunt.

De castro Vauri dudum ante aduentum signatorum obsesso per hæreticos qui ibi erant.

CAPVT II.

AD hæc dicam de vicino illi castro Vauri in quo per Hæreticos diabolus sedem sibi parauerat, & fecerat Sathanas Synagogam, quod ab anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo septuagesimo Cardinalis quidam missus à Romano Pontifice obsedit & coëgit sibi reddere Hæreticos qui ibi erant, ex quibus duo, qui erant præcipui, ad fidem Catholicam sunt conuersi, quorum vnum qui vocabatur Bernardus Raymundi in Ecclesia Cathedrali sancti Stephani Tholosæ, alterum in Monasterio Sancti Saturni, vt essent Canonici collocauit, meminique

quod cum essem infans illum qui fuerat in Ecclesia Cathedrali audiebam appellari A
Bernardum Raymundi arrianum, quando de ipso fiebat aliqualis mentio, ipsum tamen scio me vidisse. Et hæc quidem longe fuere quam Biterrim cruce-signatorum exercitus adueniret, propter quod ista suscepi tanquam præparatorium offerenda, nec contra illius loci malitiam paulo antè cruce-signatorum aduentum Dominus dormitauit. Quando Bonifilius vnus Dominus illius castri, vt totum sibi vendicaret, duos nepotes suos, filios quondam fratris, vocauit ad se fictè ægrotantem, ac daturum eis ficus primæuas promittentem, proditionaliter in sua camera interfecit. Nam & eadem die frustratus proposito mortis sumpsit in gladio talionem. Sed nec propter ista quæ dixi superius remittebatur febris Hæretica, imo sese extensius in locis pluribus ampliauit, sicut sequentia demonstrabunt, & flagella vltionis diuinæ è vestigio sunt sequuta. Vt autem ordinatè prosequar quod intendo, duco à Comitibus, quod nostra tenet memoria Tholosanis gestorum temporibus nostris seriem inchoandam, qui in terris prædictis fuere Domini potiores, vt ex contingentibus, quorum vtinam nihil vel saltem pauca dimittam, coniici potest, quorum negligentia vel culpa, mala in istis partibus succreuerunt. Quiquè fortè paulatim natum quando fuerat ex occulto, postquam eorum tempore caput extulerat in eminenti, vigilanter debuerant præcidisse. B

Diuerticulum super Somnio, quod vidit venerabilis Pater eo tempore Episcopus Albiensis.

CAPVT III.

AD quæ antequam adorior, vt intelligatur quàm periculosè Prælatorum contemneretur authoritas eo tempore, dum cuilibet licitum esset impunè quamlibet sectam eligere, referam quod audiui narrantem venerabilem Patrem Dominum Guillelmum, solemnis recordationis Episcopum Albiensem. Dicebat enim accidisse dudum, quod cum se quadam nocte sopori dedisset, somniabat, & videbatur ei se assidere Guillelmi Petri de Beres, qui eius affinis erat, ægrotantis, vt sibi videbatur, eratque oppositus lecto illius clibanus ardens ad quem dictus ægrotans incipiebat exire; & interrogatus ab Episcopo obsistente, nec tamen præualente, exibat ille reptando vt clibanum ingrederetur factumque est dum esset Episcopus in visionis huius agonia, ecce pulsatur subitò ad fores cubiculi vbi iacebat Episcopus, & à viris, qui missi erant, pernoctantibus nunciatur dictum virum fortiter ægrotare, ipsiusque Episcopi præsentiam postulare ad quem Episcopus pernoctans festinauit, propter illa quæ somniando videbat concitatus, cum prius eius ægritudinem ignorasset. cum peractis tribus leucis aduenisset, inuenit eum plurimum ægrotantem, eiusque lecto assedit, & inter cætera quare vocasset eum aperuit, consulens C
eum an duobus liberis, quos habebat hæreditatem indiuisam dimitteret an diuisam, quo respondente tutius esse diuidere, ne fortè quod indiuisum esset totum sibi alteruter vendicaret, ille eius consilio acquieuit. His & aliis huiusmodi ordinatis interrogauit Episcopus quid vellet fieri de ipso, an in Cœnobio Galliaci, an Candelij, an in Ecclesia Albiensi eligeret sepeliri, quo respondente, non oportet Episcopum curam agere super huiusmodi, cum ipse deliberasset quid esset facturus. Episcopo nihilominus insistente, quo trium istorum locorum eligeret sepeliri, ille tandem respondit se velle ad Bononios siue Bonosios, hoc est hæreticos deportari. Pontifice verò in contrarium adnitente, quod super hoc licentiam non haberet, ille inquit; Non ad hoc laboretis quoniam si secus non possem ad eos reptando quadrupedaliter festinarem, quem Episcopus his auditis, sicut derelictum à Domino dereliquit, qui secus eum ne hoc faceret quamuis esset Pontifex non poterat impedire. Ecce quantum profecerat Hæretica prauitas, quam reprimere etiam in affine & subdito Pontificalis authoritas nequiuisset.

De

A

De Altercatione eiusdem Episcopi habita cum hæresiarcha super parabola de prædicti viri hæreticatione.

CAPVT IV.

DE cuius viri hæreticatione, vt eum narrantem audiui, idem Pontifex processu temporis assumpsit parabolam instantiæ aduersus hæresiarcam Magistrum Sicardum dictum Cellararium apud Lumberium publice residentem. Nam cum Episcopus esset quadam die in eodem castro, milites & Burgenses apud eum institerunt, vt cum suo hæresiarcha habere colloquium dignaretur: Episcopo dicente quod inutilis posset esse congressio, quandoquidem hæreticus in suo induratus errore ad veritatem facile non rediret; & ipsi nihilominus altercationem eorum inuicem sibi præsentium flagitabant, plus confundi Episcopum quam hæreticum confidentes. Consideransque Episcopus quòd magis metui quam præmissæ rationi sibi illi ascriberent, si eius colloquium declinaret, consensit insistentium voluntati, B & cum conuenissent exorsus Episcopus; Sicarde, inquit, vos estis parochianus meus, qui in nostra diœcesi residetis, & debetis mihi de fide vestra reddere rationem, & cum vos interrogauero, debetis simpliciter an sic vel non propositis respondere: quo respondente se, vt poposcerat responsurum. Interrogauit Episcopus, an crederet Abel quem Cayn frater eius occidit. Noë ereptum diluuio, Abraham, Moysem, Dauid & cæteros prophetas ante aduentum Domini esse saluos? Hæresiarcha liberè respondente nullum esse saluum. Itemque Episcopus interrogans, an saluum esse crederet Guillelmum Petri de Berens nuper defunctum? qui plane asseruit esse saluum, eo quod hæreticus decessisset. Quo sic responso, dico, inquit Episcopus accidisse nobis Sicarde sicut contigit Guillelmo, de sancto Marcello oppido terræ nostræ, quod cum venisset nouus medicus de salerno, duorum ægrotantium, qui sibi ostensi fuerant, vnum iudicauit futuræ mortis noctis medio moriturum, alterum euasurum, propter symptomata quæ viderat in vtroque, & cum omnia cessissent in contrarium, vt iudicatus ad mortem viueret, altero moriente: Noui inquit medicus, me legisse omnia ad euersum, vnde & iterum redibo ad studium, rectè quæ euersè legeram relecturus: à simili inquam vobis Sicarde, contigit libros nostros legisse, scilicet ad euersum, qui quos testes scriptura & Deus approbat condemnatis, & saluum esse virum rapinis & maleficiis assuetum quamdiu vixerat iudicatis: habetis ergo à primo necesse directè legere quod legistis hactenus indirectè. Quo dicto abscessit Episcopus, ille remansit mutus cum suis credentibus & confusus, nec tamen potuit Pontificis authoritas quin idem hæresiarcha, vt prius, in loco C solito remaneret.

De Genealogia Illustrissimorum virorum Comitum Tholosæ in quorum terris vltimo superuenerunt hæretici postquam posteriores vestigia priorum declinauerunt.

CAPVT V.

TEnet igitur fidelis assertio, quod vir ille illustris Raymundus Comes Tholosanus anno Domini millesimo nonagesimo octauo Anthiochiæ, & item anno Domini M. XC. IX. Ierusalem ciuitatis interfuit captioni: post cuius captionem obsedit ipse Tripolim, ædificans castrum prope illam in littore maris, quod dicitur peregrinum, vt eam facilius oppugnaret: In cuius obsidione mortuus est in seruitio Iesu Christi anno eiusdem M. C. I. cuius filius Bertrandus obsidionem continuauit, & à Principio obsidionis completo septennio, præsente & auxiliante Rege Ierosolimitano eam in deditionem recipit. Erat autem ei frater Iunior Alphonsus nomine, qui cum apud Auramsiccam teneretur impeditus, Ciues Tholosani illuc exercitum in manu valida transmiserunt anno Domini M. C. XXXIII. & adductum eum sibi tanquam naturalem Dominum præfecerunt, expulso inde Guillelmo de

sancto Marcello milite, qui pro Comite Pictauiensi, qui produxit de genere Principum Tholosæ, castrum tenuerat quod dicitur Narbonense. Idem vero Comes Alphonsus genuit filium Raymundum nomine, qui fuit vir audax, strenuus, ac famosus, qui duxit constantiam filiam Ludouici illustris Regis Franciæ, in vxorem, ex qua genuit Raymundum anno Domini ; M. C. LVI. post quem, & alios duos Taillaferrum & Balduinum vel Baldoynum: ipse vero mortuus est & sepultus apud Nemausum in claustro Ecclesiæ Cathedralis anno Domini M. C. XCIV. Ætatis vero primo geniti sui filij XXXIII. qui adhuc patre viuente duxit in vxorem Beatricem sororem Trincauelli Vice-comitis Biterrensis, ex qua genuit filiam, quam tradidit Regi Nauarræ in vxorem illi, qui iacet in Ecclesia Hospitalis Ronssideuallis quam dimissam, dum adhuc viueret dictus Comes Pater eius, Petro Bermundi de Saluio coniugio copulauit. Idem autem Comes anno Domini M. C. XC VI. illustrem Dominam Ioannam sororem, Richardi Regis Angliæ, post mortem Guillelmi Regis Siciliæ cuius vxor fuerat, in vxorem duxit, & genuit ex ea Dominum Raymundum vltimum anno Domini M. C. XC VI. quæ peperit apud Bellicadrum diœcesis Arelatensis, quæ postquam de partu surrexerat, cum esset mulier animosa, & prouida & zelans iniurias viri sui, quem multi magnates & milites, offenderant, contra dominos sancti Felicis castrum eorum, quod dicitur Casser, obsedit & oppugnauit, sed parum sibi profuit, quibusdam qui erant cum ea ministrantibus arma obsessis, & necessaria proditionaliter & occultè: propter quod offensa, ab obsidione recessit, vix sibi licito de castris egredi, donec immisso igne à proditoribus flammæ concurrerent exeunti, cuius iniuriæ dolore permota ad fratrem Regem Richardum properabat iniuriam ostensura, quem cum mortuum inuenisset cum prægnans esset duplici oppressa dolore mortua est; & ipsa sepulta ad pedes matris suæ Alienor Reginæ Angliæ, iuxta fratrem suum Richardum, sepultum ad pedes Henrici Regis patris sui, in Ecclesia fontis Ebraudi. Mortui sunt ergo Richardus & Ioanna soror eius anno Domini M. C. XCIX. Post mortem verò Ioannæ dictus Comes duxit in vxorem sororem Petri Regis Arragoniæ nomine Alienor anno *Domini* millesimo CC. quorum Pater Bernardus Berengarius Rex Arragoniæ mortuus apud Perpinianum anno Domini M. C. XC VI. Præcedenti vero tempore anno Domini M. C. LXXXVIII. Idibus Septembris feria IV. hora VI. facta est eclipsis solis terribilis valde & obscura.

De Fulcrando Episcopo Tholosæ, eiusque successore Raymundo de Rabastenx ab Episcopatu deposito, & statu misero sedis Episcopalis.

CAPVT VI.

IN diebus illis erat Dominus Fulcrandus Episcopus Tholosanus, de quo, cum pauca egisse audiui, pauca referre valeo; nisi quod didici à suis contemporaneis, de paucis quæ percipiebat & de suis boriis & furno suo viuebat in Episcopali hospitio, vt Burgensis: nullus enim percipiebat decimas, quas milites vel Monasteria possidebant & habebant primitias Capellani, quas in grano cum soluebantur decimæ sic sumebant; agricola in area sibi sumebat nouem quarterias, deinde decimam separabat, mox reuolutum fundum cumulatum quarteriæ dabat pro primitia capellano; & hoc idem singulis quarteriis decimæ faciebat, sicque tres fundi quarteriæ vnam quarteriam faciebant, cum tres quarterias decimator haberet, habebat vnam quarteriam capellanus, harum autem nullam percipiebat Episcopus portionem. Quod si quando egredi vellet Parrochias visitatum, Dominos ad quorum terras ire disponeret, necesse habebat guidagium implorare, de quo forte inculpari Comes non immerito videretur, quod securum in terra suum Episcopum non teneret. Sed licet non in toto, sed in tanto non excusabilis videbatur, quod tenere securè sua non poterat, quod à guerra sui quiescere non sinebant; propter quod & de Hispania sibi ruptarios aduocabat, quibus licentiam dabat per terras liberè discurrendi; qui etiam si forte velle multum, vt hæreticos multum radicatos in terra sine aduersantium sibi voluntate poterat extirpare, nec erat hoc ad excusationem sui sufficiens, qui etsi non posset ad alia, ad hoc saltem sufficientia multa habere consilia, & auxilia potuisset:

A tuisset: Sed ecce, siue propter eius simplicitatem, seu negligentiam id de ipso dici poterat, quod legitur in scriptura; per agrum pigri hominis transiui, sed ecce totum impleuerunt vrticæ; hæretici re vera inutiles & vrentes, cuius rei culpa forte pro magna parte refundi poterat in Prælatos, vt pote qui saltem latrare poterant, reprehendere & mordere. Defuncto autem Domino Fulcrando Episcopo anno circiter M. CC. I. eligitur in Episcopum Raimundus de Rabastenx Archidiaconus Agennensis, sed quia festinauit ab initio vitio Simoniæ, benedictione caruit in fine: nam cum illam eamdem paupertatem, quam prædecessor suus, habuerat in litigando, & alias guerras gerendo cum Raymundo forti de Bellopodio vassallo suo inutiliter fere triennio consumpsisset & bonas suas, & fortias creditoribus obligasset, ipse tandem ab Episcopatu per sedem Apostolicam ad depositionem fuit finaliter condemnatus.

De fratre Petro de Castro-nouo Legato, & collega eius Magistro Radulpho, & Domino Fulcone Episcopo misso ad suscitandum mortuum Episcopatum.

B

CAPVT VII.

CVM igitur terra ista apud sedem Apostolicam tam super hæretica prauitate, quàm rapina mirabili & miserabili infamia laboraret, iisdem temporibus Missus est Legatus à summo Pontifice frater Petrus de Castro-nouo Ordinis Cisterciensis, vir prouidus, & discretus. Cui & Magister Radulphus persona literata, & multum honesta additus est collega, qui Comitem Tholosanum ad expellendos hæreticos, ac ruptarios de terra sua, & pacem conseruandam monuerunt, & astrinxerunt etiam iuramento. Factumque est eodem tempore, quòd, Deo inspirante. Venerabilis & religiosus vir dominus Fulco Abbas Floregiæ siue Torondeti Ordinis Cisterciensis eligitur in Episcopum Tholosanum. Cuius promotionem cum audisset dictus Legatus, qui optimè eum nouerat, vt iacebat in lecto infirmus eleuatis manibus in cœlum, gratias egit Deo, quod de tali persona prouidisset Ecclesiæ Tholosanæ: qui ingressus est prius Ecclesiam suam in festo sanctæ Agathæ, quæ die Dominica erat in Quadragesima, & cum orasset conuertit se ad populum sermonem inchoans de Euangelio, quod legitur ipsa die, *exiit qui seminat seminare semen suum*, cum quo optime suo principio congruebat, quod missum ad Episcopatum mortuum suscitandum, velut alterum Elisæum iam nemo debebat dubitare. Agebatur autem, quando intrauit Tholosam annus gratiæ 1205. Quod autem dixi Episcopatum mortuum, non est mirum: nam ipsum audiui dicentem, etiam in sermone, quod quando intrauit Episcopatum, à terra vsque ad cœlum nihil expeditum, quod ipse posset percipere, inuenisset; nisi centum minus quatuor solidos Tholosanos, qui etiam quatuor multos quos adduxerat, nisi guidatos ad amnem communem ad aquatum mittere non audebat, sed aquam bibebant putei infra domum. Et ipse creditoribus vrgebatur coram Capitulariis respondere. Terramque extra repleuerant Arriani, Manichæi, Hæretici, & Valdenses, sicut forte Dominus ordinabat, qui in primitiua Ecclesia non multos nobiles aut potentes secundùm carnem, sed infirma mundi elegit, vt fortia quæque destrueret, vt Episcopus pauper prodiret & pedibus ad expurgandam hæreticam prauitatem.

C

De Domino Didaco Oxomensi Episcopo & sancto Dominico socio suo, missis ad prædicandum contra hæreticos.

CAPVT VIII.

IN ipsis quoque diebus Dominus Deus, ipse qui sagittas electas in prouidentiæ suæ conseruat pharetra, duos de Hispania ad hoc opus produxit electos pugiles, dominum Didacum Episcopum Oxomensem, & Religiosum virum sanctum postea declaratum socium eius Dominicum, Canonicum suæ Ecclesiæ Regularem. Duo ergo isti mittentes manus ad fortia, aggregatis illis Abbatibus Ordinis Cisterciensis,

A &aliis bonis viris, superstitionem hæreticorum in altitudine Sathanæ gloriantium, cum omni humilitate, abstinentia, patientia, cœperunt aggredi, non pomposa aut equestri multitudine, sed calle pedestrico ad indictas disputationes de castro in castrum nudis plantis & pedibus ambulabant: fuitque vna de primis congressionibus apud viridefolium, vbi hæresiarchæ plurimi scilicet Pontius Iordani, & Arnaldus Arifati, & alij affuerunt. Et cum plurima hinc inde obiecta fuissent in id verbum, quod dixit Dominus in Ioanne inciderunt, quod est; *nemo ascendit in cœlum, &c.* Interrogabat enim Episcopus Oxomensis quomodo intelligerent illud verbum, quorum vnus respondit quod Iesus, qui loquebatur, se hominis, qui est in cœlo, filium appellaret. Est ergo inquit Episcopus sensus vester; quod pater eius qui est in cœlo sit homo, cuius filium se appellat: quibus inquientibus se sentire sic esse, ait Episcopus; dicente ergo Domino per Isaiam, *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum*, consequens est vt si ipse homo est sedens in cœlo, pedibus terram tangentibus, tibiarum cœli ad terram sit spatium longitudo; quibus fatentibus ita esse, ipse statim subiunxit; Maledicat vos Deus, quia grossi hæretici estis, credebam quod subtilitatem aliquam haberetis: deinde euanuerunt per illa verba diffugia perquirentes: præmissa enim auctoritate probabant Catholici Christiani esse B Deum & hominem, qui de cœlo, vt esset homo; descendit, & tamen in cœlo erat vnde descenderat sicut Deus. Fuit & altera disputatio apud Appamiam, in qua soror Bernardi Rogerij Comitis Fuxensis palam hæreticos tuebatur; cui frater Stephanus de Minia, ite Domina, inquit, filate colum vestram, non interest vestra loqui in huiusmodi contentione; fuitque ibi disputatum contra Valdenses, sub Magistro Arnaldo de Camprano tunc clerico seculari arbitro à partibus electo, qui cum eius iudicio succubuissent ex eis ad cor aliqui redeuntes ad sedem Apostolicam adierunt, & penitentiam habuerunt, data sibi licentia viuendi regulariter vt audiui. In quibus Durandus de osea fuit prior, & composuit contra hæreticos quædam scripta. Et hi in quadam quidem parte Cataloniæ annis pluribus sic vixerunt, sed paulatim postea defecerunt. Fuerunt & alij hæretici conuicti etiam inimicorum iudicio euidenter. Vnde dicam quod audiui Dominum Fulconem Episcopum referentem, quod Pontius Ademari de Rodelia miles sagax, tunc dicebat eidem Episcopo; nullatenus possemus credere quòd Roma haberet tot efficaces aduersus istos homines rationes: an non, inquit Episcopus, cognoscitis eos vires vestris obiectionibus non habere? Bene agnoscimus, ait ille, quare ergo de terra: Dixit Episcopus, non expellitis, fugatis? At ille ait, Non possumus: sumus enim nutriti cum eis, & habemus de nostris consanguineis inter ipsos, & honeste viuere contemplamur; sic enim falsitas, sola nitidæ vitæ apparentia, subtrahebat incautos homines veritati.

C *De solemni disputatione apud Montem Regalem hinc inde scripta coram iudicibus Laycis.*

CAPVT IX.

DEINDE inter plurimas disputationes, quas in diuersis locis habuerunt cum hæreticis, vna fuit solemnior apud Montem Regalem, cui inter fuerunt prædicti nostri pugiles, & Venerabilis vir Petrus de Castello-nouo legatus, & collega suus Magister Radulphus ex parte sua, à plures alij boni viri; & ex parte altera hæresiarcha Arnaldus Othonis, Guilhabertus de castris, Benedictus de termino, Pontius Iordani & multi alij, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ, anno Domini 1207. fuitque per scripta diebus pluribus disputatum coram arbitris à partibus electis; scilicet, Bernardo de Villanoua, & Bernardo de Arcens militibus, & Bernardo Goti, & Arnaldo Riberiæ Burgensibus, quibus sua scripta partes vndique tradiderunt: fuitque fundamentum à parte hæreticorum disputationis, quod Arnaldus Othonis appellauit Ecclesiam Romanam, quam Episcopus Oxomensis defenderat, non esse sanctam Ecclesiam, neque sponsam Christi, sed Ecclesiam Diaboli, & doctrinam Dæmoniorum, & esse illam Babylonem quam Ioannes appellabat in Apocalypsi matrem fornicationum, & abominationum, ebriamque sanguine sanctorum & Martyrum Iesu-Christi, eiusque ordinationem non esse sanctam, neque bonam,

A bonam, neque statutam à Domino Iesu Christo, & quod nunquam Christus, neque Apostoli ordinauerunt aut posuerunt ordinem missæ, sicut hodie ordinatur. Quibus in contrarium probandum se obtulit Episcopus noui authoritatibus testamenti. Proh dolor! quod inter Christianos ad istam vilitatem status Ecclesiæ, fideique Catholicæ deuenisset, vt de tantis opprobriis esset Laicorum iudicio discernendum. Traditis ergo huic inde scriptis prædictis Laicis, quibus diffinitionis data erat authoritas, ab ipsis partibus, eisque deliberare volentibus, ita adinuicem discesserunt negotio imperfecto. Ego autem processu annorum plurimorum inquisiui Bernardum de Villanoua quid de scriptis actum fuerat supradictis; aut an fuisset disputatio diffinita? qui mihi respondit, quod nihil extitit diffinitum nam scripta fuerunt perdita in aduentu crucesignatorum de castro illo & aliis fugientibus vniuersis, dicit tamen quod intellectis quæ dicta erant hæretici 150. circiter ad fidem sunt conuersi. Ego vero suspicor quod aliqui collegæ ipsorum, quos hæretici habebant fauorabiles, scripta huius suppressissent, nec multo post dominus Petrus de castro-nouo Legatus transiit ad dominum per gladios impiorum, cuius rei suspicione Comes non caruit Tholosanus. Sunt ergo iudices & ipsi principes auferendi qui
B talia sustinebant.

De recursu ad sedem Apostolicam, postquam nihil esset prædicatione expellendis hæreticis expeditum, & Ordinis Prædicatorum origine ad fidei fulcimentum.

CAPVT X.

CONTINVATO itaque biennio, & amplius hoc labore cum accensum ignem per hanc viam extinguere non valerent benedicti Dei pugiles attendentes quod res ista altiori consilio indigeret, clamare ad sedem Apostolicam sunt coacti, & vt cæpta prædicatio remaneret de ordinandis perpetuis Prædicatoribus est prouisum, inspirante domino: & hac de causa sub beato Episcopo domino Fulcone Ordo Prædicatorum principaliter est exorsus. Quorum vexillifer beatus Dominicus Prælationem suscepit pariter & laborem, super quo non interest mea narrationem prosequi, cum per Historiam vitæ suæ, & ordinis vbique dilatati euidentiam, sit iam volentibus atque nolentibus manifestum, verumque, secundum quod dicit beatus Apostolus, oportuisse hæreses esse in nostris temporibus siue regionibus, vt ordo beatus non tam apud nos, quam apud totum mundum fructuosus & publicus appareret. Periculo igitur terræ apud sedem Apostolicam, cui tunc præerat summus Pontifex dominus Innocentius Papa tertius, declarato, mittitur Legatus dominus Arnaldus Amalricus Abbas Cisterciensis, vir quidem magnæ Religionis, & prouidentiæ, ne-
C gotio, quod dissimulari non poterat prouisurus. Cum iam hæresis excreuisset, magnatibus terræ consentientibus, quod non tam studiosos in se posset accendere, quàm armatam manum militiæ exercere, destinatur in Franciam, quæ semper consueuit, gerere bella dominica ad Regem & Barones, & plebani viri idonei indulgentiam authoritate Apostolica prædicare cæperunt contra hæreticos, quæ concedi transfretantibus in terræ sanctæ subsidium consueuit.

De Petro Rege Arragonum qui duxit Mariam de Monte-pessulano in vxorem, cuius matrem repudiauerat & ortu Iacobi filij eius.

CAPVT XI.

VERVM ne de contingentibus omittam, quæ videntur præsenti operi conuenire, propter, quæ se duxerunt dicto solemni immiscere negotio, adeo quod anno Domini 1204. Petrus Rex Arragonum duxit Dominam Mariam filiam Guillelmi de Monte-pessulano cuius matrem, Græcam nomine neptem Emmanuelis Imperatoris Constantinopolitani repudiauerat, in vxorem: quod autem fecit ambitione dominandi per eam in Monte-pessulano, quam Bernardus Comes Conuenarum vxorem præhabuerat, atque dimiserat Susceptis ex ea duabus filiabus, quarum primam sancius de Barra, & alteram Centullus Comes Astariaci habuere, vxores. Cum-

que dominus Rex eam aliquandiu tenuisset, nec prolem haberet dimisit; sed processu A
temporis, hortantibus eum Prælatis eam sibi reconciliauit, & cognitam prima nocte qua in castris venerat, de isto Iacobo, qui modò regnat grauidauit, & reuersa ad Montem-pessulanum peperit ipsum Regem. Iterumque dimissa à Rege viro suo, cum eo in curia Apostolica litigabat, ibique cum deuotionis laude diem clausit extremum natusque est dictus Rex Iacobus anno Domini 1208.

De Comite Baudoino, fratre Comitis Tholosani, nato in Francia & nutrito, & à fratre post incognito.

CAPVT XII.

ILLVD etiam referam, quod ante hos annos Baudoinus frater Comitis Tholosani nabus in Francia, & nutritus venit ad fratrem suum moraturus cum eo, non tamen fuit ab eo, sicut sperabat, cognitus nec receptus, propter quod festinus in Franciam est reuersus, & à Baronibus & Prælatis qui eius originem & nutrimentum nouerant, B
obtinuit literas & sigilla, quibus eum filium dominæ Constantiæ, matris prædicti Comitis, & sororis Ludouici Regis Franciæ testabantur. Quem, cum ad fratrem suum reuenisset, videns ipse Comes quod eum repellere non poterat bono modo retinuit, sed priuato beneficio, & honore tamen guerræ quam habebat in Prouincia cum principibus de Baucio, eum præposuit bellatorem, qui strenuè egit & eos in Campestri prælio superauit, fuitque sic cassatus in bello, quod ferebatur diu sanguinem spuere cogebatur, nec sic gratiam fratris sui obtinuit, quod ei aliquam terram assignaret, de quo qualiter actum fuit sequentia magis clare declarabunt.

De Comite Tholosano qui audito responso Regis Franciæ Othonem Imperatorem adiit, contra inhibitionem Regis & de captione ciuitatis Bitterrensis.

CAPVT XIII.

IGITVR audiens Comes, quod contra terras suas crux prædicaretur in Francia, consanguinem suum Philippum Regem Franciæ adiit, eius super negotiis imminentibus consilium habiturus, cuius responso accepto placabili, contra eius inhibitionem ad Imperatorem Othonem Regis inimicum accessit, cuius odium acquisiuit; reuersusque ad propria exercitui cruce-signatorum venientium occurrit pacificus. In quo erant consanguinei ipsius Petrus Comes Altisiodorensis, & C
Robertus de Cornaix, & alij multi magnates quibus eum aduenisse placuit. Intrantibus ergo terram primo incubuit obsidere ciuitatem Biterrim, sed ciues peccatis suis exigentibus, diuino consilio destituti, qui debuerant in pace venientibus occurrisse, cum superbè præsumpsissent resistere, primam aggressionem irruentis vulgi repellere nequiuerunt, sed ascendentibus illis eorum mœnia & occupantibus, ipsi ad Ecclesiarum præsidia confugerunt, & insistentes eorum tergo in Ecclesia beatæ Mariæ Magdalenæ, cuius erat festum in illa die fecerunt multorum millium magnam stragem, anno Domini 1209. fuitque vulgatum eodem tempore dominum hanc vltionem in eos qui dudum dominum suum Trincanellum eadem die occiderant proditionaliter, induxisse; quamuis etiam de labe hæretica, & de multis blasphemiis contra eos offensæ indicibiles dicerentur.

De Carcassona recepta in deditionem, & ordinatione tuendæ & acquirendæ terræ.

CAPVT XIV.

POTITI igitur ciuitate Biterris, dicti domini Bellatores versus Carcassonam dirigunt signa sua, & Rogerius Vice-comes terrore concussus pacis conditiones

A tiones inuenit, vt ciues in camisiis & braccis exeuntes inde, ciuitatem venientibus resignarent, ipso Vice-comite, donec perficerentur quæ peracta erant, in ostagium remanente, in quo non post multum tempus dysenteria expirauit; vnde multi multa mendacia diuulgarunt, quòd fuisset seriò interfectus: fuitque inter Prælatos, & Barones tractatus habitus per Legatum, quis terram acquisitam mereretur, & insisteret acquirendæ: quod oblatum cum qui maiores erant in exercitu recusassent, inuentus est Deo deuotus & strenuus Simon Comes Montis-fortis, qui multis deuictus Prælatorum precibus & Baronum, quod cum cæteris primo recusauerat acceptauit, dicens, quod defectu vnius Campionis nequaquam Dei negotium remaneret. Terrigenæ autem vicini terrore perterriti villas deserentes & oppida fugiebant, nisi quod Cabaretum, Minerua, & Terminis castra fortia resistebant, contra quæ ipso tempore, & hyeme sequenti vsque ad principium æstatis fuit plurimum laboratum; nec erat interim verbum Dei alligatum, prædicantibus crucem qui ad hoc fuerant deputati.

B *De Confratria magna facta Tholosæ, & crucesignata contrà hæreticos & vsurarios manifestos.*

CAPVT XV.

VENERABILI itaque patre Fulcone Episcopo curam gerente vigilem, quod omnes eius ciues Tholosani, ista quæ extraneis concedebatur indulgentia non carerent, vtque per hanc deuotionem eos Ecclesiæ aggregaret, atque facilius per eos expugnaret hæreticam prauitatem & feruorem extingueret vsurarum, cum Dei auxilio iuuante Legato obtinuit Tholosæ magnam fieri Confratriam, Confratres omnes consignans domino signo Crucis, in qua fuit tota ferè ciuitas præter paucos, & de Burgo aliqui consenserunt, & omnes astrinxit Ecclesiæ vinculo iuramenti, præpositisque Baiulis Cõfratriæ Aymerico de Castro-nouo, qui dicebatur Cofa, & Arnaldo fratre eius militibus, & Petro de sancto Romano, & Arnaldo Bernardi, dicto Endura viris quidem strenuis & discretis atque potentibus adeò, Deo faciente, ipsa conualuit Confratria, quod cogebantur vsurarij coram eis conquerentibus respondere, & satisfacere malo velle, & cum armis in ruinam domorum, & prædam contumacium currebatur: & aliqui turres, vt se defenderent, muniebant: factaque fuit ex hoc magna inter ciues, & Burgenses diuisio, ita quod in Burgo aduersus istam, fecerunt alteram Confratriam vallatam vinculo iuramenti, tamque processum erat, quod ista diceretur Confratria candida, alia nigra, fiebantque cum armis, & vexillis, frequenter etiam equis armatis, prælia inter partes: venerat enim dominus per ipsum Episco-
C pum seruum suum non pacem malam sed gladium bonum mittere inter eos.

De Iacobo filio Regis Arragonum tradito obsidi Comiti Montis-fortis, & obsidione castri Vauri eiusque captione.

CAPVT XVI.

ANNO igitur 1210. ab Incarnatione Domini, initis interim pactis & conditionibus pacis inter Regem Arragonum, ad quem Carcassonæ principale dominium sub Rege Franciæ pertinebat, & Comite Montis-fortis, pro quibus seruandis idem Rex tradidit Iacobum filium suum puerulum obsidem eidem Comiti Carcassonæ, inciditque consilium Prælatis & principibus castrum Vauri in diœcesi Tholosana, vbi multi dicebantur hæretici esse, obsidere, & hoc sibi permittente negligentia Comitis Tholosani, qui in hoc vt terram suam purgaret hæreticis atque ruptariis, inueniebatur inobediens, & remissus. Et iam non ambulabat sicut à principio cum eis, eo quod in terram suam disposuissent introire quibus & ipse resistere disponebat, muniens & stabiliens castra sua. Tunc Baudoinus frater suus petiit ab eo castrum nouum, quod primo venientibus inueniebatur, ipsumque munire, & deffendere promittebat; sed Comes petitioni eius noluit consentire. Tradidit tamen sibi

castrum Montis-ferrandi muniendum, & defendendum, pollicens eis succurrere, si forte contingeret ipsum obsideri. Ad obsidendum vero castrum Vauri exercitus properauit, quod Aymericus dominus Montis-regalis & Lauriaci, frater nobilis mulieris Geraldæ dominæ dicti castri ob gratiam sororis sumpserat defendendum cum fortitudine parietum, quibus clausum erat & cinctum, inexpugnabile vt suspicabatur, fortitudini aduersæ partis ingressuræ, cum pacto sibi facto à Comite quod leuaret exercitum si venirent, eratque intus hæreticorum non modica multitudo non ibi assidue commorantium, sed quàm plurium qui conuenerant à remotis, habentium spem quod plures ibi caderent vulnerati, quos ipsi sibi reciperent, & eorum pecunias possiderent: sicut ego ab aliquo audiui, qui erat rei huius non ignarus; fictis enim verbis negotiabantur de credentibus suis, sicut Petrus Apostolus prædicebat. Illuc ergo applicuit benedictus Dei exercitus, & cinxit vndique totum castrum, & pontem fecit ligneum super amnem, quo iretur in exercitum altrinsecus hinc & inde: obsessis autem die, noctuque requies non dabatur, cum assidue petrariis, & molaribus, & aliis bellicis aggressionibus premerentur. A

B

Confratria Tholosana iuit ad obsidionem castri Vauri.

CAPVT XVII.

REQVIRVNTVR interea Confratres Tholosani per Legatum, & Episcopum suum, vt venirent in exercitum negotio fidei & pacis, succursum & auxilium impensuri; qui sumentes arma sua, & copias conuenerunt in plateam Montis Aygoni exercitus magnus valde, sumpturi ibi consilium, qua porta egrederentur ad exercitum profecturi, vbi Comes affuit inter eos, egressum eis in auxilium inimicorum suorum minis & precibus interdicens, qui eum audire noluerunt, iuramentum Legato præstitum præferentes: & venientes ad portam sancti Stephani, qua exire disposuerunt præuenti ibi ab eodem, Comitem inuenerunt, qui obiiciens super vectes brachia, dicensque quod primo ei brachia frangerent, quàm exirent ibi eorum exitum impediuit. Qui præsumentes quod ad quamcumque portam venirent ex latere illo idem faceret, ex improuiso, quod ipse non præuiderat, versus pontes Garumnæ vexilla dirigunt transeuntes, & vadantes subtus vadaculum ad exercitum apud Vaurum properarunt, quos à longe obsessi prospectantes succursum Comitis crediderunt; sed quod inter castra exercitus erigeret sua tentoria, contemplantes succursus confidentiam perdiderunt: videntesque quod se defendere non possent, cum parietes propugnaculis suis missis molaribus nudarentur, datis obsidibus voluntati oppugnantium se reddiderunt: adhuc autem durante pugna Comes Fuxensis peregrinos recentes qui veniebant in exercitum incautos nuper inuasit, & inter nemora plurimos trucidauit. Potitus igitur Comes Simon castro sibi tradito ad libitum dictum Aymericum nobilem magnatem, cum paucis militibus in suspendium eleuauit: cæterosque generosos cum quibusdam qui se illis immiscuerant, sperantes quod militibus parceretur, vsque circiter octuaginta gladio consummauit: hereticos vero indutos circiter trecentos flammis exustos materialibus igni concremandos perpetuo assignauit, & Dominam castri Geraldam proiectam in puteum lapidibus cumulauit: vulgus autem sub conditionibus est seruatum. C

De captione Castri, quod dicitur Casser, vbi LX. hæretici combusti sunt. Castrum Montis-ferrandi capitur. Baudoinus frater Comitis Tholosani obsessus ad pacem recipitur.

CAPVT XVIII.

PERACTO itaque quod imminebat ibi, ad Castrum quod dicitur Casser Dei exercitus properauit, & expugnato eo & capto, circiter sexaginta hæreticos, quos inuenerunt ibi, combusserunt; & transeuntes inde Montem-ferrandi Castrum

A strum, quod frater Comitis Tholosani Baudoinus muniuerat, obsidione cinxerunt, & ipso Comite sicut promiserat nullum ferente succursum compulsus Baudoinus frequentis pugnæ instantia ad pacem Ecclesiæ, iuramento astrictus quod iuuaret eam de cætero, est receptus: deinde ad acquirendam terram aliam tota hyeme est certatum. Remissis autem ad propria confratribus Tholosanis, Comes cum maximo labore & studio eos sibi aggregauit, & partes in vnam concordiam reuocauit, & omnes vnanimiter muniendæ, ac tuendæ ciuitati à superuenientibus insistebant; & fuit lata per Legatum excommunicationis sententia contra omnes. Ac circa tempus illud dicti Comitis filius Raymundus duxit Dominam Sanciam sororē Petri Regis Arragonum, in vxorem, cui Comes fictè donauit Tholosam, vt tuendi eam, causam habere rationabilem videretur. Anno vero sequenti ab Incarnatione Domini 1211. exercitus peregrinorum, in quo Theutonicorum fuit maxima multitudo, obsedit Tholosam, Locans castra, & tentoria contra Burgum & partem plurimam ciuitatis, & multis eam aggressionibus fatigauit, non minus à resistentibus fatigatus, & soluta obsidione, peractis quadragenis, peregrini ad propria sunt reuersi, damno dato in messibus, & vineis, & aliis rebus non modico ciuibus Tholosanis.

B

Comes Montis-fortis obsidetur apud castrum nouum, qui exiuit in succursum suorum & triumphauit de hostibus, quo facto in castrum rediit, & Comes Tholosanus ab obsidione recessit.

CAPVT XIX.

POST quorum recessum Comes Tholosanus exiuit in manu valida, & obsedit apud castrum nouum Comitem Montis-fortis, & castrum erectis machinis oppugnabat. Accidit autem vna die quod cum milites quidam sui adducerent victualia de diœcesi Carcassonæ, Comes Fuxensis cum magna multitudine armatorum occurrit illis, & commisit in campo grande prælium cum eisdem; quod fuit Simoni Comiti cominus nunciatum, qui ordinata defensione castri, cernentibus cunctis qui erant in exercitu, exiuit, vix secum habens sexaginta milites, suis qui iam fere defecerant succursurus. Cum venisset in campum, paucos adiit resistentes inueniens super equos, in hostes irruit sicut leo, qui eum adesse percipientes, fugæ præsidium inierunt. Quorum ipse tergo insistens de ipsis fecit per dæuia magnam stragem, & in castrum cum victoria se recepit, In ipso autem prælio Guillelmus Cato, miles de Monte regali, cui idem Comes, ex compaternitate contracta cum eo, familiaritatem habebat, in apero prælio factus est proditionaliter in sathan contra C ipsum, in ipso campo ad aduersarios transeundo, ignarus bellorum euentus varios, cum secus acciderit quam sperabat: propter quod idem Comes ex tunc fortius abhorrere cœpit consortia militum nostræ linguæ. Comes vero Tholosanus confusus de ipsius victoria, ex amissione sociorum, combustis machinis ab obsidione nocte ad propria est reuersus.

Quod Miramolinus Rex Africæ capitur per Regem Arragonum, & Calatraua ciuitas etiam à christianis. Anno sequenti Comes Montis-fortis in fortia Podioli munitionem ponit, sed obsessa à Tholosanis capitur & occiditur.

CAPVT XX.

REX vero Arragonum circa dies illos Tholosam venit, & Vicarium ibi posuit militem Guillelmum de Scala nomine, & iuxta Burguetum nomine in illorum, qui cognominabatur de Samaroum, hospitio morabatur. Deinde Rex in Hispaniam est reuersus: quoniam Miramolinus Rex Africanus bellum indixerat christianis, cui dominus Arnaldus Almaricus, factus iam eo tempore Archiepiscopus Narbonēsis habens centum milites gallicos disposuit interesse. Conuenientibusque

quinque regibus in ipsum prælium victoriam cum Dei adiutorio habuerunt, in A quo sicut publicè referebatur Sarracenorum circiter centum millia ceciderunt & obtinuerunt nostri post bellum protinus Calatrauam Sarracenorum Rege turpiter fugiente anno Domini 1212. Interim autem Comes Simon requiem non habebat, nec dabat aduersariis premens eos in locis publicis pluribus, ac infestans: Nam anno Domini 1213. in quadam fortia, quæ appellatur Podiolus, prope Tholosam munitionem in principio æstatis posuit armatorum, quod Tholosanis ad messem exeuntibus immineret: quos Comes Tholosanus obsedit & expugnatos machinis ad deditionem coëgit, vitæ securitate promissa, ibique intererat Rogerius de Isartis, miles Gallicus, iaculo in capite vulneratus; hanc autem securitatem ita obtinuerunt, quod cum se in quandam turrem recollegissent, nec se deffendere præualerent conditionibus securitatis promissis; quod auditum erat in exercitu, quod Guido de Monte-forti iam prope venerat in succursum, Rogerius Bernardi filius Comitis Fuxensis & alij quidam cum eo milites ad turrim hostium venientes eam sibi ab inclusis aperiri iusserunt, & aperto ostio iurantes, eis cæteri tenuerunt, quibus de morte timentibus mortem eis minantibus, Comitis iuramento, & magnatum Tholosæ, vt dictum est, vitæ securitas est promissa, qua nonobstante miles strenuus Simon Saxonis fuit à vulgo subito interfectus: cæteri vero ducti Tholosam post paucos B dies populari concursu fuere in carceribus, nec non & quicumque capti fuissent alias, trucidati, & tracti sicut morticinium extra villam quod vniuerso populo post breue in detrimentum maximum est reuersum, sicut sequentia declarabunt. Prætermitto autem quod qui prius fuit occisus in primo impetu de Ecclesia sancti Saturnini ad Taurum, in quam confugerat fuit tractus, & ab iniuria immunitatis & libertatis Ecclesiæ incœperunt, quod vt dixi in malum pluribus est reuersum.

Castrum Murelli obsidetur à Rege Arragonum, Comes Montis-fortis propeperat in succursum suæ munitionis; & de præparatione ad bellum campestre.

CAPVT XXI.

Ipso namque tempore prædictus Rex Arragonum, qui contra Sarracenos fuerat fortunatus fortunam etiam suam contra Christianos voluit experiri, & venit Tholosam æstiuo tempore, circa finem & sumpto consilio cum Comitibus & magnatibus & ciuibus Tholosanis, exiit manu valida & obsedit castrum Murelli in quo Comes Simon suam posuerat stabilitionem, & ciuitatem Tholosæ plurimum infestabat, & in exercitum de terris vicinis conuenerunt: quod cum innotuisset Comiti Montis-fortis in succursum suorum protinus festinauit. Nam vt ego audiui C per plures annos dominum Maurinum Abbatem Appamiæ virum fide dignum, & per omnia laudabilem referentem qui prius sacrista Appamiæ castri habebat custodiam, ipse apud Bolbonam exiuit obuiam eidem Comiti venienti, & audito eo quod veniret succursurus obsessis, & etiam si eum expectarent in campo, cum obsessoribus commissurus, ait Sacrista, vos habetis paucos socios respectu aduersariorum in quibus est Rex Arragonum vir in bellis expertissimus, & probatus, habens secum Comites & exercitum magnum valde, & non est par cum tam paucis contra Regem, & tantam multitudinem experiri, qui ad hanc vocem protulit literas de sua almoneria dicens: Legite istas literas? quas cum legisset, inuenit in eis quod Rex Arragonum quandam nobilem vxorem cuiusdam nobilis Tholosanæ diœcesis salutabat, persuadens quod ob amorem eius ad expellendos de terra Gallicos veniebat, & alias blanditias continebant. Quibus lectis respondit ei Sacrista; quid vultis dicere propter istud? qui ait, quid volo dicere; sic Deus me adiuuet, quod ego Regem non vereor, qui pro vna venit contra, Dei negotium inuertere. Quo dicto reposuit literas in bursa diligenter. Forsan aliquis, qui erat domesticus aut Secretarius prædictæ nobilis, vt rem dignam, notam dicto Comiti fecerat illarum copiam literarum, quas secum Comes ferebat in testimonium coram domino contra illum qui tanquam effeminatus sibi posse resistere per Dei confidentiam non retinebat, seu non timebat. Et inde profecti, ingressi sunt Murellum, quos peragrantes pontem, satis poterant hostes, si vellent, quasi ad vnum æstimare. Et cum intrassent

A intrassent venerabiles patres, qui venerant cum eo, dictus Fulco Tholosanus Episcopus, Guido Carcassonensis, Bedesius Agathensis Episcopi; cæperunt agere propter euentus bellorum varios, an possent viam pacis, aut treugas inuenire: sed Rege neutrum acceptante, nisi cum conditionibus indecoris parti Ecclesiæ & damnosis, Comes Simon præsumens, quod si forte castrum aduersariis resignaret tota terra insurgeret contra eum, & aliis adhæreret, & essent nouissima grauiora prioribus atque considerans, quod causam Dei & fidei prosequebatur cæteris in contrarium concurrentibus, vinculis excommunicationis astrictis, satius duxit vna die periculum experiri, quam languida prolixitate aduersariorem adaugere audaciam? quid plura? diem instantem exaltationis sanctæ crucis, bello crucifixi pugiles elegerunt, & factis confessionibus peccatorem, & audito ex more diuino officio, cibo salutari altaris refecti & prandio sobrio confortati arma sumunt, & ad prælium se accingunt. Attendente autem Comite equum suum strepa rumpitur sellæ suæ, & pede in terram reposito sella continuo reparatur; cumque ascendisset, equus ipsum capite in fronte percussit, adeò quod mansit aliquandiu stupefactus, qui, si percurrentibus Aranianis intenderet, vt plures faciunt, sibi sinistra imminere de prælio formidaret, inciditque eis consilium ne directè contra exercitum prosilirent, ne
B imbri Iaculorum populi Tholosani exponerent equos suos; & exierunt per portam quæ respicit orientem cum castra essent ab occidente. Verumtamen nescientibus propositum eorum, fugere viderentur, donec profecti paulisper riuum quemdam transeuntes in planitiem versus exercitum redierunt: erantque cum ipso Comite Guido frater eius, Baudoinus frater Comitis Tholosani & Guillelmus de Barris Alanus de Rossiaco, & alij multi ad numerum mille armatorum.

De ordine & fine Belli in quo Rex Arragonum occiditur, & multi nobiles cum eo, & strages fit populi Tholosani.

CAPVT XXII.

IGITVR Rex Arragonum parauit se ad prælium, Comite Tholosano in contrarium consulente, vt infra castra consisterent & venientium equos telis & iaculis vulneratos debilitarent, debilesque securius inuaderent, & inuasos facilius contererent aut fugarent, qui in castro non possent defectu victualium, remanere; quem Rex audire noluit metui ascribens & ignauiæ, quod dicebatur. Ordinatis ergo aciebus à Rege, ad pugnam veniunt dato primo congressu Comiti Fuxensi cum Catalanis, & copià & multitudine bellatorum: ex aduerso autem sicut audiui referentem Dominum Raymundum, vltimum Tholosæ Comitem, qui tunc tanquam ætate
C inhabilis ad pugnandum, eductus fuit de castris in equo libero ad locum eminentem, vnde commissionem videre poterat, Comes Simon venit tribus ordinibus vsu, vt nouerat militari; & posteriores properantes in vnum ad primos ictus cum prioribus affuerunt, docti satis quod pugna vnanimiter agressa victoriam parit, adeoque hostes primo impetu subuerterunt, quòd eos à campo, vt ventus à facie terræ puluerem, propulsarunt: qui vt licitum fuit, se in posteriores acies collocarunt: deinde ad Regis aciem, vbi vexillum eius nouerant se conuertunt, tantaque pressura in ipsum irruunt, quod armorum collisio & sonus ictuum ad locum, vbi erat ipse, qui hæc dicebat aëre ferebantur, ac si multæ secures nemora detruncarent: mortuusque est ibi Rex, & Magnates plurimi de Arragonia circa eum. Cæteri autem terga fugæ dederunt & infiniti dum fugerent ceciderunt, ipsi quoque Comites Tholosanus & Fuxensis & alij fugæ præsidio euaserunt. Populus autem Tholosanus, de castris, vbi erant vallati curribus, ex aliis impedimentis, adhuc cui cessisset victoria ignorabat, donec redeuntium ex trophæo vexilla notantes, ad nauigium quod habebant in Garumnæ littore concurrerunt, & qui potuerunt ingredi euaserunt, cæteri vel submersi, vel in campi planitie cæsi gladiis ceciderunt, ita vt occisorum numerus vbique esse quindecim millia dicerent. Corpus autem Regis petitum, & concessum fratres Hospitalis sancti Ioannis nudum inuentum in campo, vt dictum fuit eo tempore, leuauerunt; nec defuerunt, qui, dum populus passim occideretur, eis concursum, quem nuper contra incarceratos, quos Tholosæ occide-

rant exprobrarent. Plures autem capti in prælio, vitæ reseruati, vel in carcere mortui sunt, vel se pretio redemerunt; nec fuit inuentum quod vel vnus ex parte Ecclesiæ concidisset. Ecce quid superbia, quid voluptas Regi, qui semper contra Sarracenos fortunatus fuerat, in hoc Christianorum prælio mæruerunt, quem minimè à concepta stultitia amor filij retrahebat, quem propter fœdus initum inter eos obsidem dederat hosti suo, qui eum extinguere poterat, si voluisset in rupti fœderis vltionem. Erat autem videre pietas, & audire lamenta Tholosæ planguentium mortuos suos, quoniam vix vacabat domus quæ plangendum mortuum non haberet, vel quem credebat mortuum, vel incarceratum: cuius mali illa fuit occasio, quod furente populo propter eius audaciam, omnes currerent in furorem, non de virtute Dominica sed viribus humanis confidentes: contra eorum aduersarij, qui in Domino confiderant, nil pro sua paucitate tale præsumebant, sed sanctæ crucis deuotè festum celebrantes in illa die tanquam Dei pugiles crucis eiusdem aduersarios superarunt. Reuersi enim in castris hostium triumphantes, gratias reddiderunt Domino Iesu Christo, qui sua dignatione paucis eis & de tam multis victoriam concessisset.

Baudoinus frater Comitis Tholosani capitur in lecto proditionaliter & à Comite morti condemnatur patibulari.

CAPVT XXIII.

ACCIDIT autem non post multos dies, quod Baudoinus frater Comitis Tholosani cesserat in partes Agennenses, vbi sibi terram contulerat Comes Simon, in castro quod dicitur oliua, in quo venditum proditionaliter quidam quiescentem in lecto nocte ceperunt, & fratri suo Comiti tradiderunt quem cum captum eum apud Montem Albanum diebus pluribus tenuisset, prauo tandem vsus Consilio Rogerij Bernardi, filij Comitis Fuxensis, & Bernardi de Portella Cathalani, & quorumdam aliorum in vltionem Regis Arragonum qui in campo primo fuerat, fratrem suum suspendio condemnauit; vix data sibi licentia habendi sacerdotem, cui confessionem redderet peccatorum. Cuius corpus fratres templarij petitum & concessum deposuerunt de arbore & apud villam Dei in castro suo tradiderunt iuxta Ecclesiam Ecclesiasticæ sepulturæ. Multum enim Comes opinionem suam ex illius fratricidio aggrauauit qui saltem de suspendio ei parcere debuisset qui alias ne etiam sibi ex hoc hanc inferet iniuriam atque aliquo alio suplicio non tam ignominioso ipsum poterat extinxisse: sed iustus quacumque morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit. Ipse enim qui iuramento tenebatur Ecclesiæ adhærere, non poterat se substrahere in articulo grauiori, præsertim cum nunquam frater suus ei bonam vt frater spem ostendisset: sed periculis eum maioribus obiecisset. Circa hos dies illustris Rex Franciæ Philippus cœpit in bello campestri Flandriæ, & Boloniæ Comites & in locis quos sibi ipsis elegerant atque diuiserant, si fortuna eis fuisset ad nutum custodiendos statuit vinculis mancipandos. Et ipso tempore Ludouicus filius eius in Aquitania currens contra Regem Angliæ Ioannem, ipsum fugientem ab eius facie effugauit.

Magister Petrus de Beneuento Cardinalis Ecclesiæ Romanæ mittitur Legatus, de pace acturus: obsides Tholosani mittuntur Arelatem, in Prouincia, & castrum traditur Narbonense.

CAPVT XXIV.

SEQVENTI vero tempore post mortem Regis Arragonum mittitur Legatus Dominus Petrus de Beneuento Cardinalis, à summo Pontifice, finem pacis labori bellico cum Dei auxilio positurus, cui de parendo mandato & ordinationi summi Pontificis, Comes, & ciues Tholosani sese astrinxerunt vinculo iuramenti. Et præter castrum Narbonæ traditum sibi, ciues & Burgenses dederunt obsides apud

Arelatem

A Arelatem ciuitatem Prouinciæ moraturos: Castrum vero prædictum, tenendum & custodiendum nomine Ecclesiæ Romanæ, commendauit Episcopo Tholosano. Comes vero Tholosanus, eiusque filius, & eorum vxores ad manendum in domo de Roaxio descenderunt.

Castrum Fuxi Traditur.

CAPVT XXV.

EODEMQVE tempore Comes Fuxi Castrum suum Fuxi tradidit eidem Legato, mandatis Apostolicis pariturus, quod Legatus custodiendum Abbati sancti Tiberij, nomine Ecclesiæ Romanæ, commendauit, in quo idem Abbas Berengarium nepotem suum domicellum posuit Castellanum. Processu vero dierum plurium Comes Tholosanus exiuit Tholosam, apud quos poterat suis negotiis prouisurus; filius vero suus in Angliam ad Regem consanguineum suum diuertit, consilium habiturus. Eratque eo tempore treuga pacis præambula sequuturæ, data licentia militibus faiditis ire per territorium, non in oppida introire, nec in equis velocibus, sed Roncinis, cum vno calcari æquitando solummodo, sine armis. Dicamque quod audiui diebus illis dici, virum ingenuum Raymundum de Rocaudo militem, qui de maioribus fuerat consiliariis Comitis Tholosani, accessisse ad Dominum Fulconem Episcopum Tholosanum petentem ab eo domum hospitalis quod dicitur Maynaderie, in quo in obsequio Dei clauderet dies suos, eique Episcopum in parabola respondisse: ipsum, qui consiliis suis primis Comitem occiderat per occasionem, quasi qui totum egerat, nunc conari petere dari sibi beneficium hospitalis, ad instar cuiusdam folli, qui cum quemdam lapide percussum cerebro occidisset, ad eleemosynam pro mortuo diuidendam venit, cum pauperibus recepturus, quem cum sedentem in ordine, is qui dabat eleemosynam nihil illi dato, vt aliis, pertransiret, an non, inquit, mihi qui totum feceram erogabis? sicque Episcopus petitionem eius hac duxit similitudine repellendam, quod verbum fuit non parum eo tempore diuulgatum.

Concilium generale celebratur. Terra adiudicatur Comiti Montis-fortis.

CAPVT XXVI.

C IN diebus illis summus Pontifex Innocentius Papa III. ex omni natione conuocat Concilium generale, quod fuit celebratum in Vrbe, anno Domini 1215. Cui interfuerunt Comes, & filius eius Tholosanus, qui de Anglia venit cum quodam mercatore sub specie seruientis, & Comes Fuxi pro parte sua, & Petrus Bermundi occasione vxoris primogenitæ Comitis Tholosani quam habuit in vxorem: Si contingeret terram adiudicari eis vt primogenito postulabat: pro parte altera erat ibi Guido frater Comitis Montis-fortis fuitque terra adiudicata Comiti Montis-fortis, priuato inde per sententiam Comite Tholosano, & fuit traditum Castrum Narbonense eidem Comiti Simoni, & iuratum ei à ciuibus atque Burgensibus Tholosanis & ipse nominatus & habitus pro Comite Tholosano, & à Notariis ponebatur Comes in publicis instrumentis: fecitque dirui muros ciuitatis, & parietes Burgi, & æquari fossata & turres domorum fortium destrui infra villam vt vltra non auderent insurgere contra ipsum, & catenas ex compitis remoueri fecit. Castrum Narbonense, quod tunc solidum erat vsque in altum sicut & nunc est, vacuari tellure, & portam aperiri ab oriente, vt ignorantibus aut inuitis ciuibus Castrum posset ingredi quando vellet iussitque fossata magna fieri inter Castrum, & ciuitatem, & cingi magnis sudibus: filio quoque suo Guidoni dedit vxorem Comitissam Bigorræ, vt latera Comitatus à parte Vasconiæ roboraret, & obsides, qui dati fuerant Legato à ciuibus Tholosanis redeundi ad sua licentiam habuerunt.

Comes Tholosæ secessit in Hispaniam, filius eius venit in Prouinciam, & à ciuibus Auenionensibus amparatur, & terra Venaissini, ad eum conuertitur.

CAPVT XXVII.

POST Concilium autem generale Comes Raymundus secessit in Hispaniam, & filius eius venit in Prouinciam, quo iam vxores eorum transierant, postquam Comes Simon Tholosam adiisset fuitque dictus filius amparatus à ciuibus Auenionensibus & receptus, & conuersa est terra ad eum similiter Venaissini, & inde mouit guerram Comiti Montis-fortis: inuitat quidpiam hic ad considerationem iudiciorum executio diuinorum, dum quæ cæpta fuere pro tuenda fide Catholica, & prauitate hæretica extirpanda, prædicationis mansuetudine præcedente, ac deinde correctione sæcularis iustitiæ succedente, ac tertio ad consummationis quasi finem deducta, permiserit Dominus, ac si nihil actum esset iterum instaurari, vt vbi consummasse præsumeretur, homo ibi iterum incipere cogeretur; sed rerum, & executio in promptu iudicij huius nobis exhibet rationem. Nam sicut Hæbreis, dum essent in terra promissionis de protectione diuina superbientibus propter suam ingratitudinem permisit Dominus adesse Ægyptios, & cæteras in circuitu nationes quibus affligerentur propter humilitatis custodiam, datusque est Apostolo Angelus Sathanæ, carnisque stimulus ne in altum reuelationum magnitudine tolleretur, illisque in malorum supplicium, & istis in virtutis exercitium: sic in istorum negotio tam fauorabili est vsus ipse Dominus consuetis. Nam cum Comes Simon, vir per omnia in se laudabilis, terram fauente Domino vendicasset, eamque magnatibus, & militibus diuisisset, potiti ea non eam eo fine cæperunt regere, quo fuisset principio acquisita, nec iam quæ Christi erant, sed quæ sua quærebant, cupiditatis, & voluptatis: desideriis seruientes, & quod, agente Deo, vnus quasi *mille*, & duo fugarent decem millia, non diuinis, sed suis viribus applicantes, cura illis nulla, vel modica inuestigandis erat Hæreticis, aut tenendis; propter quod calice iræ suæ, quæ nondum erat exinanita potauit eos Dominus insequenti, sicut in sequentibus apparebit. B

Filius Comitis Tholosani obsedit Castrum Bellicadri, obsidetur & ipse à Comite Montis-fortis.

CAPVT XXVIII.

ECCE enim prædictus filius Comitis sæpedicti, receptus à ciuibus Auenionensibus & plebibus Venaissini, consentientibus hominibus Bellicadri villam eorum introiuit manu valida, & obsedit munitionem, quæ erat in castro, vndique, tam per terram, quam per flumen Rhodani, vt exire non possent inclusi; sed nec quisquam ad eos ingredi præualeret, accurrensque Comes Simon obsedit exercitu obsidentes, sed eidem munitioni, consumptis carnibus equorum, & cunctis necessariis deficientibus data securitate vitæ castrum hostibus resignauit, & Comes Simon, cum nil proficeret, ab obsidione recessit; propter quod multi qui latebant, cornua extulerunt, & plura oppida, & villæ hosti eius vnitæ adhæserunt. Ciues autem Tholosani, quorum dudum obsides redierant; sicut dixi sæpius, subesse superbè dominantibus detrectantes, quadam se inobedientia subtrahebant, & molestè deferebant iugum in consuetæ præiudicium libertatis. Propter quod Comes Simon, timens ne, nisi eos premeret in tumorem se erigerent altiorem, consilium habuit, vt eos armis inuaderet, & rigore superbiam castigaret. C

Comes

A

Comes Montis-fortis inuadit Tholosam immisso igne in pluribus locis.

CAPVT XXIX.

ANNO igitur Domini 1216. veniens in manu valida, & armata, ciuitatem inuasit, in locis pluribus igne immisso; vt duplici gladij, & flammæ turbine terrerentur, & facilius turbarentur; qui è contrario vires viribus opponentes trabibus & vasis in plateis coram venientibus transuersatis, eorum impetum repulerunt, nec quietem vel in ignem, vel in hostes laborantes, toto noctis spatio habuerunt. Manè autem facto venerabilis pater Dominus Fulco Episcopus, adiunctis sibi quibusdam excubiis, vt periculis occurreret imminentibus, de pace tractauit, & concordia inter partes, & aciem ferri argento retundere probauerunt: Erat enim Comes Simon extenuatus propter sumptus factos apud Bellicadrum, & pecuniis indigebat, quod præsumentes aliqui, sibi sub boni specie persuaserunt, vt pro emenda reciperet à ciuitate & à Burgo triginta millia Marcarum argenti quæ bene solui
B poterant, vt eius gratiam obtinerent. Cui consilio Achitophel libenter consensit & excæcatus argento periculum non præuidit. Sciebant enim qui talia suadebant, quod in ista pecunia multa in offensionem vniuersorum, & singulorum committerentur, quibus cogerentur affectare pristinam libertatem, & ad se antiquum Dominum reuocarent: facta namque talia, quam debebant, cum dura & graui instantia petebatur, & præter pignoris extorsionem ostia signabantur, & multa fiebant, quæ longum esset per singula enarrare, sub qua gemebat populus seruitute. Interim tractabatur secretò cum Comite veteri in Hispania peruaganti, qualiter Tholosam rediret, & fieret quod optabat.

Comes Tholosæ senior veniens de Hispania recuperauit Tholosam.

CAPVT XXX.

IGITVR anno Domini 1217. cum Comes Simon guerram longè gereret cum Ademario de Pictauio vltra Rhodanum, obseruata temporis opportunitate, Comes Tholosæ, cum Conuenarum & Peleariorum, Comitibus, & militibus non multis, transiit Pyræneos, & intrauit Tholosam, mense Septembri, non ponte, sed vado, sub Vadaculo; quod cum pauci scirent, quibusdam placuit, & quibusdam displicuit, qui futura præteritis compensabant vnde quidam versus Castrum Narbo-
C nense cum Gallicis se traxerunt; quidam se in domum Episcopi, & in claustro sancti Stephani, & in Monasterio sancti Saturnini pariter se receperunt, quos Comes minis, atque blanditiis ad se post dies aliquos reuocauit. Comes vero Guido, qui erat in terra tentauit ferro recentem motum compescere, sed repulsus non valuit adimplere. Interim autem dum ista Comiti Simoni nunciantur, tenenti obsidia apud Crestum, ciues cœperunt contra clastrum claudere ciuitatem palis & sudibus, & magnis trabibus, & fossatis, incipientes à pinna quæ dicitur Toreti, vsque ad pinnam sancti Iacobi per transuersum; veniensque Comes Simon, cum Domino Bertrando Cardinali, qui missus erat Legatus à summo Pontifice Honorio, inuasit in manu valida ciuitatem; sed deffendentibus se viriliter ciuibus nihil potuit illa vice. Deinde Machinæ vndique eriguntur & mittuntur molares, & lapides versa vice. Mittitur interea in Franciam Dominus Tholosanus à Legato Episcopus, prædicaturus crucem, cum aliis qui mandatum habuerant in eodem, cum quibus fuit Magister Iacobus de Vitriaco, vir magnæ honestatis, literaturæ, & eloquentiæ, qui postea fuit. Episcopus Acconensis, deinde in Romana curia Cardinalis, de quo etiam audiui Dominum Episcopum Tholosanum referentem, quod ab eo audiuerat, sibi iniunctum fuisse per visionem in somnis à Beato Saturnino Tholosæ protopræsule vt contra suum populum prædicaret. Et hoc Episcopus referebat, quærens ab eo, an ipse prius ignoraret quod fuerit aliquando Tholosæ Pontifex Saturninus Nomine. Et in ista Prædicatione multos cruce signauit, qui venerunt in ista

obsidione Tholosæ verno tempore sequenti, cum quibus & Episcopus ad exercitum est reuersus. Cui Comes Simon donauit in eleemosynam, eiusque successoribus Episcopus Tholosanis perpetuò castrum Viridisfolij, cum cunctis villis, & fortiis quæ erant sub eiusdem castri Dominio, in quibus erant viginti fortia vel infra, nil sibi retento nisi quod si contingeret fieri sibi bellum campestre ab aliquo in terra sua, Episcopus militem vnum armatum sibi in illo prælio exhiberet. Cum igitur labor pugnæ tam obsessis quam obsidentibus per totam Hyemem, tam cum machinis, quam aliis instrumentis bellicis perdurasset, Comes Simon roboratus recentibus peregrinis non tam aggressionibus quæ fiebant extrinsecus, atque discursibus quæ fiebant circa villam; quos & ciues impediebant barreriis, & fossatis aduersarios infestabant. Cum demum fuit consilium ædificare machinam ligneam, quam vocabant Catam, cum qua terram & aliqua pertraherent ad replenda fossata, quibus æquatis pugnam Cominus inferrent, & effractis clausulis ligneis insilirent. Erat autem Comes affectus libore & tædio, & diminutus in sumptibus & exhaustus, nec facile ferebat stimulos, quibus à Legato assiduè quod ignarus, & remissus esset plurimum pungebatur: vnde & vt dicebant, orabat Dominum, vt sibi mortis remedio daret pacem. Cumque quadam die intrasset Catam illam in Crastino Natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ immissa ab aduersa parte lapis Mangonelli cecidit super caput eius & comminutus expirauit, quod ciuibus infra villam innotuit illa die, qui quantam haberent lætitiam clamosis exultationibus non celarunt, quando erat magna tristitia ex aduerso: erant enim ciues in angustia ab imminentis aggressionis formidine, qui etiam nisi rara victualia non habebant, poterantque de colligendis messibus diffidere in æstate. Ecce cuius terror erat à mari mediteraneo, vsque ad Mare Britannicum cadit sub lapidis vno ictu: in cuius casu qui ante steterat cecidit & in eo qui bonus erat percellitur animus subditorum. Dico enim quod audiui processu temporis Comitem Tholosanum, qui vltimo decessit, quamuis eius hostis fuisset ipsam in fidelitate, prouidentia, & strenuitate, & in cunctis quæ decent Principem mirabiliter commendantem. Iam tunc dominus dabat signum, quod ab eius via Recessissent, superbè apponebant nolentibus imperare, nec dabant operam purgandæ terræ ab Hæretica prauitate, propter quod totum fuerat inchoatum.

Post mortem Comitis Montis-fortis Amalricus filius eius soluta obsidione repetit Carcassonam, & obsidet castrum nouum.

CAPVT XXXI.

EXTINCTO Comite Simone, successor eius & Hæres ipsius filius Amalricus ab obsidione recessit, Castrum resignans, quod tenere non poterat Narbonense, & corpus Paternum apud Carcassonam curatum more Gallico exportauit. Vacillante igitur terra casibus inopinatis satis post paucos dies Castrum nouum, quod dicitur de Arrio redditur Comiti Tholosano quod Comes Amalricus non est cunctatus collectis exercitibus obsidere, erectis Machinis contra ipsum, tuente illud, ac stabiliente filio Comitis Tholosani: factumque est vna die, quod in quodam insultu cecidit Guido Comes Bigorræ, frater Comitis Amalrici, & confossus vulneribus expirauit; cuius corpus decenter curatum in tabulato purpura cooperto remittitur fratri suo, & ab æstatis fine, vsque ad finem hiemis est certatum. Contigit autem in ipsa hyeme vt Folcaudus & Ioannes de Brignio fratres, viri strenui & bellicosi, & plures ab exercitu exeuntes in prædam in finibus Tholosæ, cum omni audacia cucurrerunt, & prædam omnem collegerunt. Quos filius Comitis Raymundi qui Tholosæ erat, currens post eos iuxta Vadegiam inuenit cunctantes, qui si prædam dimisissent, abiisse poterant sine damno; sed congressum Campestrem qui exquisierunt, inuenerunt: in principio namque commissionis vallati qui erant ferri pondere onerati, à percussoribus, & balistariis in equis liberis multa passi sunt ab eis, donec succederent qui maiori fortitudine sequebantur, & maiores primo Gallici corruerunt, & pluribus cæsis, in equis velocibus fugæ præsidio euaserunt. Et Dominus Sicardus de Monte-alto releuatus de campo ab amicis, quos ibi habebat ab

A ab hostibus est eductus. Fuere autem retenti & seruati ad vitam Folcandus & Ioannes frater, & alij quidam pro captis qui tenebantur recuperandis, aut forsitan capiendis, traditusque est Ioannes tenendus apud Aniortum pro Bernardo Othonis, qui eo tempore captus erat. Folcandus vero in castro Narbonæ carceri mancipatur. Soluta autem obsidione à Castro-nouo Comes Amalricus recessit verno tempore affectus tædio magno & expensis.

Ludouicus filius Regis Philippi post captionem Rupellæ, recepit castrum Marmandæ in deditionem, & Tholosam obsedit.

CAPVT XXXII.

ANNO autem sequenti ab Incarnatione Domini 1219. dominus Ludouicus Illustris Regis Philippi filius cum in deditionem cæpisset Rupellam, quam expugnauerat contra Regem Angliæ; cum exercitu suo venire aduersus Tholosam disposuit peregrinus, cui venienti obuium fuit obsidere Castrum, quod dici-
B tur Marmanda, quod erat Comitis Tholosani, quod eius Comitis mandato Comes Astariaci Centullus nomine, & magnates Arnaldus de Blancaforti & Guillelmus Arnaldi de Taulalque & milites multi susceperunt deffendendum. Et cum per dies aliquos, eos dominus Ludouicus expugnari fecisset, cognoscentes obsessi quod diu ferre non possent belli instantiam, data eis belli securitate, eius se carceri reddiderunt, & Villam; ductique sunt capti apud Podium Laurentium, seruandi donec qui capti tenebantur à parte altera tenerentur. Recedens autem de Marmanda Dominus Ludouicus Tholosam properat, recta via, eratque eius exercitus magnus valde: Nam quantum durat ambitus Burgi cum parte ciuitatis, & vltra Garumnam se castra vndique extendebant erectis machinis & agressionibus acerrimis obsessos diebus pluribus expugnauit. Nec aberat Dominus Bertrandus Legatus, cui negotium cordi erat, perfectisque suæ peregrinationis diebus ab obsidione recessit princeps exercitus, cum modicum peregisset, aduersariis se deffendentibus viriliter & potenter: machinæ autem eius incendio sunt combustæ, & ipse in Franciam est reuersus, & fuere qui capti erant hinc inde prænominati viri & milites restituti.

Folcaudus de Belgino & Ioannes frater eius in conflictu moriuntur, & suæ malitiæ recipiunt talionem.

C

CAPVT XXXIII.

POST recessum autem dicti exercitus feruentius guerra excanduit, & plura Castra se reddiderunt Comiti Tholosano, accidit sequenti hyeme, quod Folcaudus & Ioannes frater eius, & alij plures milites, iterum ex illo latere, quo & alia vice in prædam currerent, & caperent copiosam. Quibus occurrens idem filius, Comitis Tholosani, omnes vicit & cepit, & deferri fecit Tholosam gratum encenium ipsorum fratrum capita amputata, & posuit in spectaculum super palos, quod adscriptum fuit à pluribus diuinæ vltioni: erat enim dictus Folcaudus vir crudelissimus, & superbus, qui statutum, vt dicebatur, apud se fecerat, vt omnis homo captus de guerra nisi daret centum solidos moreretur, captos in fouea subterranea esurie cruciabat, & quando vel semiuiuus vel mortuus afferebatur in sterquilinium iaciendum præcipiebat; fuitque diuulgatum, & adhuc dicitur, quod exiens ad prædam hac vice vltima, duos miseros, quos tenebat captos patrem & filium ad suspendendum fecit duci, etiamque cogi fecit patrem filium ad suspendium eleuare: deinde iuit ad cursum propositum, nec reuenit, Domino sibi pro meritis rependente. Nec dicendum siue narrandum quanta immunditia eius familia ageretur: habebant enim plurimi & tenebant publicè concubinas, vxoresque per vim aliorum rapiebant, hæc & plura similia committebantur impunè: non enim propter quæ primo venerant hæc agebant, nec respondebant posteriora principio,

neque cum capite caudam in sacrificio offerebant, nec calidi erant isti nec frigidi, sed quia tepidi, cœpit eos Dominus de ore suo euomere, & de terra quam eius auxilio acquisiuerant propulsare. Sequenti anno ab Incarnatione Domini 1220. quo & Ioanna nata est, filij eiusdem Comitis Tholosani filia, multa se illi oppida reddiderunt: Munitio Castri-vauri, expugnato, & capto Castri capit, etrucidatur, præter paucos, qui natando versus castra Sicardi Vice-comitis Lautrecensis, fauore vxoris eius beniuolæ euaserunt. Castrum Podij Laurentij obsessum à parte municipij dimittitur, data securitate dominæ Emengardæ vxori quondam Folcardi, eiusque liberis, & toti munitioni, donec à tota conquesta exiuisset. Castrum Montis-regalis expugnatur, & capitur, Domino suo Alano de Roffiaco interfecto, & alia multa facta sunt in diebus illis, quæ esset prolixitas enarrare, per quæ patet, & si non in fauorem hostium, tamen in eorum odium, qui à statu suo ceciderunt, offensum eis esse Dominum & iratum. Et ista aguntur anno Domini 1220. & 1221. A

Moritur Comes Tholosanus excommunicatus morte præuentus, signa pænitentiæ habens, & adhuc insepultus tenetur. B

CAPVT XXXIV.

ITEM anno sequenti ab Incarnatione Domini 1222. moritur Comes Tholosanus morte præuentus subita, quia non potuit quidquam loqui, sed adhuc habens memoriam, sicut dictum fuit, atque notitiam Domino Iordano sancti Saturnini Abbate occurrente, sibi manus extendit, motum deuotionis ostendens, & superuenientibus fratribus Hospitalis sancti Ioannis, proiecto sibi desuper pallio cum cruce ipsam osculabatur, & subito expirauit, eiusque corpus ad eorum domum portatum est; non tamen sepultum: erat enim ipse excommunicatus, & adhuc tenetur, vt conspicitur, insepultus. Cuius filius processu temporis, postquam obtinuerat pacem Ecclesiæ, & Regis Franciæ, productis testibus ad sedem Apostolicam super probando quod signum pænitentiæ habuisset, nullo modo quod sepeliretur potuit obtinere. Eodem quoque anno moritur Bernardus Rogerij Comes Fuxi in obsidione Castri Mirapicis, non vulnere, sed magno vlcere prægrauatus. Erat autem anno præcedenti missus venerabilis Pater Conradus ordinis Cisterciensis, Cardinalis in Ecclesia Romana, Episcopus Portuensis Legatus à sede Apostolica, qui audito, quod Comes Iunior Tholosanus Castrum de Pena Agennensi obsedisset, vna cum Comite Amalrico, collecta manu valida, habens secum Episcopum Lemouicensem, & alios Prælatos plurimos transibat per Albiam, & eius diœcesim in succursum, & destructo Castro quod dicitur Lescura, in transitu cæperunt Bastitam Deodati Alamanni, & munitionem, quæ ibi erat & venientibus cesserunt qui obsederant castrum penæ: & eiusdem Legati tempore, sumptis treugis, sub spe pacis duo fuere colloquia permissa ad tractandum vnum apud sanctum Florum Castrum Aruerniæ; & aliud Senonis Burgundiæ Metropoli ciuitate: tamen pacis effectus in vento est secutus, nondum enim peccata erant completa Amorrhæorum, vt iudicio Dei tunc occulto, sed postea manifesto aliqui vlterius sequerentur. Dicebatur quidem eo tempore quod Comes Tholosanus ducturus esset in vxorem sororem Comitis Amalrici, acciditque quod sub treugæ securitate Comes Tholosanus, iam dudum patre mortuo intrauit Carcassonam, & ibi cum Comite Amalrico iacuit vna nocte & sicut erat vir quandoque Iocosus, fecit excitari susurrum inter socios qui iacuerant extra castrum, quòd eum Comes retinuerat Amalricus, qui stupefacti, & territi fugæ præsidium moliuntur, donec senserunt quod dictum fuerat in derisum, de quo inter se Comites solatium habuerunt. Transactis autem treugis ad guerræ redeunt recidiuum & obsederunt Tholosanus & Fuxensis Comites Carcassonam: Erat enim Rogerius Bernardi Comes Fuxi curator Trencauelli, filij quondam Vice-comitis Biterrensis, qui habere eo tempore annos ætatis poterat sexdecim vel circa & cum diu ciuitatem tenuissent obsessam casso labore, tædioque affecti ab obsidione recesserunt. Terra autem conuertebatur ad eos, nec Comes Amalricus eam defendere præualebat nec sufficientia C

A cientia stipendia ei erant; quibus posset milites retinere: vnde & accidit in diebus illis, quod quidam milites gallici citer, vt dicebatur eo tempore, sexaginta ab ipso recesserunt in Franciam reuersuri, quibus vltra Biterrim Comes fuit obuius Tholosanus, cui cum ex pacto equos & arma tradidissent vt in palafridis eos abire securos permitteret, & indemnes, quod ipse, qui eos iam quasi suos reputabat noluit acceptare: ipsi vero magis eligentes supremam experiri fortunam, quam vinci turpiter, & vinciri, arma susceperunt, vnum ex se ipsis Ducem prælij præferentes, cui in omnibus obedirent: & scientes quod pugna vnanimiter aggressa victoriam parit, in vnum se colligunt, & aggressorum ferentes instantiam, famulos & summarios præmittebant, donec opportunum videntes in hostes se conuertunt, & vertentes se in fugam viriliter insequuntur, & cædentes occidunt plurimos, inter quos Bernardus Andeguerrij miles strenuus Auinionensis, qui portabat arma Comitis est occisus, & arbitrantes quod Comitem occidissent fugatis aduersariis in diuersa, pauci victores plurimum se se in Laconam recipiunt ciuitatem, & exinde honorifice in Franciam reuertuntur Gallicanam, militiam honorantes, digni re-uera gloria & honore, sic inter euentus belli varios & guerræ, duobus fere annis labentibus Comes Amalricus videns incolarum terræ inconstantiam, & quod de B die in diem in contrarium abirent, terram illustri Regi Franciæ Ludouico resignauit, & in iure suo fecit totaliter successorem. Cuius pater, Rex Philippus negotium ipsum nunquam voluerat acceptare, defunctus anno Domini 1223. qui dum viueret, quasi futurorum præsagus, sicut referebat dominus Fulco Episcopus qui hoc se ab ipso audiuisse dicebat; scio inquiebat quod post mortem meam insistent clerici, quod filius meus Ludouicus assumat negotium Albigensium, & ipse cum sit homo delicatus, & debilis laborem illum non poterit ferre & breuiter morietur, & tunc remanebit regnum in manu fœminæ, & infantium, & periculo non carebit; & ex parte quæ dicebat ex prouidentia sunt secuta. Missus est enim Legatus, dictus Romanus sancti Angeli Diaconus Cardinalis vir magnæ discretionis acceptus deo & hominibus atque sufficiens tantis negotiis pertractandis, qui cum Dei auxilio induxit Regem, & seruatum sibi negotium imperactum sub aliis, ipse assumeret peragendum: quod idem Rex tanquam Deo deuotus, atque magnanimus acceptauit, collato Constabulatus officio in Francia Comiti Amalrico, quod nouerat prouidum atque strenuum & expertum in exercitio militari. Eo tempore moritur Bernardus Comes Conuenarum.

Ludouicus Rex Franciæ obsidet Auenionem ciuitatem & capit in deditionem.

CAPVT XXXV.

C ANNO siquidem domini 1226. tempore verno, quo Reges solent ad bella procedere, benedictus Rex à Deo, dominus Ludouicus egressus cum exercitu mirabili crucis signaculo insignito, vna cum Legato sibi assidue adhærente, versus Lugdunum dirigit iter suum, propter planitiem terræ quadrigis accommodatam, & flumen Rhodani nauigio portandis copiis opportunum. Quibus venientibus, ex villis & oppidis quæ erant Comitis Tholosani consules occurrebant, & eis fortalitia tradebantur, & ad suam dabant obsides voluntatem; quos etiam ciues Auenionenses datis obsidibus præuenerunt: cumque in vigilia Pentecostes illuc venissent Rex & Legatus, iamque pars non parua transiuisset per pontem exercitus, actum est diuino iudicio, sicut credo, quod ijdem ciues, timore vbi timor non erat rationabilis trepidantes de Banigio si permitteretur per villam incedere multitudo, portas ciuitatis præclaudunt, Regi tamen cum paucis transitum permittentes, aut haberet transeundi sub rupe via arctissima optionem. quod Rex tam periculosum, quam opprobriosum videns sibi, noluit attemptare, nisi transitum per ciuitatem liberum inueniret, ita quod eis resistentibus Rex mansit in loco, & iussit erigi tentoria, & castra metari ordine militari, & erectis petrariis, & aliis bellicis instrumentis, cæpit expugnare fortiter ciuitatem, ipsis à pari machinas in machinas erigentibus & viriliter defendentibus se ex aduerso. Eratque paulo ante defunctus venerabilis pater dominus Arnaldus Amalricus Archiepiscopus Narbonæ, cui

succeſſit dominus Petrus Amelij, eiuſdem Eccleſiæ maior Archidiaconus Archiepiſcopus declaratus, qui interim præmiſſus à Legato & Rege præuenit eos, & caſtra & bonas villas, & dominos eorum, pacem Eccleſiæ, & Regis promittens, confederauit eis, nullo ferè excepto à parte ſuperiori vſque ad portas Tholoſæ viris & plebibus verſus plagam orientalem ex iſto latere, qui iurauerunt Regi & Eccleſiæ adhærere: claues etiam Carcaſſonæ Regi à ciuibus in exercitum deferuntur Comes etiam Fuxi Rogerius Bernardi pacem requiſiuit, ſed iſta vice qualem voluerat non inuenit. Interea ciues Auenionenſes, quorum dominus ſuperbiam humiliare decreuerat per hanc viam, tribus menſibus expugnans, ſeque viribus impares cognoſcentes ſub certis conditionibus ſuam Legato & Regi liberant ciuitatem, qui & ruina murorum & pænis aliis ſunt multati. Multi autem in exercitu diuerſis ægritudinibus moriuntur, nec fuit parua gratia quod cito in deditionem receperat ciuitatem: vix enim poſt receſſum exercitus diebus elapſis quindecim erupit Durenſa fluuius cum ſuo alueo, cum tumore tanto, quod planitiem illam in qua caſtra Regis erant, cooperiens occupauit, vt non potuiſſet exercitus remanere: multi autem recedente Rege in Franciam ſunt reuerſi. A B

Ludouicus Rex cum rediret in Franciam moritur apud Montem-pancerium caſtrum Aluerniæ.

CAPVT XXXVI.

Rex autem verſus Biterrim, & Carcaſſonam dirigit viam ſuam Legato continue comitante, nec deerat dominus Fulco Epiſcopus Tholoſanus quem dum eſſent in exercitu aut itinere, nemo pro ſua largitate noſſe poterat exulaſſe. Tranſeunte quippe Rege verſus Appamiam cum Legato, non immemor largitatis Epiſcopus panis & vini, & Carnalagij miſit encænia copioſa priuſquam intraſſet diœceſim Tholoſanam. Erat quippe pro ſuæ bonitatis fama; & laboris quem pro fide ſuſtinuerat omnibus reuerendus. Cum autem eſſet Appamiæ Rex, ibi multa conſilio Cardinalis ad honorem Dei, & Eccleſiaſticæ libertatis ordinauit & maxime contra contemptores Clauium Eccleſiæ animaduertit ſtatuto neceſſario, & ſalubri de quo fit mentio in Concilio Narbonenſi in ſequenti mox quadrageſima celebrato, quod incipit, fælicis recordationis. Exeuntes autem Appamiam per bellum Podium, vbi Iacuerunt, venerunt ad caſtrum nouum, & inde apud Podium Laurentium, vbi ſimiliter pernoctarunt, & inde die altera apud Vaurum, & inde profecti ſunt Albiam, relicto cuſtode terræ domino Imberto de Bello-joco viro bellicoſo & labori diſpoſito cum manu maxima bellatorum: venerunt Rex & Legatus per Aluerniam viam ſuam. Præuentus autem Rex ægritudine, quam, vt poſtea dictum fuit geſtabat occultam apud Montem Pancerium præſentis vitæ curſum compleuit, domino ſic volente, tempore Autumnali; cuius erat propoſitum reuerti ad terras iſtas, vere, ſi viueret, ſubſequenti. Erat autem quod releuari poſſet, vt dicebatur, vſu fœminæ ægritudo; quod, ſicut audiui à viro fide digno, referri ſentiens vir nobilis Arcambaldus de Borbonio, qui in eius erat ſocietate, poſſe iuuari Regem amplexu fæminæ, quæſitam virginem ſpecioſam ac generoſam, atque edoctam, qualiter Regi ſe offerret, & loqueretur, quod non libidinis deſiderio, ſed auditæ infirmitatis auxilio aduenîſſet, dormiente Rege à cubiculariis eius de die fecit in Thalamum introduci, quam Rex euigilans cum vidiſſet aſpirantem quæſiuit quæ eſſet, & qualiter introiſſet, quæ ſicut edocta erat, ad quid aduenerat reſerauit cui gratiatus Rex ait, *Non ita erit puella, non enim peccarem mortaliter vllo modo;* & conuocato dicto viro domino Arcambaldo mandauit eam honorificè maritari. Rex autem iſte, & re & nomine dignus alios regere, qui tanta virtute ſe regebat, qui ſi poſſibile eſſet mortem corporalem per peccatum noluit euitare; cui Ludouicus primogenitus ſuus ſucceſſit in regno: erat autem ætatis quatuordecim annorum quando cæpit regere, & pro ætate mores & virtutem patris repræſentabat, & vt ſupra dixi, quod verebatur Rex Philippus auus eius accidit; regnum in manu mulieris, & infantis remanſiſſe: & quamuis in ipſa C

Regis

A Regis nouitate multæ emerserint nouitates; tamen dominus Deus causam regni cognoscitur assumpsisse, præsertim in hoc, quod pro sequenti dicto negotio euidenter sicut sequentia declarabunt.

Castrum Altaripæ redditur Comiti Tholosano. Castrum Bessede obsidetur, & capitur.

CAPVT XXXVII.

ANNO eodem quo supra, sequenti hyeme, munitio quæ erat in castro Altæripæ inuaditur à Comite Tholosano, & antequam venisset succursus reddidit se eidem Comiti, salua vita, & ibi mortuus est ictu quadrelli Stephanus Ferreoli homo nobilis diæcesis Aginnensi de Parte Comitis supradicti. Ipso quoque tempore tuebatur castrum, quod dicitur Besseda, quod dominus Imbertus in æstate
B sequenti obsedit, cum iam computaretur annus Domini 1227. in quo Comes Tholosanus posuerat munitionem viros strenuos, Pontium de Villanoua, & Oliuerium de Terminis, & alios bellatores multos. Erantque in exercitu dominus Archiepiscopus Narbonæ, & Episcopus Tholosanus, quem quadam die transeuntem cum pluribus circa villam illi de intus clamantes diabolorum Episcopum infideliter vocitabant: & qui cum eo erant, auditis, inquiunt, quod vos appellant diabolorum Episcopum, vtique respondit ipse, & verum dicunt: ipsi enim sunt diaboli, & ego sum Episcopus ipsorum: quod cum machinis expugnatum fortiter capitur, & militibus & peditibus nocte fugientibus non paucis, cæteri, qui inuenti sunt, partim gladio partim sudibus ceciderunt. Paruulis autem & mulieribus pius Episcopus dabat operam eruendis. Hæretici vero Geraldus de mota diaconus eorum, & alij eius socij, flammis ignium sunt combusti. Insequenti vero hyeme castrum sancti Pauli redditur Comiti Tholosano. Itemque circa tempus Paschale succedens, Comes recuperauit castrum Sarracenum obsessa & conclusa munitione in capite castri, & licet festinatus fuisset succursus per terrarios, & alios qui cominus haberi poterant (nam dominus Guido de Monte-forti saucius sagitta apud varellas interierat paulo ante) ad obsessos pertingere nequiuerunt: Exterius vero eos Comes Tholosanus palo grandi concluserat, cum propugnaculis faciem defensionis habentibus ad vtrosque venientes extrinsecus & inclusos; quo etiam Narbonæ Archiepiscopus, & Tholosanus, & Carcassonæ Episcopi conuenerunt, reuersusque est dominus Imbertus de Bello-joco, qui post captionem Bessedæ cesserat in ter-
C ram suam: ad tempus accurrit etiam Archiepiscopus Bituricensis collecta manu armatorum, qui venerat suam Prouinciam visitatum. Tunc vero Episcopus Tholosanus prope locum moram trahebat apud Villam Dei de consilio Prælatorum & Baronum, quæ villa est Templariorum, & quia primam inuenerant, qui primo venerant ad succursum, nemini incolæ loci se volebant committere donec interposuit suus Episcopus vices suas, sub cuius fide dominus frater Guido de Bruciaco Miles prouidus, & Præceptor loci, admisit Gallicos, expositis eis victualibus venalibus, sine quibus exercitus sibi sufficere non valebat: at Episcopus pro solatio & custodia morabatur. Acciditque quod duodecim iuuenes de Villa conuenerunt inter se, atque iurauerunt tradere villam, & Episcopum Comiti Tholosano, quorum per quemdam baiulum Præceptoris, cui hæc releuauerant, quia secus non poterant sine eo cognita factione Præceptor eos cepit ponens in scopulis, & constringens, qui omnia sunt confessi. Episcopus autem, sicut vir pius, gestans apud afflictos viscera misericordiæ consuluit & rogauit Præceptorem, vt absolutos de villa eos deiiceret sine mora; neque enim posset agere si veniret exercitus, quin suspendio damnarentur; & ita sicut voluit fuit factum. Sequenti autem die, cum innotuisset hoc militibus missis ad victualia, quod non inuenissent eos, offensi fuere plurimi & molesti: inciditque consilium Prælatis & Baronibus, vt ex quo inclusis suis non poterant subuenire, ibidem castrum vicinum Montegium obsiderent, quod obsessum cum diebus aliquot expugnassent in deditionem ceperunt, fuitque nobilis vir Otho de Cauda, cum Othone de Linaris & aliis militibus ibi ca-

ptus. Cæteri autem qui erant in capite castri Sarraceni inclusi, cum nihil prorsus quod comederent superesset, tradentes se salua vita castrum hostibus resignarunt. A Eratque consilium quod deberent castrum sancti Pauli protinus obsidere, & propter illud venerunt apud Vaurum.

De Tala facta in vineis Tholosæ, & aliis damnis factis.

CAPVT XXXVIII.

VERVM, quod magis vrgebat, anno Domini 1227. qui disposuerant talare vineas Tholosæ ciuitatis à primo proposito recesserunt, & conuocatis viribus, vndecumque aduenientibus Prælatis de Vasconia Archiepiscopus Auxitanus, & Burdegalensis, nec non & quibusdam Episcopis atque Baronibus, cum plebibus suis cruce-signatis circa festum natiuitatis sancti Ioannis versus Tholosam dirigunt iter suum, & castra metati sunt in loco versus orientem, qui dicitur Podius Aymerici, & inchoarunt à parte superiori vineas demoliri. Quibus à primo latere demolitis, ad locum qui dicitur Mons Audrani transferunt castra sua, & triplici labore, & damno aduersarios infestabant; habebant enim veros plurimos, qui segetas defalcabant, item alios qui turribus & muris fortiacum destruendis picas ferreas applicabant. Item & plures alios, qui terendis vineis insistebant quibus hæc erat quotidie disciplina; in aurora, audita celebratione missarum, sobrie prandebant, & præmissis balistariis, ac subsequentibus præparatis in prælium & militiam aciebus ad propinquiores ciuitatis vineas accedebant; vix adhuc à summo excitatis ciuibus; & inchoantibus inde, versa ad castra facie conterendo vineas remeabant, quos paulatim sequebantur acies militares, & hoc ordine quotidie procedebant donec fere trium mensium completo tempore ex omni penè latere fuit consummatum. Memini quod dicebat pius Episcppus, dum talando quasi fugientes redirent, miro modo fugiendo nostros aduersarios superamus: ad conuersionem enim inuitabantur, & humilitatem, quibus subtrahebatur propter quod consueuerant superbire; sicut salubriter subtrahitur ægrotanti quod nimietate poterat nocuisse. Hoc affectu pius pater in filios agebat, qui tanquam imitator Dei non mortem, sed conuersionem affectabat, viuerent vt peccatores. Et hoc quidem quod factum erat multum ad propositum Episcopi virorumque similium pertinebat, vt ista vexatio aduersæ partis daret auditui intellectum, quod & de facto sequutum est sicut ex sequentibus apparebit. B

Post Talam Tholosæ proceditur contra Comitem Fuxi, & terra acquiritur vsque ad passum Barræ, de pace agitur cum Comite Tholosano, & Parisius consummatur. C

CAPVT XXXIX.

PERACTO igitur talæ huius negotio, Prælati, Barones, milites, & plebes Vasconiæ ad propria redierunt, residui autem manu forti versus Appamiam ascenderunt terram, vsque ad passum Barræ, Fuxensis Comitis inuadentes, & iuxta locum, qui dicitur sancti Ioannis de Virginibus in illa planitie figentes tentoria sua multis noctibus iacuerunt, & positis munitionibus, vbi erat expediens, reuertuntur. Interea Venerabilis Abbas Grandis syluæ Dominus Helias Garini venit de Francia, auctoritate legati pacem offerens Tholosanis, qui quassati multis vexationibus prælibatis paci consentiunt faciendæ, & sumptis treugis miscentur colloquia circa Vasegiam, & quod sit in Franciam ordinatur eundum, & locus ad conueniendum primo fuit Meldis in Bria ciuitate Comitis Campaniæ assignatus, affueruntque tam iussi quam spontanei Archiepiscopus, eiusque suffraganei Prouinciæ Narbonensis, veneruntque illuc Comes Tholosanus, & alij viri, & ciues Tholosæ, qui in forma pacis, seu aliis instrumentis inde formatis nominantur; eratque ibi Legatus, pluresque alij Prælati, qui fuerant euocati, vbi tractando pacis modum diebus pluribus est moratum. Deinde profecti sunt Parisius, vt in præsentia Regis deberent

A berent omnia consummari, omnibusque ad calcem dictis & sigillatis, reconciliatus fuit Comes in die Parasceues, & qui cum eo erant excommunicationis sententia innodati. Eratque pietas virum tantum videre, qui tanto tempore, tot & tantis nationibus poterat restitisse, duci nudum in camisia & braccis & nudis pedibus ad altare. Erant præsentes ad hæc, duo Romanæ Ecclesiæ Cardinales, vnus Legatus noster in regno Franciæ, & alius in regno Angliæ Episcopus Portuensis. de forma vero pacis non mea interest scribere, cum vulgata, & scripta à pluribus habeatur. Sed placet dicere, quod postquam regnum in manu fæminæ & puerorum venit, accidit quod Rex Philippus auus eorum post mortem filij verebatur, cælorum Rege Francorum regnum desuper protegente: in primis enim ipsius regni auspiciis de tam prolixa guerra ipsius Comitis, sic Deus eius pueritiam honorauit, quod de pluribus conditionibus in prædicta pace contentis & obtentis, vna quæque per se sola sufficeret quasi ad redemptionis pretium, si Rex eundem Comitem inuenisset aduersum se in campestri prælio & cepisset: vt est quod Tholosam & Episcopatum Tholosanum sibi in vita concessum tantùm, nulli posset hæredi suo relinquere, nullusque eius hæres, vel filiæ suæ vllum posset ibi ius reclamare, nisi soli ex ipsa filia & fratre eiusdem Regis tantummodo descendentes. Item sufficeret ad pœnam eum B esse quinquennio vltra mare. Item quod se ad soluendum viginti septem mille marcas argenti obligauit. Item quod totam aliam terram vltra Episcopatum Tholosanum versus Orientem infra Rhodanum, & vltra Regi quitauit, & Ecclesiæ dimisit. Taceoque de cæteris quorum se supposuit grauitatibus, quibus si captus esset multatus plurimum videretur, vt, quod factum est, seu fuit, factum credatur non per hominem sed per Deum. Reminiscor etiam quod data regno quiete ex isto latere, Rex Angliæ, & Comes Britanniæ ex alio regnum latere lacessentes, pueri Regis, Deo agente, viribus sunt repulsi, & Comes tradito Comitatu materno filio eius ire debuit, moraturus ibi quinquennio, vltra mare. Motus quoque Robertorum consentientium Philippo Comiti Boloniæ aspiranti regno eiusdem Philippi morte extinguitur naturali. Comes quoque Campaniæ Theobaldus sensit quod durum sibi fuerit contra stimulum calcitrare, vt non impar quibus cum Francorum Regibus videatur, amplexari Dei negotium quos ita Dominus amplexatur.

Tholosa reconciliatur, Concilium celebratur ibidem. Inquisitio contra Hæreticos & Schismaticos.

CAPVT XL.

AD hoc adiicio quod Comes Fuxi, qui olim per se cum patre ipsius Regis pacem exquisierat, sine Domino suo Comite Tholosano nec inuenerat, vt vo- C lebat, remansit in guerra, tradente Rege beneficio pacis terram, quæ olim vsque ad passum Barræ fuerat acquisita Comiti Tholosano, quam quidem Comes tenuit, & posuit ibi baiulos suos donec processu temporis, post quam Comes Fuxi cum Rege composuerat, datis sibi à Rege mille libris terræ in Carcassesio, idem Comes Tholosanus dictam terram à passu Barræ inferius eidem Comiti Fuxensi tenendam tradidit ex commenda, reddendam ei quandocumque requireret sine mora, & eam in vita sua tenuit vsque modo. Post pacem autem Parisius celebratam in fine anni, in sequenti anno Domini 1219. mense Iulij, per Magistrum Petrum de collomedio, gerentem vices Legati, fuit reconciliata ciuitas Tholosana, Comite nondum reuerso de Francia, qui de voluntate propria remansit in prisione Regis Parisius, donec muri Tholosæ corruissent, & castra & villæ, prout in pace fuerat ordinatum, & esset tradita filia eius Ioanna nouem annos habens Regiis nunciis Carcassonæ, quam postea duxit Alphonsus frater Regis. Comes Pictauiæ in vxorem. Factus ergo miles idem Comes à Domino Rege in festo Pentecostes, mox impletis quæ pacta fuerant ad propria est reuersus, quem non post multos dies Legatus sequitur præmissus ad terras pro diruendis Castris Cruce-signatis, cum indulgentia infinitis, qui venturi erant cum armis, nisi pax interuenisset. Idemque Legatus ibidem Tholosæ post æstatem consilium celebrauit, cui interfuerunt Narbonensis, Burdigalensis, Auxitanensis, Archiepiscopi, & Episcopi multi & alij prælati. Item ad-

fuerunt Comes Tholosanus & alij Comites præter Fuxensem, Barones, & Senescallus Carcassonæ, & consules Tholosani, duo, vnus de ciuitate, & alius de Burgo qui statuta pacis in totius vniuersitatis animam iurauerunt, & tam Comes, quam cæteri illud approbauerunt, & fecerunt, & idem fecit postea tota terra. Ne autem videretur Legatus sicut erat vir circumspectus, & prouidus, obmittere aliqua de contingentibus, mandauit inquisitionem fieri contra suspectos de Hæretica prauitate, fuitque in illo consilio Guillelmus de Solerio, qui fuerat hæreticus vestitus, & sponte sua recesserat ab hæreticis, restitutus ad famam, vt eius testimonium valeret contra alios de quibus nouerat veritatem: quæ inquisitio fuit sic ordinata, vt singuli Episcopi qui aderant, testes quos producebat Tholosanus Episcopus examinarent, & eorum dicta in scriptis redacta eidem Episcopo redderent conseruanda, & sic possent multa breui tempore expedire. Et vocatis & auditis prius, qui fideles reputabantur & Catholici, mox vocandis qui suspecti erant aliquibus in testimonium est processum, qui hoc præsentientes se inuicem ne quicquam contra se dicerent præcluserunt, quod satis patuit ex post facto: nihil enim vocati ad testimonium fatebantur. Fuere autem quidam vsi consilio saniori, qui primo ante alios venerunt, & Legato se tunc submiserunt, seu subdiderunt, & ideo misericordiam inuenerunt, B cuius se, qui dura ceruice erant, reddiderunt indignos, & postea coacti & velut tracti venerunt, pænitentias difficiles habuerunt. fuere & alij sed pauci, qui dicebant, se velle deffendere in iure, petentes sibi tradi nomina testium, qui deposuerunt contra eos, quod possent esse inimici, quibus credendum non fuerat, capitales, & sequuti sunt Legatum, vsque ad Montem-pessulanum taliter insistendo: Præsumensque Legatus, quod hoc prosequerentur, vt testes interficerent quos scirent deposuisse specialiter contra eos caute eorum illusit instantiam & nomina omnium testium in inquisitione tota excepta, inde tantum eis tradidit intuenda, si forte ibi suos cognoscerent inimicos, qui videntes proinde circumuentos, quibus nomina testium tradebantur, nec ob hoc nosse poterant, quos suos dicerent inimicos, quando nescirent, quod deposuissent aliqui contra se, ab incæpto litigio quieuerunt, Legati se voluntati finaliter supponentes, transiuitque Legatus inde Rhodanum, & Aurasiæ ciuitate Cisalpina cum Archiepiscopis, & Episcopis, & prælatis suum consilium celebrauit, & litteras pœnitentiarum, quas ordinauerat contra suspectos, quos Tholosæ per inquisitionem inuenerat, remisit Episcopo Tholosano de Castro Mornaci, vbi erat quas Episcopus Tholosanus reuersus, vocatis eis in Ecclesia sancti Iacobi publicauit. In illis autem diebus fuit interfectus Andreas Calueti, miles strenuus Senescallus Regis interceptus ab hostibus in bosco, qui dicitur Centenaria. Legatus autem repetens Romam secum totam inquisitionem asportauit, ne forte si aliquando inuenta fuisset in terra ista à maleuolis, in mortem testium, qui contra tales deposuerant, redundaret: Nam & sola suspicione post recessum ipsius C Legati fuere tales aliqui & persecutores hæreticorum plurimi interfecti, pro quibus & consimilibus quæ in illis diebus commissa fuere per ministros Diaboli credentes hæreticorum, Comes Tholosanus de Crassa negligentia, & apud sedem Apostolicam, & Regem Franciæ fuit multipliciter diffamatus, & etiam redargutus, sicut in sequentibus apparebit: hæc enim committebant qui vellent redire ad guerræ vomitum, & malorum præteritorum reducere recidiuum, quo pace turbata ipsi possent rapinas solitas exercere & hæreticis fauere, & qui simulabant se Comitem diligere & præcipitium præparabant; vnde & ex abditis prosilierunt filij Belial, qui decimas Episcopo perturbabant, & suos prosequebantur clericos, & terram suam Viridisfolij infestabant. De quo quidem Episcopo vt aliquantulum altius gesta repetam loqui est gloria, quod se largum in diebus illis Tholosani consilij exhibuerit, qui vix pauca in æstate ista collegerat, & prælatis non in manu tergiis, aut fialis, sed cofinis, & semalis, panis & viui munera cum rebus aliis transmittebat peregrinis, qui cum in terra sua viderant exulare, & eum honorauerant, munera vt dicebant, grata vicissitudine rependebat, & virtutem de necessitate vt oportet in talibus faciebat: cum caristia secuta fuerit post recessum peregrinorum qui bona terræ vastauerant, sic eam amplexatus est pius Episcopus, vt non solum quotidiana distributione quotquot aderant mendicos pauperes recrearet, quam pasceret quos explorabat in suis hospitiis famelicos verecundos, & tunc talem Dei dispensatorem viri pessimi lacesserant, super quo Comitem vna die ipse interpellauit; scio, inquit, quod

A quod anno præterito (nam in quo hoc dicebat annus Domini 1230. agebatur) collegi, Dei gratia & vestra satis in pace meas decimas: nunc autem quæ mihi fit turbatio, nobis est procul dubio adscribenda. Nec dubitetis quod ego non possim hoc conniuentibus oculis pertransire, qui sum paratus more solito exulare ante annum vnum in Episcopatu quam exul melius mihi fuit: quod verbum postquam recesserat, Comes repetiit, ipsum scilicet iterum exulare. nunc vero est ad communem materiam ab isto diuerticulo redeundum.

Post recessum Domini Romani sancti Angeli Cardinalis diaconi, mittitur Legatus Episcopus Tornacensis. Moritur Dominus Fulco Episcopus Tholosanus.

CAPVT XLI.

ANNO Domini 1230. procurante consilio prælatorum venerabilis Pater Dominus Clarius Episcopus Carcassonæ, accedens ad sedem Apostolicam Legatum obtinuit mitti ad negotium pacis & fidei prosequendum, virum magnæ probitatis, & prouidentiæ Episcopum Tornacensem, qui cum venisset conuenit Comitem super illis articulis emendandis, qui dicebantur contra pacem nuper factam Parisius esse commissi; vnde fuit dies assignata apud Castrum nouum in Ecclesia Petræ Albæ omnibus, qui causam haberent, vel causas conquerendi, vt in scriptis Comiti traderentur: ipse enim promisit, quantum in se erat omnia emendare. circa illos dies composuit Episcopus cum dominis quondam & militibus Castri viridisfolij, cui, nec eius clericis tutum erat facere guerram, quam faiditi quidam, forsitan superiorum consilio, & suffragio faciebant: quorum quidem metu necesse habebat ducere secum viros armatos, cum pacis quiete cæteri fruerentur. nec obmitto quod recognitionem recepit à Comite pro Castro Fani Iouis & homagium. Interea quamdiu permittebatur Episcopus ab officio non vacabat, Ecclesias ordinando, plebes quoque Neophytas visitando. Cum igitur bene omnia fecisset, & Episcopatum quasi olim mortuum suscitasset, & de manu Laïcorum traxisset decimas, vnde possent sustentari honorifice successores, qui quando intrauit Episcopatum vnde viueret, nec centum inuenit solidos Tholosanos, Domino volente retribuere seruo suo, in die Natalis Domini diem clausit extremum, anno eiusdem Domini 1231.

B

Post dominum Fulconem eligitur frater Raymundus, Prior Prouincialis Ordinis Prædicatorum Prouinciæ, in Episcopum. Comes Tholosanus fecit statuta quando conueniebatur coram Rege.

C

CAPVT XLII.

SEPVLTO igitur reuerendo ipso Episcopo in cœnobio grandis siluæ, Ordinis Cisterciensis, non post multos dies eligitur venerabilis vir, frater Raymundus, Prior Prouincialis fratrum Prædicatorum in Prouincia, in Episcopum Tholosanum, in concordia Capituli Ecclesiæ vniuersi; cuius electionem oblatam sibi Legatus continuo approbauit. Scióque & ipse hominem, cui venerabilis decessor eius dum adhuc viueret, non tamen de præsenti, quam etiam de futuro sollicitus, vt diligentem haberet in quo ipse laborauerat & desierat successorem, de ipso quod nouerat, & secum sæpe habuerat quod idoneus esset, vt sibi videretur fecit aliquam mentionem. Vnde ex post facto præsumpsi, quod ipse id obtineret apud dominum, & hæc quidem gratia facta est & cæpta domino Fulcone Ecclesiæ Tholosæ in generationis nostræ memoria, vt tres Episcopi absque Capituli controuersia sint electi, ne status terræ satis turbatus aliter, per occasionem dissentionis Capituli sine pastore grauius turbareretur. Electus ergo in festo sancti Benedicti quadragesimæ, in Dominica qua cantatur, *Lætare Ierusalem* consecratur, & sequenti Dominica in passione Domini, suam Ecclesiam, cum solemni processione cleri & populi est ingressus, anno quo supra 1231. Inchoauit igitur ibidem Episcopus, vbi decessor eius desierat

exploratis sibi hæreticis in montanis, quibus Dominus tradidit 19. Hæreticos vestitos inter viros & mulieres. Inter quos inuentus fuit Paganus de Besseda, qui olim erat Dominus dicti castri, sed habens Comes quandoque latera Aquilonis circa se, idem ex calido aliquando reddebatur tepidus & remissus, vt minus inueniretur feruens in negotio pacis & fidei prosequendo. Super quo dictus Legatus, vocatis secum venerabili Archiepiscopo Narbonensi & quibusdam suis coëpiscopis suffraganeis, ipsum vocatam à Rege, coram eo conuenit super pluribus articulis in pace Parisiensi expressis minus vere sicut decuerat, atque debuerat obseruatis: fuitque ordinatum finaliter, quod idem Comes omnia emendaret ad cognitionem Episcopi Tholosani, & vnius militis, quem Rex ad hæc tractanda, & agenda cum eodem Episcopo destinaret. Solutoque colloquio apud Melodunum habito, Episcopus præueniens, reformationis articulos ordinauit; missusque est post eum Dominus Ægidius de Flagiaco, miles prouidus & discretus, qui in veniendo transiuit per Prouinciam, visurus mandato Regis primogenitam Comitis, futuram coniugem ipsius Regis & cum venisset Tholosam, fuerunt expositi omnes articuli Comiti Tholosano, ex quibus Comes formauit statuta sua, & ea in præsentia Legati, & plurium Baronum, & Senescalli Carcassonensis qui ea approbauit, & sumpsit in sua Senescallia seruanda, in claustro sancti Stephani Tholosæ in communi colloquio publicauit & tradidit dicto militi sigillata in Franciam deportanda: & hæc acta sunt anno Domini 1233. Et anno eodem in nocte Circumcisionis Domini inhorruit tam valida hyems, tanquam continua, quod pro maiori parte sata fuere radicitus congelata. Et in ipsis diebus Frater Petrus Fratrum Prædicatorum Prior Barcinonæ veniens de Capitulo generali Bononiæ celebrato, transiuit per ciuitatem, & diæcesim Tholosanam, sicut vir potens opere & sermone, & mira super his, qui infirmabantur per eum Dominus faciebat. Item circa illud tempus Dominus Legatus apud *Biterrim* Concilium celebrauit, idemque super informanda pace inter Comites Prouinciæ & Tholosæ, qui iam triennio & amplius vsque ad illud tempus habuerant guerram ad inuicem, plurimum laborauit, nec labor effectum habuit, quem volebat. Fuit autem dictæ Guerræ causa, quod Massiliæ cum proprio Episcopo, & Comite Prouinciæ discordiam habentes, adierunt Comitem Tholosanum eumque suum fecerunt Dominum, vt ciuitatem contra Comitem & Episcopum ampararet. Quo cum venisset in manu valida hostis Comes eum noluit expectare, & exinde dum vixit tenuit ibi suum vicarium, & de redditibus non quantum ipse sed quantum ciues volebant, qui iam periculum suum transmiserat extrahebat, quorum inconstantiam frequenter necesse habuit experiri.

De inquisitione & ordine inquisitionis agitur. Legatus mittitur Archiepiscopus Viennensis. Burgum Carcassonæ amittitur & recuperatur.

CAPVT XLIII.

IN diebus autem Legationis eiusdem Episcopi Tornacensis, per summum Pontificem commissa est fratribus ordinis Prædicatorum inquisitio in his terris contra hæreticos facienda; fueruntque ad hoc deputati frater Petrus Cellani, & Guillelmus Arnaldi qui Tholosæ quosdam, quos facilius conuinci posse præsumebant, citauerunt, & conuictos hæreticos iudicauerunt; sicque paulatim cæpit maiores quosdam inquisitio præuenire: factumque est vt nonnulli dorsa paliosa habentes cæperint difficultates opponere, quibus possent inquisitionis officium impedire, quod adeo profecit in peius atque præualuit, quod inquisitores villam exire idemque Episcopus cogerentur, & etiam totus conuentus fratrum Prædicatorum vna nihilominus est eiectus. Nam de illis quæ facta fuere Canonicis Ecclesiæ suæ, ac domesticis duco tacere satius ob reuerentiam ciuitatis, cuius totam massam, licet in se bonam, in illo instanti & in illa instantia fermenti modicum corrumpebat. Exonerato autem in illis diebus onere Legationis Episcopo Tornacensi, subrogatur ei Legatus

A Legatus Venerabilis Pater Dominus Ioannes Archiepiscopus Viennensis, cui super præmissis, si qualiter summus Pontifex Dominus Gregorius Papa IX. scripsit, quisquam prælegerit ex integro intelliget veritatem. Nam Episcopus nonobstante qua affligebatur quartana, non fuit piger adire sedem Apostolicam, & infirma summo Pontifici reuelare. fuere autem multa per ipsius Legati solicitudinem ordinata, quo liberius curreret inquisitio, & quantum vellent de se & aliis plenam dicere veritatem in tempore gratiæ assignando, & iurare vel vitare vlterius recidiuum de personarum aut bonorum amissione minime formidarent, pœnitentias Tolerabiles recepturi. Adhuc quia Prædicatores vt magis rigidiores timebant, de ordine fratrum minorum collega additur, qui videretur rigorem mansuetudine temperare: fuitque adiectum ex gratia quod inquisitores per terram ad oppida declinarent, & ibi incolæ audirentur, ne se grauatos posse conqueri viderentur, qui & ad loca remota extra sua territoria vocarentur. Quod cum cæptum fuisset, & apud Castrum Nouum viros ac mulieres ex illo confinio aduocassent omnes fere ita inueniebant conclusos, & colligatos, quod nulla vel modica poterat ab illis veritas extorqueri; propter quod subito, & ex improuiso apud Podium Laurentium transierunt, vbi
B nulla adhuc colligatio facta erat, & Tolerabiliter fatebantur, donec per litteram quocumque modo extractam de Curia, mansit diu inquisitio in suspenso. Interim autem processu temporis eodem Archiepiscopo Viennensi à Legationis officio remoto mittitur Legatus de Latere summi Pontificis, Episcopus Prænestinus in Romana Ecclesia Cardinalis: factaque est Eclipsis solis anno Domini 1239. tertio nonas Iunij, feria sexta, hora sexta. Item eodem anno Eclipsis facta est solis in festo sancti Iacobi, & obscuratus est sol supra pallorem solis; sed non sicut in alia præcedenti. Tunc enim adeo obscuratus fuit, quod stellæ videbantur. Anno sequenti 1240. Comes Tholosanus collecto exercitu valido, æstiuo tempore intrauit Camargam, & fuit contra ciuitatem Comitis Arelatensis apud Trencatalliam Rhodano mediante, & certatum est quasi per totam æstatem inter partes, lapidum immissione molarium cum machinis hinc & inde, & aliis bellicis instrumentis, & naualibus agressionibus super flumine, ferentibus auxilium Massiliensibus ciuibus, vt Domino suo Comiti Tholosano. Eodem quoque tempore Trencauellus filius quondam Vicecomitis Biterrensis, adhærentibus sibi Magnatibus Oliuario determinis & Bernardo de Ortalibus, & Bernardo Hugonis de Serralonga, & Bernardo de Villanoua, & Hugone de Romegos nepote eius, & Iordano de Saxiaco, inuasit terram Domini Regis, in Narbonæ, & Carcassonæ diæcesibus, & multa Castra conuersa sunt ad eum, Mons Regalis, Mons Oliuus, Saxiacum, Limosium, Asilianum, Lauracum & quotquot voluit in illo impetu, & tremore. Ex aduerso intrauerunt ciuitatem Carcassonæ Venerabiles Patres Archiepiscopus Narbonensis, &
C Episcopus Tholosanus, & Barones Terrarij, & clerici plures de terra cum suis famulis, atque rebus de securitate ciuitatis, & Burgi pariter confidentes: nam Episcopus Tholosanus frequenter descendebat in Burgum, & Burgensibus prædicabat confortans eos, & præmuniens ne ab Ecclesia & Rege discederent, qui nosse poterant, quod fieri ea Rex diu nullatenus pateretur. Dumque ista colloquia agerentur ciuitas messibus & præuentis vindemiis replebatur, muri ligneis propugnaculis corroborantur, eriguntur machinæ & omnia ad pugnam spectantia parabantur. Interea quidam de Burgo latenter cum hostibus miscere colloquia, quod in Burgum eos inducerent procurantes. In ipsis quoque diebus Comes Tholosanus rediebat de Camargiis ibi deuastatis. Et cum venisset ad Podium Nauterium prope Carcassonam Senescallus Regis exiuit ad eius colloquium, ipsum vt hostes Regis de terra expelleret interpellans, ipso quoque Comite respondente, quod super hoc Tholosæ haberet consilium suum, ad sua vndique redierunt. Et post paucos dies Episcopus Tholosanus cuius lingua Eucharis ad inimicitias erat efficax mitigandas, vna cum Senescallo descendit in Burgum & conuenientibus in Ecclesia Beatæ Mariæ Burgensibus & populo, quod Ecclesiæ & Regi & illis qui erant in ciuitate adhærerent, & eos defenderent omnes iuramento super corpore Christi, & reliquiis sanctorum propositis, tactis sacrosanctis Euangeliis, super altare gloriosæ Virginis astrinxerunt & sequenti die in Natiuitate Beatæ Mariæ per nuncium proprium, quem ipsi Burgenses Regi miserant, eius litteras receperunt, quas prælatis & Magnatibus, qui erant in ciuitate cum apparatu magnæ lætitiæ ostenderunt. Factumque

est quod ipsa nocte in Burgum hostes Regis, & Ecclesiæ inducuntur, & recipiuntur, nonobstantibus iuramentis, & in contrarium coniuratur. Multi autem clerici, qui erant in Burgo ad Ecclesiam confugerunt, quibus cum de eundo versus Narbonam data esset licentia & promissa securitas per ipsum Principem sub sigilli sui testimonio, viri mente corrupti, reprobi citra fidem exeuntibus occurrerunt & eos proditionaliter occiderunt 30. & plures numero prope portam: deinde incipientes miniare instar talparum conantur inuadere ciuitatem, sed occurrentibus eis nostris sub terra à simili, vulneribus & fumo & calce repulsi cæptum laborem dimittere compelluntur: nec obmittam quod Bernardus Arnaldi & Guillelmus fortis, cæterique Domini Castri Podij Nauterij cum die præcedenti iurassent Senescallo, quod redirent ad eum ciuitatem defensuri, die sequenti diffidentes, Senescallum hostibus adhæserunt: excæcauit enim eos sua malitia, vt qui digni non erant gratia, quam si starent Regi, acquirerent, & si non starent periculum non viderent: fuit autem in prima aggressione molendinum, quod munitum erat postato tenui, & vetusto, captum, & qui erant in eo Iuuenes interfecti. Erat autem pugna valde vicina, & ideo periculosa, quia domus Burgi erant iuxta quasi adhærentes ciuitati, è quibus cum balistis nocere poterant, & inchoare ignota foramina ex occulto, recipiebantque desuper cum Machinis & molaribus talionem: certatoque sic fere per mensem succursus mittitur de Francia, quem hostes non fuere expectare ausi; sed igne immisso in pluribus locis, Burgum venientibus resignarunt, & apud Montem Regalem sese continuo receperunt, quos & ibi obsedit exercitus subsequutus. Cumque diebus plurimis certatum esset tandem conuenientibus Tholosano, & Fuxensi, Comitibus, & tractantibus de pace obsessi egressi inde cum suis equis & armis, Castrum & populum dimiserunt; hyems iam adeo valida inhorruerat, quod periculum esset ibi exercitum hyemare.

Prælatis nauigantibus, eundo ad Concilium vocati à summo Pontifice, capiuntur in mari à Pirais Frederici Imperatoris.

CAPVT XLIV.

PROCESSV vero temporis Comes, & Episcopus Tholosanus in Francia sunt profecti, fuitque ordinatum per Legatum Dominum Episcopum prænestinum, vt ad Concilium, quod conuocauerat sum. Pontifex, properarent, & anno Domini 1241. iam cæpto præueniente eos Legato, licet Episcopi nec ad sua rediissent, venerunt Lunellum Comite modicum tardante, propter colloquium quod habebat cum Rege Arragonum, sed accepto itinere absque eo præcessit Episcopus qui transiens per Bellicadrum, inuenit quosdam Prælatos Regni Franciæ redeuntes, qui nauigium, cui in mari se possent committere, non inuenissent, qui nec per terram ausi erant procedere propter metum Frederici Imperatoris, qui tanquam contra se suspectum habens Concilium conuocatum, venientibus terra & mari insidias tetendisset: quibus Tolerabilius videbatur gressus reprimere, quam obiicere se periculis manifestis, sed nec ob hoc territus Episcopus festinans Aquis ciuitate Metropoli Prouinciæ, inuenit Archiepiscopum Toletanum, Segoniensem & Hispanum, quibus iam innotuerat, quòd Legatus cum omnibus Prælatis, qui ibi erant, de portu Niciæ recessisset. fuitque consilium Episcopis ire massiliam, & inde cum opportunitate temporis nauigare: nam Archiepiscopus abhorrens mare voluit tentare an posset vt per terram iret securitatis gratiam obtinere; & ita discedentibus eis ad inuicem viam, quam sibi elegerant tenuerunt; Episcopi verò massiliam sicut condixerant abierunt: quo interim Comite veniente tempus nauigandi idoneum expectabant, succedentibus de die in diem rumoribus quod imperator galeas in insidiis posuisset, eisque sic tardantibus in suspenso tandem nouella tristis intonuit, quod prælati capti essent in mari, & plurimi periissent. Tunc Comes, & Episcopus redeunt apud Montem-pessulanum, vbi Regem Arragonum inuenerunt, & miscentes colloquia Rex, & Comes Prouinciæ tractatum agere cæperunt, quod Comes Tholosanus tertiam, post duas quas duxerant Franciæ & Angliæ Reges nomino Sanciam, de filiabus Comitis Prouinciæ duceret in vxorem: verum quia hoc impediebatur

A diebatur propter Dominam Sanciam vxorem eius superstitem, quam dudum ipse Comes reliquerat, ad diuortium coram iudicibus dudum à summo Pontifice delegatis, Episcopo, & Præposito sancti Saluij Albiensi, est processum, & probato quod pater eius eam de Sacro fonte leuauerat, sententia fertur diuortij, præsentibus multis Episcopis, in loco qui dicitur Vernia inter Bellicadrum & Tarasconem; quibus in contrarium nihil dixit prædicta Domina inducta à nepotibus suis, ipso Rege, & Comite Prouinciæ, dispensationem propter consanguinitatis impedimentum à sede Apostolica petiturus, vt esset pax firma inter Comites: sed Episcopus Tholosanus, licet esset in villa Bellicadri, & multum rogatus à Comite Tholosano cum quo aduenerat, illi sententiæ noluit interesse: habebat enim suspectum testimonium testium productorum. Quod cum innotuisset Regi Franciæ, & Comiti Pictauiensi & Dominæ Ioannæ vxoris eius gratum valde habuerunt Episcopum, qui illi sententiæ interesse noluisset: quod non fuit damnosum Comiti in futuro, sicut in sequentibus fuit clarum; eodem autem tempore 4. nonas Maij mortuus est Rogerius Bernardi Comes Fuxi, cuius filius Rogerius apud Lunellum venit cum Domino Maurino Abbate Appamiensi, ad eiusdem Comitem Dominum suum, quem rogauit, vt Abbatem precari dignaretur, vt eum mitteret ad
B illud consortium, quod singuli prædecessores eius Comitis Fuxi receperant in vita sua, quod Comes fecit, nonobstante quod Abbas hoc ei si voluisset recipere, offerebat; sed ipse ob Comitis Fuxi gratiam recusauit rogauitque Abbatem, & etiam scripsit in Franciam pro eodem: factumque est quod idem Comes Fuxi recognouit ibi, quod pater suus totam terram quam tenet à passu Barræ inferius in Episcopatu Tholosano ab ipso Domino suo Comite Tholosano receperat in commenda, vel ex commenda, & inde se eam eodem modo tenere ab ipso confessus est ibi, & promisit quod sibi eam redderet quandocumque vellet, interposito iuramento.

De coniugio agitur inter Sanciam, tertiam filiam Comitis Prouinciæ contrahendo, & Comitem Tholosanum.

CAPVT XLV.

DEhinc ad colloquium Regis Arragonum, & Comitis Prouinciæ super coniugio promouendo inter ipsum Comitem Tholosanum, & filiam ipsius Comitis Prouinciæ proceditur; & Aquis ciuitate nuncij ordinantur solemnes ad summum Pontificem cum ipsorum sigillis & his transmittendis super dispensatione
C obtinenda coniugio supradicto: quibus euntibus occurrit Pisis relatio, quod summus Pontifex mortuus erat & ita quod tractatum erat ad nihilum est redactum, & ipsa puella Richardo Regi Alemaniæ fratri Regis Angliæ ducitur in vxorem. Mox Comes Tholosanus aliud sibi coniugium exquirebat de filia Comitis Marchiæ quod ne fieret inuenta inter eos consanguinitas impediuit. Interea oriuntur contractus inter eosdem Comites Tholosæ, & Marchiæ, & Regem Angliæ de facienda guerra Regi Franciæ, pluribus aliis consentientibus in idipsum, vt lacessitus ex multis lateribus minus sibi sufficeret defensurus: super quo idem Comes Tholosanus misterium habuit consilij sui cum magnatibus suis, inter quos Comes Fuxi fuit præcipuus, qui hoc ei consuluit & consilij sui ac promissionis quod eum iuuaret in tota guerra Regi mouenda præstito iuramento sibi dedit litteras etiam pendentes. Erat autem mortuus ante ista Bernardus Comes Conuenarum apud Lantarium, dum prandet subito super mensam, in festo sancti Andreæ Apostoli anno Domini 1241. ista quæ modo narrare cæpi, post menses quatuor mense Aprili agi cæperant, & tractari: mutata iam incarnatione, vt agi inciperet annus Domini 1242. Quo tempore frater Guillelmus Arnaldi & frater Stephanus eius collega Prædicatorum & Minorum ordinis inquisitores; & eorum fratres socij, & Archidiaconus Lezatensis, & Prior Auinionensis ibidem contra hæreticos negotium fidei persequentes, in aula ipsius Comitis in nocte Ascensionis Domini ab inimicis Dei & fidei fuere atrociter interfecti: cuius facti atrocitas nonnullos retraxit à guerra in qua esse voluerunt contra Regem. Adhæserunt ergo Comiti Dominus Amalricus

Vice-comes Narbonæ, qui in primis guerræ auspiciis in prælio vicit plures milites A ex parte Regis, inter quos occubuit Pontius Petri de Ganges. Adhæserunt etiam Bernardus Gaucelini Dominus Lunelli, Pontius de Olargiis, Berengarius de Podio Soreario, & alij quidam Diœcesis Biterrensis & plures alij. Item ciues Albienses & Vice-comes Lautrensis, alij quoque fictè donec viderent eum inuolutum irreuocabiliter & infixum. Vnde accidit quod Episcopus Tholosanus videns quod Comes Conuenarum, & Iordanis de Insula, Bernardus Comes Armeniaci, Athonus Vicecomes Leomaniæ, & multi nobiles adhærentes Comiti ex corde sicut homines fideles in eius ruinam possent corruere, ex eiusdem assensu pacis cum Domino Rege assumpsit studium, & laborem: sed inuentum est quod Comes Fuxi, nonobstante promissione, quam Comiti super Concilio sibi impenso fecerat, cum Domino Rege composuit sine eo, in qua compositione, vt Regi contra Comitem adhæreret obtinuit, vt ipse & omnes successores eius, cum terra tota quam tunc tenebat à dicto Comite etiam ex commenda essent exempti perpetuo à iugo Comitis Tholosani, & sic apud Penam Agennensem, cuius Castrum tenebat obsessum, ipsum Comitem diffidauit. Interea dictus Episcopus cum Domino Rege, qui terram Comitis Marchiæ impugnabat, inuenit viam & gratiam pacis tractandæ inter Episcopum & Comitem Tholosanum; nec tardauit Rex propter hoc ad partes istas à parte Caturcensi sufficientem militiam destinare; postquam & ex altera parte misit venerabilem patrem Dominum Hugonem Episcopum Claromontensem, & nobilem virum Dominum Humbertum de Bello-joco cum maiori multitudine pugnatorum. Interim autem procurante Episcopo Tholosano per discretum virum Dominum Raymundum, Præpositum Tholosanum, quem misit Domino Regi mittuntur à Domino Rege milites strenui & prouidi. Ioannes dictus le Iay & Serritus Pastici pro recipiendis securitatibus super tractatis conditionibus inter eos: & conuenientibus prope Alzonam Comite Tholosano ex parte sua, & Episcopo Claromontensi & Domino Imberto de Bello-joco ex altera, cum eis qui recenter missi erant, sumptis treugis, dies sumitur in qua esset coram Regis præsentia comparendum, & locus apud Lotriacum in Gastinesio, vbi pax fuit cum Dei auxilio reformata: neque enim competebat Regi multum insistere pro sola persona Comitis, quo eum, sublato de medio nulla rebellionis aut guerræ vestigia remanerent. Et licet nonnulli locuti fuerint contra Dominam Reginam Blancham, matrem Regis quod sanguineo suo Comiti nimis propitia videretur, nec verum erat nec verisimile quod præferret eum in dilectione in præiudicium filiorum, sed agebat prouida & discreta, vt ex isto latere pacem Regno acquireret, & seruaret: nec erat tutum Comiti baculo inniti arundineo contra Regem; quandoquidem Præpositus Tholosanus, Legationem in Curia inuenisset plurium Magnatum explorantium an Comes posset cum Rege pacis concordiam inuenire, qui si fieri non posse perciperent, in hostes eius, cominus se transferrent, qui etiam caute tenebantur suspensi donec de facienda C pace constaret, ne forte concederetur eis quod concessum forsan facta pace pœniteret. Pace ergo Lotriaci reformata, Comes reuersus est ad propria, & de quibusdam qui dicebantur interfuisse occisioni inquisitorum apud Auinionem captis & tentis fecit iustitiam, & eos suspendio condemnauit.

Comes Tholosanus vadit ad Curiam, ad Imperatorem Federicum & interim Castrum Montis-securi capitur & ducenti circiter Hæretici ibi inuenti comburuntur.

CAPVT XLVI.

MOx tempore verno, anno Domini 1243. adiit sedem Apostolicam, & tam apud Imperatorem, quam apud Curiam moram traxit per annum, aut circa; & obtinuit sibi terram restitui Venaissini. In ipso quoque tempore vocatus fuit ad Curiam Dominus Tholosanus Episcopus. Et interim venerabilis pater Dominus Petrus Amelij Archiepiscopus Narbonensis & Dominus Durandus Episcopus Albiensis, & Senescallus Carcassonæ obsederunt Castrum Montissecuri in Diœcesi Tholosana, quod dudum furati tenebant duo magnates Petrus de Mirapice & Raimundus de

A de Peyrala, vbi erat publicum refugium quorumlibet malefactorum, & Hæreticorum, quasi sathanæ Synagoga propter fortitudinem Castri, quod situm in altissima rupe inexpugnabile videbatur; & cum diu fuissent ibi, & parum proficerent, accidit vernaculos expeditos mitti cum viris, qui loci haberent experientiam, disponentibus noctu ascensum per prærupta horribilia, qui ad quãdam munitionem, quæ ad quemdam angulum montis erat, Duce Domino attigerunt, & interceptis subito excubiis, illam fortitudinem occuparunt, & quos inuenerunt gladio occiderunt. Et facta luce quasi æqui parati cæteris, qui in maiori parte erant, valide eos impugnare cœperunt, & mirantes horribilitatem viæ, per quam nocte ascenderant, nullatenus illi de luce se committere ausi essent; sed conclusis in parte superiori, ascensus expeditior aliis, qui erant in exercitu est factus; & expugnati qui intus erant die, noctuque cum quietem non haberent, nec ferre possent aggressiones. Fidelium infideles accepta vitæ securitate Castrum, & Hæreticos vestitos, qui inter viros & mulieres cc. vel circa inuenti sunt oppugnantibus diuiserunt. Erat autem inter illos Bertrandus Martini quem ipsi suum Episcopum faciebant, qui conuersionem ad quam inuitabantur recusantes, in clausura sibi facta de Palis, & sudibus igni immisso combusti ad ignem tartareum transierunt, & fuit Castrum Marescallo Mirapicis, cuius
B ante fuerat, restitutum.

Comes Tholosanus Curiam tenuit Tholosæ, in qua multi nobiles & alij plures facti sunt milites. Concilium celebratur Lugduni.

CAPVT XLVII.

ANNO autem Domini 1244. tempore Autumni, Comes Tholosanus reuersus ad propria, Curiam tenuit magnam Tholosæ in Natali Domini, accinctis singulo militiæ nouæ ducentis viris, vel circa; inter quos fuere præcipui Comes Conuenarum, Petrus Vice-Comes Lautrecensis, Guido de Seueraco, Sicardus Alamani, Iordanus de Insula, Bernardus de Turre & plures alij, & fuit Curia illa sumptuosa plurimum, & pomposa. Venerat autem summus Pontifex Lugduni Dominus Innocentius Papa quartus, quem Comes Tholosanus, postquam de Francia rediisset, tempore quadragesimæ visitauit, & postea in Franciam est reuersus. Eodemque anno ante natale Domini Rex Franciæ, cum quasi ægrotasset ad mortem, crucem sibi transmarinam assumpsit. Et sequenti anno Domini 1240. circa principium æstatis Dominus Papa suum Concilium celebrauit ibidem, cum
C Prælatis Cisalpinis, & cæteris de regno Franciæ, & Hispaniis, & ibi deposuit Dominum Federicum ab Imperio per sententiam diffinitiuam, cui interfuerunt Dominus Baudoinus Imperator Constantinopolitanus & Tholosanus, ac Prouinciæ Comites, qui ibi coram Papa tractauerunt de coniugio inter ipsum Comitem Tholosanum & filiam vltimam eiusdem Comitis Prouinciæ contrahendo, Papa dispensaturo super eo propter affinitatis impedimentum. Reuersis autem eis ad propria infra paucos dies Comes Prouinciæ moritur dicto coniugio imperacto, potuitque tunc addiscere Comes Tholosanus quoniam nocuit differre paratis. Quod cum innotuisset ei per celerem nuncium, missum à Domino Raymundo Gaucelino tantum interposito vno die festinus recessit cum paucis, nullam secum, vel post se manum trahens armatam, sicut ei à dicto viro fuerat persuasum, non oportere eum venire manu armata, aut multitudine, prout & ei per Romeum & Alberam domesticos milites olim Comitis Prouinciæ fuerat persuasum, vt sub tali simulatione agerent, ne ipse Comes interim vim inferret, donec ipsi quod secus tractabant potuissent ducere ad effectum: agebatur enim secreto quod Domino Carolo fratri Regis in vxorem daretur puella, sicut effectus postea demonstrauit. Quot vero occursus, quotve colloquia cum Comite Sabaudiæ, auunculo puellæ, & Baronibus terræ interuenerint, loquentibus in corde & corde Prouincialibus cum Comite Tholosano, longa retro series, donec fere transierunt quinque menses, quando nec Regi Arragonum quem suspicabantur fauorabilem eidem Comiti cum esset Aquis eam permiserunt vt videret, nec sum: Pontifex ad dispensationem

processit Regina Franciæ, & Alamaniæ & Angliæ missis ad hoc contradictoribus A impeditus. Et, vt breuiter concludam, nuncius, quem mittebat dictus Comes Dominæ Reginæ Franciæ, vt placeret ei fieri, quod cum patre puellæ fuerat pertractatum, ac etiam promoueret, inuenit in via Dominum Carolum ad contrahendum cum ea matrimonium festinantem. Quid hic dicam; iam quidem per hæc antecedentia præsumi poterat, quod Deo non placeret, quod vltimus Comes contraheret, aut plus haberet sobolem, quam habebat: Nam de Hispania procurabatur sibi coniugium, quod non fuisset sibi honorificum, nec efficax ad propositum quod habebat, de quo per terram quamlibet sonus exiit, sed cum esset de nihilo conquieuit. Cuius quidem soni fuit occasio non parua, quod cum ipse profectus esset in Hispaniam post recessum de Prouincia, accidit vna die, quod ipse intrauit Ecclesiam beati Iacobi, vt audiret missam; eratque ibi quædam mulier nobilis peregrina, quam suspicati sunt, qui ibi de Francia, & terris aliis peregrini aderant, esse illam cum qua dicebatur sponsalia contraxisse vnde & qui venirent per terras quod solemnitatem nuptialem viderant diuulgabant; & hoc erat anno Domini 1246. sequenti vero anno 1247. Comes profectus est in Franciam & cruce-signatus est & reuerse eo, cruce-signati sunt multi, Barones, milites, ciues & Burgenses, & alij de aliis locis; & procurauit de nauigio & aliis plurimis apparatum. B Interea procurabat assiduè vt magis poterat quod transfretaturus paternum corpus non dimitteret insepultum, cum super inquirendis signis, quæ dicebatur habuisse dum agonizaret ad exitum, dudum iudices à sede Apostolica habuisset: & fuit ei persuasum à quodam, qui ad hoc apud sedem Apostolicam missus fuerat procurator, quod Dominus Papa patrem suum concesserat sepeliri, si tamen Rex Franciæ interponeret preces suas: missusque post illum alius ad Regem cum literis & precibus ex parte Comitis, vt dignaretur Papam super huiusmodi deprecari, qui cum venisset Lugduni, cum summo Pontifice satis leniter est loquutus de materià supradicta, nec inuentum est expeditum, sicut Comiti primo fuerat persuasum, non tamen caruit magno munere qui persuaserat expeditum, sicque ludificatur princeps aliquando per mendaces: nam cum ista qui postremo missus erat insinuasset, summus Pontifex miratus est ipse, & dixit non hoc fuisse concessum; sed vt proponeretur, sicut à principio si placeret, quod procurator ille, qui mandatum Comitis non habebat noluit attentare, super quo cum ad hospitium peruenisset inuenit recentem litteram sibi missam ne nouum quod inciperet si non inueniret, sicut persuasum prius fuerat vera esse: sic quocumque delicto nec vxorari, vt volebat: nec patrem sepeliri Comes iste potuit obtinere, Deo permittente fortè.

Rex Franciæ in itinere obsidet Castrum quoddam nomine Rocham, & inde descendit ad plagam Aquarum-mortuarum ad mare Comes Tholosanus iter aggreditur & moritur anno sequenti. C

CAPVT XLVIII.

ANNO igitur Domini 1248. recedens Rex Lugdunum dum iter agressus esset, Castrum quod dicitur Rocha super Rhodanum obsidet, quod Rogerius de Cloregio Dominus Castri Pedagia leuari fecerat super peregrinos cunctos in subsidium terræ sanctæ, & expugnato eo post paucos dies ipsum in deditionem recepit, donec fuit de facta iniuria peregrinis plenarie satisfactum. Deinde descendit ad mare ad plagam quæ Aquæ mortuæ apellatur, vbi Comes Tholosanus occurrit ei, habitoque secum colloquio abiit in Nemausum & inde Marsiliam est profectus; vbi cum tantam moram traxisset adducta sibi naue forti de littore Britannici maris per stricta Marrochij, quia iam instante hyeme non erat totum nauigare, communicato Prælatorum, & Magnatum consilio necesse habuit remanere. Rex vero applicuit portui Cypri insulæ, & ibi hyemauit. Verno autem tempore anno Domini 1249. nauigauit cum exercitu suo, & veniens Damiatam littora Nili, multitudine Sarracenorum inuenit obsita defendentium ibi terram, sed repulsi iaculis balistarum, refugientes ad ciuitatem, littora intrantibus terram liberam

A liberam dimiserunt: tantoque sunt terrore perterriti; quod & ciuitatem munitissimam, refertam victualibus resignarunt Domino adiuuante. Ad quam cum præmissi bellatores de castris Regis venissent, mirati sunt quod nullum inuenissent, sicut suspicati fuerant defensorem. Et sequentes eos Rex & totus exercitus destitutam introeunt ciuitatem. Comes vero Tholosanus qui remanserat, transacta hyeme, tempore verno intrauit Hispaniam, & apud Lucronium, in introitu Regni Castellæ occurrit ei Alphonsus primogenitus Regis Castellæ, cum quo colloquium habuit, & fuit fere diebus quindecim apud eum & reuersus ad propria in via diebus aliquot ægrotauit, quo quidem tempore Vice-comes Leomaniæ, qui dudum neptem suam duxerat in vxorem, eius amicitiam declinauit, adhærens eius æmulo Simoni Montis-fortis Comiti Leicestriæ, tunc Vasconiam pro Rege Angliæ procurante. Eisdemque diebus circiter 80. creditorum Hæreticorum in iudicio coram se confessos de hæresi aut conuictos apud Agennum in loco qui dicitur Berlaigas, fecit incendio concremari. Mox audito quod dominus Alphonsus Comes Pictauiensis aduenisset, sequens Regem fratrem suum, & domina Ioanna vxor eius cum eo filia ipsius Comitis Tholosani, eis apud Aquas mortuas occurrit, habens de negotiis suis colloquium & tractatum. B Reuersus autem apud Amilianum febre corripitur, & procedens inde in Villam quæ dicitur Pris, prope Rhuthenam, in lectum decidit, & ibi venerunt Episcopus Albiensis, qui primo affuit, & famoso Heremitæ fratri Guillelmo Albaronco confessionem reddidit suorum peccatorum, de cuius Episcopi manu communionem Eucharistiæ humiliter, & deuote recepit, sicut in signis exterioribus apparebat. Ingrediente enim corpore Christi saluatoris exiens de lecto, quamuis multum debilis esset, in medio domus occurrit, & in solo communicauit flexis genibus, non in lecto. Conuenerunt ad eum Tholosanus, Agennensis, Caturcensis, Ruthenensis Albiensis Episcopi & Magnates, & multi milites terræ suæ, & consules Tholosani, quorum omnium erat consilium, vt ad partes descenderet Tholosanas sed, nescio quo ductus spiritu contra omnium vota se fecit referri Amilianum, vbi eum inuaserat ægritudo, ibique disposito de sepultura sua in cænobio fontis Ebraudi ad pedes matris suæ, & ordinato de rebus suis, & suscepta extrema vnctione diem clausit extremum, quinto Calendas Octobris anno Domini, 1249. ætatis vero suæ 51. quod autem contra consilium omnium se fecerit reportari, nescio quo vt dixi spiritu ductus, diuini videtur iudicij certitudo, vt tollendus de medio à superioribus partibus terræ suæ ab oriente descensurus ad inferiores versus occidentem in suo transitu vltimus ipse in linea Comitum Tholosæ, vltimus lamentum terris suis relinqueret vniuersis: cuius corpus conditum: aromatibus tabulato clauditur, & cum magna diligentia obseruatur. Transuectum autem per Albiam, Gailhacum, Rabastencum, Tholosam ad partes C Agennenses per Garumnam in cænobio monialium ordinis Fontis Ebraudi, quod paradisus dicitur, commendatur, & in sequenti verno tempore, transacto hyeme ad sepeliendum apud Fontem Ebraudum, vt elegerat, deportatur, eratque pietas prius, & posterius videre plebes eiulare, & flere Dominum naturalem, & à modo nullum de sua linea expectare: sicque fieri Domino Iesu Christo placuisse, vt cunctis innotesceret quod propter peccata labis Hæreticæ terram multasset Dominus vniuersam, sublato sibi Domino liberali. Item anno eodem moritur apud Damiatam Gaufridus Comes Marchiæ.

Egresso Rege Franciæ fines Damiatæ, Robertus frater eius occiditur.

CAPVT XLIX.

SEQVENTI anno Domini 1250. egressus est Rex Franciæ cum exercitu suo contra Soldanum Babyloniæ sequendo alueum fluminis Nili cuius aduentus adeo terribilis erat Sarracenis, quod non se audebant contra eum in prælium comparare, sed vt poterant, vias & transitus, ne ad eos posset accedere præcludebant. Tunc Comes Atrebatensis Robertus frater Regis facta aggressione quadam, vnde ei bene successerat, suspicatus quod eodem cursu primis vltima responderent,

ſpreto fratrum Templi conſilio, vltra progreditur, & quandam Villam occupat, nomine Almanſoram & incaute ibi exiſtentibus chriſtianis inſiliunt, cum magna multitudine Sarraceni, & plurimos occidunt, inter quos Comes Atrebatenſis fuit perditus, nec inuentus. Infirmitas multa oritur in exercitu dolore maxillarum & dentium & tibiarum tumore, & infra paucos dies moriebantur, vixque ſufficiebant mortuos ſepelire. Vnde quandoque neceſſe erat, vel ad excubias nocturnas, vel diurnas cuſtodiendas coquos & alios famulos, qui æquitare non conſueuerant arma & equos ſumere ægrotantium Dominorum, qua compulſus neceſſitate cæpta dimittere cogebatur. Quod ſcientes Sarraceni inſectantur Regem; & in quodam loco interclusum cum duobus fratribus ſuis Pictauienſi, & Andegauenſi Comitibus capiunt, & alios perſequuntur, & multos interficiunt proſequendo, & plures retinent captiuatos, quod quo factum ſit Dei iudicio, non præſumit humana fragilitas diffinire ſed percutiens & ſanans in ira miſericordiæ recordatur: tolerabilibus enim, vt res erat, conditionibus Rex & fratres liberantur, Damiata dimittitur Sarracenis, & captiui redduntur qui poterant inueniri. Eodem anno moritur Fredericus, qui olim fuerat Imperator, qui fuit depoſitus Lugduni à Domino Innocentio Papa quarto, ſicut in præcedentibus eſt prædictum & ſuum in fine recognoſcens errorem, exhiberi ſibi in morte funera Imperialia, & plangi etiam interdixit, quod Eccleſiæ inobediens fuerat & rebellis. Cuius filius Maffredus, cui non competebat ſucceſſio eius, vel hæreditas ex directo, per modum tutelæ, ſeu curationis pro Conradino filio dicti Frederici quondam, filij regnum ſibi Siciliæ & Apuliæ, & Calabriæ principatum per fraudem & violentiam vindicauit, & impoſito ſibi Diademate ſe Regem, & principem oſtentauit, paternæ rebellionis & inobedientiæ imitator, quem Dominus Innocentius, poſtquam Lugduno receſſerat, proſequebatur, ſicut regno incongruum & indignum. Mortuus eſt autem idem Dominus Papa, Innocentius anno Domini 1254. in Feſto ſancti Luciæ Martyris; cui ſucceſſit Dominus Alexander Papa quartus: quo mortuo Dominus Vrbanus ſibi ſuccedit, qui ne ſpurij nihilominus amplius firmas darent radices, ſed magis vt proſcinderentur omni ſolicitudine quandiu vixit, & ſtudio procurauit, contra dictum Maffredum in ſua malitia gloriantem, extollens aduerſarium, vt affligeret inimicum. Ipſe procurauit inuitauit & induxit illuſtrem virum Carolum Andegauenſem, & Prouinciæ Comitem, vt more anteceſſorum ſuorum, de quorum ipſe benedicto ſemine deſcendebat, in hoſtem Eccleſiæ inſurgeret debellandum, Maffredum ſcilicet ſupradictum, qui capa erat & refugium quorumlibet infidelium, & malignantium, qui ad eius terras vellent ciuitates & oppida declinare. Mutationem ergo, & ordinem præcedentium malorum in bona ſubſequentia præcurrerat cometæ viſio, qui anno Domini 1264. circa medium menſis Iulij cæperat ab occidente noctis principio apparere. Et poſt dies aliquot circa finem noctium apparuit ab oriente plurimos extendens radios verſus plagam occidentalem, & fuit curſus eius vſque circa finem menſis Septembris, quo iam tempore de medio tollitur ipſe Papa, cui ſuccedit Dominus Clemens Papa quartus, ſub quo pertractata ab altero executioni mandantur. Nam dictus Comes Carolus, ſicut verus filius obedientiæ, Zelans iniurias Eccleſiaſticæ libertatis, ſeu etiam dignitatis, accinctus diuina potentia, & fortitudine, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti in cuius manu ſunt omnia iura regnorum, anno eiuſdem Domini 1265. non veritus inſidias mari ſibi poſitas, verno tempore nauigio venit Romam, & accepta in vrbe ſenatoria dignitate, fuit ibi toto tempore æſtiuo, relicto interim in mandatis cum gratia Illuſtris Regis fratris ſui, vt de Francia, & Prouincia eum bellatorum exercitus ſequeretur. Coronatur igitur in Regem Siciliæ per quoſdam Cardinales adhoc miſſos à ſummo Pontifice, in Feſto Epiphaniæ. Venientibus liberè per Italiam auxiliatoribus, aſperitate hyemis nonobſtante, ad propoſitum certamen exiit contra hoſtem ſuum & Eccleſiæ bellaturus, & expugnato prius, & capto Caſtro ſancti Germani inexpugnabili olim virtute miraculi, hoſtem ſuum callide trahentem eum, intra viſcera terræ ſuæ, vt fatigatum eius exercitum inedia & labore ſecurius bello inuaderet circumuentum ante Beneuentum ciuitatem inuenit in prælio præparatum quem idem Rex nihil dilato in craſtinum, ſciens quod frequenter nocuit differre paratis, inſtructis contra inſtructas acies aciebus inuocato nomine ſaluatoris conſerto prælio, & breui confecto ſpatio conſumptoque hoſtili exercitu

exercitum

A exercitum in ore gladij superauit. Et ipse hostis eius Maffredus in ipsius belli pressura, licet, incognitus, fuit cum aliis interfectus, cuius corpus quæsitum biduo, & inuentum inter cadauera occisorum cognitum fuit; quod prælium factum fuit fæliciter, quarto Kalendas Martij, anno quo supra: obtenta igitur victoria sine cuiusquam defensionis obstaculo ipsam occupant ciuitatem, & inuentis qui fatigati erant, & exhaustis, corpus tumulatur. Verum ne qua radix amaritudinis remaneret secundum Dei iudicium impræcisa, electo sibi à Romanis in Senatorem Henrico Regis Castellæ Germano, processu temporis Conradinus filius quondam Conradi, qui fuit filius Federici, persuasus forsan ab æmulis noui Regis, insuspicatus prodiit ab Alamania ex occulto, sperans quod tota terra assurgeret venienti, & eum populus sequeretur. Veniensque Romam à senatore, & multis magnatibus honorifice est receptus; & iurantibus Senatore, & magna multitudine Romanorum egreditur, Regem Siciliæ inuasurus, & in campi Palentini planitie sibi instructis aciebus, hinc inde occurrentes pugnam conferunt valde grauem: sed Domino desuper adiuuante semen in fugam vertitur pessimorum, & elapsi de prælio equorum velocitate Senator, & Conradinus, & alij multi Magnates in deuia disperguntur; nec tamen latuerunt, qui Domino tradente impios ad Regis B carcerem sunt deducti, factaque fuit ibi strages longe maior inimicorum Ecclesiæ, quam in prælio Beneuenti: quem Conradinum & Ducem Austriæ, cum aliis eorum complicibus, non absque legis peritorum sententia, fecit truncatione capitum consummari, & ex tunc terra siluit coram eo. Et ille Populus Lucheriæ infidelis, qui in rebellionem exarserat, post multas molestias quas intulerat, & passus erat, ad pedes Regis veniens, solo prostratus vitam solam, quam implorabat à clementia Regis obtinuit, præferens signa, corrigiis ad collum pendentibus, seruitutis, & alio genere reuerentiæ, eosque in sclauos recepit Rex, alias Castri & ciuitatis & omni rerum illorum occupatione potitus ad suæ libitum voluntatis, traditis etiam ab illis carceri eius falsis, ac proditoribus Christianis, qui in recidiuum rebellionis consenserunt, eisdem pœnam pro meritis recepturis. Facta est ergo in terra illa mutatio dexteræ excelsi, vt ad illam currant ditandi de terra nostra fideles, Regiis obsequiis inhærentes, quo solebant in fomentum nequitiæ suæ infideles confugere: fuit autem illa commissio cum Conradino acta in vigilia Beati Bartholomæi anno Domini 1262. & anno eodem in vigilia Beati Andreæ Apostoli Dominus Clemens Papa quartus, cum pace Ecclesiæ concessa à Domino ex illo latere, viam carnis ingreditur vniuersæ, & anno sequenti 1269. sexta Kalendas Augusti peractum est, quod supra dixi, de populo Lucheriæ maligno & infideli.

C *Inter Regem Angliæ, & quosdam suos discordia oritur, & ipse Rex capitur in conflictu.*

CAPVT L.

VT autem quædam omissa superius repetam, anno Domini 1260. post decursum Cometæ, quo mortuus Papa Vrbanus, oritur discordia inter Regem Angliæ, & maximam partem Baronum regni, inter quos erat de præcipuis vnus Simon de Monteforti Comes Leicestriæ, sororius eius, vir prouidus, strenuus & bellicosus, eo quod quædam statuta, quasdam consuetudines, & alia quæ pro bono statu regni ab antiquis temporibus obseruata, idem Rex infringeret, & minime obseruaret super quo hinc inde ad arma concurritur, & concerto conflictu pars Regis Angliæ succubuit; qui, eiusque frater Rex Alamaniæ Ricardus & Odoardus eius primogenitus capiuntur. Acciditque processu temporis quod Odoardus in libera existens custodia, cum foris cum custodibus vagaretur, equum sibi serio missum ascendit, cuius velocitate euasit, & post dies quam plurimos captorem suum in conflictu, & hostem cum pluribus interfecit. Et anno sequenti ab Incarnatione Domini 1265. Iacobus Rex Arragonum Mursiam ciuitatem Sarracenorum, olim Regi Castellæ, tributariam expugnauit, & cepit. Eodemque anno illustris Rex Franciæ Ludouicus Cruce-signatus contra Sarracenos, & multi Principes, & milites & plebes plurimæ cum eodem. Item anno Domini 1269. Iacobus Rex Arra-

gonum cum Regio apparatu & multitudine pugnatorum mare ingreditur in subsidium terræ sanctæ, & præmissa parte sociorum, ipse reuertitur, vt dictum fuit, consilio mulieris quem reuera Dominus in suum noluit holocaustum. Sic fecit Iupiter qui iuxta fabulam, cælum deseruit sequendo vitulam, sic vera fuere quæ publice dicebantur. A

Rex Franciæ transfretat aduersus Regem Tunicij, ibique decedit ægritudine & sumptis treugis recedit exercitus.

CAPVT LI.

SEQVENTI anno Domini 1270. Illustris Rex Franciæ, eiusque tres liberi Philippus, & Ioannes Comes Niuernensis, & Petrus, & Dominus Alphonsus frater eius Comes Pictauiæ, & Tholosæ. Item & Atrebatensis & Britanniæ, & plures alij Comites, & Principes Rex Nauarræ gener Regis, militesque & plebes aduocati executionem accincti ad mare veniunt, & collecto de maritimis nauigio, in plaga, quæ dicitur Aquæ mortuæ, in Principio mensis Iulij incipiunt nauigare. Eodemque mense, circa festum Beatæ Mariæ Magdalenæ, ad portum Carthaginis, iuxta Tunicium ciuitatem, repulsis à littore Sarracenis terram tuentibus applicuerunt, & ascendentes bellatores obtinuerunt, Carthaginem in instanti, & Castra circa Tunicium posuerunt, quo acriores Sarracenorum plurima multitudo componit extra mœnia Castra sua, fueruntque aggressiones frequentes vndique inter partes, cum per mensem vel circa stetisset ibi exercitus, occulto Dei iudicio, seruus Dei Rex Franciæ Benedictus subtrahitur in vigilia B. Bartholomæi ab hac luce; quo vix defuncto venit in exercitum Rex Siciliæ frater eius, fuitque exercitus ibi vsque circiter finem Nouembris. Et fuit deliberatum inter Reges & Principes quid agi pro tempore expediret, & licet capi posse per pugnam ciuitatem communius videretur, quod fieri non poterat sine magno periculo personarum, quid de capta ciuitate fieret tractabatur: nam si retineretur quando non minor est virtus quam quærere parta tueri, non poterat ibi exercitus hyemare; nam vnde sustentarentur si victualia non haberent, quia vt fertur, non posset hyeme nauigari: si relinquerent ibi munitionem post recessum exercitus obsideretur à Sarracenis terræ indigenis, & esse possent prioribus nouissima grauiora. Si vero non retineretur, vel destrueretur esset in mora destruendi periculum, nec haberet exercitus recessum liberum per mare tempore hyemali: inciditque sanius illi consilium, aurum à Barbaris extorquere, factis iam sumptibus refundendum, Regemque Tunicij tributarium fieri Regi Siciliæ, & sub aliis conditionibus sic manere. Et ita sumptis treugis repetiit exercitus, & in Siciliam apud Traperam, remeauit, factaque est clades non modica cum venissent naues ad portum: nam violentia ventorum naues plurimæ sunt confractæ & vulgus non modicum est submersum, & in regressu Rex Nauarræ, & vxor eius & vxor Philippi noui Regis Franciæ moriuntur. Cuius Philippi frater, Ioannes Comes Niuernensis in Castris ante Tunicium mortuus erat: vbi etiam mortuus est Dominus Philippus de Monte-forti. Et anno sequenti apud Sairam ciuitatem maritimam Dominus Alphonsus Comes Tholosanus, & Pictauiæ, & eius vxor Domina Ioanna quondam filia Comitis Tholosani, breui dierum spatio moriuntur, & si qua spes esset de futuro hærede in Comitatu Tholosano, tunc penitus est sublata, vel ablata, vt videatur deleta tota illa linea, vel abrasa & est totius Comitatus Ius & Dominium ad manus illustris Regis Franciæ, qui directum habebat Dominium deuolutum. Constat etiam quod anno præcedenti ab Incarnatione Domini 1270. decimo quarto Kalendas Nouembris moritur Dominus frater Raymundus Episcopus Tholosanus, anno Episcopatus sui 39. quo sepulto apud prædicatores, cuius ordinis ipse fuit, eligitur Dominus Bertrandus de Insula præpositus eiusdem Ecclesiæ in Episcopum Tholosanum, in concordia totius Capituli, & confirmatus Narbonæ: in Ecclesia sua Tholosæ, in vigilia sancti Thomæ Sabbatho, promotus in sacerdotem, & in eius festo die Dominico in Episcopum consecratus, & ea proxime sequenti die Natalis Domini primo missam sacerdos nouus, & Episcopus celebrauit. Eodem anno in quadragesima Henricus filius Ricardi Regis Alamaniæ occiditur

A occiditur in Ecclesia, à filiis quondam Simonis de Monte-forti, in vltionem Patris, apud Viterbium, quo tempore sedes Apostolica vacabat; vacauerat enim post decessum Domini Clementis annis duobus & mensibus nouem, quando electus est in Pontificem Venerabilis vir Theobaldus Archidiaconus Leodiensis, anno Domini 1271. Kalendis Septembris, qui eo tempore erat in partibus vltramarinis, cum Domino Edoüardo Domini Regis Angliæ primogenito. Eodemque anno & tempore secundo Kalendas Septembris, inungitur Philippus in Regem Franciæ & coronatur in lætitia gentis suæ.

Philippus Rex Franciæ venit ad partes Tholosanas cum magno exercitu contra Comitem Fuxi, quem captum duxit in Franciam.

CAPVT LII.

CVM in primis auspiciis Regni sui offertur occasio iudicium & iustitiam faciendi: nam in sequenti anno Domini 1271. accidit conflictum fieri inter Arnaldum Bernardi de Armeniaco, fratrem Venerabilis Patris Archiepiscopi Auxitani,
B & Domini Geraldi Comitis Armeniaci, & Geraldum de Casalibono Dominum Castri summi Podij in quo conflictu Arnaldus Bernardi & quidam eius socij milites sunt occisi. Post cuius viri mortem sciens Bernardus de Casalibono imminere sibi mala, & suis à multitudine amicorum & consanguineorum dicti Arnaldi Bernardi semetipsum reddidit Prisioni, seu carceri Senescalli Domini Regis Franciæ, & in manu eius posuit terram suam, vt de ipso Rex faceret suum debitum, si accusator aliquis appareret, nisi ipse posset de morte prædicti viri cognitione Curiæ rationabiliter se tueri, & terra sua veniret Regi pariter in Commissum. Quo ita recepto in prisione Regis, & terra eius in custodia, & ducatu eiusdem Regis, eiusque vexillo Castri summi Podij pro securitate tradito, contigit his nonobstantibus contra inhibitionem Regalium, Comitem Fuxi Rogerium Bernardi, vna cum Geraldo de Armeniaco cum gentium multitudine armata currere contra Castrum summi Podij, & expugnatum capere & destruere cum strage populi copiosa. Quod cum Regi iam non ob hoc, sed vt terram Pictauiæ & Tholosæ à Deo sibi traditam visitaret venienti innotuisset, citatus Comes Fuxi vt qui iniuriam Regi fecerat emendationis iudicio eiusdem compareret, & de pluribus aliis offensis sibi impositis faceret quod deberet; reatu comprimente non duxit, vt debuerat, comparendum, sed sinistro vsus consilio munire opposuit terram suam opponens fortitudinem brachij sui, eo quod haberet, vt videbatur sibi, Castra inexpugnabilia super rupes; & ad cumulum amplioris iræ Senescallum Regis transeuntem per terram sibi nihil mouentem, fugauit cum armis, quibusdam eius sociis captis, & saumariis retentis: quod Domini, & Burgenses Sauarduni detestantes, Castri sui illi introitum interdicunt, Senescallus vero
C hanc Regis iniuriam non dissimulans, magna de terris exercitu aduocato, ingreditur in manu valida terram eius, & obtinuit vsque ad passum Barræ, muniens oppida fortiora. Qui nisi quorumdam consilio abstinuisset vltra procedere, pro maiori parte obtinere residuum potuisset. Quibus auditis Rex, & perceptis, quod dictus Comes Fuxi de Montanis Castris suis confideret de vltra portus forsan auxilia quæsiturus, egit prouide & consulte ne contemni posset super audacia contra regni sui primordia attentata: vnde & vocatis regni sui viribus, Tholosam venit, & intrauit quinto Kalendas Iunij receptus cum gaudio magno valde. Vbi diebus septem moratus, donec interim venisset exercitus, & complanaretur viarum asperitas, & stricta amplificarentur, exiuit octauo die cum quadrigarum & machinarum, ac copiarum maximo apparatu. Cui versus Appamiam venienti, occurrit Rex Arragonum socer eius, cum Domino Gastone de Bearnio socero prædicti Comitis, & miscentur colloquia inter eos; quorum finis fuit quod Comes Fuxi, videns quod non posset Regi resistere se, & terram suam in eius posuit voluntate, quem sic susceptum Rex præcepit custodiri, & finaliter obtinuit, & obtinet hodie terram suam, & vt à pluribus, siue propter offensas ac patris, vel suas factum sit, hoc ergo dico, & credo factum esse, vt Dominus Deus suus iudicia faciens cognoscatur, post quam comprehensus in operibus manuum suarum est peccator. Tentus autem diu in prisione Regis tandem ad instantiam Regis Arragonum, eiusdem Regis soceri liberatur.

EPISTOLÆ

INNOCENTII TERTII SVMMI PONTIFICIS

AD REGEM ET PRINCIPES GALLIÆ. B

ET RESCRIPTA EIVSDEM PAPÆ SVPER NEGOTIO ALBIGENSIVM.

ILLVSTRI FRANCORVM REGI.

Vt in Religione Catholica, & Romanæ Ecclesiæ obseruantia permaneat.

I.

INEFFABILIS sapientia conditoris sic omnia, quæ alto consilio simul ab æterno præuidit, per labentium temporum vices mirabili quadam dispositione dispensat, vt nec error in ordine nec in opere sit defectus: cùm diuina scriptura testante cuncta fecerit, in numero, pondere & mensura. Licet ergo nihil in terra sine certa causa, propriaque ratione disponat, imperfectum tamen conditionis humanæ non solùm in causis operum deficit perscrutandis, verum etiam in ipsis causarum operibus vix sufficit admirari. Quod vtique considerans Apostolus exclamabat: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius.* Quamuis enim C vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas, & omnia opera eius iudicia sunt, testante Propheta; vsque adeò tamen successus hominum humiliationem & exaltationem eorum dextera Domini, licet iusta, occulta tamen ratione procurat, vt causa nobis non modici stuporis existat, quod in regimine potestatis, iuniores quandoque senioribus anteponit. Vt iuxta Prophetam filij nascantur pro patribus, qui super omnem terram principes constituti Dominici nominis recordentur: Sicut de nobis ipsis à Domino factum est, & est mirabile in oculis nostris. Sanè Felicis memoriæ Celestino patre, ac prædecessore nostro VI. Id. Ian. viam vniuersæ carnis ingresso, & in Lateranensi basilica (sicut moris est) honorificè tumulato, fratres nostri, videlicet Episcopi præsbyteri & Diaconi Cardinales, & nos ipsi cum eis simul in vnum secessimus, vt tanto licentiùs & tutiùs de substitutione Pontificis tractaremus, quanto tractatus ipse maiorem deliberandi copiam & amplioris circumspectionis consilium requirebat. Cumque Missarum solemnibus in honorem sancti Spiritus celebratis, requisitæ fuissent omnium voluntates, ad insufficientiam nostram oculos extenderunt: humano forsan æstimantes arbitrio, in sacculo Benjamin Scyphum argenteum inuenire. Licet plures ex ipsis, ætatis, ordinis, & meriti ratione potuissent ad tantæ dignitatis apicem digniùs euocari. Cuius siquidem dignitatis onus cum insufficientia nostra penitus recusaret, vtpotè nostris debilibus humeris importabile, sub illius tamen confidentia & exemplò, qui infirmitatem beati Petri trina prius negatione probatam, post trinæ confessionis vocem in guber-

natione

A nationе suarum ouium confirmauit. Quod personæ nostræ multiplex imperfectio denegabat, in ipsius contulimus voluntatem, fratrum nostrorum acquiescentes instantiæ: ne reluctatio diuturna dissidij pareret detrimentum, aut dispositioni diuinæ videretur aliquatenus obuiare: sperantes quod ille, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, qui nouissimum fratrem virum vtique secundum cor suum in Regem de postfœtantes assumpsit, de lapidibus suscitabit filium Abrahæ, vocans ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt: vt infirma eligens, fortia quæque confundat. Nos igitur Ecclesiasticæ prouisionis sollicitudinem assumentes, ac considerantes quantum Regnum Franciæ in Ecclesiæ semper permanserit vnitate, tibi tanquam speciali Ecclesiæ Romanæ filio, litterarum nostrarum primitias duximus destinandas: Serenitatem Regiam rogantes, monentes, & exhortantes in Domino, & in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus sanctam Romanam Ecclesiam matrem tuam, taliter reuereri, & honorare procures, vt inclytæ recordationis patris tui LVDOVICI vestigia in ipsius deuotione sequaris, & Nobis ad Apostolicæ sedis gubernationem Domino disponente, assumptis humiliter & deuotè (sicut decet Principem Christianum) assistas. Nos enim in his, quæ ad honorem tuum spectant, quantum cum Domino possumus, libenter intendimus, & circa personam B Regiam paternæ gerimus charitatis affectum.

PARISIENSI EPISCOPO.

Vt Illustrem Francorum Regem, moneat, & inducat ad recipiendam Reginam vxorem suam, quam eiecerat.

II.

CVM omnia orta occidant, & aucta senescant, ne operum Domini primitiæ penitus deperirent, posuit Deus sementem iuxtà species suas in aliquibus creatorum, vt quæ secundum cursum temporis deficerent, in se ipsis in sua semente proficerent, & in reparatione sui generis vberius prosilirent. Sic etiam, ne homo ad imaginem Dei factus, & tam volucribus cœli, quam piscibus maris, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram, munere diuino prælatus, in sterilem cinerem, sterilis ipse rediret; formata muliere in auxilium eius de latere dormientis audiuit: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Cum ergo ex tunc Adæ posteritas sibi inuicem iungi consueuerit fœdere nuptiali, vsque adeò in hoc ipsi cooperata est & post lapsum parentis dextera conditoris, vt iuxta illud Euangelicum: Quod Deus coniunxit, homo non separet, non humanæ adinuentioni sed diuinæ C auctoritati potius adscribatur; matrimonij sacramentum. Per quod (licet inter homines contrahatur) significatur tamen in Christo coniunctio Ecclesiæ, ac animæ fidelis ad ipsum: iuxta illud Apostoli: *Hoc autem dico magnum sacramentum in Christo est in Ecclesia.* Vnde quantum in nobis est Ecclesiæ filiis debemus summo studio præcauere, ne si quis impiè agens in seipsum partem sui corporis, quia scindere omninò non potest, à se forsan auellere, animam suam à diuinæ bonitatis amplexibus efficiat alienam, & propter hoc totam Ecclesiam tantò ampliùs sibi reddat offensam, quantò minus prouidè figuram desponsationis eius ad Christum, quantùm in ipso fuerat maculauit. Hæc autem non ad instructionem tuam, quem diuinæ legis noticiam pleniùs nouimus obtinere, sed vt intentionis nostræ vehementiam exprimamus, presentibus litteris duximus explicanda. Qui quantò charissimum in Christo filium nostrum Philippum Francorum Regem illustrem puriùs diligimus, & speciali quondam priuilegio intendimus ampliùs honorare, tantò infrà nos ipsos fortiùs contristamur, quod charissimam in Christo filiam nostram Francorum Reginam illustrem, quantò in eo fuit à se minus licitè nixus est amouere. Ad cumulum prætereà nostri doloris accedit, quod cum vniuersi progenitores eius veri fuerint Religionis Christianæ cultores, inter quos illustris memoriæ LVDOVICVS quondam Rex Franciæ pater eius, præ cæteris sui temporis præcipuus diuinæ legis fuit amator, Regia Serenitas, quam ipsi vellemus non minus in obseruantia mandatorum Domini, quàm Regni hæreditate succedere, contrà salutem & famam suam

dictam Reginam à consortio thori remotam, in remotis partibus Regni Francorum (licet inter religiosas, priuatas tamen personas) vitæ suæ cursum implere compellit. Licet autem Felicis recordationis Celestinus Papa prædecessor noster apud eum potuerit obtinere, vt Reginam ipsam in gratiam & beneuolentiam suam receptam, ad regni consortium reuocaret: Nos tamen non de meritis nostris, sed diuina potius miseratione sperantes, & de puritatis tuæ sollicitudine confidentes, quem litteraturæ, honestatis, & consanguinitatis intuitu esse credimus in eiusdem Regis oculis gratiosum, precum nostrarum primitias, per te ipsi ex parte nostra porrectas ab ipso confidimus tantò libentiùs admittendas, quantò ampliùs de ipsius salute sumus solliciti, & per huius Apostolicæ petitionis effectum, non tam nostris commodis, quam integritati sui nominis consuletur. Rogamus igitur Fraternitatem tuam, monemus & exhortamur in Domino, ac per Apostolica tibi scripta mandamus quatenus eumdem Regem ex parte nostra, diligentiùs moneas & inducas, & in remissionem ei peccatorum iniungas, vt prædictam Reginam in plenitudinem gratiæ Regalis admissam, maritali studeat affectione tractare. Vt ad mentem reuersus, in laudem Domini cum Petro decantet: *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & tulit me de manu Herodis*, illius, scilicet, qui sicut olim animam pueri eius, hactenus sanguinem sitiebat. Verendum siquidem ei credimus, ne præter offensam diuinam, & humanam infamiam, irreparabilem etiam iacturam incurrat. Cum enim ex ea, quam contrà interdictum Ecclesiæ superduxit, legitimam nequeat sobolem procreare, si fortè (quod absit) vnicus eius filius rebus eximeretur humanis, regnum eius ad extraneos deueniret. Qui quoniam eidem Reginæ sui negauit corporis potestatem, ipsius promerentibus culpis, multis angustiis irruentibus nunquam optata potuit felicitate gaudere sed præter alias afflictiones, tota Gallicana Prouincia famis fuit sterilitate percussa, & nisi quantociùs resipiscat, flagellum Dei contrà se potest grauiùs formidare. Quod si forsan (quod absit) salubribus monitis tuis, quæ sæpiùs iterari volumus apud ipsum, acquiescere non curarit quantumcumque nobis molestum existam eum in aliquo molestare, id non poterimus, sicut nec debemus sub dissimulatione transire. Huic autem studio tantò diligentiùs debes insistere, & intentione omnimoda imminere, quanto creatori ampliùs tua in hac parte sollicitudo placebit: & gloriosiùs etiam tibi erit, si per tuam instantiam fuerit Domino faciente completum, quod non potuit per aliquorum prudentiam, seu diligentiam hactenus adimpleri. Datum Lateran.

PHILIPPO ILLVSTRI FRANCORVM REGI.

Vt legitimam vxorem recipiat.

III.

LICET dextera Domini suam fecerit in nostra promotione virtutem, de terra suscitans inopem, & de stercore erigens pauperem, & illud nos voluerit dignitatis solium obtinere, vt non solum cùm principibus, sed de principibus etiam iudicemus: cùm tamen conditionem humilitatis vestræ conspicimus, & de quo ad quid simus vocati pensamus, præter generale debitum pastoralis officij, quod singulis nos constituit debitores, tibi, & Regno tuo specialiter nos fatemur teneri, in quo nos recolimus in studiis litterarum ætatem transegisse minorem, ac diuino munere quantæcumque scientiæ donum adeptos beneficiorum impensam multiplicem suscepisse. Ad cumulum autem huius præcipuæ dilectionis accedit progenitorum tuorum grata memoria, quos sicut Christianissimos Principes, nec ventus turbinis, nec impetus tempestatis ab Ecclesia Romana potuit aliquando separare, quin potiùs tantò ampliùs in ipsius deuotione seruirent, quantò fortiùs in nauiculam nostri piscatoris fluctus insurgerent, & mare tumultuosius ventorum incursibus fluctuaret. Vnde cum in minori quondam officio constituti Serenitatem Regiam, & Regnum Franciæ speciali amplexati fuerimus dilectionis affectu, nunc ad apicem Summi Pontificatus (licet insufficientes) assumpti, priuatis affectibus, communibus superuenientibus causis tam ardentiùs in Regiæ Serenitatis dilectione flagramus, vt occasionem

A ſionem nobis precemur à Domino indulgeri, per quam affectus interior prodeat in effectum, & prærogatiua ſinceritatis quam ad te gerimus, in opere pateat vniuerſis. Verum quantò amplius celſitudinem tuam honorare cupimus, & ad profectum tuum ardentiùs aſpiramus, tanto magis de tua ſumus ſalute ſolliciti, & grauiùs ferimus ſi noſtræ charitatis affectus circa Serenitatem tuam, te præſertim dante materiam, videretur (quod abſit) refrigeſcere, vel tepere. Sanè quantum ſcandalum ſit exortum ex ſuperinductione illius, quam poſt multiplices inhibitiones Eccleſiæ, quarum vnam factam per bonæ memoriæ M, ſanctorum Ioannis & Pauli præſbyterum Cardinalem, tum Apoſtolicæ ſedis Legatum, & dilectum filium C. Subdiaconum, & Notarium noſtrum, cum felicis recordationis C. PP. prædeceſſoris noſtri litteras in tua fecere præſentia recitari, quæ inhibitionem apertiùs continebant, ad te nouimus perueniſſe, & poſt datas & receptas Epiſtolas venerabilibus fratribus noſtris N. Sueſſionenſi, & N. Nouiomenſi Epiſcopis, nuntiis tuis propter hoc apud ſedem Apoſtolicam, conſtitutis ſuperinducere voluiſti: tibi credimus ex parte liquere: in quo ad diſcretionem veritatis non debet vincere ſenſualitas rationem. Noſti etenim quod morbus iſte iam vicina corrumpit, & ad excuſandas excuſationes in peccatis factus es cæteris excuſatio, & in Nos & Ro-
B manam Eccleſiam detractionem non modicam ſuſcitaſti. Quantùm autem ex hoc teipſum læſeris, ex eo manifeſtè perpenditur, quod omnia tibi contraria ſucceſſerunt, quæ prius proſpera ſuccedebant, nec datum eſt tibi frui etiam pace diurna, quin, & ſi non corpus, mentem ſaltem ſollicitudo grauis vrgeret, quod tibi eſſe debet euidens argumentum, quod propter hoc diuinam indignationem incurreris, præſertim cum ſuperinductæ conſanguinitatis opponatur: chariſſimæ autem in Chriſto filiæ noſtræ N. Reginæ Franciæ, nonniſi impedimentum fuiſſet affinitatis obiectum. Vt igitur ſaluti tuæ conſulas, & honori, vt Nos & Romanam Eccleſiam à labiis iniquis, & lingua liberes detractrice, vt Dominum tibi reddas propitium, quem iratum hactenus tibi reddidiſti, rogamus Serenitatem Regiam, monemus, & hortamur in Domino, & in remiſſionem iniungimus peccatorum, per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus inteipſum aciem tuæ conſiderationis reflectens, ſic tuos actus diiudices, vt ab aliis non debeas iudicari. Memor eſto conditionis tuæ, & nouiſſima iuxta verbum ſapientis attendens, quod ſcandalum in Eccleſia parit, quod nobis detractionem generat, quod in perniciem tuæ ſalutis vertitur, & in diſpendium totius regni redundat; alios ſimili corrumpens exemplo, corrigas per te ipſum ſuper inductam de finibus regni Francorum, remoueas & eam reducas in regnum, & Reginam appelles, ac facias appellari: mandans ei ab omnibus, tanquam Reginæ deferri, quam à te minus rationabiliter abieciſti. Quod ſi poſtmodum vſque adeo Serenitatem tuam oriens ex alto reſpexerit, & cor tuum lux illa dignata fuerit illuſtrare, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mun-
C dum, vt prædictam Reginam, quam ex teſtimonio plurium, quibus eſt Religionis & dignitatis ratione credendum, miræ ſanctitatis & honeſtatis, audiuimus eſſe, retineas in gratia coniugali: præſertim cum vix nobiliorem ducere poſſis, & id tibi plurimum expedire noſcatur, in his facilius, & ad votum tuum celeriùs exequendis, quæ Serenitati tuæ diebus iſtis incumbunt, gaudebibus plurimum, & in agendis tibi gratiarum actionibus aſſurgemus. Quod ſi forſan (quod abſit) deſuper datum non fuerit, ſicut de iure tenemur, iuris tibi licentiam non negamus, quominus facta prius reſtitutione audiamus & exaudiamus, quod rationabiliter duxeris proponendum. Si autem (quod non credimus) nec famæ tuæ, nec honori conſuleres nec mandatis noſtris, nec monitis obedires, quantumcumque nobis moleſtum exiſteret te in aliquo moleſtare, contrà te tanto ampliùs moueremur, & manum curaremus Apoſtolicam aggrauare, quantò Serenitatem tuam ſinceriùs diligimus, & quos amamus ſeueriùs arguere intendimus, & duriùs caſtigare. Cum (inſpirante Domino) immutabilem animum, & inflexibile propoſitum habeamus, nec prece, nec pretio, nec amore, nec odio declinandi à ſemita rectitudinis, ſed via Regia incedentes, nec ad dexteram declinabimus, nec deuiabimus ad ſiniſtram, ſine perſonarum acceptione facientes iudicium, quia non eſt perſonarum acceptio apud Deum. Non ergo poſſes quamtumcumque confidas de tua potentia ſubſiſtere antè faciem, non dicimus noſtram, ſed Dei, cuius (licet immeriti) vices exercemus in terris cum authore iuſtitiæ, qui eſt veritas pro iuſtitia, & veritate pugnante

inimici tui in te, ac Regnum Franciæ præualerent, nec valeret temporalis tuus, A & exiguus potentatus, diuinæ ac æternæ repugnare omnipotentiæ maiestatis. Facias ergo, fili Chariſſime, de neceſſitate virtutem, & nobis in hoc, immò creatori tuo per quem viuis & regnas, humiliter ſatisfacias, quatenus & ipſum tibi reddas propitium, & nos tibi conſtituas ampliùs debitores: ſciturus pro certo, quod niſi mandatum noſtrum hac vice curaueris adimplere, non differemus vlteriùs, quin officij noſtri debitum exequamur. Datum & cætera XVI. Calend. Iunij.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ABBATIBVS, PRIORIBVS, & vniuerſis Eccleſiarum Prælatis per totum regnum Franciæ conſtitutis. Vt Legatos Apoſtolicos, qui pacem inter Galliæ, & Angliæ Regem facere, & contrà Sarracenos armare debebant, humaniter acciperent.

IV. B

LICET commiſſa nobis à Domino poteſtatis Eccleſiaſticæ plenitudo vniuerſis Chriſti fidelibus nos conſtituerit debitores, ſtatum tamen, & ordinem conditionis humanæ non poſſumus ampliare: quia (iuſto verbum Dominicum) ad ſtaturam noſtram nec cubitum vnum valemus adiicere, vel ſimul in diuerſis locis exiſtere: in vnius tamen corporis vnitate, vel ad remota quælibet in ictu oculi tranſuolare poſſumus, & cum Abacuc exuli, Danieli depoſito in lacu Leonum, per nos ipſos tibi conſolationem afferre, ac meſſoribus nihilominus miniſtrare. Quia verò lex id humanæ conditionis non patitur, nec poſſumus in perſona gerere ſolicitudines vniuerſas, interdum per fratres noſtros, qui ſunt membra corporis noſtri, ea cogimur exercere, quæ ſi commoditas Eccleſiæ ſuſtineret perſonaliter libentiùs impleremus. Cum autem omnes vnum corpus ſimus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra, ſic per ſingulos cum oportet, iniunctæ nobis ſollicitudinis onera diſpenſamus, vt cum alter alterius onera ſupportarit à ſingulis lex Chriſti laudabiliter impleatur: non enim in vniformitate corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, ſicut in humani corporis conſtitutione ſegregatio partium generat ſectionem; ſectio vero mortem vel deformitatem inducit, immò ſegregatio in obedientiæ virtute conſiſtens, vnitatis eſt ſignum: vnitas verò verum eſt iudicium charitatis, per quam multitudinis credentium erat (ſicut legitur) cor vnum, & anima vna. Sanè licet inſtantia noſtra quotidiana ſit omnium Eccleſiarum ſollicitudo continua, nuper tamen nobis ſollicitudo potior ſuperuenit: quæ ſi reliquæ cæderent, ſola tamen ſibi nos totos interiùs, & exteriùs vendicaret, nec ſic etiam infirmitas noſtra tantæ ſufficeret grauitati. Recepimus enim litteras de partibus tranſmarinis quod cum Theutonici, capto caſtro Baruth, & Ioppen ab impiis occupata, naues reduces aſcendiſſent, Sarraceni qui ad reſiſtendum eis exercitum parauerant copioſum, ſicut locuſtæ, terræ ſuperficiem repleuerunt: ita quod Chriſtianis gladius foris imminet, metus intus, vt tutum eis non ſit in ciuitatibus, & in locis munitiſſimis remanere. Cum igitur nos ad ſubueniendum Hyeroſolimitanæ Prouinciæ dilectis filiis noſtris S. tituli ſanctæ Praxedis Præſbytero, & P. ſanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinali impoſuerimus ſignum Crucis, cum nec Eccleſiæ neceſſitas pateretur, nec prædeceſſorum noſtrorum monerent exempla, vt itineris Hyeroſolimitani laborem perſonaliter ſubiremus, dictum Petrum ſanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardinalem, virum ſcientiâ, honeſtate morum, & conſilij maturitate præclarum, præcipuè ad reformandam in chariſſimos inter Chriſto filios noſtros Philippum Francorum, Richardum Anglorum Reges illuſtris plenæ pacis concordiam, vel treugas ſaltem vſquè ad quinquennium ſtatuendas, & excitandos populos ad obſequium Ieſu Chriſti duximus deſtinandum: cui etiam commiſimus plenæ legationis officium, conceſſa ſibi libera facultate, vt euellat & diſſipet, ædificet & plantet, ſicut viderit expedire. Quia verò ipſum inter cæteros fratres noſtros ſpecialis dilectionis brachiis amplexamur, Vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, atque

præcipimus

A præcipimus, quatenus eum, ſicut Legatum ſedis Apoſtolicæ, immo Chriſti, cuius ſubuentionis cauſa dirigitur, benignè recipientes, & honorificè pertractantes ea, quæ ſuper prædictis, vel aliis deliberatione prouida duxerit ſtatuenda, recipiatis humiliter, & inuiolabiliter obſeruetis: alioquin ſententiam, quam in contumaces duxerit proferendam, ratam habebimus, & faciemus authore Domino inuiolabiliter obſeruari: ſcituari quod Nos in eo, ſi vobis honoratus fuerit credimus honorari, & contemptum eius proprium putaremus. Datum. Reat.

Petro ſanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinali, Apoſtolicæ ſedis Legato. Vt Regem Gallorum per cenſuras Eccleſiaſticas cogat, ſuam vxorem recipere.

V.

B SCRIPSIMVS chariſſimo in Chriſto filio noſtro PHILIPPO illuſtri Regi Francorum, vt ea, quam ſuperduxit contrà Eccleſiæ interdictum à ſua ſeparata conſortio, chariſſimam in Chriſto filiam noſtram Francorum Reginam illuſtrem, vxorem ſuam in gratiam recipiat coniugalem, & debito pertractet affectu. Vt autem mandatum noſtrum ſuper hoc meliùs, & expeditiùs compleatur, diſcretioni tuæ authoritate præſentium indulgemus, per Apoſtolica ſcripta mandantes, & diſtrictè præcipientes, vt niſi dictus Rex infrà menſem poſt commonitionem tuam, prædictam Reginam in gratiam receperit coniugalem, & honore debito pertractarit, extunc totam terram eius appellatione poſtpoſita ſubiicias interdicto: ita quod præter baptiſma paruulorum, & pœnitentias morientium, nullum in ea diuinum officium celebretur: ven. etiam fratribus noſtris Archiepiſcopis Epiſcopis, & dilectis filiis noſtris Abbatibus, Prioribus & Vniuerſis Eccleſiarum Prælatis conſtitutis in terra eius in virtute Spiritus ſancti diſtrictè præcipimus, vt cum in terram Regis eiuſdem interdicti ſententiam promulgatis, eam Ap. re. ſecundum prædictam formam obſeruent, & per ſuas faciant Prouincias, Diœceſes, & Eccleſias obſeruari. Nulli ergo, &c. Scriptum eſt ſuper hoc Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, & Vniuerſis Eccleſiarum Prælatis in terra Regis Franciæ conſtitutis.

PHILIPPO illuſtri Regi Francorum, vt Reginam vxorem recipiat, & cum Rege Anglorum pacem ſeruet.

C

VI.

CVM inter principes Chriſtianos perſonam tuam ſingulari quadam beneuolentia diligamus, ſuper his infrà nos ipſos vehementer ingemiſcimus & dolemus, quæ de Serenitate tua ſæpiùs ad noſtram audientiam referuntur, cum quod dolentes referimus, tam ſuper facto chariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Reginæ Francorum illuſtris vxoris tuæ, quàm etiam ſuper diſcordia, quam cum chariſſimo in Chriſto filio noſtro illuſtri Rege Anglorum exerces, taliter te habere dicaris, vt æmulis tuis non ſolum tibi repugnandi materiem præbeas, ſed etiam audaciam expugnandi: quod Serenitati tuæ manifeſtum tribuit argumentum, quod Dominus noſter tuis ſit peccatis iratus. Et licet olim ſuper receptione prædictæ Reginæ per venerabilem fratrem noſtrum Pariſienſem Epiſcopum diligenter Celſitudinem tuam commoneri fecerimus, ac poſtmodum propter id noſtras tibi curauerimus litteras deſtinare, volentes non minus ſaluti tuæ pariter, & honori conſulere, quam eiuſdem Reginæ iuſtitiæ prouidere, nondum tamen neſcimus quorum vſus conſilio, quæ cauſa nobis non modici ſtuporis exiſtit, & doloris monita, & mandata ſedis Apoſtolicæ, quæ (Deo teſte) proceſſerunt ex fomite charitatis, & ſinceræ, quam circà te gerimus dilectionis affectu curaſti (ſicut debueras) humiliter exaudire.

Verum ne quid desit exhortationibus nostris, Serenitatem tuam tertio duximus commonendam, rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, & in remissionem tibi peccatorum iniungentes, quia mutato consilio dictam Reginam vxorem tuam recipias, in gratiam coniugalem, & debito pertractes honore: vt & Deum tibi reddas propitium & eam te, quam nos à lingua liberes detractrice. Mittimus autem propter hoc ad præsentiam tuam dilectum fratrem nostrum Petrum sanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardinalem, Apostolicæ sedis Legatum, quem inter fratres nostros speciali amplectimur dilectionis affectu, & quem personam tuam & Regnum diligere sincerè cognoscimus, vt pote in eo nutritum pariter & instructum: qui te ad hæc diligenter commoneat, & nostram tibi exponat pleniùs voluntatem, cui tanquam nobis ipsis fidem adhibeas super his, quæ tibi duxerit proponenda. A

PHILIPPO *illustri Regi Francorum, vt cum Serenissimo Anglorum Rege pacem faciat, & contrà Sarracenos bellum sacrum cum reliquo Christiano orbe prosequatur.* B

VII.

MEDIATOR Dei, & hominum ipse Iesus redemptionis humanæ mysterium impleturus, pacem discipulis pro hæreditate legauit, vt eam seruarent ad inuicem, & ad obseruationem eius cæteros inuitarent: pacem inquiens, meam do vobis, pacem relinquo vobis. Prophetæ quoque monemur consilio, vt pacem non solum quærere, sed etiam persequi debeamus. Inquire (dicentis) pacem, & persequere eam: vnde nos, qui vices Christi, (licet insufficientes) exercemus in terris, eius sequentes exemplum, & prædecessorum nostrorum consuetudinem imitantes, ad reformandam inter discordantes, veræ pacis concordiam intendere volumus, & tenemur: præsertim cùm ex discordantium ipsorum dissidio magnum, tam ipsis, quam Ecclesijs & pauperibus terræ suæ, immo &c. toti Christiano populo prouenit detrimentum. Nam vt stragem virorum Ecclesiarum grauamina, pauperum oppressionem, & totius tam Gallicanæ, quam Anglicanæ gentis, periculum, quæ propter guerram, quam tu & charissimus in Christo filius noster Richardus Rex Anglorum illustris, ad inuicem exercetis, prouenerunt hactenus, taceamus: communi populi Christiani dispendio, & excidio Hyerosolimitanæ Prouinciæ, tu, & ipse causam videmini præstitisse, & materiem cum hominibus vtriusque regni, propter tuam, & eius dissentionem detentis, non solùm quæ amissa fuerant ab initio in partibus transmarinis, nondum recuperari potuerint immo his etiam graue videatur periculum imminere, quæ à Christianis hactenus sunt possessa. Antiquis enim & tristibus rumoribus noui ac tristiores superuenere rumores, quod cum Theutonici Accon nauigio, &c. Quia verò nos ad subuentionem terræ orientalis tam in personis, quàm rebus dilectos filios nostros. S. tituli sanctæ Praxedis, & P. sanctæ Mariæ in via lata Diaconos Cardinales, Apostolicæ sedis Legatos, viros honestate morum, maturitate consilij, & scientia reuerendos, quos inter alios fratres nostros speciali charitate diligimus, ministerio propriæ sanctæ Crucis caractere curauimus insigniri; ne quid ex contingentibus omittere videamur, dictum sanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardinalem virum, Scientia prædictum honestate præclarum, Deo & omnibus (sicut speramus) acceptum, ad tuam & eiusdem Regis præsentiam duximus destinandum, Legationis ei officium committentes. Ideoque Serenitatem tuam rogamus, monemus, & in remissionem iniungimus peccatorum, quatenus eum sicut Legatum Apostolicæ sedis recipiens, & honorans, exhortationem nostram & eius, infrà duorum mensium spatium, post receptionem præsentium & commonitionem ipsius factam vtique vestrum, quia hic est necessarium populo Christiano vt id sine dilationis diffugio maturetur; cum sine tuo ac fidelium tuorum, & sine dicto Rege, ac fidelium eius subsidio, quod in sequenti Martio proposuimus ad partes illas, dante Domino, destinare, vix terræ in qua pedes Christi steterunt, & vbi Deus noster antè sæcula C

noſtra

A nostra, dignatus est operari salutem, poterit subueniri, plenam pacem, vel treugas longas, saltem vsque ad quinquennium ineas & obserues; ita quod interim nullum alterutri circa proprietatem, vel promissionem earum, quæ à reliquo detinentur, præiudicium generetur: alioquin (quantumcumque nobis molestum existat Celsitudinem Regiam in aliquo molestare) quia tamen Deum tibi præponemus, & communem vtilitatem tuis debemus commodis, immò potius incommodis anteferre, nisi ad commonitionem eiusdem Legati, mandatum Apostolicum infrà scriptum terminum humiliter receperis & impleris, extunc de communi fratrum nostrorum consilio totam terram tuam subiacere decernimus interdicto: ita quod præter baptisma paruulorum, & pœnitentias morientium, nullum in ea diuinum officium celebretur. Quod si nec per hanc districtionem impleueris quod mandamus, teipsum, fautores, & consiliarios principales Ecclesiastica seueritate noueris cohercendos: id ipsum de terra Regis Angliæ ipsis etiam fautoribus suis consiliariis decernentes. Venerabilibus etiam fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus & vniuersis Ecclesiarum Prælatis vtriusque regni, sub pœna ordinis, & officij sui mandamus, & in virtute Spiritus
B sancti præcipimus, vt interdicti sententiam secundum præscriptam formam, inuiolabiliter studeant obseruare & faciant ab aliis irrefragabiliter obseruari. Idem etiam fratribus militiæ Templi, ac Hyerosolimitani Hospitalis, sub Priuilegiorum & indulgentiarum suarum pœna mandamus, credentes ex hoc non voluntati tuæ, sed vtilitati, non affectui, sed profectui, non oneri, sed honori consulere, totique Christiano populo prouidere. Statuimus etiam vt si quis omninò clericus, cuiuscumque professionis vel ordinis post interdictum nostrum diuinum tibi præsumpserit officium ministrare, ordinis & beneficij sui se nouerit periculum incurrisse. Attendas igitur (fili charissime) nostram & Apostolicæ sedis tuæ matris affectum, causam coactionis inspicias, & communi vtilitati prospiciens, motui carnis animæ præpone salutem, & sensualitati præferas rationem: non Apostolicæ sedi Regia potestate resistens, sed humilitate deferens filiali: quæ in hoc etiam salutem tuam procurat pariter, & honorem.

NOBILI *viro* RAIMVNDO *Comiti Tholosano, vt contrà paganos arma suscipiat.*

VIII.

CVM in tantùm te olim oriens ex alto respexit, & tenebras tuæ mentis lux illa dignata fuerit illustrare, quæ illuminat hominem venientem in hunc mundum, vt reconciliatus fueris Ecclesiasticæ vnitati, à qua fueras ob tuorum excessuum multitudinem separatus, deberes resurgere fortior, & præteritorum abun-
C dantiam delictorum satisfactione sic plenaria compensare: vt nouum meriti singularis præconium veteris nequitiæ deleret infamiam, & vitiorum notam virtutis titulus oboleret. Ne autem negligentiam tuam possis aliquatenus excusare, ac ne non subesse causam alleges, in qua militarem valeas industriam in diuinis obsequiis exercere, se ipsum Dominus denuò tradi passus est in manibus peccatorum, & hæreditatem suam se ipso exule occupari: vt quanti eum facias in instantis articulo necessitatis ostendas; & an pro ipso te ipsum abneges, & tollas crucem eius & ipsum sequaris, qui pro te semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis, omnibus manifestet. Sanè si nec timor Domini, nec fidei Christianæ religio, nec communis vtilitas populi Christiani ad id tuam industriam commoueret, egregiæ tamen recordationis. N. quondam aui tui memoria te ad terræ orientalis subsidium inducere potuisset: vt in partibus illis eius exemplo perpetuæ tibi laudis titulos compares, & auitæ virtutis præconium in paganorum excidium redoleres. Vt igitur præter diuinam gratiam peccatorum tuorum veniam, & Apostolicæ protectionis præsidium, quæ in suis illis expensis proficiscentibus indulgemus, & argumentum æternæ coronæ, quod insuper pollicemur à Domino merearis, rogamus nobilitatem tuam, monemus & hortamur in Domino, & in remissionem iniugimus peccatorum, quatinus signum viuificæ crucis assumas, & in satisfactionem criminum, quæ hactenus commisisti, ad partes transeas trans-

marinas: vbi funiculum hæreditatis Christi, & iura populi Christiani deffendas, & impugnes barbariem paganorum. Credimus enim, & de diuina miseratione speramus, quod si (quod optamus) in humilitate cordis & corporis, iter fueris peregrinationis aggressus, is, qui piis aspirat propositis, diriget gressus tuos, & de inimicis crucis laudem tibi victoriæ, sicut quondam auo tuo, misericorditer largietur. Si autem in persona propria non poteris transfretare, vt aliquod saltem Apostolicæ remissionis beneficium consequaris, iuxta quod tantum principem decet, certum vltrà mare dirigas numerum bellatorum: vt vel per alios facias, quod per te non poteris adimplere. Datum Lateran. II. nonas Nouembris. A

PHILIPPO *Illustri Regi Francorum; Qua initas inter ipsum & Anglorum Regem treugas approbat, & hortatur illum, vt eas fortiter obseruet.*

IX.

QVI operatus est Petro in Apostolatu, nobis per ipsum operari & cooperari dignatus est, dum ad aduentum dilecti filij nostri Petri sanctæ Mariæ in via latea Diaconi Cardinalis, Apostolicæ sedis Legati, terra cordis tui venientem super se imbrem deuotè suscepit: & fulcata vomere prædicationis, ipsius semen verbi Dominici & recepit hilariter, & in fructum vberiùs pullulauit. Ne autem fructus ipse, qui adhuc quasi viret in flore, inimico homine super seminante zizania, quod absit, valeat suffocari: ne semen suprà Petram cecidisse credatur, si antequam ad plenam veniat maturitatem, arescat: cum secundum Apostolum non auditores legis, sed factores iusti sint apud Deum & alibi. Auditor verbi, & non factor viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo comparetur: nec sufficiat incipere bonum, nisi & perseueretur in ipso, quoniam non qui inceperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Oportet magnificentiam Regiam cauere præcipuè consilia detractorum qui pacis consilium odientes, scandala suscitant, & nutriunt suscitata: qui lætantur cum malè fecerint, & in rebus pessimis gloriantur. Cum igitur sicut ex litteris eiusdem Legati & tuis accepimus inter te, & charissimum in Christo filium nostrum Richardum Anglorum Regem illustrem treugæ firmatæ sint, pariter & receptæ quinquennes, nos treugas ipsas iuxta mandati nostri tenorem initias & firmatas, ratas habemus, & præcipimus inuiolabiliter obseruari: Serenitatem tuam rogantes, monentes; & exhortantes in Domino, & in remissionem tibi peccaminum iniungentes quatenus & treugas obserues prædictas, & ad tractatum pacis eidem Legato nostro auditum præbeas facilem, & benignum vt sicut inclitæ recordationis Ludouicus pater tuus pacem colere videaris, & Romanam Ecclesiam honorare. Noueris autem nos eidem Cardinali authoritatem plenariam indulsisse, vt quicquid super treugis iam initis, & concordia ineunda, seu aliis, quæ contingunt vtrumque, vel alterum prædictorum, vel in coactione contumacium, vel pœna transgressorum, & aliis quibuslibet ad hoc pertinentibus viderit statuendum, statuat apellatione remotâ, & faciat inuiolabiliter obseruari: Vniuersis etiam Archiepiscopis & Episcopis constitutis tam in regno Franciæ, quàm Anglorum, districtè præcipiendo mandamus, vt omnia, quæ prædictus Cardinalis, propter prædicta statuerit, humiliter recipiant, & App. postposita studeant obseruare, alioquin, sententiam, quam in eos tulerit, ratam habebimus & faciemus, dante Domino inuiolabiliter obseruari. Datum Lateran. VII. Cal. Aprilis, Pontificatus nostri anno II.

B C

EPISCOPO *Tusculano Apostolicæ sedis Legato: Dolet quod quidam Barones Franciæ aliquid graue contrà libertates Ecclesiæ statuerint, & scribit, vt eos excommunicatos denuntiet, aut denunciari faciat per Prælatos.*

X.

INNOCENTIVS *Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Episcopo Tusculano Apostolicæ sedis Legato salutem & Apostolicam benedictionem.* Angustiæ nobis sunt vndique

A vndique dum persecutoris Ecclesiæ crudelem impietatem attendimus, dum eiusdem opera, qui ad absorbendum eam per se ac membra sua totis conatibus inhiat, cogitamus. Sed illud nos pungit profundiùs, ferit acerbiùs, quòd illi, de quibus, vtpote Catholicis maximam habebamus fiduciam, & in quibus præcipuè vigere tam fides quàm deuotio credebatur, quorumque progenitores fide feruentes, deuotione sinceri, Ecclesiam non solùm defensarunt ab aliis, verumetiam ampliarunt diuitiis, & multis libertatum priuilegiis munierunt; contra eandem Ecclesiam nouæ ac prorsus insolitæ adinuentionis genere machinantur. Nec est mirum, si de hoc dolemus potissimè, tum propter exempli perniciem, quam assumènt exindè aliæ nationes; tum pro eo quòd amicorum offensæ plus aggrauant, plusque lædunt, testante Domino per Prophetam. *Si inimicus meus maledixisset mihi, supportassem vtique.* Satis quidem sufficiebant ad præsens afflictiones, quas Ecclesia patitur, insultus quibus impetitur, & turbationes quibus iugiter ab inimico homine vbilibet superseminante zizania molestatur. Non erat necesse, vt quidam ex Baronibus Franciæ afflictæ afflictionem adicerent, ipsam nouis Constitutionibus, vel potius destitutionibus perturbantes. Qui, sicut dolentes audiuimus, & miramur, Ecclesiam, quæ ipsos ex vtero sanctificationis regenerauit in filios, ac pro eorum salute immaculatum agnum offert iugiter Deo Patri, in seruitutem cupientes redigere, vt iam
B nolint vocari filij liberæ, sed ancillæ, imò sponsam Regis æterni, qui ipsos suo sanguine à seruitute perpetua liberauit, conantes miserabiliter ancillare, communi coniuratione ac conspiratione contra libertatem ipsius plura, sicut dicitur, grauia & enormia statuerunt, quæ ius & consuetudinem prædictæ libertatis absorbent, Ecclesiæ honorem elidunt, scandalum pariunt, & pericula generant animarum. Sanè, si negotij qualitas diligenter attenditur, si status rerum æquali meditatione pensatur, honori vel strenuitati eorumdem Baronum non expediebat hoc tempore aggredi sanctam Ecclesiam in tali articulo constitutam, cùm ingenui circumscripto timore diuino ex magnanimitate quadam oppressis, eorum etiam si quæ præcesserant non memorantes iniurias, subuenire soleant, eisque in necessitate manum porrigere adiutricem. Verùm, si dicti Barones diligenter adtenderent, quòd Carolus Magnus Ecclesiam, à qua omnem honorem susceperat, cupiens honorare, perpetua lege decreuit vt omnes ipsius iuridictioni subiecti statutum à Theodosio Imperatore pro Ecclesiæ libertate editum inuiolabiliter obseruarent. Videlicet vt quicumque litem habens, siue petitor fuerit, vel initio litis, vel decursis temporum curriculis, siue cùm negotium peroratur, siue cùm iam cœperit promi sententia, si iudicium elegerit sacrosanctæ Sedis Antistitis, illicò sine aliqua dubitatione, etsi pars altera refragatur, ad Episcoporum iudicium cum sermone litigantium dirigatur, & omnes causæ, quæ prætorio, & etiam ciuili iure tractantur, Episcoporum terminatæ sententiis, perpetuæ robur obtineant firmitatis, & negotium, quod iudi-
C cio ipsorum deciditur, nequaquam vlterius ab aliquo retractetur. Ex quo manifesta potest ratione perpendi, quàm iniquum videatur & absonum, si honor Ecclesiæ, quæ tam grandis libertatis priuilegio donata dinoscitur, in illis immunitatibus, quæ multò prædictis noscuntur esse minores, his temporibus decurtetur. Si alias Barones ipsi pensarent, quòd omnes qui præsumunt statuta condere contra Ecclesiasticam libertatem, sunt ipso facto excommunicationis sententiâ innodati: forsan non processissent ad talia, nec etiam perstiterint in eisdem. Sed quia fortassis ad eorum non peruenere notitiam, vt occasio de ignominia, & quòd non fuerint moniti, omninò tollatur, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsa eis, quo desistant ab huiusmodi, per te vel alium Prælatorum requisito consilio nuncians & exponens, ac eos ad id monens attentiùs, & inducens, Congregationi eorumdem Prælatorum, qui ob hanc causam sicut accepimus venire debent, studeas, sublato cuiuslibet difficultatis & moræ dispendio interesse. Prælatos eosdem, quòd viriliter in defensione libertatum & iurium suorum se habeant, ad quod eis, cùm nos tanquam caput tangat principaliter, omnimodum impendemus consilium & auxilium, inducturus. Ceterùm cùm per prædicta ab eisdem Baronibus attemptata videatur non tam libertas Ecclesiastica quàm status totius Ecclesiæ immutari, idque credatur ab inimico homine adspirante ad subuersionem fidei procuratum: Volumus, & de consilio fratrum nostrorum mandamus, vt super hoc procedere debeas isto modo. Primò denuncies & denunciari facias excommunicatos

omnes illos, qui seruari fecerint statuta edita & consuetudines vel potius abusiones A
introductas contra Ecclesiæ libertatem. Item excommunicatos nuncies & nunciari facias statularios & scriptores statutorum ipsorum, nec non Barones & Dominos terrarum, ac alios nobiles, potestates, consules, Rectores, & Consiliarios locorum, vbi huiusmodi statuta vel Consuetudines edita fuerint vel seruata. Nec non & illos, qui secundum ea præsumpserint iudicare vel in publicam formam scribere iudicata. Item nuncies & nunciari facias prædicta statuta nullius esse momenti, & iuramenta super eis obseruandis præstita prorsus illicita. Et ideò illos qui præstiterint, ad obseruationem iuramenti huiusmodi non teneri. Item excommunices omnes illos, qui societatem coniurationis huius intrauerunt vel intrabunt, aut procurauerunt vel procurabunt aliorum ingressum, nisi penitus resipiscant. Item excommunices omnes illos, qui pro huiusmodi statutis seruandis centesimam redituum suorum soluent, vel colligent, aut recipient per se, vel per alium, seu ad soluendum inducent alios vel compellent; vel ad id dederunt vel dabunt consilium, auxilium, vel iuuamen. Item excommunices omnes illos, qui occasione coniurationis huiusmodi Prælatos impedient vti iurisdictione Ecclesiastica in casibus in quibus eis competit de iure vel consuetudine approbata. Item excommunices omnes illos B
qui impedient, turbabunt, seu molestabunt agentes, respondentes, assistentes, patrocinantes, vel iudicantes in foro Ecclesiastico in casibus supradictis. Nec non & illos, qui eorum propria quos in personis vel rebus præsument occasione huiusmodi molestare. Nonobstantibus aliquibus indulgentiis seu priuilegiis quibuscumque personis ab Apostolica sede concessis, vt in eas, vel in earum terras excommunicationis & interdicti sententiæ ferri non valeant, absque ipsius Sedis licentia speciali. Quòd si forsan inuenti fuerint aliqui pertinaces, nouerint quòd omni priuilegio ab Apostolica Sede obtento, & feudis si qua tenent ab Ecclesiis priuabuntur, eorumque proles ad Clericatum vel Ecclesiasticum beneficium seu dignitatem minimè assumetur. Clerici quoque, qui cum prædictis permanent, nisi incontinenti post publicam monitionem tuam ab eorum recedant obsequio & consilio, omnibus Ecclesiasticis beneficiis & etiam Clericatus priuilegio nudabuntur. Datum Lugduni II. Non. Ianuar. Pontificatus nostri anno IIII.

ILLVSTRI REGINÆ FRANCORVM.

Consolatur Reginam à Rege post repudium admissam, ac neglectam.

XI.

SVPER Amaritudine in qua es, paterno tibi compatientes affectu, Serenitatem C
tuam consolando monemus, vt quæ alios cum Rege consorte tuo per matrimonialem ipsius copulam accessisti rectura veneranda Regina tui, te regas in imminentis pugnæ molestia, per quam Deus tuam voluit examinare virtutem: sic in omnibus quæ aduersa videntur & dura, te formans, vt plus ex formidine mentis ea, quam ex necessitatis instantia perferendo, non tam pareas, quam super his assentias voluntati diuinæ. Nec vnquam tristis excipiens quod acciderit contra votum, tributum tuum hilaris, non inuita persoluas. Attendens, quod vniuersa quæ in miseriæ huius mundo à quocunque penduntur, quasi quædam necessaria sunt humanæ vitæ tributa, quorum immunitatem nemo poterit cum effectu, vel petere, vel sperare. Quapropter, charissima in Christo filia; de tua te consolare fortuna, & animum induendo virilem, ab ipsius constantia non recedas; vt quasi de proprio facto conquesta, illud tibi gemas accidere, quod multis indignioribus non videris euenire. Cum enim sine aduersario virtus marceat, quæ quanta sit, aut quid valeat, tunc apparet, cum illam patientia manifestat: in exagerationem doloris, nequaquam est peruertendum, quod verius potest ad consolationis materiam imputari. Pater quippe cælestis carnalium more parentum, non educantium filios in deliciis, quos intendunt ad virtutem componere; te per hæc voluit experiri, & sibi, non tanquam delicatam, sed sicut electam filiam præparare. Quà de re periculosius reputans, quod in reprobis alitur audacia per licentiam, quàm quòd virtus per disci-

A plinam proficit in electis: patientiam tuam feras humiliter exerceri. & quia patientibus patienter passio non est pati; sic æquanimiter sustineas vniuersa, quod ille in cuius manu cor Regis est, & quocumque voluerit vertet illud, humilitatis tuæ merito prouocatus, non solum aduersitatis causa submota conciliando tibi animum viri tui tuam remuneret patientiam, verum etiam gratia sui, qui verus sponsus est fidelium animarum, expectationis tuæ angustiam recompenset. Secura de nobis quod in quibus oportuerit & decuerit, nequaquam tibi suffragium fauoris Apostolici subtrahemus. Datum Lateranij. Non. Maij. Pontificatus nostri anno tertio decimo.

NOBILI MVLIERI BLANCHÆ COMITISSÆ CAMPANIÆ.

Compositionem inter eam, & Philippum Regem Franciæ confirmat.

XII.

B IVSTIS petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter, dilecta in Christo filia, tuis iustis postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem inter te ac charissimum in Christo filium nostrum Philippum Regem Francorum illustrem, super custodia nati tui, & ab ipso nato eidem Regi hominio faciendo, & quibusdam aliis articulis initam, sicut prouide facta est, & ab vtraque parte sponte recepta, & iuramento formata, & in autenticis exinde confectis plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Lateran. x. Kal. Decembris, anno XIII.

NOBILI VIRO COMITI THOLOSANO.

Vt iuxta promissionem Hæreticos de suis terris eijciat.

XIII.

C NON decet tanti nominis virum, supra iustis promissionibus suis desistere, vel tepere, quin eas sic studiosus adimpleat, prout factas sibi desiderat promissiones impleri. Cum igitur de terris tuis hæreticos promiseris amouere, miramur non modicum, & dolemus, quod ipsi adhuc in terris eisdem, sicut accepimus tua faciente negligentia, ne te permittente dixerimus, commorantur. Quia vero præter animæ tuæ periculum, quod ex hoc posses incurrere, graue famæ tuæ dispendium patereris: nobilitatem tuam rogamus; monemus attentius, & hortamur, per Apostolica tibi scripta mandantes; quatenus exterminare à terris eisdem hæreticos, prout te coram nobis promisisse recolimus, non postponas. Alioquin exterminatoribus eorumdem, terras ipsorum noueris esse concessas diuino iudicio possidendas. Datum Lateran. XVI. Kalendis Ianuarij, anno XIII.

NOBILI VIRO SIMONI COMITI LEICESTRIÆ DOMINO MONTIS-FORTIS.

Vt censum Apostolicum de terris Hæreticorum exigat.

XIV.

VT tuæ nobilitatis deuotio, quam expertam habemus in multis, nobis sit semper obnoxior: ea tibi duximus committenda per quæ nobis, & Apostolicæ

Sedi possis, & debeas amplius complacere. Ideoque nobilitati tuæ, de qua plene confidimus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus cum fideliorem te non possimus in ipsis partibus inuenire, istud onus pro nobis assumas, vt censum trium denariorum quos de vna quaque domo, de terra contra hæreticos acquisita, Sedes Apostolica debet recipere annuatim, fideliter colligas, & reserues: ipsum nobis per fidelem nuncium transmisurus, vel assignaturus eis, quibus per nostras litteras tibi duxerimus iniungendum. Datum Lateran. XV. Kal. Ianuarij, anno XIII. A

PHILIPPO ILLVSTRI REGI FRANCORVM.

Vt Episcopus Aurelianensis, & Autissiodorensis restituat Regalia saisita.

XV.

CVM alij Reges, & principes rationes & libertates Ecclesiasticas persequuntur; nos, fili Christianissime, te illis obiicimus in exemplum; quod eas in regno tuo custodis illæsas, propter quod & Dominus iustus iudex, te, ac regnum B tuum hactenus custodit illæsum, quin etiam magnifice augmentauit, nec augmentare ac custodire desistet, quandiu tu, & hæredes tui fideliter curaueritis in hoc laudabili proposito permanere; quod & apud Deum est meritorium, & apud homines gloriosum. Nam si ad Regna vicina pariter, & remota oculos tuæ considerationis extendas, manifeste videbis quam grauiter Deus illa contriuerit, quorum rationes, & libertates Ecclesiasticas infringere præsumpserunt. Nuper autem, quod dolentes referimus, nostris est auribus intimatum, quod tua Regalis sublimitas contra Ven. fratres nostros Autissiodorenses & Aurelianenses Episcopos indignata; rem agi præcepit non vtique sui moris, sed nec etiam sui Iuris, dum eorum saisiri fecisti Regalia, immo etiam quædam alia, præter illa; cum nec dum de aliquo forisfacto confessi fuerint, vel conuicti, nec etiam ad satisfaciendum commoniti, vel inducti: leui occasione prætensa, quod quidam eorum milites in tuo exercitu constituti ad locum quem eos adire præceperas, ire cum aliis noluerunt, absentibus eisdem Episcopis per licentiam à te liberaliter impetratam. Et cum tam per se ipsos, quàm etiam per Venerabiles fratres nostros Senonensem Archiepiscopum, & Coëpiscopos suos tibi humiliter supplicauerint, vt faceres eis reddi Regalia sic subtracta, paratis postmodum curiæ tuæ subire iudicium, sicut in talibus fieri consueuit. Tu supplicationes eorum admittere noluisti, sed cogis eos miserabiliter exulare; propter quod ipsi de prudentum virorum consilio, terram tuam in eorum Diœcesibus constitutam supposuerunt Ecclesiastico interdicto, sed nec sic potuerunt à te satisfactionem aliquam obtinere, inde coacti sunt Apostolicum Patrocinium implorare. Quo circa Serenitatem tuam Rogandam duximus, & monendam in remis- C sionem tibi peccaminum iniungentes; quatenus pro diuini nominis gloria, & Apostolicæ Sedis honore facias præfatis Episcopis subtracta restitui vniuersa, & eis secundum consuetudinem approbatam iustè ac modeste tractari. Donando nobis intercedentibus pro Deo; & propter Deum si quam præfati Pontifices aduersum te commiserunt offensam, ne hac occasione contingat inter regnum, & sacerdotium scandalum exoriri, quia nos in maioribus tibi curabimus grata fauente Domino vicissitudine respondere. Datum Lateran. XVIII. Kal. Ianuarij Pontificatus nostri anno XIII.

ARCHIEPISCOPO SENONENSI ET SVFFRAGANEIS EIVS.

Narrata causa mandat, vt ad pacem cum Aurelianensi & Autissiodorensi Episcopo Regem Franciæ hortentur.

XVI.

ILLE sinceræ dilectionis affectus, qua charissimi in Christo filij nostri Philippi Regis Francorum illustris zelamur salutem, nos vehementer inducit, vt si quando contra

A contra rationes, & libertates Ecclesiasticas, quas in regno suo illæsas hactenus custodiuit, aliquid dicitur commisisse, apud ipsum opportunè, importunè, monitis & precibus insistamus. Quatinus illius intuitu in cuius oculis nuda sunt omnia, & aperta, qui propter progenitorum suorum deuotionem, & suam, Ecclesiæ suæ reuerenter exhibitam, Regnum suum custodiuit illæsum; quin etiam magnifice augmentauit, contritis grauiter regnis illis, quorum Reges, rationes, & libertates Ecclesiasticas infringere præsumpserunt; illud corrigat & emendet, vincens salubriter semetipsum, pro Deo & propter Deum, cum sic vinci, sibi non cedat ad dedecus, sed potius ad honorem, sintque nihilominus sibi apud homines magis quam vincere gloriosum. Sane cum dudum nostris fuisset auribus intimatum, quod ipse contra Ve. F. N. Antissiodoren. & Aurelianen. Episcopos indignatus rem agi præceperit, non vtique sui moris, sed nec etiam sui iuris eorum faciens saisiri Regalia, nec non etiam quædam alia præter illa, licet nundum essent confessi de forisfacto aliquo, vel conuicti, nec ad satisfaciendum commoniti, vel inducti. Pro eo quod quidam milites eorundem in suo exercitu constituti, ad locum quem eos adire præceperat, cum aliis accedere recusarunt; absentibus ipsis Episcopis per licentiam ab ipso liberaliter impetratam; ac super his ipsorum, & vestris supplicationibus minime acquiescens coëgerit illos miserabiliter exulare. Nos Serenitatem suam rogandam duximus, & monendam, & in remissionem sibi suorum iniunximus peccatorum, vt pro diuini nominis gloria & Apostolicæ Sedis honore, faceret præfatis Episcopis subtracta vestitui vniuersa, & eos secundum consuetudinem approbatam iustè, ac modestè tractari, donando nobis intercedentibus, pro Deo & propter Deum, si quam præfati Pontifices aduersus eum commisissent offensam, ne hac occasione contingeret inter regnum & Sacerdotium scandalum suboriri; quia nos in maioribus curaremus grata eidem faciente Domino vicissitudine respondere. Ipse vero inter cætera per suas literas se excusauit, quod alia quàm Regalia saisiri non fecerat, nec ipsos coëgerat exulare, cum liberè possent, & in suis Diœcesibus commorari, & si super his curiæ suæ vellent subire iudicium, quod quandoque acceptarent audire, ob reuerentiam nostram condonare paratus erat emendam, si forsitan tenerentur sibi aliquam exhibere. Licet autem eidem Episcopi in regno suo libere commorentur, ex eo tamen exules possint dici, quod à propriis domibus sunt eiecti & rebus aliis spoliati. Alia etiam quam Regalia saisisse videtur: cum domos Episcopales quæ eadem immunitate, quâ Ecclesiæ gaudent, & eorum Vtensilia, & mobilia vndecumque deducta fecerit occupari. Iudicium autem spoliati subire non debent, cum & generali sicut accepimus, consuetudine Regni sui, fidelis à Domino sine iudicio spoliatus, nec diem ab ipso super spoliatione sua, vel alio teneatur recipere, ne in ipsius curia experiri, nec etiam vinculum fidelitatis seruare. Cum igitur super prædictis se duxerit excusandum, & illud silendo transierit, quod eorum fecit saisiri Regalia, cum nec dum de aliquo forisfacto confessi fuerint vel conuicti; nec etiam ad satisfaciendum commoniti, vel inducti, tacite id concessisse videtur. Quod etiam ex tenore litterarum suarum, quas præfatis Episcopis direxit euidenter apparet, in quibus continetur expresse, quod militibus eorum præceperat vt irent cum Baronibus illis, quos ad quendam locum duxerat destinandos: & quia illi ad præceptum ipsius illuc accedere noluerunt, dixit ipsos Episcopos erga se de exercitu defecisse, & propterea illorum saisiuit Regalia & illa quæ in eis pertinent ad Iurisdictionem terrenam. Vnde præsumitur, quod in causa, & modo minus ordinatè processerit contra eos, cum pro aliena culpa, videlicet militum, si qua fuit, spoliasset eosdem non conuictos, nec monitos vel citatos. Verum quia suæ saluti magis expedit, & honori, vt intuitu pretiosi sanguinis Iesu Christi, quo sibi sponsam suam Ecclesiam videlicet desponsauit, eidem condonet, si ab ipsius ministris in ipsum aliquid sit commissum; quam illi molestiam inferat indebitam, vel grauamen. Apud eum iterata partium instantia duximus insistendum, excellentiam Regiam rogantes attentius, & monentes, hoc à sua magnificentia petentes in donum: vt pro reuerentia nostra Iudicio supersedeat, saluo iure tam illorum quam suo illosque restituat, donata nobis emenda, sicut per litteras suas promisit, si quam sibi exhibere tenentur. Vt ex quo intendit facere nobis gratiam, faciat eam plenam, prout eum facere, ac nos recipere decet: ita quod propter hoc magnificentiæ suæ grata teneamur vicissitudine respondere. Credentes igitur prudentiam, &

sollicitudinem vestram apud eundem Regem posse proficere in hac parte; fraternitati vestræ per iterata scripta præcipiendo mandamus; quatinus dictum Regem ad ea quæ pacis sunt sollicitè ac prudenter rogantes ipsum sedulis exhortationibus, & monitionibus inducatis, vt nostris precibus acquiescens exequatur promissa liberaliter, ac libenter, vt ex hoc diuinam consequatur gratiam in præsenti & gloriam in futuro. Exhibentes auctoritate nostra suffulti prædictis Episcopis auxilium, & consilium necessarium, ad libertatem Ecclesiasticam conseruandam. Ita vt non timeatis de timiditate, vel remissione redargui, sed de rigore, ac sollicitudine commendari. Datum Lateran. 2. Idus Maij Pont. N. Anno XIV. A

SCRIPTVM est in eundem fere modum super hoc Regi. Vsque grata teneamur vicissitudine respondere. In eundem fere modum. vt supra scriptum est. Carnoten. & Trecen. Episcopis & dil. fil. Vu. Archidiacon. Parisien. vsque gloriam in futuro, ac sollicitudo & diligentia vestra clareat in effectu, cumulusque vobis ex hoc æternæ retributionis accrescat, & nos deuotionem vestram possimus non immerito commendare. Datum vt in alia.

ARCHIEPISCOPO SENONENSI ET EPISCOPO ET DILECTO FILIO DECANO TRECENSI. B

Mandat vt si controuersia Aurelianensis Episcopi, & Camerarij Regis Francorum ad secularem Iudicem spectet, vtpote de feudo Regio, laxent sententiam interdicti.

XVII.

SICVT dilectus filius Nobilis vir Vrsio Camerarius carissimi in Christo filij nostri Philippi Francorum Regis Illustris, transmissis nobis suis litteris indicauit. Cum à Venerabili fratre nostro Aurelianensi Episcopo super duobus feodis, quæ dicebat ad se dictus Episcopus pertinere, coram dilecto filio Decan. Carnoten. & coniudicibus suis authoritate nostra traheretur in causam. Memoratus Episcopus proposuit in ipsorum iudicium præsentia contra ipsum: quod domum quandam eorum feodorum alteri pertinentem, idem Camerarius deuastarat, deportans ibidem inuenta pro libito violenter; & alterum feodum occupans minus iuste, licet dictus Episcopus de suis hominibus nunquam sibi debitam iustitiam denegasset. Propter quod, & domum reædificari destructam, cum ablatorum restitutione, ac feodum taliter occupatum, sibi ab eodem restitui cum instantia postulabat. Sed ad hæc ex parte ipsius responsum fuit taliter ex aduerso quod non debebat super his coram ipsis iudicibus litigare, pro eo quod si quid in ipsis, vel de ipsis feodis fecerat, prætectu Castellaniæ de Mereuilla potuit fecisse licenter, & id tanto tempore obtinuerat, quod non extabat memorialiter esse factum. Præposuit insuper, quod ipsam Castellaniam de feodo Regio possedebat; & tale ius erat Castellaniæ ipsius, quod si quis infra eiusdem metas homicidium perpetraret, Dominus Mereuillæ in homicidam exercens publicam vltionem, non tantum bona ipsius capere, verum etiam suas potest possessiones positas infra metas dictæ Castellaniæ diripere, siue in feodum, siue modo alio illas à quocumque teneat homicida; & id sibi etiam licet illi facere, vel inferre, qui dicto Domino Castri Meruillæ debitam custodiam denegare. Propter quæ si domum vastauerat memoratam, sibi vendicatis bonis, in homicidam, cuius erat ipsa, vindictam publicam exequendo, & de feodo alio pro eo quod ipsi debita dicti castri custodia negabatur, se posuit in sasinam, nullam ob hoc dicto Episcopo iniuriam irrogabat: Immo in his vtebatur potius iure suo. Præsertim cum in præsentia dicti Regis de feodo ipso dicto Episcopo esset Iustitiæ plenitudinē obtulerit se facturum: & ipsum Regem asseruerit inhibuisse sibi ratione Domini viua voce, ne de præmisso feodo spectante ad ipsum, non nisi coram eo alicui responderet. exhibens litteras eiusdem Regis monitorias iudicibus memoratis, vt præfato supersederent negotio, quia paratus erat eidem Episcopo super feodo iustitiam exhibere, sed causam ipsam ad eundem Regem remitterent audiendam. Sed ipsi Iudices non contestata lite, ipsius Camerarij exceptiones huiusmodi minime admittentes, terram suam sub interdicti sententia posuerunt, propter quod grauamen, C

idem

A idem camerarius verebatur ne aduersus eum præsumerent grauiora. Quocirca discretioni vestræ per Apos. scrip. mandamus, quatinus si vobis constiterit cognitionem, & derisionem ipsius negotij, non ad Ecclesiasticum, sed ad secularem iudicem pertinere, ipsumque camerarium paratum fuisse hoc in delegatorum præsentia comprobare: vos interdicti sententiam prolatam ab eis in terram ipsius, faciatis sublato appellationis obstaculo non seruari. Nullis litteris veritati, & iustitiæ præiudicantibus, à sede Apostolica impetratis. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea, &c. Datum Lateran. XVI. Calen. Decembris. Pont. N. anno XIV.

ILLVSTRI REGI FRANCIÆ.

XVIII.

INNOCENTIVS *Episcopus seruus seruorum Dei Charissimo in Christo filio* PHILIPPO *illustri Regi Franciæ salutem & Apostolicam benedictionem.* Nouerit Regalis pru-
B dentia, quòd Tholosanus Comes dudum ad præsentiam nostram accedens se super Hæretica prauitate visus est multipliciter excusare. Vnde nos ad petitionem ipsius Legatis nostris rescripsimus, vt denunciatione solemniter facta, nisi contra eum legitimus accusator infra certum terminum compareret, ipsi congregato Concilio canonicam purgationem indicerent: qua recepta, non permitterent eum super huiusmodi crimine propulsari. Alioquin ipsum tanquam Hæreticum Ecclesiastica districtione punirent. Scimus autem quòd purgationem non præstitit, sed vtrum per ipsum steterit ignoramus. Quanquam vniuersaliter prædicetur, quòd ipse in partibus illis pro Hæretico habeatur. Vnde terram suam penè totam amisit. Nosque Legatis nostris iniunximus, vt terram ipsam ad eorum quibus pertinet opus diligenter faciant custodiri. Nos igitur ad tuæ petitionis instantiam Legatis nostris super hoc negotio litteras Apostolicas destinamus, quales ad tuum commodum & honorem credimus expedire. Super negotio quoque venerabilium fratrum nostrorum Autissiodorensis & Aurelianensis Episcoporum, hoc tuæ Regali prudentiæ innotescat, quòd cùm tu sine curiali iudicio nolis remittere pœnam quam eisdem Episcopis intulisti, nec nos absque iudiciali cognitione valemus salua iustitiâ reuocare sententiam interdicti, quam in terram tuam ijdem Episcopi protulerunt. Sed sicut dudum rogauimus, ita nunc quoque rogamus, vt postposito vtrimque iudicio, quia certè sic expedit, negotium amicabiliter sopiatur. Verumtamen scribimus super hoc venerabili fratri nostro Archiepiscopo Senonensi secundum formam quam prouidimus oportunam. Datum apud Criptam ferratam XIII. Cal.
C Sept. Pontificatus nostri anno XIV.

MAGISTRO RAINATO DE CORZON. CANONICO, PARISIENSI, ET CONIVDICIBVS SVIS.

Ob iustam causam dat dilationem exequendi voti Domino de Auesnis.

XIX.

DILECTVS filius nobilis vir Walterus Dominus de Auesnis transmissa nobis petitione monstrauit; quod cum affixo suis humeris signo crucis ad subsidium terræ sanctæ vouerit proficisci, & se ad iter peregrinationis accinxerit exequendum. B. Subdiaconus frater suus, Cantor quondam Ecclesiæ Laudunensis qui deuastauerat, Dei timore postposito, & abiecto habitu clericali, hostiliter terram suam incendio multiplici, & rapinis accinctus balteo militari, ab ipso Waltero monitus assecurare voluit vsque ad eius reditum dictam terram. Sed ab eo recedens animo indignandi, eidem fratri, ac eius terræ grauiter aduersatur. Vnde cum ea dicessu suo irreparabile damnum per ipsum B. sibi, ac eius terræ timeat prouenturum, nobis hu-

militer supplicauit, vt propter necessitatem huiusmodi, ad exequendum votum A
emissum, sibi & familiæ suæ concedere dignaremur inducias competentes. Vnde nos venerabilibus fratribus nostris. Suessionensi & Meldensi Episcopis, & dilecto filio .... Abbati Longi Pontis, Suessionensis Diœcesis nostris dedimus litteris in mandatis, vt authoritate nostra dilationem exequendi votum peregrinationis prædictæ, quandiu eis constiterit durare huiusmodi, absque dolo & fraude, necessitatis articulum, concedant eisdem, ipsum & familiam suam non permittentes supra hoc ab aliquo molestari. Ita quod eo cessante ad nostrum consilium, & mandatum reddat Domino quod promisit, in terræ sanctæ subsidium properando. Et interim ad subuentionem ipsius iuxta possibilitatem suam, quemadmodum cum fratre Aimaro Thesaurario domus militiæ Templi Parisiensis cui supra hoc scribimus, poterit conuenire competens mittat subsidium. Cum sicut pro certo didicimus, eo plus solito indigeat ipsa terra. Ne igitur occasione cautionis, quam recepistis ab ipso, cum relaxastis excommunicationis sententiam, quam pro eo quod votum non exequabatur emissum, tulistis in eum, mandatum nostrum valeat impediri: præsentium vobis authoritate mandamus, quatinus permittatis, vt iuxta prædictam formam in ipso negotio procedatur. Datum Lateran. III. idus Decembris Pont. B
N. anno XIV.

ARCHIEPISCOPO SENONENSI.

Vt Regem Francorum moneat ad pacem Ecclesiasticam, & Episcoporum spoliatorum interdicti sententia seruetur.

XX.

EX serie litterarum quas ad petitionem Charissimi in Christo filij nostri Philippi Regis Francorum illustris tibi transmisimus, pro relaxanda sententia interdicti, quam venerabiles fratres nostri. Aurelian. & Autissiodoren. Episcopi tulerant in diœceses suas, perpendere potuisti; & etiam ipse Rex ex litteris, quas ipsi direximus cognoscere voluit manifeste. Quod intentionis nostræ non fuit, vt sine causæ cognitione in negotio ipso procederes, sed potius vtriusque partis rationibus auditis, & cognitis iuxta traditam tibi formam, negotio finem imponeres competenter. Verum quia prætermissa forma iudicij, sicut ex parte ipsorum Episcoporum fuit propositum coram nobis, in eodem negotio procedebas: ijdem ad sedem Apostolicam apellarunt. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta præcipiendo C
mandamus quatinus in statum pristinum reuocato, si quid post apellationem ad nos legitimè interpositam in eorundem Episcoporum præiudicium extitit attentatum; præfatam interdicti sententiam non permittas à quoquam temere violari. Sed litteras quas eidem Regi dirigimus, tu ipse sibi fideliter, & prudenter exponas: monens eum efficaciter, & inducens vt pro diuini nominis gloria & Apostolicæ sedis honore, pacem in regno suo conseruet Ecclesiis, quæ nunc in multis aliis mundi partibus peccatis exigentibus perturbatur. Datum Lateran. III. Non. Maij. Pont. N. anno XV.

PHILIPPO ILLVSTRI REGI FRANCORVM.

Rogat vt à relaxata interdicti sententia, in Curia Regia, de defectione Episcoporum Aurel. & Autissiodoren. cognoscatur: ipsis primum restitutis.

XXI.

EO te credimus erga Dominum Deum tuum, & sanctam eius Ecclesiam feruore deuotionis accensum; sicque libertates Ecclesiasticas illibatas velle, vt virum

A virum Catholicum, custodiri; quod si litteræ nostræ, quas pro venerabilibus fratribus nostris... Aurelianensis. Et... Autisiodorensis Episcopis, Regiæ Serenitati direximus, expositæ tibi pleniter, ac fideliter extitissent, non vtique necesse fuisset nos propter hoc tibi scribere iterato. Cum firmam geramus fiduciam quod si Episcopi memorati aduersum te commisissent offensam, pro Deo & propter Dominum nobis donasses eandem, in his, & maioribus etiam nobis gratiam faciendo, nec illud ad preces nostras corrigere distulisses. Quod contra eos diceris inordinate fecisset, quod enim inordinate processeris contra eos, ex modo spoliandi, & causa, & ex rebus etiam occupatis arguitis multis modis, sicut nobis est ex eorum pares suggestum, ex modo siquidem; quia nec monitione, nec citatione præmissa, ipsos absentes, nec conuictos, nec confessos de aliquo forisfacto, regalibus spoliasti. Ex causa vero: quia eadem saisiri fecisti pro facto tantummodo alieno, super quod nec confessi fuerant, nec conuicti quod factum fuerit per eosdem; quin imo illud nec constat, nec constitit extitisse delictum. Ex rebus etiam occupatis, quoniam quædam alia quam Regalia occupasti, quod Episcopatibus non vagantibus tibi non licuit, etiam si Episcopi dilicuissent. Quod autem eos spoliaueris mundum confessos, nec conuictos, vel ad satisfaciendum commonitos, extenore litterarum tuarum, quas præfatis Episcopis direxisti manifestè perpenditur. In quibus
B continetur expresè, quod militibus eorum præceperas, vt irent cum Baronibus illis, quos ad quendam locum duxeras destinandos: & quia illi ad præceptum tuum illuc accedere noluerunt, dixisti dictos Episcopos erga te de exercitu defecisse, ac propterea illorum sasisti Regalia, & illa quæ in eis pertinent ad iurisdictionem terrenam. Ex eo ergo quod ipsorum militibus præcepisti, vt cum aliis irent, constat, quod Episcopi milites suos in tuum exercitum destinarunt nec ex illis vel aliis verbis apparet, quod idem suis militibus prohibuerint aliquem tibi seruitium exhibere, quod facere debuissent, & ex hoc, quod dixisti eos de tuo exercitu defecisse, quia illorum milites, ad præceptum tuum noluerunt accedere, quo mandares, & propter hoc Regalia, sasiuisti. Considera diligenter; vtrum recte decreueris aduersus absentes, & non monitos, vel citatos quin etiam ignorantes, quod eorum milites delicuissent. Cum & ipsi se tibi obtulerint iuraturos, quod ijdem de illo exercitu secundum suas conscientias seruitium tibi fecerant, quod debebant, & id idem milites suos fecisse credebant. Ex eisdem quoque verbis apparet: quod ex causa minus iuxta dictos Episcopos spoliasti, quia pro facto militum, quod nec constat, nec constitit fuisse delictum, vel quod factum fuerit & Episcoporum mandato. Super quo videris hactenus dubitasse; sicut apparet & responsione quam in scriptis venerabilibus fratribus nostris. Carnoten. & Trecen. Episcopis tradidisti, nostro Apostolatui transmittendam, quamque ipsi nobis fideliter destinarunt. Super quo etiam à militibus præfati Aurelianen. Episcopi certiorari petiisti: sed cum
C ipsi dixissent quod coram Domino suo super hoc dicerent veritatem, à Curia tua recesserunt immunes, & sic processisti de delicto nescius ad vindictum. Super eo autem, quod te nisus es excusare, quod aliud non sasieris quam Regalia: dicens quod quam cito Regalia ad manus tuas deueniunt, domos & omnia facis saisiri: illud forte cum sedem Episcopalem vacare contingit, fieri tantummodo conuenit, & tunc non solummodo domos & verum etiam decimas, & oblationes, nec non & quæque alia, quæ inuenis facis omnino saisiri, & in quibusdam Ecclesiis conferes præbendas vacantes, quæ quidem constat non debere Regalium nomine nuncupari: ad quæ, etiam si constaret Episcopos deliquisse sede nequaquam vacante manus non debueras extendisse. Cum ergo domos, & domorum supellectilem, ac alia plurima, quæ inter Regalia numerari non debent, saisieris; quorum partem restituisse ac partem adhuc retinere diceris occupatam: ex occupatione quidem rerum ipsarum minus rationabiliter processisse videris. Præterea ex præfata responsione, quam memoratis Episcopis tradidisti, potest manifeste perpendi, quod eis nec monitis, nec citatis, nec conuictis, neque confessis de aliquo forisfactò, ipsorum saisiisti Regalia. Cum dixeris quod in te non remansit, immo stetit per eos; quia postquam milites eorundem defecerunt de seruitio exercitus faciendo, emendationem ipsorum, vel satisfactionem per quadraginta dies expectare curasti. Ex quibus verbis manifeste præsumitur, ipsos citatos, vel conuictos nullatenus extitisse. Et quamquam per quadraginta dies emendationem, vel satisfactionem eorum

te asseras expectasse: ipsi tamen ad exhibendum emendationem, vel satisfactionem A se teneri nullatenus extimabant, eo quod nec se, nec milites suos crediderant deliquisse; super quo iuramentum celsitudini Regiæ obtulerunt. Nec etiam videtur quod per quadraginta dies expectaris eosdem; cum ad Calendas Augusti apud Medontam facta fuerit exercitus conuocatio, & eodem mense Regalia occuparis, sit ex data litterarum tuarum, quas ipsis Episcopis pro saisina Regalium destinasti, euidenter apparet. Cum ergo taliter processeris contra eos, & ijdem tam per se ipsos, quam per Secretarios tuos nec non venerabiles fratres nostros. Senonen. Archiepiscopum, & Coëpiscopos suos te monuerint diligenter, humiliter supplicantes, vt faceres eis reddi Regalia sic subtracta, paratis postmodum Curiæ tuæ subire iudicium, sicut in talibus fieri consueuit. Tu supplicationes eorum noluisses admittere ad sententiam interdicti, quam in terram tuam in eorum diœcesibus constitutam tulerunt, videntur non immerito processisse; cum iura & libertates Ecclesiarum suarum teneantur iuramento præstito deffensare. Pro cuius relaxatione non satis videris offerre; cum tantummodo iudicium in Curia tua offeras ipsis remanentibus spoliatis, quod vtique spoliati non debent de iure subire: cum etiam ex generali consuetudine regni tui, fidelis à Domino sine iudicio spoliatus, nec diem ab B ipso super spoliatione sua, vel alio teneatur recipere, nec in ipsius Curia experiri. Nos ergo Serenitatem tuam Rogandam duximus, & monendam, pro magno dono petentes; quatinus pacem Ecclesiæ in tuo regno conserues hoc maxime tempore, quo ipsa in aliis multis Regnis nimium perturbatur. Ita quod dictis Episcopis restitutis, & interdicti sententia relaxata: nisi hoc nobis velis ex toto donare; in Curia tua de ipso negotio secundum approbatam consuetudinem cognoscatur: cumque aliis opporteat te intendere, quæ ad honorem, & commodum tuum magis respiciunt; expedias te ab istis; quæ tibi modicum afferunt vtilitatis, & laudis. Ne propter tantam patientiæ nostræ moram, ex qua propter fauorem tuum, dictorum Episcoporum grauamen, non solum dissimulasse, verum etiam neglexisse videmur; Apostolicæ authoritatis cogamur adhibere censuram. Quia quanta cumque necessitas nobis immineat, & tibi forte non minor, nolumus esse, iuxta verbum Prophetæ, canes muti non volentes latrare. Scientes quod beati sunt, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam cum probati fuerint, accipient coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Nec iniuriosum reputes, sed potius gloriosum prudenter corrigere, quod improuide statuisti, quia non viuit homo sub cœlo, qui aliquando non excedat. Vnde apud nos dicitur in prouerbio generali, quod humanum est, peccare, sed diabolicum perdurare. Datum Lateran. III. Non. Maij Pont. N. anno XV.

PHILIPPO ILLVSTRI REGI FRANCORVM. C

Excusat se Regi, quod eius precibus de dissoluendo coniugio annuere nequeat, & hortatur vt Reginam habeat chariorem.

XXII.

DILIGENTER auditis & perspicaciter intellectis, quæ nobis ex parte Regia dilecti filij, Abbas de Trappa, & I. Clericus tuus proponere curauerunt, & habito cum fratribus nostris studioso tractatu; non occurrit nobis aliqua via, perquam in his quæ ipsi pro te postulauerunt à nobis, tuæ secundum possemus concurrere voluntati. Sub obtestatione diuini iudicij protestantes, quod libentissime si possemus cum Deo, ab illo te curaremus vinculo expedire, à quo desiderat vehementer absolui. Sed in carnali commercio inter te, ac Reginam coniugem tuam adeo est processum; quod si etiam illi tantum confessioni vellemus insistere, quam nuper eadem Regina fecisse proponitur coram prædicto Abbate de Trapa, & dilecto filio Magistro Roberto de Corzon nunc titulo sancti Stephani in Celio-Monte Præsbytero Cardinali, non auderemus super huiusmodi casu, de nostro sensu pro aliquid diffinire. Propter illam sententiam Euangelicam, quam

A quam ipse Christus expressit, vt quod Deus coniunxit, homo non separet: cum absque dubio, nec sanctorum exempla, nec patrum decreta; intentioni tuæ in hoc articulo suffragentur. Verum si super hoc absque generali deliberatione consilij determinare aliquid tentaremus, præter diuinam offensam, mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis, & officij nobis periculum immineret: cum contra præmissam veritatis sententiam, nostra non possit authoritas dispensare. Quamuis & aliæ confessiones, sicut pro certo didiscimus, ab eadem Regina sub iureiurando sint factæ, secundum quas coniugium declaratur carnali copula consumatum. Quocirca Serenitatem Regiam rogandam duximus, & monendam: quatinus ab eorum falsis insaniis auertas auditum, qui caput tuum oleo peccatoris impinguant, & volentes tibi placere secundum hominem, Deo te faciunt displicere: cum aperire tibi non audeant veritatem, ne forte mouearis grauiter contra eos. Nos autem qui de te coram Deo reddere nolumus circumueniri commentis, ne simul in vnum & animam tuam perdamus, & nostram; scientes quod iuxta sententiam veritatis nihil prodest homini si mundum vniuersum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur. Quare prudentissime Rex, ab eo quæsumus
B proposito conquiescas, quod perpetuum animæ tuæ periculum generaret, & Dominus iustus iudex in eo te forte puniret, in quo contra ipsum tali modo peccares, ipsamque Reginam, pro Deo, & propter Dominum habeas propensius commendatam quæ pro seruanda lege coniugij, quam Deus ante peccatum in paradiso constituit, longo est martyrio macerata. Nos quoque super hoc negotio grauius non molestas, ne propter instantem persecutionem quam patimur, ad extorquendum istud à nobis insistere videaris. Quia sicut nolumus tibi negare quod sit merito concedendum, ita nolumus tibi concedere quod merito sit negandum: præsertim hoc tempore, ne propter persecutionis instantiam declinare videamur, à tramite veritatis. Datum Lateran. v. idus Iunij Pont. N. anno XV.

FRATRI GVARINO.

Eadem de re, & non posse Regem, de seminibus in carnali copula non commixtis iurare. Guarinum vero spe honorum prouocat ad salutem Regis promouendam.

XXIII.

C ILLIVS testimonium inuocamus, qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum, quòd charissimum in Christo filium nostrum Philippum Regem Francorum illustrem, tam sincera diligimus charitate, vt nihil ei negare velimus, quod esset alicui concedendum. Verum cum ea petit à nobis, quæ in salutis suæ dispendium redundare noscuntur, quo sincerius illum diligimus, eo cautius ea negare debemus: ne videamus ipsum non diligere, sed odire. Cum ergo per quosdam adulatores veritatis, & iustitiæ inimicos, in eum sit errorem inductus, vt credat se licite posse iurare, quod Reginam vxorem suam carnaliter non cognouit, pro eo fortè, quod etsi commixtio seminum in eorum carnali commercio intercesserit, commixtio tamen seminum in vase muliebri non extitit subsecuta. Nos confessiones eiusdem Reginæ sub iureiurando factas, subtiliter attendentes, & salutem ipsius Regis paterno Zelantes affectu, per nostras eum litteras exhortamur. Vt suum de cætero ab huiusmodi falsis insaniis auertat auditum & præfatam Reginam pro Deo, & propter Deum habeat commendatam, quæ pro seruata lege coniugij, quam Dominus in paradiso ante peccatum constituit; longo est martyrio macerata. quam & tibi & recommendatam esse volumus, & mandamus: discretionem tuam monentes, & obsecrantes in Domino, quatinus in consilium, & consensum iniquitatis, non veniat vlterius anima tua: nec permittas, quantum in te fuerit ipsum Regem falsis circumueniri commentis, eique contra ipsius salutem, & tuam, secundum hominem placere non quæras, ne ipsum Deo facias displicere. Diligenter attendens, quod iuxta sententiam veritatis nihil prodest homini si mundum vniuersum lucre-

tur, & detrimentum animæ patiatur. Eundem Regem quem sincerum, quantum in ipso est, animum habere, credimus, deuotum, & placere studeas, & in bono fouere: ita quod diuinam, & Apostolicam gratiam propter hoc vberius merearis, pro certo cognoscens, quod si te iuxta latus ipsius sano & salubri nouerimus consilio innitentem, ad honorem & profectum tuum efficaciter intendemus: cum te, quasi virum Religiosum, non semper opporteat secularibus negotiis implicari. Datum Lateran. v. idus Iunij. Pont. N. anno xv. A

PHILIPPO ILLVTRI REGI FRANCORVM.

Non potuisse confirmari processum Senonensis Archiepiscopi, in causa Episcoporum Aurelianensium & Autissiodorensium rescribit, & rogat vt pacem ipsis reddat interdicto absoluto, & ipsis in Curia Regia se sistentibus.

XXIV. B

DE prudentia Senonensis Archiepiscopi non possumus non mirari qui post appellationem ad nos legitime interpositam & contra nostri formam mandati, peruersè processit in causa quam ad petitionem tuam sibi duximus committendam, super relaxanda sententia interdicti, quod in terram tuam venerabiles fratres nostri Autissiodorensis & Aurelianensis Episcopi pertulerunt; si tu eis illud offeres, quod esset merito acceptandum. Et licet ipsi iusserimus, vt si fieri posset postposito vtrimque iudicio ad amicabilem compositionem facere studuit, nec iudicium exercere. Vnde nisi tuæ voluissemus Serenitati deferre, taliter eum corripere curassemus, quod eius profecto non remansisset impunitus excessus. quod igitur est ab eo inordinato præsumptum, non potuimus confirmare, cum ipso iure sit irritum & inane. Sed sicut celsitudinem tuam sæpe rogauimus, ita nunc quoque rogamus, pro magno dono petentes: quatenus pacem Ecclesiæ in tuo regno conserues hoc maxime tempore, quo ipsa in aliis multis regnis nimium perturbatur. Ita quod dictis Episcopis restitutis, & interdicti sententia relaxato, nisi hoc nobis velis ex toto donare, in Curia tua de ipso negotio secundum approbatam consuetudinem cognoscatur. Cumque aliis oporteat te intendere, quæ ad tuum magis respiciunt commodum, & honorem; expedias te ab istis, quæ modicum tibi afferunt vtilitatis, & laudis, nec iniuriosum reputes, sed potius gloriosum, prudenter corrigere si quid improuide statuisti: quia non viuit homo sub cælo, qui aliquando non excedat. Datum Lateran. v. idus Iunij Pont. N. anno xv.

C

AVTISIODORENSI ET AVRELIANENSI EPISCOPIS.

In eodem negotio eos hortatur bona fide ad compositionem cum Rege, quem mansuetudine deuincire debent.

XXV.

LICET processum Archiepiscopi Senonensis propter ordinem non seruatum duxerimus irritandum, fraternitati tamen vestræ consulimus bona fide, quatinus cum charissimo in Christo filio nostro Philippo Rege Francorum illustri, quanto melius poteritis componere studeatis, quoniam arcus qui semper est tensus, vires amittit, nisi aliquotiens extendatur. Et nonnunquam Reges, & principes melius vincuntur mansuetudine, quam rigore. Nos enim mediatoris fungentes officio, sicut illum, sic & vos monitis, & exhortationibus ad amicabilem debemus concordiam imitare, quam vtrique parti credimus expedire. Datum Leran. v. idus Iunij Pont. N. anno. xv.

VT

A

VT P. MARCVM CANCELLARIÆ SVÆ PRÆFICIAT VLTRO CONCEDIT.

Nobili viro Simoni de Monte-forti Comiti Leicestriæ & Vice-comiti Biterrensi.

XXVI.

CVM dilectum filium Magistrum Petrum Marcum subdiaconum nostrum, correctorem litterarum nostrarum pro colligendis Ecclesiæ Romanæ sensibus, aliisque negotiis destinemus, nobilitatem tuam de qua plene confidimus, rogamus attentius, & monemus per Apostolicæ Sedis & nostram diligenter assistens, consilium ei efficax & auxilium oportunum impendas, vt & ipse iniuncta sibi negotia ope tua suffultus valeat auctore Deo feliciter consummare, ac nos solicitudini grata tuæ debeamus exinde vicissitudine respondere. Verum quia dilectus filius frater Constantinus Conuersus Cartusien. Nos ex parte tua suppliciter exorauit, vt dictum Magistrum, quem pro eo quod in Cancellaria nostra laudabiliter conuersatus per diutinum exercitium in huiusmodi plenius est instructus, Cancellariæ tuæ
B præficere cupiebat, tibi concedere dignaremur. Nos deuotæ fidei tuæ ac deuotionis fidelis sinceritatem perspicuam sicut conuenit attendentes, quæ personam tuam tanquam specialis Apostolicæ Sedis filij & fidelis nobis aduehit specialiter deligendam, & preces tuas persuadet quantum cum Deo possumus efficaciter exaudire, ipsum magistrum quamquam non solum plurimum vtilis, verum etiam valde necessarius nobis extiterit & existat, vt pote cuius fidei puritatem & discretionis prudentiam iamdiu in multis experti, negotia nostra parua & magna eidem committimus incunctanter, deuotioni tuæ duximus liberaliter concedendum, discretionem tuam rogantes affectuosius & monentes, quatenus ipsum quem propriæ probitatis merita recommendant habens propensius commendatum, taliter eum studeas honorare, quod & nos qui honorari reputamus in ipso, ad honorem & profectum tuum magis intendere debeamus, & idem cuius obsequium tibi ac terræ tuæ quamplurimum credimus profuturum, ad deuotionem tuam fortius astringatur. Datum Signiæ III. Idus Septembris. Pont. N. Anno XV.

SENTENTIAM SVPER LITE INTER CLVNIACENSEM ABBATEM ET MONACHOS DE CHARITATE EXEQVENDAM COMMITTIT.

C *Pruliacensis Cisterciensi Ordinis, & Sanctæ Columbæ & Sancti Satyri Abbatibus Senonensis & Bituricensis Diœces.*

XXVII.

CVM olim, grandes, & graues, deformes & enormes iniuriæ quas Gaufridus tunc Prior & Conuentus Monasterij de Caritate dil. fil. Cluniacen. Abbati dicebantur temere irrogasse, seriatim fuissent expositæ coram nobis. Nos eisdem in Apostolicis literis per Ordinem comprehensis Venerabilibus fratribus nostris Trecen. & Melden. Episcopis, ac dil. fil. Latiniacen. Abbati per ipsas dedimus litteras in præceptis, vt ad locum ipsum personaliter accedentes, & inquirentes, super iis plenius veritatem, si rem inuenerent taliter se habere, latam propter hoc in dictum G. depositionis à Regimine Prioratus sententiam authoritate Apostolica confirmantes, & approbantes, nihilominus substitutionem de Guillelmo in ipsius loci Priorem, & damnationem sigillorum eorundem G. ac conuentus per diffinitores Generalis Capituli factam, excommunicationis sententiam in iam dictum G. ac eius complices promulgatam ab ipsis facerent vsque ad satisfactionem condignam firmiter obseruari, contradictores quoslibet aut rebelles, siue Monachi, siue clerici, seu laici essent per censuram Ecclesiasticam appellatione post posita compescendo. Cum igitur iidem Iudices ad Prædictum Monasterium acces-

sissent, mandatum Apostolicum impleturi; Monachi loci eiusdem, sicut nuper Helias Monachus, & Magister Guido Procuratores Cluniacen. in nostro auditorio recitarunt, ipsis Ianuas Monasterij quemadmodum Abbati Cluniacen. fecerant, obseruantes, eosdem ingredi nullatenus permiserunt: ipsi vero mandatum nostrum exequi cupientes, in Villa ipsius loci curauerunt super propositis inquirere solicite veritatem: & cum plene constitisset eisdem, præfatos Monachos ea quæ de ipsis nobis insinuata fuerant, & grauiora etiam commisisse, dictam depositionis sententiam ac substitutionem Prioris, damnationem etiam sigillorum, apellatione cuiusdam, qui se pro Conuentus procuratore gerebat, reputata friuola confirmarunt, excommunicationis sententiam in sæpe dictum G. ac eius complices promulgatam præcipientes firmiter obseruari. Sed ipsis diuina nihilominus officia celebrantibus, iidem Iudices attendentes, quod per districtionem canonicam eorum emollire duritiam non valebant charissimum in Christo filium nostrum Philippum Regem Francorum illustrem per suas literas rogauerunt, vt Nobilem virum Comitem Niuernen. qui dictos Monachos in huiusmodi fouere malitia videbatur, ab ipsorum iniusto fauore compescens Regali potentia, insolentiam comprimeret eorumdem. Cum ergo idem Rex præfato Comiti præcepisset, vt substituto Priori Temporalia faciens assignari, dictos Monachos in sua vlterius malitia non foueret, ac idem mandatum differret Regium adimplere, Rex Zelo iustitiæ ac feruore nostræ deuotionis accensus, contra dictum Comitem, cuius fulti potentia Monachi memorati latis auctoritate nostra sententiis temerè obuiabant, præcepit exercitum congregari, cuius metu licet temporalia dicto Priori per præfatum Comitem fuerint assignata, Monachi tamen in sua nihilominus contumacia persistentes, tam ipsi Priori quam Cluniacen. Abbati debitam exhibere obedientiam contradicunt. Vnde nobis humiliter supplicarunt vt ad rebellionem huiusmodi edomandam Apostolicam manum apponere dignaremur. pro Monachis vero de Charitate fuit à Ioanne & Nicolao Monachis procuratoribus eorundem ex aduerso responsum, quod iam dictis sententiis in eorum priorem & ipsos, post apellationem ad nos legitime interpositam promulgatis, Cluniacen. nuncij præuenientes terminum, qui fuerat ad persequendam appellationem præfixus, nostras ad præfatos Iudices litteras impetrarunt, multis expressis mendaciis, & suppresso quod ipsi Episcopi, nostro iam expectato mandato, quod in literis continebatur eisdem, iamdudum authoritate propria fuerant exequuti. Licet autem dicti Prior, & Monachi non solum suspectos haberent Iudices memoratos, verum etiam manifestos aduersarios reputarent, pro reuerentia tamen Apostolicæ Sedis ipsos in Monasterio cum moderato numero sociorum benigne ac deuote recipere voluerunt. Sed quia ipsis à pluribus fuerat nunciatum, qnod Abbas & Monachi Cluniacen. qui non parua multitudine stipati aduenerant, Monasterium per violentiam decreuerant occupare, iidem volentes huiusmodi obuiare periculo, præfatis Iudicibus humiliter supplicarunt, & obtinuerunt ab eis, vt in eorum Ecclesia sancti Petri sita iuxta idem Monasterium conuenirent. Partibus igitur ibidem in eorum præsentia constitutis, Monachorum proposuit procurator, quod dicti Iudices litterarum nostrarum authoritate procedere non debebant; qui à si nobis reseratum fuisset eosdem, quod mandabamus in ipsis authoritate iam esse propria executos, causam nullatenus commisissemus eisdem. Vnde cum impetratores, ipsarum talem suppresserint veritatem, qua expressa iam dictas litteras ad ipsos minime impetrassent, eis non erat authoritate illarum vllatenus procedendum: præsertim cum eiusdem Monasterij nuntij propter hoc dudum ad Sedem Apostolicam accessissent, opponens nihilominus alias exceptiones legitimas & multiplices contra eos causas suspicionis allegans, ad quas probandas arbitros postulauit instanter, quibus contempto iure Canonico pariter, & ciuili, sibi penitus denegatis, nostram audientiam apellauit, personas & bona Monasterij sæpedicti Apostolicæ protectioni supponens. Sed iidem nihilominus vno eodemque die, ad receptionem & publicationem testium, deliberationem consilij, & derisionem negotij temerè properantes, quod per Abbatem & diffinitores prædictos factum extiterat pro suæ voluntatis libito confirmarunt. Ad hæc Apostolici mandati finibus non contenti cum Comitem supra dictum ad oppressionem Monasterij, vt pote qui processus iniquitatem nouerat inculcatis precibus & præceptis inducere nequiuissent, ad Regem se conuertere Prædictum, & Regiam puritatem circumuenire

A uenire multipliciter præsumpserunt, suggerentes eidem veritati contraria, & ipsum quasi ex parte nostra precibus onerantes, qui credens eosdem accensos zelo iustitiæ sic instare, Comiti memorato, præcepit, vt substituto Vu. prædicta temporalia faceret assignari. Sed viris peritis, quorum consilium idem Comes accedens Parisius solicitè requisiuit, processum iudicium prædictorum extitisse inquam concorditer respondentibus, eodemque Comite propter hoc mandatum Regum exequi differente, Rex ipsorum Iudicum, & Cluniacen. Abbatis suggestionibus iterum circumuentus contra Comitem sæpedictum præcepit exercitum congregari; & sic Comes vi metuque compulsus ad Monasterium accessit cum Regio Marescalco circa mandatum Regis, quam propriam voluntatem & conscientiam expleturus. Monachi, vero subito visa multitudine armatorum conterriti se vestibus Ecclesiasticis induerunt, & sic induti occurrerunt ad Monasterij portas, opponentes armatis imagines Crucifixi, & reuerendas sanctorum reliquias, ac ipsum Christi Corpus sanctissimum obtendentes, ac ex parte Dei & nostra prohibentes eisdem, ne Monasterium Apostolicæ protectioni suppositum præsumerent violare. Qui licet primo facinus ex horruerint, posteà tamen per alium competentiorem aditum calcata reuerentia irrumpentes, sacras Ecclesiæ valuas ausu nefario confregerunt, & insano B tumultu singula perscrutantes, præfato Vu. assignauerunt granarium, cellarium, dormitorium, & officinas Monasterij vniuersas; fratres loci eiusdem vix in oratorio claustri, quo stupefacti confugerant, relinquentes, vbi necessariis noua eis inhumanitate subtractis, & prohibito ne quisquam ipsis audeat aliquid ministrare, in tantæ sunt necessitatis articulo constituti, vt ad vitæ sustentamentum non habeant, nisi quod quidam boni viri eisdem misericordia moti furtim porrigunt per fenestras. Vnde nobis fuit ex parte ipsorum humiliter supplicatum, vt tam graui calamitati, & calamitoso grauamini secundum consuetam Apostolicæ Sedis Clementiam succurrere dignaremur. Nos igitur iis, & aliis quæ à partibus fuere proposita plenius intellectis, quia manifeste cognouimus prædictos Iudices perperam processisse, cum, vt exceptiones alias, taceamus, causam nullatenus commisissemus eisdem, si nobis reuelatum fuisset, quod ea quæ per ipsos exequenda mandauimus auctoritate propria publicè denunciauerant per Diœceses suas, & districte mandauerant obseruari. Vnde occasione rescripti per talem subreptionem obtenti nequaquam procedere debuissent, quia etiam fines nostri excedentes mandati, brachij sæcularis auxilium inuocarunt, dum eorum ad nos apellatione pendente partes super ipsorum processu in nostra auditorio litigabant. cum etiam grauiter posset impediri Ecclesiastica vtilitas, & libertas, si quolibet Iudice imperito forsan aut etiam malitioso temere iaculante sententiam, Rex, seu quicumque alius Princeps ad Ecclesiastica bona manum extenderet quasi eandem executioni sententiam mandaturus, ac etiam ex hoc graue posset inter sacerdotium atque Regnum scandalum C generari: quidquid ab eisdem Iudicibus taliter factum est, vel ab aliis per studium eorumdem, de fratrum nostrorum consilio irritum decreuimus, & inane. Verum quia per expressam confessionem Monachorum de charitate nobis constitit euidenter Cluniacen. Abbatem professionem instituendi, ac destituendi pro suæ libito voluntatis in Monasterio de Charitate priores, & Corrigendi, ac ordinandi quæ corrigenda, vel ordinanda vidisset per viginti annos, licet ipsi Monachi de Charitate eandem vsurpatam asserant, habuisse, nos exigente iustitia sibi eiusdem possessionis commodum conseruantes, tam destitutionem dicti G. à regimine Prioratus, quam substitutionem Præfati Vu. & sigillorum damnationem iam dictam, excommunicationis quoque sententiam, quam in eundem G. & eius complices idem Abbas propter rebellionem huiusmodi promulgauit, authoritate Apostolica duximus confirmandas. Ideoque monemus quatenus præmissas destitutionis, & institutionis, ac damnationis sigillorum sententias facientes per censuram Ecclesiasticam, sublato apellationis obstaculo firmiter obseruari, ac thesaurum, priuilegia, libros, cartas, & vniuersa Ecclesiastica ornamenta à quibuscumque alienata fuerant, vel subtracta Monasterio restitui memorato, dicto Abbati ex parte nostra firmiter iniungatis, vt possessionibus, & aliis quibus Monachi memorati per dictos Comitem, & Marescalcum, seu quoscumque alios spoliati fuerunt, eorum Priori, ac ipsis plenarie restitutis, eisdem beneficium absolutionis impendat, & paterna ipsos benignitate pertractet, ac possessiones alienatas in enormem eiusdem Monasterij læ-

sionem ad ius, & proprietatem ipsius secundum formam in nostris litteris comprehensam, iuxta quod in nostra præsentia eius Monachi anno præterito promiserunt studeat reuocare. Cæterum si dicti Prior, & Monachi de Charitate omnes vel maior; aut sanior pars eorum super libertate Monasterij sui de iure voluerint experiri: nos eos benigne cum requisiti fuerimus audiemus, sicut videbimus expedire. Taliter autem satagat ipse Abbas pacificare, ac reformare statum Monasterij memorati conseruando rationes, & immunitates ipsius, ne nos propter eius negligentiam aut insolentiam compellamur de ipso Monasterio aliud ordinare. Quod si non omnes, &c. duo vestrum, &c. vos denique filij Abbates, &c. Datum Lateran. XIV. Kal. Ianuarij. Pont. N. anno quintodecimo. A

SVPER THOLOSANI COMITIS RECONCILIATIONE ET ABSOLVTIONE IVDICES DELEGAT.

Archiepiscopo Narbonensi Apostolicæ Sedis Legato & Episcopo Regen. & Magistro T. Canonico Ianuensi. B

XXVIII.

ET si resecandæ sunt putridæ carnes ne ad partes sinceras corruptionis contagium extendatur; sic tamen caute debet & prouide manus medentis apponi, vt abscindantur ea cautela corrupta, quod sincera per improuidentiam non lædantur. Accepimus sane per litteras, & nuntios charissimi in Christo filij nostri Philippi illustris Regis Arragonum, quod post quam aduersus prouinciales hæreticos mandatum Apostolicum emanauit, Cruce-signatis terram ingredientibus Vice-Comitis Biterren. eidem ipsius Regis subsidium imploranti tanquam Domini specialiter dexteram subtraxit auxilij, & omnis consilij remedium denegauit: & ne super hoc Ecclesiæ propositum impediret, elegit tunc quibusdam deesse Catholicis, ne adesse commixtis hæreticis videretur. Vnde Vicecomes prædictus terram perdidit auxilio destitutus, ad vltimum miserabiliter interfectus. Tu autem frater Archiepiscope, ac nobilis vir S. de Monte-forti Crucesignatos in terram Tholosani Comitis inducentes, non solum loca in quibus habitabant hæretici, occupastis; sed ad illas nihilominus terras, quæ super hæresi nulla notabantur infamia, manus auidas extendistis: & cum ab hominibus terrarum illarum fidelitatis exegeritis iuramenta, & terras sustineatis inhabitare prædictas, hæreticos illos existere verisimile non videtur. Dicebant præterea nuncij supradicti, quod sic indifferenter aliena contra iustitiam minus prouide vsurpastis, quòd vix remanserit Comiti memorato Castrum Montis-Albani, & ciuitas Tholosana. Interea vero, quæ idem Rex sic asseruit occupata, expressis vocabulis designauit, terram quam claræ memoriæ Regis Angliæ in dotem suæ sororis Comiti dederat supra dicto. Item terras Comitis Fuxensis, Comitis Conuenarum, & Gastonis Bearnen. deduxit etiam specialiter in querelam, quod tu frater Archiepiscope, ac nobilis memoratus, licet iam dicti tres Comites vassalli Regis eiusdem existerent, ab hominibus terrarum quas iidem amiserant petebatis; vt iuramentum fidelitatis ex ipsis terris alij exhiberent. Adiecit etiam quod cum de Prælio Sarracenorum obtenta victoria redeuntem Comes adiit supradictus, & expositis damnis ei per Cruce-signatos illatis, imputabat suorum merito peccatorum quod satisfactionem eius non admittebat. Ecclesiæ cum paratus existeret facere quæcumque sibi possibilia mandaremus; & ne solus tantæ confusionis ferret opprobrium, terram, filium, & vxorem sororem Regis ipsius relinquebat eidem, vt eos si vellet deffenderet vel permitteret exulare. Sed quia ex hoc confusio sibi non minima immineret, & pœna suos tenere deberet actores, nec vltra extendi vindicta, quam inueniatur in excedente delictum humiliter supplicabat Tholosanum Comitatum filio memorati Comitis reseruari, qui nec vnquam venit, nec veniet, Deo dante in hæreticæ pestis errorem. Promisit præterea quod tam filium Comitis, quam etiam Comitatum in sua tenebit, quamdiu nobis placuerit, potestate, vt circa fidem plenius instrui, & moribus faciat melius informari & Arragonen. totam terram iam dictam committet, vt hæreticæ contagionis sordibus C

penitus

A penitus expurgatam ad cultum plenæ reducat fidei Orthodoxæ, securitate oblata super iis omnibus obseruandis, quam sedes Apostolica decerneret exhibendam. De Comite quoque subiunxit, quod paratus est agere pœnitentiam de commissis, qualem decreuerimus iniungendam: siue quod partes adeat transmarinas, siue quod sit in Hispania circa frontariam contra gentis perfidiam Sarracenæ. Cæterum quia negotium arduum est, & multa in eo fuit deliberatione processum, ac per Dei gratiam satis est prosperatum, ne de leui, quod absit, deperire valeret, quod multis laboribus est patratum, in ipso non debet siue graui cautela, & maturitate procedi. Quocirca mandamus quatenus in loco securo & apto Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Comitum, Baronum, consulum, & rectorum, & aliorum virorum prudentum, quos ad hoc necessarios, & idoneos esse videritis, consilio conuocato, & propositis coram eis quæ Rex proponit, & offert, odio, timore, gratia, & amore carnalibus omnino postpositis, quæ super præmissis prouisa, & deliberata fuerint in communi & in quo conuenerint omnes, vel pars consilij sauioris nobis fideliter rescribatis, vt intellecto vestro consilio statuamus quæ secundum Deum viderimus statuenda: cum videatur procul dubio expedire, vt hoc modo, vel alio
B dictæ terræ de rectore idoneo consulatur. Quod si non omnes, &c. duo vestrum, &c. vos denique fratres Archiepiscope, & Episcope super bonis ipsis, &c. Datum Lateran. decimo quinto Kal. Februarij. Pontific. nostro quinto decimo.

VT REGI ARRAGONVM, EIVSQVE VASSALIA ABLATA RESTITVAT.

Nobili viro Simoni Comiti Montis-fortis.

XXIX.

EX parte charissimi in Christo filij nostri Philippi Regis illustris Arragonum per nuntios eius fuit propositum coram nobis quod tu conuertens in Catholicos manus tuas, quibus suffecisse debuerat in homines hæreticæ prauitatis extendi, per Cruce-signatorum exercitum ad effusionem iusti sanguinis, & Innocentum iniuriam prouocatum, terras Vassalorum Regis ipsius, videlicet Comitis Fuxensis, Comitis Conuenarum, & Gastonis Bearnen. in eius graue præiudicium occupasti; licet in eis nec hæretici aliqui habitarent, nec habitatores earum super hæreticæ pestis errore infamia conspersissent. Asserebant præterea nuntij Regis præfati, quod cum ab hominibus terrarum illarum fidelitatis exegeris iuramenta, & terras patiaris inhabitare prædictas, eos esse Catholicos tacite confiteris vt hæreticorum ab-
C neges te fautorem, vel hæreticos te fouere quodammodo respondes, si legitime occupasse terram illorum alleges. formabant nihilominus ex eo querimoniam specialem, quod dum Rex seruitio Iesu Christi contra Sarracenos insisteret, & effusioni suum & suorum sanguinem exponeret pro reuerentia fidei Christianæ, tu bona Vassallorum eiusdem in propria vsurpabas, eoque fortius ad depressionem instabas illorum, quominus Rex poterat eis opem suæ protectionis impendere, vires suas expendens contra Sarracenæ gentis perfidiam in auxilium populi Christiani; & cum adhuc Rex idem partes suas contra Sarracenos intendat armare, vt aduersus eos Deo duce tanto efficacius possit insurgere, quanto maiori quo ad alios quiete gaudebit, in pace sibi restitui per Sedem Apostolicam, quæ Vassallorum eius exstiterant postulabat. Nolentes igitur ipsum suo Iure fraudari, nec iam dictum eius propositum impediri, Nobilitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Regi & Vassallis eius terras restituas supradictas, ne ad tuum specialem, non generalem Catholicæ fidei laborasse profectum per retentionem illicitam videaris. Datum Laterani. XVI. Kal. Februarij. Pontificis nostri anno quinto decimo.

A

VT REGI ARRAGONVM LEGITIMA EXHIBEAT RATIONE FEVDI OBSEQVIA.

Nobili viro Simoni Comiti Montis-fortis.

XXX.

CVM ad mandatum sedis Apostolicæ Charissimus in Christo filius noster Philippus illustris Rex Arragonum in feudum tibi concesserit Carcassonam, quam ab eo Vice-comes tenuerat Biterren. Postulabat, vt ea sibi faceres, quæ dictus Vice-comes, ei suisque prædecessoribus facere consueuerat, & debebat. Quia vero intentionis nostræ non extitit, quod ei de iure suo per talem feudatarium aliquid deperiret, nec te subtrahere debes illius oneribus, in cuius quo ad feudum ipsum successisti commodum & honorem; cum possessionum onera mutari de leui non consueuerint mutationibus possessorum, quia res cum onere suo transit, per Apost. B tibi scripta mandamus, quatenus ea dicto Regi facere non recuses, ad quæ memoratus Vice-comes tenebatur eisdem; quoniam quantumcumque te in Domino diligamus, sic tibi nec volumus nec debemus adesse, vt ipsi Regi deesse in sua Iustitia videamur. Datum Lateran. XVIII. Kal. Februarij. Pont. N. anno quinto-decimo.

CONTROVERSIAM SVPER DIVORTIO COMPONERE, ET CONIVGES IN GRATIAM REDVCERE NITITVR.

Mariæ Illustri Reginæ Arragonum.

XXXI.

NOVIT ille qui est testis in cælo fidelis, cui omne cor patet, & nullum latet secretum, quod in causa matrimonij, quæ inter te ac Charissimum in Christo filium nostrum Philippum Illustrem Regem Arragonum virum tu[um] diutius noscitur agitata, via Regia semper incessimus; nec ad dexteram declinauimus, vel sinistram: quod teste conscientia in causis facimus vniuersis, quæ ad nostrum præferuntur examen; cum illius vices disponente ipso exerceamus in terris, qui iustus, & iustitiam diligens sine acceptione iudicat personarum. Nec ignoremus legis diuinæ mandatum, quo habere pondus & pondus, mensuram & mensuram, quorum C vtrumque apud Deum est abominabile, prohibemur, & aqua lanie causas, & merita pensare præcipimur singulorum licet igitur inter alios mundi Principes prædictum Regem, sicut opera ipsa declarant amplexemur specialis dilectionis affectu, & ad personæ ipsius honorem, & commodum aspiremus: vbi tamen ad iudicij peruenitur examen, in quo nec respicere pauperem, nec petentis vultum honorare permittimur, nullam ei, vel alij gratiam facere possumus, aut debemus; & maxime vbi agitur de Matrimonij sacramento, quod ante peccatum in Paradiso à Domino institutum; præter propagationis humani generis fructum, illud ineffabile sacramentum coniunctionis Christi videlicet ad sanctam Ecclesiam, Dei ad fidelem animam, & ipsius verbi ad humanam naturam noscitur figurare, Apostolo attestante, qui de bona matrimonij agens inquit; ego autem dico magnum in Christo, & Ecclesia sacramentum. Dudum igitur cum idem Rex matrimonium contractum inter te, ac ipsum proponeret se habere suspectum, pro eo quod tu ferebaris maritum alium habere superstitem, videlicet nobilem virum Comitem Conuenarum; ac idem Rex prius carnaliter mulierem quandam cognouerat te ipsam consanguinitatis, vt dicebatur, linea contingentem & super hoc conscientiæ, ac saluti suæ consuli postulans, causam bonæ memoriæ Pampilonen. Episcopo & P. de Castronouo, & fratri Radulpho Monachis Fontis-frigidi, qui duo tunc erant Apostolicæ Sedis Legati nos meminimus commisisse. Coram quibus cum lis fuisset super duobus

A duobus præfatis articulis per partium procuratores legitime contestata; nobili viro Hugoni de Turre Rubea consanguineo Regis tunc matrimonium, vt dicitur, accusante, Legatis eisdem interim ab hac luce subtractis, & Episcopo pro suis, & Ecclesiæ suæ negotiis apud sedem Apostolicam occupato, causam ipsam venerabilibus fratribus nostris Narbonen. Archiepiscopo, tunc Cistercien. Abbati, & Vticen. Apostolicæ sedis Legatis, ac Regen. tunc officio legationis fungenti, Episcopis duximus committendam sub ea forma qua præfato Pampilonen. & suis coniudicibus fuerat ante commissa, nullo in posterioribus litteris addito, vel mutato; vt videlicet, si appareret legitimus accusator, causam conuocatis partibus audientes eam, si de partium voluntate procederet, fine canonico terminarent: alioquin gesta omnia fideliter conscribentes, ea nobis sub suarum testimonio transmitterent litterarum, præfigentes partibus terminum competentem, quo per procuratores idoneos nostro se conspectui præsentarent, iustum, Deo auctore, iudicium recepturæ. Te igitur, ac eodem Rege, sicut ex actis intelleximus, personaliter, in ipsorum iudicum præsentia constitutis, Rex proposuit memoratus, quod tu sibi de iure sociari non poteras fœdere maritali; tum quia carnaliter consanguineam tuam ante cognouerat, ex quo sequebatur te sibi fore affinitate coniunctam; tum quia dicto Comiti B Conuenarum adhuc superstiti fueras in Ecclesiæ facie matrimonialiter copulata; per quod constabat te cum ipso contrahere nequiuisse, cum ab eodem Comite separata per iudicium Ecclesiæ non fuisses. Tu vero ibidem fuisti absolute confessa, quod re verà patre tuo viuente, ac procurante contraxeras cum Comite memorato: sed adiecisti, quod huiusmodi matrimonium de facto contractum fuerat, non de iure, cum idem Comes tibi esset consanguinitate pariter, & affinitate coniunctus, & insuper duas haberet vxores tempore, quo te cum noscitur contraxisse, ad quæ probanda tibi dari terminum postulasti. Et licet fuerit ex Regis parte responsum, quod tuæ super hoc exceptiones recipi non debebant, donec esses præfato Comiti, cum quo te contraxisse confessa fueras, restituta, nec ipse exceptionibus tenebatur huiusmodi respondere. Ad vltimum tamen ita fuit de partium voluntate prouisum, vt scilicet salua Regis exceptione, seu replicatione prædicta vtriusque partis probationes super præmissis articulis audirentur. Postmodum B. Aimerij quem Rex procuratorem in negotio constituerat memorato, de consensu Regis tria se obtulit probaturum, scilicet matrimonium prius fuisse contractum inter te & Comitem Conuenarum, & matrimonium, si quod fuit inter eundem Comitem, & G. filiam A. de Barra fuisse iudicio Ecclesiæ separatum, antequam te sibi Rex idem matrimonialiter copulasset, & filiam Comitis Bigorræ vxorem quondam Comitis antedicti, fuisse prædicto Regi consanguinitate coniunctam & sic terminus fuit partibus assignatus, facta promissione hinc inde, quod alias dilationes non peterent ad proponendum aliud vel probandum. Cumque partes C termino constituto in duorum iudicum prædictorum præsentia, tertio litteratorie suam excusante absentiam conuenissent: tu proponens te infirmitate grauatam testes tuos medio tempore producere nequiuisse, dilationes alias postulasti, quas licet dictus procurator Regis assereret tibi non esse vllatenus concedendas, pactionem factam de non petendis dilationibus allegando, ac super hoc fuisset diutius disputatum; tandem de consensu partium concessa fuit sub præfata conditione, seu pactione dilatio, & terminus assignatus; ad quem cum venisset R. procurator tuus, ac rursus dilationes alias postularet, dicto procuratore Regis eas tibi non debere concedi omnimodis contendente, iudices ad Montem-pessulanum vna cum ipsis procuratoribus accesserunt, vt ibi te præsente negotium tractaretur; vbi cum super dandis vel non dandis dilationibus fuisset à partibus diutius litigatum. Tandem dicto procuratore Regis adhibente cõsensum, iudices sub conditione præmissa dilationes alias concesserunt, locum, & terminum partibus assignantes. Porro partibus præfixo termino in iudicum præsentia constitutis, te absente, tuo tamen procuratore præsente, procurator Regis de nouo proposuit, quod dictus Conuenarum Comes ipsum Regem consanguinitatis linea contingebat, per hoc in te ac ipsum probare aliam affinitatem intendens, super quo, quanquam his minime contestata fuisset; & conuenisset, vt dictum est, inter partes, quod aliquid de nouo proponere non deberent, iudices tamen testes qui nequaquam iurauerant, nisi super illis dumtaxat articulis super quibus lis fuerat contestata, recipere præsumpserunt; super quo

de ipsorum prudentia non possumus non mirari, & si procurator Regis coram nobis multipliciter conatus fuerit demonstrare in articulo legitime fuisse processum. Demum cum probationibus & allegationibus fuisset renuntiatum hinc inde, licet tu quod non opponeres apellationis obstaculum, iuramento præstito promisisset: quia tamen facultas à nobis sententiam audiendi si malles, in nostris tibi fuerat litteris reseruata, vti volens beneficio earumdem humiliter postulasti, vt ad nos causa remitteretur instructa; præfixo partibus termino competenti. Cuius petitione, sicut ius exigebat admissa, dicti iudices acta omnia, prout à nobis in mandatis acceperant, ad nos sub sigillis suis fideliter transmiserunt. Cum ergo tu & dilectus filius magister Columbus procurator Regis, vir vtique litteratus, prouidus & fidelis, ac de solicita diligentia, & diligenti solicitudine in eodem negotio habita merito commendandus, propter hoc ad nostram præsentiam venissetis, causam in consistorio publico solemniter examinauimus, & attente. His igitur, quæ à partibus prudenter, subtiliter, ac fideliter, tam super actis in præsentia iudicum prædictorum, quam coram nobis fuere proposita, diligenter auditis, & subtili examinatione discussis, quia nobis constitit euidenter, quòd Comes Conuenarum prædictus te in distantia tertij, & quarti gradus consanguinitatis, & affinitatis contingit, & idem Comes prius in conspectu Ecclesiæ cum nobili muliere Beatrice contraxerat, à qua non est probatum ipsum Ecclesiæ fuisse iudicio separatum, cum super proposito affinitatis articulo nihil contra te legitime sit probatum, de communi fratrum nostrorum consilio, te ab impetitione Regis super iis, quæ in iudicium fuere deducta sensualiter duximus absoluendam. Te ex eo nequaquam ream esse periurij decernentes, quod causam instructam ad nostram remitti præsentiam postulasti; cum id, sicut est expressum superius, in nostris fuisset tibi litteris reseruatum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ diffinitionis infringere, vel ei, &c. vsque contraire. Si quis autem, &c. vsque incursurum. Datum Lateran. XIV. Cal. Februarij Pont. N. anno XV.

VT SIBI DEBITA IN COMITATV THOLOSANO SVCCESSIONIS LEGITIMÆ IVRA CONSERVET.

Littera ad Dominum Papam.

XXXII.

SANCTISSIMO *in Christo Patri & Domino specialissimo suo I. Dei gratia summo Pontifici Petrus Bermundi, filius Bernardi de Andusia, Dominus de Salue obedientissimus, & deuotissimus miles eius, salutem & omnimoda deuotionis affectum.* Cum nos & progenitores nostri homines spiritales simus Ecclesiæ sanctæ Romanæ, terramque nostram pro maiori parte teneamus ab ipsa, certum censum debentes, & semper fuerimus obedientes, & deuoti eidem: firmiter credimus & speramus omni scrupulo dubitationis amoto, quod sanctitas vestra velit omnia iura nostra seruare illæsa. Nouerit igitur paternitas vestra, Pater sanctissime, quod nos in vxorem habemus quandam filiam Comitis Tholosani, præterquam idem Comes legitimam prolem non habet. Vnde terra dicti Comitis ad nos melius, quam hæredem alium de iure noscitur pertinere. Vestram itaque beatitudinem quanta possumus humilitate deposcimus, quatenus R. filium memorati Comitis Tholosani ad preces, vel potius ad fraudes alicuius supplicantis; immo supplicium Ecclesiæ postulantis pro ipso, nullatenus instituatis Hæredem, si placet: nec eum, quod non sit, sicut legitimum habeatis. nam durante matrimonio legitimo inter matrem vxoris nostræ ac sæpefatum Comitem ex super inducta sibi attingente in tertio gradu eum ipse Comes suscepit: scientes quod non tantummodo ius nostrum periret in institutione illius; verum etiam illa eadem nouella plantatio fidei orthodoxæ, quæ per Dei gratiam, & vestram prouidam solicitudinem, solicitamque prouidentiam, nec non & deuotionem fidelium, qui ad vindicandam iniuriam Christi de diuersis mundi climatibus arma sumpserunt in nostris partibus, videlicet Prouinciæ Narbonensi, pullulare incepit, suffocaretur penitus, & essent nouissima prioribus longe peiora.

Quicquid

A Quicquid autem vestra sanctitas super his duxerit statuendum, nos sumus semper parati vestris, & Ecclesiæ per omnia, & in omnibus obtemperare mandatis. Præterea benignitatem vestram volumus non latere, quod Christianissimum virum Dominum Simonem Comitem Montis-fortis, tum obtentu gratiæ vestræ, tum suæ intuitu probitatis, & longe familiaritatis contractu cum ipso antequam ad partes nostras veniret, curauimus, & curamus sincere diligere, ac honorare in omnibus & habere vt verum & carum amicum. Datum Andusiæ in vigilia B. Thomæ.

CVR COMITI THOLOSANO INDVLGENTIAM IMPERTIRI DISTVLERINT.

Sanctissimo Patri, & benignissimo Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici, Hugo sola Dei permissione Regensis Episcopus & Thedisius canonicus Januensis humiles serui eius cum longitudine dierum & vita perenni ad oscula pedum seipsos.

B

XXXIII.

SANCTITATI vestræ insinuatione præsentium innotescat, quod de facto Comitis Tholosani, quod olim insufficientiæ nostræ prouidentia vestra commisit, processimus in hunc modum. Sane prius apud sanctum Ægidium infra tres menses secundum tenorem Apostolici rescripti Concilium habuimus Archiepiscoporum, & Episcoporum, & aliorum Prælatorum Ecclesiæ, Baronum etiam & aliorum quorum præsentiam nouimus oportunam. Ante omnia per litteras nostras Comiti memorato mandantes, vt hæreticos & Rotarios de terra sua expelleret, alia etiam mandata impleret humiliter, ad quæ tenebatur adstrictus pluribus iuramentis: ne si forte mandata illa implere negligeret, purgationi suæ impedimentum præstaret cumque vocatus venisset ad Concilium, & per operis euidentiam manifeste nobis, & toti consilio constitisset, quod mandata, quæ de Hæreticis & Rotariis expellendis, & aliis causis multis, & negotiis diuersis temporibus à diuersis Legatis & præcipue à bonæ memoriæ magistro Milone sibi facta fuerant, non impleuerat, nec implebat; consilium fuit omnium, & communis deliberatio, ipsum non debere tunc temporis ad purgationem admitti. Non enim verisimile videbatur, quod in tantis criminibus, videlicet super Hæresi & nece Legati bene iuraret, qui totiens in minoribus causis, & articulis sua fuerat iuramenta transgressus. Iniunctum itaque sibi fuit à Prælatis, qui conuenerant ad colloquium, & à nobis, vt Hæreticos, & Rotarios de suo districtu expelleret, & alia nihilominus impleret humiliter, & deuote, de quibus C constabat, ipsum iuramentis plurimis obligatum fuisse, quatenus cum in iis, & aliis se dignum fecisset, requisiti ab ipso circa personam eius Apostolicum exequeremur mandatum. At ipse recedens à nobis non solum non impleuit, quæ mandauimus: verum datus in reprobum sensum ex toto, & oblitus multam gratiam & misericordiam, quam vltra suorum exigentiam meritorum apud Apostolicam sedem inuenit, cæpit iniquitati iniquitatem apponere, ac præteritis abominationibus & criminibus committere grauiora; propter quæ à Legatis de communi consilio Prælatorum multotiens fuit anathematis mucrone percussus, & exposita terra eius. Nec credat Apostolica circumspectio, nos in exequendo mandato vestro extitisse aliquatenus desides, vel remissos: sæpissime enim dictum Comitem ex parte vestra citauimus, & ad præsentiam nostram venire contempsit: nec venerabilibus patribus Carpentoracten. & Vaisonen. Episcopis, & Clericis eorum quibus vsque ad summam fere mille Marcharum per me Regen. & bonæ memoriæ magistrum Milonem sub pœna excommunicationis quondam fuerat condemnatus, & aliis Ecclesiasticis, & miserabilibus personis, quas exheredauerat, voluit satisfacere coram nobis, quæ omnia per venerabilem Patrem Nemausen. Episcopum, tunc sancti Ruffi Abbatem & litteras nostras, & per me Thedisium, qui postmodum ad pedes vestros accessi, benignitati vestræ curauimus diligentissime intimare. Postquam autem à beatitudine vestra hoc anno recepimus super eodem negotio iteratum mandatum; licet à Comite

ipso nunquam fuerimus requisiti; apud Auinion. ciuitatem in Prouincia continuo vocauimus Ecclesiarum Prælatos, quorum consilio, & deliberatione mandatum vestrum tutius exequi valeremus. Verum ego Thedisius grauissima infirmitate præuentus & multi ex Prælatis, quia generalis corruptio aëris ibi erat, nequiuimus colloquio interesse: sicque factum est, vt necessario negotium differretur. Deinde quando tempus habuimus oportunum, venerabiles Patres Narbonen. Apostolicæ sedis Legatus, & Burdegalen. Archiepiscopi, multi præterea Episcopi, & alij Ecclesiarum Prælati, iuxta Tholosam apud Vaurum ad citationem nostram ad Concilium conuenerunt, à quibus prout tenebamur in tanto negotio consilium requisiuimus diligenter. Ipsi vero post multam deliberationem, & diligentem tractatum consilium suum nobis in scriptis dederunt, quatuor, nomine omnium sigillatum sigillis, sicut de verbo ad verbum inferius plenius continetur.

In nomine Domini nostri Iesu Christi, Amen. Hoc est consilium, quod Dominus Narbonen. Archiepiscopus Apostolicæ sedis Legatus, & alij Ecclesiarum Prælati, qui fuerunt in consilio apud Vaurum dederunt Regen. Episcopo & magistro Thedisio Canonico Ianuen. Iudicibus delegatis à Domino Papa, super negotio Comitis Tholosani. Consuluerunt enim eis, quod Comes Tholosanus propter multiplices causas, & rationes non debebat ab eis ad purgationem admitti, tam super crimine Hæreticæ prauitatis, quam super nece Legati. Constat enim, & notarium est, quod de expellendis Hæreticis, & Rotariis de terra sua, & aliis multis articulis multotiens præstitit iuramenta in manibus Legatorum, quorum nullum seruauit. Immo postquam ab Apostolica sede rediit, apud quam multam misericordiam, & gratiam inuenit vltra suorum exigentiam meritorum, iniquitatem iniquitati apponens, adauxit pedagia, impugnauit Ecclesiam & pacem cum Rotariis, & Hæreticis incessanter impugnat, receptauit Hæreticos, fouit, & fouet, & quanta potuit, & potest virtute defendit. Mille insuper, & vltra de Cruce-signatis clericis & laicis, Rotarij eius & complices occiderunt. Præterea Abbatem de Monte Albano fere per annum captum detinuit, Abbatem de Moysiaco cepit, Episcopum Agennensem de propria sede cum Rotarijs eiecit, & ciuitate sua, & aliis bonis omnibus spoliauit, & damnificauit eum in valentia quindecim millia solidorum. Adeo præterea infamatus fuit, & est de hæresi à longis retro temporibus apud bonos, & graues, quod inuincibiliter præsumitur contra ipsum. Propter istas & alias plurimas enormitates, & manifestos excessus ipsius, quæ longum est enarrare, dixerunt Prælati, & concorditer responderunt, quod adeo se fecit indignum, vt ei fieri copia Euangeliorum non deberet à Legatis, vel iudicibus delegatis: & etiam quia tali excommunicationis genere, propter ea quæ dicta sunt, tenetur adstrictus, quod ab eis sine speciali mandato Domini Papæ non potest absolui. Placuit enim toti Concilio vt præsens scriptum sigillis dicti Domini Narbonen. Archiepiscopi & Albien. Tholosan. & Conuenarum Episcoporum suo, & aliorum nomine signaretur. Et quia non poteramus ad purgationem iniungendam Comiti procedere, iuxta Concilium Prælatorum per litteras nostras bis protestati fuimus Comiti sæpedicto, quod per ipsum stabat, & impedimentum præstiterat, ne factum ipsius posset vlterius habere progressum, absque summi Pontificis licentia speciali. Profecto præter alias iniquitates, & abominationes ipsius, Abbatem de Monte Albano fere per annum tenuerat vinculis mancipatum: nec non de sede propria bonis omnibus spoliatum eiecerat Episcopum Agennen. ipse tamen nobis postea per quemdam Notarium suas litteras destinauit, in quibus misericordiam potius, quam iudicium implorabat: postulans à nobis, vt vel mitteremus Tholosam ad ipsum, aut ei assignaremus locum alium competentem quibus diligenter in scriptis rescripsimus, quod in causa eius propter rationes præfatas procedere nullatenus poteramus, & id circo noluimus eum grauare, vel etiam nos ipsos inutiliter laboribus, & expensis. Volentes igitur fines mandati diligentissime custodire, meram & plenam veritatem, scilicet totius facti seriem, & processum beatitudini vestræ breuiter intimamus, cui soli Dominus imponendi finem tantis cladibus, plenissimam scientiam, & potestatem concessit. Ecclesiæ suæ Omnipotens Præsidentiam vestram in longitudinem dierum conseruet.

A

SALVO COMITE THOLOSANO FIDEM CATHOLICAM IN TVTO ESSE NON POSSE.

Sanctiſſimo Patri ac benigniſſimo Domino Innocentio Dei gratia ſummo Pontifici, M. diuina permiſſione Arelaten. Archiepiſcopus, Vu. Auinionen. B. Viuarien. R. Vticen. A. Nemauſen.... Magalonen. G. Carpentoracten. G. Auraſicen. G. Tricaſten. & B. Cauellicen. Epiſcopi, & R. Vaſion. Electus & P. Monaſterij ſancti Ægidij Abbas, humiles ſerui ſanctitatis ipſius longitudinem dierum, cum vita & ſalute perenni.

XXXIV.

VTINAM infallibiliter, & oculata fide poſſet veſtra ſanctitas, ſicut nos poſſumus intueri, qualiter videlicet partes noſtras & fere totam Prouinciam Narbonen. Terras olim miſericordiæ tenebrarum, & vmbræ mortis, & in quibus nullus ordo, ſed confuſio inerat ſempiternæ, per miniſterium veſtrum & illorum, quos ad extirpandum ſolium de agro Dominico ante faciem veſtram operarios deſtinatis, Res gloriæ Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio, ad cultum fidei, ad ſtatum quietis & pacis, & ad debitam reformationem potenter, & mirabiliter reuocauit. Sane regiones & Prouinciæ, quæ traditæ fuerant ſathanæ, & miniſtris eius Hæreticis, rotariis, & cæteris criminoſis in exterminium & direptionem: præcipue quod deteſtabilius erat, in conculcationem, & contemptum nominis Chriſtiani, modo ſub vigilantia veſtra, per gratiam Ieſu Chriſti qui oriens eas viſitauit ex alto, tranſlatæ quaſi de morte in vitam, & de tenebris, & confuſione ad lucem, in Religionis feruore, in tranquilitate temporum & in multis aliis benedictionibus veſtris exultant adeo, & reſpirant, vt quæ prius partes, & hæreditas dæmonum poterant non immerito apellari, nunc hæreditas ſancta, & pacis viſio rectiſſime apellentur. Et vt breuitate ſuccincta plurima colligamus magnalia Dei, & veſtra, quibus de doloribus inferi erepti ſumus, & ab Ægiptiaca ſeruitute, vix poſſent auribus Apoſtolicis, per alicuius ſcientiam, vel facundiam intimari ad plenum. Pro iis & aliis beneficiis veſtris, & vere operibus Vicarij Ieſu Chriſti, quæ ab Oriente in Occidentem illuminant totum mundum, & à mari vſque ad terminos orbis terræ corruſcant, firmiter credimus, & ſperamus pro certo, quod in retributione iuſtorum repoſita eſt vobis corona iuſtitiæ, quam in illum diem redditurus eſt veſtræ beatitudini iuſtus iudex. Verum, Pater ſanctiſſime, adhuc ſummopere timendum eſt, & cauendum ne venenum hydræ, hoc eſt doloſiſſimæ ciuitatis Tholoſæ ſi non tanquam membrum putridiſſimum ſuccidatur, & ipſa circumſtantia loca iam plene purgata, & ſalubria inficiat iterum, & corrumpat, & quod ædificatum eſt & reformatum vobis multis laboribus, & expenſis in antiquum chaos recidat, aut in multo deterius relabatur. Proinde benignitati veſtræ cum deuotione omnimoda flexis genibus, & profuſis lacrimis ſupplicamus, quatenus ſecundum zelum Phinees quam habetis, arripiat iudicium manus veſtra, & fermentatiſſima ciuitas illa cum ſceleratis omnibus ſpurcitiis, & ſordibus quæ ſe infra tumidum ventrem viperæ receperunt, cum in ſua malitia non ſit inferior Sodoma & Gomorra debito exterminio radicitus explantetur. Si enim laqueus ille contritus fuerit, & nos erimus liberati. Alioquin in veritate quæ Deus eſt vobis loquimur & teſtamur, quod ſi forte peccatis noſtris exigentibus tyrannus ille, vel potius Hæreticus Tholoſanus, aut etiam filius eius contritum caput, & fortius contcrendum erigeret aſſumptis aliis ſeptem ſpiritibus nequioribus ſe, vt ſingularis ferus, & leo rugiens, & quærens quod deuoret ſingula deuaſtaret, & ſubuerteret vniuerſa: vt longe tolerabilius eſſet Eccleſiam quæ eſt in partibus noſtris, eſſe vel habitare inter barbaras nationes, quam ad priſtinam confuſionem redire. Prouideat igitur Apoſtolica circumſpectio futuris cladibus, & occurrat, ne præualeat inimicus; nec à tam pio, tam ſancto, & tam vtili opere manus veſtra deſiſtat, quouſque Draco Moyſi prorſus deuorauerit Pharaonis dracones, & fugato Iebuſæo cum incircumciſis aliis &

immundis, populus acquisitionis pacificè terra promissionis fruatur. Ad hæc discretioni Magistri Thedisij plurima paternitati vestræ referenda commisimus, cui super negotiis, & necessitatibus totius Prouinciæ, tanquam nobis ipsis indubitanter credatis, si placet; ipse enim nouit in omnibus plenissime veritatem. Conseruet Deus sanctitatem vestram Ecclesiæ sanctæ suæ per tempora multa. Datum Aurasicæ, decimò Calendas Martij anno Domini millesimo deucentesimo duodecimo. A

EIVSDEM CVM SVPERIORE ARGVMENTI.

Sanctissimo in Christo Patri, ac beatissimo Domino suo Innocentio, Dei gratia summo Pontifici deuoti & humiles serui eius Archiepiscopi, Episcopi, & alij Ecclesiarum Prælati in Concilio apud Vaurum pro sanctæ fidei congregati negotio, cum omni affectione longum vitæ spatium & salutem. B

XXXV.

AD agendas paternitati vestræ solicitudini dignas grates, cum nec lingua, nec calamus nobis sufficiat, retributorem omnium bonorum exoramus, vt nostrum in hoc parte suppleat defectum, & abunde vobis retribuat omne bonum, quod nobis, & nostris, aliisque partium nostrarum Ecclesiæ tribuistis. Cum enim in partibus ipsis pestis hæretica ibi antiquitus seminata nostris temporibus vsque adeo succreuisset, quod cultus diuinus ibidem haberetur omnino in opprobrium, & derisum, & in clerum, & bona Ecclesiastica hinc Hæretici, inde Rotarij grassarentur: & tam princeps, quam populus in reprobum sensum dati à fidei rectitudine deuiaret. Tandem vigilantiæ vestræ solicitudine faciente, ita nos ex altis oriens misericordia visitauit, vt per sanctos exercitus signatorum, quos ad emundandas spurcitias pestis huiusmodi sapientissime deputastis, & Christianissimum eorum principem Comitem Montis-fortis, intrepidum Christi athletam, & inuictum Domini prælij bellatorem, Ecclesia quæ tam miserabiliter corruerat, caput incœperit releuare: & in parte maxima iam destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis, terra dudum à cultoribus falsorum dogmatum conculcata, nunc diuino cultui laudabiliter assuescat restant vero adhuc reliquiæ dictæ pestis, Tholosana videlicet ciuitas, cum castris aliquot, vbi tanquam sordes in sentina cadentes, residuum prauitatis Hæreticæ se collegit: quorum princeps Comes scilicet Tholosanus qui ab antiquis temporibus, sicut multotiens iam audistis, Hæreticorum & fautor extitit, & defensor pro viribus quæ sibi remanserunt, impugnat Ecclesiam, C & quo ad potest, pro fidei hostibus, eius cultoribus se opponit. Ex quo enim à sanctitatis vestræ rediuit præsentia cum mandatis, in quibus vltra omnem suorum exigentiam meritorum egeratis misericorditer cum eodem, introiuit, sicut manifeste videtur, Angelus sathanæ in cor eius, & gratiæ vestræ beneficiorum ingratus, de ijs quæ coram vobis promiserat nil impleuit. Immo pædagia sæpius abiurata vehementer adauxit, & ac si mandatorum ipsorum beneficio renuntiasse intenderet, ad omnes, quos sciuit vestros, & Ecclesiæ Dei aduersarios se conuertit. Sane per Oct. Dei & Ecclesiæ inimicum opinatus contra ipsam Ecclesiam vires assumere sub ipsius confidentia manifeste, sicut asseritur minabatur, quòd Ecclesiam de finibus suis, & clerum radicitus extirparet; Hæreticos, & Rotarios quos multotiens abiurauerat, ex tunc feruentius solito fouere studuit, & tenere. Cum enim Catholicorum exercitus obsideret Vaurum, vbi sedes erat sathanæ, atque erroris Hæretici primatia, ipse in subsidium peruersorum misit milites, & clientes, & in Castro suo, quod Casseri apellatur fuerunt inuenti, & combusti à Crucesignatis, plusquam quinquaginta Hæretici de vestitis, præter credentiũ eorum multitudinem copiosam. Inuocauit etiam contra Dei exercitum Seueri cum Regis Angliæ inimici Ecclesiæ Senescallum; cum quo Christi pugilem prædictum Comitem Montisfortis apud Castrum nouũ Arrij obsidere præsumpsit: sed Christi dexterra faciente cito fuit eius præsumptio in confusionẽ conuersa; ita vt pauci Catholici infinitã Arrianorum multitudinem

A multitudinem effugarent. Prædictorum autem Oct. & Regis confidentia defraudatus, vt qui baculo arundineo nitebatur, cogitauit iniquitatem abominabilem, & Catholicis auribus detestandam, & ad Regem Marrochitanum suos nuntios destinauit, subsidium eius non solum in terræ nostræ, sed totius Christianitatis excidium implorando. Sed conatum eius, & damnabilem intentionem superna pietas impediuit. Episcopum Agennen. à se de propria expellendo, bonis omnibus spoliauit. Abbatem de Moissiaco cepit, & Abbatem Montis-Albani fere per annum tenuit captiuatum. Rotarij quoque ipsius, & complices, peregrinos, clericos & laïcos innumerabiles variis afferere martyriis, & nonnullos detinent, ac diutius tenuere captiuos. In omnibus iis non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta; ita vt fiat quotidie semetipso deterior, & omnia mala quæ potest per se ipsum, & filium, ac complices suos, Fuxensem & Conuenarum Comites, & Gastonem de Benearno, viros sceleratissimos & peruersos contra Dei Ecclesiam operetur. Cum autem vltione diuina, & censura Ecclesiastica memoratus athleta fidei, Comes Christianissimus Montis-fortis terram ipsorum tanquam hostium Dei, & Ecclesiæ, sancto & iusto prælio occupauerit fere totam: ipsi adhuc persistentes in sua malitia, & humiliare se sub potenti manu Domini contemnentes, nuper ad B Regem Arragon. recurrerunt, per quem forte intendunt vestram circumuenire clementiam, & Ecclesiam suggillare. Adduxerunt enim ipsum Tholosæ nobiscum, qui de mandato Legati, & delegatorum vestrorum apud Vaurum conueneramus, colloquium habiturum, qui quæ, ac qualia proposuerit, & quæ nos ei duxerimus respondenda, ex rescriptis, quæ vobis sigillata mittuntur, plenius cognoscetis mittitur etiam sanctitati vestræ consilium, quod delegatis vestris super facto Comitis Tholosanis tribuimus requisisti. Omnes igitur vnanimiter, & concorditer hæc præmissa Sanctitati vestræ intimamus, liberantes animas nostras, ne pro defectu significandi in negotio fidei de contingentibus aliquid omittatur. Demum vero pro animabus nostris, ac commissarum nobis Ecclesiarum substantiis, vestræ misericordiæ supplicantes exposcimus, per viscera misericordiæ Dei nostri, vt liberationis & pacis, immo vitæ nostræ negotium, quod in parte maxima iam feliciter promouistis, cum manifesta iustitia, & potentia sit in promptu feliciori fine dignemini consummare: ponentes ad radicem arboris damnosæ securim, & eam ne noceat vltra perpetuo succidentes. Pro certo namque sciatis, quod si terra quæ dictis tyrannis cum tanta iustitia, & multa Christianorum effusione sanguinis est ablata, ipsis autem & eorum hæredibus restituatur, propter scandalum fidelium, qui hoc negotium promouerunt, non solum fieret nouissimus error peior priore; sed excidium exinde clero, & Ecclesiæ inæstimabile immineret. Ad hæc quoniam enormitates blasphemias, abominationes, & alia scelera prædictorum per singula præsenti paginæ non credidimus annotanda, ne librum terere videremur, quædam in C ore nuntiorum posuimus, quæ sanctis auribus vestris poterunt viua voce referre.

VT EXTIRPANDIS HÆRETICIS EXTREMAM MANVM IMPONAT.

Sanctissimo in Christo Patri ac beatissimo Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici, deuoti & humiles serui eius, Vu. Burdegalen. Vasaten. & Petragoricen. Episcopi cum omni affectione longum vitæ spatium, & salutem.

XXXVI.

AD agendas paternitatis vestræ solicitudini dignas grates, cum nec lingua, nec calamus nobis sufficiat, retributorem bonorum omnium exoramus, vt nostrum suppleat in hac parte defectum, & abunde vobis retribuat omne bonum, quod in Narbonen. & Auxitan. prouinciis, & etiam in partibus nostris, tam Ecclesiis, quam Ecclesiarum Prælatis paterna misericordia tribuistis. Cum enim in dictis partibus pestis hæreticæ prauitatis iam adeo pullulasset, quod eandem corruptis penitus, partes affines affectum morbo simili videbatur. Cumque rotariorum

violentia, Principibus omnibus eiusdem terræ consentientibus, & hoc idem facientibus, Ecclesias, fidemque Catholicam, omnemque religionem Christiani nominis impugnaret, vestræ prouidæ discretioni placuit has incommoditates sapienti consilio refrænare, quia fidelium signatorum, & Comitis Montis-fortis mediante labore mandatum vestrum in parte maxima tam hæreticos, quam rotarios de sedibus suis eiecit: Ita quod diuinus cultus, & pax Ecclesiastica videantur in dictis partibus reflorere: nec iam aliud restat, nisi illud, quod per Sanctitatem vestram feliciter est incæptum, per eandem felicius consummetur. Quocirca paternæ Sanctitati cum omni deuotionis affectu duximus supplicandum, quatenus ad extirpandas reliquias pestium prædictarum dignemini salubre consilium adhibere; ita quod flores pacis, qui iam videntur oriri; in hoc quod in isto negotio est incæptum, ad consummationem fructus faciant expectatos. Si vero, quod absit, opus tam laudabiliter incæptum cum manifesta iustitia, & potentia sic in promptu imperfectum relinqueretur, non solum foret nouissimus error peior priore, sed excidium exinde clero & Ecclesiæ irrecuperabile immineret. Bene, & diu valeat Sanctitas vestra.

VT ABSTINEAT AB HÆRETICORVM DEFENSIONE.

Serenissimo viro, ac Christianissimo Principi Domino P. Dei gratia Illustrissimo Regi Arragonum frater Andreas diuina miseratione Narbonens. Archiepiscopus, Apostolicæ Sedis Legatus salutem in caritate animi, & visceribus Iesu-Christi.

XXXVII.

INTELLEXIMVS non sine multa turbatione, ac amaritudine animi, quod ciuitatem Tholosanam ac Castrum Montis-Albani, & terras alias propter crimen hæreseos, ac alia multa nefanda facinora traditas Sathanæ, ac omni communione sanctæ Matris Ecclesiæ separatas, & Cruce-signatis authoritate Dei, cuius nomen grauiter in eis blasphemabatur expositas, disponitis in protectione, ac custodia vestra recipere, ac eas contra Christi exercitum, & Ecclesiæ defensare. Cum igitur hæc, si vera sint, quod Deus auertat, non solum in salutis vestræ dispendium, sed in honoris Regij, ac opinionis, & famæ possint cædere detrimentum, nos qui salutem vestram, & gloriam, & honorem zelamus totis visceribus, celsitudinem regiam rogamus, consulimus, & exhortamur in Domino, & in potentia virtutis eius, & ex parte Dei, & Redemptoris Domini nostri Iesu-Christi ac sanctissimi Vicarij eius Domini nostri summi Pontificis auctoritate Legationis, qua fungimur inhibemus, & modis quibus possumus obtestamur, ne per vos vel alios terras recipiatis, vel defendatis prædictas. Optamus autem quatenus tam vobis, quam vestris taliter dignemini prouidere, ne communicando excommunicatis, & maledictis hæreticis, & fautoribus eorumdem labem excommunicationis incurrere vos contingat. Vnum autem volumus Serenitatem regiam non latere, quatenus si quos de vestris hominibus in defensione prædictæ terræ duxeritis relinquendos, cum omnes excommunicati sint ipso iure; nos ipsos denunciari excommunicatos, tanquam defensores hæreticorum publice faciemus.

VT HÆRETICORVM RELIQVIAS DELEAT PENITVS.

Sanctissimo in Christo Patri, ac Domino suo Reuerendissimo, Innocentio Dei gratia summo Pontifici, B. dictus Episcopus Biterren. seruus eius humillimus, & fidelis, cum sanctissimorum pedum osculo salutem & vitam.

XXXVIII.

CVM ineffabili Dei clementia, vestræque ministerio sanctitatis terra nostra, ac aliæ circumpositæ, in quibus diabolus peccatis populi exigentibus tantam sibi

potentiam

A potentiam vsurparat, vt omnem in eis rectitudinem peruertisset, & per ministros ipsius sponsa Christi opprobriis, blasphemiis, & quæcumque possint excogitari, afficeretur iniuriis, & omnis diuinus cultus esset in opprobrium, & derisum, in lucem pacis ac fidei tam feliciter cœperint respirare, vt errorum & aliarum peruersitatum auctoribus iam pro parte maxima exturbatis, vexilla ibi Ecclesiæ sint erecta, & ad diuini cultus augmentum, pax, & securitas habeatur: remansit adhuc ibi magna quædam errorum, omniumque vitiorum sentina, Tholosa videlicet Ciuitas, & alia quædam loca, in quibus totius prauitatis hæreticæ reliquiarum spurcitia se collegit, quæ nisi fuerit per longanimitatem vestræ sanctæ solicitudinis auulsa funditus, & radicitus extirpata, genimina proculdubio viperarum, & spuria vitulamina iterum pullulabunt, & longe deteriorem priore morbum facient recidiuum. Nos igitur, Beatissime Pater, quos tanquam propius positos magis negotium istud tangit, sanctissimam pietatem vestram rogamus, fusisque votiuis lacrymis exoramus, in visceribus Iesu Christi, quatenus nostro, aliorumque Prælatorum iugulis, & Ecclesiarum substantiis, quibus Comitis Tholosani & filij eius si resurgerent gladius inexorabiliter immineret, misericorditer prospicientes imposterum negotio pacis, & fidei, quod tam prudenter ac potenter hactenus promouistis, finem B perfectum & stabilem imponatis. de infidelitate namque dicti Comitis, & immanitate, quam per satellitem suum exercuit in Legatum, super quo per ratihabitionem & honorem, & beneficia, quæ ipsi occisori exhibuit, conuincitur manifeste, satis potest vestræ Sanctitati constare. Prouideat quoque vestra paternitas, ne Rex Arragon. qui, vt salua reuerentia vnctionis loquamur, factus videtur filius infidelis, & præsumptuose se iactat, quod dicto Comiti, & complicibus eius hæreticis, rotariis sacrilegis, homicidis, & omnium flagitiorum generibus irretitis restitutionis terrarum suarum, & gratiæ vestræ beneficium obtinebit, ad vestram præsentiam eos ducens, aliquatenus vos circumueniat. Profecto namque si dicta ciuitas quæ nidus hæreticorum existit, & extitit ab antiquo, itaque si dicta ciuitas quæ nidus hæreticorum existit, & extitit ab antiquo, ita quod sicut legitur ob causam similem fuit olim euersa funditus, & etiam exarata, remanserit pestilentibus memoratis, adhuc flamma egredietur de ipsa, quæ partes nostras, & alias circumpositas peius solito profligabit.

NE COMITEM THOLOSANVM DITIONI SVÆ RESTITVI PATIATVR.

Sanctissimo Patri & Domino suo Innocentio Dei gratia summo Pontifici, C B. sola Dei miseratione Minister Aquen. humilis, salutem & se ipsum ad pedes.

XXXIX.

COMPENDIOSA narratione beatitudini vestræ duximus intimandum, quod reformatio pacis, & Ecclesiæ, ac alia bona, quæ per solicitudinem vestram in partibus nostris dignatus est Dominus operari, nulla possent ratione secundum inferiores causas durare in posterum, si forte Tholosam Comes, aut filius eius peccatis nostris exigentibus & terram quouis ingenio recuperaret amissam. Ideoque sanctitati vestræ humiliter supplicamus, quatenus super hoc taliter, & tam caute dignemini prouidere, si placet, quod nouissimus error non sit peior priore. Conseruet Dominus sanctitatem vestram Ecclesiæ sanctæ suæ.

Episcoporum in oppido Vaurensi Congregatorum Consilium.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi Amen. Hoc est Consilium quod Dominus Narbonen. Archiepiscopus Apostolicæ Sedis Legatus, & alij Ecclesiarum Prælati, qui fuerunt in Concilio apud Vaurum dederant Regen. Episcopo, & magistro Thedisio Canonico Ianuen. Iudicibus delegatis à Domino Papa super negotio Comitis Tholosan. Consuluerunt enim eis, quod Comes Tholosanus

propter multiplices causas, & rationes non debebat ab eis ad purgationem admitti, A tam super crimine hæreticæ prauitatis, quam super nece Legati. Constat enim & notorium est, quod de expellendis hæreticis, & rotariis de terra sua, & aliis multis articulis multotiens præstitit iuramenta in manibus Legatorum, quorum nullum seruauit; immo postquam ab Apostolica Sede rediit, apud quam multam misericordiam, & gratiam inuenit vltra suorum exigentiam meritorum, iniquitatem iniquitati apponens, adauxit pedagia, impugnauit Ecclesiam, & pacem cum rotariis, & hæreticis incessanter impugnat, receptauit hæreticos, fouit & fouet. & quanta potuit, & potest virtute defendit. mille insuper & vltra de Cruce-signatis clericis, & laicis, rotarij eius & complices occiderunt. Præterea Abbatem de Monte-Albano fere per annum captum detinuit, Abbatem de Moysiaco cepit. Episcopum Agenen. de propria sede cum rotariis eiecit, & ciuitate sua, & aliis bonis omnibus spoliauit, & damnificauit eum in valentia quindecim millium solidorum. Adeo præterea infamatus fuit; & est de hæresi à longe vestro temporibus apud bonos & graues, quod inuincibiliter præsumitur contra ipsum. Propter istas & alias plurimas enormitates, & manifestos excessus ipsius, quæ omnia longum est enarrare, dixerunt Prælati, & concorditer responderunt quod adeo se fecit indignum, vt ei B fieri copia Euangeliorum non debeat à Legatis, vel Iudicibus delegatis: & etiam, qui à tali excommunicationis genere propter ea quæ dicta sunt tenetur astrictus, quod ab eis sine speciali mandato Domini Papæ non potest absolui. Placuit etiam toti Concilio, vt præsens scriptum sigillis dicti Domini Narbonen. Archiepiscopi, & Albien. Tholosani & Conuenarum Episcoporum, suo, & aliorum nomine signaretur.

NON POSSE A SE COMITEM THOLOSANUM ABSOLVI.

Nobili viro N. Comiti Tholosano, Hugo Dei gratia Regensis Episcopus, & Magister Tholosanus Canonicus Januensis spiritum Concilij sanioris.

XL.

NVPER litteras vestras per quemdam militem. Quambonum nomine, recepimus, in quibus licet contineretur expressè, quod parati eratis mandatis nostris humiliter obedire; vos tamen neque mandatis Domini Papæ secundùm tenorem rescripti, quod olim obtinuistis ab ipso, neque mandatis quæ vobis fecimus in Concilio apud Sanctum Ægidium, neque insuper mandatis, & monitis Legatorum, & Ecclesiæ quæ vobis apud Narb. & Montem-pessulanum postmodum facta fuerunt obedistis in aliquo, vel etiam obeditis, sicut per euidentiam operis ma- C nifeste apparet. Sane postquam recessistis à nobis, abiurata pedagia in vestræ famæ ac animæ præiudicium multipliciter adauxistis, & vt in paucis multa breuiter concludamus, fere nihil ex iis quæ diuersis temporibus in manibus Legatorum iurastis, & præcipue tempore bonæ memoriæ Magistri Milonis, prout satis manifestum est, curauistis implere: immo quod dolentes & inuiti dicimus, rotarios & hæreticos contra fidem, & Ecclesiam, & pacem etiam tenuistis postmodum & tenetis. A quibus, & aliis complicibus, vestris mille signati, & vltra, clerici & laici in grauissimam Creatoris iniuriam, & contemptum occisi fuerunt: iniquitatem etiam iniquitati addentes, Abbatem de Monte-Albano longo tempore tenuistis in vinculis. Venerabilem Patrem Agennen. Episcopum ciuitate sua, & bonis aliis spoliatum, cum rotariis vestris à Sede propria eiecistis. Ad nos etiam aliquando auctoritate Domini Papæ citati contempsistis venire; nec super negotio vestro, quod nobis à summo Pontifice postulastis committi, fuimus aliquando requisiti à vobis; quamuis enim sciueritis nos per octo dies fecisse moram propter factum vestrum iis temporibus in Concilio apud Vaurum, ad nos neque litteras vestras direxistis, neque nuncium specialem. Propter igitur supradicta, & alia multa adeo vos fecistis indignos, quod in negotio vestro ad purgationem secundum mandatum Domini Papæ procedere non valemus, prout fuit coram nobis à toto Concilio definitum. Ideoque vobis per præsentes litteras protestamur, quod hæc omnia per proprium

A proprium nuntium litteris nostris Domino Papæ curabimus diligentissime intimare, vt ipse circa personam vestram, & factum secundum quod suæ beneplacitum fuerit Sanctitati procedat.

COMITIS THOLOSANI IVRAMENTVM SVMMO PONTIFICI INSINVANT.

Sanctissimo Patri & Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici Raymundus per eandem Tarraconensis Archiepiscopus & Episcopi & Abbates, qui secum præsentes fuerunt summa cum deuotione subiectionem & debitum famulatum.

XLI.

SANCTITATI vestræ notum facimus Dominum Regem Arragonum, cum B Tholosam accessit, vt Comites Tholosani & Fuxen. & Conuenarum & Gaston. de Bearno ad beneplacitum, & mandatum vestrum libere & absolute recipiendum induceret, & pro viribus fideliter adimplendum, ad abundantem cautelam securitatem in scriptis redactam ab eisdem recepit in hunc modum: Ego Raymundus Dei gratia Comes Tholosæ, Dux Narbonæ, March. Prouinciæ, & ego R. filius eius gratuita voluntate, non coacti, nec vi, nec dolo inducti mittimus personaliter nos ipsos, & Tholosam ciuitatem, & suburbium, & villam Montis-Albani cum omnibus eorum pertinentiis terminis siue adiacentiis, & totam aliam terram nostram, quam habemus & habere debemus, cum militibus & hominibus, singulis & vniuersis, nunc vel in futurum habitantibus, & ad vltimum cum omnibus viribus, & rationibus, quæ ad nos vbique pertinent, vel pertinere debent aliquo iure, siue aliqua ratione in manu & posse vobis Domino. P. Dei gratia Regi Arragon. & Comiti Barch. & eis qui de voluntate vestra, vel mandato vices vestras obtinuerint, mittimus, inquam, in posse vestrum, ac potestatem prædictam terram totam, sicut dictum est, & aliam, quam Deo præstante recuperabimus. Tradentes vobis etiam, & in vos, eosque qui locum vestrum tenuerint transferentes corporalem possessionem locorum omnium, & iura omnia, seu rationes, cum plena iurisdictione, ac potestate: tali modo quod tam in personis nostris, quam iis omnibus nominatis voluntati Domini Papæ, & mandato possitis obtemperare, & satisfacere, & cogere cum effectu nos, si forte proni, & accliues ad mandatum eius prosequendum, quod Deus auertat, noluerimus adesse: promittentes vobis bona C fide, quod tam ea, quæ Dominus Papa, vel vos pro eo nobis mandaueritis, pro posse nostro faciemus, & adimplebimus sine dolo, & fraude. Hæc omnia, quemadmodum superius scripta sunt attendemus, & obseruabimus bona fide, & sine malo ingenio pro posse nostro, & contra non veniemus per nos, vel per aliam quamcumque personam, vel venire contra faciemus, nec aliquid contra machinabimus, quæ omnia prædicta per Deum, & hæc sacrosancta Euangelia corporaliter à nobis tacta iuramus. Mandamus præterea capitulo, & Vniuersitati Tholosæ Vrbis, & suburbij, vt vobis Domino P. Regi prædicto faciant fidelitatem, & sacramentum ad omnia supradicta exequenda, adimplenda, & fideliter obseruanda. Hoc fuit ita appositum V. die Ianuarij in exitu, feria I. Ph. Francorum Rege regnante, & eodem Raymundo Tholosan. Comite & Fulcone Episcopo, anno ab Incarnatione Domini Millesimo, ducentesimo, XII.

Consulum Tholosæ iuramentum.

NOS Consules Tholosæ vrbis, & suburbij, Bertrandus de sancto Lupo, Arnaldus de Castro-nouo, & Bertrandus Petrus Toytius, & Arnaldus Gilabertus, & Petrus de sancto Romano, & G. de Pozano, & A. de Roaisio, filius Arnaldi de Roaisio qui fuit, & R. de Roaisio, & G. Arnaldus de Monte totino, & B. Arnaldus Raynaldus, & Stephanus vitalis & R. Vitalis de Dealbata, & B.

Petrus de Cozan. & G. Isarnus, & R. Robertus de Tauro, & Vitalis de Princhaco, & P. Embrinus, & G. Pontius Astro, & B. Raymundus, & R. de Schalchensibus, & A. de Roaisio filius B. de Roaisio, qui fuit, & Hugonis Surdus, & B. Geraldus & Stephanus Signarius de voluntate expressa, & mandato Domini R. Dei gratia Tholosæ Comitis, Ducis Narbonæ, March. Prouinciæ, & R. filij eius de communi consensu Vniuersitatis Tholosæ, promittimus vobis Domino P. Dei gratia Regi Arragon. & Comiti Barch. quod ad omnia tenenda, & habenda, & plenarie exequenda, & potenter possidenda, quæ Dominus R. Comes Tholosæ, & R. eius filius vobis promiserunt, quemadmodum in superiori instrumento ab eis vobis facto plenius continetur, curam dabimus, & operam, & diligentiam, quam poterimus, adhibebimus, vt tam de personis suis, quam de honoribus suis, quos nunc habent, vel habere debent, vel Deo præstante recuperabunt possitis satisfacere voluntati, & mandato Domini Papæ, & vobis in iis, quæ eisdem Dominus Papa decreuerit iniungenda. Promittimus bona fide, & sine dolo ac fraude, auxilium, consilium, & opem, quantam poterimus, & iuuamen, & ad omnia adimplenda omnimodam fidelitatem vobis, & eis qui locum vestrum tenuerint. Promittimus etiam vobis nos singuli, & vniuersi prænominati Consules, & tota Tholosæ vniuersitas, quod in iis omnibus quæ ex parte Domini Papæ, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ nobis mandaueritis vos, vel illi qui vices vestras tenuerint, voluntati Domini Papæ strenuus in omnibus, & per omnia, & arbitrio seu cognitioni vnusquisque per se, & contra non veniemus aliqua ratione. Hæc omnia superius scripta attendemus, & obseruabimus, ac complebimus bona fide, & contra aliquid non machinabimus per nos, vel per aliam quam cumque personam. Sic nos Deus adiuuet, & hæc sacrosancta Euangelia à nobis singulis iureiurando corporaliter tacta. Et ad huius negotij fidem pleniorem, hanc paginam sigillorum Comitis, & filij eius, & Capituli Tholosæ auctoritate roboramus. Hoc fuit ita positum v. die Ianuarij, in exitu, feria 1. Ph. Rege Francorum regnante, & eodem R. Tholosan. Comite, & Fulcone Episcopo, anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo duodecimo.

Professio Comitis Fuxensis.

IN Dei nomine cunctis pateat, quod nos Raymundus Rogerij, Dei gratia Comes Fuxen. & Rogerius Bernardi filius eius ad honorem Dei, & sanctæ Matris Ecclesiæ, & Domini Innocentij, qui sacrosanctæ Romanæ Sedis obtinet præsulatum, ponimus, & mittimus personas nostras, & vniuersa Castra nostra, & munitiones, & fortia, & cannas, scilicet Castrum de Fuxo, de Monte-Galardi, de Monte-Oliuo, de Castro pendenti, de Tarascon. de Aifnasco, de Rauato, de Miramonte, de Mereglos, de Genacto, de Vgenacto, de Vico, de Monte-Regali, de Castro Virdun. de Lurdat, de Vnacco, & de Haus, & vniuersas Cannas, de Solobria, de Subitan, de Onolacco, de Verdun, de Agnauis, & de Heliato, & Montana, & Valles, & omnem aliam terram nostram, quæ ad nos & nostros quocumque iure, vel causa pertinet, aut pertinere debet, aut potest, in manu, & potestate vestri, Domini nostri Regis Arragonum, & Comitis Barch. vt ea omnia plenarie, & potenter teneatis, & possideatis. Eo tamen pacti tenore apposito, & forma, vt per detensionem prædictorum honorum, & nostrarum personarum possitis compellere, & vrgere nos ad omnia illa exequenda, & obseruanda, quæ Dominus Papa, & sacrosancta Romana Ecclesia de personis nostris, & rebus decreuerit. Statuenda sub periculo ergo commissionis, & pœna omnium prædictorum Castrorum, & totius terræ nostræ vobis stipulantibus per solemnem stipulationem bona fide promittimus, quod omnia quæ Dominus Papa nobis de personis, aut de terra nostra iniunxerit, fideliter curabimus adimplere, & in perpetuum modis omnibus obseruare, & quod ita totum adimpleamus, & contra non veniamus, vel aliqua arte, vel ingenio, vel ab aliqua persona veniri sustineamus: de omnibus concedentes vobis potestatem plenariam per Deum, & hæc sancta Euangelia corporaliter tacta sponte iuramus. Cognoscentes per idem sacramentum vobis pridem nos eandem potentiam concessisse. Et ad maiorem huius facti euidentiam hanc paginam nostri sigilli præsentia communimus. Actum est hoc, & ita concessum apud Tholosam v 1. Kal. Feb.

A Feb. anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo duodecimo. Bernardus de Vgenauo prædicti Domini Comitis Fuxen. Notarius existens hanc circumscripsit, & sigillo eiusdem corroborauit.

Professio Comitis Conuenarum.

IN Dei nomine cunctis sit manifestum, quod nos Bernardus Comes Conuenarum, & Bernardus filius eius, ad honorem Dei, & sanctæ matris Ecclesiæ, & Domini Innocentij, qui sacrosanctæ Romanæ sedis obtinet Præsulatum, ponimus, & mittimus personas nostras in manu, & potestate vestri Domini nostri P. Dei gratia Regis Aragon. & Comitis Barch. cognoscentes & veraciter confitentes, nos quidem tradidisse terram vestram nobis, & militi vestro, nomine P. de Alcalano speciali nuncio à vobis ad hoc misso, vt eam plenarie teneatis & potenter possideatis, eo tenore apposito, & forma, vt per detensionem personarum nostrarum, & terræ nostræ possitis compellere, & vrgere nos ad omnia illa exequenda, & obseruanda, quæ Dominus Papa, & Sacrosancta Romana Ecclesia de personis nostris, B & rebus decreuerit statuenda. Sub periculo ergo commissionis & pœna totius terræ nostræ vobis stipulantibus per solemnem stipulationem bona fide promittimus, quod omnia quæ Dominus Papa nobis de personis, aut terra nostra iniunxerit, fideliter curabimus adimplere & in perpetuum modis omnibus obseruare, & quod ita totum adimpleamus, & contra non veniamus, vel aliqua arte aut ingenio ab aliqua persona veniri substineamus: de omnibus concedentes vobis potestatem plenariam per Deum, & sancta Euangelia corporaliter tacta sponte iuramus: & ad maiorem huius facti euidentiam hanc paginam nostri sigilli præsentia confirmamus. Hæc acta sunt apud Tholosam VI. Cal. Febr. anno Dominicæ Incarnationis, millesimo, ducentesimo, duodecimo.

Professio Gastonis de Benearno.

IN Christi nomine sit notum cunctis, quod ego Gasto Dei gratia Vice-comes Bearnen. & Comes Bigorræ ad honorem Dei, & sanctæ matris Ecclesiæ, & Domini Innocentij, qui sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ sedis obtinet Præsulatum, pono, & mitto personam meam, & Castra de Lurda, de Olerone, de Montanerio, de Miramon, de Cadelo, & omnem aliam terram, quam habeo, & habere debeo vel ad me vel meos pertinet, aut pertinere debet, & potest aliqua ratione, aliquo iure, vel causa, & illam totam quam habere & recuperare potero Deo dante, in manu, & potestate vestri Domini mei P. Dei gratia Regis Aragon. & Comitis Barchiæ, vt C ea omnia plenarie, & potenter teneatis, & possideatis: eo pacti tenore apposito, & forma, vt per detentionem prædictorum bonorum, & meæ personæ possitis compellere, & vrgere me ad omnia illa exequenda, & obseruanda, quæ Dominus Papa, & sacrosancta Romana Ecclesia de persona mea, & rebus decreuerit statuenda. Sub periculo ergo commissionis, & pœna omnium prædictorum Castrorum, & totius terræ vobis stipulantibus per solemnem stipulationem bona fide promitto, quod omnia quæ Papa mihi de persona, aut terra mea iniunxerit, curabo fideliter adimplere, & in perpetuum modis omnibus obseruare; & quod ita totum adimpleam, & contra non veniam vel aliqua arte, vel ingenio, vel aliqua persona veniri sustineam: de omnibus concedens vobis potestatem plenariam per Deum, & hæc sancta Euangelia corporaliter tacta sponte iuro: & ad maiorem huius facti firmitatem hanc paginam mei sigilli auctoritate confirmo. Actum est hoc apud Tholosam VI. Calendis Februariis anno Dominicæ Innarnationis millesimo, ducentesimo, duodecimo.

ET quoniam visum est Domino Regi, eiusque curiæ ipsa originalia penes se potius retinere, quam incertis casibus fortunæ committere, ad pedes sanctitatis vestræ eorum mittit scripta sigillis nostris communita verbo ad verbum fideliter sumpta nullo vel addito, diminuto, vel in aliquo immutato. Hoc autem transcriptum factum fuit apud Perpinianum fideliter ij. Cal. April. ab Incarnatione Domini millesimo, ducentesimo, tertiodecimo.

A

VT LEGATVM APOSTOLICVM SVPER FOEDERE CVM REGE ANGLIÆ AVDIAT.

Illustri Regi Franciæ.

XLII.

CVM pro reconciliatione Regis, ac regni venerabilem F. N. Episcopum Tusculan. virum Deo gratum, & acceptum hominibus, quem inter alios fratres nostros merito suæ Religionis & honestatis speciali diligimus caritate, in Angliam destinemus: & expedire credamus, quod inter te, ac Regem Angliæ pacis fœdera reformentur; Serenitatem tuam rogandam duximus, & monendam, quatenus super hoc intendas humiliter monitis, & Consiliis eiusdem Legati, vt preces, & monitiones Apostolicas, sicut hactenus fecisse dignosceris, nunc etiam admittere comproberis; ita quod deuotio tua semper ad sedem Apostolicam deuotior approbetur. Datum Laterani III. Non. Iulij, Pont. N. anno XVI. B

CONFIRMAT QVÆ A LEGATO APOSTOLICO GESTA FVERANT.

Nobili mulieri Blanchæ Comitissæ Campaniæ, ac Theobaldo nato eius.

XLIII.

EX parte vestra fuit propositum coram nobis, quod dilectus filius noster R. tituli sancti Stephani in Cælio Monte Presbyter Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus, adiunctis sibi quibusdam Episcopis, & aliis bonis viris super hoc, quod inclytæ recordationis Comes Henricus ad partes vltramarinas iturus, terram suam T. fratri eius fecit iurari, si de illis partibus non rediret, & quod prædictus Comes cum claræ memoriæ... Regina Hierosolymitana post mortem Marchionis Montis-ferrati, qui eam Vnfredo de Toron legitimo viro eius violenter abstulerat, ipso Vnfredo viuente, contraxit, quosdam testes recepit, pro eo quod de morte quorumdam illorum, cum essent senes, poterat merito dubitari, & de longua timeri absentia aliorum, nec non & periculis aliis, quæ propter guerras poterant imminere. Nos igitur vestris precibus annuentes, quod super ijs prouide, ac legitime factum est, per Cardinalis prædictum robur habere præcipimus firmitatis. C
Datum Laterani III. idus decembris Pont. N. anno XVI.

DISPENSAT SVPER COGNATIONE.

Nobili viro Herueo Comiti, & Matildi vxori eius Comitissæ Niuernensi.

XLIV.

ASCITIS aliis in partem solicitudinis summus Pontifex assumptus est in plenitudinem potestatis, qui cum moderator sit Canonum. Iuri non facit iniuriam, si dispensat, præsertim cum dispensatio sic iuris vincula laxet in aliquo, quod in aliis non dissoluit: & sic beneficium gratiæ specialis inducat, quod vigorem constitutionis non perimit generalis. Sane supplicastis nobis, vt cum per tredecim annos in conspectu Ecclesiæ cohabitaueritis, vobis ad inuicem de cohabitatione huiusmodi sobole procreata, impedimentum ex eo quod vos quarto gradu parentelæ, vel remotiori contingitis, amouere per dispensationis gratiam dignaremur, maxime ob reuerentiam Crucifixi, ad cuius vos obsequium deuouistis, signo Crucis

A Crucis assumpto in subsidium Terræ sanctæ. Quia vero dignum est vt in eius Vicario, cuius causam in isto negotio specialiter assumpsisse videmini, fauorem inueniatis gratiæ specialis, considerato etiam, quod super facto Virliliacensis Ecclesiæ circa procurationes mandatum Apostolicum impleuistis, vobis cum in gradu prædicto, & remotiori, si eo vos fortè contingitis, auctoritate Apostolica de fratrum nostrorum consilio dispensamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ dispensationis, &c. si quis autem, &c. Datum Laterani XIII. Cal. Ianuarij Pont. N. anno XVI.

VT COMITEM CONVENARVM, ET FVXENSEM ABSOLVAT.

Eidem.

XLIV.

B ET si nobilium virorum Comitis Conuenarum, & Gastonis excessus graues sint plurimum, & enormes: quia tamen humiliter pulsantibus non est Ecclesiæ aditus præcludendus, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus sufficienti ab eis, iuxta quod videris expedire, cautione recepta, ipsos reconcilies Ecclesiasticæ vnitati, & disponas de illis secundum Deum, prout de prudentum virorum consilio videris disponendum. Datum Laterani XI. Cal. Februarij Pont. N. anno XVI.

CRVCESIGNATOS AD NEGOTIVM FIDEI STRENVE PERAGENDVM ADHORTATVR.

GRIMALDO *& sociis suis Cruce-signatis.*

XLVI.

CVM in cruce Domini nostri Iesu Christi gloriari oporteat Christianos, eis non deerit doloris materia, dum lignũ salutiferæ Crucis, in quo salus mundi pependit, & æternæ mortis Chirographum vita moriendo deleuit, sub manu tenetur hostili, sepulchro Dominici corporis glorioso, vtcumque facto inglorio, & ab impiis prophanato, venerunt siquidem gentes in hæreditatem Dominicam, & loca sancta proles polluit chananæa. Sed cum in Christo simus hæredes, satis in publico nostrum
C si volumus videmus opprobrium eo quod hæreditas nostra versa est ad alienos, & domus nostræ ad extraneos deuenerunt, & sic nobis iniuriarum actiones abundant, cùm & Dominicas prosequi teneamur, & nostras obmittere minimè debeamus: ne in illo minus deuoti, & in nobis desides reputemur, si super hoc non exoluerimus Domino debitum, & interesse neglexerimus nostræ fidei speciale. Præsertim cùm, etsi vtriusque causæ merita se contingant, vtraque tamen felices, & suos habet effectus, eo quod in huiusmodi casu, causa Dei temporalis honoris commodum non excludit, & nostræ æternæ gloriæ præmio non priuatur. Vnde feruenter & prouidè currendum est in huiusmodi stadio, vt tale possit brauium comprehendi, feliciter & constanter est in hoc agone pugnandum, vt tanti præmij corona sequatur. Quapropter gaudere potestis in Domino vobis esse diuinitus sicut credimus, inspiratum, vt vos ad tanti Regis deuoueritis obsequium, signo Crucis assumpto, in subsidium Terræ sanctæ, ibi peregrinaturi pro Domino, vbi Rex Regum & Dominus Dominantium dignatus est peregrinari pro seruis, vt eos supernæ patriæ ciues, & æternæ beatitudinis faceret cohæredes. Eia igitur, viri prudentes, iactate in Domino cogitatum, & ipse diriget gressus vestros, non in viribus vestris, siue prudentia, sed in illius potentia, & misericordia confidentes, qui currum & exercitum Pharaonis proiecit in mare, gloriosus in sanctis suis, & in maiestate mirabilis cuius verbo cœli firmati sunt, & cum imperat mari & ventis cessat tempestas. Nec est vobis de aduersis

SSſ ij

partis multitudine desperandum, si puro corde prælium Domini sabahot curaueritis A
præliari. Memores quod in Gedæonis prælio sub breui satis numero suum Dominus restrinxit exercitum, & de inermis funda Dauid emissi lapides armati Philistæi superbiam depresserunt. Cæterum cum procedatis in Domino parare viam exercitui generali, ea remissionis & immunitatis gratia volumus vos gaudere, quam in generalibus duximus exprimendam. Datum Laterani XV. Cal. Martij Pont. nostri anno XVI.

VT CRVCE-SIGNATIS NAVIGIA COMMODENT.

Nobili viro Duci, & Consiliariis Venetorum.

XLVII.

CVM in cruce Domini &c. *vt supra, vsque*, debeamus. Sanè dilectus filius nobilis vir Grimaldus de Monte Silicis, & quamplures socij sui zelati Christianæ gentis honorem, humeris suis signo Crucis impresso se deuouerunt ad obsequium B
Crucifixi, Hyerosolimam profecturi, vt ibidem sub Crucis vexillo militent Deo Regi, qui pro nobis triumphauit in Cruce Verum cum ipsi non in viribus suis, nec virorum multitudine, sed in illius potentia cōfidentes, qui currum & exercitum Pharaonis proiecit in mare, gloriosus in sanctis suis, & in maiestate mirabilis proponant cum cautela procedere, ac parare viam exercitui generali, nobis cum multæ deuotionis instantia supplicarunt, vt cum nauigio egeant, super hoc vobis scribere dignaremur. Porrò à tanti Regis obsequio manus vestra non debet esse remota, quoniam sic causa Dei agitur, quod cuiuslibet fidelis commoditas geritur in hoc casu. Absurdum quoque videretur & absonum, si prudens potentia, & potens prudentia vestra quæ in multis temporalibus eminet, lateret, quod absit, in negotio Iesu Christi, vbi dum temporale præstatur obsequium, æternæ felicitatis præmium expectatur. Eia igitur viri prudentes & prouidi ad factum tam laudabile auxilij manum porrigite vt prædicti Cruce-signati pro competenti naulo vestro nauigio transeant, vel de vestra licentia naues emant à Venetis, quibus valeant transfretare. Verum quia iacula impræuisa plus nocent, transitus talium ante tempus in publicam deduci non debet notitiam, vt prælium Domini eo salubrius prælientur, quo minus præscientiæ clypei aduersarij fuerint præminuti. Datum vt suprà.

VT GRIMALDVM TERRÆ SANCTÆ DEFFENSIONEM MEDITANTEM PRO VIRIBVS ADIVVENT. C

Archiepiscopis, & Episcopis per Lombardiam, & Tusciam constitutis.

XLVIII.

QVAM laudabile, quam pium, & fauorabile pro subsidio Terræ sanctæ propositum lator præsentium Nobilis vir Grimaldus assumpserit, ipsius relatione poteritis edoceri. Cum igitur res sit digna fauore, immò dignissima, Vniuersitati vestræ per Apostolicum scriptum mandamus quatenus habentes ad illum respectum cuius causa specialiùs geritur in hoc casu, opem detis & operam, vt viros inueniat secundum cor suum, cum quibus in diuinæ virtutis potentia, quod pio concepit proposito in subsidium Terræ sanctæ, salubri persequatur effectu. Ceterum quia præuisa iacula minus nocent, expetit vt quod idem vobis secreto retulerit, in publicam non deducatur notitiam ante tempus, vt dante Domino exequatur efficaciùs, quod intendit, quo minus aduersarij fuerint præmuniti. Vos denique fratres Archiepiscopi & Episcopi. Datum Romæ apud sanctum Petrum XI. Cal. Martij Pontificatus Nostri anno XVI.

DOMINI

A

DOMINI INNOCENTII PONTIFICIS MAXIMI, HVIVS NOMINIS TERTII,

EXPEDITIONIS PRO RECVPERANDA TERRA SANCTA ORDINATIO.

AD liberandam Terram sanctam de manibus impiorum, ardenti desiderio aspirantes, de prudentum virorum consilio, qui plenè nouerant circonstantias temporum & locorum, sacro approbante B Concilio diffinimus, vt ita Cruce-signati se præparent, quod in Kalendas Iunij sequentis post proximum, omnes qui disposuerunt transire per mare, conueniant in regnum Siciliæ, alij, sicut oportuerit, & decuerit, apud Brundusium, & alij apud Messanam, & partes vtrobique vicinas, vbi & nos personaliter, Domino annuente, disposuimus tunc adesse, quatenus nostro consilio & auxilio exercitus Christianus salubriter ordinetur, cum benedictione diuina, & Apostolica profecturus. Ad eumdem quoque terminum se studeant præparare, qui proposuerunt per terram proficisci. Significaturi hoc interim nobis, vt eis ad concilium & auxilium, Legatum idoneum de nostro latere concedamus.

SACERDOTES autem, & alij Clerici, qui fuerint in exercitu Christiano, tam subditi, quam Prælati, orationi & exhortationi diligenter insistant, docentes eos verbo pariter & exemplo, vt timorem & amorem semper habeant diuinum antè oculos, ne quid dicant aut faciant, quod diuinam maiestatem offendat. Et si aliquando lapsi fuerint in peccatum, per veram pœnitentiam mox resurgant gerentes humilitatem cordis, & corporis & tam in victu, quam in vestitu mediocritatem seruantes, dissentiones, & æmulationes omninò vitando rancore ac liuore à se penitus relegatis, vt sic spiritualibus & materialibus armis muniti aduersus hostes fidei securiùs prælientur, non de sua præsumentes potentiâ, sed de diuina virtute sperantes. Ipsis autem Clericis indulgemus vt beneficia sua integra percipiant per triennium, ac si essent in Ecclesiis residentes, & si necesse fuerit ea per idem tempus pignori valeant obligare.

C NE igitur hoc sanctum propositum impediri, vel retardari contingat, vniuersis Ecclesiarum Prælatis districtè præcipimus, vt singuli per loca sua illos, qui signum Crucis disposuerunt resumere, ac tam ipsos quam alios Cruce-signatos, & quos adhuc signare contigerit, ad reddendum vota sua Domino diligenter moneant & inducant, & si necesse fuerit per excommunicationis in personas, & interdicti sententias in terras eorum, omni tergiuersatione cessante, compellant, illis dumtaxat exceptis, quibus tale impedimentum occurrerit, propter quod secundum sedis Apostolicæ prouidentiam, votum eorum commutari debeat meritò vel differri.

AD hæc ne quid in negotio Iesu Christi de contingentibus omittatur, volumus & mandamus, vt Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates & alij, qui curam obtinent animarum, studiosè proponant sibi commissis verbum Crucis, obsecrantes per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum solum verum æternum Deum, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites & Barones, aliosque Magnates, nec non Communiones ciuitatum, Villarum, Oppidorum, vt qui personaliter non accesserint in subsidium Terræ sanctæ, competentem conferant numerum bellatorum cum expensis ad triennium necessariis, secundum proprias facultates, in remissionem peccatorum suorum, prout in generalibus litteris est expressum, & ad maiorem cautelam etiam inferiùs exprimemus.

HVIVS remissionis volumus esse participes, non solum eos, qui naues proprias

exhibent, sed etiam illos, qui propter hoc opus naues studuerint fabricare. Renuentibus autem, si qui fortè tam ingrati fuerint Domino Deo nostro, ex parte Apostolica firmiter protestentur, vt se sciant super hoc nobis in nouissimo districti examinis die coram tremendo iudicio responsuros: prius tamen considerantes qua conscientia, quave securitate confiteri poterunt coram vnigenito Dei filio Iesu Christo, cui omnia pariter dedit in manus, si ei pro peccatoribus crucifixo, seruire renuerint in hoc negotio, quasi propriè sibi proprio, cuius munere viuunt, cuius beneficio sustentantur, quin etiam eius sanguine sunt redempti. A

Ne verò in humeros hominum onera grauia & importabilia imponere videamur, quæ digito nostro mouere nolimus, similes illis qui dicunt vtique sed non faciunt, ecce nos de his vltrà necessarias & moderatas expensas potuimus reseruare, triginta millia librarum in hoc opus concedimus & donamus, præter nauigium quod Cruce-signatis de vrbe, atque vicinis partibus conferimus assignaturi nihilominus ad hoc ipsum tria milia marcharum argenti, quæ apud nos de quorumdam fidelium eleemosinis remanserunt, aliis in necessitates & vtilitates prædictæ terræ, per manus felicis memoriæ Abbatis Hyerosolimitani Patriarchæ, ac Magistrorum Templi, & Hospitalis fideliter distributis. B

Cupientes autem alios Ecclesiarum Prælatos, necnon Clericos vniuersos, & in merito & in præmio habere participes & consortes, ex communi Concilij approbatione statuimus, vt omnes omninò Clerici tam subditi quam Prælati, vicesimam partem Ecclesiasticorum prouentuum vsque ad triennium conferant ad subsidium Terræ sanctæ per manus eorum, qui ad hoc Apostolica fuerint prouidentia ordinati; Quibusdam dumtaxat Religiosis exceptis, ab hac prætaxatione meritò eximendis, illis similiter, qui assumpto, vel assumendo Crucis-signaculo, sunt personaliter profecturi.

Nos autem & fratres nostri sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinales plenariè decimam persoluemus, sciantque se omnes ad hoc fideliter obseruandum, per excommunicationis sententiam obligatos, ita quod illi qui super hoc fraudem scienter commiserint, sententiam excommunicationis incurrant.

Sane quia iusto iudicio cælestis imperatoris obsequiis inhærentes, speciali decet prærogatiua gaudere, cum tempus proficiscendi annum excedat in modico, Crucesignati, vel à collectis, vel talliis, aliisque grauaminibus sint immunes, quarum personas & bona post crucem assumptam sub beati Petri & nostra protectione suscepimus, & sub Archiepiscoporum, Episcoporum, ac omnium Prælatorum Ecclesiæ deffensione consistant, propriis nihilominus protectoribus ad hoc specialiter deputandis, ita vt donec de ipsorum obitu vel reditu certissimè cognoscatur, integra maneant & quieta, & si quisquam contrà præsumpserit, per Censuram Ecclesiasticam compescatur. C

Si qui vero proficiscentium illuc, ad præstandas vsuras iuramento tenentur astricti creditores eorum, vt remittant eis præstitum iuramentum, & ab vsurarum exactione desistant, eadem præcipimus districtione compelli. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit vsurarum, eum ad restitutionem earum simili cogi animaduersione mandamus.

Ivdæos vero ad remittendas vsuras per sæcularem compelli præcipimus potestatem, & donec illas remiserint, ab vniuersis Christi fidelibus, per excommunicationis sententiam eis omninò communio denegetur. His autem qui Iudæis debita soluere nequeunt in præsenti, sic principes singulare vtili dilatione prouideant, quod post iter arreptum, vsque quo de ipsorum obitu, vel reditu certissimè cognoscatur, vsurarum incommoda non incurrant, compulsis Iudæis prouentus pignorum, quos interim ipsi perceperint in sortem expensis deductis necessariis computare, cum huiusmodi beneficium, non multum videatur habere dispendij, quod solutionem sic prorogat, quod debitum non absorbet. Porrò Ecclesiarum Prælati qui in exhibenda iustitia Cruce-signatis, & eorum familiis negligentes extiterint, sciant se grauiter puniendos. Cæterum quia cursarij & Pyratæ nimium impediunt subsidium Terræ sanctæ, capiendo & expoliando transeuntes ad illam, & redeuntes ab ipsa, nos speciales adiutores & fautores eorum excommunicationis vinculo innodamus, sub interminatione anathematis inhibentes, ne quis cum eis scienter communicet aliquo venditionis vel emptionis contractu, & iniungentes

rectoribus

A rectoribus ciuitatum & locorum suorum, vt eos ab hac iniquitate reuocent & compescant, alioquin quia nolle perturbare peruersos nihil aliud est quam fouere, nec caret scrupulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinit obuiare, in personas & terras eorum per Ecclesiarum Prælatos, seueritatem Ecclesiasticam volumus & præcipimus exerceri.

EXCOMMVNICAMVS prætereà & anathematizamus illos falsos & impios Christianos, qui contrà ipsum Christum & populum Christianum, Sarracenis, arma, ferrum & ligamina deferunt galearum, eos etiam qui galeas eis vendunt, vel naues, quique in piraticis Sarracenorum nauibus curam gubernationis exercent, vel in machinis, aut quibuslibet aliis aliquod eis impendunt consilium, vel auxilium in dispendium terræ sanctæ, ipsarum rerum suarum priuatione mulctari, & capientium seruos fore censemus. Præcipientes, vt per omnes vrbes maritimas, diebus Dominicis & festiuis huiusmodi sententia innouetur, & talibus gremium non aperiatur Ecclesiæ, nisi totum quod ex substantia tam damnata perceperint & tantumdem de sua in subsidium prædictæ terræ transmiserint, vt æquo iudicio in quo deliquerint, puniantur. Quod si fortè soluendo non fuerint, alias sic reatus talium castigetur, quod in pœna ipsarum aliis interdicatur audacia similia præsumendi.

B PROHIBEMVS insuper omnibus Christianis, & sub anathemate interdicimus, ne in terras Sarracenorum, qui partes Orientales inhabitant, vsque ad quadriennium transmittant, aut transeant naues suas, vt per hoc volentibus transfretare in subsidium terræ sanctæ maior nauigij copia præparetur, & Sarracenis prædictis subtrahatur auxilium, quod eis consueuit ex hoc non modicum prouenire.

LICET autem torneamenta sint in diuersis Conciliis sub certa pœna generaliter interdicta, quia tamen hoc tempore crucis negocium per ea plurimum impeditur, Nos illa sub pœna excommunicationis firmiter prohibemus vsque ad triennium exerceri.

QVIA verò ad hoc negocium exequendum, est per maximè necessarium, vt principes & populi Christiani ad inuicem pacem obseruent, sancta vniuersali synodo suadente statuimus, vt saltem per quadriennium in toto orbe Christiano seruetur pax generaliter, ita quod per Ecclesiarum Prælatos discordantes reducantur ad plenam pacem, aut firmam treugam inuiolabiliter obseruandam, & qui acquiescere fortè contempserint, per excommunicationem in personas, & interdictum in terras arctissimè compellantur, nisi tanta fuerit iniuriarum malitia, quod ipsi tali non debeant pace gaudere. Quod si fortè censuram Ecclesiasticam vilipenderint, poterunt non immeritò formidare, ne per authoritatem Ecclesiæ circa eos tanquam perturbatores negocij crucifixi, sæcularis potentia inducatur.

NOS igitur Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Apostolorum Petri & C Pauli authoritate confisi, ex illa quam nobis, (licet indignè) Deus ligandi atque soluendi contulit potestatem, omnibus qui laborem propriis personis subierint & expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus liberaliter fuerint corde contriti & confessi, veniam indulgemus, & in retributione iustorum, salutis æternæ pollicemur augmentum, eis autem qui non in propriis personis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis, iuxtà facultatem & qualitatem suam viros idoneos destinarint, & illis similiter, qui licet in alienis, expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huius quoque remissionis volumus & concedimus esse participes, iuxta qualitatem subsidij & deuotionis affectum omnes qui ad subuentionem ipsius terræ de bonis suis congruè ministrabunt, aut auxilium & consilium impenderint oportunum omnibus etiam piè proficiscentibus in hoc opere, in communi vniuersalis synodus omnium beneficiorum suorum suffragium impartitur, vt eis dignè proficiat ad salutem. Amen.

A

DE AFFECTV QVEM INNOCENTIVS TERTIVS PONTIFEX MAXIMVS GERREBAT AD TERRAM SANCTAM.

INTER hæc ad subuentionem & recuperationem terræ sanctæ feruentissime adspirabat INNOCENTIVS Pontifex Maximus, sollicite cogitans qualiter hoc posset efficaciùs adimplere. Quia verò detrahendo dicebant nonnulli quòd Ecclesia Romana imponebat aliis onera grauia & importabilia, digito autem suo nolebat illa mouere: duos de fratribus videlicet Seffridum tituli sanctæ Praxedis præsbyterum, & Petrum sanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardinales elegit, quibus & signum Crucis imposuit, vt tam verbo quam exemplo inuitarent alios ad obsequium crucifixi. Constituens vt Vniuersi Clerici maiores pariter & minores de prouentibus Ecclesiasticis quadragesimam partem in subsidium terræ sanctæ conferrent. Ipsi verò Cardinales decimam de prouentibus suis tribuerent portionem. Sicque factum est, vt decreuit, fecitque fieri nouam nauem pro qua, cum armamentis suis, mille trecentas libras expendit, & iussit eam onerari frumento, leguminibus panibus, & carnibus, & per duos Fratres vnum Templi, & alium hospitalis, & tertium Monachum præcepit vniuersa distribui necessitatibus terræ sanctæ. At alij proficiscentes applicuere Messanam, vbi propter turbationem à quorum compulsi sunt diutiùs demorari. Videntes autem deperire frumentum, quia & tunc cariùs in Sicilia, quam in Syria vendebatur, præhabito diligenti Consilio frumentum ipsum Messanæ vendiderunt. Preciumque cum cæteris deferentes, in tres partes omnia diuiserunt, & vnam partem assignauerunt ad restaurationem murorum Tyri, qui fuerant terræ motu; alteram in vsus pauperum; & tertiam in stipendia bellatorum. Nauim verò fecit tradi Templariis in subsidium opportunum. Misit ergo præfatum Seffridum præsbyterum Cardinalem ad Ducem & populum Venetorum ad cuius exhortationem ipse Dux & multi de populo crucis caracterem assumpserunt. Marchio quoque Montis-Ferrati, Episcopus Cremonensis, & Abbas de Lucedio, multique alij nobiles de Prouincia Lombardiæ cum multitudine plebis innumera deuouerunt se ad obsequium Crucifixi: & vt pleniùs & liberiùs posset impleri, duos alios Cardinales, videlicet Petrum presbyterum sanctæ Cæciliæ, & Gratianum sanctorum Cosmæ, & Damiani Diaconum Pisas, & Ianuam destinauit, vt inter Pisanos & Ianuenses pro terræ sanctæ succursu pacis fœdera reformarent. Sed filij pacis non erant, verbum pacis minimè receperunt. Generalem igitur indulgentiam vniuersis Crucesignatis concessit in remissionem peccatorum, & eos cum omnibus bonis suis sub Apostolica protectione suscepit. B C

DE LEGATO MISSO IN FRANCIAM SVPER TRIBVS ARTICVLIS.

PRÆFATVM verò Petrum Diaconum Cardinalem, quem ipse postmodùm in presbyterum ad titulum sancti Marcelli promouit, direxit in Gallias, tria sibi præcipiens & iniungens: Videlicet exhortaretur, vt induceret populos ad terræ sanctæ succursum: vt pacem, vel treugas inter Francorum & Anglicorum Reges componeret & firmaret. Et vt ipsum Regem Francorum ad dimittendum super inductam, & recipiendum vxorem propriam, quam iniustè dimiserat commoueret, & cogeret, si necessitas postularet. Ipse vero profectus circa primum capitulum vsque adeo diuina gratia fauente profecit, quòd innumera tam militum, quàm peditum multitudo ad verbum exhortationis ipsius signum crucis suscepit ad obsequium crucifixi. Cum quibus & quidam Episcopi & Abbates, ac alij multi clerici peregrinationis propositum assumpserunt, inter quos principales fuerunt Theobaldus Comes Trecensis, Ludouicus Comes

A Comes Blesensis, Balduinus Comes Flandriæ, ac Hannoniæ, & Comes de sancto Paulo, Suessionensis, & Trecensis Episcopi, & quidam Ordinis Cisterciensis Abbates. Circa secundum quoque Capitulum idem Legatus ità processit: quòd Philippus Rex Franciæ in manu eius data fide promisit se ad mandatum ipsius pacem vel treugas cum Rege Angliæ initurum. Richardus autem Rex Angliæ se difficilem ostendebat: sed cum idem Legatus ei cœpit rigorem Ecclesiasticam intentare, saniori ductus consilio acquieuit, & quinquennales treugas composuit inter Reges, faciens quædam castella quæ firmauerat contra alium demoliri. Circa tertium verò capitulum ad pleniorem intelligentiam est notandum, quòd defuncta prima vxore mandati præfati Philippi Regis Francorum filia Balduini Comitis Hannoniæ, nepte videlicet Philippi Comitis Flandriæ, de qua susceperat vnum filium nomine Ludouicum, tractatum est inter ipsum & Canutum Regem danorum, vt Ingeburgim sororem ipsius idem Rex Franciæ duceret in vxorem: missoque Stephano Nouiomensi Episcopo cum Regio apparatu vt eam adduceret, ille Rex eam cum multo desiderio expetebat, cum de ipsa suscipienda in coniugem & tenenda præstitæ fuissent sufficientes & idoneæ cautiones, frater eius transmisit cum ea Petrum Bucchideum Episcopum cum idoneo Comitatu: Quæ cum transuecta per mare peruenis-

B set Ambianis, vbi Rex Franciæ ipsius præstolabatur aduentum dilationis impatiens, ipso die desponsauit eamdem. Et congregatis Principibus tam Ecclesiasticis, quam mundanis, sequenti die per manum Guillelmi Rhemensis Archiepiscopi fecit eam secum solemniter coronari. Sed inter ipsa coronationis solemnia suggerente diabolo, ad aspectum illius cæpit vehementer horrescere; tremere, ac pallere, vt nimium perturbatus vix sustinere posset finem solemnitatis inceptæ. Statimque motum est verbum diuortij celebrandi propter affinitatis obstaculum, quod inter eos quidam existere mussitabant, dicentes, quod secunda contingat primam vxorem in gradu consanguinitatis quarto vel quinto; sed aliis asserentibus quod id sine turpi nota subito fieri non valeret, aliquantulum est dilatum: & interim suggestum est Regi, vt ad illam accederet si forsan affectu mutato illam cognoscere posset. Accessit igitur Rex ad illam apud Fossatum prope Parisius, quò fecerat illam adduci, & thorum eius ingressus est. Post paululum ab illa recessit, in tantum habens ipsam exosam, vt vix sustineret coram se de illa fieri mentionem. Asserebat autem Regina, quod Rex carnaliter illam cognouerat, Rex vero contra assumebat, quod ei non potuerat carnaliter commisceri. Conuocatis igitur præfato Rhemensi Archiepiscopo in sua Prouincia tunc Apostolicæ Sedis Legato, & aliis quibusdam Episcopis, coram eis accusatum est matrimonium, ipsa Regina quid ageretur penitus ignorante, vt pote quæ compatriotis remissis ad propria, quasi sola remanserat linguæ Francorum prorsus ignara: & affinitate per quosdam testes incontinenti iurata, mox idem Archiepiscopus sententiam diuortij promulgauit, quæ cum Reginæ

C per quemdam exponeretur interpretem, illa vltra quam dici posset admirans, flens, & eiulans, exclamauit; Mala Francia, Mala Francia: & adiecit, Roma, Roma. Non enim aliter nouerat gallicis verbis talem exprobrare sententiam, aut sedem Apostolicam apellare. Protinus ergo Rex illam à regno Francorum emisit, & in quodam cænobio Monialium extra regni fines fecit vtcumque deponi. Turbati sunt multi, quin & omnes qui Deum timebant, & iustitiam diligebant, super sententia tanquam iniqua. Peruenitque fama vel magis infamia huius facti ad Celestinum tunc temporis Papam, qui cùm per magistrum meliorem tituli Sanctorum Ioannis & Pauli Præsbyterum Cardinalem de Francia redeuntem, veritatem pleniùs & certiùs cognouisset, quia factum erat notorium, quod nulla poterat tergiuersatione celari, sententiam illi diuortij contra ignaram & indefensam inordinatè ac impetuosè prolatam auctoritate Apostolica irritauit. Interdicens Regi per nuncios, & apices suos ne aliam sibi præsumeret copulare. Verùm quantò idem Papa feruentior circa hoc apparuit in principio, tantò tepidior est inuentus in fine: quia licet Rex Danorum germanus præfatæ Reginæ per honorabiles nuncios imploraret, vt compelleret Regem Francorum ad recipiendum eamdem Reginam sororem suam, quam iniustè dimiserat, sicut iuris ratio postulabat; numquam tamen apud eum hoc potuit obtinere: quin etiam tolerauit vt idem Rex post interdictum ipsius, filiam ducis Moraniæ puellam vtique pulchram nimis, non sine multo scandalo superduceret & teneret. Præfatus autem Innocentius Celestino succedens

statim per litteras suas, & per Parisiensem Episcopum, sæpedictum Regem studuit A
commonere, vt eam remoueret à se, quam contra interdictum Ecclesiæ superduxerat & reciperet illam in gratiam coniugalem, quam legitimè ductam, illegitime duxerat amouendam, iuris ei licentia non negata, quominus facta restitutione postmodum audiretur, si quid duceret proponendum. Contestans eidem quòd quantumcumque sibi molestum existeret, cum aliquo molestare; quia tamen oportebat eum plus cælesti, quam terreno deferre Regi, & sine personarum acceptatione sicut ratio postularet. Quia verò idem Rex sæpe commonitus noluit acquiescere, sæpedicto Legato per Apostolica scripta præcepit, quatenus sublato appellationis obstaculo, totam terram ipsius Ecclesiastico subiiceret interdicto, vt nullum in ea præter Baptismum paruulorum, & pœnitentiam morientium, diuinum celebraretur officium, si forsan ei vexatio tribueret intellectum. Congregato igitur apud Diuonem Archiepiscoporum, nec non Abbatum, & aliorum multorum Concilio, Rex præsentiens, quòd idem Legatus vellet procedere contra ipsum, per nuncios suos fecit ad sedem Apostolicam apellari. Legatus verò, non vt apellationi deferret; sed vt differret ad tempus, quatenus alibi mandatum Apostolicum commodiùs adimpleret, tandem apud Viennam multis Archiepiscopis conuocatis, inter quos quidam de regno Franciæ fuere præsentes, interdicti sententiam promulgauit; mandans per litteras suas, quibus etiam tenorem Apostolicarum inseruit litterarum, vniuersis Ecclesiarum Prælatis in terra Regis Franciæ constitutis, vt eam & ipsi seruarent, & facerent per suas litteras obseruari. Quod si forsan Episcoporum aliqui contra eam venire præsumerent, scirent se ab officio Pontificiali suspensos; cæteris vero cuiuscumque dignitatis vel ordinis officiorum & beneficiorum administrationem penitus interdicit. Omnes autem ad festum ascensionis Domini proximè tunc futurum de inobedientia responsuros, ad sedem apellauit. Receptis igitur litteris quidam in auditu auris obedire cæperunt; sicut Canonici Senonenses, Parisienses, Episcopus Siluanectensis, Suessionensis, Ambianensis, Attrebatensis, & quidam alij sententiam interdicti firmiter obseruantes; Alij vero distulerunt obseruare sententiam; sicut Rhemensis Archiepiscopus, Laudunensis, Nouiomensis, Autissiodorensis, Beluacensis, Morinensis, Meldensis, Carnotensis, Aurelianensis, & alij forte perpauci nuncios suos ad sedem Apostolicam destinantes, per quos quasdam excusationes licet friuolas prætendebant; sed promittebant quòd illis expositis si demum placeret summo Pontifici sententiam obseruarent. Cum igitur summus Pontifex excusationes illas euidentissimis rationibus improbaret, præcepit eisdem vt & ipsi pariter obseruarent sententiam interdicti, qui audito præcepto humiliter paruerunt: sicque tota terra Regis Francorum arctissimo est interdicto conclusa; ita vt clausis Ecclesiis nusquam in cæmeteriis sepelirentur corpora mortuorum; quin etiam super terram seruabantur vbilibet insepulta. Rex autem in tantam indignationem excanduit, vt Episcopos & alios clericos, qui primo seruauerunt interdictum ab Ecclesiis suis faceret violenter expelli, & bona omnia occupari. Sed C
cum plebs vniuersa clamaret, Rex iamque non valens Ecclesiasticæ seueritatis sustinere vigorem, nuncios suos, quosdam inde clericos, & quosdam milites ad summum Pontificem destinauit, conquerens de Legato multipliciter, sed tamen offerens per eosdem iuratoriam cautionem, quòd coram Legatis vel delegatis iudicibus staret iuri. Quibus ipse prudentissimus Papa respondit; quod distinguendum erat vtrum stare vellet iuri dictato, vel iuri dictando: si iuri dictato, videlicet secundùm ius quod dictauerat super inductam à suo remoueret consortio, & Reginam antedictam reciperet, libenter cautionem, imò sine cautione qualibet, si hoc faceret, relaxaret sententiam interdicti; dummodo prius Episcopi & clerici destituti, plenam fuissent restitutionem adepti. Si verò iuri dictando, videlicet vt secundum ius quod dictaret, affinitatis decideretur articulus, cautionem oblatam reciperet ad cautelam, dummodò super inducta remota Reginam reciperet memoratam. Hoc autem cum Rex per nuncios suos à sede Apostolica reuertentes audisset, spiritus eius cæpit multipliciter anxiari; quia nec illam volebat recipere, quam habebat vehementer exhosam; nec istam dimittere quam habebat nimis acceptam. Verum conuocatis quibusdam Principibus tam Ecclesiasticis, quam mundanis, cæpit deliberare cum illis quid ei foret in hoc articulo faciendum. Quibus vnanimiter respondentibus, quod erat parendum Apostolicæ sedis mandatis, quæsiuit à Rhemensi Archiepiscopo,

A Archiepiscopo, qui sententiam diuortij promulgauerat, vtrum verum esset, quòd Dominus Papa scripserat, videlicet quod illa non erat diuortij dicenda sententia; sed ludibrij fabula nominanda. Qui cum respondisset verum esse quod scripserat summus Pontifex, non enim audebat aliud respondere, statim Rex intulit dicens. Ergo tu es stultus & fatuus qui talem sententiam protulisti.

REMISSIS igitur nunciis instabat vt priùs, quod videlicet relaxato interdicto cognosceretur de iure: Sed cum nec minis, nec precibus, nec promissis animus summi Pontificis flecti posset in fundamento iustitiæ solidatus, ipsius arbitrio se submisit: qui Octauianum Ostiensem Episcopum Legatum in Francia destinauit, talem ei formam præfigens, vt ante omnia satisfactionem plenariam de damnis & iniuriis clericis irrogatis faceret exhiberi. Ita quod ij qui propter obedientiam & reuerentiam Apostolicæ sedis, graues perpessi fuerant contumelias, & iacturas, per Apostolicam sedem sibi sentirent & gauderent congruè satisfactum. Deinde super inductam præciperet à Regis consortio tam localiter, quam carnaliter remoueri; vt non solum Regis amplexibus, verum etiam à regni finibus faceret illam excludi, & præfatam Reginam ab ipso Rege solemniter recipi, & regaliter pertractari; recepta publice iuratoria cautione, quod eam sine iudicio Ecclesiæ non dimitteret; &
B sic relaxaret sententiam interdicti, reseruata sibi correctione illorum, qui ab initio non seruauerunt interdictum. Et si post frequentes & diligentes admonitiones, & exhortationes idem Rex præfatam Reginam sicut legitimam habere nollet vxorem: sed mallet matrimonium accusare, præcepit eidem Legato, vt pro termino peremptorio ad inchoandum causam spatium sex mensium assignaret. Infra quod, si præfata vellet, commoneretur Rex Danorum Germanus ipsius, vt ad defensionem eiusdem viros prudentes cum aduocatis, & testibus, & aliis quibuslibet necessariis sub Apostolica & Regia securitate dirigeret, competenti loco, de libera voluntate partium assignato. Associauit Ostiensi Episcopo ad examinationem & defensionem causæ eiusdem, Ioannem tituli sanctæ Piscæ presbyterum Cardinalem, iniungens eisdem, vt assidentibus sibi viris Religiosis, litteratis & prouidis, causam ipsam sufficienter, diligenter, & patienter examinare curarent, taliter in verbis, & operibus, & aliis circumstantiis se habentes, vt nulla de ipsis posset suspicio suboriri, sed iuris ordine per omnia obseruato securitatem & libertatem parti sæpedictæ Reginæ per omnia prouidentes, causam ipsam mediante iustitia terminarent. Profectus est Episcopus secundum hanc formam ad Regem Francorum, & tam ab ipso, quam ab eius magnatibus honorificè & deuotè receptus, fecit imprimis Ecclesiis & Ecclesiasticis viris de damnis & iniuriis satisfieri congruenter; ac deinde Reginam de loco in quo fuerat, ad quoddam regale castrum adduci fecit, vbi præsentibus Archiepiscopis & Episcopis quàm magnatibus, & tam cleri quàm multitudine populi copiosa Rex ad mandatum Legati Reginam recepit faciens in animam suam iuramen-
C to firmari, quod honorificè ipsam vt Reginam tractaret, & absque iudicio Ecclesiæ non dimitteret: & sic ipse Legatus sententiam interdicti, quæ per octo menses durauerat relaxauit cum multo gaudio & applausu. Etsi nonnulli sibi detraxerint, quod Apostolici mandati forma neglecta in quibusdam superficialiter processisset. Super inductam autem Rex à suis separauit amplexibus, sed à Regni finibus non exclusit, quia grauida erat & partui iam vicina. Porro causam ipsius Dominus iudicauit, quia post partum grauiter infirmata, debitum carnis exsoluit. Cùm igitur idem Rex non posset induci vt ipsam Reginam maritali vellet affectione tractare, assignati sunt certi dies, & certus locus ad causam in quo apud Suessionem, præsentibus partibus ambo inter fuere Legati, coram quibus causa cæpit suo more tractari. Et licet Rex plures & maiores aduocatos haberet, non tamen defuit qui propter Deum verbum faceret intrepidus pro Regina: Videns vero Rex quod parum proficeret cum diebus aliquot litigasset, indignatus recessit, nolens coram ipsis Legatis vlterius litigare. Summus autem Pontifex, & si nunquam potuerat Regem inducere, vt ipsam Reginam diligeret, numquam tamen cessabat, nec blandè, nec aspere agere apud ipsum, vt eam faceret regaliter honorari, consolatorias & confortatorias ei litteras sæpe transmittens, & per proprios nuncios eam faciens visitari, de contingentibus nihil obmittens, etsi Regi plurimum displiceret. Nam eadem Regina conquerebatur se magis esse incarceratam quam restitutam. Cum etsi Rex in victu & vestitu competenter ei faceret prouideri, adeo tamen arcte faciebat

eam apud stampas in regio palatio custodiri, quod nec ipsa permittebatur exire; A nec quisquam ad eam nisi raro permittebatur intrare, sicque manebat omni solatio destituta. Interea vacante Metropoli Senonensi, Autissiodorensis ab vniuerso Capitulo vnanimiter est electus, Rege suum præbente consensum: missique sunt nuncij honorabiles & solemnes ad obtinendam translationem & pallium impetrandum. Porro summus Pontifex prudenter attendens, quod idem Autissiodorensis Episcopus vnus fuerat ex illis qui ab initio interdicti sententiam non seruarunt, & Senonensis Ecclesia eam obseruauerat ab initio; vt discerneret inter obedientes, & indeuotos, postulationem ipsius in publico consistorio reprobauit; cum secundum legem diuinam non sit arandum in boue & asino; nec quisquam debeat vestem induere de lana, linoque contextam. Vnde quidam protinus clamauit; nunquam Autissiodorensis Episcopus de bene cantando tantum acquiret, quantum de malè cantando iam perdidit, vniuersis exaltantibus & laudantibus Deum, præfecit eidem Magistrum Petrum de Corbolio, cuius Parisius in sacra Theologia fuerat auditor; quem iam pridem in Cameracensem Episcopum fecerat promoueri. Quia vero summus Pontifex reseruauerat sibi correctionem eorum, qui ab initio non seruauerant sententiam interdicti, & ipsi sententiam suspensionis incurrerant, quam B Legatus protulerat in eos qui eamdem sententiam non seruarent, compulsi sunt ad Apostolicam sedem personaliter laborare. Venerunt igitur Rhemensis Archiepiscopus, Carnotensis, Aurelianensis, Meldensis, Autissiodorensis, Nouiomensis, & Beluacensis Episcopi, & procuratores eorum, qui propter ægritudinem accedere nequiuerunt. Similiter & quidam Abbates venerunt: qui vero venire non potuerunt procuratores idoneos destinarunt. Recepit autem ab omnibus publice iuramentum, vt tam super interdicti, quam suspensionis sententia non seruata, mandatis Apostolicis obedirent, & sic eos à vinculo suspensionis absoluit, sed mandatum facere distulit ad cautelam.

DE SVBVENTIONE TERRÆ SANCTÆ.

CVM de subuentione Hierosolymitanæ Prouinciæ tam in Italia, quam in Gallia ingens fieret apparatus, Comites Galliarum Cruce-signati miserunt nuncios suos in Italiam ad Ducem & populum Venetorum, vt ab eis sibi conducerent nauigia oportuna. Tractatum est igitur inter eos de societate pariter ineunda, & postquam sub certis pactionibus conuenerunt, & communiter est prouisum, vt aliquot in Syriam destinatis, certi tenderent in Ægyptum, vt caperent Alexandriam, & finitimas regiones; sicque C Terra Sancta liberaretur faciliùs de manibus Paganorum. Vbi ergo Franci, & Veneti societatem huiusmodi firmauerunt, vtrique simul ad sedem Apostolicam nuncios destinarunt, petentes vt summus Pontifex pactiones inter se factas pro subsidio terræ sanctæ autoritate Apostolica confirmaret. Ipse vero quod futurorum esset præsagiens cautè respondit; Quod conuentiones illas ita duceret confirmandas, vt videlicet ipsi Christianos non læderent, nisi forsan inter eorum illi nequiter impedirent, aut alia causa iusta vel necessaria forsan occurreret, propter quam aliud agere non possent, Apostolicæ sedis Legati consilio accedente. Veneti vero confirmationem super hoc tenore recipere noluerunt; vnde profecto coniicitur qualis fuerit eorum intentio per effectum operis postea declarata. Contigit interim quòd Theobaldus Comes Trecensis, qui se ad iter peregrinationis magnificè præparauerat, debitum carnis exsoluit. Vnde certi Comites & Barones cum consilio Regis Franciæ vocauerunt Bonifacium Marchionem Montis-Ferrati, & eum sibi Ducem Christiani præfecerunt, tradita ex maiori parte pecunia, quam pro subsidio terræ sanctæ Comes memoratus congregauerat. Ipse vero de Francia per Alemanniam transitum fecit; vbi cum Philippo Duce Sueuiæ, qui se regem gerebat, dicebatur habuisse tractatum, vt Alercium sororium suum, filium videlicet Isaaci quondam Constantinopolitani Imperatoris, cuius sororem ipse Philippus duxerat vxorem, ad se de captiuitatis ergastulo fugientem, faceret reduci Constantinopolim ab exercitu Christiano ad obtinendum Imperium Romaniæ. De quo cum idem

Marchio

A Marchio ad summum Pontificem accessisset, cœpit agere à remotis: sed cum intellexisset ipsius animum ad hoc non esse directum, expeditis negotiis ad Crucis officium pertinentibus ad propria remeauit.

Littera pro subsidio Terræ sanctæ.

QVAM vero diligens & solicitus, studiosus & promptus extiterit ad subueniendum necessitatibus Terræ sanctæ, vt ad recuperationem ipsius Christianum exercitum inflammaret, ex litteris quas super hoc negotio destinabat, colligitur euidenter: de quibus cum multæ sint & diuersæ, hanc vnam credidi præsenti paginæ inserendam.

Archiepiscopis, Episcopis & aliis Ecclesiarum Prælatis in regno Franciæ constitutis.

VERENDVM est nobis, & vobis, imo etiam omnibus in sortem Domini euocatis, ne viri Niniue nobiscum & cum Clericis nostris surgant in iudicio, &
B nos damnemur, quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ; vos autem non solùm non scidistis hactenus corda vestra, sed nec manus vestras ad mandatum nostrum sæpius repetitum voluistis hactenus aperire, vt subueniretis pauperi Iesu Christo ad redimendum opprobriũ quo ei à fidei nostræ hostibus iugiter exprobratur. Ecce etenim rursus in cruce sua crucifigitur crucifixus, rursus alapis cecidit, rursus etiam flagellatur, rursus cadunt opprobria exprobantium super eum, dicentibus inimicis; si filius Dei es, saluum facias temetipsum. Siquidem potes libera terram natiuitatis tuæ de manibus nostris, & crucis cultoribus restitue crucem tuam. Vos autem quos pro maiori parte didicimus & dolemus, poscenti, & reposcenti sæpius nec poculum aquæ frigidæ ministratis; ita vt contra vos iam à Laïcis, quos interdum ad crucis obsequium verbis non operibus inuitatis, illico Euangelium assumatur; alligant onera grauia humeris subditorum, quæ inducere digito etiam nolunt ipsi. iam improperatur vobis à Laïcis, quod de patrimonio Iesu Christi libentius histrionibus subuenitis, quàm Christo: plura in canibus & auibus pascendis consumitis, quam velitis in eius subsidium erogare. Facti prodigi aliis, ipsi; vel vt verius dicamus, auari. Ecce quomodo tribuistis ei pro omnibus, quæ retribuit ipse vobis? Ecce quomodo amatis eum? Ecce qualiter animas pro omnibus poneretis, qui nec etiam quadragesimam partem redituum vestrorũ pro ipso, imo ipsi hactenus impendere noluistis. Cum plures vestrum non solum quadragesimam iuxta mandati nostri tenorem, sed tricesimam iuxta promissionem suam factam in Diuionensi Concilio in eam pium opus conuertere tenerentur.
C Monemus igitur Vniuersitatem vestram & exhortamur in Domino, & per Apostolica vobis scripta mandamus, & ex parte Dei omnipotentis, & virtute Spiritus sancti, sub interminatione diuini iudicij districtè præcipimus, quatenus iuxta priorum nostrarum litterarum tenorem vos, & vniuersi clerici iurisdictioni vestræ subiecti, saltem quadragesimam partem omnium Ecclesiasticorum redditum & prouentuum vestrorum, prius tamen deductis vsuris, quarum solutio vitari non possit in Terræ sanctæ subsidium conuertatis. Facientes vos fratres Archiepiscopi & Episcopi quadragesimam ipsam per vestras diœceses instanter exactam & collectam fideliter in tuto loco deponi, de qua singuli vestrum, fratres Archiepiscopi & Episcopi, assumptum secum duobus fratribus vno Hyerosolimitani Hospitalis, & alio militiæ templi, de Consilio nobilium virorum, Matthæi de Massi Canonici de Bethunia, Miloni de Breuent Galteri de Guidoni Villa, & aliorũ discretorum virorum, militibus, vel aliis bellatoribus, qui signum Dominicæ Crucis assumpserint, si in suis non potuerint sumptibus transfretare, congrua de eadem summa stipendia subministrent, sufficienti ab eis cautione recepta, quod in defensionem terræ Orientalis per annum, vel amplius iuxta quantitatem subsidij commorentur & si decesserint, quod absit, in via suscepta, subsidium non in alios vsus conuertant, sed restituant potius in stipendia bellatorum; qui etiam cum redierint non prius absoluantur à præstita cautione, quam litteras Regis vel Patriarchæ, vel magistri Hospitalis, vel militiæ templi, vel etiam Legati nostri vobis exhibeant de mora ipsorum testimonium perhibentes. Vt autem mandatum Apostolicum facilius & melius compleatur, per singulas Prouin-

cias in Metropolitana Ecclesia, vel si hoc ibi fieri propter hostilitatem, vel aliud euidens impedimentum non poterit in duobus vel tribus locis Prouinciæ sine dilatione conuenire curetis, & inter vos iuxta formam Apostolici mandati de ipsius terræ subsidio tractare, & post reuersionem suam quiliber vestrum in sua diœcesi consilium conuocet sine mora, auctoritate nostra, præcipiens Abbatibus & Prioribus tam exemptis, quam aliis Archidiaconis & Decanis, & Vniuersis omnino Clericis in sua diœcesi constitutis, vt iuxta veram æstimationem prouentus & reditus suos taxent, & in tres menses post factam eis denunciationem, quadragesimam partem valoris eorum, sub ipsius Episcopi testimonio, & aliquot Religiosorum virorum, adhibitis nihilominus ad cautelam aliquibus Laicis fidelibus, & discretis in locum idoneum eiusdem diœcesis non differant consignare. Ab hac generalitate Grandimontenses, & Cartusienses Heremitas, Monachos, Cistercienses, & Canonicos Præmonstratenses excepimus, quibus mandatum super hoc iniungimus speciale. A

Ad hæc in singulis Ecclesiis truncum concauum poni præcipimus tribus clauibus consignatum, prima penes Episcopum; secunda penes Ecclesiæ sacerdotem; tertia per aliquem Religiosum Laicum conseruandis; vt & in eo fidelis quilibet, iuxta quod Dominus eorum mentibus inspirauerit, suas eleemosynas firmitate statuta deponere in remissionem eorum peccaminum moneantur, & in omnibus Ecclesiis B semel in hebdomada pro remissione peccatorum offerentium, certa die, quam tamen sacerdos prænunciet populo, Missa publice decantetur: singulis quoque diebus inter missarum solemnia, *Deus venerunt gentes*, Campanis pulsantibus cum oratione consueta dicatur.

Concedimus autem vobis fratres Archiepiscopi, vt circa eos qui de bonis suis Terræ sanctæ voluerunt subuenire, de discretorum virorum consilio, qualitate personarum, & rerum facultate pensatis, & considerato nihilominus deuotionis affectu, opus iniunctæ penitentiæ commutare possitis in opus eleemosynæ faciendæ. Noueritis autem nos Venerabilibus fratribus nostris Parisiensi, & Suessionensi Episcopis, & dilectis filiis Vallis V. A. Neli, & sancti Victoris Abbatibus per Apostolica scripta districtè præcipiendo mandasse, vt eos qui in Concilio à dilecto filio P. tituli sancti Marcelli Presbytero Cardinali, tunc Apostolicæ sedis Legato apud Diuionem collectas tricesimam suorum reddituum in Terræ sanctæ subsidium liberaliter promiserunt, saltem ad quadragesimam persoluendam, monitione præmissa per Censuram Ecclesiasticam apellatione remota compellant. Porro quàm meritorium sit Crucis obsequium, quàm laudabile relictis propriis, Terræ sanctæ reliquiis subuenire, satis patet ex Euangelica lectione. Illi enim qui assumpto crucis signaculo in Terræ sanctæ subsidium non dubitant transfretare, quod in Euangelio legitur, videntur ad litteram etiam adimplere; si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Qui contra vt veri discipuli Christi fiant, patrem, matrem, vxorem, filios, fratres & sorores, adhuc autem & animam suam iuxta verbum veritatis oderunt. Numquid enim patrem, ma- C trem, vxorem, filios, fratres & sorores, non videntur odisse, qui postposito carnis affectu Regi regum in puritate spiritus desiderant militare? numquid suam animam non oderunt, qui vt iniuriam vindicent crucifixi, animas ponere non formidant, charitatis eius priuilegio commendandi, de qua veritas in Euangelio protestatur; maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Tales quærenti Domino si calicem bibere possent, quem ipse fuerat bibiturus, possumus, securè cum Zebedæi filiis responderent. Tales de Christi gratia confidentes, dicerent securè cum Petro; Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis; Numquid enim qui regna, principatus, Comitatus, & prædia reliquerunt larga, non securè vterentur hoc verbo quo Petrus, qui nauim tantùm & rete reliquerat, fuit vsus. Nos ergo qui licet indigni locum eius tenemus in terris; cui tales suum deuouent famulatum, sanctæ recordationis Gregorij Papæ prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, præsentium autoritate statuimus, vt bona eorum, & similium ex quo crucem susceperint cum famulis suis sub sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac nostra, nec non Archiepiscoporum, & aliorum Prælatorum Ecclesiæ Dei protectione consistant: & donec de ipsorum reditu, vel obitu certissimè cognoscatur, integra maneant & quieta consistant; Quod si quisquam contrà præsumpserit, singuli vestrum in sua diœcesi præsumptionem

ipsius

A ipsius per censuram Ecclesiasticam apellatione remota compescant. Volentes præterea sic super interdicti sententiam prolati in terram charissimi in Christo filij nostri Philippi Francorum Regis illustris, Crucesignatorum petitioni deferre, vt non dissoluatur neruus Ecclesiasticæ disciplinæ, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, vt si qui ex eis officia voluerint audire diuina, ea faciatis ipsis, exclusis reliquis, qui non fuerint Cruce-signati, non pulsatis Campanis, voce celebrari suppressa. Si qui autem eorum excommunicationis forsan sententia innodati postulauerint absolui, ab eis iuratoria cautione recepta, & ipsis beneficio absolutionis impenso, non negamus quin ab eis statutam penitentiam & exigatis iuxta terræ consuetudinem, & recipiatis exactam. Verumtamen postquàm recepta fuerit eam ipsis pro terræ sanctæ succursu in peregrinationis subsidium conferatis ipsum, si graue id forsitan, quod non credimus, vobis fuerit, in quadragesima, quam per vos erogari mandauimus, in eorum stipendia, qui suis non possunt transfretare sumptibus computantes. Præterea prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, vt clerici Cruce-signati vsque ad triennium reditus suos pignori valeant obligare concedimus, ac volumus & mandamus vt eos super hoc nec impediatis per vos B in aliquo, nec permittatis per alios impediri. Ex parte quoque nostra districtiùs inhibere curetis Dominis signatorum ne ipsos grauent indebitè, aut exactionibus præsumant insolitis molestare. Quia verò ijs qui diuinæ se mancipāt obsequiis seruitutis & abstinendum ab illicitis, & licitis parciùs est vtendum, ne licitum fiat illicitum, si lasciuè, vel illicenter agatur, volumus & mandamus, vt eos ex parte nostra monere diligentiùs, & inducere procuretis, ne diebus illis, quibus carnibus vesci debent, aut etiam ieiuniorum diebus præter pulmenta pluribus ferculis, quàm duobus & eis etiam moderatis vtantur; nisi forsan Comitibus, Baronibus, & aliis nobilibus tertium ferculum, quod vulgò dicitur intromissum, vltra id quod exhibetur familiæ apponatur. Nec de cætero, donec votum peregrinationis adimpleant, herminiis, variis seu grisiis induantur. Ad quorum vtrumque tàm clericos, quàm Laïcos, mulieres etiam, quæ vel transfretare tenentur ex voto, vel sequuturæ sunt in peregrinationis itinere viros suos, similiter volumus commoneri. Armigeros etiam, & alios seruitores diligenter & efficaciter quantum in vobis fuerit inducatis, vt coloratis vestibus non vtantur, sed contenti sint aliis conuenientibus indumentis. Cæterum quoniam Nobiles viri Boloniæ, Bellimontis Comites, & multi alij sicut accepimus, vt contra votum suum licentiùs veniant vel illud differant adimplere, signum Crucis, quod suis affixerunt humeris, in animarum suarum perniciem abiecerunt, fraternitati vestræ fratres Archiepiscopi, & Episcopi per Apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus, quatenus eos indulgentia etiam nonobstante, si qua forsan apparuerit per subreptionem obtenta, vt signum recipiant, & cum aliis statuto tempore peregrinationis propositum exequantur monitione præmissa per excommuni- C cationis, & in terras interdicti sententias apellatione postposita compellatis, & quicumque tales deuenerint diuina prohibeatis eis præsentibus officia celebrare. Quod si forsan aliqua vobis indulgentia fuerit præsentata, quæ dubia vobis, vel difficilis videatur, quòd iudicare de ipsa facile non possitis, etiam ad nostram præsentiam destinetis. Parochiales quoque vestros ne saltem vsque ad quinquennium ad torneamenta conuenire præsumant monere diligentiùs & inducere procuretis, in personas eorum qui contrà præsumpserint excommunicationis, & in terras interdicti sententias sublato apellationis obstaculo proferentes, & quicumque tales deuenerint diuina prohibentes ipsis præsentibus officia celebrari, nec prius latas in eo relaxetis sententias, quam torneamenta vsque ad prædictum terminum solemniter obiurarint. Nos autem de Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli autoritate confisi, & illa quam Deus nobis licet indignis ligandi, atque soluendi contulit potestate, omnibus qui laborem huius itineris in personis propriis subierint & expensis, plenam peccatorum suorum de quibus cordis & oris egerint penitentiam veniam indulgemus, & in retributione iustorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Illis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis tantum expensis, iuxta qualitatem & facultatem suam viros idoneos destinauerint illic per annum moraturos ad minus: & illis similiter qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis assumptæ peregrinationis laborem impleuerint, plenam suorum veniam concedimus peccatorum. Huius quoque peregrinationis volumus esse participes, iuxta quantitatem subsidij,

& deuotionis affectum omnes, qui ad subuentionem ipsius terræ de bonis suis congruè ministrabunt. Personas insuper ipsorum & bona eorum, ex quo crucem susceperint, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, nec non & sub Archiepiscoporum, & omnium Prælatorum Ecclesiæ Dei defensione consistant; quod si quisquam contra præsumpserit, per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescatur. Si qui vero proficiscentium illuc ad præstandas vsuras iuramento teneantur astricti, vos fratres Archiepiscopi & Episcopi per vestras diœceses creditores eorum sublato appellationis obstaculo eadem districtione cogatis, vt eos à sacramento penitus absoluentes, ab vsurarum vlteriùs exactione desistant. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coëgerit vsurarum, eum ad restitutionem earum, sublato appellationis obstaculo, districtione simili compellatis. Iudæos vero ad remittendas ipsis vsuras per secularem compelli præcipimus potestatem, & donec eas remiserint, ab vniuersis Christi fidelibus tam in mercimoniis, quàm aliis per excommunicationis sententiam eis inhibemus communionem omnimodam denegari. Volumus etiam nihilominus & mandamus, vt si qui forsan Cruce-signatorum tanto debitorum onere pergrauantur, vt forte soluta non sufficiant ad expensas, quas sunt in peregrinationem facturi, creditores eorum quos rei familiaris inopia non excusat, vt vsque ad triennium prorogent solutionis terminum monere diligenter & inducere procuretis. Horum autem omnium venerabilibus fratribus nostris Parisiensi & Suessionensi Episcopis, & dilectis filiis Vallium Sarnei, & sancti Victoris Abbatibus solicitudinem delegamus, vt executores sint super Capitulis illis, quæ fieri sub Ecclesiastica districtione mandamus, & in iis ad quæ aliquos moneri iubemus exequantur officium monitorum.

A B

De apparatu passagij.

TERMINO igitur constituto Cruce-signatorum exercitus ad partes Venetiarum accessit tam multus & fortis, deuotus & timoratus, vt absque dubio crederetur, quòd per eum Dominus antiqua miracula innouaret, nec solummodo recuperaretur Hyerosolimitana Prouincia; verum etiam regnum Babylonicum caperetur. Nam & Veneti tam magnificea nauigia præparauerant, vt à longis retro temporibus nedum visus, sed nec auditus fuerit tantus naualium apparatus. Misit ergo Dominus Papa Petrum tituli sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem, Apostolicæ sedis Legatum, ad exercitum Venetiis congregatum vt proficisceretur cum illo nomine redemptoris. Sed Dux & consiliarij Venetorum timentes ne ipse impediret eorum propositum, quod male conceperant, de Iadera expugnanda, dixerunt; quod si vellet, ire cum eis non vt legationis, sed vt prædicationis officium exerceret, ducerent illum, alioquin rediret. Quamuis igitur displicuisset hoc Francis, rediit tamen inhonoratus à Venetiis, prauam eorum intentionem summo Pontifici expressiùs manifestans. Quid litteras misit vniuersis Cruce-signatis districtiùs prohibens, ne terras Christianorum infestarent, nominatim Iaderam, quam Vngariæ Rex possidebat, qui similiter erat Cruce-signatus, alioquin scirent se anathematis vinculo innodatos; & hanc inhibitionem & excommunicationem fecit eis per Abbatem de Locedio certiùs intimari. Marchio verò Montisferrati, qui fuerat super hoc à Domino Papa viua voce prohibitus, se prudenter absentans, non processit cum illis ad Iaderam expugnandam. C

Littera Domini Papæ ad Cruce-signatos.

QVALITER autem illi ad Iaderam destruendam processerint, quantum super hoc Dominus Papa commotus fuerit, litteræ quas misit ad illos indicant manifestè. Dolemus non modicum & mouemur, quod ijs quibus remissionis impendere gratiam solebamus, & æternæ polliceri retributionis augmentum; nunc quod sine mœrore multo non dicimus, nostræ salutationis alloquium, & Apostolicæ benedictionis præsidium cogimur denegare. Ecce etenim aurum versum est in scoriam, & pænitus eruginauit argentum, cùm à puritate vestri propositi recedentes, & in vnum declinantes à via, quasi manum retraxistis ab aratro, & retrorsum cum Loth coniuge respexistis. Cum fugientes Ægyptum festinare debuissetis ad terram melle ac lacte manantem, errantes ad sollitudinem diuertistis, vbi reducentes

ad

A ad animum qualiter super ollas carnium sedebatis, non solùm esuristis alia & pepones, sed fraternum sanguinem sitiuistis. Sane rememorans serpens antiquus qualiter inter semen mulieris & eum inimicitias Deus posuerit, hominis post primi lapsum, quia in caput præualere non potuit, insidiatus calcaneo seipsum occultauit in via, vt vel equorum vngulas tangeret, & cum equo prosterneret ascensorem, consueta fraudis astutia, & solitæ nequitiæ malignitate procurans, vt saltem modicum fermenti corrumperet totam massam, & omnium facti rei cum offenderetis in vno, totius laboris vestri meritum perderitis. Attendens siquidem ipse hostis antiquus, qui est diabolus, & sathanas, qui seducit vniuersum orbem, quod maiorem charitatem nemo habet quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis; vt tantæ charitatis affectu, & mercede priuaret, contra fratres vestros bellum mouere vos fecit, & signa vestra primum contra fideles populos explicare, quatenus sic peregrinationis vestræ solueritis primitias, & tam vestrum quam fratrum vestrorum sanguinem de manibus funderetis. Habentes igitur faciem non euntis in Hierusalem, sed descendentis potius in Ægyptum, in Hierico ab Hierosolymis descendistis, & incidistis ideo in latrones, qui vos virtutum spoliarunt amictu, & plagas B imposuerunt spoliatis, nec abire tamen voluerunt hactenus, nec reliquerunt semiuiuos cùm adhuc apud, vos immissiones per Angelos malos fiunt, vt tanquam pro necessitatibus vestris diuertatis ad insulas & in sumptus vestros Christianorum spolia conuertatis, sicut nuper apud Iaderam accepimus vos fecisse cum enim illuc nauigio venissetis, signa vestra contra ciuitatem protinus explaudentes, tentoria in obsidione fixistis, vallauistis vndique ciuitatem, & muros ipsius non sine multa effusione sanguinis suffodistis. Cumque, ciues subire cum Venetis iudicium nostrum vellent, nec in hoc etiam apud vos potuissent misericordiam inuenire, circa muros suos Crucis imagines suspenderunt. Sed vos in iniuriam Crucifixi non minus ciuitatem impugnastis, & ciues; sed eos ad deditionem violenta dextera coëgistis. Debuerant autem vos à tam nequissimo proposito vel reuerentia Crucis assumptæ, vel charissimi in Christo filij Henrici Regis Vngarorum illustris, & nobilis A. Ducis fratris eius deuotio, qui pro terræ sanctæ subsidio Crucis signaculum assumpserunt, vel saltem Apostolicæ sedis autoritas, quæ vobis curauit districtiùs inhibere, ne terras Christianorum inuadere, vel lædere tentaretis, nisi vel ipsi vestrum iter nequiter impedirent, vel alia causa iusta, vel necessaria forsan occurreret propter quam aliud agere, accedente consilio Legati possetis. Ne verò præmissa inhibitio segniter audiretur, si qui contra eam venire præsumerent, eos annunciauimus excommunicationis vinculo innodatos & beneficiis indulgentiæ, quam Apostolica sedes Cruce-signatis indulsit immunes.

C Cæterum licet dilectus filius noster P. tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus prohibitionis nostræ tenorem, quibusdam ex vobis exponere curauisset, & tantæ litteræ nostræ vobis fuissent publicè præsentatæ, nec Deo, nec sedi Apostolicæ detulistis, sed vt se redderent coëgistis miseros Iadertinos.

Veneti ergo in oculis vestris subuerterunt muros ciuitatis eiusdem, spoliauerunt Ecclesias, ædificia destruxerunt, & vos cum eis spolia Iadertinorum diuisistis. Ne igitur addatur peccato peccatum, & in vobis quod legitur impleatur; peccator contemnit cum in profundum venerit vitiorum, Vniuersitatem vestram monemus, & exhortamur attentiùs, & per Apostolica vobis scripta mandamus, & sub interminatione anathematis districtè præcipimus, quatenus Iaderam nec destruatis ampliùs, quàm hactenus est destructa, nec destrui faciatis, aut quantum in vobis fuerit permitatis; sed nuntiis Regis eiusdem ablata omnia restituere procuretis. Alioquin vos excommunicationis sententia subiacere noueritis, & à promissa vobis venia remissionis immunes.

Principes verò Francorum suum recognoscentes excessum iurauerunt in manibus Episcoporum suorum, quod super eò mandatis Domini Papæ parerent, & fecerunt se ab illis absolui, mittentes Suessionensem Episcopum ad Apostolicam sedem, vt commotionem summi Pontificis mitigaret, & illum consulerent qualiter essent de cætero processuri. Ipse vero per litteras suas præcepit eisdem, quatenus dignè de tanto penitentes excessu, & satisfacientes congruè de peccato redderent vniuersa, quæ ad eos de Iadertinorum spoliis peruenerunt & à similibus

de cætero penitus abstinerent. Quia verò sententiam Apostolicæ sedis præter autoritatem ipsius nullus potuit relaxare, quibusdam viris discretis iniunxit, vt ab eis qui nondum iurauerant Apostolicis stare mandatis, reciperent iuramentum: à iuratis autem exposcerent, vt in eorum præsentia recognoscerent taliter se iurasse, ac deinde iuxta formam Ecclesiæ munus absolutionis impenderent vniuersis: iniungentes Comitibus & Baronibus sub debito iuramenti, vt per patentes litteras tam se, quam successores suos sedi Apostolicæ obligarent, quod ad mandatum eius de tanta præsumptione satisfactionem exibere curabunt. Omnibus autem præciperent in communi, vt à similibus de cætero abstinerent, saluis aliis mandatis, quæ super hoc duceret facienda. Porro Comites & Barones obligauerunt se sicut fuit illis iniunctum, & sic omnes absoluti fuerunt. A

VENETI verò tamquam qui gloriantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis, nec ad penitentiam agendam, nec ad indulgentiam implorandam voluerunt aliquatenus inclinari: ad consultationes autem Francorum Dominus Papa rescripsit hoc modo.

SI verè vos penitet de commisso, & plene proponitis satisfacere de peccato, Dominum vobis credimus, imo nouimus iam placatum. B

SI ergo Veneti potuerint ad satisfactionem induci, & absolutionis beneficium meruerint obtinere, securè cum eis nauigare poteritis, & prælium domini præliari. Quod si nec satisfacere fortè voluerint nec absolui; vtpote qui non dolere, sed gaudere velint diu de commisso, permittimus vobis, vt cum ipsis vsque in terram Sarracenorum, vel Hyerosolimitanam Prouinciam, iuxta quod inter vos conuenit & ipsos, vel honestè conuenerit nauigio transeatis; quantò minùs poteritis, cum dolore tamen & amaritudine cordis, & sub spe veniæ communicantes eisdem; cum enim iam à vobis maiorem nauli receperint quantitatem, nec ad eam possint restituendam induci, aut etiam coarctari, si aliter fieret videremini vos damnum & penitentia; ipsi autem præmium ex contumacia reportare: cum ad hoc debitum exsoluendum ipsi vobis maneant obligati, & ab excommunicatis exigi possint, & recipi quod debetur est autem cautum in iure, quod si quisquam per terram Hæreticorum, aut quorumlibet excommunicatorum transierit, necessaria emere, ac recipere poterit ab eisdem.

PRÆTEREA si paterfamilias domus, excommunicationis sententia fuerit innodatus, à participatione ipsius familia excusatur. Licet ergo Dux Venetorum, Dominus nauigium, tamquam pater familias domus in excommunicatione persistat: vos tamen tamquam ipsius familia, dum in nauibus eius fueritis, ipsius excommunicatio non continget, & excusabiles eritis apud Deum, si in excommunicatorum nauibus existentes, cum dolore cordis sub spe pœnitentiæ excommunicatis ipsis communicaueritis, in quibus communionem eorum nequiueritis euitare. Verùm cùm vel in terram Sarracenorum, vel Hyerosolimitanam Prouinciam de nauibus vos descendere contigerit, nisi Veneti ad satisfaciendum & recipiendum iuxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium inducti fuerint, vel compulsi, cum eis nullatenus præsumatis prælium Domini præliari. Ne si eis habentibus aliquid de anathemate in Crucis insurrexeritis inimicos, non præualeatis in eos; sed terga vertentes fugiatis potiùs & cadatis. C

NAM in libro Iosue legitur, quod cum Achan filius Charmi pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum de Hierico anathemate rapuisset, iratus est Dominus Israëli. Vnde cum aduersus Haï, ascendisset, tria millia pugnatorum statim terga vertentes percussi sunt à viris Haï, & corruerunt ex eis triginta & sex homines. Persecuti sunt verbis eos aduersarij de porta vsque ad Sabarim, & ceciderunt per prona fugientes. Nec prius Dominus vrbem Haï in manus tradidit Israëli quam Achan populus lapidauit, & omnia quæ illius fuerant igne consumpsit.

IN Paralipomenon etiam cum Iosaphat Rex Iuda cum Ochozia Rege Israël, cuius opera pessima fuerant fœdus iniisset.......... fecissentque naues, quæ irent Tharsis, Eliezen filius Dodan de Maressa ad Iosaphat prophetasse legitur & dixisse; Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naues, nec potuerunt ire Tharsis. In libro autem Machabæorum legitur quòd cùm Iudas contra Gorgiam præpositum Idumeæ cum tribus millibus peditum,

A tum, & quadrigentis equitibus ascendisset, in congressu contigit paucos ruere.

CVMQVE postmodum Iudas prostratorum corpora in paternis sepulchris ponere voluisset, inuenit de idolorum donariis quæ apud Iamuiam fuerant, & à quibus prohibet lex Iudæos sub tunicis occisorum. Factum est igitur omnibus manifestum ob hanc causam eos, qui ruerant corruisse. Ne autem victualia vobis desint, charissimo in Christo filio nostro Imperatori Constantinopolitano scribemus, vt iuxta quòd per litteras suas nobis ipse promisit, victualia vobis faciat exhiberi, eorumdem si forsan ea vobis contingeret denegari, cùm tamen vos deuoueritis ad commune obsequium Crucifixi, cuius est terra, & plenitudo eius orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo, posset vtique non absurdum videri, ad similitudinem Imperatoris terræ, de quo cautum est in iure ciuili, quòd si eius exercitus indiguerit alimentis, ea possit accipere vndecumque, possitis & vos cum timore Domini sub satisfaciendi proposito, ad necessitatem tantùm ea sinè personarum accipere læsione.

IN libro namque Iudicum reperitur, quod cùm Gedeon, Zebec, & Salmana Reges Mædian persequeretur instanter, & primo à viris Soccoth, ac secundo ab B habitatoribus Phanuel panes pro populo, qui secum venerat, & iam quasi defecerat, postulasset; quia ei quod postulauerat denegarunt, victor reuersus tulit seniores ciuitatis Soccoth, & spinas deserti, ac tribulos, & contriuit cum eis, atque comminuit viros Soccoth.

TVRRIM quoque phanuel subuertit, occisis habitatoribus ciuitatis, necessitas enim, maximè cùm insistitur operi necessario, & in multis excusat. Cum enim Dominus Sabbatho per sata transiret, & vellerent discipuli eius spicas, ac manducarent manibus compicantes quidam Pharisæorum ad discipulos; quid facitis quod non licet in Sabbatis proclamarent: Iesus eis legitur respondisse: Nec hoc legistis quod fecit Dauid, cum esuriret ipse, & qui cum eo erant, quòd venit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit & manducauit, & dedit his, qui cum ipso erant, quos non licebat, nisi tantùm sacerdotibus manducare: & consequenter adiecit, quòd filius hominis Dominus est etiam Sabbati. Sed & hoc negotium filij hominis est, & prælium Domini quod intenditis præliari. Hæc autem exempla de scripturis sanctis induximus, non vt concedamus rapinam, sed vt tolleremus.

C

 A

PRÆCLARA FRANCORVM FACINORA, VARIAGVE IPSORVM CERTAMINA PLVRIBVS IN LOCIS TAM CONTRA ORTODOXÆ FIDEI QVAM IPSIVS FRANCIÆ GENTES non impigrè geſta ab anno Domini M. CC. I. vſque ad annum M. CCC. XI. quæ vulgò Chronici Simonis Comitis Montis-fortis nomine deſignatur.

Auctore, vt quidam putant Petro Lodouenſis Eccleſiæ Epiſcopo.

ANNO Domini milleſimo ducenteſimo ſecundo, Ioannes Rex Angliæ Arturum Comitem Britanniæ, filium Gaufridi fratris ſui maioris, hæredem Regni apud Mirabellum Pictauiæ capit, & latenter peremit: ſuper quo accuſatus fuit à Baronibus, apud Regem Franciæ, cuius vaſſallus erat. Cumque nollet comparere poſt multas citationes, per iudicium Parium Regis Franciæ exheredatus eſt à ducatu Aquitaniæ, & à tota terra, quam habebat in regno Franciæ. Eodem tempore Philippus Rex Franciæ totam Normanniam ſubiecit, poſt trecentos quindecim annos, ex quo Karolus, cognomento ſimplex, eam Roloni dono cum filia ſua dedit, vt fieret Chriſtianus. Poſt vero ingreſſus Rex Aquitaniam, cepit Pictauiam, & Chinum Caſtrum, vbi Vice-Comitem Lemouicenſem captum liberat. B

ANNO Domini milleſimo ducenteſimo quinto capta eſt Conſtantinopolis ciuitas à Francis, & Venetis, & Balduinum Comitem Flandriæ Imperatorem conſtituerunt.

ANNO Domini milleſimo ducenteſimo ſexto ab Innocentio Papa, cum Legato, duodecim Abbates, Ciſtercienſis ordinis, in terram Albigenſem, & Tholoſanam, & Carcaſſonenſem ad prædicandum fidem contra hæreticos tranſmittuntur, quibus de Hiſpania Didacus Oxomenſis Epiſcopus, rediens tunc de Curia, inueniens eos in Monte-Peſſulano pariter congregatos, habens ſecum in Comitatu ſuo fratrem Dominicum, ſanctitatis, & itineris ſui Comitem, pro hæreticis conuertendis, adiungitur: hic eſt frater Dominicus qui Ordinem Prædicatorum inchoauit.

TEMPORE ſiquidem Innocentij Papæ duo ſolemnes ordines incæperunt ſcilicet, Ordo fratrum Prædicatorum & Ordo fratrum Minorum, Ordinem ſiquidem fratrum Prædicatorum incepit ſanctus Dominicus in partibus Tholoſanis, vbi contra Hæreticos verbo & exemplo exorſus eſt biennio antea prædicare ſub anno Domini milleſimo ducenteſimo quarto, Pontificatus Domini Innocentij Papæ anno ſeptimo, à primo exordio computando, quo Tholoſam peruenit cum Domino Didaco Oxomenſi in Marchias, ſiue in Daciam proficiſcens, & hoſpitem ſuum ab hæretica prauitate conuertit prima nocte, qua Tholoſæ hoſpitio ſunt recepti, ſub anno Domini prætaxato Milleſimo ducenteſimo quarto. Ordinem vero fratrum minorum incæpit ſanctus Franciſcus, qui ante ſuam conuerſionem vocabatur Ioannes, prope ciuitatem Aſſyſij, apud ſanctam Mariam de Portiuncula, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexto, Pontificatus Domini Innocentij Papæ anno nono, à primo ſuæ conuerſionis exordio computando. C

ANNO Domini milleſimo ducenteſimo ſeptimo obiit ſanctus Guillelmus Archiepiſcopus Bituricenſis.

ANNO Domini milleſimo ducenteſimo octauo, in feſto beatæ Magdalenæ exercitus Cruce-ſignatorum contra hæreticos Albigenſes, & Tholoſanos, & Carcaſſonenſes in terris ſubiectis Comiti Tholoſano veniens de partibus Gallicanis, primo omnium Biterrim capiunt ciuitatem, eamque incendio tradunt: & in Eccleſia ſanctæ Mariæ Magdalenæ, ad quem ciues, qui prius reſtiterant, confugerant, in ipſo feſto, vſque ad ſeptem millia occiduntur: & quidem ſatis iuſte, quia primo requiſiti

ex parte

A ex parte exercitus, per suum Episcopum ad ipsos transmissum, scilicet Magistrum Reginaldum de Monte-pessulano, virum ætate, vita & scientia venerandum: quod hæreticos, qui ibi erant, quos ipse Episcopus qui eos in scriptis notauerat, nominaret, redderent: aut si istud non valerent, quod de ciuitate Catholici exeuntes dimitterent hæreticos, ne perirent pariter cum eisdem: quod quidem facere noluerunt, sed se aduersus Deum & Ecclesiam erigentes, exercitui diu superbe resistere præsumpserunt, in festo sanctæ Magdalenæ, ac in eius Ecclesia, merito Dei iudicio capti sunt, & destructi; quia de ipsa sancta Maria Magdalena contumeliose hæretici blasphemabant. Itemque in eadem Ecclesia olim retro quadraginta duobus annis Biterrenses ciues Dominum suum Vice-comitem nomine Trincanellum proditionaliter, & crudeliter occiderunt; ac Episcopo ciuitatis eiusdem; qui Dominum Vice-comitem de manibus ipsorum eripere conabatur, dentes ibidem pariter confregerunt: vt qui Ecclesiam ipsam sanguine Domini sui, & Episcopi ac Pastoris polluerant, ibidem in suo sanguine punirentur. Capta itaque ac destructa ciuitate Biterrensi, Bellatores Domini versus Carcassonam dirigunt signa sua, vbi hæretici plures erant, quos potenter obsederunt. Sed Rogerius, seu Raymundus Rogerij Vice-comes Biterrensis, & Carcassonensis, nepos Comitis Tholosani, B qui prius aufugerat, de Biterrensi terrore concussus, post multos vtrinque conatus, pacis conditiones inuenit, vt ciues Carcassonenses in camisiis, & braccis exeuntes inde, ciuitatem obsidentibus resignarent: quod & factum fuit in festo Assumptionis Beatæ Mariæ semper Virginis in Augusto; ipso tamen Comite, donec perficerentur quæ pacta erant, in hostagio, & custodia remanente, vbi non post multum temporis dysenteria moritur ipso anno. Habita autem ciuitate Carcassonæ, fuit inter Prælatos & Barones tractatus habitus per Legatum, & Abbatem Cistercij, quis præficeretur terræ iam acquisitæ, & insisteret acquirendæ. Electusque fuit nobilis vir Simon Comes Montis-fortis, totius signifer probitatis, suscepitque iniunctum sibi per Legatum sedis Apostolicæ, terræ Gubernaculum, ac bellum Domini ad Dei gloriam & honorem, & depressionem hæreticæ prauitatis.

Anno Domini millesimo ducentesimo decimo Castrum Mineruæ fortissimum à Simone Comite cum exercitu Domini in manu valida obsidetur: & post multos insultus & conatus grauissimos mirabiliter obtinetur, vbi centum quadraginta & amplius perfecti hæretici sunt inuenti, qui potius elegerunt comburi, quam ad fidem Catholicam conuerti. Subsequenter in eodem anno idem Simon cum exercitu Cruce-signatorum obtinuit Alzonam, Fanum Iouis, Villam sancti Vincentij de Castris in territorio Albigensi, Apamias, Castrumque Mirapicis & Sauardunum, Lomberium, & Albiam ciuitatem, totamque Diœcesim Albiensem, exceptis quibusdam Castris, quæ tenebat Comes Tholosanus, Limosumque & Piussanum, & quædam alia loca & Castella, quorum plura infra breue tempus ab eodem C Simone recesserunt, & ad vomitum redierunt, sed tandem non portauerunt impune, & recuperata fuerunt. Circa vero finem anni prætaxati in Quadragesima Petrus Rogerij, qui erat Dominus Cabareti, quod est Castrum fortissimum in Carcassesio, composuit cum Comite Simone, Castrumque Cabareti sibi reddidit, & Comes dedit ei terram aliam competentem. Eodem anno Domini millesimo ducentesimo decimo inuenti fuerunt Parisiis viginti quatuor Hæretici, in quibus erant aliqui sacerdotes, quorum aliqui conuincuntur, alij comburuntur, alij includuntur. Eodem tempore pueri vltra viginti millia somniis decepti Cruce-signantur, & Marsiliam, atque Brundusium diuersis agminibus venientes inanes redeunt.

Anno Domini millesimo ducentesimo vndecimo circa Pascha, Simon Comes Montis-fortis Athleta Christi cum exercitu Signatorum obsedit Castrum Vauri fortissimum & munitum in Diœcesi Tholosana, in quo plures hæretici habebantur, & post magnos vtrinque conatus, & insultus grauissimos, captum fuit Castrum & redditum Comitis voluntati, in festo Inuentionis sanctæ Crucis, in quo inuenti fuerunt hæretici perfecti circiter quadriginti, quos Princeps Catholicus, & peregrini Cruce-signati, cum nollent conuerti ad fidem Catholicam, flammis exustos materialibus, igni concremandos perpetuo assignarunt. Almericum vero Magnatem Nobilem, Dominum Montis-Regalis, & Lauriaci, qui Castrum susceperat defendendum, cum quibusdam nobilibus suspendio eleuauit, cæterosque generosos circiter octoginta gladio consummauit. Geraldam vero Dominam dicti Castri,

sororemque dicti Almerici hæreticam, proiectam in puteum fecit lapidibus cumulari vulgus vero sub conditionibus est seruatum. Capto Castro Vauri, Simon Comes cum exercitu mouens Castra venit ad Castrum, quod dicitur Mons-Iouis, vbi à Comite Fuxensi, & Rogerio Bernardi filio eius, peregrini Cruce-signati paulo ante fuerant crudeliter interempti, qui cum indulgentia peccatorum veniebant in auxilium, & succursum eiusdem Comitis Simonis ad exercitum Domini versus Vaurum: dum autem exercitus appropinquaret ad Castrum, apparuit in loco, vbi occisi fuerant peregrini, columna ignis lucens & descendens super corpora occisorum, qui iacebant resupini, brachium in modum Crucis extensis. Venerabilis vir Fulco Episcopus Tholosanus præsens & fuit, & vidit & testimonium perhibuit veritati. Ad prædictum igitur Castrum Comes perueniens, illud funditus euertit: inde vero progrediens ad Castrum, quod Casser dicitur, Dei exercitus properauit, & expugnato eo, atque capto, inuenti fuerunt hæretici perfecti circiter sexaginta, quos Fulco Episcopus Tholosanus, & alij Episcopi, qui erant in exercitu, ad conuersionem monuerunt; qui nullo modo voluerunt conuerti, ideoque ibidem combusti, conuersi sunt in infernum. Quibus gestis Fulco Episcopus Tholosanus, qui erat in exercitu prædicto, mādauit præposito Ecclesiæ Cathedralis S. Stephani, aliisque clericis, vt de ciuitate Tholosana egrederentur, qui iussa complentes nudis pedibus cū corpore Christi egressi sunt de Tholosa. Deinde Comes Simon cepit Castrum Montis-Ferrandi, & quædam alia Castra: & Castrum nouum de Arrio muniuit, quod Comes Tholosanus combusserat, & vacuum reliquerat paulo ante. Demum Comes Simon pertransiens Tarnum fluuium in Diœcesi Albiensi obtinuit Rapistagnum, Montem-Acutum, Galliacum Causacum, sanctum Marcellum, Guepiam, & sanctum Anthoninum: quæ loca postmodum rebellarunt, sed non tulerunt impune. Eodem anno Domini millesimo ducentesimo vndecimo, mense Iulij, Comes Simon cum exercitu Cruce-signatorum obsedit Tholosam, erant autem cum exercitu eius Comes Barrensis & multi Nobiles de Alemania. Intus vero erant Comites, Tholosanus & Conuenarum & Fuxi, & milites multi. Fueruntque vtrinque insultus, & conatus bellici complures: sed deficientibus victualibus exercitui, compulsus est recedere ab opinione, & progrediens inde versus Apamias, cepit Altam ripam, & muniuit, & peruenit Apamias, & Varillas, & cepit, ac muniuit: & penetrans Castella Comitis Fuxi plurima deuastauit, & Burgum Fuxi, totum combussit: deinde rediens, & accedens, Caturcum, ab Episcopo, & Caturcensibus in Dominum est receptus. Eodem anno Domini millesimo ducentesimo vndecimo, quarto Idus Augusti, Mafredus de Bellouisu, vir Catholicus, sæpius adhortans, consobrinum suum Raymundum Comitem Tholosanum, vt hæreticæ prauitatis sectam penitus relinqueret, sed in cassum, quia eius monitis acquiescere noluit. Quare prædictus Mafredus censuram Apostolicam dubitans, erga Episcopos, & Comitem Montis-fortis, se recepit, à quibus fuit humaniter receptus. Paulo post prædictus Comes Raymundus Tholosanus ob odium sui Consobrini Mafredi, eius Castrum de Bellouisu & Villam Montis Giscardi prope Castrum obsedit, & totam Baroniam demoliuit, familiam dicti Castri trucidando, duobus tantum liberis saluis per domesticam pedissequam, quæ se occultans clam Raymundo Comite, illos liberos in partibus Bearniæ transtulit.

ANNO Domini millesimo ducentesimo duodecimo Miramolinus Rex Africæ bellum grande indixerat Christianis conuenientibusque quinque Regibus nostris in ipsum prælium contra eum victoriam cum Dei adiutorio habuerunt: in quo prælio, sicut publice ferebatur, Sarracenorum circiter centum millia ceciderunt: obtinueruntque nostri post bellum protinus Calatrauam, Sarracenorum Rege turpiter fugiente. Anno eodem Domini prætaxato millesimo ducentesimo duodecimo, tertio Nonas Iunij Castrum Pennæ Agenesij fortissimum à Simone Comite Montis-fortis cum exercitu Cruce-signatorum in manu valida obsidetur, & post plurimos insultus, & conatus bellicos Castrum capitur, & obtinetur in festo sancti Iacobi Apostoli. Eodemque anno in vigilia Assumptionis beatæ Mariæ ab eodem Comite Simone cum exercitu Cruce-signatorum obsidetur villa Moissaci valde fortis, quæ Tholosano Comiti adhærebat, & contra Ecclesiam rebellabat, hæreticisque fauere videbatur, & in sequenti festo Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis capta fuit, fueruntque ruptarij, qui intus inuenti sunt, penitus trucidati. Eodem anno

A anno Domini millesimo ducentesimo duodecimo, in mense Februarij, Ludouicus primogenitus filius Regis Franciæ Philippi mitissimus Iuuenis, & bonæ indolis adolescens signo Crucis se consignauit contra hæreticos, credentes, & defensores eorum Albigenses, & Tholosanos, & eius amore & æmulatione plurimi milites signum eiusdem Crucis viuificæ assumpserunt: fuitque motionis dies Cruce-signatorum contra hæreticos præfixa in Octauis Paschæ: sed propter guerras Regis Franciæ interim suscitatas oportuit ipsum Ludouicum, & Cruce-signatos ab executione propositi retardari triennio.

Anno Domini millesimo ducentesimo decimotertio, Petrus Rex Arragonum habens secum magnum exercitum Arragonum, & Catalanorum, ac & Comites Raymundum Tholosanum, & Fuxensem ac Conuenarum, ciuesque cum populo Tholosano cum exercitu copioso vsque ad centum millia pugnatorum exeuntes de Tholosa, obsederunt Castrum Murelli situm in ripa Garumnæ non longe à Tholosa, cum magna potentia & maiore superbia contra Deum & Ecclesiam, & contra Dei Athletam Simonem Comitem Montis-fortis, qui causam Dei, & fidei pro obedientia, ratione Ecclesiæ contra hæreticos, & credentes, ac fautores ipsorum assumpserat & gerebat & dictum Castrum stabiliuerat contra fidei inimicos, dimissis ibidem paucis tunc militibus, quos habebat, cumque innotuisset Simoni Comiti memorato de Fano Iouis, vbi tunc erat tanquam Leo fortissimus, obsessis suis in
B succursum properat, & sequenti die Mercurij cum exercitu Cruce-signatorum Dei & septem Episcopis, ac tribus Abbatibus, de mandato Legati sedis Apostolicæ Archiepiscopi Narbonæ, ad Castrum Murelli perueniens, ad suos, videntibus & inuitis aduersariis, introiuit. Præfati autem Episcopi cæperunt, missis ad Regem nunciis, quæ pacis erant quærere, & tractare, qui & nudis pedibus decreuerant ad eum accedere, vt tantam cordis eius duritiam emollirent, & consulerent ei, ac populo pereunti: Cumque misissent nuncium ad Regem, qui talem Episcoporum nunciaret aduentum, ecce Rex aduersus hostes insiluit, & impugnauit. Cumque præfatus Rex nec monitis, nec inhibitionibus Apostolicis per destinatas literas sibi factis, nec piis precibus, & exhortationibus Prælatorum à male inceptis vellet desistere; quamuis plene sibi innotuisset, quod præfati Comites, ac defensores eorum erant graui vinculo anathematis innodati, eo quod Dei Ecclesiam impugnarent, & hostes fidei manifestius defendebant, & sub ipsorum Dominio pullulabant hæreses, & multiplicabantur hæretici contra fidem; sequenti die Iouis in vigilia Exaltationis sanctæ Crucis memoratus Simon vir Catholicus cum exercitu Cruce-signatorum, quem modicum tunc habebat: sed Deo non est difficile pugnare in multitudine, aut cum paucis: decreuit exire in campum obuiam obsessoribus confidenter. In exercitu siquidem Simonis inter milites & seruientes in equis non erant amplius quam octiginti, pedites autem pauci: ita quod simul esse poterant quasi mille. In exercitu autem Regis, & Comitum ex aduerso circiter centum millia cre-
C debantur. Ita quod pugiles Christi factis confessionibus peccatorum, & audito ex more officio diuino, ciboque salutari Altaris refecti, & Prandio sobrio confortati arma sumunt, & ad prælium se accingunt. Benedictione itaque Episcoporum percepta, adoratoque in manu Episcopi Tholosani viuificæ ligno crucis & concessa plena indulgentia peccatorum, exeunt extra Castrum. Ordinatis igitur aciebus ex aduerso à Rege, cum Comitibus ad Campum veniunt, & ad pugnam. Comesque Simon, ac sui tribus ordinibus, vsu vt optime nouerant, militari, tanto impetu in hostes irruunt, quod ipsos in primo congressu à campo, vt ventus à facie terræ puluerem, propulsauerunt: deinde ad Regis aciem, vbi vexillum eius nouerant, se conuertunt; tantaque pressura in ipsum irruunt, quod armorum collisio, & sonitus ictuum per aëra longius ferebantur, ac si multæ secures nemora detruncarent. Mortuus est Rex ibidem, & Magnates plures de Arragonia circa ipsum, virtusque altissimi per manus seruorum suorum hostes suos confregit, & comminuit in momento. Terga enim vertentes, in fugam tres Comites, & alij plures, facti sunt tanquam puluis à facie venti, & Angelus Domini persequens eos erat. Igitur quidam turpiter fugientes, turpi fuga mortis periculum euaserunt, alij vero vitantes gladium aquæ periculo perierunt, complures fuerunt in ore gladij deuorati. Ex Tholosanis autem multa millia, tam gladio cæsi, quam in flumine sunt submersi. Erat autem videre humana pietas, & audire lamenta Tholosæ plangentium mortuos suos,

quando vix vacabat domus, quæ plangendum mortuum non haberet, vel quem A credebat in carcere mortuum. Quamuis autem præ multitudine sciri non potuerit certus numerus hostium prostratorum, æstimati tamen fuerunt vsque ad viginti millia tam occisorum gladio, quam in Garumnæ flumine submersorum. De militibus autem Christi solus vnus. Interemptus est in conflictu & paucissimi seruientes.

INTERIM autem dum bellum Domini gerebatur, septem Episcopi qui conuenerant, Fulco Tholosanus, & Guido Carcassonensis & Seditius Agathensis, Vticensis Lodouensis, & Conuenarum, ac tres Abbates, scilicet de Claraco, de Villamagna, & sancti Tyberij, cum suis clericis, & aliquibus Religiosis, inter quos erat Religiosus Dei Amicus frater Dominicus Canonicus Oxomensis, postmodum fratrum Prædicatorum Ordinis instructor, & institutor, Ecclesiam intrauerunt, exemplo Moysi in bello Iosue, leuantes manus in cælum, deprecantes Dominum pro seruis suis, qui se mortis eminentis periculo pro eius nomine, ac fide exponebant: Orantes vero, ac clamantes in cælum tantum mugitum pro imminenti angustia immittebant, quod vlulantes videbantur potius, quam orantes: Posthæc præcepit Nobilis Comes Simon, quibusdam de suis, videlicet prætaxato Mafredo de Bellouisu, & aliis, vt adducerent eum ad locum, vbi Rex Arragonum B fuerat interemptus: veniens ad locum, inuenit corpus Regis prostratum in medio campo, pariter & nudatum, pedites siquidem eum nudauerant armis suis. Piissimus autem Comes videns Regem iacentem prostratum, descendit de equo, alterum Dauid super Saul repræsentans. Christianissimus autem Comes habita victoria gloriosa, intelligens tantum miraculum Dei virtute, non viribus humanis esse factam, ab illo loco vbi descendit, modico pedibus ad Ecclesiam perrexit, omnipotenti Deo pro collata victoria gratias redditurus, equumque suum & arma pauperibus in Eleemosynam erogauit. Præmissa vero de pugna, & causa eius, & victoria subsequuta, memorati septem Episcopi, & Abbates seriosius conscripserunt, & sub sigillorum suorum testimonio vniuersis Christi fidelibus transmiserunt.

ANNO Domini millesimo ducentesimo decimo tertio, Philippus Rex Franciæ Flandriam vastat, & acceptis obsidibus de Gandauo, Ipra, Brugis, Insula, & Duaco, in Franciam rediit cum eisdem, cepitque in bello campestri Comites Flandriæ Ferrandum, & Boloniæ Reginaldum: & in locis, quæ sibi ipsi elegerant, atque diuiserant, si fortuna fuisset eis ad votum, custodiendos statuit vinclis mancipatos. Et ipso tempore Ludouicus filius eius in Aquitaniam currens contra Regem Angliæ Ioannem, ipsum fugientem ab eius facie effugauit.

EODEM tempore obiit Maria de Lignies fæmina mirabilis, in territorio Leodicensi, cuius vitam admirabilem scripsit Magister Iacobus de Vitriaco postmodum Cardinalis.

ANNO Domini millesimo ducentesimo decimo quarto, Comes Simon Montisfortis cum exercitu Cruce-signatorum Dei, cæpit hæc Castra, quæ sequuntur, in C quibus hostes fidei, & Ecclesiæ, aut pacis turbatores, & Ruptarij habitabant, & refugiebant, videlicet Mauuiliacum Castrum, quod est in Diœcesi Ruthenensi, quod pœnitus destructum fuit, in quo inuenti fuerunt septem hæretici perfecti, de secta Valdentium, qui ibidem coram Domino Roberto Legato perducti, suam perfidiam sunt confessi, à qua nolentes recedere, à peregrinis Cruce-signatis combusti fuerunt ibidem. Item cepit Montem-Pisatum in Diœcesi Agennensi, quod hostes audientes aduentum exercitus Domini, vacuum dimiserunt, Castrumque Crucesignati pœnitus destruxerunt. Item secundo cepit, ac recuperauit Marmandam, expulsis inde aduersariis, & fugatis; muniuitque turrem maiorem, cæteras autem turres, partemque murorum diruit. Deinde Cassolium Castrum fortissimum in territorio Agennensi, in quo sedes hæreticorum vna de principalibus erat in Agenesio, & fuerant ab antiquo homines Castri illius pessimi & bis antea recidiuerant, & iam tunc rebellabant, quos obsedit Comes Simon in fortitudine magna, & post multos labores, insultus mirabiles, ac conatus, vir tandem Dei virtute Castrum cepit, comburi fecit, & plures ex aduersariis in ore gladij fuerunt perempti, cæterique fugerunt: captumque & cassatum est Cassanolium decimo sexto Kalendas Septembris. Inde vero progredientes ad Castrum Domæ in Petragoricensi Diœcesi, vbi habitabant pacis & fidei inimici, inuenerunt quidem Castrum vacuum defensore, quia timore perterriti aufugerant à facie exercitus Domini, venientes vbi,

A turrim fortissimam Comes fecit dirui, & subfodi. Item Castrum Montis-fortis ibidem prope Comes fecit diruit vbi erat Dominus Castri Bernardus de Cansuaco inhumanus homo, imo potius crudelis bestia: habebatque adiutorium simile sibi in malitia vxorem, quæ erat soror Vice-comitis Turænæ, quæ nequitiam Iesabel superabat captumque fuit Castrum nouum ibidem prope, non quidem impar cæteris, quod non fuit destructum, sed reseruatum, vt inde per hoc posset melius Comes pacis compescere turbatores. Quartum Castrum nomine Bainacum cæpit Comes Simon: erat Dominus dicti Castri humiliati. In prædictis quatuor Castris, scilicet Domæ, Monte-forti, Castronouo, Bainaco Petragoricensis Diœcesis a centum annis; & antea, sedes fuerat sathanæ. Ab ijs egressa fuerat iniquitas super faciem terræ illius, quibus subiugatis reddita est pax, Et tranquilitas, non solum Petragoricensibus, & Caturcensibus, sed & Agennensibus, & Lemouicensibus pro magna parte. Progressis idem Comes cum suis venit figiacum, cepitque Castrum, quod dicitur Capdenacum, vbi ab antiquo nidus fuerat & refugium tyrannorum: & inde venit Ruthenam ciuitatem, vbi Comes Ruthenensis post aliquantulum altercationis de recognoscenda terra, & homagio, tandem recognouit terram suam
B se tenere à Simone Comite Montis-fortis. Erat prope Ruthenam Castrum quoddam valde forte, quod dicitur Seueracum, in quo pacis, & iustitiæ turbatores Ruptarij habitabant: quod cum Dominus dicti Castri nollet reddere Comiti Simoni, fecit ipsum protinus obsideri, captumque fuit Castrum in manu valida, & potenti, hyeme asperrima non obstante. Tandem Dominus eiusdem Castri de Seueraco fecit homagium Comiti Simoni, & reddidit Castrum, & ad familiaritatem & gratiam Comitis est receptus.

Anno Domini millesimo ducentesimo decimo quarto in quindena Dominicæ natiuitatis, Magister Petrus de Beneuento, Apostolicæ sedis Legatus, Diaconus Cardinalis, tenuit apud Montem-pessulanum celebre Concilium Prælatorum; in quo fuerunt congregati quinque Archiepiscopi, scilicet Narbonensis, Auxitanus, Ebredunensis, Arelatensis, Aquensis; fueruntque Episcopi viginti octo, & multi Abbates, & alij Ecclesiarum Prælati; plures quoque de Baronibus terræ conuenerunt. Petiitque Consilium, dictus Legatus ab omnibus Prælatis, cui melius, & vtilius ad honorem Dei, & sanctæ Matris Ecclesiæ, & pacem terræ, ad expurgandamque spurcitiam labis hæreticæ, concedi, & adsignari deberet Tholosa, quæ in manu Legati se posuerat datis obsidibus, nec non & aliæ ciuitates, & Villæ, ac terræ, quas exercitus Cruce-signatorum acquisierat. Omnesque ac singuli, Prælati, nullo excepto, vnanimes, vno voto nobilem Christi Athletam Simonem Comitem Montis-fortis in totius terræ illius Dominum, & principem elegerunt; miseruntque inde Prælati, & Legatus cum literis suis ad Innocentium Papam, Archie-
C piscopum Ebredunensem Bernardum nomine supplicantes humiliter, & instanter, vt electum virum Simonem confirmaret, & concederet in illius terræ Dominum, & Monarcham: quod & factum fuit.

Anno Domini millesimo ducentesimo decimo quarto Ludouicus filius Regis Franciæ Philippi primogenitus, qui triennio iam transacto crucem contra hæreticos Albigenses, & Tholosanos assumpserat: sed multis grauibus guerris præpeditus, iter arripuit ad partes Albigenses, & Tholosanas, vt votum suæ peregrinationis expleret: veneruntque cum ipso multi nobiles, & potentes per Lugdunum, & Valentiam & Prouinciam. Cumque esset in villa sancti Ægidij cum nobili Comite Simone Montis-fortis, venerunt nuncij Domini Papæ cum pluribus litteris ad Legatum, & Prælatos, & Simonem memoratum, in quibus continebatur, quod ipse Papa totam terram, quam ipse tenuerat Comes Tholosanus; terras item eas quas Cruce-signati acquisierant, & quas Legatus tenebat per obsides, & custodes, commendabat eidem Simoni Montis-fortis custodiendas, donec in Concilio generali, quod in Calendis Nouembris illius eiusdem anni Romæ conuocauerat, de terris prædictis plenius ordinaret. Forma vero scribendi Papalis literæ ad Comitem, quæ in gestis eiusdem Comitis inuenitur, pulcherrima erat valde: Datum Laterani quarto nonas Aprilis, Pontificatus sui anno decimo octauo. Cumque memoratus Ludouicus cum Legato, & Simone Comite, cum sua nobili

Comitiua, inde peruenisset Biterrim, de voluntate Legati, & consilio Prælatorum ita extitit ordinatum, quod Ludouicus de voluntate & auctoritate Legati faceret dirui muros Narbonæ, & Tholosæ, & quorumdam Castrorum, eo quod per munitiones illas Christianitati euenerant multa mala. Mandauitque Ludouicus ciuibus Narbonensibus, vt ad arbitrium duorum militum; quos ad hoc misit Narbonensibus infra tres septimanas diruerent muros ciuitatis: ceperuntque ciues Narbonæ muros diruere suos. Comes vero Simon, tradita sibi terra iuxta formam mandati Apostolici à memorato Legato Magistro Petro de Beneuento Diacono Cardinali, Legatusque perrexerunt ad castrum Apamiarum, vbi venit ad Legatum Comes Fuxi; ibique commendauit, tradidit Legatus Comiti Simoni castrum Fuxi, quod diu tenuerat in manu sua. Comes autem Simon statim misit milites, & castrum Fuxi accepit & muniuit. Miserat autem Comes paulo ante Guidonem de Monte-forti Germanum suum, & milites cum eo, ad recipiendum ex parte eius Tholosam: receperuntque ex parte sua iuramenta fidelitatis à ciuibus Tholosanis, præceperuntque eis vt muros diruerent ciuitatis. Acquieueruntque ciues, licet inuiti, nimiumque dolentes, & cœperunt diruere muros suos. Veneruntque illis diebus, tam Ludouicus, quam Legatus, & Comes Simon Tholosam: indeque Ludouicus, & sui peracto peregrinationis termino quadraginta dierum, in Franciam redierunt; Legatus vero rediit ad Concilium generale; Comes vero Simon tenuit Curiam magnam valde.

ANNO Domini millesimo ducentesimo decimoquinto, in Calendis Nouembris, Innocentius Papa tertius, Pontificatus sui anno decimo octauo, conuocatis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus & aliis Ecclesiarum Prælatis, Romæ in Lateranensi Ecclesia celebrauit Concilium generale, in quo fuerunt Episcopi quadriginti duodecim, inter quos steterunt de præcipuis Patriarchis, duo videlicet Constantinopolitanus & Hyerosolimitanus: Anthiochenus vero graui languore detentus, venire non potuit, sed misit pro se Vicarium Autairedum Episcopum: Alexandrinus vero sub Sarracenorum dominio constitutus, fecit quod potuit, misit pro se Diaconum Germanum suum. Primates autem & Metropolitani fuerunt septuaginta vnus. Cæterum Abbates, & Priores fuerunt octoginti. Vnde cum Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis & aliis Ecclesiarum Prælatis fuit numerus Prælatorum mille ducenti quindecim, Legatorum vero, Regis Siciliæ, Frederici secundi, Imperatoris Romanorum tunc elati, in primisque Constantinopolitani, Regis Franciæ Philippi, Regis Angliæ Ioannis, Regis Vngariæ, Regis Hyerosolimitani, Regis Cypri, Regis Aragonum: nec non & aliorum principum, & magnarum ciuitatum, aliorumque locorum ingens affuit multitudo: interfuitque Concilio sancto beatus Dominicus tunc Canonicus Oxomensis, natione Hispanus, cum Venerabili Fulcone Episcopo Tholosano profectus, ordinis fratrum Prædicatorum, cuius institutor, & primus pater, & frater extitit, institutionem & confirmationem petens sedulò, & procurans, quæ tunc sibi ab eodem Innocentio Papa, ostensa primitus cælesti visione de ruina Lateranensis Ecclesiæ cui idem Dominicus humeros supponens, eam sustentare videbatur, concessa extitit, & promissa, & anno sequenti fuit à successore Honorio Papa tertio consummata. Interfuerunt quoque prædicto Consilio, Raimundus quondam Comes Tholosanus & Raimundus filius eius, ac Comes Fuxi, pro recuperatione terræ suæ, quam perdiderant supplicantes. Comes vero Simon illuc misit pro seipso Guidonem de Monte-forti Germanum suum. Fuitque in ipso Concilio per Papam Innocentium Comitatus Tholosanus adiudicatus, & datus Simoni Comiti Montis-fortis, & heredibus suis, cum tota terra, quam acquisierat cum exercitu Cruce-signatorum. Priuato inde per sententiam Comite Tholosano fuitque eidem Comiti traditum ad libitum castrum quod Tholosæ dicitur Narbonæ; sic enim castrum Tholosanum apellatur vsque in hodiernum diem, fuit quoque iuratum eidem dominium à ciuibus, atque Burgensibus Tholosanis: & ipse habitus, & nominatus pro Comite Tholosano, & à Notariis ponebatur Comes in publicis instrumentis. Fecitque dirui muros ciuitatis & parietes Burgi & æquari fossata & turres domorum fortium destrui, quæ erant in villa, vt vltra non auderent insurgere contra ipsum, & catenas fecit à compitis remoueri. Post reditum vero nunciorum suorum à Concilio, Comes Simon perrexit

A perrexit in Franciam ad Regem Franciæ Philippum, vt ab eodem terram reciret, quæ de Feudo Regis erat fuitque receptus à Rege honorifice, ac benignè, inuestiuitque Rex eumdem Simonem pro se, & heredibus suis de Tholosa, ac de tota terra, quam in Feudo suo acquisierant Cruce-signati contra Hæreticos, & eorum defensores: & confirmauit Rex eidem ducatum Narbonæ. Cumque Comes Simon nundum rediisset de Francia, interim Raimundus Iunior filius Raimundi Senioris, quondam Comitis Tholosani, facta coniuratione cum Auinionensibus & Carcassonensibus, & Massiliensibus, terram occupat vltra Rhodanum, nec non & Bellicadrum Castrum, quod est citra in ripa Rhodani in regno Franciæ, quod fuerat Comitis Tholosani. Contra quem Guido de Monte-forti, Germanus Comitis Simonis; & Amalricus, primogenitus eiusdem Simonis, collecto exercitu mox occurrunt. Tandemque idem Simon, postmodum accurrens aduenit, & obsedit exterius obsidentes: sed cum nihil proficeret, ab obsidione recessit ipse propter quod multi, qui latebant, cornua contra Simonem Comitem extulerunt, & plura oppida, & villæ hosti eius breuiter adhæserunt.

ANNO Domini millesimo ducentesimo decimosexto, ciues Tholosani subesse Comiti Simoni detrectantes, quadam se inobedientia subtrahebant, & moleste ferebant iugum in pristinæ præiudicium libertatis. Ipse vero Comes Simon timens, ne nisi eos præueniret in tumorem se erigerent altiorem, consilium habuit, vt eos armis inuaderet, & rigore superbiam castigaret. Veniens itaque in manu valida, inuasit in locis pluribus, igne immisso, vt duplici gladij, & flaminis, turbine terrerentur, & facilius turbarentur. Qui econtrario vires viribus opponentes, Comitis & suorum impetum retulerunt. Sed mox Fulco Episcopus Tholosanus vt periculis occurreretur imminentibus, de pace tractauit, & concordia inter partes; & Tholosani aciem ferri argento retundere probauerunt. Erat vero Comes extenuatus propter sumptus, quos fecerat apud Bellicadrum, & pecuniis indigebat: quod præsumentes, Comiti sub boni specie persuaserunt, vt pro emenda reciperet à ciuitate, & à Burgo triginta millia marcharum argenti, quæ bene solui poterant, vt eius gratiam obtinerent: qui Consilio Architophel acquieuit, & periculum non præuidit: sciebant enim qui talia sibi suadebant, quod in illa pecunia colligenda, multa in offensionem vniuersorum, & singulorum committerentur, quibus cogerentur affectare pristinam libertatem, & ad se antequum Dominum reuocare: facta namque tallia quæ debebantur, cum dura & graui instantia petebantur; & propter pignorum extorsionem domorum ostia claudebantur, sub qua gemebat populus seruitute. Interim tractabatur secretò cum Comite veteri in Hispania peruaganti, qualiter Tholosam rediret, & fieret quod optabat, sicut factum extitit infra annum. Deinde Innocentius Papa tertius, cum propter subuentionem terræ sanctæ inter Pisanos, Genuenses, & Lombardos pacem intenderet, in itinere ad hoc constitutus, apud Perusium est defunctus: ibique in Ecclesia sancti Laurentij tumulatus, mense Iulij, anno Domini millesimo ducentesimo decimosexto, Pontificatus sui anno decimonono. Vocauitque sedes per vnam tantummodo diem Perusinis causa electionis Papæ strictissime arctantibus Cardinales.

HONORIVS tertius, natione Romanus cœpit anno Domini millesimo ducentesimo decimosexto, in mense Iulij: sedit annis decem, mensibus octo, diebus viginti tribus. Hic reuocauit Ecclesiam sancti Laurentij extra muros, quæ dicitur sancta sanctorum. Item composuit decretales. Hic apud sanctum Laurentium foris murum Petrum Comitem Altisiodorensem in Imperatorem Constantinopolitanum coronauit. Hic Honorius Papa Pontificatus primo confirmauit ordinem fratrum prædicatorum, beato Dominico, natione Hispano, institutore eiusdem ordinis, procurante Romæ apud sanctum Petrum in crastino sancti Thomæ, vndecimo Calendas Ianuarij, anno Domini millesimo ducentesimo decimosexto. Cuius ordinis confirmationem Innocentius Papa tertius cælesti visione sibi diuinitus præostensa, eidem beato Dominico concesserat in Concilio generali, & ordinem decreuerat confirmare: sed morte præuenrus, non potuit adimplere. Item confirmauit ordinem fratrum minorum, beato Francisco, Pontificatus sui anno octauo. Item confirmauit ordinem de Valle Scolarium, Parisius, anno Domini millesimo ducentesimo decimoseptimo & eodem tempore obiit Guillemus Niuernensis Episcopus, qui duo millia pauperum omni die pascebat.

VVt ij

Anno Domini millesimo ducentesimo decimo-septimo congregatus est exercitus in Achon, cum Regibus Hyerusalem, Cypri, Vngariæ, & Bauariæ Francisque pluribus, Germanis, redeuntibus vero Vngaris, aliqui Ægyptum applicant, Damiatam capiunt; pereuntque tam fame, quam ferro octuaginta mille Sarraceni. Denique tandem captis Cardinalibus, & templariis, & Hospitalariis, totoque exercitu, excepto Rege, qui à Cardinalibus discordans recesserat Damiata quæ per annum à Christianis possessa fuerat, pro redemptione eorum fuit reddita Paganis. Anno Domini millesimo ducentesimo decimo-septimo, cum Comes Simon Guerram longe gereret cum Ademario de Pictaui vltra Rhodanum, obseruata temporis opportunitate, Raimundus vetus quondam Comes Tholosæ cum Comitibus Conuenarum, & Paleariorum, & militibus paucis transit Pyræneum, & clam intrauit Tholosam, mense Septembri, transiens Garumnam non Ponte, sed vado: quod cum pauci scirent, quibusdam placuit, quibusdam vero displicuit. Comes autem Guido de Monte-forti, qui erat intra, tentauit ferro recentem motum compescere, sed repulsus non valuit adimplere. Interim autem dum ista Comiti Simoni nunciantur, tenenti obsidia apud Crestum ciues Tholosani cæperunt contra castrum Narbonæ claudere ciuitatem Palis, & fustibus, aggeribus & magnis fossatis. Veniensque Comes Simon cum Domino Bertrando Cardinali, qui missus erat Legatus ab Honorio Papa tertio inuasit in manu valida ciuitatem, tenens secum castrum, quod dicitur Narbonæ: sed deffendentibus se viriliter ciuibus, nihil potuit illa vice. Denique machinæ vndique eriguntur & mittuntur lapides versa vice. Mittitur interea in Franciam à Legato Fulco Episcopus Tholosanus, prædicaturus crucem, cum aliis, qui mandatum habuerant in eodem; cum quibus fuit supra memoratus Magister Iacobus de Vitriaco, vir magnæ honestatis, literaturæ, atque eloquentiæ, postmodum Episcopus Anconensis, & demum Cardinalis. Et in illa prædicatione multos Cruce-signauerunt, qui venerant in illa obsidione, verno tempore subsequenti, cum quibus Fulco Episcopus ad exercitum est reuersus, cui Comes Simon donauit in eleemosynam, eiusque successoribus, Episcopis Tholosanis perpetuò castrum Virisfolij, cum cunctis villis, & fortiis, quæ erant sub eiusdem castri Dominio, in quibus erant viginti fortia, vel infra, nihil sibi retento, nisi quod si contingeret sibi fieri bellum Campestre ab aliquo in terra sua, Episcopus vnum militem armatum sibi in illo prælio exhiberet. Cum igitur labor pugnæ tam obsessis, quam obsidentibus, per totam hyemem, tam cum machinis, quam cum aliis instrumentis bellicis perdurasset, Comes Simon roboratus recentibus peregrinis, non tam aggressionibus, quæ fiebant extrinsecus, quam & discursibus, qui fiebant circa Villam (quos & ciues impediebant barreriis, & fossatis) aduersarios infestabat. Cuius demum fuit Consilium ædificare machinam ligneam, quam Catham vocant, cum qua terram, & ligna pertraherent ad replendum faussata, quibus æquatis pugnam cominus inferrent: & effractis clausuris ligneis insilirent: cumque quadam die, scilicet in crastino Natiuitatis beati Ioannis Baptistæ, infra Catham illam esset Comes Simon, immissus ab aduersa parte lapis Mangonelli, cecidit super caput eius, & comminutus expirauit anno Domini millesimo ducentesimo decimo octauo, in exercitu Domini, quem gerebat vir per omnia laude dignus: cuius filius Amalricus eius successor, & hæres obsidionem tenuit vsque ad festum sancti Iacobi indeque ab obsidione recedens castrum deseruit, quod tenere non poterat Narbonense corpusque paternum apud Carcassonam curatum more Gallico exportauit, & inde postmodum in Franciam est delatum. Vacillante igitur terra casibus inopinatis, post paucos dies castrum nouum de Arrio redditur Comiti Tholosano, quod Comes Amalricus non est cunctatus collectis exercitibus obsidere, erectis machinis contra ipsum, tuente illud, & stabiliente Raimundo Iuniore, filio veteris Comitis Tholosani; factumque vna die, quod in quodam insultu cecidit Guido Comes Bigorræ, filius quondam Comitis Simonis, & frater Amalrici, & confossus vulneribus expirauit, cuius corpus decenter curatum in tabulato purpura cooperto remittitur fratri suo, & ab æstatis fine, vsque ad finem hyemis est certatum. Soluta autem obsidione à Castronouo, Comes Amalricus recessit verno tempore, affectus tædio & expensis.

Anno

A ANNO autem Domini subsequente millesimo ducentesimo decimo nono, Ludouicus superius commemoratus, filius Philippi Regis Franciæ, cum in deditionem cepisset Rupellam, quam expugnauerat contra Regem Angliæ, cum exercitu suo venire aduersus Tholosam disposuit peregrinus, cui venienti obuium fuit obsidere Castrum quod dicitur Marmanda, in diœcesi Agennensi, quod fuerat Comitis Tholosani, quod eiusdem Comitis mandato Comes Astariaci Centullus, & quidam alij nobiles, inter quos erat Arnaldus de Blancha-forti, susceperant deffendendum: & cum per dies aliquos Ludouicus eos expugnari fecisset, cognoscentes obsessi, quod diu ferre non poterant belli instantiam, data eis belli securitate, eius se carceri reddiderunt, & Villam: ductique sunt capti apud Podium-Laurentij seruandi, donec qui capti tenebantur à parte altera redderentur. Recedens autem de Marmanda Ludouicus contra Tholosam, properat recta via; eratque exercitus eius valde magnus. Tholosamque perueniens ante festum sancti Ioannis Baptistæ, decimoquinto Calendas Iunij castra sua disposuit circumquaque erectis machinis, & aggressionibus acerrimis obsessos quadraginta quinque diebus expugnauit: nec aberat Dominus Bertrandus Legatus, cui negotium erat B cordi; perfectisque suæ peregrinationis diebus, ab obsidione recessit Princeps exercitus Ludouicus prima die Augusti, & in Franciam est reuersus. Et fuerunt, qui capti erant, hinc prænominati viri, & milites restituti. Post recessum autem dicti exercitus feruentius guerra excanduit, & plura castra se reddiderunt veteri Comiti Tholosano.

ANNO Domini millesimo ducentesimo vigesimo, nata est Ioanna filia vnica Raimundi Iunioris, filij Raimundi Comitis veteris Tholosani, quæ fuit vxor Domini Alphonsi Comitis Pictauiensis, fratris Regis Ludouici. Et anno prætaxato multa se oppida eidem Raimundo Comiti reddiderunt, obtinuitque & recuperauit Castrum Vauri, & Podium Laurentium, Castrumque Montis Regalis, vbi fuit interemptus Alanus de Roffiaco tunc Dominus dicti Castri.

ANNO Domini millesimo ducentesimo decimoseptimo, Fredericus hic à principio visus est bonus, fuitque ab infantia per Ecclesiam tanquam per matrem educatus, & Othone quarto damnato, ad Imperium promotus; sed postmodum auersus à bono, factusque est Ecclesiæ aduersarius & tyrannus Ecclesiamque Dei non fouit vt matrem, sed tanquam nouercam quantum potuit, lacerauit: propter quod Honorius Papa, qui ipsum coronauerat, rebellem sibi, & Ecclesiæ aduersarium comperiens, anathematizauit eum, & omnes Barones ab eius fidelitate absoluit: Imperauit autem non per fas, sed per nefas, non iure, sed iniuria tyrannizans annis triginta tribus.

ANNO Domini millesimo ducentesimo vigesimo, mittitur Legatus à sede Apo-C stolica ad partes Albigenses, & Tholosanas, Corradus Cisterciensis ordinis, Episcopus Portuensis.

ANNO Domini millesimo ducentesimo vigesimoprimo, octauo idus Augusti, beatus pater Dominicus compleuit Bononiæ dies suos in bono, & annos suos in gloria, plenus miraculis, plusquam annis.

ANNO Domini millesimo ducentesimo vigesimo secundo, mense Iulij moritur Bernardus Rogerij, Comes Fuxi in obsidione Castri Mirapicis non vulnere, sed magno vlcere prægrauatus; cui successit filius eius Rogerius Bernardi. Eodem anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo secundo, in mense Augusti moritur Raimundus senior, Comes Tholosanus, morte præuentus subita, quia non potuit quidquam loqui: & superuenientibus fratribus Hospitalis sancti Ioannis Tholosæ, corpus ipsius ad eorum domum portatum fuit, sed non est traditum sepulturæ erat enim graui vinculo anathematis innodatus, & vsque in hodiernum diem tenetur, sicut conspicitur, insepultum: cuius filius Raimundus, vltimus Comes Tholosanus, ptocessu temporis, postquam obtinuerat pacem Ecclesiæ & Regis Franciæ, productis testibus apud sedem Apostolicam super probando, quod signa pœnitentiæ habuisset, nullo modo quod sepeliretur, potuit obtinere.

ANNO Domini millesimo ducentesimo vigesimo tertio, Philippus Rex Franciæ fortunatissimus obiit apud Meduntem Castrum regni sui, anno quadragesimo tertio, qui regnum suum plurimum ampliauit: cui successit filius eius Ludouicus, ætatis annorum triginta trium, fuitque coronatus in Regem cum Regina Domina

Blanca vxore sua, filia Regis Castellæ, Remis ciuitate, in die transfigurationis Domini, anno Domini prætaxato. A

Anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo quarto, Lemouicinium, & Petragoricinium, & omnes principes Aquitaniæ, exceptis Vasconibus, qui erant vltra Garumnam, Ludouico Regi Franciæ fidelitatem promittunt, & seruant. Circa idem tempus, Amalricus filius, & heres memorati nobilis viri Simonis Comitis Montis-fortis, & Tholosæ, videns incolarum terræ inconstantiam, & quod de die in diem in contrarium abirent, & ad suum aduersarium se conuerterent, nec terram defendere præualeret, resignauit Regi Franciæ Domino suo Comitatum Tholosanum, totamque terram aliam, quam pater suus & ipse habuerant acquisitam, & sibi datam in Agenesio, Albigesio, Caturco, & Carcassesio, & alibi vbicumque in illis dumtaxat partibus; & in iure suo Regem Franciæ fecit totaliter successorem. Rex vero contulit Conestabilatus officium in tota Francia eidem Comiti Amalrico, quem nouerat virum prouidum, ac strenuum, & expertum in exercitio militari. Eodem tempore terræ motus factus est magnus in Lombardia, ita quod multæ domus, turresque ceciderunt, multi quoque homines mortui sunt. In diebus illis missus est Legatus ad partes Albigenses, & Tholosanas Romanus, sancti Angeli Diaconus Cardinalis, vir magnæ discretionis, acceptus Deo, & hominibus, atque sufficiens tantis negotiis pertractandis, qui cum Dei auxilio induxit Ludouicum Regem Franciæ, vt seruatum sibi negotium, imperactum sub aliis, in partibus Albigensibus, ac Tholosanis in Prouincia, ipse assumeret peragendum. Quod idem Rex tanquam Deo deuotus, atque magnanimus acceptauit. B

Anno Domini millesimo ducentesimo vigesimoquinto mense Februarij, obiit Bernardus Comes Conuenarum, maritus Dominæ Mariæ de Monte-pessulano, quæ postmodnm fuit mater Domini Iacobi Regis Aragonum: fuitque sepultus Comes apud Montem-salues. Circa idem tempus obiit Dominus Arnaldus Amalricus Archiepiscopus Narbonensis, Cistercienſis ordinis, cui successit Dominus Petrus Amelij, eius Ecclesiæ maior Archidiaconus.

Anno Domini millesimo ducentesimo vigesimosexto, tempore verno, quo Reges solent ad bella procedere, benedictus à Domino, Dominus Ludouicus Rex Franciæ regressus cum exercitu innumerabili Crucis-signaculo insignito; vna cum Domino Romano Legato sibi adhærente, versus Lugdunum dirigit iter suum, eligens terræ planitiem quadrigis accommodam, flumen Rhodani nauigio portandis copiis opportunum. Quibus venientibus ex villis, & oppidis, quæ erant Comitis Tholosani, consules occurrebant, & Regi fortalitia tradebant, & ad suam dabant obsides voluntatem: quos etiam ciues Auinionenses, datis obsidibus, præuenerunt. Cumque in vigilia Pentecostes illuc venisset Rex, & Legatus, Iamque pars non parua exercitus transiuisset per Pontem, idem ciues Auinionenses timore, vbi timor non erat rationabilis, trepidantes de Barragio, si permitteretur per villam incedere multitudo, portas ciuitatis perclaudunt, Regi tamen cum paucis transitum permittentes, aut haberet transeundi sub rupe via artissima optionem. Quod Rex tam periculosum, quàm opprobriosum videns sibi, noluit attentare, nisi transitum per ciuitatem liberum inueniret: quod eis denegantibus & resistentibus, Rex mansit in loco, & iussit erigi tentoria, & castra metari ordine militari; & erectis petrariis, & aliis bellicis instrumentis, cœpitque impugnare fortiter ciuitatem: ciuibus machinas, contra machinas erigentibus & viriliter se deffendentibus ex aduerso. Interim autem præmittitur à Legato, & à Rege Dominus Petrus Amelij, Archiepiscopus Narbonensis, versus partes Tholosanas, vt inuitaret ad pacem Ecclesiæ, qui præueniens eos, Castra & bonas villas, & Dominos eorum, pacem Ecclesiæ, & Regis promittens eis, confœderauit Ecclesiæ, atque Regi, nullo fere excepto, à parte superiori vsque ad portas Tholosæ: Iurauerunque Regi & Ecclesiæ adhærere, claues etiam Carcassonæ Regi à ciuibus in exercitum deferuntur. Comes autem Fuxi Rogerius Bernardi pacem requisiuit, sed illa vice qualem voluerat non inuenit. Interea ciues Auinionenses, quorum Dominus superbiam humiliare decreuerat, per hanc viam tribus mensibus expugnati, seque in viribus impares cognoscentes, sub certis conditionibus suam Legato, & Regi liberant ciuitatem, pridie idus Septembris, qui & C

ruina

A ruina murorum & pœnis aliis sunt mulctati. Multi autem in exercitu diuersis ægritudinibus moriuntur: nec fuit parua gratia Dei, quod cito in deditionem receperunt ciuitatem. Vix enim post recessum exercitus diebus lapsis quindecim, erupit Durentia fluuius, cum suo alueo, cum tumore tanto, quod planitiem illam, in qua Castra Regis erant, cooperiens occupauit, vt non potuisset exercitus remanere. Capta itaque Auinione, Rex versus Biterrim, & Carcassonam dirigit viam suam, Legato continue comitante. Nec deerat Venerabilis Fulco Episcopus Tholosanus, quem, dum essent in exercitu, aut in itinere, nemo pro sua largitate nosse poterat exulasse: erat quippe pro suæ bonitatis fama & laboris, quem pro fide sustinuerat, omnibus Reuerendus. Cum autem venisset Apamiam Rex, ibi multa consilio Cardinalis Legati ad honorem Dei, & libertatis Ecclesiæ ordinauit, & maximè contra contemptores clauium Ecclesiæ, animaduertens statuto necessario & salubri, de quo fit mentio in Concilio Narbonensi, sequenti mox quadragesima celebrato, quod incipit: Fœlicis recordationis. Exeuntes autem Apamiam per Bellum-podium, vbi iacuerunt, venerunt ad Castrum-nouum, & inde apud Podium-Laurentium, vbi similiter pernoctauerunt, & inde die altera apud Vaurum; & inde profecti sunt Albiam. Relictoque custode terræ, Domino Imberto de Bello-B ioco, viro bellicoso & labori exposito, cum manu maxima bellatorum reuertitur Rex & Legatus per Aluerniam viam suam. Præuentus autem Rex ægritudine apud Montem-Panserium, præsentis vitæ concursum compleuit, Domino sic volente, septimo Idus Nouembris anno Domini prætaxato, millesimo ducentesimo vigesimo sexto, regni vero sui anno tertio: cuius erat propositum reuerti ad terras Albigenses, & Tholosanas, in vere, si viueret, subsequenti, cui Ludouicus filius primogenitus, ætatis fere annorum quatuordecim, successit in regno; sed pro ætate, mores, & virtutem Patris representabat. Eodemque anno Domini prætaxato, pridie Kalendas Februarij, obiit Nobilis Comes Guido de Monte-forti, vulneratus iactu Cairelli in capite, apud Varillas prope Apamiam, tunc Diœcesis Tholosanæ.

ANNO Domini millesimo ducentesimo vigesimo sexto, quarto Kalendas Martij, Honorius Papa tertius moritur, Pontificatus sui anno vndecimo, sepultusque fuit Romæ in Ecclesia sanctæ Mariæ Maioris.

GREGORIVS nonus, natione Campanus, de Anagnis natus, electus est Romæ apud Septisolium, nona die post festum beati Gregorij, in vigilia sancti Benedicti, decimo tertio Kalendas Aprilis, anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo sexto: secundum illos, qui annos Dominicæ Incarnationis incipiunt in Annunciatione Domini computare, dicitur, anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo septimo: sedit annis quatuordecim; in plerisque vero Cronicis scribitur, annis tredecim, menses sex. Hic Gregorius dictus est Hugolinus, Cardinalis, Episcopus Ostiensis. Hic Gregorius Papa per fratrem Bernardum de Penna forti, ordinis fratrum C Prædicatorum, pœnitentiarum, & Capellanum suum: ex pluribus voluminibus decretalium compilauit volumen vnum, mandans vbique doctoribus & Iudicibus Ecclesiasticis illo vti. Hic Gregorius Papa sententiam, quam Honorius prædecessor suus tulerat contra Fredericum, innouauit, & amplius aggrauauit: cumque Consilium Romæ celebrare niteretur, & à Federico Imperatore viæ per mare, & per terram arctarentur, duo Cardinales, Iacobus Prænestinus, & Otho, qui pro subsidio Ecclesiæ Legati missi fuerant, vltra montes, cum redirent ad Curiam, & multi Prælati, Abbates & clerici, maxime per mare ad Concilium venientes, per Imperatoris Federici fautores, per naues Pisanorum capiuntur. Hic quoque Gregorius, cum ab ipso Federico Imperatore, qui tunc magna ex parte patrimonium Ecclesiæ occupauerat, in vrbe obsideretur: videns autem pene omnes Romanos per pecuniam corruptos esse, accipiens capita Apostolorum, & processionem à Laterano vsque ad sanctum Petrum faciens animos Romanorum sic reuocauit, vt penè omnes contra Imperatorem Cruce-signarentur: quod Imperator, qui iam credebat se vrbem intraturum, audiens, timens, longe ab vrbe retrocessit.

ANNO Domini millesimo ducentesimo vigesimo sexto, truncatur Castrum, quod dicitur Besseda, in Diœcesi Tholosana, in quo hostes Ecclesiæ, & hæretici tutabantur: quod Dominus Imbertus de Bello-ioco ex parte Regis Franciæ Ludouici obsedit in æstate sequenti, anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo septimo, in quo Raymundus, vltimus Comes Tholosanus, posuerat munitionem, viros stre-

nuos, bellatores, ad defensionem eiusdem Castri. Erat autem in exercitu ex parte Regis, & Ecclesiæ cum eodem Domino Imberto, Dominus Petrus Amelij Archiepiscopus Narbonensis & Dominus Fulco Episcopus Tholosanus, quem quadam die transeuntem cum pluribus contra villam, illi deintus clamantes, Episcopum Diabolorum infideliter vocabant: dicunt enim hæretici infideles, Catholicos & ministros Romanæ Ecclesiæ Diabolos, & ipsam Ecclesiam Sathanæ Synagogam, & tunc qui cum Episcopo erant; Auditis, inquiunt, quia vos apellant Diabolorum Episcopum: vtique respondit Episcopus, & verum dicunt, ipsi enim sunt Diaboli & ego sum Episcopus eorum. Castrum vero cum machinis expugnantium fortiter capitur, & militibus, & peditibus nocte fugientibus non paucis: cæteri, qui inuenti sunt, partim gladio, partim sudibus ceciderunt: paruulis autem, & mulieribus pius Episcopus dabat operam eruendis. Hæretici vero Geraldus de Mota, Diaconus eorum, & alij eius socij, flammis ignium sunt combusti. A

ANNO Domini millesimo ducentesimo vigesimo octauo, circa tempus Paschale, Raymundus Comes Tholosanus recuperauit Castrum Sarracenum, quod à gentibus Regis, & Ecclesiæ tenebatur: obseditque & conclusit munitionem in capite Castri, & illos, qui intus erant & licet festinatus fuisset succursus per terrarios, & alios, qui cominus haberi poterant ex parte Regis & Ecclesiæ, ad obsessos tum suos pertingere nequiuerunt. Exterius enim Comes Tholosanus eos palo grandi concluserat cum propugnaculis faciem defensionis, habentibus ad vtrosque venientes extrinsecus, & inclusos. Quò etiam Narbonensis Archiepiscopus Petrus Amelij, & Fulco Tholosanus, & Guido Carcassonensis, Episcopi conueniunt. Aduenit & Dominus Imbertus de Bello-ioco, qui ad terram suam in Franciam cesserat ad tempus. Accurrit & etiam Archiepiscopus Bituricensis, collecta manu armatorum, qui venerat suam Prouinciam visitare. Inciditque Concilium Prælatis, & Baronibus, vt ex quo inclusis suis in Castro-Sarraceno non poterant subuenire, vt ibidem Castrum Montogium obsiderent: quod obsessum cum diebus aliquibus expugnassent, in deditionem cæperunt. Illi autem, qui erant in capite Castri Sarraceni inclusi, cum nihil prorsus, quod comederent, superesset, tradentes se saluâ vitâ, Castrum hostibus resignarunt. Consequenter autem disposuerunt talare, & destruere vineas Tholosæ ciuitatis; conuocatisque viribus vndecumque, aduenientibus etiam Prælatis de Vasconia, Archiepiscopo Auxitano, & Burdegalensi, necnon & quibusdam Episcopis, atque Baronibus cum plebibus suis Cruce-signatis circa festum Natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ, versus Tholosam dirigunt iter suum, & Castra metati sunt in loco versus Orientem, qui dicitur Podius Almerici, & inchoauerunt à parte superiori vineas demoliri: ab illo latere demolitis, ad locum, qui dicitur Mons-Audranus, transferunt Castra sua, & triplici labore, ac damno, aduersarios infestabant: habebant viros plurimos, qui segetes defalcabant; item & alios, qui muris, & turribus fortiarum destruendis picas ferreas applicabant; item & plures alios, qui terendis vineis insistebant, quibus hæc erat quotidie disciplina in aurora siquidem, audita celebratione Missarum, sobrie prandebatur, & præmissis simul balistariis accincte subsequentibus; præparatis ad prælium militum aciebus, ad propinquiores ciuitatis vineas accedebant: vix adhuc à somno ciuibus excitatis, & inchoantibus inde, versa ad Castra sua facie, conterendo vineas remeabant, quos paulatim sequebantur acies militares. Et hoc ordine quotidie procedebant, donec fere trium mensium completo tempore, ex omni pene fuit latere consummatum: sic, cum dicti quasi fugientes redirent, miro modo fugiendo suos aduersarios superabant. Ad conuersionem si quidem inuitabantur, & humilitatem, quibus subtrahebatur, propter quæ consueuerant superbire, sicut salubriter subtrahitur ægrotanti quod nimietate potuerat nocuisse. Et hoc quidem, quod factum erat, multum ad propositum exercitus Domini, & Ecclesiæ pertinebat, vt ista vexatio aduersæ partis daret auditui intellectum, sicut patuit ex post facto. Peracto igitur talationis, & demolitionis huiusmodi negotio, Prælati, Barones, milites, & plebes Vasconiæ ad propria redierunt; residui autem in manu forti versus Apamiam ascenderunt, terram vsque ad passum Barræ Fuxensis Comitis inuadentes, & iuxta locum, qui dicitur sancti Ioannis de Virginibus, in illa planitie figentes tentoria sua, multis noctibus iacuerunt, & positis munitionibus, vbi erat expediens, reuertuntur. Interea Venerabilis. Abbas Grandis-Siluæ, Helias Garini nomine, venit

A venit de Francia, autoritate Legati, pacem offerens Tholosanis, qui cassati multis vexationibus prælibatis, paci consentiunt faciendæ: & sumptis treugis; miscentur colloquia circa Vazegiam, & quod sit eundum in Franciam, ordinatur. & locus ad veniendum primo fuit Meldis in Bria, ciuitate Comitis Campaniæ, assignatus. Affueruntque tam missi, quam spontanei, Archiepiscopus, eiusque suffraganei Prouinciæ Narbonensis veneruntque illuc, Raymundus vltimus, Comes Tholosanus, & alij viri, & ciues Tholosani, qui in forma pacis, seu in aliis instrumentis inde formatis nominantur. Eratque ibi Legatus, pluresque alij Prælati, qui fuerant euocati, vbi tractando pacis modum, diebus pluribus est moratum. Deinde profecti sunt Parisius, vt in præsentia Ludouici Regis deberent omnia consummari: omnibusque ad calcem ductis, & sigillatis, reconciliatus fuit Raymundus vltimus Comes, & qui cum eo erant excommunicationis sententia innodati, in die parasceues sancta, in fine præcedentis anni prætaxati, millesimi ducentesimi vigesimi octaui. Eratque pietas videre tantum virum, qui tanto tempore, tot, & tantis nationibus poterat resistere, duci nudum in Camisia, & braccis, & nudis pedibus ad altare. Erant autem præsentes ad hoc duo Romanæ Ecclesiæ Cardinales, vnus Legatus noster in Regno Franciæ, & Alius in Regno Angliæ, Episcopus Portuensis. De forma autem pacis inter Regem & Ecclesiam, ex parte vna, & Tholosanum Comitem B ex altera, non est hic necessè scribere, cum vulgata, & scripta habeatur alibi: libet tamen interserere in hoc loco, quod in primis, iuuenis Ludouici Regis auspiciis de tam prolixa guerra Comitis Tholosani, sic Deus eius pueritiam honorauit, quod de pluribus conditionibus in prædicta pace obtentis, vna quæque sola sufficeret per se, quasi ad redemptionis pretium, si Rex eumdem Comitem inuenisset aduersum se in Campestri prælio, & cæpisset, vt est; quod Tholosam, & Episcopatum Tholosanum sibi in vita tantum concessum nulli posset hæredi suo relinquere, nullusque eius hæres, vel filiæ vllum posset sibi ius reclamare, nisi soli ex ipsa filia vnica, nomine Ioanna, & fratre eiusdem Ludouici Regis Domino Alphonso tantummodo descendentes. Item sufficeret ad pœnitentiam, eum esse quinquennio vltra mare: Itemque se ad soluendum viginti septem marcharum millia obligauit. Itemque totam aliam terram vltra Episcopatum Tholosanum versus orientem infra Rhodanum, & vltra, Regi acquitauit, & Ecclesiæ, & dimisit; tacendo de cæteris, quibus se supposuit grauitatibus; quibus, si captus esset, mulctatus plurimum videretur: vt quod factum fuit, factum credatur non per hominem sed per Deum. Comes vero Fuxi, qui olim pro se cum patre ipsius Regis pacem exquisierat sine Domino suo Comite Tholosano, nec inuenerat vt volebat, remansit in guerra, tradente Rege, beneficio pacis, terram quæ olim vsque ad passum Barræ fuerat acquisita Comiti Tholosano, quam idem Comes tenuit, & posuit ibi baiulos suos, donec processu temporis, postquam Comes Fuxi cum Rege composuerat, datis sibi à Rege mille libratis terræ in Carcassesio: idem Comes Tholosanus dictam terram à passu C Barræ inferius, eidem Comiti Fuxensi tenendam tradidit & commendæ, reddendam eandem ei, quandocumque requireret, sine mora.

Post pacem autem Parisius celebratam in fine anni, sub anno Domini prætaxato millesimo ducentesimo vigesimo octauo, postmodum in sequenti anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo nono, mense Iulij, per Magistrum Petrum de Collomedio, gerentem vices Legati, fuit reconciliata ciuitas Tholosa, Comite nundum reuerso de Francia, qui de voluntate propria, remansit in prisione Regis Parisius, donec muri Tholosæ corruissent, & castra & Villæ fuissent reddita, prout in pace fuerat ordinatum, & esset tradita filia eius Ioanna, nouem annos habens, Regis nunciis Carcassonæ, quam postea duxit Alphonsus frater eius, Comes Pictauiæ in vxorem. Factus ergo miles idem Comes Tholosanus à Domino Rege, in festo Pentecostes, mox impletis, quæ pacta fuerant, ad propria est reuersus, quem non post multos dies Legatus sequitur, præmissis ad terras, pro diruendis Castris, Crucesignatis cum indulgentia infinitis, qui prius erant venturi cum annis, nisi pax internisset. Idem Dominus Legatus ibidem Tholosæ post æstatem consilium celebrauit, sub anno eodem prætaxato, millesimo ducentesimo vigesimo septimo, cui interfuerunt, Narbonensis, Burdegalensis, Auxitanus, Archiepiscopi & alij Prælati. Item affuerunt, Comes Tholosanus, & alij Comites, præter Fuxensem ac Barones Patriæ, ac Senescallus Carcassonæ; Consules Tholosani duo, vnus de Ciuitate, & vnus

de Burgo, qui statuta pacis in totius vniuersitatis animam iurauerunt: & tam Comes quam cæteri approbauerunt, & fecerunt, & idem fecit postea de tota terra. In diebus illis autem fuit interfectus Andreas Calueti, Miles strenuus, Senescallus Regis, interceptus ab hostibus in bosco, qui dicitur Centenaria. A

ANNO Domini prætaxato 1229. facta fuit Parisius inter scolares maxima dissensio. Eodem anno in festo sancti Siluestri, Iacobus Rex Arragonum cepit Maioricam.

ANNO Domini millesimo ducentesimo trigesimo, Theobaldus Comes Campaniæ, item Comes Britanniæ, item Comes Marchiæ & Raymundus vltimus Comes Tholosæ, cum Rege Angliæ contra Regem Franciæ, sanctum Ludouicum, conuenerunt; sed, agente Domino, pueri Regis viribus sunt repulsi.

ANNO Domini millesimo ducentesimo trigesimo primo, Dominus Fulco, Episcopus Tholosanus, in die Natalis Domini, diem clausit extremum: sepultus fuit in Monasterio Grandis-siluæ, cuius Ordinis Monachus fuerat, Episcopatus sui anno vigesimo octauo: cui successit Venerabilis vir frater Raymundus de Falgario, de Mira-monte Castro, Prior Prouincialis Fratrum Prædicatorum in Prouincia, electus in Episcopum in concordia Capituli Ecclesiæ vniuersi.

ANNO Domini millesimo ducentesimo trigesimotertio, in nocte circumcisionis, tam valida hyems, tamque continua inualuit, quod pro maiori parte sata fuerunt radicitus congelata. Circa illud tempus Dominus Legatus apud Biterrim Concilium celebrauit; idemque super reformanda pace inter Comites, Prouinciæ, & Tholosæ, qui iam triennio vsque ad illud tempus, & amplius habuerant guerram ad inuicem plurimum laborauit: nec labor effectum habuit, quem volebat. Fuit autem dictæ guerræ causa, quia ciues Massiliæ cum proprio Episcopo, & Comite Prouinciæ discordiam habentes, adierunt Comitem Tholosanum, eumque fecerunt suum Dominum, vt ciuitatem contra Comitem, & Episcopum ampararet: qui, cum venisset in manu valida hostis Comes, noluit eum expectare; & exinde dum vixit, tenuit ibi suum vicarium, & de redditibus, non quantum ipse, sed quantum ciues volebant, qui iam periculum suum transierant, extrahebat: quorum inconstantiam frequenter necesse habuit experiri. B

ANNO Domini millesimo ducentesimo trigesimo quarto, Ludouicus Rex Franciæ, sanctus post modum declaratus, Margaritam filiam Raymundi Berengarij, Comitis Prouinciæ, duxit in vxorem. Eodem tempore fuit fames magna, & potius in Pictauia: vnde gentes herbas, sicut bruta animalia, comedebant. Fuitque tanta mortalitas subsequuta, vt centum pauperes in vna eademque die, in eadem fossa, seu cauea in simul conderentur.

ANNO Domini millesimo ducentesimo trigesimo octauo, in vigilia beati Michaëlis, Iacobus Rex Arragonum cepit Valentiam.

ANNO Domini millesimo ducentesimo trigesimo nono, tertio Nonas Iunij, feria sexta, facta est Eclipsis Solis: adeoque obscuratus est Sol, quod stellæ videbantur in cælo. Item eodem anno, in festo sancti Iacobi, facta est Eclipsis iteratò. Eodem anno Gregorius IX. multis tribulationibus concussus, migrauit ad Christum. C

ANNO Domini millesimo ducentesimo quadragesimo, Trincauellus, filius quondam Vice-Comitis Biterrensis, adhærentibus sibi Magnatibus, videlicet Oliuario de Terminis, & Bernardo de Ortalibus, & Bernardo Hugonis de Serra-longua, & Bernardo de Villa-noua, & Hugone de Romegous, nepote eius, & Iordano de Saxiaco, inuasit terram Regis Franciæ, in Narbonæ, & Carcassonæ Diœcesibus & multa Castra conuersa sunt ad eum, scilicet Mons-Regalis, Mons-Oliuus, Saxiacum, Limosum, Asilianum, Lauranum, & quotquot voluerunt in illo impetu, & tremore. Ex aduerso autem intrauerunt ciuitatem Carcassonæ Venerabiles Patres, Archiepiscopus Narbonensis, Petrus Amelij, Episcopus Tholosanus, & Barones Terrarij, & Clerici plures de terra, cum famulis suis, atque rebus, de securitate ciuitatis, atque Burgi pariter confidentes. Nam Episcopus Tholosanus descendebat frequenter in Burgum & Burgensibus prædicabat, confortans, & præmonens eos, ne ab Ecclesia, & Rege discederent, qui nosse poterant, quod fieri ea Rex diu nullatenus pateretur. Dumque ista colloquia agerentur, ciuitas messibus, & præuentis vindemiis replebatur, muri ligneis propugnaculis coronantur, eriguntur machinæ, & omnia, vt à pugnam expectantibus parabantur. Interea de Burgo quidam latenter

A latenter cum hostibus miscuere colloquia, quod in Burgum eos inducerent procurantes. In ipsis quoque diebus Comes Tholosanus redibat, de Camargiis ibi deuastatis, & cum venisset ad Podium-Nauterium prope Carcassonam, Senescallus Regis exiuit ad eius colloquium, vt hostes de terra expelleret, interpellans; ipso quoque Comite respondente, quod super hoc Tholosæ haberet suum consilium, ad sua vndique redierunt. Et post paucos dies Episcopus Tholosanus, cuius lingua Eucharis ad inimicitias erat efficax mitigandas, vna cum Senescallo descendit in Burgum, & conuenientibus in Ecclesia beatæ Mariæ Burgensibus, & populo, quod Ecclesiæ, & Regi Franciæ, & illis, qui erant in ciuitate, adhærent, & eos defenderent, omnes iuramento super corpore Christi, & reliquiis Sanctorum, propositis sacro sanctis Euangeliis super altare beatæ Mariæ Virginis astrinxerunt; & sequenti die in Natiuitate beatæ Mariæ, per nuncium proprium, quem ipsi Burgenses Carcassonenses Regi miserant, eius literas receperunt, quas Prælatis, & Magnatibus, qui erant in ciuitate, cum apparatu magnæ lætitiæ, ostenderunt. Factumque est, quod ipsa nocte in Burgum hostes Regis, & Ecclesiæ inducuntur, & recipiuntur à proditoribus, non obstantibus iuramentis, & in contrarium coniurantur. Multi autem clerici, qui erant in Burgo, hoc intelligentes, ad Ecclesiam con-
B fugerunt, quibus cum de recedendo versus Narbonam data esset licentia, & promissa securitas per suum Principem, sed Tyrannum, cum sigilli sui testimonio, viri corrupti, & reprobi, contra fidem exeuntibus occurrerunt, & eos proditionaliter occiderunt inter sacerdotes, & clericos, triginta, & plures numero, prope portam. Deinde inimici sic proditionaliter in Burgo recepti, incipientes minare instar talparum, conantur inuadere ciuitatem: sed occurrentibus eis defensoribus ex aduerso sub terra à simili, vulneribus, & fumo, & calce repulsi, cœptum laborem dimittere, compelluntur. Fuit autem in prima aggressione molendinum, quod munitum erat postato tenui, & vetusto, captum: & qui erant in eo, iuuenes interfecti. Erat autem pugna valde vicina & ideo periculosa: qui domus Burgi erant iuxta, quasi adhærentes ciuitati, è quibus cum balistis nocere poterant, & inchoare noua foramina ex occulto, recipiebantque desuper cum Machinis, & molaribus Talionem. Certatoque sic fere per mensem succursus mittitur de Francia, quem hostes non fuere ausi expectare; sed igne immisso in pluribus locis, Burgum venientibus Gallicis resignauerunt, quinto Idus Octobris, & apud Montem-Regalem se se continuo receperunt, quos & ibi obsedit exercitus subsequutus. Cumque diebus plurimis certatum esset, tandem conuenientibus Tholosæ, & Fuxensi, Comitibus, & tractantibus de pace, obsessi egressi inde cum suis equis, & armis, Castrum, & populum dimiserunt: hyems vero iam adeo valida inhorruerat, quod periculum esset ibi exercitum hyemare.

Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo primo, mortuus est Ro-
C gerius Bernardi, Comes Fuxi; cui filius eius Rogerius successit in Comitatu. Eodem quoque anno in festo sancti Andreæ Apostoli mortuus est Bernardus, Comes Conuenarum, apud Lautarium Diœcesis Tholosanæ, dum pranderet, subito super mensam.

Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimosecundo, mense Aprilis, oriuntur contractus, & machinantur tractatus inter Comitem Raymundum Tholosanum, & Comitem Marchiæ, & Regem Angliæ, de facienda guerra Regi Franciæ Ludouico, cum pluribus aliis consentientibus in idipsum: vt lacessitus ex multis lateribus minus sibi sufficeret deffensurus. Super quo idem Comes Tholosanus mysterium consilij sui habuit cum magnatibus suis, inter quos Comes Fuxi fuit præcipuus, qui hoc ei consuluit, promittens, quod eum iuuaret in tota guerra Regi mouenda, præstito iuramento, sibi dedit literas patentes, adhæseruntque Comiti Tholosano, Amalricus Vice-comes Narbonæ; Raymundus Gaucelini, Dominus de Lunello; Pontius de Olargiis, & quidam alij de Diœcesi Biterrensi. Item ciues Albigenses, & Vice-comes Lautricensis, alij quoque ficte, donec viderunt eum inuolutum irreuocabiliter, & infixum. Verum Episcopus Tholosanus attendens Comitis, & multorum cum ipso periculum, & ruinam, ex eiusdem Comitis assensu, pacis cum Domino Rege Franciæ assumpsit studium, & laborem. Sed inuentum est, quod Comes Fuxi, non obstante promissione, quam Comiti super impenso consilio sibi fecerat, cum Domino Rege composuit sine eo: in qua compositione,

vt Regi contra Comitem adhæreret, obtinuit, vt ipse, & omnes successores eius, A cum tota terra, quam tunc tenebat à dicto Tholosano Comite ex commenda, exempti essent perpetuo à iugo Comitis Tholosani: & sic apud Pennam Agennensem, cuius Castrum tenebat obsessum, ipsum Comitem diffidauit. Interea dictus Episcopus Tholosanus cum Domino Rege, qui terram Comitis Marchiæ impugnabat, inuenit gratiam, & viam pacis tractandæ inter ipsum Comitem Tholosanum: nec tardauit Rex propter hoc ad partes Tholosanas, à parte Caturcini sufficientem militiam destinare, postquam & ex altera parte misit Venerabilem Patrem Dominum Hugonem, Episcopum Claromontensem; ac Nobilem virum Imbertum de Bello-ioco, cum maiori multitudine pugnatorum. Interim super tractatu pacis conuenientibus prope Alzonam in Diœcesi Carcassone Comite Tholosano ex parte sua, & Episcopo Claramontensi, & Domino Imberto de Bello-ioco ex altera, cum eis, qui amplius recenter missi fuerant à Rege, superatis treugis dies assumitur; in qua esset coram Regis præsentia comparendum, & locus apud Tornacum in Gastinesio, vbi pax fuit cum Dei auxilio reformata.

ANNO Domini millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, quarto Kalendas Iunij, in nocte Ascensionis Domini, frater Guillelmus Arnaldi, vir discretus B deuotus, constans, atque mitissimus, inquisitor hæreticorum, cum duobus fratribus sociis suis, Ordinis Fratrum Prædicatorum; & Raymundus Scriptoris, Archidiaconus Lezatensis, Ecclesiæ Tholosanæ, & Prior Auinioneti, Monachus de Clusa; & Petrus Arnaldi, Notarius inquisitionis, cum aliis tribus apud Auionionetum Tholosanæ Diœcesis, contra hæreticos negotium fidei persequentes in aula ipsius Comitis, ab inimicis Dei, & fidei hæreticorum credentibus, fuerunt pro fide atrociter interfecti, Cantantes, *Te Deum laudamus*, de mandato Baiuli dicti Comitis, qui eos illuc duxerat: cuius facti Atrocitas nonnullos retraxit à guerra, in qua cum Comite Tholosano esse conspirauerant contra Regem.

ANNO eodem Domini prætaxato, ducentesimo quadragesimo secundo Ludouicus Rex Franciæ contra Comitem Marchiæ, & Angolismæ Aquitaniam venit. Post vero multa bella, & obsidiones, Comes Marchiæ cum vxore sua Regina, & filiis suis, ad pedes prædicti Regis venit, & homagia Dominorum de pontibus, & de Ranconio, & Comitatus Andegauensis, & de Rupe, & de Leziniaco, Comiti Pictauiæ Alphonso fratri Regis quietauit. Rex vero Angliæ confusus, & à Baronibus Aquitaniæ desertus, de Santonia fugiens Burdegalam, in patriam remeauit. Eodemque tempore Tartari Poloniam, & Vngariam vastant.

ANNO Domini millesimo ducentesimo quadragesimo tertio, tempore verno, Raymundus Comes Tholosanus adiit sedem Apostolicam, & tam apud Imperatorem, quàm apud Curiam, moram traxit per annum, aut circa; & obtinuit sibi terram restitui Veneyssimi. In ipso quoque tempore vocatus iuit ad Curiam Dominus Raymundus Episcopus Tholosanus. Anno Domini millesimo ducentesimo C quadragesimo tertio, Innocentius Papa deuenit in Gallias apud Lugdunum.

ANNO Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, ante Natale Domini, Rex Franciæ Ludouicus, cum quasi ægrotasset ad mortem, Crucem sibi transmarinam assumpsit.

ANNO Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, in festo sancti Ioannis Baptistæ, Innocentius Papa celebrauit Concilium in Lugduno, cum Cardinalibus suis, ac Prælatis Cisalpinis, & cæteris de regno Franciæ, & Hispaniæ: & ibidem ab Imperio deposuit Federicum per definitiuam sententiam, sexto Kalendas Augusti: cui interfuerunt, Balduinus Imperator Constantinopolitanus; & Tholosanus, ac Prouinciæ Comites, qui ibi coram Papa tractauerunt de coniugio inter ipsum Comitem Tholosanum & Beatricem, filiam vltimam eiusdem Comitis Prouinciæ, contrahendo, Papa dispensaturo super eo, propter affinitatis impedimentum. Reuersis autem eis ad propria, infra paucos dies Raymundus Berengarij, Comes Prouinciæ moritur, dicto coniugio imperfecto: nec summus Pontifex ad dispensationem processit, Margarita Regina Franciæ, & Sanchia Regina Alemaniæ, & Alienor Regina Angliæ quæ sorores erant eiusdem puellæ, impedientibus: missis contradictoribus ad Papam, ne dispensationem faceret supradictam. Comes vero Sabaudiæ, auunculus puellæ, ac Barones Prouinciæ, secretò, ac sollicitè procurarunt, quod Charolo fratri Regis Franciæ, sancti Ludouici, post-

modum

A modum Regi Siciliæ, in vxorem daretur puella; quod factum extitit ipso anno Domini prætaxato.

Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, Raimundus Comes Tholosæ profectus est in Franciam, & Cruce-signatus: & reuerso eo, Cruce-signati sunt cum eo multi Barones, & milites, & ciues, & Burgenses: & procurauit in nauigio, & aliis, plurimum apparatum. Interea procurabat ipse Comes assiduè, vt magis poterat, quod transfretaturus corpus paternum, de quo superius facta est mentio, non dimitteret insepultum, cum super inquirendis signis pœnitentiæ, quæ dicebatur accepisse, vel habuisse, dum Agonizaret ad exitum, dudum iudices à sede Apostolica habuisset: sed missis ad Regem Franciæ literis, vt dignaretur Papam super hoc deprecari: & misso procuratore ad Papam. penitus nihil obtinuit. Sicque quocumque delicto, nec vxorari, vt volebat, ne patrem sepeliri Tholosanus Comes potuit obtinere.

Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo octauo, Ludouicus sanctus postmodum declaratus, Rex Franciæ, cum duobus fratribus suis, scilicet Roberto Atrebatensi, & Carolo Andegauensi, Comitibus; ac vxoribus eorumdem, B cum militia multa valde, transfretaturus venit Lugdunum, vbi Innocentius Papa cum sua curia morabatur.

Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo nono, tempore verno, Rex cum suo exercitu nauigauit, & veniens Damiatam, littora fluminis Nili multitudine magna Sarracenorum inuenit obsita, defendentium sibi terram; sed repulsi iaculis balistarum, refugientes ad ciuitatem, littora intrantibus terram liberam dimiserunt; tantoque sunt terrore perterriti, quod & ciuitatem munitissimam, refertam victualibus resignarunt, Domino adiuuante: ad quam cùm primùm bellatores de Castris venissent, mirati sunt, quòd nullum inuenissent, sicut suspicati fuerant, defensorem. Et sequentes eos, Rex, & totus exercitus, introierunt ciuitatem, quam per totam æstatem, & sequentem hyemem tenuerunt. Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo nono, quinto Calendas Octobris, Raimundus vltimus Comes Tholosæ, qui præcedenti anno debuerat, & disposuerat transfretare, & de Massilia retraxerat gressus suos, aqud Amilianum febre correptus, susceptis Ecclesiasticis Sacramentis, diem clausit extremum, & inde allatum est corpus eius apud Monasterium Fontis-Ebraudi, vbi iuxta Dominam Ioannam matrem suam, filiam quondam Regis Angliæ, sepelitur.

Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo, egressus est Rex Franciæ Ludouicus contra Soldanum Babyloniæ, sequendo alueum Nili fluminis, cuius aduentus adeo terribilis erat Sarracenis, quod non se audebant contra eum in prælium comparere; sed vt poterant, vias, & transitus, ne ad eos posset accedere præcludebant. Tunc Robertus, frater Regis, facta agressione quadam, vnde C bene ei successerat, suspicatus quod eodem cursu prima vltimis responderent, spreto Templi fratrum Consilio vltra progreditur, & quamdam Villam occupat, nomine Almaphoram: & incautè existentibus Christianis insiliunt cum grandi multitudine Sarraceni, & plurimos occiderunt, inter quos Comes Robertus Atrebatensis fuit perditus, nec inuentus. Infirmitas vero multa oritur in exercitu Christiano, dolore maxillarum, & dentium, & tibiarum tumore: qui infra paucos dies moriebantur, vixque sufficiebant mortuos sepelire: vnde quandoque necesse erat vel ad excubias nocturnas, vel diurnas custodiendas, coquos & alios famulos, qui equitare non consueuerant, arma & equos assumere ægrotantium dominorum: qua compulsi necessitate, septa dimittere cogebantur. Quod scientes Sarraceni insectantur Regem, & in quodam loco interclusum cum duobus fratribus suis, Alphonso scilicet Pictauiensi, & Carolo Andegauensi, Comitibus, capiunt, & alios persequuntur, & multos interficiunt persequendo & plures retinent captiuatos. Quod quo Dei factum sit iudicio, non præsumit humana fragilitas definire; sed percutiens, & sanens, in ira misericordiæ recordatur. Vnde, postmodum habito cum Soldano tractatu, magna interueniente pecuniæ quantitate, Rex cum suo exercitu liberatur, Damiata vero dimittitur Sarracenis. Soldanus vero, qui Christianos se vicisse gaudebat, occasione prædictæ pecuniæ fuit à Vassallis pro-

priis interemptus, Sarraceni autem Damiatam postea diruunt, timentes ne ad Christianas manus tertio deueniret. Rex vero cum suis ad ciuitatem rediens Aconensem in partibus illis fere per quinquennium moram traxit, & multa loca muniuit & captiuos plures liberauit. Eodem tempore quo memoratus Rex Ludouicus captus fuit & detentus, facta est subito Cruce-signatio Pastorellorum & puerorum multorum in regno Franciæ, sed infra breue tempus sicut fumus euanuerunt. Anno Domini prætaxato millesimo ducentesimo quinquagesimo, in festo sanctæ Luciæ obiit Federicus, dudum depositus Imperator, qui post suam ab Imperio depositionem, cum inter cæteras ciuitates Lombardiæ, Parmam, tanquam sibi magis exosam, in forti manu obsideret, à Legato Domini Papæ & à Parmensibus turpiter est deuictus; & amissis thesauris, & aliis suis rebus, in Apuliam rediens, ibi graui infirmitate corripitur: à qua infirmitate Mafredus, filius suus naturalis non legitimus regni Siciliæ ambiens dominium, & thesauros, vno Federici Imperatoris Secretario conscio, timens ne conualesceret infirmus, cussino super faciem eius posito suffocauit; qui Federicus antea proprium filium, Henricum nomine, Regem tunc Alemaniæ, accusatum sibi de rebellione, captum in Apuliam deducens, ibi squalore carceris suffocarat. Sicque Federicus sine sacramentis, & pœnitentia in anathematis vinculo & schismate est extinctus.

Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, Innocentius Papa regreditur in Italiam, de Lugduno, vbi fere compleuerat septem annos. Moritur nobilis domina Blanca Regina Franciæ, mater præfati Ludouici. Item oritur turbatio Vniuersitatis contra Religiosos pauperes, studentes in Theologia, incentore malorum Guillelmo de sancto amore.

Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, decimo Calendas Iunij, Alphonsus frater Regis Franciæ Ludouici, Comes Pictauiæ & Tholosæ, & Ioanna vxor eius, filia Raimundi Comitis Tholosani intrauerunt Tholosam, & dominium Comitatus, ac totius terræ Raimundi Comitis acceperunt. Eodem anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, Conradus, filius quondam Federici, vt mortuo patre regnum Siciliæ susciperet, per mare in Apuliam venit, & capta Neapoli, muros illius funditus destruxit: sed cum in sequenti anno introitus sui in Apulia infirmari cæpisset, Clyster, qui iudicabatur à medicis fieri ad salutem, veneno mixto intulit sibi mortem.

Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, nonis Aprilis, Sabbato in Albis, frater Petrus de Verona, inquisitor Hæreticorum per sedem Apostolicam deputatus, pro pietate fidei in territorio Mediolanensi est occisus, Virgo, Doctor & martyr, corona triplici laureatus.

Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto mense Iunij, Ludouicus Rex Franciæ Christianissimus, de partibus reuertitur transmarinis, Religiosis adhæret vt pater, pacem in regno reformat, eleemosynas multas facit, salubria statuta edit; eliminare studens à regno ludum taxillorum, blasphemias iurantium, scorta villarum, vsuras Iudæorum & acceptiones munerum à suis iudicibus, & Bailliuis. Innocentius Papa quartus obiit Neapoli, in festo sanctæ Luciæ, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto.

Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo octauo, sexta die introitus mensis Septembris, quæsitum est sanctissimum corpus beati Saturnini martyris, Protopræsulis Tholosanæ sedis, in suo Monasterio in Tholosa, vbi multis miraculis Deo operante claret.

Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, Constantinopolis, quæ olim per Gallicos, & Venetos capta fuerat, per Paleologum, Græcorum Imperatorem, vi prælij recuperata fuit.

Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, Vrbanus Papa regnum Ciciliæ, quod Mafredus violenter detinebat, contulit sub certis pactis illustri Carolo, Comiti Prouinciæ, & Andegaui fratri Regis Franciæ Ludouici.

Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, Comes Simon Montis-fortis, & Barones Angliæ ex Villa Londoniarum, & multis aliis, insurrexerunt contra

A contra Regem Henricum Angliæ, & vxorem, & contra Oduardum primogenitum eorumdem. Londonienses quoque Helionor Reginam Angliæ de Villa sua eiecerunt, ceperuntque Regem, & Richardum Regem Alemaniæ, fratrem eius, & multos: & multa strages hominum facta est in illo regno. Vrbanus autem Papa ne Mafredi spuria vitulamina amplius firmas darent radices, sed magis vt præscinderentur omnino, omni sollicitudine, quamdiu vixit, & studio procurauit contra dictum Mafredum in sua malitia gloriantem, extollere aduersarium vt affligeret inimicum: ipse quidem procurauit, inuitauit, & induxit, illustrem virum Carolum, Andegauiæ & Prouinciæ Comitem memoratum, vt more antecessorum suorum, de quorum benedicto semine descenderat, in hostem Ecclesiæ insurgeret, ad debellandum Mafredum supradictum, qui capta erat, & refugium quorumlibet infidelium, & malignantium, qui ad eius terras vellent ciuitates, & oppida declinare. Mutationem verò, & ordinem præcedentium malorum in bona sequentia præcucurrit Cometæ visio, quæ anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, circa medium mensis Iulij, cæpit ab occidente in noctis principio apparere, & post dies aliquos circa finem noctium apparuit ab Oriente, plurimos B extendens radios versus plagam Occidentalem; fuitque cursus eius vsque in finem mensis Septembris.

Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, post decursum Planetæ, quo mortuus est Vrbanus Papa quartus. Oritur discordia inter Henricum Regem Angliæ, & maximam partem Baronum Regis Angliæ, inter quos erat de præcipuis vnus, Simon Comes de Monte-forti Licestriæ, sororius Regis, vir strenuus, prouidus, bellicosus: eo quod quædam statuta, quasdam consuetudines, & alia, quæ pro bono statu regni ab antiquis temporibus fuerant obseruata, idem Rex infringeret, & minime obseruaret: super quo hinc inde ad arma concurritur, & conserto conflictu pars Regis succubuit, eiusque frater, Rex Alemaniæ Richardus, & Oduardus Regis primogenitus, capiuntur.

Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, Oduardus primogenitus Regis Angliæ, in libera consistens custodia, dum foris cum custodibus vagaretur, equum sibi serio paratum ascendit; cuius velocitate de custodia, & captione tunc euasit, fracto iuramento, & pacto de contrario Simoni Montis-fortis, Comiti Licestriæ; & post dies aliquos contra prædictum Comitem, & Barones alios fecit bellum, eundemque Comitem captorem suum, & filium eius Henricum, militem strenuum, in conflictu, cum pluribus aliis interfecit. Fertur autem, quod pro dicto Simone Comite Deus miracula operatur. Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, Iacobus Rex Aragonum Murciam ciuitatem Sarracenorum, olim Regis Castellæ tributariam expugnauit, & cepit. Eodemque C anno illustris Rex Franciæ sexta vice Cruce-signatur contra Sarracenos, & multi principes, & plebes plurimæ & milites cum eodem. Et hoc ipso anno, nonis Octobris, inuenta fuerunt in Ecclesia sancti Saturnini Tholosæ quatuor sepulchra sanctorum, scilicet Siluij, & Hilarij, & Honorati, & Papulimartyris, iuxta sepulchrum Protopræsulis & martyris, Saturnini. Eodemque anno fuit Mafredus à Carolo interfectus vnde versus:

Carolus athleta Christi, prout ante Cometa
Hæc præsignauit, Mafredum suppeditauit:
Plus decies centum quater iuxta Beneuentum
Victor prostrauit, hic Ecclesiam releuauit.
Sunt anni Christi victoria cum datur isti,
Mille ducentenus sexagenus quoque senus:
Belli sit finis, Februi lux tertia finit.

Obtenta igitur victoria sine cuiusquam defensionis obstaculo, ipsam Beneuentanam occupat ciuitatem.

Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, quamplurima multitudo Sarracenorum, ex Africa per Augustum mare transiens, in Hispanias venit, & adiuncti Sarraceni in Hispaniam, magnam plagam in Christianos exercuerunt intendentes, quam olim perdiderant, Hispaniam recuperare: sed illarum partium adunati Christiani, & Cruce-signatorum ex diuersis partibus mundi auxilio ad-

iuti licet cum multorum Christianorum sanguine, de Sarracenis triumpharunt. A

Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, Soldanus Babyloniæ, Armenia vastata, Anthiochiam vnam de famosioribus ciuitatibus orbis cepit, & tam viris quam mulieribus occisis, & captis, ipsam in solitudinem redegit. Verum ne qua radix amaritudinis remaneret secundum Dei iudicium impræcisa, electo sibi à Romanis in Senatorem Henrico, Regis Castellæ Germano, processu temporis Conradinus, qui filius fuit Conradi quondam filij Federici, persuasus forte ab æmulis, insuspicatus prodiit ab alemania ex occulto, sperans, quod tota terra assurgeret venienti, & eum populus sequeretur: veniensque Romam, à Senatore, & multis Magnatibus honorificè est receptus, & iurantibus, Senatore, & magna multitudine Romanorum, egreditur, regnum Ciciliæ ingressurus, & Carolum Regem Ciciliæ inuasurus, excommunicationem summi Pontificis paruipendens. Cumque plures factum Regis Caroli pro desperato haberent, tum propter Conradini exercitus multitudinem, tum etiam propter Ciciliæ regni penè totius rebellionem, Dominus Papa Clemens, cuius cor erat, fiduciam habens in Domino, in publico sermone tanquam certificatus à Deo prædixit factum Conradini, tanquam fumum transiturum, & ipsum tanquam ad victimam, Apuliam, intraturum: B quod & rei postmodum in continenti comprobauit euentus, nam in campi Palentini planitie sibi instructis aciebus, hinc inde occurrentes, pugnam conferunt valde grauem: sed Domino desuper adiuuante, semen in fugam vertitur pessimorum, & elapsi de prælio, equorum velocitate, Senator, & Conradinus, & alij multi Magnates in deuia disperguntur, nec tam latuerunt, quin Domino tradente impios, ad Regis carcerem sunt adducti. Factaque fuit ibi strages inimicorum Ecclesiæ maior, quam in prælio Beneuenti.

Fuit autem hæc facta commissio post Mafredum cum Conradino, in vigilia beati Bartholomæi Apostoli, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo octauo; quem Conradinum & ducem Austriæ, cum aliis eorum complicibus, non absque legum peritorum sententia, fecit Rex Carolus truncatione capitum consummari: sicque factum Conradini in paucis diebus euanuit, tanquam fumus, & tunc terra siluit coram eo, factaque est in terra illa mutatio excelsi dexteræ, vt ad illam currant ditandi, quo solebant in fomentum suæ nequitiæ confugere infideles. Clemens Papa quartus obiit Viterbij, in vigilia beati Bartholomæi Apostoli, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo octauo.

Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo nono, sexto Calendas Augusti, populus Lucheriæ infidelis, qui in rebellionem contra Regem Carolum exercerat, post multas molestias, quas intulerat, & passus erat, ad pedes Regis veniens, solo prostratus, vitam solam, quam implorabat, à clementia Regis obtinuit, præferens signa, corrigiis ad collum pendentibus, seruitutis & alio genere reuerentiæ, eosque in sclauos recepit Rex Carolus, Castri, & ciuitatis, omniumque C rerum illorum occupatione potitus, ad suæ libitum voluntatis, traditis etiam ab illis carceri eius falsis, ac proditoribus Christianis, qui in residuum rebellionis consenserunt cum eisdem, pœnam pro meritis recepturis. Eodemque anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo nono, Iacobus Rex Aragonum, cum Regio apparatu, & multitudine pugnatorum, mare ingreditur in subsidium Terræ sanctæ, & præmissa parte suorum ipse reuertitur, vt dictum fuit, consilio mulieris, quam reuerà Dominus in suum noluit holocaustum: sic fecit Iupiter, qui iuxta tabellam cælum deseruit, sequendo vitulam: si vera fuere, quæ publice ferebantur.

Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo, illustris Rex Franciæ Ludouicus, non territus præteritis laboribus, & expensis, quas olim fecerat vltra mare & eius liberi, Philippus, Ioannes Comes Niuernensis & Petrus de Lansone, & Dominus Alphonsus frater Regis, Comes Pictauiæ, & Tholosæ; item Atrebatensis, & Britanniæ, & plures alij Comites & Barones; & Theobaldus Rex Nauarræ, Gener Regis, & plures alij ad mare veniunt, apud Aquas-mortuas, inciditque eis consilium, vt regnum Tunicij, quod in medio consistens, non paruum dabat transfretantibus impedimentum, primitus Christianorum subiicerent potestati. Eodemque mense circa festum B. Mariæ Magdalenæ ad portũ Carthaginis, iuxta Tunicium ciuitatem,

repulsis

A repulsis & littore Sarracenis terram tuentibus, applicat, & ascendentes bellatores obtinuerunt Carthaginem in instanti, & Castra circa Tunicium posuerunt; quo accurrens Sarracenorum plurima multitudo, componit extra mœnia Castra sua: fueruntque aggressiones frequenter vndique inter partes. Cumque per mensem, aut amplius, stetisset ibi exercitus, occulto Dei iudicio, infirmitas magna inualuit, & primo quidem de Regis filiis, vnum scilicet Ioannem Niuernensem & postea Legatum Domini Papæ, Dominum Radulphum de medio sustulit. De hinc seruus Dei benedictus Ludouicus Rex Franciæ, in vigilia beati Bartholomæi subtrahitur ab hac luce; tamen in aliquibus Chronicis, necnon in litera canonizationis ipsius, describitur in Crastino beati Bartholomæi decessisse: delatumque fuit inde in Franciam corpus Regis. Quam deuotè autem, & quam feliciter transierit ex hoc mundo ad patrem Deum, in gestis eiusdem Regis postmodum canonizati, & sancti per Ecclesiam declarati, plenius continetur. Quo vix defuncto, venit in exercitum Carolus Rex Siciliæ, frater eius, cum magna militia valde, pro quo vt veniret sanctus Ludouicus mandauerat adhuc viuens, de cuius aduentu magnum gaudium accreuit Christianis, & mœstitia Sarracenis: fuitque ibi exercitus vsque circiter finem B mensis Nouembris & fuit deliberatum inter Reges, & principes, quid agi pro tempore expediret. Et licet capi per pugnam ciuitas cominus videretur, quod fieri non poterat sine magno personarum periculo; quid de capta ciuitate fieret, tractabatur; nam si retineretur, quando non minor est virtus quam quærere, parta tueri, non poterat ibi exercitus remanere. Nam vnde sustentarentur, si victualia non haberent? quia vt fertur, non possit in hyeme nauigari. Si relinquerent ibi munitionem, post recessum exercitus obsideretur à Sarracenis terræ indigenis, & esse possent prioribus nouissima grauiora. Si vero non retineretur, sed destrueretur, esset in mora destruendi periculum, nec haberet exercitus recessum liberum per mare, tempore hyemali. Inciditque illis sanius Consilium, aurum à Barbaris extorquere, factis sumptibus refundendm, Regemque Tunicij tributarium fieri Regi Ciciliæ, & sub quibusdam aliis pactis, & conditionibus sic manere, inter quæ hæc præcipua referuntur: vt omnes Christiani, in regno illo captiui, dimitterentur liberi: & Monasteriis, ad honorem Christi in omnibus ciuitatibus regni illius constructis, fides Christi per fratres Prædicatores, & Minores, & per alios quoscumque libere prædicetur, & volentes baptizari libere baptizarentur: pleraque alia pacta fuerunt, quæ scribere longum esset. Aduenerat autem Oduardus Rex Angliæ, ac Frisonum, aliorumque peregrinorum maxima multitudo. Et ita sumptis treugis, recessit inde Christianus exercitus, & in Ciciliam apud Trapenam remeauit; factaque est clades non modica, cum venissent naues ad portum Trapenensem: nam violentia ventorum naues plurimæ sunt confractæ, & vulgus non modicum est submersum. Et in regressu, Rex Nauarræ Theobaldus, qui infirmus de Africa recesserat, & postmodum vxor Ysabellis eiusdem, filia sancti Ludouici C Regis: necnon altera Ysabellis vxor noui Regis Franciæ Philippi moriuntur. De Cicilia vero recedentes, Philippus Rex Franciæ nouus, & Carolus Rex Ciciliæ, patruus eius; ac Henricus, filius Richardi Regis Alemaniæ, fratris Regis Angliæ, quondam Henrici cum multis aliis nobilibus, atque Magnatibus, apud Viterbium deuenerunt, vbi in quadragasima tunc sequenti Henricus prædictus, filius Richardi Regis Alemaniæ, Comitisque Cornubiæ, occiditur in Ecclesia Viterbiensi, à filiis quondam Simonis de Monte-forti, Comitis Licestriæ; in vltionem patris sui, quem antea ab Oduardo primogenito Regis Angliæ captum retulimus, & occisum.

Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, decimo Calendas Nouembris, obiit Dominus frater Raymundus, Episcopus Tholosanus, Episcopatus sui anno trigesimo nono.

Anno Domini subsequenti, millesimo ducentesimo septuagesimo primo, apud Sainam ciuitatem maritimam Dominus Alphonsus, frater quondam sancti Regis Ludouici, Comes Pictauiæ, ac Tholosæ, & eius vxor Domina Ioanna, filia quondam Domini Raymundi, vltimi Comitis Tholosani, breui dierum spatio sine liberis moriuntur: & si qua spes esse poterat de herede futuro in Comitatu Tholosano, tunc penitus est sublata, vt videatur tota deleta illa libera & abrasa. Et est totum ius Comitatus, & dominium ad manum illustris Regis Franciæ, qui directum

habebat dominium deuolutum. Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo, Philippus sancti Ludouici Regis filius, reuersus in Franciam de Castris Tunicij, Rhemis ciuitate per Episcopum Suessionensem inungitur, & coronatur in lætitia gentis suæ. A

Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, in mense Maij, Gregorius Papa, Pontificatus sui anno decimo, apud Lugdunum, generale Concilium conuocauit, in quo multa bona constituit in subsidium Terræ sanctæ, quam intendebat & ipse pariter visitare. Numerus autem Prælatorum, qui interfuerunt in Consilio, fuit quingenti Episcopi mitrati, & Abbates septuaginta, & Prælati alij circiter mille.

Anno Domini millesimo ducentesimo septuasimo quinto, decessit idem Gregorius, & multis fertur miraculis coruscare.

Anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo primo, in vigilia Ascensionis Domini, vndecimo die exitus Maij, cecidit vna pars pontis veteris Tholosæ, postquam processio transiuisset per aquam, cum cruce ex more: cecideruntque & mortuæ sunt in casu pontis ducentæ personæ vtriusque sexus, & submersæ sunt in Garumna, inter quas erant quindecim clerici, personæ notabiles, & honoratæ. B

Eodem anno Petrus Rex Aragonum, fecit non modicum apparatum, quem Martinus Papa, & Rex Carolus Ciciliæ non immerito suspectum habuerunt sicut rei euentus postmodum comprobauit. Anno siquidem Domini millesimo ducentesimo octuagesimo primo, in regno Ciciliæ, Panormitani succensa rabie Gallicos, qui morabantur ibidem, omnes tam mares, quam fœminas, ac senes, & iuuenes, in contemptum Regis Caroli occiderunt: &, quod detestabile valde fuit, latus aperientes mulierum suarum prægnantium, quæ à Gallicis dicebantur concepisse, partus occidebant, antequam de vtero nascerentur. Deinde Regi Carolo tota Cicilia fuit rebellans, & supra se Petrum Regem Aragoniæ in suum defensorem, ac Dominum vocauerunt.

Anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo secundo, Carolus Rex Siciliæ, ac Petrus Rex Aragoniæ, belli, atque duelli pactum taliter inierunt, quod ipsorum quilibet centum milites, quos mallet & posset habere, in plana Burdegalensi, paratos ad pugnandum ad inuicem, centum contra centum, inter quos ipsi duo, Carolus & Petrus, computari debebant, prima die Iunij, anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo tertio. Et qui foret victus, esset infamis perpetuo, & priuatus omni honore, & nomine Regio, vnoque seruo contentus, deinceps solus incederet: qui vero non veniret ad diem, & locum condictum, sic paratus, pœnas similes, ac etiam periurium incurrebat. Ad quem diem, & locum Rex Carolus venit cum sua nobili militia, vt decebat, multis præsentibus, vnà cum Legato sedis Apostolicæ, & Philippo Rege Franciæ, nepote suo; Petrus vero Aragoniæ, sicut promiserat, secretiori vsus Consilio non aduenit. C

Anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo tertio, Carolus, filius memorati Regis Caroli, captus fuit in mari prope Neapolim. Anno Domini prætaxato, Carolus Rex Ciciliæ, proficiscens in Apuliam cum magno exercitu, infirmatur, & ibidem moritur, in die Epiphaniæ, regni vero sui anno vigesimo septimo, strenuissimus & animosus.

Anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere, Philippus Rex Franciæ, cum filio suo Philippo primogenito, cum Rege Nauarræ, nec non cum Carolo filio suo, tunc Rege Aragoniæ nominato, cum Domino Ioanne Chanleti, Cardinali Legato, collecto exercitu magno valde, & prædicata cruce in toto regno Franciæ, & concessa à Papa Crucesignatis plena indulgentia peccatorum, vadit contra Petrum Aragonum, accipere sibi regnum; transiuitque Tholosam, Carcassonam & Parpinianum, ac montes Pyrenæos; peruenitque vsque ad Gironam, eamque obsedit, & cepit tempore æstiuo. Volensque Rex inde procedere vlteriùs, contra Barcinonam, Epidimia grauis exorta in exercitu impediuit. Interim dum hæc geruntur, quædam pars exercitus Regis Franciæ obuium habuit Petrum de Arragonia, qui bellum Campestre semper declinans, insidiis, & in lateribus Gallicos oppugnabat, & dum hinc inde pugnatur, idem Petrus fuit in bello oppido vulneratus, & post paucos dies lecto occumbens obiit, vulnere iam inflicto. Rex autem Franciæ, videns suum exercitum tanta ægritudine

A ægritudine laborantem, redire cæpit cum gente sua, & in reditu infirmatus obiit, in Parpiniano, die Dominica ante festum sancti Michaëlis, anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, delatumque fuit Parisius corpus Regis, & in sancto Dionysio tumulatum: cor vero ipsius, prout ipse ordinauerat, in Ecclesia Prædicatorum est sepultum.

Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, Acon ciuitas capitur à Sarracenis, captis, & occisis ibidem plusquam triginta millibus personarum vtriusque sexus: causa autem perditionis, vt dicitur, fuisse fertur multitudo Dominorum, & diuersitas nationum ibidem, quæ faciebant contrarietatem voluntatum. Tradunt autem aliam causam fuisse, transfretationem quorumdam fatuorum, quia Nicolaus Papa Crucem fecerat prædicari: & euntes in Acon iniuriabant Sarracenos, qui cum Mercimoniis in Acon veniebant. Vnde prouocatus Soldanus, venit cum magno exercitu, & cepit violenter, ac destruxit ciuitatem, & extirpauit omnes Christianos de terra.

Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, oritur guerra, & discordia inter Reges Franciæ Philippum, & Angliæ Oduardum in partibus maximè Vasconiæ, in qua plurimi perierunt. Bonifacius VIII. natione Campanus,
B de Anagnia ciuitate, fuit electus in Papam, in ciuitate Neapoli, in festo sanctæ Luciæ, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, suo prædecessore, scilicet Celestino, viuente: seditque annis octo, mensibus nouem; incepitque quadam singulari via suam potentiam, & Papalem magnificentiam dilatare. Cuius prædecessor Celestinus miracula operatus est in vita sua, & post mortem: ipse vero Bonifacius fecit miracula multa in vita sua, sed eius mirabilia in fine mirabiliter defecerunt.

Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, idem Bonifacius fecit & erexit Villam Apamiensem in nouam ciuitatem.

Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octauo, idem Bonifacius reconciliauit sibi, & Ecclesiæ, Regem Arragonum à sententia excommunicationis, & regnum Arragoniæ sibi restituit, regnumque Sardiniæ sibi concessit. Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octauo, Bonifacio Papa regnante, cum sua Curia residente, Dominica prima aduentus in festo beati Andreæ Apostoli incœpit Reate, & in vicinis partibus vehemens terræ-motus, qualem, & quantum nullus tunc viuens viderat prius; diruitque multa ædificia in pluribus locis, multosque peremit, multisque diebus, ac noctibus perdurauit, non quidem continuè, sed per plures vices, in dieque pariter & in nocte; timoremque non modicum incussit Papæ, & Cardinalibus, & toti Curiæ: confugitque Papa ad claustrum Fratrum Prædicatorum Reate, qui in altiori, & solidiori erant loco positi; homi-
C nes vero de nocte ibant, & fugiebant ad campos, manentes, ne ædificia super se corruerent, formidantes: cadebantque passim homines, & iumenta, cum terra tremeret, & micaret motibus inauditis.

Anno Domini millesimo trecentesimo, Papa Bonifacius concessit plenam indulgentiam peccatorum, visitantibus limina Apostolorum, Petri & Pauli, Romæ, & facientibus ibi quindenam infra annum ipsum: statuitque eandem indulgentiam in posterum, in omni anno centenario, visitantibus sacra limina sic haberi.

Anno Domini millesimo trecentesimo primo apparuit Cometa tempore Autumnali, in Occidentali parte, in signo Scorpionis, quæ aliquando ad Orientem, aliquando vero ad Occidentem suos radios emittebat; durauitque per mensem. Eodemque anno Domini millesimo trecentesimo primo, Bonifacius Papa, qui contra Philippum Regem Franciæ plura conceperat, prouocatus transmittit literas cum Bulla sua eidem Regi, ad perpetuam rei memoriam, in quibus mandabat eidem, quod cum ipse Papa esset Dominus in temporalibus, & spiritualibus in vniuerso mundo, volebat, quod recognosceret regnum Franciæ, ab eodem: & contrarium tenere, ac sentire, hæreticum iudicabat. Fueruntque literæ huiusmodi in Regis Palatio coram pluribus concrematæ, & sine honore remissi nuncij vacui, qui portarant: & tunc artari fecit omnes vias, & exitus regni sui. Eodemque anno, Papa excommunicauit illos, qui impediebant ad Romanam Curiam venientes.

Anno Domini millesimo trecentesimo secundo, mense Iulij, prope Cameracum, fuit Campale bellum Gallicorum, pro parte Regis Franciæ contra Flandren-

ses, qui anteà rebellauerant Regi, & adhuc rebellabant: cessitque ibi fortuna inopinata Flandrensibus, & casus, ac ruina Gallicis tam mirabilis, quam miserabilis, cum flos militiæ Gallicanæ in campo ceciderit, non tam virtute hostium, quam cautelâ pugnantium inconsulte irruentium: ibique est mortuus Robertus, Comes Atrebatensis; & Radulphus de Nigella, Conestabulus Franciæ, aliique plurimi Nobiles, ac Barones in foueis, & fossatis ab aduersariis præparatis; vnde, cum ceciderant, surgere minime præualebant, mortuique fuerunt plurimi in exercitu Gallico. Eodem anno Domini prætaxato millesimo trecentesimo secundo, in Kalendis Nouembris, Romæ, Bonifacius Papa celebrauit Consilium, quod antea per annum & amplius conuocauerat, Prælatorum regni Franciæ, omniumque doctorum regnicolarum, tam in Theologia quam in vtroque iure, Canonico, & ciuili: & contra Philippum Regem Franciæ commemoratum, coruscationibusque Papæ multis præmiis contra Regem, nulla pluuia apparuit subsequuta: defeceruntque sibi Prælati aliqui magni in regno, quærentes quæ sua sunt, & sibi ipsis ad tempus tantummodo consulentes. A

Anno Domini millesimo trecentesimo tertio, Bonifacius Papa Regi Franciæ mouet litem, ipsumque excommunicat indirecte, quia non permittebat aliquem exire de regno versus Romanam Curiam libere, nec pecuniam asportari: ob quam causam idem Bonifacius Albertum, quondam filium Rodulphi, Ducem Austriæ, Regemque Alemaniæ, cuius electionem antè repulebat, in Imperatorem confirmat, in Regis odium, atque regni, eidem subiiciens regnum Franciæ, sicut & alia regna. B

Anno Domini millesimo trecentesimo tertio, in vigilia Natiuitatis beatæ Mariæ Virginis, in Septembri, dum Bonifacius Papa Anagniæ, in patrio solo, ac ciuitate propriæ originis, cum sua Curia resideret, vbi tutus esse amplius merito crederetur in gente sua, populo & natione, ibidem, consciis aliquibus domesticis suis, proditus fuit, captus, atque detentus; & thesaurus suus, & Ecclesiæ deprædatus, & asportatus, non sine ignominia Ecclesiæ, & dedecore grandi. Cardinales vero sibi timentes, relicto eo fugerunt, duobus exceptis, Domino Petro Hispano Sabinensi, & Domino Nicolao Ostiensi, Episcopis. Cuius captionis, & sceleris vexillifer fuit Guillelmus de Nogareto, de sancto Felice, Diœcesis Tholosanæ, complicibus & consentaneis Columnensibus, ex quibus duos olim decapellauerat Cardinales. Super ipsum itaque Bonifacium, qui Reges & Pontifices, ac religiosos plerumque, ac populum horrende tremere fecerat, & pauere, repente timor, tremor, ac dolor vna die pariter irruerunt, aurumque nimis sitiens, aurum perdidit, & thesaurum: vt eius exemplo discant superiores Prælati, non superbe Dominari in Clero, & populo; sed forma facti gregis ex animo curam gerere subditorum, plusquam amari appetant, quam timeri. De Anagnia verò Romam productus, triginta quinque diebus à captione sua, in lecto doloris, & amaritudinis positus, inter angustias spiritus, cum esset corde magnanimus, obiit Romæ, quinto Idus Octobris: sequenti vero die fuit in tumulo, quem sibi iuuenis præparari fecerat, tumulatus, in Ecclesia sancti Petri, anno Domini millesimo trecentesimo tertio, Pontificatus sui anno nono. Eodemque anno Domini millesimo trecentesimo tertio, in Natali Domini, Philippus Rex Franciæ cum vxore Ioanna, & tribus filiis suis, Ludouico primogenito, Philippo & Carolo, fuit Tholosæ vbi stetit per vnum mensem: idem vero per Carcassonam, Biterrim, & Montem-pessulanum, & Nemausum, in Franciam est reuersus. C

Anno Domini millesimo trecentesimo quarto, post pascha, Benedictus Papa recedit de Roma, & vadit Perusium, cum sua Curia: hic quoque Benedictus simultatem, & dissidium, quæ suborta fuerant inter Regem Franciæ Philippum, & Bonifacium Papam, sedauit, & priuilegia, & libertates, quibus Regem priuauerat Bonifacius, prædecessor eiusdem, restituit Regi & concessit, sicut antiquitus, in hebdomada Pentecostes, præsentibus Regis nunciis Perusij, in Consistorio, anno Domini prætaxato.

Clemens V. natione Vasco, de loco, qui dicitur Vilaudran, Burdegalensis Diœcesis oriundus, ex parte Beraudo, milite; fuit electus in Papam, in Perusio, in vigilia Pentecostes, anno Domini millesimo trecentesimo quinto. In eodem anno, in Kalendis Februarij, Clemens Papa reuocauit duas constitutiones Bonifacij:

 vnam

A vnam, quam direxerat Regi Franciæ, in qua scribebat eidem, ipsum Regem esse subiectum Romanæ Ecclesiæ, in temporalibus, & spiritualibus: aliam vero, quæ in sexto decretalium est inserta, quæ incipit, clericos, &c. Reuocauit autem omnia, quæ ex ipsis fuerant consequuta.

ANNO Domini millesimo trecentesimo sexto, in festo sanctæ Mariæ Magdalenæ, de mandato, & ordinatione Regis Franciæ, fuerunt capti omnes Iudæi in regno Franciæ, quasi imperceptibiliter vna die, & confiscata sunt bona ipsorum, quæque potuerunt inueniri: fueruntque regno expulsi, vlterius minime reuersuri. Anno Domini millesimo trecentesimo sexto Hospitalarij, cum exercitu Christianorum, oppugnare cœperunt insulam Rhodi contra Turcos, & obtinuerunt finaliter Christiani.

ANNO Domini millesimo trecentesimo septimo, Clemens Papa, cum cura de Burdegala vadit Pictauiam, magna ex parte pro tractanda, ac consummanda concordia inter Philippum Regem Franciæ, & Oduardum Regem Angliæ. Eodemque anno obiit memoratus Rex Angliæ Oduardus, vir in omnibus probitate famosus, cui successit in regno filius eius, nomine similiter Oduardus, qui eodem B anno, in sequenti mense Februarij, duxit in vxorem filiam Regis Franciæ Philippi, nomine Isabellam. Anno Domini millesimo trecentesimo septimo, res mira, res magna nostris temporibus accidit, quæ futuris scribitur memoranda: in festo siquidem sancti Eduardi Confessoris tertio Idus Octobris, feria sexta, fueruntque capti primo Templarij vbique in regno Franciæ, & ordinatione Regis, & consilij inopinatè sanè, mirantibus cunctis audientibus, antiquam Templi militiam ab Ecclesia Romana nimis priuilegiatam, vna die subito captiuari: causamque ignorantibus captionis tam repentinæ, exceptis paucis secretariis, & iuratis. Quæ causa tandem detecta fuit, & publice infamata, prophana videlicet professio eorumdem, cum abnegatione Christi, & expultione super crucem, in opprobrium Crucifixi. Fueruntque plures ex eis, etiam de maioribus illius Ordinis, confessi suæ nefandæ professionis ritum tam abominabilem, quam execrabilem, quam nefandum: quæ antea à nemine potuerant vnquam sciri; plurimi autem ipsorum minime confiteri voluerunt, quamuis nonnulli subiecti fuerint quæstionibus, & tormentis. Demum sedes Romana, cui prius factum incredibile videbatur, & captionem prædictam ægre ferebat, effecta est certior in Pictaui, vbi dicta curia tunc morabatur. Templariisque nonnullis perductis coram Papa, & aliquibus Cardinalibus, ibidem denuo confitentibus, & confessiones factas à se antea recognoscentibus esse veras, ipsorum confessionibus intellectis, consequenter extitit ordinatum, vt vbique templarij caperentur, & veritas prodiret in lucem. Eodem anno in quadragesima subsequenti, inquisitores hæreticæ prauitatis, in partibus Lombardiæ superioris, de Ordine Prædicatorum, cum Episcopo Vercellensi, Cruce cum plena peccatorum C Indulgentia prædicata, congregauerunt exercitum magnum contra Dulcinum Nauariensem hæresiarcham, imitatorem non tam veterum, quam nouorum errorum, & peruersorum dogmatum inuentorem, qui multos infecerat, multosque traxerat; & habebat plurimos discipulos, & sequaces, morabaturque cum suis in montanis Nauariensibus. Accidit autem, quod propter intensa frigora multi, qui erant in dictis montibus, fame & frigore, deficientes à viribus, & à vita in suis erroribus perierunt. Accedentes autem fideles de exercitu, ceperunt ibidem Dulcinum, & cum eo circa centum quinquaginta personas; mortui vero fame, & frigore cum interfectis gladio, quadrigenti, & amplius sunt inuenti cum eodem quoque Dulcino fuit capta Margarita, non tam malefica, quam hæretica, consors eius in scelere & errore. Prædicta vero captio fuit in hedmoda sancta, in die sancto Cœnæ, anno Incarnationis Domini inchoato millesimo trecentesimo octauo. Contra prædictum Dulcinum, de mandato Apostolico, fuerat antea crux cum Indulgentia prædicata, & inquisitores plures mouerant exercitum contra ipsum, sed non poterant præualere: quia sequaces & fautores, ac defensores eius multiplicati erant super numerum in partibus Lombardiæ. Tandem facta fuit debita executio de eisdem per curiam secularem, fuitque dicta Margarita ante Dulcini oculos membratim concisa, de hinc & ipse Dulcinus membratim inciditur, & amborum ossa, & membra omnia pariter comburuntur, cum quibusdam aliis suis complicibus, prout eorum scelera merebantur. Non tamen peruersum dogma Dulcini, ipso extincto, penitus est extinctum.

ANNO Domini millesimo trecentesimo octauo, fuit occisus Albertus Rex Alemaniæ à nepote suo, filio fratris sui: cuius causa fertur, quia omnia dabat filiis, & de ipso parum curabat, quamuis filius esset primogenitus. Eodem anno, in festo sancti Ioannis, ante portam Latinam, combusta est Ecclesia sancti Ioannis de Laterano; vnde in vrbe, magna lamentatio facta fuit. Eodem anno Domini millesimo trecentesimo octauo, in mense Augusti, Papa Clemens ad vniuersa Christianitatis regna literas Apostolicas destinauit, vt vbique Templarij caperentur. Anno Domini millesimo trecentesimo octauo, in festo sanctæ Catharinæ, electores Regis Alemaniæ conuenerunt in Franzburg, & elegerunt in concordia Comitem Lucemburgensem, Henricum nomine, in Regem Alemaniæ, & Romanorum. A

ANNO Domini millesimo trecentesimo nono, in cœna Domini, in Auinione, Clemens Papa magnum processum fecit contra Venetos, eosdemque Anathematizauit, & priuauit consortio, & commercio aliarum ciuitatum; & personas; & res ipsorum exposuit volentibus, ac valentibus occupare, omnesque religiosos mandauit exire de Venetiis: quia Veneti Ferrariam ciuitatem contra Ecclesiam indebite occupauerant. Fuitque capta & recuperata Ferraria per Legatum, scilicet Dominum Arnaldum de Pelagrua, in mense Augusti, non sine multo effuso sanguine Ferrariensium, & Venetorum, in prælio iuxta Padum: fertur autem numerus occisorum vna die quinque millia, exceptis mortibus plurimorum, quæ præcesserant, & postmodum ibidem, & alibi sunt sequutæ. B

ANNO Domini millesimo trecentesimo nono, Clemens Papa ad instantiam Regis Franciæ, & suorum in publico Consilio pronunciauit, vt liceret prosequi volentibus procedere contra memoriam Bonifacij Papæ VIII.

ANNO Domini millesimo trecentesimo decimo, fuerunt pluuiæ multæ & inundationes magnæ in partibus Tholosanis & Albigensibus & Carcassonensibus, toto fere tempore verno, & æstatis; & sequuta est magna sterilitas vini & bladi: tantaque fuit in ipso anno victualium Caristia, quam nulla tunc ætas meminit se vidisse, nec etiam audiuisse in illis partibus, ac fere in toto regno Franciæ, & in multis aliis regionibus; ita quod Carto frumenti vendebatur Tholosæ tredecim libris Turonensibus. Et quod grauius fuit, non inueniebatur bladum ad vendendum, nec panis in foro; & pauperes herbas, sicut bestiæ, comedebant, & de Tholosa plurimi propter inediam discesserunt. Anno Domini millesimo trecentesimo decimo quinto, Idus Maij, feria secunda, per Archiepiscopum Senonensem, cum suis suffraganeis, in Concilio Prouinciali Parisius coadunato, fuerunt sententiati, & iudicati ex propriis confessionibus, quinquaginta quatuor Templarij, & relicti Curiæ seculari, tanquam impœnitentes super nefanda professione sua: & sequenti die Martis, scilicet quarto Idus Maij, fuerunt per secularem Curiam Domini Regis, igni traditi, & combusti; & post paucos dies fuerunt ibidem quatuor alij similiter iudicati. Item paulo post, infra mensem, in alio Concilio Prouinciali celebrato, scilicet in Siluanecto, per Archiepiscopum Rhemensem, cum suffraganeis suis, fuerunt nouem alij Templarij, eadem causâ, & modo consimili, pariter sententiati, & consequenter per secularem Curiam concremati. Vnum autem mirandum fuit, quia omnes singulariter & sigillatim confessiones, quas prius fecerunt in iudicio, & iurati confessi fuerunt dicere veritatem, penitus retractauerunt, dicentes se falsa dixisse prius, & se fuisse mentitos, nullam super hoc reddentes causam aliam, nisi vim vel metum tormentorum, quod de se talia faterentur. Anno Domini millesimo trecentesimo decimo, filius Henrici Regis Alemaniæ accepit in vxorem, filiam Regis Bohemiæ, cum eadem. Eodemque anno, tempore Autumnali, Henricus prædictus Rex Alemaniæ, & Romanorum intrauit in Italiam, iura Imperij percepturus, & primo venit Turinum, deinde in Ciuitatem Astensem, deinde Vercellas, postea Mediolanum vbi in Epiphania Domini subsequenti recepit coronam ferream, quam eidem Archiepiscopus Mediolanensis imposuit, quam tamen accipere debebat in Modæcia ex more antiquo: sed ex causa hoc fecit in Mediolano, & in festo illius coronationis fecit milites ducentos ex diuersis nationibus: deinde requirit alias ciuitates Lombardiæ de homagio faciendo. Parmenses vero & Laudenses ab initio subesse noluerunt, sed paulo post non valentes resistere, consenserunt. Brixienses vero diu, & plurimum, vsque ad sanguinem, & stragem hominum restiterunt; sed postmodum voluntati eius se submiserunt, & Ciuitatem recluserunt. C

ANNO

A ANNO Domini millesimo trecentesimo vndecimo, quarta die exitus mensis Aprilis, scilicet quinto Kalendas Maij, in Auinione, per Clementem Papam fuit in consistorio publice excusatus Philippus Rex Franciæ, de his, quæ egerat contra memoriam Bonifacij quondam Papæ; & pronunciatum ad excusationem Regis, quod ea egerat bona intentione, atque animo, atque zelo, præsentibus ibidem Regis nunciis, & hæc fuerunt consequenter bullæ Papalis testimonio confirmatæ: fuitque ibidem Clementi Papæ commissum totum negotium, totusque processus habitus Bonifacij memorati, ab vtraque parte, scilicet accusante, & defendente; & renunciatum atque conclusum per viam pacis, Papa vero suscepit super se negotium examinandum & finaliter terminandum. Item ibidem Papa absoluit Guillelmum de Nogareto, præsentem, & petentem, absolui à sententia excommunicationis, qua tenebatur, propter captionem Bonifacij Papæ. Anno Domini millesimo trecentesimo vndecimo, fuit epidimia magna, ac tanta mortalitas hominum, nedum pauperum, sed etiam diuitum subsequuta in partibus Tholosanis, & maxime in Tholosa, ac circumuicinis regionibus, quod vix inueniebatur domus, in qua non plangeretur defunctus, aut non doleret plangens infirmus. Fuit etiam non modica Caristia bladi, ac vini, sed ad aliam præcedentem non peruenit; ita quod Carto B sex libris Turonensibus vendebatur. Tempore verno subsequenti, quando magis sæuitura, seu futura maior ex communiter accidentibus, verisimiliter tenebatur, cæpit bladum in quadragesimali, & Pascali tempore abundantius inueniri, & pretium bladi viluit plusquam duplo: vnde conseruatores bladi cæperunt grauiter contristari ex eo, quod spe fuerant sic fraudati. Anno Domini millesimo trecentesimo vndecimo, in Kalendis Octobris, fuit per Clementem Papam V. apud Viennam super Rhodanum, generale Prælatorum Concilium conuocatum, vbi Consilio considente, summus Pontifex proposuit de agendis, videlicet de statu Ordinis militiæ Templi, qui de infanda professione grauiter culpabatur, de passagio etiam transmarino, ad recuperationem terræ sanctæ. Sequenti vero mense Martij, in hebdomada sancta, summus Pontifex, multis Prælatis, cum Cardinalibus coram se in priuato consistorio conuocatis, per prouisionis potius, quam condemnationis viam, Ordinem Templariorum cassauit, & penitus adnihilauit, personis, & bonis eiusdem ordinis ordinationi suæ, & Ecclesiæ reseruatis.

IN sequenti vero mense Aprilis, anno Incarnationis Domini, millesimo trecentesimo duodecimo, fuit secunda sessio Concilij celebrata, in qua, prædicta cassatio Templariorum, extitit per summum Pontificem, Concilio radiante publice promulgata, præsente Rege Franciæ Philippo, cui negotium erat cordi: ac Domino Carolo, fratri suo, & tribus liberis videlicet existentibus, Ludouico primogenito, Rege Nauarræ; & Philippo, ac Carolo. Sicque adnihilatus est ordo Templi, post annos circiter centum octuaginta quatuor quibus militauerat, impinguatus, ac dilatatus nimis, multis libertatibus, ac priuilegiis sedis Apostolicæ. Et in eodem Con- C cilio bona quondam Templariorum fuerunt applicata, & concessa, cum certis conditionibus, & pactis, Ordini Hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, sicut ea prius Templarij possidebant vbique terrarum, exceptis regnis Hispaniæ, seu Castellæ, Portugalliæ, & Arragoniæ, & Maioricarum: pro eo quod propter bona quæ in dictis regnis habebant Templarij, tenebantur ipsi contra frontarias Sarracenorum, & Granatæ, in illis partibus militare, defendere, ac tueri, sicut ibidem in Concilio fuit propositum, ac probatum. De personis vero Templariorum extitit ordinatum, vt tam Diœcesani, quam Metropolitani inquirerent, & punirent illos, quos reos ac culpabiles inuenirent, considerata personarum, & criminis qualitate: ita tamen, quod illis, qui reatum suum sponte confessi; & illis, qui reperti fuissent innoxij, & immunes, decentem victum de bonis Templi in Monasteriis eorum facerent ministrari. Prouiso tamen, vt in vno eodemque Monasterio duo insimul non valeant habitare, illis vero, qui per tormenta confessi sunt, pœnæ iuxta personarum conditionem valeant mitigari: qui vero relapsi fuerint deprehendi, seculari Curiæ relinquantur. In prædicto quoque Concilio fuerunt multæ constitutiones editæ, inter quas fuit vna super declaratione, ac interpretatione Regulæ fratrum minorum: super qua, & eius obseruatione pars vna fratrum minorum, qui spirituales dicebantur, contra alteram tumultuans, & altercans, priuatim, & publice contendebat, & iudicium sedis Apostolicæ postulabat. Eodem quoque anno, millesimo

trecentesimo duodecimo, Philippus Rex Franciæ habuit Lugdunum integraliter, A
data compensatione in redditibus Archiepiscopo Lugdunensi, pro iure, quod sibi in Lugduno Ecclesia vendicabat; interueniente consensu, & authoritate Clementis Papæ V. tunc in Viennia Burgundiæ Concilium celebrantis, & sic deinceps Lugdunum ad Regem, & regnum Franciæ pertinet pleno iure.

SCRIBITVR EPISCOPO VERCELLENSI.

VT lapsum humani generis reparet vnigenitus Dei filius Iesus Christus, cùm in forma Dei esset, exinaniuit, vt testatur Apostolus, semetipsum formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitus iuuentus vt homo, & elegit sibi Hierosolymam passioni, factus obediens Deo patri vsque ad mortem Crucis, & peccata nostra in corpore suo pertulit super lignum, reputatus eum iniquis, & cum lationibus Crucifixus. Nisi ergo de ingratitudinis vitio seruus voluerit inutilis condemnari, nec iugum, nec iugulum recusabit subire pro Domino, B
cum Dominus tradidit se pro seruo morte turpissima condemnatus.

SANE vt omnem occasionem nobis Dominus tolleret, nec ad excusandas excusationes in peccato, locum negligentiæ aliquem reseruaret, quidquid seruus pati potuisset pro Domino, penè passus est Dominus antè pro seruo. Quis ergo terrena omnia non relinquat, pro eo, quem descendisse nouerit à celestibus ad terram? Quis animam suam non ponat pro illo, qui pro eo spiritum emisit in Cruce? Siquidem vt retribuamus ei aliquid pro omnibus quæ retribuit ipse nobis nec tribulatio, nec angustia, nec mors, nec gladius, nec nos debet aliquatenus retardare, quominus si necessitas exigat & deposcat vtilitas, gustamus pro eo calicem passionis. Si enim quemadmodum ambulauit, ambulare disponimus, & vestigia eius sequi, nec opprobria exprobrantium, nec hostis familiaris insidias, nec inimici sæuientis potentiam debemus aliquatenus formidare: quominus in viis ambulemus ipsius, & pedes nostros in eius semitis dirigamus, passo compatientes ad tempus, vt in æternum regnanti feliciter conregnemus.

NOVIMVS etenim & certum tenemus tam ex prophetica, quàm Euangelica lectione quòd in perpetuum expectauit cor eius, cùm lingua ei maledicentium exprobare, quòd filius fabri esset, potator vini, & publicanorum amicus. Nouimus quòd qui edebat panes eius erexit calcaneum contra ipsum. Nouimus qualiter sputo conspersus, cæsus colaphis, spinis coranatus Pilati tyrannidem pertulit patienter, Crucifixus ad vltimum, & lancea perforatus. Numquid ergo tuo te factori negabis, vt recuses onus Ecclesiæ Hierosolymitanæ subire; quam suo sanguine consecrauit? Si te sibi dignatus est quodammodo eligere successorem, numquid non adibis hereditatem ipsius, nec suscitabis semen fratri defuncto? qui per te posuit forsitan in terram peregrinationis, & prædicationis suæ semen Euangelicum propagare: absit vt labores, timores & dolores euites; paupertates, anxietates, & necessitates effugias, ne subeas onus illud ad quod & diuina dispositione vocatus. Absit vt pro eo labores euites, qui pro te per Prophetam se asserit laborasse, dicens in Psalmo, *Laboraui sustinens*, & de quo Euangelista testatur, quòd *hora quasi sexta sedebat super puteum ex itinere fatigatus*. Absit vt pro eo dolores euites, quem pro te non dubitas doluisse, iuxta quod ipse asserit in Propheta: *O vos omnes qui transitis per viam attendite, & videte, si est dolor similis sicut dolor meus*: & qui de seipso in Euangelio protestatur; *Tristis est anima mea vsque ad mortem*. Absit vt ab illo timores euites, qui de se legitur in Psalmo dixisse: *Timor & tremor venerunt super me*: & de quo in Euangelio legitur, quòd cæpit pauere, & tedere. Absit vt pro eo fugias paupertatem, qui pro te pauper est factus, iuxta quod asserit in Propheta; *Pauper & dolens sum ego*: & in Euangelio, *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet*. Absit vt pro eo anxietates refugias, in cuius persona loquens Propheta, sic ait: *Anxiatus est in me spiritus meus, & in me turbatum est cor meum*: & qui asserit de seipso: *Baptisma habeo baptizari, & coarctor donec perficiatur*. Absit vt pro eo necessitates effugias, qui pro te, vt alia taceamus,

A ceamus, se infamis, & sitis necessitate induxit; iuxta quod legitur in Propheta; *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto*: & sicut idem Euangelista testatur; *Quod cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.* Et cui cum clamasset in cruce, sitio, acetum siue vinum myrrhatum, siue etiam felle mixtum crucifigentium dextera propinauit. Si forte te moueat, quòd ad illius Ecclesiæ præsulatum vocaris, cuius ad præsens non poteris possessionem adire, vtpote quæ fere tota nunc ab hostibus detinetur ad tempus, reducas oculos tuæ mentis quomodo Iacobus frater Domini suscepit Hierosolymam gubernandam, non quidem fauentem sibi, sed potius repugnantem, vtpote in qua illi tenebant eo tempore potentatum, qui & Dominum crucifixerant extra vrbem, & circa templum postmodum ipsum Iacobum occiderunt. Et licet Ioannes & Thadæus secundum carnem fuerint fratres Domini Iacobus tamen specialiter dicitur frater eius, vtpote qui relictam fratris defuncti duxerit vxorem, vt semen ei iuxta legem Mosaycam suscitaret qui etiam non incongruè dicitur supplantator, cùm quodammodo Apostolos supplantasset, vtpote qui quamuis primus inter alios non fuisset, ceteris tamen quasi primogenituram præcipuerit, dum primogenitam suscepit Ecclesiam gubernandam, de qua videlicet Propheta testatur; *Quod de Sion exiuit lex,* B *& verbum Domini de Hierusalem.*

Hæc est ciuitas Regis magni, de qua multa dicta sunt gloriosa, & illud quasi præcipuum quod subiungitur; *Mater Sion dicet homo, & homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.* Præterea licèt pars ipsius Ecclesiæ, quod dolentes referimus in excidio Terræ sanctæ capta fuerit, & ab hostibus trucidata; pars tamen, quæ manus tua, vt hostilis, imò etiam ipsa Ecclesiæ, quæ per nouam est sobolem renouata in pastorem te sibi exposcit & expectat. Non ergo de loco causeris cùm personas habeas, quas gubernes; quia nomen Ecclesiæ ad personas refertur, ampliùs quàm ad locum: licet ad hoc specialiter postuleris, vt de loco solicitus ad recuperationem ipsius, ad reintegrationẽ terræ natiuitatis Dominicæ totis viribus allabores. Accedentes enim ad præsentiam nostram dilectus filius Prior & canonici sepulchri Dominici tam viua voce, quàm per litteras, quas tulerunt nobis humiliter intimarunt, quòd cùm dilectus frater S. tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus non potuisset induci, vt electioni factæ de ipso ad Hierosolymitanam Ecclesiam consentiret, conuenientes in vnum te in Patriarcham vnanimiter postularunt, quorum postulationi & Charissimus in Christo filius noster A. illustris Rex Hierosolymitanus assensum præstitit, & Archiepiscopi consenserunt, per suas nobis litteras supplicantes, vt te non solùm inducere sed etiam cogere dignaremur, vt postulationi eorum humiliter consentires. Idem quoque dilecti filij S. sanctæ Praxedis, & P. tituli S. Marcelli Presbyteri Cardinales, Apostolicæ sedis Legati per suas nobis litteras intimarunt: quòd cùm suffraganei Ecclesiæ Hierosolymitanæ in electione vocem asse- C rerent se habere, Prior autem, & Canonici sepulchri Dominici hoc negarent, factum est tandem, vt nominatis duabus personis vices & voces suas meas deuotè conferrent: vt ex illis, quam magis idoneam crederit eis eligerent. Patriarcha similiter, & Prælati Prouinciæ in eos siquid iuris in electione habeant, concorditer contulerunt. Ipsi ergo deliberatione præhabita in duabus nominatis personis te potiùs eligentes nominarunt eidem Ecclesiæ in pastorem licet autem valde nobis necessarius sis in partibus Lombardiæ, vtpote cui securè in arduis negotiis committimus vices nostras propter vrgentem tamen necessitatem non solùm Ecclesiæ Hierosolymitanæ, sed totius Orientalis Prouinciæ, quamdam nobis quasi violentiam inferentes, monemus discretionem tuam & exhortamur attentiùs, & in remissionem iniungimus peccatorum, obsecrantes per aspersionem sanguinis Iesv Christi, quatenus dictæ nominationi consentiens, & prædictorum omnium desideriis condescendens, & electionem recipias de te factam, ne si aliter egeris, voluntati diuinæ resistere videaris, quæ tamen & à volentibus semper impletur prudenter: attendens ne si persona minùs idonea, vel forsan indigna eidem præficeretur Ecclesiæ vestræ desiderium aliquorum tibi propter conditionem tuam posses non immeritò imputare: Nec laborem istum refugias, tanquam perficere nequeas quod exoptas; qui Deus non tam profectum remunerat, quàm laborem: propter quod dicit Apostolus. *Vnusquisque propriam mercedem recipiet, secundùm suum laborum*: & alia scriptura testatur; *Reddet Deus mer-*

eidem laborum sanctorum suorum. Vnde cautè dixit Apostolus, *Plus omnibus laboraui*: A
nec dixit, omnibus plus profeci: quamquam ex laboribus tuis profectus speremus non modicos prouenturos: taliter igitur pro Domino, & propter Dominum super hoc mandatum Apostolicum exequaris, quod manum districtioris seueritatis nos non oporteat exibere. Nam & si secundum statuta Canonica nullus inuitus crescere compellatur; tamen iuxta legitimas sanctiones aliqui ad publica munera trahuntur inuiti. Interest autem tam Apostolicæ sedis quàm Ecclesiæ generalis, imò & generaliter omnium singulariter singulorum fidelium Crucifixi, vt eidem Ecclesiæ persona præficiatur idonea in pastorem; nec tu tam ad honorem assumeris, quàm ad onus: cum Ecclesia illa hodie plura habeat onera, quàm honores. Ne turberis in aliquo, vel causeris, quòd præfatus Cardinalis sanctæ Praxedis factam de se postulationem Canonicam sepulchri Dominici non admisit; quia forsan, sicut Sara Tobiæ: sic & ipsa fuit alij diuino iudicio reseruata: vel fortassis hoc eum ad hanc oneris recusationem induxit, ne in partibus illis præsens existens videretur promotionem propriam procurasse, ac ex eo præsertim notam ambitionis incurreret, quòd tam ad remotionem cuiusdam peruersæ personæ quæ ad eamdem Ecclesiam fuerat improbè nominata, opportunè ac importunè, sicut ad eius pertinebat officium institisset, si amota illa factam de se postulationem postmodum acceptaret. B

Ipse verò Vercelensis Episcopus humiliter acquiescens ad Apostolicam sedem accessit & in Patriarcham promotus non solum pallij ornamentum accepit, verùm etiam officium Legationis promeruit per quadriennium in sua Prouincia exercendum, iam iámque profectus inde in Syriam nauigauit. Philippus autem sicut conuenerat cum Marchione Montis-ferrati misit Alexium sororium suum, filium videlicet Isacij quondam Constantinopolitani Imperatoris, & eodem Marchione sagaciter mediante tractatum est inter ipsum & exercitum Christianum, vt eidem exercitus reduceret illum in Græciam, & iuuaret ad Constantinopolitanum Imperium obtinendum, ipseque pecuniam eis promissam solueret, & alia pacta cum eis inita custodiret, postquam Imperium obtineret. Verùm cùm hoc ad summi Pontificis notitiam peruenisset scripsit illis hoc modo.

Littera Papæ Cruce-signatis, vt non diuertant in Græciam.

CVM in manu valida, & extento brachio egressi fueritis de Ægypto, vt vos Domino in sacrificium offeretis, doluimus non modicum & dolemus, quòd ad hunc Pharao vos persequitur fugientes, vel vos potiùs sequimini Pharaonem: quoniam vos sub quadam necessitatis specie, ac velamine pietatis sub iugo peccati vetustæ suæ nititur subdere seruituti. Doluimus autem sicut præmisimus, & dolemus pro nobis pariter, & pro vobis, & pro vniuerso populo Christiano. Pro nobis, C
quia dum quod seminaueramus in lacrimis per Legatos & literas nostras vobis & aliis sæpius, non absque quadam amaritudine cordis & corporis, anxietate non modica verbum Domini proponentes, & exhortantes nominis Christiani cultores ad vindicandam iniuriam Crucifixi, credebamus vos in exultatione messuros, ex improuiso messi nostræ inimicus homo, superseminauit zizania, & sic seminauit, vt in Lollium degenerasse triticum videatur; quoniam cùm expurgassetis vetus fermentum, & crederemini iam veterem hominem cum suis actibus exuisse, modicum fermenti, & vtinam modicum, corrupit denuò totam massam; & dum vestimenta candida non seruastis, quasi veterem reinduistis amictum, manum retrahentes ab aratro, & respicientes cum coniuge loth retrorsum, ita vt apti non videamini secundùm Apostolum regno Dei. Pro populo autem Christiano doluimus; quoniam inde humiliatur ampliùs, vnde credebatur potiùs exaltari, cùm enim multi qui vos præcesserunt in Terræ sanctæ succursum, quòd non ascenderetis audito, ad propria sunt reuersi, de proximo vestro passagio diffidentes: Sarraceni de accessu vestro dubij, & illorum recessu securi, contra Christianos, animos assumpserunt, & qualiter peccatis exigentibus præualuerunt contra eos referre nolumus, cùm sit ferè vbilibet diuulgatum. Gaudemus autem quòd receptis litteris erratum in vobis intelligentes, deuotè ac humiliter mandatum estis

Apostolicum

A Apostolicum executi, & iuramento præstito, vel recognito absolutionis beneficium percepistis, vos & successores vestros filij Comites, cum duobus Baronibus Gallicanis ad satisfaciendum iuxta mandatum nostrum, super eo quod apud Iaderam excommunicationis sententiam incurristis, per patentes litteras obligantes. Vtinam autem penitentia vestra sit vera, vt sic peniteatis videlicet de commissis, quòd à similibus de cetero caueatis; quoniam qui adhuc agit quod penitet non est penitens, sed illusor, & cani reuerso ad vomitum comparatur penitens rediens ad peccatum. Est quoque leuius peccatum quòd semel comittitur, quàm quod semel commissum postmodum iteratur. Nullus itaque vestrûm sibi temerè blandiatur, quòd terram Græcorum occupare sibi liceat, vel prædari, tanquam minus Apostolicæ Sedi subiecta, & quod Imperator Constantinopolitanus deposito fratre suo, & etiam excæcato Imperium vsurpauit. Sanè quantumcumque in hoc, vel aliis idem Imperator, & homines eius iurisdictioni commissi delinquant; non est tamen vestrûm de ipsorum vindicare delictis nec ad hoc Crucis-signaculum assumpsistis, vt hanc vindic aretis iniuriam, sed opprobrium potius Crucifixi, cuius obsequio specialiter deputati estis. Monemus igitur vniuersitatem vestram, & exhortamur attentiùs, & per Apostolica vobis scripta mandamus, quod nec decipiatis vos ipsos, B nec ab aliis decipi permittatis, vt sub specie pietatis, agatis illa, quòd absit, quæ redundent in vestrarum perniciem animarum: sed cessantibus potiùs & occasionibus friuolis & necessitatibus simulatis in Terræ sanctæ transeatis subsidium, & crucis iniuriam vindicetis, accepturi de hostium spoliis, quæ vos si moram feceritis in partibus Romaniæ, oporteret forsitan à fratribus extorquere; aliter enim nec possumus, nec debemus remissionis vobis gratiam polliceri: inhibitionis autem nostræ tenorem, qua vobis sub excommunicationis interminatione vetuimus, ne terras Christianorum inuadere vel lædere tentaretis; nisi vel ipsi vestrum iter nequiter impedirent, vel alia iusta & necessaria causa forsan occureret, propter quod aliud agere, interueniente Consilio Legati possetis memoriter retinere volumus vos & monemus, ne contra eam leuiter veniatis. Ne autem culpa Ducis & populi Venetorum in pœnam vestram redundet, volumus, & mandamus, vt litteras nostras, quas ipsis assignandas dreximus, & quæ adhuc apud vos esse noscuntur, assignari faciatis eisdem, ne ipsi excusationem in peccatis assumant.

Qualiter Constantinopolis capta fuit.

IPSI tamen nihilominus in Græciam nauigantes Constantinopolim peruenerunt vbi quid actum fuerit ab ipsis, litteræ ipsorum ad Dominum Papam directæ declarant. Quanta fecerit nobis Dominus, imò non solùm nobis, sed nomini suo dederit his diebus quanta possumus breuitate perstrinximus, ipso prænotantes initio, C quòd ex quo vrbem transgressionis exiuimus; sic enim Iaderam nominamus, cuius excidium vidimus dolentes quidem & necessitate compulsi, nihil inter nos ordinatum esse meminimus, quòd communiter ad vtilitatem pertineret exercitus; quin illud in melius prouidentia diuina mutauerit, sibique in totum vindicans stultam sapientiam nostram. Hinc est quòd eorum quæ facta sunt apud nos gloriosè, omnem à nobis gloriam iure repellimus; quippe qui operis adhibuimus parum, consilij nihil. Vnde necesse est, vt si quis ex nobis voluerit gloriari, in Domino glorietur, non in se, vel in altero. Fœdere igitur confirmato cum illustri Constantinopolitano quondam Imperatoris Isaacij filio Alexio, cum victualibus omnibus & rebus & gentibus Terræ sanctæ videremur grauamen potiùs illaturi, sicut & alij ex nobis, qui nos præcesserant, quàm iuuamenti aliquid allaturi, nec terræ Sarracenorum, in tanta egestate nos crederemus applicare potentes, veresimilibus quidem rumoribus & argumentis inducti, quòd dicti Alexij suspiraret aduentum Regiæ pars potior ciuitatis, & pondus Imperij quem electione concordi cum solemnitate debita sublimasset contra consuetum ordinem temporis, aura fauente, obedientibus Domino ventis & mari ad vrbem Regiam præter omnem spem prosperè applicuimus: sed non aduentauimus improuisi, qui vsque ad sexaginta millia equitum, præter pedites in vrbe reperimus, & transientes loca tutissima, pontes, terras, & flumina, sinè damno nostrorum, terra & mari obsedimus ciuitatem, & tyrannum pariter, qui commisso in fratrem parricidio fasces Imperij

diutina incubatione polluerat. Præter igitur omnium opinionem, vniuersorum ciuium mentes contra nos inuenimus obfirmatas, nec aliter contra suum Dominum ciuitatem muris, & machinis obseruatam, quàm si aduentasset populo infideli, qui loca sancta polluere, & Religionem proponeret inexorabiliter euellere Christianam, Imperij siquidem crudelissimus incubator, Domini sui, & fratris orbator Imperatoris & proditor, quique eumdem carcere perpetuo sine crimine condemnasset, idem filio eius illustris facturus Alexio, si non eumdem à manibus eius felix eripuisset exilium, & præhabita in populo detestabili coniuratione, potentes simul & plebem sermonibus adeò infecerat venenosis, vt ad subuersionem libertatis antiquæ Latinos assereret aduentare, qui Romano Pontifici locum & gentem restituere properarent, & Latinorum legibus Imperium subiugare. Hæc profectò res sic omnes contra nos animauit pariter & armauit, vt contra nos, imò per ipsum exulem nostrum, & Barones nostros à ciuibus postulantes audiri, & cùm nec aduentus nostri causam, nec petitionis modum potuissemus explicare, sed quotiens terra, vel mari stantibus in muro sermones obtulimus, totiens retulimus tela pro verbis. Considerantes igitur, quòd præter spem nostram cuncta contingerent, in eum statum necessitatis impacti, vt statim necesse haberemus aut perire, aut vincere, B cùm obsidionem ipsam nulla ratione in quindecim dies protelare possemus, quos victualium incredibilis vrgeret angustia, non ex desperatione quidem, sed insperata quadam securitate diuinitus suspirare cœpimus ad bella promptissimi, periculis nos audacter opponere, & incredibiliter in omnibus obtinere, ad conflictum etiam campestrem sæpius ordinati inæstimabilem multitudinem fuga in vrbe ignominiosa conclusimus. Aptatis igitur terra & mari bellicis instrumentis, die obsidionis octauo violenter ciuitas introitur, grassatur incendium, disponit contra nos acies Imperator, & paratis nobis excipere venientem, constantiam nostram cum paucitate miratur, ignominiosè terga reflectit in vrbem retrogressus ardentem. Ipsa nocte fugam cum paucis aggreditur, suámque in vrbe relinquit vxorem & paruulam prolem. Eadem re comperta, nescientibus nobis, Græcorum proceres in palatio congregantur, & exulis nostris solemnis electio celebratur, seu potiùs restitutio declaratur, insperatámque lætitiam copiosa in palatio luminaria protestantur. Manè facto prodit in castra copiosa Græcorum procerum multitudo, suumque cum gaudio quærit electum, restitutam ciuitati asserunt libertatem, & regredienti filio ad fasces Imperij cum gaudio inæstimabili, subleuatum de carcere caput patris Isacij quondam Imperatoris ostendunt. Præordinatis itaque necessariis quæ videbantur, ad Ecclesiam sanctæ Sophiæ nouus Imperator cum solemni processione deducitur, & exuli nostro, sine omni contradictione Imperiale restituitur diadema, cum plenitudine potestatis. His peractis ad solutionem promissorum prosilit Imperator, & promissa rebus accumulat, victualia pro seruitio Domini profutura nobis præbet in annum. C Ducenta marcharum millia nobis soluere pergit & Venetis sumptibus suis scolum prolongat in annum, seque iuramento astringit, quòd erigere nobis debeat regale vexillum, & in passagio Martij nobiscum ad seruitium Domini proficisci, cum quantis poterit millibus armatorum, & sub eadem promissione concludit, quòd eam reuerentiam præstare debeat summo Pontifici, quam antecessores sui Imperatores Catholici prædecessoribus suis Pontificibus pridem impendisse noscuntur; & Ecclesiam Orientalem ad hoc idem pro viribus inclinare; ac toto vitæ suæ tempore milites quingentos cum sumptibus suis in Terra sancta honorificè prouisurum, ad seruitium redemptoris.

TVNC demum Dux & Veneti qui erant in Græcia miserunt nuncios ad Petrum tituli sancti Marcelli presbyterum Cardinalem, Apostolicæ sedis Legatum absolutionis beneficium implorantes; qui misit ad illos cum litteris suis thesaurarium Nicosiensem de Cipro & recepto ab eis secundùm formam Ecclesiæ iuramento, fecit illos absolui; quamuis adhuc in nullo satisfecerint de commisso, mallens eos habere claudos, quàm mortuos; præsertim ne ipsorum contagium cæteros inquinaret. Alexio igitur cum Isaacio patre suo ad Constantinopolitanum Imperium restituto, eòque fidem non seruante Latinis, qualiter Constantinopolitana ciuitas capta fuerit, & Balduinus Comes Flandriæ ad Imperium sublimatus, ipsius litteræ ad Dominum Papam transmissæ describunt.

Littera

A *Littera Balduini Comitis Flandriæ in Imperium Constantinopolitanum sublimati per exercitum Christianorum euntem vltra mare.*

SANCTISSIMO, *Patri, & Domino Charissimo, Innocentio Dei gratia summo Pontifici, Balduinus eadem gratia Constantinopolitanus Imperator, & semper Augustus, Flandriæ, & Hannoniæ Comes miles suus cum deuota obsequij voluntate oscula pedum.* CVM paternæ solicitudinis zelo, & nostræ congregationis in idipsum amore speciali, quæ circa nos aguntur sanctitas vestra scire desideret, seriatim nobis declaranda esse decernimus, quàm mira circa nos vsa sit diuina clementia nouitate, quámque non nobis, sed nomini suo gloriam dederit omnibus sæculis admirandam. Mirabilibus eius circa nos semper mirabilia succedunt, vt etiam infidelibus dubium esse non debeat, quin manus Domini operetur hæc omnia, cum nihil speratum, aut prouisum antè contigerit, sed tunc demum noua nobis Dominus procurauit auxilia, cùm nihil humani videretur superesse consilij. Et quidem si bene meminimus per litteras Paternitati vestræ transmissas nostri progres-
B sus, & status narrationem eò vsque deduximus, vt vrbe populosa capta violenter, à paucis tyranno fugato, ac filio Isaaci Alexio coronato, mora nostra promissa foret & ordinata per hyemem vt potenter obtineret, si qui resistere videbantur Alexio. Et nunc breuiter narranda suscipimus quæ circa nos posteà contigerunt, eo prænotato, quòd sicut non opera hominum fuere, sed Dei quæ Græcis intulimus, ità non hominum etiam opera fuere, sed dæmonum, quæ cum Imperatore nouo, Græcóque per omnia Græcia nobis ex perfidia consueta retribuit. Nos siquidem ne discordiæ inter nos & Græcos fomitem ministraret moribus nostris aduersa barbaries, de ciuitate exeuntes ex aduerso ciuitatis interiacente portu ad preces Imperatoris Castra posuimus, & ex insperato innata malitia, vel Græcorum seductus perfidia animo recedit à nobis, cui tanta beneficia contulimus Imperator, & in omnibus cum patre, Patriarcha & mole Nobilium nobis promissis periurus & mendax, tot incurrit periuria, quot nobis præstitit iuramenta.

VNDE nostro tandem destitutus auxilio, prælia contra nos meditatur incassum & nauigij, quod eum adduxerat & sublimauerat ad coronam, procurat incendia sed voto tam crudeli, Deo nos protegente fraudatur. Fit pars sua per cuncta deterior, & hominum suorum cædes, incendia, & rapinæ prouenerunt: imminente foris pugna, intus timoribus, coarctatur; Imperatorem ei æmulum parentibus Græcis, ea occasione captata, quòd nullum ad auxilium nostrum deberet habere confugiunt. Cúmque eidem euadendi spes vnica restaret in nobis, verum tamen sibi quendam Marculfum nomine, sanguine sibi propinquum, de quo pro beneficiis impensis
C super omnes alios confidebat, mittit ad excercitum nostrum qui Blachernæ palatium nobis sub Imperatoris & suo iuramento promittit in obsidium, donec nobis cuncta promissa reddantur. Accidit ad palatium recipiendum Nobilis Marchio, illudit Alexius Marchioni, & quos iam nobis dederat spretis obsidibus consueta periuria non veretur, nocte insequuta Marculphus Domino suo periurus & nobis, Græcis reddendi nobis palatij reuelat arcana, atque ex hoc in perpetuum eis eripit libertatem, & ad hoc modis omnibus veniendum ipse declarat vt deiiciatur Alexius, cuius proditionis merito tertius in vrbe Imperator attollitur. In Dominum dormientem & rei nescium sacrilegas mittit manus, eúmque carcere tetro concludens, ac conducens tertium Nicolaum quendam, qui apud Sametam Sophiam Imperiales infulas nouiter vsurparat, traditum sub Græcorum qui eum creauerant proditione rursus incarcerat, mortuóque postmodum Isaacio, qui animum filij sui à nostris præ omnibus, vt dicebant, auerterat ac clamante clero Græcorum & populorum vt de terra tolleretur in breui, tantùm sanguinem nostrum sitientibus Græcis, prælia contra nos proditor iam dictus instaurat; vrbem machinis & propugnaculis munit, quorum similia nemo vidit vmquam. Cúmque murus miræ latitudinis lapidibus munitus, cementóque tenacitatis & firmatitatis antiquæ constructus in altum valde consurgens, turres habebat amplissimas pedibus circiter quinquagenis paulò plus minúsve distantes inter quaslibet, duas à parte maris, quò noster timebatur assultus, turris lignea erigitur super murus stationibus tribus, aut quatuor multitudinem continentibus armatorum. Nihilominus etiam inter quaslibet

duas turres seu petraria, seu Mangonellus erigitur. Turribus autem super eriguntur ligneæ turres altissimæ stationum sex, super quas supremam stationem aduersum nos porriguntur scalæ, approchiaciones ex vtraque parte & propugnacula continentes, paulò minus excelsis scalarum capitibus, quàm iacere in altum posset arcus à terra. Murum etiam ipsum murus circumcingit inferior, duplexque fossatum, ne muris vlla applicari possent ingenia, sub quibus possent latitare fossores. Interim terra marique nos tantat perfidus Imperator, nos semper Domino protegente, & suos frustante conatus. Nam præter ordinationem nostram ad prædam victualium procul existentibus nostris, vsque ad mille animas hominum pugnatorum Imperator, occurrit in multitudine graui, primóque congressu dissipatur omnino, cæsis, captisque non paucis, sine damno nostrorum, fuga ignominiosa consulens sibi, clypeum abiicit, arma deponit, & nostris vexillum Imperiale dimittit, nobilémque quam sibi præferri faciebat iconam, quam Ordini Cisterciensi nostri dedicauere victores. Iteratò nauigium nostrum flammis aggreditur, intempestæque noctis silentio, sexdecim suas naues incensas velis in altum expansis inferiùs colligatis ad proram, flante fortiter austro, nostras mittit in naues, sed Domino faciente cum multo labore nostrorum custodum indemnes, & ardentibus nauibus clauibus infixis catenis hærentibus nostrorum remigio trahuntur in pelagus, & ab imminenti mortis periculo à Domino liberamur. Nos igitur terrestrem cùm prouocaremus ad pugnam, & ponte atque amne transmisso, qui exercitum nostrum separebat à Græcis, cuneis ordinatis à Græcis ante portam diu stetimus Regiæ ciuitatis, & palatij Imperialis quod Blacherna nuncupatur, in nomine Domini agmina Israel præcedente Cruce viuifica, parati ad prælium Græcos exupere, si eis placuisset exire. Et quidem pro militiæ exercitio exeuntem Nobilem quemdam nostræ pedites trucidarunt. Sic in Castra reuersi terra marique sæpius prouocamur, sed dante Domino, semper ac triumphaliter obtinemus. Mittit ad nos pacis fictæ Legatos perfidus incubator Imperij, postulat, & obtinet cum Duce colloquium. Cúmque eidem Dux magnanimus obiecisset, quòd nulla cum eo pacis posset esse securitas, qui Dominum suum seruaturus conduxisset postposita iurisiurandi Religione, & fidei, ac federis inter quantumlibet infideles firmiter obtinentis, ipsi præcipuisset Imperium, eidem bona fide consuleret vt Dominum suum restitueret, & humiliter veniam postularet: verùm etiam pro se promitteret preces, & quòd cum eodem Domino suo si vellet agere misericorditer, deberemus quicquid contra nos egerat venenosè, si rediret ad animum, imputare vellemus ætatis lapsui, non Consilio. Ille vana verba, subuentionem Terræ sanctæ, quam iuramento & scripto firmauerat Alexius, adeò refutauit, vt vitam amittere præeligeret, Græciámque subuerti, quàm quòd latinis Pontificibus Orientalis Ecclesia subderetur. Nocte igitur insequenti Dominum suum latenter suffocat in carcere, cum quo ipsa die prandium sumpsereat, inde & claua ferrea quam tenebat in manu, latera morientis & costas inaudita crudelitate confringit, casúque vitam, quam laqueo extorserat constringit ereptam, ac Imperiali sepultura concessa, propalatum omnibus scelus funeris honore dissimulat. Sicque nobis hyems tota perficitur, donec in nauibus nostris scalis aptatis, & instrumentis bellicis præparatis, nos ei nostra recipientes in nauibus, quinto idus Aprilis, hoc est feria sexta ante passionem Domini vnanimiter pro honore sanctæ Romanæ Ecclesiæ & subuentione Terræ sanctæ nauali prælio inuadimus ciuitatem, & ea die, sine multo tamen nostrorum sanguine fuimus tanta perpessi, vt inimicis nostris in opprobrium verteremur, quorum ea die pars fuit cuncta superior, adeò vt tracta in terram Græcis compelleremur bellica nostra machinamenta relinquere, & infecto negocio ad Ripam redire cogeremur aduersam, ea die vt videbatur inutiliter fatigati. Conturbati ergo plurimum & conterriti, sed demum in Domino roborati definito Consilio rursus instauramur ad pugnam in quarto die, secundo idus Aprilis, hoc est feria secunda post passionem Domini flante Borea, rursum applicamur ad muros, scalas nauium, scalis turrium applicantes cum multo labore nostrorum permultum resistentibus Græcis. Sed ex quo cominus gladios sensere nostrorum non anceps diu belli durauit euentus. Duæ siquidem naues pariter colligatæ, quæ nostros Episcopos Suessionensem videlicet ac Trecensem deferebant, quarum erant insignia paradisus, & peregrina, primæ scalis suis scalas turrium attigerunt, & felici auspicio peregrinos pro Paradiso certantes hostibus

A bus amouerant. Prima muros obtinent vexilla Pontificum, ministrisque cœlestium secretorum prima conceditur de cœlo victoria. Irruentibus igitur nostris cedit Domino iubente multitudo infinita perpaucis, & propugnacula relinquentibus Græcis nostri audacter militibus portas aperiunt: quorum cum Imperator qui non procul à muris in tentoriis stabat armatus conspicaretur ingressum, statim tentoria derelinquit & fugit: nostri cædibus occupantur. Ciuitas capitur populosa, recipiuntur in palatiis imperialibus, qui nostrorum enses effugiunt; multaque cæde facta Græcorum, nostri se se religant aduesperascente iam die, arma fessi deponunt, de assultu palatinorum in crastinum tractaturi. Suos recolligit Imperator & crastinam hortatur ad pugnam, asserens quòd nostros in potestate nunc habeat intrà murorum septa conclusos. Sed nocte latenter dat terga deuictus. Quo comperto Græcorum plebs attonita, de substituendo Imperatore pertractat, & dum manè facto ad nominationem cuiusdam Constantini procedunt, pedites nostri non expectata deliberatione maiori ad arma prosiliunt, & terga dantibus Græcis fortissima & munitissima palatina relinquuntur; totaque in momento ciuitas obtinetur. Diripitur equorum innumera multitudo, auri & argenti, seruorum, pretiosarúmque vestium atque gemmarum & omnium eorum, quæ ab hominibus inter diuitias computan-
B tur inestimabilis abundantia reperitur, vt tantùm tota non videatur possidere latinitas; & quia admodum pauca negauerant, cuncta nobis diuino iudicio reliquerunt, vt securè dicamus, quia maiora his mirabilis circa bellorum casus nulla vnquam narraret historia, vt impleta Prophetia manifestè videatur in nobis quæ dicit: Persequitur vnus ex nobis centum alienos; quoniam inter singulos victoriam partiamur, quilibet ex nostris ad pauciores quàm centum & obsedit & vicit. Non autem nobis victoriam vsurpamus, quia saluauit sibi dextera Domini, & brachium virtutis eius reuelatum est in nobis; à Domino tantùm factum est istud, & super omnia mirabilia mirabile est in oculis nostris. Ordinatis igitur diligenter quæ disponenda rerum poscebat euentus, ad electionem Imperatoris vnanimiter & deuotè procedimus, & ambitione seclusa, cum sex Baronibus venerabiles viros Episcopos nostros Suessionensem, Halberstaden seu, Trecensem, Bethlehemitanum, qui à partibus transmarinis autoritate Apostolica nobis fuerat delegatus, Acconensem electum, Abbatémque Lucidum Imperatoris nostri sub Domino constituimus electores. Qui oratione præmissa, vt decuit, Dominica, misericordia Domini personam nostram, quod à nostris meritis procul erat, vnanimiter ac solemniter elegerunt, laudibus diuinis clero & populo pariter acclamante. Sequenti Dominica qua, *Iubilate*, cantatur, præcipiente Petro Regem honorificari, eique obediri tanquam præcellenti, & Euangelio nunciante, quod gaudium nostrum nemo tollet à nobis, cum ingenti honore atque tripudio, more etiam suo appellantibus Græcis ad honorem Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac subuentionem terræ san-
C ctæ gloriosè coronatum ad Imperij fastigia Deo & hominibus amabiles patres memorati Pontifices, cum vniuersorum applausu, & lacrimis piis sublimarunt. Aderant incolæ Terræ sanctæ, Ecclesiasticæ, militaresque personæ, quorum præ omnibus inæstimabilis erat & gratulabunda, lætitia exhibitumque Deo gratius obsequium asserebant, quàm si ciuitas sancta Christianis cultibus restituta, cùm ad confusionem perpetuam inimicorum Crucis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, terræque Hierosolymitanæ sese regia ciuitas deuouerit, quæ tandem tam potenter aduersario stetit, & contradixit vtique, hæc est enim quæ spurcissimo gentium ritu pro superna societate, sanguinibus alterius ebibitis, cum infidelibus ausa est sæpius amicitias firmare ferales, & eisdem mammillas ministrando. Quid econtrario fecerit peregrinis magis edocere sufficiunt in omni Latinorum gente exempla; quàm verba hæc est quæ in odium Apostolicæ culminis Apostolorum Principis nomen audire vix poterat, nec vnam eidem inter Græcos Ecclesiam concedebat, qui omnium Ecclesiarum accepit ad ipso Domino principatum, hæc est quæ Christum solis didicerat honorare picturis, & inter ritus nefandos, quos sibi spreta scripturarum autoritate confixerat, & lauacri salutaris plerumque facere præsumebat iterando iacturam. Hæc est quæ Latinos omnes non hominum nomine dignabatur, sed canum, quorum sanguinem effundere penè inter merita reputabat, nec vlla pœnitentiæ satisfactione pensabat. Layci, monachi penes quos sacerdotibus spretis tota lignati atque soluendi consistebat autoritas hæc & huiusmodi deliramenta, quæ epistolaris expli-

care non valeat angustia impletis iniquitatibus eorum, quæ ipsum Dominum ad A nauseam prouocabant diuina iusticia nostro ministerio digna vltione percussit, & expulsis hominibus Deum odientibus, & amantibus sese, terram nobis omnium bonorum copiis affluentem, frumento, vino & oleo stabilitam fluentibus, opulentam nemoribus, aquis & pascuis speciosam, spatiosissimam ad manendum & cui similem non continet orbis aëre temperatam. Sed nec in his desideria nostra substiterunt, nec ab humeris nostris sustinebimus signum regale deponi, donec terra ipsa incolatu stabilita nostrorum, partes debeamus inuisere transmarinas, & deo dante propositum peregrinationis adimplere, speramus enim in Domino IESV, quòd qui cœpit in nobis opus bonum ad laudem & gloriam nominis sui, inimicorum Crucis depressionem perpetuam perficiet, confirmabit, solidabitque. Paternitatem igitur vestram propensiùs exoramus, & obsecramus in Domino, vt gloriæ huius atque victoriæ, & spei præoptatæ, cuius ostium nobis apertum est, principes esse velitis, & Duces, vestrísque temporibus & opibus adscribatis decus hoc, quod absque vlla vobis dubitatione contingit, si Apostolicæ sanctitati deuotos, nostræ præcipuè incolas Occidentis, Nobiles & ignobiles, cuiuslibet conditionis aut sexus, eisdem desideriis accensos, ad veras, vniuersasque diuitias capessandas, temporales pariter & æternas, salutaribus monitis accendatis, proposita venientibus B omnibus Apostolica indulgentia, nobis & Imperatori nostro aut temporaliter aut perpetuò fideliter seruituris; vniuersis enim dare sufficimus, quos nobis Christianæ religionis zelus adduxerit, vniuersos volumus, & possumus secundùm status suos, varietatémque natalium & augere dominiis, & honoribus ampliare: specialiter autem Deo amabiles Ecclesiasticos viros cuiuslibet religionis aut ritus, solicitudo vestra paterna potenter inducat, vt ad idem populum prædicationibus publicis, & potentibus verbis accendant; & exemplis edoceant, cateruatimque & ipsi venire festinent in locis amœnissimis, & vberrimis non tamen in sanguine, sed in multa libertate, & pace omniúmque bonorum affluentia Ecclesiam plantantem, salua semper vt decet suorum Canonica licentia Prælatorum ad laudem etiam & gloriam Redemptoris & sanctitatis vestræ perpetuum decus, vtilitatémque præcipuam generalis Ecclesiæ pertinere, credentium nullus ambigeret, si in ciuitate Constantinopolitana veteribus honorata Conciliis vestra paternitas generale Concilium conuocaret, beatissimæ personæ vestræ præsentia confirmandum, nouaque Roma veteri conueniret sanctionibus sacris ac perpetuò valiturus. Iam enim ad Concilium Græciam rebellem vos inuitasse didicimus, quasi quæ nunc videtis præsignando, licet siue pro rebellione Græcorum, siue pro vtilitatibus mundi, & variis occupationibus interim videamini distulisse: Ecce nunc tempus acceptabile, Pater sancte, ecce nunc dies salutis: cogitasse videtur Dominus cogitationes pacis, qui scabellum pedum vestrorum posuit inimicos. Canite, quæsumus, turba sacerdotali in C Sion, amantissime pater, vocate cætum, congregate populum, coadunate senes, & sugentes vbera, sanctificate diem acceptabilem Domino, diem stabiliendæ vnitatis, & pacis, & quam ad Dominum custodimus nostræ fortitudinis confirmandæ; quamtumlibet enim sufficientes simus, ex vobis sperare audemus in Domino, quòd gaudium Domini sit fortitudo nostra ad euacuendum scandalum Crucis, & subiiciendam in terris omnem aduersariam potestatem, erigentem se aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius. Recordamini, Pater sancte, Cathedræ vestræ & prædecessorum, quorum in cælo gaudent animæ, & in terris viuit gloriosa memoria, Ioannis, Agapiti, & Leonis, seu aliorum, qui ex variis causis Constantinopolitanam leguntur Ecclesiam præsentaliter visitasse, sicut in Apostolicis continetur archiuis & inuenietis manifestè, si eos, qui asserunt se legisse, non fallunt, quòd pro causis longè minoribus eorum quilibet aduentarit. Siquidem ex ardenti desiderio vltra quàm decet ingerimus, ex benignitate consueta, Reuerende Pater, ignoscite, affectumque nostrum, apicémque negotij vlterius & potiùs quàm verba spectate. Illud autem silere nulla ratione valemus, quòd Reuerendi Pontifices & Abbates nostri, & inferioris status venerabilis clerus tam magnificè ac decenter, tam honnestè inter nos se habuit ac prudenter, & armis Deo potentibus tam constanter & triumphaliter dimicauit, vt coronam victoriæ de manu Domini meritò debeat expectare, & eorum in perpetuum esse meruerit in benedictione memoria, fauoris & gratiæ cumulum pro tam bene meritis euidentius reportare illustrem virum H. Dandulum

A lum Ducem Venetorum dilectum nobis, ac meritò diligendum, cum amicis ac sociis nostris Venetis, quos fideles ac industrios per cuncta reperimus, Paternitati vestræ pro suæ probitatis merito populum commendamus.

VERVM antequàm Franci & Veneti ad capiendam Constantinopolim processissent, tales inierunt adinuicem pactiones.

De pactis inter Venetos, & Francos.

IN nomine Dei æterni, Amen. Nos quidem B. Montis-Ferrati Marchio, & Balduinus Flandriæ & Hannoniæ, L. Blesensis & Claromontis, H. sancti Pauli Comites pro parte nostra, vobiscum vir inclyte Domine, H. Dandule, Venetorum, Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux, & cum parte vestra, ad hoc vt vnitas, & firma inter nos possit esse concordia, & ad omnem materiam scandali euitandam, ipso cooperante, qui est pax nostra, & fecit vtraque vnum, ad eius laudem, & gloriam talem duximus ordinem obseruandum, & vtraque pars iuramento astricta.

IMPRIMIS omnium armata manu Christi inuocato nomine, ciuitatem expugnare debemus, & si diuina auxiliante potentia ciuitatem intrauerimus sub eorum B regimine debemus manere, & ire qui fuerint super exercitum prælecti, & eos sequi secundùm quod fuerit ordinatum. Totum quidem habere, quod in ciuitate inuentum fuerit, à quolibet duci debet & poni in commune, & loco quo fuerit ordinatum; dequo tamen habere nobis & hominibus Venetis tres partes debent solui, pro illo habere quod Alexius quondam Imperator nobis & vobis soluere tenebatur. Quartam verò partem nobis retinere debemus, donec fuerimus in ipsa solutione coæquales. Si autem aliquid residuum fuerit debemus per medietatem inter nos & vos diuidere donec fueritis apacati, si verò minus fuerit, ità quòd non possit sufficere ad memoratum debitum persoluendum, vndecumque fuerit prius habere acquisitum, ex eo debemus dictum ordinem obseruare. Saluis tamen victualibus quæ debent obseruari, & diuidi tam vestris quàm nostris æqualiter, ità quòd vtraque pars possit inde congruè sustentari. Quod autem residuum fuerit partiri debet in alio habere iuxta ordinem prenominatum. Vos etiam homines Veneti liberè & absolutè absque omni controuersia per totum Imperium habere debetis omnem honorificentiam & possessiones, quas quondam consueuistis habere tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, omnésque rationes siue consuetudines quæ sunt in scripto.

DEBENT etiam sex homines eligi pro parte nostra, & sex pro vestra qui iuramento adstricti eam personam eligere debent de exercitu, quam credent melius scire, & meliùs posse tenere, & meliùs scire ordinare terram & Imperium ad hono- C rem Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Imperij, & si fuerint in vno concordes illum debemus Imperatorem habere, quem ipsi concorditer elegerint. Si verò sex in vna parte, & sex in alia concordauerint sors mitti debet, & super quem sors ceciderit debemúsque Imperatorem habere: Si plures consenserint in vna parte, quàm in alia illum Imperatorem habebimus, in qua maior pars consenserit. Si verò plures partes fuerint, super quam maior pars ordinauit, sit Imperator. Debet verò iste Imperator habere vniuersam quartam partem acquisiti Imperij & palatium Blachernæ. Sciendum est quòd clerici qui de parte illa fuerint, de qua Imperator electus potestatem habebunt Ecclesiam sanctæ Sophiæ ordinandi, & Patriarcham eligendi, ad honorem Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Imperij. Clerici verò vtriusque partis illas Ecclesias ordinare debent, quæ suæ parti contigerint. De possessionibus verò Ecclesiarum tot, & tantum clericis, & Ecclesiis debent prouideri, quot honorificè possint viuere, & sustentari. Reliquæ verò possessiones Ecclesiarum diuidi, & partiri debent secundùm ordinem præsignatum. Insuper etiam iurandum est, tam ex nostra parte, quàm ex vestra quòd ab vltimo die instantis menses Martij, moderari debemus vsque ad annum expletum ad Imperium, & Imperatorem manu tenendum ad honorem Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Imperij: inde verò inantea omnes qui in Imperio remanserint, ipsi Imperatori stringi debent iuramento secundùm bonam & rationabilem consuetudinem: & illi qui tunc in Imperio remanserint, vt prædictum est iurare debent, quòd firmas, & stabiles pactiones, quæ factæ fuerunt, habebunt. Est autem sciendum quòd à nostra,

ex vestra parte duodecim homines vel plures pro parte eligi debent, qui iuramento adstricti feuda, & honorificentias inter homines distribuere debent, & seruitia assignare, quæ ipsi homines Imperatori, & Imperio facere debent, seu quód illis bonum videbitur, & conuenientius apparebit. Feudum verò quód vnicuique assignatum fuerit liberè & absolute possidere debent de herede tam in masculo, quàm in fœmina, & plenam habeant potestatem ad faciendum illud quidquid suæ fuerit voluntatis: saluo tamen iure & seruitio Imperatoris & Imperij: Imperator verò reliqua seruitia facere debet, quæ fuerint facienda; præter ea quæ ipsi facient, qui feuda & honorificentias possidebunt secundùm ordinem sibi iniunctum. Statutum est etiam quòd nemo hominum alicuius gentis, qui communem generem nobiscum, & successoribus nostris, vel populo Venetorum habuerit, recipiatur in Imperio, donec guerra illa pacificata fuerit. Teneatur & vtraque pars ad dandum operam bona fide, vt hoc à Domino Papa valeat impetrari, vt si aliquis contra hanc institutionem ire tentauerit, sit excommunicationis vinculo innodatus. Insuper Imperator iurare debet quòd firmas & stabilitas partitiones, & dationes quæ factæ fuerint irreuocabiliter habebit secundùm ordinationem superiùs dictam. Si verò aliquid in istis omnibus erit addendum vel minuendum in potestate, & discretione vestra, B
& vestrorum sex Consiliatorum consistat: sciendum est etiam quòd vos præfate Domine Dux, nec debetis Imperatori qui fuerit electus, vel Imperio, vel aliqua seruitia facienda iuramentum præstare, propter aliquod datum vel feudum, siue honorificentias quæ vobis debeant assignari tantùm illi, vel ille, qui vel quos loco vestro statueritis super iis, quæ vobis fuerint assignata debeant iuramenta præstare ad omne seruitium Imperatori, & Imperio faciendum, iuxta ordinem superiùs declaratum. Anno Domini millesimo, ducentesimo quarto, mensis Martij, indictione septima.

ATTENDENS ergo Dominus Innocentius, quòd in pactionibus illis, multa continebantur illicita, præsertim ea quæ contingebant statum Ecclesiarum, & clericorum; & quòd in captione Constantinopolis multa fuerant scelera perpetrata, quódque Cruce-signati prohibiti fuerant terras Christianorum offendere; nisi forsan iter eorum illi nequiter impedirent: Nec videbatur ad excusationem illorum sufficere, quòd propterea licuerit eis Græcos offendere; quoniam ipsi ab obedientia sedis Apostolicæ sese subtraxerant, & noluerant succurrere Terræ sanctæ; licet super vtroque fuerint ab eodem Innocentio Papa commoniti, & Alexius Imperator nequiter incubaret Imperio, quod iniquè abstulerat fratri suo, cùm super iis nullam desuper vlciscendi acceperint potestatem, cæpit vehementissimè dubitare, quid in tanto negotio sibi foret agendum. Sed habito diligenti tractatu, non solùm cum Cardinalibus, verùm etiam cum Archiepiscopis, & aliis viris, prudentibus, quorum tunc de diuersis partibus magna erat apud sedem Apostolicam multitudo, Nobili viro Marchioni Montis-Ferrati, super hoc sedem Apostolicam consulenti de com- C
muni Consilio rescripsit.

Littera Innocentij Papæ ad Legatum qui dimiserat terram sanctam.

AVDITO iampridem quòd tu, & dilectus filius noster Soffredus tituli sanctæ Praxedis presbyter Cardinalis, Apostolicæ sedis Legatus, relicta in multæ necessitatis articulo Hierosolymitanæ Prouinciæ Constantinapolim nauigio venetatis, mirati sumus non modicum & turbati, eidem imminens periculum formidantes: & ecce quod verebamur accidit, & quod timuimus iam euenit. Nam præter id quod bonæ memoriæ Patriarchæ Hierosolymitano tunc temporis viam vniuersæ carnis ingresso, Ecclesia Hierosolymitana vacabat, & ex guerra, quæ tunc inter charissimum in Christo filium nostrum Regem Armeniorum illustrem, & Tripolitanum Comitem, super principatum Antiochenum vertitur inter Christianos æmulatiò quædam erat, postmodùm ex inclytæ recordationis. A. Regis Hierosolymitanorum, & filij eius obitu improuiso, regnum Hierosolymitanum penè penitùs enim est Reginæ destitutum. Et quia vos qui debueratis ibidem maius expectare subsidium, & ad succurrendum eidem terræ tam exemplo, quàm verbos alios inuitare, pro vestræ voluntatis arbitrio exinde in Græciam nauigastis non solùm peregrini, sed indigenæ Terræ sanctæ vestris vestigiis inhærentes Constantinopolim

A polim deuenerunt, venerabili fratre nostro Archiepiscopo Tyrensi vos pariter subsequuto. Remansit ergo terra illa recedentibus vobis viris & viribus destituta; & facta sunt nouissima eius horum occasione priora prioribus, cùm omnes amici eius illam vobiscum reliquerint, nec sit qui consoletur eam ex omnibus caris eius. Vnde facti videntur hostes eius in capite, si fœdus trugarum voluerunt violare, quod etiam à quibusdam dicitur Rege ac filio eius expirantibus exspirasse. Turbamur igitur infrà nos ipsos non modicum, & contra vos meritò commouemur, quòd in hoc consilium deuenistis, vt simul linqueretis illam, quam Dominus sua præsentia consecrauit, & in qua nostræ redemptionis misteria Rex noster ante secula, nouissimis temporibus est mirabiliter operatos.

QVAMVIS sanè venerabilis frater noster quondam Episcopus Vercellensis in Patriarcham Hierosolymitanum fuerit postulatus, & nos postulationem approbantes eiusdem, iam ei pallium duxerimus concedendum, propter occupationes tamen multiplices non tam citò forsan poterit transfretare. Debueratis ergo caussam vestræ legationis attendere, ac solicitè cogitare, quòd non ad capiendum Constantinopolitanum Imperium, sed defendendas reliquias Terræ sanctæ, ac perdita, B si daret Dominus; restauranda vos duxerimus delegandos, mittentes vos non ad capessendas temporales diuitias, sed promerendas æternas, cùm nos & fratres nostri vobis in expensis prouideremur competenter. Audito autem nuper, & per tuas litteras intellecto, quòd vniuersos Cruce-signatos, qui in defensione Constantinopolis à præcedenti Martio, vsque ad proximum morarentur à voto peregrinationis, & onere crucis absolueras, contrà te non potuimus non moueri, cùm nec potueris, nec debueris talia vllatenus attentare, quicumque tibi contrà suggesserint, & quocumque modo seduxerint mentem tuam. Cùm enim ad hoc principaliter assumpserint signum Crucis, & hoc præsertim vouerint Deo suo, vt in Terræ sanctæ subsidium transfretarent, & à via postmodum errantes in nimium temporalia commoda vsque hodie sunt secuti: vt cùm tibi licuerit immutare taliter, imò peruertere potiùs votum tam solemne ac pium tibi relinquimus discernendum: Ecce etenim, quod cum mœrore ac rubore deferimus, vnde videbamur hactenus profecisse deficimus, & angustamur vnde credebamus potissimum dilitari. quo modo enim Græcorum Ecclesia quantumcumque persecutionibus affligatur ad vnitatem Ecclesiæ, & deuotionem sedis Apostolicæ reuertetur, quæ in Latinis nonnisi proditionis exempla, & opera tenebrarū adspexit, vt iam meritò illos abhorreat tamquam canes, illi enim qui non quæ sua sunt, sed quæ IESV CHRISTI quærere credebantur, gladios quos exercere debuerant in paganos, Christianorum sanguine cruentantes nec religioni, nec ætati, nec sexui pepercerunt, incestus, adulteria, & fornicationes in oculis omnium exercentes, & tam matronas, quàm Virgines, & Deo dicatas exponentes spurcitiis C garcionū, nec suffecit eisdem Imperiales diuitias exhaurire, ac diripere spolia principum & minorum, nisi ad Thesauros Ecclesiarum, & quod grauius est, ad ipsarum possessiones extenderent manus suas, tabulas argenteas etiam de altaribus rapientes, & inter se confringentes in frusta, violantes sacraria, & Crucis, & reliquias asportantes. Præterea cùm latere non possit quod inter tot millia hominum est præsumptum, numquam Sarraceni qui capta Constantinopolitana vbe nimio fuerant timore perculsi, ex quo intellexerint, quod Cruce-signati post annum sint ad propria redituri, & iam in eos vltio diuina desæuiat, quæ iniquitates ipsorum iam incipit flagellare, animos non resument, & pauculas oues quas velut in deserto luporum morsibus reliquistis, nisi sola eis Dei dextera restiterit non vorabunt?

NOS quoque qua fronte de cetero populum Occidentis ad Terræ sanctæ subsidium, & Imperij Constantinopolitani poterimus inuitare, quibus etsi non ob culpam propriam, tamen propter factum tuum aliqui forsitan imputabunt, quòd Cruce-signati relicto peregrinationis proposito absoluti ad propria reuertuntur, & qui prædictum Imperium spoliarant, illo immunito relicto, referti spoliis terga vertant. Non sit ergo in ore verbum Domini alligatum, nec sis tamquam canis mutus latrare non valens; sed hoc loquere publice, ac coram omnibus protestare, vt tantò te ampliùs pro Deo, & propter Deum obiurgantem inueniant, quantò magis inuenerunt te hactenus negligentem.

A

Littera Papæ ad Venetos, petentes pacta inter Francos & ipsos inita obseruari.

QVID verò Duci Venetorum responderit petenti pactiones inter Francos & Venetos initas confirmari, ipsius litteræ ad illum directæ demonstrant. Venientes, inquit, ad Apostolicam sedem filios dilectos...... & A. Nobiles ciues Venetorum nuncios tuos benignè recipimus, & quæ coram nobis proponere curauerunt audiuimus diligenter. In nostra igitur præsentia constituti conuentiones quasdam inter se & Venetos ex vna parte, & charissimum in Christo filium nostrum B. Constantinopolitanum Imperatorem illustrem, & Francos ex altera concorditer initas asserebant; quas ne quis violare præsumeret petebant sub pœna excommunicationis per sedem Apostolicam inhiberi; vt quicumque videlicet veniret de cetero contra eas, excommunicationis sententiæ subiaceret. Super hac autem prima petitione cum fratribus nostris habitio diligenti tractatu inuenimus, quòd ipsi petitioni penitus contradicunt: hoc enim in conuentionibus ipsis Capitulum est expressum: vt inter Venetos & Francos possessiones Ecclesiasticæ diuidantur, reseruata clericis portione de qua possint honorificè sustentari. Sanè cùm Ecclesiarum thesauros non sine Creatoris offensa manu deripuerint violenta, maiorem culpam incurrerent si spoliatas thesauris Ecclesias suis possessionibus mutilarent, nec decet Apostolicam sedem illos hoc modo defendere, qui sic Ecclesiasticam offenderent dignitatem. B

PRÆTEREA cùm ad honorem Ecclesiæ Romanæ huiusmodi sint initæ pactiones, & fere in singulis hoc expressum, vt ad honorem eius omnia prouenirent, nec debuimus, nec potuimus confirmare, quod contrà iuramentum ad vtraque parte communiter præstitum honori sedis Apostolicæ derogaret. Insuper cùm in te ac in sex de consiliariis tuis, & Nobilem Virum Marchionem Montis-Ferrati, ac sex de consiliariis suis addendi vel minuendi sit collata facultas, qualiter in laïcorum arbitrio nostram sententiam poneremus, vt illi sententiam excommunicationis incurrent, qui nobis ignotas, & sacris forsan canonibus inimicas constitutiones laïcas non seruarent. Cumque dilectus filius B. clericus Constantinopolim sit venturus, non fuerat de possessionibus Ecclesiæ Constantinopolitanæ ante aduentum ipsius aliquid disponendum à laïcis, vel confirmandum à nobis quod posset in iuris eius iniuriam, & Ecclesiæ suæ dispendium redundare.

IDEM igitur Dominus Innocentius præfatum Constantinopolitanum electum Sabbato quatuor Temporum Quadragesimæ in Diaconum ordinauit, & in Sabbato hebdomadæ medianæ in sacerdotem promouit, ac sequenti Dominica Romæ apud sanctum Petrum in Episcopum consecrauit, ac postmodùm contulit ei pallium in signum videlicet plenitudinis Pontificalis Officij, de corpore beati Petri Apostoli sumptum, recepto ab eo fidelitatem obedientiæ iuramento sub ea forma iurandi antiqua, & approbata, secundùm quam primates & Metropolitani solent in susceptione pallij Romano Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ iurare, priuilegium sibi sub hac forma concedens. C

Compositio inter Patriarcham & Francos.

IN nomine Domini & saluatoris nostri IESV CHRISTI, Anno Domini millesimo ducentesimo sexto, mense Martij, Indictione nona, Constantinopoli. Hæc est forma concordiæ factæ inter Dominum Benedictum tituli sanctæ Susannæ Presbyterum Cardinalem Apostolicæ sedis Legatum, & Dominum Thomam Maurocenum sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarcham ex vna parte: & Dominum Henricum & Barones & milites ex altera, in quæsitis & acquirendis intus & extra Imperium Romaniæ, Dominus Henricus de consilio, assensu omnium Principum, Baronum, militum, & populi dat Ecclesiis, & promisit se daturum in earumdem recompensationem possessionum, sicut inferiùs denotatur: extra muros ciuitatis Constantinopolitanæ quintam partem decimam omnium possessionum, ciuitatum, Castrorum, casalium, camporum, vinearum, nemorum, siluarum, pratorum, pomæriorum, hortorum, salinarum, passagiorum, teloneorum, terræ, & maris, piscariarum in mari, & in aqua dulci, & omnium possessionum; etsi in

presenti

A presenti scripto non reperiantur in solidum declarata. His exceptis quòd de terra quam habent iuxta muros ciuitatis à porta aurea, vsque ad portam Balcennæ inter murum ipsius, & mare dare quintamdecimam nullatenus tenebuntur: nec etiam de casalibus monetæ in quorum repensationem casalium Dominus Henricus & prædicti secundùm eorumdem casalium valorem in prima conquisitione satisfacere de quintadecima Ecclesiis tenebuntur; de commendo quod intrà Constantinopolim vel extra nomine ciuitatis receperint nec debet in ipsa ciuitate Constantinopolitana nomine alterius ciuitatis, aut loci, vel alibi commenda soluetur, quintadecimam dabunt Ecclesiæ. Si verò cum aliqua ciuitate, vel Castro, terra, vel insula, quam Dominus Henricus sibi & Imperio subiugare non poterit per annuum censum compositum fuerit, quintamdecimam dabunt Ecclesiæ. Sed si Feudare, vel donare, vel alienare voluerit hoc faciat, salua primo Ecclesiarum quintadecima parte. Diuisiones possessionum inter Ecclesiam & prædictos hoc modo fient: quòd boni viri post Bullatum præsens instrumentum infra octo dierum spatium ab vtraque parte eligentur, qui iurati bona fide de possessione cuiuslibet terræ, & aqua, quindecim partes facient, & sortes mittent si aliter conuenire non possint, & super qua ceciderit sors Ecclesiæ, erit Ecclesiæ. Hunc autem vsum ad Pentecosten
B festum proximum venturum bona fide complebunt: claustra verò omnia tam infra ciuitatem, quàm extra libera erunt Ecclesiæ, nec in quintadecima computanda. Si de quantitate quæstio oriatur vtraque partium eliget virum idoneum post quæstionem motam infra octo dierum spatium, & illi duo per sacramentum suum, tertium eligant, & quod illi tres, vel maior pars eorum astricti iuramento infra viginti dies super hoc bona fide duxerit faciendum stabile permaneat. Si pro ardua necessitate terræ aliqua Castro fuerint incastellanda, incastellentur de assensu Domini Patriarchæ vel Diæcesani Episcopi. Quod si cum incastellationibus concordare nequiuerint, sicut supradictum est de claustris quomodo terminetur dabunt in decimas Latinorum omnium in perpetuum videlicet de blado, legumine, & omnibus fructibus terræ, & vinearum, quas excolent, vel propriis sumptibus excoli facient, & de fructibus arborum, & hortorum, exceptis arborum & hortorum quos pater familias in vsus comedendi, & munusculorum bona fide conuertet. De nutrimentis animalium quadrupedum, & de apibus, & lanis decimæ soluentur. Et progressu temporis à Græcis Ecclesiasticas decimas per exhortationem & ordinationem acquirere poterit, per eos nullum impedimentum præstabitur, preterea clerici, & Ecclesiæ vniuersæ, eorum possessiones, & manentes in ipsis possessionibus & Ecclesiis, & Religiosæ personæ tam Græcorum quam Latinorum, & morantes cum prædictis, & claustra Ecclesiarum, & habitantes in eis, & qui ad Ecclesiam confugerint liberi erunt ab omni laicali iurisdictione, secundùm liberationem & consuetudinem Franciæ, salua in omnibus auctoritate Ecclesiæ Roma-
C næ, nec non & Constantinopolitanæ honore, & iure Domini Patriarchæ, & Imperatoris & Imperij, & saluis in omnibus capitulis supradictis. De terris verò quæ Deo volente de cetero conquerentur priùs habebit Ecclesia quintam decimam partem, antequam alicui distribuatur. Hæc autem omnia Dominus Henricus, & Barones ipsius bona fide attendent, & curabunt pro posse debito effectui mancipare, nulli omnino hominum liceat hanc paginam concordiæ vel pactionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, &c. Hanc autem compositionem Dominus Patriarcha pro se, & successoribus suis se firmiter obseruaturum promisit Dominus H. & Barones, & milites cum populo similiter pro se, & successoribus suis, & hoc excepta communi parte Venetorum se firmiter obseruaturos promiserunt. Datum Constantinopoli apud sanctam Sophiam sextodecimo Calendas Aprilis. Nulli ergo, &c. hanc paginam nostræ præceptionis infringere, &c. si quis autem, &c. Datum Ferentin. nonis Augusti, anno nono.

Post hæc Patriarcha prædictus solemnes nuncios cum gratuitis obsequiis ad Apostolicam sedem direxit super diuersis articulis querelas, consultationes, & preces inculcans, ad quæ omnia Dominus Papa rescripsit.

Qualiter debellatus & captus fuit Imperator Balduinus.

A

CVM autem Latini iam pro maiori parte Constantinopolitanum obtinuissent etiam Imperium, & in omnibus eis prosperè successisset, ita vt terror eorum quasi fulgur de cælo ceciderit, non solùm in Græcos, verùm etiam in paganos ipsi de prosperitate nimis insolentes effecti post vanitates suas liberè declinare cœperunt, & Dominum ad iracundiam prauis operibus irritare. Vnde quid eis meritò peccatorum suorum euenerit ex litteris Henrici fratris Imperatoris summo Pontifici destinatis perpendere licet manifeste.

SANCTISSIMO Patri, ac Domino Innocentio, Dei gratia summo Pontifici, H. frater Imperatoris Constantinopolitani, & moderator Imperij cum debita reuerentia humili & deuota, pedum oscula. Cum vniuersum exercitus Christiani progressum, & laborum peregrinationis nostræ seriem, Paternitati vestræ per multiplices litteras, & nuncios, frater meus & dominus Imperator, vsque ad Martium elapsum nouissimè satis lucidè significauerit, euentus nostros ex tunc Prioribus multum dissimiles, imo peccatis nostris exigentibus minus miserabiles vobis tanquam patri, & Domino dignum duxi propalare. Contigit Græcos qui ex magna malitia & perfidia consueta post omne genus securitatis & cautionis proditionem semper super nos exhibent, statim post dimissionem nunciorum ad vos vltimò directorum proditionem quam pridem conceperant, rebellione contra nos facta, detegere manifestè. Quo comperto frater meus, & Dominus Imperator oportunè paucioribus comitatus; quippe nobis per munitiones & marchias pro magna parte dispersis, contra caput rebellionis, Andriopolim videlicet, quæ est ciuitas Greciæ munitissima & montibus tantùm interpositis Blancorum affinibus populis, vlciscendi animum intendens Vrbem Regiam egressus est. Eramus enim tunc temporis sic diuisi, Marchio Montis-ferrati vltra Thessalonicam erat cum multis. Ego ex altera parte brachij sancti Georgij eram apud Andromiticum cum non paucis. Paganus de Aurelia, & P. de Braccel. versùs Nicæam ex eadem parte, E. de Tric apud Philippolim cum pluribus, & alij alibi per loca & munitiones dispersi. Porrò audito à Iannicio Blancorum Domino, quòd Latini in tanta virorum paucitate ciuitatem prædictam obsedissent, quem etiam Græci in auxilium suum occultum, vt magis læderent euocarant, irruit subitò Blachus ille Ioannicius in nostros cum multitudine Barbarorum Blachis, Commanis, & aliis, quibus etiam nimis improuisè obuiam exeuntibus nostris, & remotiùs quàm oportet instantibus, & per inimicorum insidias tendem vallatis vndique, proh dolor! Dominus Imperator, Comes Lodoïcus, Stephanus de Pertico, & quidam alij Barones & milites, quòd non sinè sanguinearum lacrimarum effusione referre valeo, tanta obruti multitudine, non sinè damno tamen illorum ab inimicis intercepti sunt. Nescimus reuera qui capti fuerunt, qui occisi, accepimus tamen ab exploratoribus nostris certissimis; & fama veridica, quòd Dominus meus Imperator sanus teneatur, & viuus, qui ab eodem Ioannicio satis vt asseritur pro tempore honorabiliter procuratur, cum quibusdam aliis, quos tamen adhuc expresè nescimus nominare. Sciatis autem quòd ab eo die, quo Græcorum fines ingressi fuimus, vsque ad diem infelicis illius congressus, quantacumque nobis & nostris concurreret multitudo, licèt alij paucissimi fuerint cum triumpho tamen semper in victoria recesserunt. Inæstimabilem verò iacturam, quam tunc nobis dolemus & plangimus accidisse ex inconsulta nostrorum audacia, & peccatorum nostrorum meritis credimus contigisse. Illi itaque qui elapsi à prælio manus inimicorum euaserunt, consilio abbreuiato, cum iis qui ad acceptoria seruanda remanserant, absque alio damno ab obsidione recesserunt. Quibus recedentibus in vrbem Regiam, & inopinaliter desolatis, tantam Dominus subitò dedit consolationem vt quasi in momento omnes simul quot dispersi fuerant tanquam conuocati à Domino apud ciuitatem quamdam quæ dicitur Rodestech conuenirent. Marchio tamen fideliter & victoriosè in suis branchiis, E. de Tric, in suis partibus per Dei gratiam incolumis morabatur, & indemnis. Inspectis igitur ibidē nostrorū viribus vrbes & Castella ex tunc munire cœpimus, quæ contrà Græcorum rebellionem posse tenere videbantur, & inter agendum Constantinopolim vsque profecti sumus. Licèt itaque in personis amissis infortunium lugubre nobis acciderit speramus tamen in Domino, & audenter confidimus, quòd inimicorum nostrorum insidias & assultus quicumque

B

C

A quicumque fuerint diutius in Domino sustinere poterimus, & etiam de longinquo subuentionem & auxilium expectare. Ecce tamen quod verebamur hoc accidit, & quod fama ferebat publica quoque per litteras Blachi confederationem ipsius cum Truchis, & cæteris Crucis Christi inimicis continentes edocti sumus, quas etiam à nobis, cum nuntiis ipsius interceptas Apostolatui vestro in vtraque lingua trasmisimus, licèt grauius expectato vulnus incurritur & ruina. Cuius susceptionem vobis incumbere tamquam patri omnium & nostro patrono, & Domino, nemo est qui ambigat; præsertim cùm ob Ecclesiæ tantùm vnitatem reformandam, & Terræ sanctæ subuentionem laboremus, quorum munere hactenus pendet exaltatio, sicut communis omnium Christianorum in Oriente degentium, & præcipuè Venerabilium fratrum militiæ Templi, & Hospitalis vtriusque qui nobiscum sunt clamat assertio, vt non solùm ipsius liberationem hæc operetur redintegratio; verùm etiam omnium paganorum & Crucis Christi inimicorum confusionem omnimodam apertissime procurare videatur: sicut econtra eius disturbatio, quod Dominus auertat, non solùm recuperandi partem amissam Terræ sanctæ spem auferret; imò & illam quæ à presenti Christiano cultui dedita est, proculdubio spem præciperet detinendi. Attendentes igitur sicut à principio in perfectum nostrum ad tam ardui propositi celsi-
B tudinem minùs sufficere, ad vos tanquam summum & præcipuum, imò vnicum spei nostræ refugium & fundamentum, qui solus præ filiis hominum, & principibus, & Regibus in quantalibet potestate constitutis, nobis potestis succurrere, supplici & deuota intentione & mente confugimus, ad pedes Paternitatis vestræ prona humilitate prostrati, & quanta possumus precum instantia cum lacrymis implorantes, quatenus filiis vestris in tanto periculo constitutis, & præ cunctis viuentibus consilio, & auxilio vestro indigentibus, consuetum pietatis impendere non differatis affectum: quod iteratò securius à Paternitatis vestræ dulcedine postulamus, quantò præter peregrinationis nostræ votum solemne pro Ecclesia Romana corpora nostra, & vitas impendimus; in quo præter communem omnium Christianorum .... solicitudinem, & nos Paternitati vestræ, & vos nobis tanquam militibus vestris & Ecclesiæ Romanæ stipendiariis districtiquè nouimus obligatos.

Adhvc etiam manus Domini non cessauit flagellare Latinos, vt vexatio eis tribueret intellectum, sicut præfatus H. frater Constantinopolitani Imperatoris & moderator Imperij Domino Papæ rescripsit. Statum, inquit, nostrum, & rumores qualescumque pro nunciorum oportunitate sanctitati vestræ dignum ducimus reuelare. Satis vt credimus vobis innotuit qualiter peccatis nostris exigentibus Dominus noster Imperator occisa & capta magna parte suorum, quod sinè cordis amaritudine, & dolore maxime dicere non possum, à Comannis in bello Adrianopoli captus fuerit. Postmodùm cùm principes & Barones & milités exercitus me Imperij Bailliuum elegerunt, egressus ex vrbe Regia cum exercitu Christiano, ciuitates & castella
C plurima, quæ nobis rebellia fuerant subiugauimus, & munitis marchiis nostris, circa festum sancti Remigij Constantinopolim reuersi fuimus. In munitione verò cuiusdam ciuitatis, quæ Rossa dicitur, H. de Teneramunda, virum vtique strenuum & discretum cum multis militibus & serjantis reliquimus: & dum morarentur ibidem, circa Purificationem beatæ Mariæ significatum eis Blancos Rossam prope, castrum quoddam occupasse: qui de Rossa de nocte exeuntes armati Blancos quos illic inuenerunt occiderunt, & castro deiecto cum præda Blancorum & equitaturis eorum, versus ciuitatem suam rediere: quibus redeuntibus ex insidiis prope Rossam occurrit multitudo Blancorum & Comannorum, & congressu facto ex vtraque parte, proh dolor! vltione diuina nostri fere omnes occisi sunt vel capti illi verò quibus custodia ciuitatis deputata fuerat, circiter quadraginta milites, de nocte recedentes cum serjantis ad nos sani rediere; & sic Dominus flagellum flagello adiiciens meritis nostris peruersis id ipsum exigentibus vultum indignationis suæ nobis ostendit. Verumtamen quia bellorum euentus fuit, est, & erit semper anceps, nec fieri potest quòd semper bene cedat bellantibus, & sæpe tristia lætis miscentur, non est desperandum virtuosis viris: nam paruo tempore mutatur fortuna, & Dominus respiciet suos, & statim reddet optata gaudia desolatis; in rebus arduis virtus comprobatur, & robustos viros ipsa reddent pericula cautiores. Nam aduersitas quæ bonis votis obiicitur non iudicium reprobationis, sed probatio virtutis est. Nos ergo in his angustiis constituti, ad vos patrem omnium, imò vt veriùs loquamur nostrum in hoc facto tur-

bationis recurrimus, vestrum implorantes auxillium & consilium: quatenus opus nostrum à nobis misericorditer inceptum, misericordiùs terminetis, quolibet bono modo profectum operis nostri necessario adiuuantes. A

EORVM igitur infortuniis Dominus Papa compatiens pro liberatione Imperatoris nuncium specialem ad præfatum Ioannicium destinauit.

Qualiter regnum Aragoniæ factum fuit censuale Ecclesiæ.

ANNO septimo Pontificatus Domini Innocentij Papæ, in mense Octobri; Petrus Rex Aragonum ad Apostolicam sedem accessit, vt ab eodem Domino Papa militare cingulum, & Regium acciperet diadema. Venit autem per mare cum quinque galeis, & applicuit apud insulam inter portum & ostiam, adducens secum Arelatensem Archiepiscopum, præpositum Magalonensem, cum quibus interfuit electus Montis-maioris, & alij quidam Clerici nobiles & prudentes. Proceres quoque secum adduxit Sancium patruum suum, Vgonem de Baucio, Regelinum de Massilia, Arnaldum de Fontianis, & alios multos nobiles & potentes. Missis autem ad illum equitaturis & sommariis penè ducentis, fecit eum apud sanctum Petrum ad presentiam suam idem Dominus Papa venire: mittens in occursum ipsius quosdam Cardinales. Senatorem vrbis, & alios multos Nobiles & Magnates: fecitque illum apud sanctum Petrum in domo Canonicorum honorabiliter hospitari. Tertio verò die, in festo videlicet sancti Martini prefatus Dominus Papa cum Episcopis, Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus, Primicerio, & cantoribus, senatore, iustitiariis, iudicibus, aduocatis, & scriniariis, multisque nobilibus ac populo copioso, ad Monasterium sancti Pancratij martyris propè Trans-tyberim est profectus: vbique præfatum Regem per manus Petri Portuensis Episcopi fecit inungi, quem postmodum ipse manu propria coronauit; largiens regalia insignia vniuersa: mantum videlicet, & colobium, Sceptrum & Pomum: Coronam & Mytram: corporale ab eo recipiens iuramentum, cuius tenor est talis. B

Forma iuramenti præstiti Domino Papæ à Rege Aragonum.

EGO *Petrus Rex Aragonum profiteor & polliceor, quod semper ero fidelis & obediens Domino meo Papæ Innocentio, eiúsque Catholicis successoribus, & Ecclesiæ Romanæ, regnúmque meum in ipsius obedientia fideliter conseruabo, defendens fidem Catholicam, & persequens Hæreticam prauitatem, libertatem & immunitatem Ecclesiarum custodiam, & earum iura defendam. In omni terra mea potestati subiecta pacem & iustitiam seruare studebo. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.*

DEINDE præfactus Rex cum multo laudis præconio, & fauoris applausu coronatus rediit iuxta Dominum Papam, ad Basilicam sancti Petri, super cuius altare Sceptrum & Diadema deposuit, & de manu eiusdem Domini Papæ militarem ensem accepit: regnúmque suum beato Petro Apostolorum principij obtulit; illúdque sibi constituit censuale, per priuilegij paginam, quam eidem Papæ tradidit super ipsum altare, cuius tenor est talis. C

Pagina Priuilegij, quod Aragonum regnum constituit censuale.

CVM *corde credam, & ore confitear, quòd Romanus Pontifex qui est beati Petri successor, Vicarius sit illius per quem Reges regnant, & principes principantur, & dominantur in regno hominum, & cui voluerit dabit illud. Ego Petrus Dei gratia Rex Aragonum, Comes Barcinonæ, & Dominus Montis-pessulani, cupiens principali P. Domini beati Petri, & Apostolicæ sedis protectione muniri, tibi Reuerendissime Pater, & Domine summe Pontifex Innocenti, & per te sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ offero regnum meum, illúdque tibi successoribus tuis in perpetuum, diuini amoris intuitu, & pro remedio animæ meæ, & progenitorum nostrorum constituo censuele, vt annuatim de camera Regis ducenta quinquaginta massenutina Apostolicæ sedi reddantur, & ego, ac successores mei specialiter, & fideles, & obnoxij teneamus, hoc lege perpetua seruanda fore decerno: quia spero firmiter & confido, quòd tu & successores meos, & regnum prædictum autoritate Apostolica defendetis:*

A *defendetis: præsertim cùm ex multo deuotionis affectu, me ad sedem Apostolicam accedente, tuis quasi beati Petri manibus in Regem duxeritis solemniter coronandum. Vt autem hac regalis concessio inuiolabilem obtineat firmitatem, de consilio procerum Curiæ meæ, præsente Venerabili Patre meo Arelatensi Archiepiscopo, & Sancio patruo meo, & Vgone de Baucio, & Arnaldo de Fotianis Baronibus meis, sigilli mei fecit munimine roborari. Actum Romæ apud sanctum Petrum, anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo quinto, tertio idus Nouembris, anno regni mei octauo.*

His omnibus ritè peractis fecit Dominus Papa vrbem ad Ecclesiam sancti Pauli deduci, vbi galeas inueniens præparatas, intrauit, & Apostolica benedictione munitus ad propria meruit cum prosperitate redire, super coronationem verò Regum & Reginarum Arragoniæ in posterum faciendam, tale sibi priuilegium Dominus Papa concessit.

Priuilegium Papæ concessum super coratione Regum & Reginarum Arragoniæ.

CVM quanta gloria, & honore, tripudio, & applausu Regium regni, Romæ de manu nostra, in Monasterio beati Pancratij susceperis diadema, postquam
B per venerabilem fratrem nostrum P. Portuensem Episcopum in Regem fecimus te inungi, tua sublimitas non ignorat, vt dilectionis nostræ affectum, quem ad tuam habemus personam, per exhibitionem operis euidentiùs monstraremus. Regalia insignia vniuersa, Mantum videlicet, & colobium, Septrum & Pomum, Coronam & Mitram ad opus tuum non minus preciosa, quàm speciosa fecimus præparari, & ea liberaliter tibi donauimus, in signum gratiæ specialis. Tu verò tanquam deuotus princeps & Catholicus Rex, super altare beati Petri, Apostolorum principis regnum tuum, nobis, & per nos Apostolicæ sedi, cum multo deuotionis affectu, per priuilegij paginam obtulisti, illud ei constituens in perpetuum censuale; firmiter promittendo quòd iuramentum fidelitatis, & obedientiæ in coronatione tua nobis exhibitum, inuiolabiliter obseruabis: & ad illud exhibendum & obseruandum successores tuos obligari volebas. Nos igitur gratiam tibi à nobis exhibitam ad successores tuos deriuari volentes, præsentium autoritate concedimus, vt cùm ipsi decreuerint coronari, coronam à sede Apostolica requirentes, de speciali mandato, per Tarraconensem Archiepiscopum apud Cæsaraugustam solemniter coronentur, præstita super prædictis idonea cautione: & quoniam iure ciuili statutum est, vt mulieres maritorum honoribus decorentur, præsentium autoritate concedimus, vt per manus eiusdem Archiepiscopi eas liceat coronari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem, &c.

ANNO decimo, celebrato festo Ascensionis Dominus Papa Vrbem exiuit, & ve-
C nit Viterbium receptus à Viterbiensibus cum ingenti gaudio, gloria & honore. Statim autem cæpit videre ad eliminandam Patarenorum spurcitiam, qua Viterbiensis ciuitas erat vehementer infecta, ne Ecclesiæ Romanæ exprobraretur, quòd in oculis suis, & in patrimonio quoque suo sustineret Hæreticam prauitatem, nec liberam frontem habebat super hoc alios arguendi, dicentes, *Medice cura teipsum: eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc eijcies festucam de oculo fratris tui.* Patareni verò cognito eius aduentu omnes omnino fugerunt. Sed ipse conuocatis Episcopo & Clero ciuitatis eiusdem, fecit diligenter inquiri ac studiosè describi omnes receptatores, fautores, defensores, & credentes eorum: ac demum per potestatem & Consules fecit vniuersos astringi, præstita iuratoria fideiussoria, & pignoratoria cautione, quòd suis per omnia iussionibus obedirent. Imprimis ergo fecit domos in quibus Patareni fuerant recepti, funditus demoliri, ac deinde Clero & populo generaliter congregato statutum solemniter promulgauit.

De guerra Franciæ & Angliæ Regum.

HIc ad reformandum pacem, vel componendum treugam inter Philippum Regem Francorum, & Ioannem Regem Anglorum, Abbatem Casemarij destinauit: qui cùm ad hoc per annum integrum laborasset de Francia ad Angliam, & de Anglia ad Franciam discurrendo, videns tandem se non posse proficere, conuocauit Archiepiscoporum, & Episcoporum, & Abbatum Concilium, in quo præfatus Rex

Franciæ per eosdem Archiepiscopos, Episcopos & Abbates fecit ab eo ad sedem Apostolicam appellari. Quorum appellationi noluit ipse deferre, nisi iurassent quòd in termino, quem eis præfigeret, appellationem ipsam in propriis prosequerentur personis. Sed summus Pontifex ab huiusmodi iuramento illos absoluit, indulgens eis de speciali gratia, vt aliquot ex parte omnium ad prosequendum appellationem venirent. Venerunt igitur in termino constituto Senonensis, & Bituricensis Archiepiscopi: Parisiensis, Meldensis, Catalaunensis, & Niuernensis Episcopi, & multi honorabiles Clerici, procuratores omnium aliorum, quibus diutiùs expectantibus, prænominatus Rex Angliæ pro se neminem destinauit, negligens prosequi causam suam: ex qua negligentia quantum ei damni prouenerit satis patet; cùm in breui tempore totam Normanniam, & Andegauiam, & Aquitaniam perdiderit penè totam. Prædicti verò Archiepiscopi, & Episcopi post expectationem diutinam in publico consistorio sub verbo veritatis tanquam Pontifices sunt professi, quòd ipsi non appellauerant ad mandatum Apostolicum eludendum; sed quia sua interesse credebant: maximè cùm crederent in hac parte suum Regem iustam causam habere. Sed si nec istud sufficeret, & in aliquo essent Domino Papæ suspecti, purgationem canonicam offerebant, quam eis Dominus Papa remissit. A B

ORDINATIONES, TRACTATVS, ET STATVTA LVDOVICI NONI FRANCORVM REGIS, RAIMVNDI COMITIS THOLOSÆ, ET LEGATI PAPÆ, PRO EXTIRPATIONE HÆRESIS Albigentium.

TRACTATVS LVDOVICI NONI.

IN *nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis*, LVDOVICVS *Dei gratiâ Francorum Rex*. NOVERINT vniuersi præsentes pariter & futuri, quod cum Raymundus filius Raimundi quondam Comitis Tholosani diu in excommunicatione persistens, Ecclesiæ & Dei volens esse longo tempore contumax & rebellis, ad cor tamen rediens, Domino faciente ad mandatum Ecclesiæ & Charissimi amici nostri Romani sancti Angeli Diaconi, Cardinalis, Apostolicæ sedis Legati, & nimium venit humiliter, & deuotè absolutionem suam petens, gratiam, & misericordiam Ecclesiæ & nostram, & non iudicium postulando: promisit autem dicto Legato nomine Ecclesiæ Romanæ & nobis, quod Ecclesiæ, & nobis & hæredibus nostris de cætero erit deuotus & vsque ad mortem fideliter adhærebit, & quod Hæreticos & eorum credentes, fautores, & receptatores, in terra quam ipse & sui tenent & tenebunt semper totis viribus expugnabit, non parcens in hoc proximis, vassallis, consanguineis nec amicis, & terram tandem purgabit ab Hæreticis & Hæretica fœditate, & iuuabit etiam purgare & deffendere terram quam nos tenebimus, & promisit quod iustitiam debitam faciet sine mora de Hæreticis manifestis, & fieri faciet per Bailiuos suos viriliter & potenter. Inquiret etiam diligenter & inquiri faciet de inueniendis Hæreticis, credentibus, fautoribus & receptatoribus eorumdem secundum ordinationem quam super hoc faciet dictus Legatus: & vt facilius & melius Hæretici valeant inueniri, promisit quod soluet vsque ad biennium duas marchas argenti & exinde in perpetuum vnam, & qui Hæreticum ceperit & per Episcopum loci vel alium qui potestatem habeat ille qui captus erit & fuerit de Hæresi condemnatus, ita quod si plures ceperit pro singulis dabit vel dari faciet tantumdem. De aliis non manifestis & credentibus & receptatoribus C

& fautoribus

A & fautoribus hæreticorum seruabit & seruari faciet pacem in terra quam ipse & sui tenebunt & iuuabit seruari in terra quam nos in manu nostra tenebimus & ruptarios expellet & puniet animaduersione condigna & debita & receptarios eorum & Ecclesias, & viros Ecclesiasticos deffendet & deffendi faciet à suis, & iura libertates & immunitates quas habent conseruabit eisdem, & faciet firmiter conseruari: & & ne de cætero in terra ista Claues Ecclesiæ contemnantur, sententias excommunicationis seruabit & à suis seruari faciet per suos.

EXCOMMVNICATOS vitabit vel vitari faciet sicut in sacris constitutionibus continetur. Si aliqui in excommunicatione per annum contumaciter permanserint, ex tum idem Raymundus ad mandatum Ecclesiæ ipsos ad sinum Matris Ecclesiæ redire compellet, occupando omnia bona sua, mobilia & immobilia; & tenebit ea donec ad plenum satisfaciant de causa pro qua fuerunt excommunicationis vinculo innodati, & de damnis datis occasione excommunicationis prædictæ, faciet omnes Bayliuos suos institutos & instituendos in ipsa institutione iurare quod omnia supradicta fideliter obseruabunt, ita quod si negligentes in his reperti fuerint pro modo delicti punientur, & si culpabiles extiterint omnium, puniantur amissione bonorum.

B INSTITVET etiam Bayliuos non Iudæos sed Catholicos in terra, & nullius hæresis suspicione notatos; & tales prohibiti non possunt admitti ad emendum redditus ciuitatum & villarum vel castrorum vel pedagiorum, & si fortè talis ignoranter institutus fuerit, expellet eum & puniet dum super hoc fuerit certificatus.

ITEM promisit idem Raymundus quod omnia bona immobilia, & iura Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum ad præsens restituet, & restitui faciet ad plenum à suis in tota terra quam ipse & sui tenebant, illa videlicet quæ Ecclesiæ vel personæ Ecclesiasticæ tenebant ante primum aduentum Cruce-signatorum, vel de quibus constabit eos spoliatos. De aliis autem stabit iuri coram ordinariis, vel coram dicto Legato vel à sede Apostolica delegatis.

PROMISIT etiam quod ipse soluet imposterum integrè decimas, & solui faciet integrè à suis bona fide, & quod Milites & alij laici non habeant decimas in terra quam ipse & sui tenent & tenebunt, nec permittet eos habere, sed ad Ecclesias iuxta dispositionem ipsius Legati vel Ecclesiæ Romanæ integrè reuertentur: pro damnis vero illatis à se vel à suis, Ecclesiis vel viris Ecclesiasticis super rebus vel destructione Castrorum, vel villarum, vel aliarum rerum, exceptis immobilibus de quibus fieri debet restitutio, sicut superius dictum est; soluet decem millia marcharum argenti assignanda bonis personis idoneis, & fidelibus quos ipse Legatus eliget, vel Ecclesia Romana, quæ quantitatem prædictam de bonorum virorum consilio proportionaliter & fideliter diuident, iuxta quantitatem damnorum, nec poterunt ipse vel ipsi pro damnis mobilum vel destructione domorum vel villarum, sicut expressum est superius; vltra summam illam amplius conueniri.

C ITEM, soluet Abbatiæ Cisterciensi duo millia marcharum argenti vt emantur inde reditus pro refectione Abbatum & fratrum in Capitulo generali. Abbatiæ Clareuallis quingentas marchas ad emendos reditus pro refectione Abbatum & fratrum, qui conueniunt in festo Natiuitatis B. Virginis: Abbatiæ grandis siluæ mille marchas: Abbatiæ Bellæ perticæ trecentas marchas, Abbatiæ Candeli ducentas marchas, ad dicta Monasteria construenda, tam pro damnis eisdem illatis in rebus mobilibus, quam pro salute animæ suæ.

ITEM, sex millia marcharum soluet, quæ retinebunt ad muniendum, infortiandum, & custodiendum Castrum Narbonense, & alia Castra, quæ nos pro Ecclesiæ & nostra securitate tenebimus vsque ad decennium prout inferius continetur, & sicut visum fuerit expedire: supradicta vero viginti millia marcharum soluet hinc ad quatuor annos.

ITEM, quatuor millia marcharum deputabuntur ab ipso Raymundo duobus magistris Theologiæ, duobus Decretistis, sex magistris liberalium artium, & duobus magistris grammaticis regentibus Tholosæ, quæ diuidentur hoc modo: singuli magistrorum Theologiæ habebunt singulis annis quinquaginta marchas, vsque ad decennium, scilicet annuatim vterque magistrorum decretorum habebunt tringinta marchas vsque ad decennium, singuli magistri artium habebunt viginti marchas vsque ad decennium.

ITEM, statim post absolutionem suam assumet pro penitentia Crucem de manu Domini Legati contra Sarracenos, & ibit vltra mare infra biennium, ibidem per quinquennium integrè continuum moraturus, illos autem qui abhæserunt Ecclesiæ, nobis, Patri nostro, Comitibus Monte-fortis & adherentibus eis occasione huiusmodi quod adhæserunt Ecclesiæ, nobis, Patri nostro, Comitibus Montis-fortis & adherentibus eis, non grauabit sed benignè tractabit idem Raymundus eos tanquam amicos, ac si ei contrarij non fuissent, exceptis hæreticis, & credentibus ipsorum: & Ecclesia & nos humiliter faciemus illud idem de illis qui ipsi Raymundo, contra nos & Ecclesiam adhæserunt, exceptis illis qui ad pacem Ecclesiæ & nostram non veniunt cum eodem Raymundo. A

NOS autem attendentes humilitatem eiusdem Raymundi, & sperantes quod in deuotione Ecclesiæ & fidelitate nostra perseueret fideliter, volentes sibi facere gratiam, filiam suam quam nobis tradet, trademus in vxorem vni de fratribus nostris per dispensationem Ecclesiæ, & dimittimus eidem Raymundo totum Episcopatum Tholosanum, excepta terra Marescalli, quam Marescallus tenebit à nobis: post mortem autem eiusdem Raymundi, Tholosa & Episcopatus Tholosanus erit fratris nostris qui habebit filiam suam in vxorem, & filiorum susceptorum ex ipsis duobus: si autem frater noster, quod absit, moreretur sine filiis ex ipsa, Tholosa & Episcopatus Tholosanus reuertentur ad nos & hæredes nostros, & filiæ, vel alij filij, vel filiæ, vel hæredes ipsius Raymundi nihil iuris in ipsis poterunt reclamare: & si ipsa filia sine filiis ex fratre nostro moreretur, Tholosa similiter & Episcopatus Tholosanus ad nos & hæredes nostros reuertentur, ita quod omni casu contingente, ad nos & hæredes nostros Tholosa & Episcopatus Tholosanus reuertentur, & nulli poterunt ibi ius aliquod reclamare, nisi filij, aut filiæ descendentes ex fratre nostro & filia eius sicut est supradictum. B

ITEM dimittimus eidem Raymundo Agennensem & Caturcensem Episcopatus: de Episcopatu Albiensi, dimittimus eidem Raymundo quicquid est de Episcopatu Albiensi citra fluuium de Tara, videlicet ex parte de Gaillac: & ciuitas Albiensis remanebit ex parte nostra, & quicquid est vltra fluuium illum versus Carcassonam in eodem Episcopatu Albiensi, & nos habebimus ripam & aquam ex parte vsque ad medium flumen, & idem Raymundus similiter habeat ripam & aquam ad medium flumen ex parte sua, saluis iuribus & hæreditatibus aliorum, dummodo de iis qui ex parte Raymundi faciant quod debebunt, & similiter ex nostra. Episcopatum Caturcensem dimittimus eidem Raymundo excepta ciuitate Catursensi & feudis & laiis quæ habuit in eodem Episcopatu Rex Philippus auus noster tempore mortis suæ: & si dictus Raymundus sine filiis de legitimo matrimonio procreatis decesserit, tota terra remanebit filiæ suæ, quam habebit frater noster in vxorem & heredibus susceptis ab ea, ita quod dictus Raymundus vt verus Dominus habeat plenum ius & liberum Dominium in supradicta terra quæ dimittitur ei, saluis conditionibus supradictis tam de ciuitate Tholosæ, & Episcopatu Tholosano, quam de terra alia superiùs nominata, vt in morte pias Eleemosynas facere possit; secundum vsum & consuetudines aliorum Baronum Regni Franciæ: supradicta omnia dimittimus ei saluo iure Ecclesiæ & Ecclesiasticorum virorum; sicut superius est expressum. Vnde Viridifolium cum pertinentiis suis & villam de Lasbordes cum pertinentiis suis dimittimus, secundum ordinationem bonæ memoriæ patris nostri Ludouici Regis & Comites Montis-fortis, Episcopo Tholosano & filio O. de Luers, ita tamen quod Episcopus Tholosanus pro Viridifolio faciat Raymundo quod debebat facere Comiti Montis-Fortis, & filius eiusdem faciat quod debebat facere bonæ memoriæ Regi Ludouico patri nostro, donationes aliæ à nobis, vel à patre nostro vel à Comitibus Montis-fortis factæ non teneantur, nec idem Raymundus vel sui ad eas teneantur in terra quæ ipsi Raymundo dimittitur, de omnibus supradictis dictus Raymundus faciet nobis homagium ligium, & fidelitatem secundum consuetudinem Baronum Regni Franciæ. Totam aliam terram quæ est citra Rhodanum in Regno Francorum & omne ius si quid ipsi Raymundo competit vel competere posset in ea præcisè & absolutè quitauit nobis, & hæredibus nostris in perpetuum terram autem quæ est in Imperio vltra Rhodanum & omne ius si quod ipsi Raymundo competit vel competere posset in ea præcisè & absolutè quitauit dicto Legato nomine Ecclesiæ in perpetuum. C

ITEM,

A ITEM, omnes indigenæ qui fayditi fuerunt de terra illa pro Ecclesia, pro patre nostro, & Comitibus Montis-Fortis & adhærentibus eis, vel propria voluntate recesserunt ab eadem terra, nisi inueniantur hæretici ab Ecclesia condemnati, integrè restituantur in statum pristinum quo-ad hæreditates & possessiones, propter illa, si qua ex causa donationis à Patre nostro vel à nobis vel à Comitibus Montis-Fortis habuerunt. Si vero aliqui hominum qui remanebunt in terra quæ dimittitur Raymundo, noluerint redire ad mandatum Ecclesiæ & nostrum, specialiter Comes Fuxensis & alij, idem Raymundus faciet eis viuam guerram, nec pacem cum ipsis faciet vel trugas, sine assensu Ecclesiæ, & nostro, & si terræ eorum occupabuntur remanebunt eidem Raymundo destructis tamen prius omnibus munitionibus & fortalitiis, muris & fossatis nisi vel pro securitate Ecclesiæ & nostra voluerimus ea retinere vsque ad decennium post acquisitionem, & tunc cum reditibus & prouentibus ipsorum Castrorum retinebimus ipsa.

ITEM idem Raymundus faciet dirui muros ciuitatis Tholosæ omnino & fossata impleri iuxta mandatum, voluntatem & ordinationem Legati.

ITEM diruentur funditus, & replebuntur fossata, triginta villarum, & Castrorum per ipsum Raymundum videlicet de Fano Iouis, de Castronouo, de la Bessa-
B da, de Auinioneto, de Podio Laurentij, de sancto Paulo, de Vauro, de Rabastentiis, de Gaillaco, de Monte-Acuto, de Podio celsis, de Verduno, de Castro Sarraceno, de Moyssaco, de Monte-Albano, de Monte-Acuto, de Agenno, de Condomio, de Sauerduno, de Alta-Ripa, de Cassanolio, de Pugeolis, de Alta-Villar, de Villa Petrutij, de Layrac, & de quinque aliis ad voluntatem ipsius Legati, nec poterunt reædificari sine voluntate Ecclesiæ, & nostra, nec alibi fient nouæ fortiæ. Villas tamen non infortiatas bene poterit facere idem Raymundus si voluerit in terra quæ dimittitur ei: si vero aliqua Villarum vel Castrorum quæ debent dirui vt dictum est, essent hominum suorum & nollent quod diruerentur, idem Raymundus faciet eis viuam guerram, nec pacem vel treugas sine assensu Ecclesiæ & nostro cum eis faciet donec diruantur muri & impleantur fossata omnia supradicta. Promisit & iurauit nobis & dicto Legato præfactus Raymundus se firmiter, & perpetuò seruaturum bona fide & sine fraude & malo ingenio, & quod faciet bona fide ab hominibus & vasallis & fidelibus suis firmiter obseruari: faciet etiam illud idem iurare omnes ciues Tholosanos & alios homines terræ, quæ dimittitur ei, & addet iuramento illorum quod ipsi dabunt operam efficacem, quod ipse Raymundus seruet ea, & si idem Raymundus venit contrà prædicta vel aliquod prædictorum, ipso facto de voluntate eius sint absoluti, & ex nunc ipso eos absoluit à fidelitate & homagio & omni alia obligatione quibus ipsi tenentur ei, & abhærebunt Ecclesiæ & nobis contra ipsum nisi infra quadraginta dies postquam fuerit moni-
C tus hoc emendauerit vel iuri steterit coram Ecclesia, de iis quæ ad Ecclesiam pertinent, & iuri coram Rege de his quæ ad Regem pertinent, & tota terra ipsa quæ dimittitur ei incidet in commissum Regis, & erit idem Raymundus in eo statu in quo nunc est quo ad Regem, & quo ad excommunicationem, & omnia alia, quæ fuerunt statuta contra ipsum, & patrem suum in Concilio generali vel postea. Addetur etiam in iuramento ipsorum quod iurabunt Ecclesiam contrà hæreticos, credentes, fautores & receptatores eorum & contra omnes alios qui occasione hæresis vel contemptus excommunicationis Ecclesiæ contrarij existerent in terra quæ dimittitur eis, & in terris aliis supradictis, & Regem iuuabunt contrà omnes & eis facient viuam guerram donec ad mandatum Ecclesiæ reuertantur & Regis; renouabuntur autem prædicta iuramenta de quinquennio ad quinquennium ad mandatum Regis.

VT autem omnia supradicta adimpleantur & Ecclesiæ, & nobis plenius & melius obseruentur, tradet pro securitate Ecclesiæ & nostra in manibus nostris Castrum Narbonense quod tenebimus vsque ad decennium, muniemus, & infortiabimus si visum fuerit expedire.

ITEM, tradet nobis pro securitate Ecclesiæ & nostra manibus nostris caput Castri Vauri, Castrum de Monte-Acuto, Penam de Agenesio Rupeperusij, Castrum de Cordis, Castrum de Verduno, Castrum de Villo-Muri & vsque ad decennium tenebimus ea, ita quod primis quinque annis soluet idem Raymundus nobis pro expensis custodiæ; quolibet anno mille quingentas libras Turonenses non computatis

in iis sex millibus marcharum supradictis: in aliis quinque annis si voluerimus tenere faciemus expensis propriis custodiri; nos tamen poterimus si placuerit Ecclesiæ & nobis, diruere quatuor Castra de prædictis videlicet Castrum Vauri, caput Castri noui, de Ville-Muro, & Verdunum, & propter hoc non diminuetur prædicta summa mille & quingentarum librarum Turonensium reditus & prouentus Castrorum, & omnia quæ iure Dominij percipiuntur erunt Raymundo, & nos ad sumptus nostros tenebimus capita ipsorum Castrorum & Corduam, & dictus Raymundus habebit ibi Bayliuos suos non suspectos Ecclesiæ, & nobis, qui faciant iustitiam hominibus & recipiant reditus & prouentus prædictos. Post decennium autem restituemus dicta capita Castrorum & Corduam dicto Raymundo libere, saluis conditionibus supradictis: & si prædicta omnia quantum ad Ecclesiam & nos fuerint obseruata, Penam autem de Albigesio tradet nobis infra Kalendas Augusti proximas cum aliis Castris detinendam à nobis vsque ad decennium: si vero illam non poterit habere vsque ad terminum illum tunc obsideri faciet, & viuam guerram fieri tandiu quousque eam habeat, nec pacem, nec treugam cum ipso faciet qui tenet eam vel tenebit, donec ipsam habeat; non tamen propter hoc retardetur à peregrinatione transmarina de qua superiùs est ordinatum, & si vsque ad annum integrum post ipsas Kalendas Augusti tradiderit nobis prædictam Penam de Albigesio, erit in conditione supradictorum Castrorum scilicet quod reddemus ei quando reddemus alia Castra: si vero post annum prædictum ipsam Penam de Albigesio non poterit assignare, ex tunc eam tradet Templariis vel Hospitalariis siue aliis religiosis in Eleemosynam perpetuo, saluis hæreditatibus eorum qui se tenent ex parte nostra possidendam ad voluntatem Legati vel Ecclesiæ Romanæ, tali conditione quod ipsi non alienent ipsam de manu sua; nec de ea faciant guerram dicto Raymundo nisi de mandato Ecclesiæ. Et si non poterunt aliqui Religiosi inueniri qui velint eam habere, diruatur omnino nec possit reædificari sine voluntate Ecclesia Romanæ & nostra, & ipsius Raymundi. Item donec dictam Penam de Albigesio tradet nobis vel Templariis vel Hospitalariis vel aliis Religiosis sicut dictum est, tenebimus propter hoc obligatam Penam de Agenesio & Castrum Narbonense. Et si etiam infra duennium det Penam de Albigesio Templariis vel Hospitalariis, vel aliis Religiosis vt dictum est, tanto tempore post decennium sumptibus nostris tenebimus si voluerimus illa duo Castra prænominata, quanto tempore distulerit tradere Penam. Et si post decennium Penam de Albigesio non esset acquisita, tamdiu post tempus memoratum tenebimus post decennium illa duo Castra, quousque ipsa esset restituta, & esset assignata, sicut superius est expressum.

Et nos absoluimus quantum ad nos pertinet ciues Tholosanos & alios homines terræ quam ipsi Raymundo dimittimus, à iuramento & aliis obligationibus factis nobis, & Patri nostro & Comitibus Montis-Fortis, vel aliis pro eis à pœna & incursibus, quibus nobis, vel Patri nostro, vel Episcopo Tholosano vel aliis Prælatis, vel aliis Comitibus Montis-Fortis se obligauerant, si vnquam in Dominum ipsius Raymundi vel patri eius reuerterentur, saluis in omnibus & per omnia conditionibus supradictis. Vt autem prædicta omnia rata maneant, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate & Regij nominis caractere inferius annotato fecimus communiri. Actum Parisiis anno Domini 1228. mense Aprilis, regni vero nostri anno tertio; astantibus in Palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa, Dapifero nullo, signum Roberti Buticularij, signum Bartholomæi Camerarij, signum Mathæi Constabularij, datum vacante cancellaria.

Lvdovicvs *Dei gratiâ Francorum Rex, vniuersis ad quos præsentes litteræ peruenerint salutem.* Noverit vniuersitas vestra quod Raymundus filius quondam Raymundi Comitis Tholosani remansit in prisione nostra Parisiis apud Luparam ad petitionem suam & de propria ipsius voluntate pro pleniori Ecclesiæ securitate & nostra, donec idem Raymundus filiam suam in potestate nostra apud Carcassonam nunciis nostris tradiderit, & quinque Castra videlicet Castrum Narbonense, Penam in Agenensi Rupem paruæ, Cordam & Verdunum nostris similiter nunciis assignauerit, ita quod cum filiam suam & dicta Castra sicut præmissum est tradiderit & de hoc nobis & Romano sancti Angeli Diacono, Cardinali, Apostolicæ sedis Legato constiterit, idem Raymundus liberè reuertetur, & cum eo reuertentur Claudius de Cauaillone, Raymundus de Castro-nouo, Bertrandus Descalquens, Pontius

A Pontius Ortolanus; A. Barraux. Raymundus Isarnus. B. de Villa-noua, Petrus de Tholosa; Mauran R. filius Ægidij Hugonis de Alfario & filius Hugonis Ioannis, qui ad maiorem securitatem Ecclesiæ & nostra remanserant obsides cum eodem penes nos, in ostagio remanebunt donec nobis & eidem Legato constiterit, quod de muris Tholosanis dirutum sit vsque ad quingentas Taysias raptales in parte illa videlicet quæ circuit Castrum Narbonense. Ita quod ad ipsum Castrum liber pateat accessus & repleta sint ibem ad plenum fossata. Quod cum factum fuerit & de hoc nobis dicto Legato constiterit, iidem obsides libere reuertantur. In cuius rei testimonium sigillum nostrum præsentibus literis duximus apponendum. Actum Parisius anno Domini 1228. mense Aprili.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Francorum Rex, vniuersis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino.* NOVERIT vniuersitas vestra quod cum Raymundus filius quondam Raymundi Comitis Tholosani venit ad mandatum Ecclesiæ atque nostrum, nos ipsius homagium sub conditione recepimus: videlicet si ipse omnia seruaret quæ instrumento pacis factæ inter Ecclesiam, nos & ipsum continentur. Si autem prædictus Raymundus dicta omnia quantum ad nos & Ecclesiam non seruaret, vel in B aliquo contraueniret, nos ipsum ex tunc de voluntate sua in eo statu reponimus in quo fuit antequam homagium reciperemus ipsius, & ipso facto ex tunc in eo statu omnimodo erit quoad nos & regnum nostrum in quo tunc fuit, ita quod pro nullo habeatur homagium præstitum, & nos & nostri facere possemus currere contrà eum & occupare terram quam per pacem dimisimus ei. Noueritis etiam quod nos Castra ipsius quæ vsque ad decennium tenere debemus, tenebimus per memoratum spatium pro Ecclesiæ securitate & nostra: Ita quod si dictus Raymundus conuentiones quas habet erga Ecclesiam non seruaret & læderet vel damnificaret eandem, infra decem annos quibus Castra tenebimus antedicta, si ipse infrà quadraginta dies emendare noluerit, & tunc nos infra duos menses emendare faciemus; Quod si prædicta Castra omnia, Ecclesia ea habere voluerit, trademus Ecclesiæ tenenda, ita quod fructus eorumdem Castrorum interim percipiet donec sit satisfactum eidem. Et cum fuerit satisfactum Castra nobis restituet memorata, nec illa Castra vel aliquod ex ipsis dicto Raymundo tradet, vel alicui qui nostrûm esset vel regni Francorum inimicus. Et si fortè vellet Ecclesia ipsa Castra retinere vel à nobis recipere, nos ipsa tenebimus donec sit ipsi Ecclesiæ plenariè satisfactum. Si vero post decennium contra Ecclesiam idem Raymundus de terra illa quæ incidet in comissum nostrum cum veniet ad manus nostras, restituemus Ecclesiis possessiones & libertates, & iura rerum immobilium quæ in terra illa dictus Raymundus Ecclesiis abstulisset, seu etiam ipsa Ecclesia amisisset. Vt autem præmissa omnia rata & inconcussa permaneant, præsentes literas sigilli nostri munimine fecimus roborari: Actum C Parisius, anno Domini 1228. mense Aprili.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Francorum Rex, vniuersis ciuibus Narbonæ, & aliis fidelibus suis Narbonensem Diœcesim constitutis, salutem & dilectionem.* Cupientes imprimis ætatis & regni nostri primordiis illi seruire, à quo regnum recognoscimus & id quod sumus, desideramus ad honorem ipsius qui nobis culmen dedit honoris, quod Ecclesia Dei, quæ in partibus vestris longo tempore fuit afflicta, & tribulationibus innumeris conquassata, in nostro Domino honoretur, & feliciter gubernetur. Vnde de magnorum & prudentium consilio statuimus, quod Ecclesiæ & viri Ecclesiastici in terris constituti prædictis, libertatibus & immunitationibus vtantur, quibus vtitur Ecclesia Gallicana, & eis planè gaudeant secundum consuetudinem Ecclesiæ memoratæ. Et quia hæretici longo tempore virus suum in vestris partibus effuderunt, Ecclesiam matrem nostram multipliciter maculantes: ad ipsorum extirpationem statuimus; quod hæretici qui à fide Catholica deuiant, quocunque nomine censeantur, postquam fuerint de hæresi per Episcopum loci, vel per aliam Ecclesiasticam personam, quæ potestatem habeant condemnandi, indilatè animaduersione debita puniantur. Ordinantes etiam & firmiter decernentes, ne quis hæreticos receptare vel defensare quomodolibet aut ipsis fauere aut credere quoquomodo præsumat. Et si aliquis contra prædicta facere præsumpserit, nec ad testimonium, nec ad honorem aliquem de cætero admittatur, nec possit habere testimonium nec successionem alicuius hæreditatis habere, ipsius mobilia & immobilia quæ sunt ipso facto publicata decernimus ad ipsum vel ad potestatem

ipsius vlterius nullatenus reuersura. Statuimus etiam & mandamus; vt Barones terræ & Bayliui nostri, & alij subditi nostri præsentes & futuri solliciti sint & intenti terram purgare hæreticis & hæretica fœditate: Præcipientes quod prædicti diligenter inuestigare studeant & fideliter inuenire, & cum eos inuenerint, præsentent sine moræ dispendio personis Ecclesiasticis superius memoratis, vt eis præsentibus, de errore & hæresi condemnatis, omni odio, prece, precio, timore, gratiâ & amore postpositis, de ipsis festinare. Faciant, quod debebunt. Verùm quia honorandi sunt, & muneribus prouocandi, qui ad inueniendum & capiendum hæreticos sollicitè diligentiam suam exerceant. Statuimus & volumus & mandamus, vt Bayliui nostri, in quorum Bayliuiis capti fuerint hæretici, pro quolibet hæretico, postquam fuerit de hæresi condamnatus vsque ad biennium soluant duas mercas integrè capienti, post biennium autem vnam. Sanè quia ruptarij solent deuastare ac demoliri terram prædictam, & quietem Ecclesiæ & Ecclesiasticorum virorum turbare, statuimus vt omninò ruptariis ipsis expulsis, pax perpetuò seruetur in terra; ad quam seruandam dent omnes operam efficacem. Ad hæc quia claues Ecclesiæ consueuerunt in terra illa contemni, statuimus vt excommunicati vitentur secundum Canonicas sanctiones; & si aliqui per annum contumaciter in excommunicatione perstiterint, ex tunc temporaliter compellantur redire ad Ecclesiasticam vnitatem; vt quos à malo non retrahit timor Dei, saltem pœna temporalis compellat. Vnde præcipimus, quod Bayliui nostri omnia bona talium excommunicatorum, & imobilia post annum capiant, nec eis aliquomodo restituant, donec prædicti absoluti fuerint, & Ecclesiæ satisfactum, nec tunc etiam nisi de nostro speciali mandato. Decimæ sanè quibus fuit Ecclesia longo tempore per malitiam inhabitantium defraudata, statuimus & ordinamus, quod restituantur Ecclesiis, & amplius Laici decimas non detineant, sed eas Ecclesias liberè habere permittant. Hæc statuta inuiolabiliter seruari iubemus, mandantes quod Barones & Vasalli, & bonæ villæ iurent ista seruare Bayliuis ad hoc executoribus deputatis, qui infra mensem postquam fuerint in Bayliuiis constituti, publicè & in loco publico, & die solemni iurent, quod hæc seruabunt, & facient ab omnibus bona fide seruari: Quod nisi fecerint, pœnam bonorum omnium & corporis poterunt formidare. Noueritis etiam quod ista statuta, sic volumus obseruari, quod etiam, & quando frater noster terram ipsam tenebit, iurabit hoc seruare, & quod faciet à suis fidelibus obseruari. Vt autem hæc statuta firma & inconcussa permaneant, ea sigilli nostri munimine fecimus communire. Actum Paris. anno gratiæ millesimo ducentesimo vicesimo octauo, mense Aprilis. Nos itaque Aymericus Dei gratiâ Vice-comes Narbonæ per nos & successores nostros, terram nostram de voluntate & expresso mandato & auctoritate D. Matthæi de Rachino tenentis vices Domini Regis Francorum in partibus Albigesij, qui ex parte Domini Regis mandauit omnia prædicta iurari, & firmiter obseruari hæc omnia prædicta & singula, sicut in prædictis litteris D. Ludouici Illustris Regis Francorum continentur; visis etiam & perlectis, atque plenariè intellectis iisdem literis in manu Domini Petri de Collo medio gerentis vices Domini Romani Apostolicæ sedis Legati, præsente etiam Domino Petro Dei gratiâ Archiepiscopo Narbonæ & capitulo suo promittimus bona fide nos obseruaturos in perpetuum & nullatenus vnquam contrauenturos; tactis sacrosanctis Euangeliis, gratis & bona fide iuramus, & nos Consules & milites & probi homines ciuitatis & Burgi Narbonæ, pro nobis & vniuersitate nostra & milites Narbonenses de mandato & voluntate eorumdem supradictorum, hæc omnia prædicta & singula, sicut in prædictis litteris Domini Regis Francorum continentur; visis etiam iisdem litteris & perlectis, atque plenariè intellectis nos obseruaturos in perpetuum, & nullatenus vnquam contrauenturos, tactis corporaliter sacrosanctis Euangeliis iuramus teneri, sicut nonnulli Consules, milites & probi homines prædicti qui iurauerunt, Bernadus de latis, &c.

RAYMVNDI

A

RAYMVNDI COMITIS THOLOSÆ, ET LEGATI Papæ statuta post eorum tractatum pacis, contra Hæreticos super ordinatione Clericorum, super Simoniacis, super Clericis, ordinibus, & beneficiis, super Canonicis & Religiosis, super excommunicatis, super Iudæis, & vsuris, super testamentis, super iuramentis, super confitentibus in Ecclesia, super excommunicandis, super taliis & pedagiis, super excommunicatione, super ordinatis Clericis, super anno Bissextili, super Hæreticis & aliis capitibus contra excommunicatos, malefactores, pedagia, & aliis capitibus.

QVIA statuta salubria per Dominum Romanum Apostolicæ sedis Legatum, & cæteros Legatos super negotio fidei & pacis, autoritate Apostolica diuersis temporibus edita sufficere credimus, verumtamen firmiter obseruata, quæ ibi fuerint duximus subscribenda, ad præsens non intendimus omnino super his nouos canones edere, sed vt eorum transgressores canonicè puniantur.

B

PRÆCIPIMVS itaque, vt Hæretici & eorum credentes, fautores, receptatores & defensores singulis diebus Dominicis excommunicentur, & si quis prædictorum credentium, fautorum, receptatorum & defensorum personaliter monitus & excommunicatus nominatim, infra quadraginta dies resipiscere noluerit, sed in eorum deffensione perstiterit, vel inquisitionem eorumdem impedierit pro Hæretico habeatur, cum perseuerentia & deffensio erroris in talibus faciant hominem Hæreticum iudicari.

PRÆCIPIMVS etiam vt quilibet etiam priuatus in terra cuiuslibet possit inquirere & capere Hæreticum: & captum necesse habeat sine mora Episcopo, Officiali, vel Baiulo ipsius Episcopi præsentare: nec ipsum præsumat aliquis impedire, sed in captione quilibet Christianus præstet ei auxilium & fauorem.

INTELLEXIMVS quòd quidam credentes vel fautores Hæreticorum seu deffensores pro maiori summa emunt bayliuias à Domino, vt in balliis eorum bayliuorum Hæretici liberè valeant egredi vel ingredi, & impunè fidem Catholicam violare: quare districtim inhibemus, ne talia à Dominis de cætero attententur: quod si attentauerint, & moniti ab Episcopo non emandauerint, cum nota infamiæ quam se nouerint incurrisse excommunicationis gladio feriantur.

ITEM reconciliati de hæresi qui duas cruces prominentes ad mandatum Episcopi portare noluerint pro Hæreticis habeantur, & eorum bona confiscentur.

C

ITEM cum singuli Parrochiani in diebus festis venire ad Ecclesiam teneantur sub pæna in Tholosano concilio promulgata; necesse est vt sacerdotes erga omnes suspectos de hæresi quos per scripturam ex nomine nosse debent, diligentiam ad hibeant; vt illi Ecclesiam frequentent statutis diebus & absque remedio pænam luent & in vita & in morte, statuta contra huiusmodi promulgata, vt pupillam oculi conseruent. Quod si sacerdos eorum transgressor fuerit deprehensus, ab officio & beneficio suspendatur, priuatus eodem si competenter monitus negligens fuerit & remissus: quòd si sacerdos se insufficientem cognouerit ad exequendum quod de Hæreticis est statutum, Episcopo suo denunciet quidquid inquirere poterit, vt ita se à culpa liberet & à pæna, Dominus autem requirat de manibus ipsorum sanguinem pereuntium si eis non adhibuerint vigilantiam pastoralem.

ITEM, quia penitus indigni ad dignitatem sacrorum ordinum contra Canonicas sanctiones in partibus huius legationis hactenus sunt admissi, præcipimus vt quilibet ordinandus examinetur de vita, scientia & moribus diligenter & sine titulo patrimoniali, centum solidorum Turonensium ad minus Ecclesiastico viro competenti, sicut in iure cautum est: ordinandus de cætero nullatenus admittatur, qui & ad primam tonsuram non est admittendus, nisi sciret legere, & nisi de libero vtero & legitimo matrimonio procreatus iuxta illud deuteronomij, non intrabit Manzer, hoc est de Scorto natus, in Ecclesiam Dei: statuimus & firmiter præcipimus mandantes vt nullus etiam ad primam tonsuram de cætero admittatur nisi sciat legere

&c cantare, & sit de libero vtero, & de legitimo matrimonio procreatus, nisi ex contubernio dispensatum. A

Ad abolendum & simoniæ corruptelam, quæ in his partibus inoleuit, super eo videlicet, quod Episcopi Clericos ad sacros ordines promouendos nolunt aliquatenus promouere nisi præstito iuramento vel alia cautione quod ratione tituli patrimonialis vel alterius minus idonei ipsorum vel eorum non impetant successores, districtius inhibemus ne talia præsumant de cætero attentare, quod si fecerint à celebratione ordinum nouerint se suspensos, quia satius est in ordine sacerdotij paucos quam multos malos haberi ministros, sicut est in Lateranensi Concilio constitutum.

Item præcipimus vt tam Episcopi quàm alij tales præficiant in Archidiaconos qui zelum animarum habentes sufficiant prædicare Clero & populo verbum Dei.

Legantur constitutiones contra iniustè excommunicantes sacro approbante Concilio, & sub interminatione diuini iudicij, quia sicut scribit nobis Dominus in prouerbiis, vbi non est gubernator populus corruet, & Ecclesia sine rectore in temporalibus & spiritualibus, vnde omnibus Religiosis, Capellanis & aliis personis quæ tenent Parrochiales Ecclesias ad eorum donationem spectantes, auctoritate qua fungimur districtè præcipimus quatenus vsque ad natiuitatem Domini proximè venturam suis Diocesanis Episcopis, rectores seu perpetuos Vicarios idoneos vita & scientia ad easdem Ecclesias repræsentent, vt ab eis curam recipiant animarum: congrua tamen prius ipsisque sibi & suis sufficiat assignata de ipsarum prouentibus portio, iuxta Canonum sanctiones, quam portionem debeat & possit Diocesanus Episcopus merito approbare: quod si fortè infra præscriptum tempus mandatum nostrum executioni distulerint demandare: Diocesanis Episcopis in virtute obedientiæ præcipimus, vt id sine dilatione vice nostra fideliter exequantur, contradictores, &c. Si ipsi Episcopi id efficere neglexerint à nobis in præsenti, & à Domino in futuro de graui inobedientia puniantur: si vero Episcopi tales Ecclesias habeant, & infra prædictum tempus perpetuos Vicarios non instituerint, in eisdem donationi nostræ dictas Ecclesias reseruamus. B

Quicunque curam habent animarum ad ordinem sacerdotij promoueantur infra annum, nisi sint Archidiaconi, nisi citius possint commode promoueri, & qui ordines congruo tempore recipere contempserint ad hoc per substractionem beneficij compellantur, vt qui ordinem refugerint appetere inuitentur questu. Quod si Parrochialis Ecclesia præbendæ vel dignitati sit annexa, necesse habet is quem oportet in maiori Ecclesia deseruire Vicarium perpetuum & idoneum in Parrochiali, Episcopo præsentare, qui congruam habeat de Parrochiali Ecclesia portionem: quod si facere neglexerint, elapsis sex mensibus institutione dictæ Ecclesiæ ea nouerit se priuatum. Volumus igitur & districtè præcipimus vt quælibet Parrochialis Ecclesia proprium habeat & perpetuum sacerdotem qui personaliter deseruiat in eadem, ita vt quod vnica persona, vnica Parrochiali Ecclesia sit contenta, statutum Concilij recolens, quo cauetur, vt quicumque receperit beneficium habens curam animarum, vel residentiam annexam, si prius tale beneficium obtinebit, eo sit ipso iure priuatus, & si forte illud retinere contenderit, etiam alio spolietur, quare donationes beneficiorum sic vacantium donationi nostræ specialiter reseruamus. C

Circa Clericos vero sæculares præcipimus obseruari constitutiones de vita & honestate Clericorum editas in Concilio generali, quæ sic incipiunt. De Clericorum crapula: dicimus, & districtius inhibemus; ne aliqui Clerici qui volunt gaudere priuilegio Clericali cultellos acutos, enses, vel lanceas deferre præsumant, vel arma impugnationis quibus vis infertur, nisi fortè timore guerræ.

Inhibemus ne aliqui sæculares Canonici stallum in Choro, vel vocem habeant in Capitulo nisi forte fuerint in sacris ordinibus constituti, nisi ex caussa cum eis ab Episcopo fuerit dispensatum. Tria sunt de substantia Regularis professionis, scilicet abdicatio proprietatis, continentia carnis, obedientia Regularis. In his tribus obseruandis per quas conseruatur ordo & disciplina Regularis, tam Monachi quam Canonici Regulares & Moniales, in silentio, parcitate, professione facienda, infirmaria, Eleemosyna, Hospitalitate & aliis suam magistram sequantur

regulam,

A regulam secundum quam se viuere sunt professi & sine cuius obseruatione non sunt in statu vel ordine saluandorum. Verum quia de proprietate, & veste prædictorum graue scandalum est in Clero & populo, breuiter tangimus quæ de proprio à Domino Papa Innocentio sunt statuta. Prohibemus districtè & in virtute obedientiæ sub ostentatione diuini iudicij, ne quis Religiosorum proprium possideat aliquo modo de cætero; sed si quis habeat aliquid proprium, totum incontinenti resignet. Si verò post hæc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari monitione præmissa de Monasterio expellatur, nec recipiatur vlterius, nisi pæniteat secundum Monasticam disciplinam: quod si proprietas apud quemquam inuenta fuerit in morte, ipse in signum perditionis cum ea secundum statuta beati Gregorij extra Monasterium in sterquilinio subterretur. Nec æstimet Abbas vel aliquis superior quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho vel regulari Canonico dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est annexa regulæ Monachali, vt contra eam nec summus Pontifex possit indulgere licentiam: imo tales in præcipuis festiuitatibus excommunicationis vinculo innodentur. Quod si Abbates vel alij superiores in his corrigendis negligentes extiterint, correctio ad Episcopos deuoluatur. Abbatibus nihilominus de negligentia puniendis: Abbates etiam & Monachi secundum regulam beati Benedicti vestes habeant,
B de quorum colore aut grossitudine non causentur, sed quales inueniri possunt in Prouincia qua habitant, aut quæ possunt vilius comparari.

Canonicis etiam regularibus prohibemus ne sit eorum habitus notabilis, nec affectent vestibus placere sed moribus, sed secundum statuta Concilij Aueniouensis & Montis-pessulani, capis, tunicis, paliis, caligis, de aliqua bruneta etiam vel nigra: vel etiam stanio forti, vel cameloto vel aliquo alio colorato panno: sed sumptuoso, vel aliquo serico, de cætero non vtantur, ne sordes animas contrahat pretiosæ vestis munus appetitus: nec accipiant Monachi seu alij regulares à suo maiore, vel aliquo alio, aliquam pro vestibus pecuniæ quantitatem: qua ex hoc datur eis materia proprium retinendi: sed omnes tam maiores quàm minores de eodem vestiario vestiantur. Claustrum quoque diligenter obseruetur & claudatur vt re & nomine Claustrum meritò valeat appellari. Nec mulieres vel etiam Laici Claustrum vel officinas Monasterij intromaneant, nisi causa exequiarum; & in processionibus solemnibus vbi hoc fieri consueuit, vel necessitate alia euidenti; illud etiam expressiùs duximus statuendum quod omnes regulares infra Monasterium ad mensam suam audiant lectionem.

Item, præcipimus quod in Claustris Regularium singulis diebus Capitulum teneant, vbi super factum excessibus fiat clamatio & correctio Regularis; & in conuentualibus Ecclesiis & præcipuis festiuitatibus fiat sermo: omnes etiam qui non habent officium speciale, vel necessitatem aliam ab hora Capituli vsque ad
C tertiam in Claustro sedeant, respicientes quæ in Ecclesia legenda sunt, vel cantanda, neque exeant vel vagentur sine sui maioris licentia speciali.

Item, Consulimns vt mandatum pauperum, saltem in hebdomada semel fiat, sicut in Monasteriis ordinatis fieri quotidie consueuit.

Qvia vero cæcitas ignorantiæ in partibus istis nimium præualuit, statuimus vt singulis Monasteriis Conuentualibus Abbates & Priores & præpositi Conuentuales secum infra septa Monasterij teneant Magistrum ex suis, vel alium Clericum sæcularem, qui iuniores & alios indoctos in Grammatica sufficiat edocere.

Qvidam etiam vt intelleximus se & sua conferunt Monasteriis sub spe, vt ipsis postmodum Ecclesiastica beneficia conferantur, quod omnino damnabile propter maculam simoniæ, & tales beneficio priuandos decernimus, quod perperam sunt adepti; taliter vero beneficia conferentes illa vice donandi potestate priuentur, vt ad Diocesanum Episcopum donatio deuoluatur, nec ipsi tales recipiant ad curam animarum; neque Abbas, neque Prior, neque Monachus alterius Monasterij teneat Prioratum, nisi per electionem Canonicam ad Conuentualem Prioratum in quo professus non fuit conuocatus.

De his quæ vidimus & audiuimus testimonium perhibemus; scilicet quod quidam Monachi, & maxime exempti intra fines nostræ legationis, occasione cuiusdam libertatis infra ambitum Monasterij certis temporibus anni vendere faciunt vina sua, & pro modico quæstu introducunt, vel introduci permittunt personas

turpes, inhonestas, videlicet joculatores. Histriones, talorum lusores, & publicas meretrices, quod ne de cætero vsquam fiat ab aliquibus exemptis personis vel aliis arctius prohibemus: quod si eiusmodi personas inhonestas introduxerint, vel lusores talorum, vel & joculatores in domum Domini introduci permiserint, illi qui Monasterij exteriora officia administrant, ab ingressu Ecclesiæ nouerint se suspensos, maximè cum libertate sua liberè vti possit absque abusu & introductione talium personarum. A

Districtivs quoque mandamus quòd in nulla Ecclesia Laïci recipiantur in donatos ad præbendam panis & vini, de quorum turpi conuersatione scandalum generetur; & si qui tales recepti inuenti fuerint fornicatores, adulteri & alij criminosi, post monitionem competentem nisi excessus correxerint priuentur beneficiis memoratis.

Gregorivs, &c. Episcopo Tornacensi, quia parum est promulgari statuta nisi ad obseruationem eorum arctentur improuidi transgressores; cum sit cautum, vt nullus Monachus solus in Prioratu existat, sed tres vel quatuor commorentur; fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus id in terris tuæ legationi commissis facias firmiter obseruare, contradictores, &c. B

Hvivs igitur autoritate mandati præcipimus, vt nullus Monachus in aliquo Prioratu sit solus, sed tres vel quatuor ibi commorentur. Nolumus autem vt pueri Monachi sint de illis tribus vel quatuor Monachis qui debent in Prioratibus commorari, sed in Claustro mittantur, & disciplinis regularibus instruantur.

Præcipimvs & mandamus vt omnes à quatuordecimo anno & supra ad pacem seruandam & custodiendam compellantur de nouo iurare, Archiepiscopis, Episcopis & aliis Prælatis iniungentes expresse, vt si ibi expediens fuerit violatores & fractores pacis & raptores & conspiratores in singulis diebus Dominicis festiuis excommunicari faciant publicè in Ecclesia extinctis candelis & pulsatis Campanis: & in Conciliis Prouincialibus & Synodis suis hæc & alia statuta salubria quæ ad reformationem istius terræ pertinere noscuntur legi faciant & exponi frequenter.

Felicis recordationis Ludouicus Rex Francorum attendens, quanta pertinacia Laïci Prouinciæ Narbonæ; & quarumdam partium adiacentium in præiudicium animarum sententiam contempserint excommunicationis, contra huiusmodi pertinaciam olim apud Apamiam constitutus, de consilio Domini Romani sancti Angeli Diaconi Cardinalis tunc Apostolicæ sedis Legati, omnium & Prælatorum, & Baronum de Francia qui præsentes fuerant pro Ecclesiastica libertate constituerunt, vt quicumque post legitimam admonitionem se excommunicari permiserit in nouem libris & vnum denarium Melgonensem puniatur: si vero per annum contumaciter in excommunicationis sententia permanserit, bona eius cadant omnia in commissum: quam constitutionem nos P. Archiepiscopus Narbonensis de consilio fratrum & suffraganeorum nostrorum & approbatione totius Prouincialis Concilij mandamus, statuimus atque præcipimus de cætero in Prouincia Narbonensi ab omnibus inuiolabiliter obseruari, sicut à Prælatis obseruatur: Ita videlicet quod si fortè excommunicatus in prædicta summa nequiuerit minori vel alias secundum prouidentiam sui Episcopi puniatur. Si autem vniuersitas culpa sua fuerit interdicta, pœna puniatur eadem, si vero pro culpa Domini, ipse Dominus pœna simili puniatur. C

Item quoniam Iudæi vsurariis exactionibus plurimum opprimunt Christianos, cum à Domino generaliter prohibeantur vsuræ, Synodali Concilio duximus prouidendum ne Iudæi à Christianis immoderatas aliquatenus vsuras accipiant; quod si fecerint eas restituere ab Ecclesia compellantur, videlicet pro excommunicatione in Christianos qui cum eis in commerciis & aliis participationem habebunt nec in domibus suis habeant Christiana mancipia, vel nutrices, nec carnibus publicè vescantur, nec vendant eas in diebus quibus abstinent Christiani, nec in Baiulis, vel aliquibus officiis præesse Christianis permittantur: Carnes, & quas ipsi faciunt priuatim tantum in domibus suis vendant, & non in Christianorum macellis. Ad hoc vt Iudæi à Christianis possint discerni, statuimus & districtè præcipimus, vt in medio pectoris portent signum rotæ, cuius circulus sit latitudinis vnius digiti, altitudinis vero vnius Palmi dimidij de Cana. Nihilominus

inhibemus

A inhibemus eisdem diebus Dominicis & festiuis publicè operari, & ne Christianos scandalisent aut scandalisentur ab eis, volumus, & mandamus, & in septimanà sancta nullatenus, nisi in causa necessitatis exerceant domos suas, & Prælati semper eos faciant à Christianorum vexationibus custodiri, maximè in septimana prædicta. Statuimus etiam vt Iudæi singulis annis in festo Dominicæ Resurrectionis quinque denarios Melgorensis monetæ per singulas familias pro oblationibus Ecclesiæ Parrochiali persoluant.

ITEM quia vltima voluntas defuncti debet inuiolabiliter obseruari, volumus & præcipimus vt testamentum vel vltima voluntas cuiusquam in præsentia semper Catholicorum virorum & Parrochialis sacerdotis, vel alterius Ecclesiasticæ personæ loco ipsius condatur, præsertim vt idem sacerdos vel alia Ecclesiastica persona valeat de ipso testatore laudabile testimonium perhibere, & ne deipso testatore aliqua infidelitatis suspicio possit haberi, & maximè vt ea quæ in pias causas reliquerit, fidelius & citiùs soluentur sine fraude. Quòd si testator vocare vt diximus sacerdotem & viros Catholicos contempserit, careat Ecclesiastica sepulturà, donec de huiusmodi mandati contemptu Ecclesiæ satisfactum fuerit competenter. B Notariis verò qui absque solemnitate superius expressa notare vel scribere præsumserint testamenta vel vltimas voluntates, Ecclesiæ introitus interdicatur vsque ad satisfactionem condignam.

ITEM, cum Religio iuramenti peccatis exigentibus ferè ab omnibus in istis partibus contemnatur, contra huiusmodi contemptores aliquid seueritatis pro salute animarum ipsorum duxit præsens Concilium statuendum. Videlicet vt quicumque in transgressione iuramenti de cætero manifestè deprehensus admonitus satisfacere noluerit, tunc excommunicetur accensis candelis & pulsatis Campanis, singulis diebus Dominicis & festiuis, & denuntietur intestabilis & infamis: & nec ad testimonium, vel ad alios actus legitimos admittatur: idem de falsis testibus obseruetur.

ITEM, statuit præsens Sinodus quod nomina illorum omnium qui in Ecclesia sua confessi fuerint, scribantur à Capellanis qui confessiones audierint eorumdem, vt laudabile testimonium de confessionibus eorum valeant perhibere, illis vero qui confiteri contempserint saltem semel in anno à decimo quarto anno, & supra, viuis introitus Ecclesiæ ad satisfactionem condignam, mortuis verò interdicatur Ecclesiastica sepultura. Illi vero qui confessiones eorum audiuerint in loco patenti audiant, non occulto.

ITEM, de publicis vsurariis, incestuosis, concubinariis adulteris & raptoribus fuit in præsenti Concilio constitutum, vt singulis diebus Dominicis & festiuis publicè in Ecclesiis excommunicentur, similiter & illi qui testamenta defunctorum C publicare & complere post competentem admonitionem noluerint, excommunicationi subdantur.

ITEM, cum in Concilio Lateranensi & aliis frequenter sit per Romanum Pontificem constitutum, quod Presbyteris in Ecclesiis Monachorum vel aliarum personarum ad suam & suorum sustentationem portio sufficiens assignetur, ne à Domini Papæ possimus Nuncio reprehendi: vobis Abbatibus, Prioribus & aliis regularibus & secularibus qui habetis vel tenetis Ecclesias huiusmodi, præcipimus, vt nostris Ecclesiis, Episcopis personas præsentetis idoneas, quibus per Episcopos animarum cura commissa vsque ad festum Pentecostès proximè venturum secundum facultates Ecclesiarum, arbitrio virorum bonorum, portionem idoneam assignetis, videlicet quartam ipsi, qua sui valeant sustentari honestè, & talia facere quæ continentur in pluribus constitutionibus, quæ iamdudum super hoc à sede Apostolica emanarunt. Illud præterea ducimus exprimendum, vt in Ecclesiis nostris non pauciores faciant moram, quàm tres Monachi vel Canonici regulares, sicut alia vice per Dominum P. Beneuentanum tunc Apostolicæ sedis Legatum fuit in Prouinciali Concilio constitutum, & postmodum obseruatum: addicimus insuper vt Monachi, vel Canonici regulares vel etiam sacerdotes nisi pro Ecclesiis suis & miserabilibus porsonis, & de Prælati sui licentia speciali in foro seculari vel Ecclesiastico vllatenus aduocare non presumant: Quod si fortè pars aduersa repellere tales neglexerit, vel noluerit, à iudice repellantur omnino.

ITEM, statuimus ne Clerici occasione patrimonij suis nullatenus talientur, &

tam consules quam alij laici ab huiusmodi taliis & exactionibus per censuram Ecclesiasticam, si necesse fuerit compescantur: de nouis pedagiis & guidagiis statuit Concilium, vt hæc prohibeantur omnino si necesse fuerit. Volumus insuper & districtè mandamus, vt ab Episcopis testes Synodales in singulis instituantur Parrochiis, qui de hæresi ac aliis criminibus manifestis diligenter inquirant, postmodum Episcopis quod inuenerint relaturi. Consules nihilominus, Castellani, Potestates, Barones abiurare Hæreticos & fautores, nec non receptatores eorum per Ecclesiasticam compellantur censuram. Qui vero quondam Hæretici vestiti fuerint vel vocati, aut meritò suspecti sunt, à baiuliis vel officiis publicis, si qua habent, præcipimus amoueantur ex toto, nec de cætero ad huiusmodi assumantur. A

Item statuimus & præcipimus obseruari districtè vt Raimundus filius Raimundi quondam Comitis Tholosani & Comes Fuxensis & O. qui dicitur Vice-comes Bitterensis, Tholosani Hæretici, credentes, fautores, defensores & receptatores eorum, & præsertim illi de Limozo, & alij qui felicis recordationis Domino Ludouico Regi Francorum iurarunt, & postmodum abscisi sunt ab Ecclesia; omnes etiam illi qui arma, equos, victualia, vel alia subsidia vendunt, extinctis candelis & pulsatis Campanis denuntientur excommunicati & exmoniti cuilibet occupati tam in rebus quàm in personis per singulas Parrochias, singulis diebus Dominicis, festiuis. B

Item quia in multis Canonibus & frequenter ordinatum est & statutum, vt Archipresbyteri præpositi, Abbates, & alij qui curam animarum habent, debeant ad Sacerdotium promoueri mandamus, vt taliter & illi qui Ecclesias Parrochiales habent & ad Sacerdotij gradum promoueantur, & ibi seruiant vt tenentur; præcipientes similiter Capellanis & aliis Ecclesiarum Rectoribus, vt Quæstores prædicare in Ecclesiis non permittant, sed legantur duntaxat litteræ si quas habent, prout ordinatum fuit in Concilio generali.

Item ad tollendam quorumdam dubitationem de celebrando festo B. Mathiæ, & ieiuniis quatuor temporum in Septembri: Notum fieri volumus & præcipimus obseruari; vt semper in anno Bisextili posteriore die celebretur festum prædictum ***** primo in Septembri occurrit, ieiunia quatuor temporum celebrentur, adiicientes vt singuli in Dominica qua cantatur, lætare Hierusalem, Prouinciale Concilium celebretur.

STATVTA RAIMVNDI COMITIS THOLOSÆ CONTRA Hæreticos facta & super aliis capitibus.

IN *nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ad exaltationem fidei Christianæ, & ad extirpandam Hæreticam prauitatem, & ad conseruationem pacis & ad bonum statum totius terræ conseruandum, & in melius reformandum.* Nos Raimundus Dei gratia Comes Tholosæ, de consilio & assensu Episcoporum & aliorum Prælatorum Comitum & Baronum, Militum & plurium aliorum virorum prudentum terræ nostræ natura deliberatione habita, & diligenti studio præcedente; hæc statuta salubria in terra nostrorum duximus ordinanda, cum sit de nostro firmo proposito, vt terram nostram, & subditorum nostrorum purgemus Hæretica prauitate, & ad hoc tam curiosè quam fideliter intendere proponamus. C

Statvimvs vt in persequendis, inquirendis, capiendis & puniendis Hæreticis omnes Barones, Milites, Bayliui & ceteri homines nostri curam vigilem & sollicitudinem adhibeant diligenter, sicut à nobis pace facta Parisius est promissum.

Item statuimus vt sine dilatione fiat legitima inquisito, contra illos qui persecutores Hæreticorum interfecerunt, vel fortè, quod absit, interficient in futurum; & contra omnes villas & homines terræ nostræ de nostro districtu qui illorum interfectioni consenserunt, vel fortè consentirent in futurum, de omnibus illis tam hominibus quam villis debita iustitia fiat, & hoc tam per nos quàm per Barones & Baiulos nostros volumus fideliter obseruari.

Item, statuimus quod vbicunque in terra nostra seu districtu nostro hæretici inuenti fuerint in ciuitatibus, Castris & villis intus vel extra in tenementis, homines illius ciuitatis, villæ seu Castri, in qua, vel in quo, vel in cuius tenemento inuenti fuerint

A fuerint soluant marchas illis qui hæreticos ceperint; scilicet, pro singulis hæreticis marcham vnam.

ITEM, statuimus quod Senescaldi vel Bayliui suspecti in fide non instituantur, & si forte eos constitui contigerit, sine dilatione remoueantur.

ITEM, statuimus quòd omnes domos in quibus à tempore pacis factæ Parisius, hæreticus inuentus fuerit viuus, vel sepultus; sciente & consentiente Domino domus existente legitimæ ætatis, vel in eis prædicauerint diruantur, & bona omnia tunc ibidem inhabitantium confiscentur, nisi suam innocentiam, & iustam ignorantiam probare potuerint manifestè, in ipsis inhabitantes capiantur pœna legitima puniendi, & omnes Cabanæ suspectæ à communi habitatione Castrorum remotæ & speluncæ inforciatæ & Clusella in locis suspectis & diffamatis destruantur vel obturentur. Nullusque de cætero in prædictis locis audeat tales facere mansiones, aut in eisdem habitare, in quibus si quis fuerit deprehensus post edictum nostrum, omnia ipsius bona mobilia confiscentur; Domini vero Castrorum in quorum Dominio post edictum nostrum tales mansiones contigerit inueniri, in viginti quinque libris Tholosanis puniantur.

B ITEM, statuimus, quod omnes hæreditates eorum qui hæreticos se fecerunt vel facient in futurum, confiscentur & occupentur: sic quod ad liberos eorum vel ad alios successores qui ab intestato eis deberent succedere, si fuissent ortodoxæ fidei, per venditionem aut donationem aut alio modo, bona prædicta non valeant peruenire. Et si talibus prædicta bona reddita fuerint, vel ab eisdem aliter detineantur, ab ipsis penitus auferantur. Domus autem illorum qui à tempore dictæ pacis hæretici facti sunt, vel de cætero fient, quas ipsi eo tempore inhabitabunt, sine omni misericordia destruantur.

ITEM, statuimus quòd omnes qui villas vel domos, vel Clusella, vel nemora, inquisitoribus hæreticorum prohibuerint, vel hæreticos inuentos deffenderint, vel captos abstulerint; vel ipsis inquisitoribus auxilium in capiendis hæreticis præstare noluerint, cum inde ab ipsis super his fuerint requisiti, vel clamantibus non succurrerint, vel in custodiendis quos receperint auxilium non ministrauerint postulatum, aut in commenda sua receptos abire permiserint, maximè si fuerint de hæresi suspecti tales qui protestatem habeant custodiendi, per omnium bonorum suorum confiscationem puniantur; & nihilominus personæ eorum aliis pœnis legitimis subiiciantur.

ITEM, statuimus, quòd si qui de hæresi suspecti fuerint inuenti, iurent pacem & fidem Catholicam, omnem hæresim abiurantes, & si fidem Catholicam iurare noluerint & hæresim abiurare, pœna contra hæreticos edita puniantur. Si verò post sacramentum præstitum receptores, fautores, consiliatores hæreticorum vel in aliquo cum ipsis participantes inuenti fuerint pœna simili puniantur.

C ITEM, statuimus, quòd si quis post mortem detectus fuerit fuisse hæreticus, & coram Episcopo loci probatum fuerit legitime, bona illius omnia confiscentur & domus illorum qui post pacem factam Parisius hæretici facti sunt, vel in posterum fient in quibus habitabant, vel habitabunt, diruantur.

ITEM, statuimus, quòd bona eorum qui fuerint hæretici vestiti, licet recesserint sponte ab hæreticorum obseruantia, nisi de reconciliatione sua litteras testimoniales ostenderint, vel per alias personas Catholicas & honestas illud ostenderint, vel probauerint confiscentur. Et etiam si de reconciliatione constiterit, nisi cruces super hoc à suo Episcopo admoniti ad portandum assumpserint, aut assumptas authoritate sua propria deposuerint, aut cum exterius super vestes, extraque partem pectoris anterius prominentes portare debeant, eas celare intra vestes deprehensi fuerint pœna simili puniantur, & tamen siue bona habuerint, siue non, ab hoc modo debito compellantur.

ITEM, statuimus quia intelleximus quòd credentes hæreticorum cum proponunt se facere secundum eorum ritum detestabilem, hæreticos perfectos, ante præcedens tempus possessiones suas & hæreditates in fraudem fisci vendunt, vel donant, vel pignori obligant, aut modis alienant aliis, huiusmodi contractibus irritis nonobstantibus prædicta bona confiscentur, si consideratis circumstantiis dictorum contractum & ipsorum contrahentium, nobis fuerit visum, eos in quos dicta bona translata fuerint fraudis participes extitisse.

ITEM, quia intelleximus quod credentes quidam sub specie mercaturæ vel peregrinationis transferunt se ad hæreticos, vt sub tali absentia eludant fiscum, & ei subtrahant bona sua, si coram Episcopo loci, qui super hoc propinquos, vel eos qui bona huiusmodi absentium tenent, monuerint requisierint, & ab eisdem propinquis, vel tenentibus bona eorum infra annum computandum à tempore monitionis eiusdem Episcopi, probatum non fuit legitime, illos absentes iusta causa & rationabili absfuisse, & tamen abesse: statuimus, vt si alias suspecti fuerint, contra ipsos tanquam contra hæreticos præsumatur, & eorum bona confiscentur. Si verò ipsi vel successores eorum, vel qui bona eorum tenent post confiscationem bonorum, vel ante iustam & probabilem causam suæ absentiæ vltrà prædictum tempus probare potuerint, bona illa eis legitimè relinquantur vel restituantur. A

ITEM, quia nolumus, quod claues Ecclesiæ contemnantur in terra nostra, statuimus vt si quis in excommunicatione permanserit per annum contumaciter, per occupationem bonorum redire ad sinum sanctæ matris Ecclesiæ sic compellatur, sicut in pace facta Parisius plenius continetur.

ITEM, statuimus vt tranquillitas pacis in terra nostra plenè & inuiolabiliter obseruetur, & quod ruptarij, fayditi, prædones, latrunculi & statores, à tota terra nostra expellantur, & receptatores eorumdem animaduersione debita puniantur. B

ITEM, statuimus quod quicunque pacem de cætero violauerit; si monitus à nobis, vel per certum nuncium nostrum non emendauerit, infra terminum sibi assignatum omnia bona ipsius occupentur. Nos enim bona illa, quæ à nobis tenebunt, occupauimus, & Episcopos & Prælatos terræ nostræ in feudis eorum similiter occupandis iuuabimus bona fide, cum ab eis fuerimus requisiti. Quæ bona tamdiu detineantur, quo vsque de fractura pacis & damnis datis sit nobis, & damnum pacis plenariè satisfactum, & persona violatoris nihilominus animaduersione debita puniatur. Et quicumque violatores pacis receptauerit, in Castro, vel in domo vel in villa cum ipsa præda, postquam fuerit eis denunciatum, vel eis equitaturas, vel alia necessaria ministrauerit, vel eisdem prædam, aut aliam capturam præparauerit, vel machinatus fuerit, pœna simili puniatur.

ITEM, statuimus quod occulta & clandestina maleficia de communitate Castrorum, ciuitatum & villarum, in quibus vel in eis, vel in earum tenementis fuerint perpetrata, de nocte vel de die occultè, siue per incendium, siue per incisionem arborum aut vinearum vel segetum, vel occisionem animalium, vel effusionem liquidorum, vel dispersionem aridorum, aut alio modo exceptis furtis, damna passis resarciantur damni æstimatione declaranda per sacramentum illius qui passus est damnum, taxatione legitima præcedente. Per hoc enim & voluntas nocendi plurimum refrenabitur, & cuiuslibet loci vniuersitas maiori solicitudine tales maleficos persequetur & quod super huiusmodi maleficiis fiat inquisitio diligens sine mora; & reperti pœna violatorum pacis, & aliis pœnis legitimis torqueantur. C

ITEM, statuimus vt nullus sit tantæ temeritatis quod domos Religiosas, & precipuè Cistercienses Ordinis offendat in aliquo, in rebus vel personis palam vel occultè. Et si qui contra hoc fecerit, bona ipsius occupentur, de quibus passis damna plenariè satisfiet, & persona ipsius animaduersione debita puniatur. Volentes & mandantes contra huiusmodi maleficos diligentem ac peruigilem, celeremque inquisitionem fieri, non obseruata nimia iuris subtilitate. Et reperti seu conuicti in huiusmodi maleficiis, prout culpæ enormitas exegerit, puniantur, vt alij exemplo perterriti, contra domos Religiosas delicta similia committere perhorrescant.

ITEM, statuimus ne Barones, milites & alij homines nostri, Abbatias, Grangias, & alias domos Religiosas nimia importunitate albergandi opprimere præsumant. Et si quis contra voluntatem custodum nostrorum, quos in singulis domibus ad requisitionem ipsarum ponemus ibi continuè moraturos qui iurati nobis suo ministerio, authoritate nostra huiusmodi albergatores reprimient importunos, & domos prædictas qui albergauerit, si eques in quinque solidis Tholosanis, si pedes in duobus solidis puniantur. Volentes vt custodes huiusmodi transgressores sub iuramento prædicto denuntient nominatim.

ITEM, quia sicut intelleximus tanta est quorumdam malignitas & insolentia, quòd licet ipsi latrones foueant vel raptores, nequaquam à vicinis suis qui bene nouerint eos, manifeste istud eis improperari audeat vel opponi, nisi fortè illorum

aliqui

A aliqui in se iras exacuant speciales: nos illorum malitiam reprimendam ducentes, studio cautiore statuimus, quod contra aliquem Baronem, militem, aut quemlibet alium, qui publica fama laborauerit; quod ipse sit receptator aut quidator, adiutor vel consiliator latronum aut prædonum, aut aliorum maleficorum, de quorum maleficiis solent aliquas accipere portiones, contra tales inquisito fiat. Et si probatum fuerit legitimè contrà ipsos, tanquam conuicti de maleficiis pœna contra violatores pacis supra edita puniantur.

ITEM, statuimus, ne aliquis authoritate propria audeat pignorare, vel marcham facere; & si quis contra fecerit, compellatur incontinenti pignator restituere pignus & resarcire damnum pignorato, quod sacramento pignorati declaretur taxatione legitima præcedente.

ITEM, statuimus, ne in terra nostra, noua instituentur pedagia; & omnia à triginta annis citra instituta remoueantur.

HÆC autem omnia statuta præmissa facimus sine preiudicio Domini Regis Franciæ & Ecclesiæ & salua pace Parisiensi. Acta sunt hæc Tholosæ duodecimo Kal. Martij, anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo tertio. Et vt hæc prædicta semper inuiolabiliter obseruentur, & robur habeant plenissimæ firmitatis, præsen-
B tem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari.

C

A

APPENDIX SECVNDVS AD TOMVM QVINTVM.

CONTINENS RERVM SICVLARVM SCRIPTORES.

B

DESCRIPTIO VICTORIÆ, QVAM HABVIT ECCLESIA ROMANA ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS M.CC.LXVI.

QVARTO MARTII SVB SANCTISSIMO PATRE DOMINO CLEMENTE PAPA IV. PONTIFICATVS SVI ANNO II. PER BRACHIVM MAGNIFICI VIRI DOMINI CAROLI VICTORIOSISSIMI REGIS SICILIÆ, DVCATVS APVLEIÆ, PRINCIPATVS CAPVÆ, ALMÆ VRBIS SENATORIS, ANDEGAVIÆ, PROVINCIÆ, ET FORCALQVERII COMITIS, QVI FVIT FRATER SANCTI LVDOVICI IX. FRANCORVM REGIS.

Ex Codice MS. Bibliothecæ Regiæ.

VICTOR mortis Vicarium in terra ſibi conſtituit, quem etiam volens ſibi conformare fecit aſpectum eius ſicut fulgur, veſtimenta autem eius candida ſicut nix: & vt terrorem timoris habeat in cenſura, & candoris in manſuetudine blandimentum, quatenus & ſibi ſubditos paſcat lacte concupiſcentiæ ſalutaris, & corrigat per cenſuram. C Ad hæc edictum exiit ab eodem, vt Vicarius iſte diſſipet & euellat, ædificet & plantet, prout viderit oportunum, ne in horto Domini Florido in Eccleſia locum ſibi vendicet, zizania extirpanda. Vt igitur ad propoſitum faciliùs accedatur, per iſtum victorem accipe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per ipſius Vicarium ſummum Pontificem, qui Friderico, Conrado, & Manfredo, hoſtibus patentibus & publicis, ſumpta virtute ex alto diſſipatis & euulſis, plantauit, & ædificauit illuſtrem virum KAROLVM in Eccleſia militantem, tandem in triumphante, militantis cooperante gratia complantandum, luna rorem, ſol decorem Eccleſiæ prouidendo.

Salutatio.

ILLVSTRIVM orbis radix, Domino PETRO Alynzonis, & Carnotenſi Comiti præclaro, nato Feliciſſimæ recordationis Domini Ludouici IX. * Regis quondam Francorum magnifici Domino ſuo: Magiſter Andreas Vngarus Felicis recordationis Domini Belæ & Domini Stephani Regum illuſtrium Hungariæ quondam Capellanus & familiaris deuotæ orationis pro eo diligentiam ad ſalutem. Iocundum ſit vobis palmes egregie pulchæ vitis prout conuenit, eloquium meum, dum per

* *Lege VIII.*

A per illud ædificatur in Domino delectari. Ecce etenim exortum quondam in tenebris lumen rectis corde eos, per quos mœnia vtriusque Ierusalem ex politis lapidibus construuntur, à longo iam tempore in tristitia constitutos non derelinquit in finem. Sed potius qui extensa manu apprehendit Petrum dubitantem inter fluctus, quique duabus manibus expansis in Cruce caritate inextimabili amplexatus est Ecclesiam speciosissimam sponsam suam, extendit manum salutiferam etiam hiis diebus. Spiritus enim, qui] vbi vult spirat, traxit cor magnifici viri Domini CAROLI Andegauiæ, Prouinciæ, & Forcalquerij Comitis, Illustris Regis Francorum Felicis recordationis Domini Ludouici IX. * Fratris carnalis, vt intuitu æternorum subiiceret humeros suos oneribus Romanæ Ecclesiæ supportandis; fecit, & Ecclesia disposuit humeros ipsius, vt onus sit honori, quoniam per prudentiam, quam sacra pagina digne serpentinam commemorat, (fecit enim almæ vrbis primitus senatorem per potentiam columbinæ simplicitatis qua gaudet) eodem quondam Manfredo Principe Tarentino hoste publico adhuc viuo, sicut inferiùs tangitur clariùs, in Illustrem Regem Siciliæ coronauit.

* *Lege VIII.*

Exordium.

B

VERVM, quia natura negotij requirit priùs morbum eiusque causas cognoscere, deinde occurrere iuuatiuis, dignum videtur penurias Ecclesiæ prius, quibus eam leo rapidus, catulique ipsius rugientes vt rapiant afflixerunt stili officio exarari, vt sponso suo postmodum veniente, ac dicente, *Ego sum, Nolite timere*, appareat in potestatibus salus eius dexteræ eius.

Narratio, quæ protenditur per alias rubricas, qualiter Ecclesia Fredericum quondam Jmperatorem dilexit.

CVM enim à solis ortu ad occasum ab Aquilone ad Austrum luce clariùs eniteat, qualiter sancta mater Ecclesia Fridericum Henrici secundi Imperatoris, & Constantiæ Reginæ Siciliæ filium in Imperatorem Romanorum electum, in ipso primùm electionis suæ negotio dilexerit, habilitando more piæ matris sagaciter electionem de sua persona exclusis aliis faciendam, tandem contra multorum rebellionem in Romanum Imperatorem coronauit, eundem sub certis iurisiurandi articulis in forma iuramenti huiusmodi apprehensis, & specialiter ad sanctam matrem suam Ecclesiam, ex cuius vberibus induti Christum in baptismate sugunt lac concupiscentiæ salutaris, vt filius deuotissimus diligeret & reuereretur, iuraque sua omnia Imperiali gladio contra hominem defensaret.

C

Qualiter Fredericus quondam Imperator calcaneum erexit contra matrem Ecclesiam, qualiter deponi meruit ab Imperatoria maiestate, quamque male finiuit vitam.

IPSE autem Fredericus bonorum immemor acceptorum, propriæque salutis oblitus, huiusmodi iuramento contra benefactricem matrem suam Ecclesiam Romanam velut mente captus calcaneum erigere non expauit. Regnum Siciliæ, Principatum Capuæ, & alias possessiones Ecclesiæ, quas Ecclesia retroactis temporibus, & diutinis antecessorum eius Felicium Imperatorum Romanorum ex donatione, seu approbatione eorundem pacificè possederat, & quietè sibi occupationis sceuico * contra iustitiam detinendo. Cumque frequentiùs vt ablata restitueret, & ad plenæ satisfactionis emendam se conuerteret, à matre Ecclesia crebro crebriùs pulsaretur, ob intolerabilem mundi sæuitiam, quam propter hoc non solùm in Prælatos, & alios viros Ecclesiasticos & Religiosos, sed etiam in ipsos sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales crudeliter irrogauit, & quampluribus monitionibus prætermissis emendare se noluit, tandem per diffinitiuam sententiam Felicis recordationis Domini Innocentij Papæ quarti, vt obstinationis suæ feritas feriretur, qui nec excommunicationem timuit, sicque nec Deum, apud Lugdunum in Concilio generali deponi meruit dignè satis. Cuius cornu contra sanctam matrem Ecclesiam præsumptuosè erectum eadem sancta mater per manus egregij viri mundo clari Domini Gregorij de Monte-longo venerabilis Patriarchæ Aquilegensis, per totam

Lombardiam Apostolicæ sedis tunc Legati, apud Parmam potenti virtute confregit. Qui venerabilis Legatus ex dispositione naturali strenuus, in negotio sibi commisso fidelissimus ac ardens, in eundem Fredericum tam lethales ictus, tamque terribiles tunc prætendit, vt ex esu eiusmodi strangulantium lambruscarum obstupescerent diuino iudicio dentes etiam filiorum, imò ex maledictæ vitis huius viredine tam infausta, de quo quidem casu suo grauissimo nunquam postea vt erigerentur adiecit, arescerent de virtute non fauentis sed vrentis solis etiam surculi pullulantes, ne in posterum ipsorum resistere valerent dexteræ vlciscenti. Idemque Fridericus sic vitam suam sub diuini ac Ecclesiastici anathematis iusto ac irreprehensibili iudicio finiuit: parte beatæ resurrectionis contempta partem æternæ condemnationis eripere non stupescens. A

Qualiter Catuli quondam Imperatoris Friderici more viperarum matris latera corrodebant.

INTER ipsa siquidem sæuitiæ huiusmodi exercitia de femore ipsius extracto sui duces itineris deriuati mala paterna malis succrescentibus augmentarunt more viperarum, benefactricis suæ sanctæ matris Ecclesiæ latera corrodendo: nescientes, neque aduertere volentes quòd occulta illa diuinæ voluntatis omnipotentia eisque reseruata censura non concesserat eis regendi Regnum in æternum. Sed dixerat, non auferetur sceptrum de Frederico, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, scilicet secundus CAROLVS dextera Domini virtutum, qui de lumbis ipsius excelsi nominis magni CAROLI tanquam lapis offensionis, petra scandali in munera & resurrectionem multorum progrediens, Manfredum maledictæ vitis execrabilem surculum tanquam statuam Nabuchodonosor tanta virtute percutiat, vt non solùm aurum eius & argentum, æs & ferrum, cæteraque metallorum genera, lapidum quoque ac gemmarum iocalia, Regnumque Siciliæ, Ducatum Apuliæ, Principatum Capuæ, ei auferat vniuersa, sed etiam vxorem eius, neptem, & filias, à quibus ipsius viperæ successionis propago formidari possit, vniuersaliter comprehendat, & ipse erit expectatio gentium. B

Qualiter Ecclesia dilexit Manfredum.

ISTE nempe Manfredus cùm legitimationis suæ materno beneficio indigeret, pia mater Ecclesia tota fœcunda virgo, sponsa Christi, tota pulcherrima & pudica, volens in facto Manfredi immundum & hunc mundum & pudicum facere, vt est virgo, fœcundumque reddere sine ruga, munere materno, licet tacitè, legitimauit eundem, erigendo ipsum in Principem Tarentinum. Qui cùm esset ex huiusmodi Principatu ius dicens, etiam subditos pura natiuitate gaudentes, seu etiam legislator, quod honestas thori thoro inhonesto priùs non poterat sustinere, sic habuit ab authoritate maternæ pietatis gratuitò maternaliter denegatum, * formosum de deformi, decorem ex de decore poliendo: vt plus à matre, quàm à patre dilectum filius se perpensans paterna commissa in matre dilueret diligenda, fierentque posteriora hominis illius multò prioribus pulchriora. C

Qualiter Manfredus dilectionem Ecclesiæ malè cognouit.

SED quid dicam semen fœdum, proh dolor! & obscœnum muscum nitrumque defecans, se in luti volutabrum remersit gemmis pretiosissimis redimitum, cùm recognitionis bono represso turpiter & abiecto Burellum de Agono sub fiducia & securitate Ecclesiæ positum incomitiua summi Pontificis interemit, & Apuliam sanctæ matris Ecclesiæ possessionem, quam de bonis Ecclesiæ pudicè tenere poterat & honestè, non sine crimine fratricidij impudicè cupidus occupauit. Tandem cum æterna & periculosa pudoris ignominia, prout ex post facto patuit, dimittendo licet nec ipse Corradus, cum sanguinis vox imperiosa & miserabilis de Manfridico fratricida, sicut & vox prophana stupendaque patris sui de eiusdem F. patricida, clamat de terra ad Deum vltionis, ipsam Apuleiam, non via iustitiæ, sed occupationis deuio aliquandiu tenuisset, aliaque enormia contra matrem Ecclesiam perpetrasset,

A traheret, non pauca tam in sua, quàm etiam suorum personis complicium merito punienda.

De interpretatione Gibellinorum.

MANFREDVS autem quondam Princeps Tarentinus vt Apuliam taliter occupatam faciliùs sibi perpetuare valeret, cæteraque mala contra Deum & iustitiam concepta posset faciliùs & potentiùs contra omnimodam Ecclesiæ fortitudinem perpetrare, numerosam sibi societatem de diuersis mundi partibus prece, pretioue contraxit, quos & Gibellinos vocauit, quasi Gibellum suæ curuitatis bello Ecclesiæ liniendum fore demonstrans. Qui perfidiose & damnabiliter viuentes, ab vberibus matris Ecclesiæ non solum sanguinem elicerent pernimium emungendo, verum etiam cum percussore percuterent, ac pungerent cum pungente: surdam facientes more surdæ aspidis aurem suam, ne audirent illud tonitruum Euangelicum. *Viderunt in quem consurrexerunt.* Guelfi autem ad audiendum verbum Euangelicum, verbum bonum & suaue, verbum salutiferum, quod videlicet de ore altissimi prodiit, aures suas promptas offerunt & patentes, & perfidiam Gi- B bellinorum, ne videlicet velut oues morbidæ cæteros Dominici ouilis inficiant, baptizatos reprimere ac exterminare studentes, eo quòd indignos eos reputent vitæ æternæ, & analogium sui nominis venustè oris * significati obtineant elementis. Cùm enim hæc dictio Guelfi vulgariter probata sit vnius syllabæ, non poterit vtique interpretatio elici ab ea nisi ex litteris. Accipe igitur per primas tres litteras G. V. E. guerra, por L. Leonum, per F. fortis, & sic inuenies quod guerra Guelforum contra Gibellinos erit tanquam guerra Leonum fortis, sicut apparuit in omnibus prælius Guelforum tanquam Leonum, & apparet hodie contra gibbiferos Gibellinos.

Qualiter Ecclesia de toto orbe terrarum hunc secundum Carolum propaginem magni Caroli elegerit, Dei & Ecclesiæ prælium præliari.

VNDE considerans circumspecta mater Ecclesia, quòd Manfredus iste tanquam pestis succrescens Ecclesiæ possessiones diripit & dilapidat, fidem infirmat & frangit, eorum qui Christiana professione censentur legem & ritum immutat, leges ipse Christianas cum Sarracenis, & è conuerso nuptialiter coniungendo, ac more paterno labem hæreseos complectendo, vt taurus cornupeta non mediocrem in grege Dominico stragem faciens, hortum Dei floridum vulpeculis C adimplet, cæpit sic coacta mente matura prouidè cogitare, quo ingenio lupus iste rapax, præsumptuosus, & superbus, in foueam incideret, quam non timet: quibusve auxiliis demolientes vineam Domini sabaoth vulpeculæ caperentur. Cumque circulari consideratione circuisset terram, & perambulasset eam, quærens ad hoc opus quem diligat anima eius, perpenso consilio prælegit ex vena fidei scilicet magni Caroli diui quondam Imperatoris Romanorum, pariterque illustris Regis Francorum, hunc secundum nouumque Carolum prodeuntem, qui tracta fide ab ipso fonte fidei, fortitudine ab ipsa manu, fortiter recuperet dona Imperialia constantia Constantini.

Quod Dominus Innocentius Papa IV. Magistrum Albertum Notarium suum misit primò ad Comitem Carolum.

AD quem cùm felicis recordationis Dominus Innocentius Papa quartus dilectum, & familiarem Notarium & Capellanum suum Magistrum Albertum de Parma cum plenæ legationis officio primò, consequenter etiam frequentiùs felicis recordationis Dominus Vrbanus Papa IV. successor eiusdem eundem Notarium vt solemnem nuncium instructum diligenter, ac fideliorem promotorem negotiorum præ cæteris tunc reputatum in regnum Franciæ, Prouinciam & Gasconiam, ac partes coadiacentes transmisisset super re tam ardua modificanda debitè

inter partes, tandem eodem voto, quo per quatuordecim annos & amplius pro tanta ordinatione, & consummatione huius negotij missus ab Ecclesia laborauit, & fecit ordinationem ipsam fideliter, vtiliter, & prudenter, iuxta formam sibi ab Ecclesia traditam, procurari, factus idem Comes, vt prius tetigeram, de voluntate summi Pontificis & assensu quorumlibet, almæ vrbis Senator. A

Quod Senator factus Vicarium misit in Vrbem.

VICARIVM in vrbem prouidum & sapientem virum Iacobum Gaucelini de partibus Prouinciæ destinauit, vt exerceret ibi loco & vice sua Senatoriæ potestatis agenda, donec ipse personaliter adueniret. Verum quòd in insignibus personis procinctum itineris plerumque latitudo * ipsa retardat, quia quanto quis altior, tantò eum tangunt plurium necessaria parandorum, maximè cùm ardua quæuis aggreditur à remotis, præsertim cùm regni Franciæ quæ prius de porrigendis eidem Comiti iuxta ordinationem prædicti Notarij decimis omnium prouentuum Ecclesiasticorum de speciali sedis Apostolicæ mandato factam pro expensis, sine quibus illustris idem Comes venire non assumpserat, ducti spiritu voluntario rebellarent, necessariò tempus quo ab Ecclesia desiderabiliter expectabatur, licèt etiam venire sacramento teneretur, excessit apparendi corporaliter apud vrbem. B Interea non prout diuinæ voluntati placuit, Domino Vrbano Papa quarto ad patriam feliciter emigrante, cùm sanctissimus in Christo Pater & Dominus, Dominus noster Clemens Papa quartus ad regendam generalem Ecclesiam diuina prouidentia feliciter succedens, Pontificatus sui anno primo illas easdem conditiones, quæ per dictum Magistrum Albertum prius habitæ cum eo fuerant & contractæ, ac ex parte ipsius Comitis iuramento vallatæ & sub bulla ex parte Ecclesiæ concessæ per Venerabilem patrem B. Archiepiscopum tunc Cusentinum, nunc Messanensem, & Magistrum Petrum Notarium suum eidem Comiti & Senatori transmisisset, sicut in litteris Apostolicis super hoc editis, Domini Papæ, suorumque fratrum subscriptionibus, eiusque Bulla & suorum fratrum sigillis roborata pleniùs continetur, eodem Comite & Senatore ob dictarum expensarum denegationem adhuc venire non valente.

* altitudo.

Qualiter quidam Nobilium Romanorum Vicarium perturbare cœperunt.

FAVTORES Manfredi quondam Principis subdola ingeniositate de tanta mora ipsius Senatoris occasionem friuolam vendicantes, Vicarium eundem, qui iam aliquandiu inter ipsos manserat, diuersis cœperunt aduersitatibus perturbare. C Qui tamen, sicut erat & animo probus, & virtute non improbus, restitit eorum potentiæ viriliter & potenter. Nam quadam die hora prima Petrus Romani, & filius Petri de Vico, & quidam alij nobiles vrbem proditorie subintrantes, vt videlicet eum Manfredo traderent, in eum hostiliter irruere satagebant. Quod cùm vir strenuus Vicarius idem paulò ante præsensisset, omissis agendis aliis se suosque arma indui proinde festinauit. Sicque in occisores suos priùs ipse tanquam leo, suique velut agiles Leopardi quasi ex præordinata diuina prouidentia irruentes, quamplures ex eis vlciscentes diuini iudicij gladio occiderunt, aliosque non paucis plagis impositis effugarunt.

Qualiter filius Petri de Vico submersus in Tyberim expirauit.

FILIO Petri de Vico cùm locus præ formidine mortis minimè appareret, ad quem confugeret super terram, flumen Tyberis in quadam nauicula clanculo subintrante, ac ex ponderositate armorum, quæ indutus fuerat, nauicula euersa, in ipso flumine miserabiliter suffocato.

Qualiter

A

Qualiter Dominus Carolus Comes & Senator exposuit se pro Ecclesia periculis marinis, qualiter quærebant eum piratæ Manfredi occidere, & qualiter inter procellas periculosas positus socios confortabat.

INTEREA siquidem summo Pontifice iuxta debitum satagente, cum Ecclesiá regni Franciæ, quæ priùs, vt dictum est, de porrigendis tanto negotio expensis rebellarunt, cùm in mandatis vt eas porrigerent accepissent, & Comes ac Senator duos à diuersis diuersos terminos sibi præfines haberet, vnum ab Ecclesia videlicet festum Apostolorum Petri & Pauli apud Almam vrbem principali negotio principaliter insistendi: alium ab almæ vrbis vniuersali Senatu, festum scilicet Pentecostes sub eodem nullo proximo præcedens, apud eandem vrbem vt Senator corporaliter apparendi: Venerabilem patrem Dominum Simonem sanctæ Siciliæ Presbyterum Cardinalem in partibus Franciæ plenæ legationis officio tunc fungentem sagaciter requisiuit, vtrum ad posteriorem saltem terminum, scilicet festum Apostolorum, B in alma vrbe comparendi posset ei, cùm ad ipsum pertineret, in expensis necessariis prouidere. Qui cùm respondisset, minimè, licèt iuxta potestatem, quam ab Ecclesia idem venerabilis Legatus habebat, posset cum eo de obmissione terminorum huiusmodi dispensare. Volens tamen illustris idem ac industrius Senator duos illos & diuersos cohárctatos, immò inconculcatos terminos sub vna promptitudinis virtute concludere, voluit potiùs tam ad primum, quàm ad secundum terminum suam personam, non porrectis etiam expensis ab Ecclesia, offerre sub suarum amminiculo expensarum, quàm sub detractorum dentibus vtrumque, vel saltem alterum terminum præterire. Et ita viginti tantùm galeis, prout festinantiùs fieri potuit, congregatis, marinis dubiis euentibus in illius nomine, qui ventis marique imperat, obmissis agendis aliis, contra multorum consilium se commisit. Cúmque machinamento Manfredi quondam Principis marinæ insidiæ, videlicet LX. galeæ plenæ piratis quærerent in diuersis maris partibus ad perdendum eum, licèt diuina protectio & tutela eripuerit eum ab insidiis formidabilibus eorundem, maiori tamen eos flatus iræ Dei formidine affligebat, vento contrario, immo rapido vasa ipsorum, arbores, vela non sine metu morti quasi æquiparabili rapiente. Cumque ipsi quoque nautæ remis abiectis se soli diuinæ manui commisissent, Comes ipse comites itineris infra ipsos coruscationum, Fulgorum, Tonitruorum, tempestatumque tremores taliter confortabat: « O carissimi socij, certi esse debitis quòd Deus sperantes in se nullatenus derelinquit. « Hanc autem tempestatem nobis alia de causa non inuexit, « nisi vt probaret nos, si eam bono & constanti animo toleramus ad ipsius Ecclesiæ suæ « C seruitia, eo propitio, & non aliter profecturi. Et si fortes animo non inuenerit, sicut « veri milites esse debent, ducet nos ad portum salutis, ab inimicorum quoque positis « insidiis defendendo. Confortamini igitur in Domino, & corda debilia roborate, in « illum figentes anchoram spei vestræ, qui mortificat & viuificat, deducit ad inferos & « reducit, sanat & percutit, vulnerat & medetur. « Ex quibus verbis mirabiliter confortati portui Ostiæ, personis & rebus sani, applicuere, Deo propitio, & illæsi statimque almam vrbem, prout celeriùs fieri potuit, intrantes in vigilia Pentecostes sexaginta galearum piraticarum insidias, Scylleæque voraginis exitiales euentus sic rectore cælico euitarunt.

Qualiter oblocutores detrahebant Comiti & Senatori, non posse peragere quod promisit.

LICET oblocutores, maximè dicti Gibellini, partis videlicet aduersæ leprâ damnabiliter percussi, in huiusmodi verba detractoria fallacia ora laxarent, quòd quia & morosè venerat, & absque equis, non videretur grata Ecclesiæ ac promissa posse obsequia impartiri, maximè contra fortem aduersarium tamque diuitem, sicut est Manfredus Princeps Tarentinus: non à remotis partibus peregrè profectum accipere sibi regnum, & reuerti, sicut iste aduena & inermis attentarè præsumit, sed possessione diutina gaudentem, Castris & copiis bellicis præmunitum, regnumque tanquam hæreditarium possidentem.

A

Qualiter Comes & Senator Medicis consulentibus de aliqua in thorum vocanda contradixit.

VOLENS autem Dominus huius secundi Caroli perfectionem cunctis Regibus terræ & Principibus tradere in exemplum, tetigit eum infirmitate corporis, vt probaret. Cumque Medici deliberato & definito consilio in hoc vnanimiter concordassent, vt attraheret carni aliquam ad habitandum, si curam adhiberi curaret. » Comes & Senator cum non modicis suspiriis sic respondit. Cùm ad corroborandum » matrimonij sacramentum diuina lege sit dictum, *Erunt duo in carne vna*; absit illu» stris Regis Francorum filium carnem suam diuidere tripertitò. Et sic fidem, & ri» tum Ecclesiæ, domumque propaginis Francorum Regis casta generatione deriua» tam ex charitate tam pulcra, tam turpiter violare. Speciosius reputo sancto ritu » Ecclesiæ ac honestatis sanguinis obseruato, mortem incurrere, quàm legem dere» linquere Dei mei. Et ita inducentibus eum sociis Baronibus, & amicis, mandauit Comitissæ vt veniat, vt per sanctimoniam thori matrimonialis consuleretur quantum ad bonum successionis regno Siciliæ in hac parte, & quantum ad bonum honestatis etiam propagini pulchræ vitis. B

Qualiter Comitissa secuta est Comitem.

POSTEA egregia & sapientissima Domina Beatrix Andegauiæ, Prouinciæ, & Forcalquerij Comitissa illustris, ponendo se ad dubios & formidabiles euentus, Comite iubente, secuta est eum de Prouincia in vrbem, marino similiter itinere per multa pericula transeundo.

Vox Stilographi.

ECCE igitur nouus iste Ioseph sic domum Domini sui, te, ô mater Ecclesia, teque ô nostra vitis Regia Gallicana, tuus surculus castam pudicamque seruauit. Ecce noua ista speciosissima Iudith pulchra facie, pulchriorque fide sic virtute castimoniæ caput illius luxuria debacchati Olofernis præcidit. Et ita ecce duo carne vna fide firmissima roborati dixerunt huic monti Manfredo: tollere & mittaris in profundum maris. Et quia non hæsitauerunt, sed crediderant quia quodcumque dixerunt foret, factum est illis. Isti sunt igitur duo oliuæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum, quos quia castitas ornat, fides firmat, spes dat longanimes, ideo tua pia mater Ecclesia, porrectis vberibus tuis, quorum erant memores super vinum, eos in tuos constringe amplexus, nec mirum si rectos decet collaudatio, quia rectè diligunt te. C

Ecce iterum detractio linguarum iniquarum.

QVAMQVAM autem veniente Comitissa cæpissent tumidi oblocutorum fluctus aliquantisper quiescere, pro eo quòd videbat quilibet negotium istud Ecclesiæ ipsum forti manu, durandaque constantia suscepisse, qui cum tota domus suæ familia ad eas partes transierat, in quibus negotium agebatur: quia tamen detractorum lingua non facilè cessat adinuenire rimulas detrahendi, nisi legitima prauitate * eum limitauerit ad cessandum, ideo malignorum spirituum non expertes, ad hæc in verba peruersa pariter erumpentes dicebant, eum plus virtutis aliquatenus non habere, nec cum hac modica rem tam arduam præsumeret attentare. Et quia militia ipsius, quæ per terram venire vsque ad principium, vel saltem finem Augusti dicebatur, in tantum veniendi terminum fuerat prætergressa, vt inundationes & apetimales * aquarum transitus prægrauarent, in idipsum etiam alti * moi ceciderunt dubitationis, imo quasi desperationis obnubilum, vt videlicet Senator ipse posset perficere repromissum. Vnde & oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.

Li

Qualiter

A *Qualiter Gibellini clanculum volebant insurgere in eum, & qualiter eos peruigil dissipauit.*

INTEREA siquidem Manfredi quondam Principis, qui super defendenda scelesta & iniquissima parte sua nullatenus dormitabat, congregato fortissimo exercitu benè ad quindecim millia equitum armatorum, tam Sarracenorum, quàm aliorum, castrametatus est apud Tellas, missis diuersis imprecatoribus, vt discurrerent ad impetrandum Gibellinos tam de Florentia, quàm de aliis diuersarum regionum partibus. Numerosos in territorio Vrbeuentano clanculo congregarat, vt ipsi eis & sexaginta galearum armatarum antetactis *, cùm in terram descenderent, præberent ad exterminandum hunc Comitem & senatorem auxilium opportunum: vt videlicet instructa contra eum militia clandestina, insultu eum percuterent ex improuiso. Quod cùm Vrbeuentani Comiti Carolo & senatori celeriter intimassent, Comes ipse prout celeriùs potuit ad exterrendum, feriendum, & dissipandum eorumdem præsumptuosorum discursum, cum tribus millibus agilium armatorum vrbem
B personaliter exiuit, de quibus mille armatos electos præmisit, vt eosdem Gibellinos quacumque hora pertingerent tanquam vulpeculas percuterent fraudulentas, exercendo in eos rabiem crudelitatis insanæ, vt sic aliorum quoque Gibellinorum domi adhuc in suo cubili frementium formidolositas feriretur. Quo audito, Manfredus quondam Princeps discursores suos celeriter reuocauit, & castrametatus in confinio territorij vrbis apud Tallacocium. Mansit ibi cum toto exercitu suo circiter duos menses, & tandem premittens stabilitas & machinas suas ad Castrum Arsularum ipse quoque cum exercitu suo secutus machinas, & stabilitas easdem castrametatus est ibidem. Gibellini autem in territorio Vrbeuentano congregati, cùm ex studiosis speculatorum suorum vigiliis sensissent, mille præelectos milites Regios ad percutiendum eos sagaci studio destinatos, intempesta nocte se fugæ remedio reddiderunt. Et ita Manfredus ipse ac sexaginta Galeæ auxilio Gibellinorum diuina priùs, & postmodum deuoti famuli sui Caroli Comitis & senatoris prouidentia caruerunt, quæ etiam fatigatæ longo tempore recesserunt. Et ita bonus ille pastor, qui posuit animam suam pro ouibus suis, carum suum Carolum vt pupillam oculi custodiens, lupum rapientem, & dispergentem oues suas sic eum suis nociuis vulpeculis dissipauit.

Qualiter per porrectionem veneni Manfredus volebat occultè stragem immittere in Comitem, & in suos.

C CVMQVE Manfredus quondam Princeps tracto quasi venenoso consilio ex viroso pectore patris sui Frederici quondam Imperatoris, illustrem Carolum Comitem, & suos socios, & Barones, & amicos, apud Almam vrbem per porrectionem clanculo veneni occidere moliretur, illustris Comes & sui videntes quosdam de sociis per talem porrectum calicem cruciari corpore, & affligi, capto quodam huiusmodi poculi porrectore, ac per eum instructæ mortis subornatione comperta, illæsos se de cætero non parua custodia, custode Israël vigilante desuper, seruauerunt.

Qualiter Manfredus Comitem Carolum & suos inter ipsa vrbis mœnia percutere, & exterminare clanculo ordinauerat.

VIDENS autem Manfredus quondam Princeps, quòd de partibus Franciæ gladius contra eum lethalis exiliens ad perdendum eum suo capiti emineret, ac propter hoc se non tantùm cominus, sed etiam eminus defensare deliberato consilio disposuit, vt cum subsidio amicorum suorum tam Romanorum, quàm etiam de aliis terris & prouinciis suo cum exercitu infra ipsa almæ vrbis mœnia coarctaret, ibique irruens in eum & in suos, antequam militia ipsius de partibus Franciæ veniret, exterminaret faciliùs vniuersos. Quod cùm Comes ipse ac senator, prout Deus voluit, cognouisset, licèt equos ac milites, quos omni hora venire præstolabatur, non haberet, sed nec pecuniam haberet, qua milites adnotitios attraheret,

vniuersis tamen quæ habebant tam ipse quàm sui in quibuscumque bonis ad emendos equos & arma expensis, missa militia & stabilitis suis, fixit tentoria sua apud Castrum Arsulense & Abbatiam Farfensem, vt arceret viam passus ac transitus ad vrbem, ne potentia Manfredi quondam Principis almæ vrbi propinquare valeret. Qui etiam duo Castra tam firmiter præmuniuit, vt licèt Manfredi maxima multitudo non modicam in ipsius Caroli Comitis & senatoris gente ibi fecerit læsionem, tamen virtus ipsius Manfredi ad vrbem nullatenus valuit propinquare, Poëta cum Ecclesia concordante, *Ars vt artem falleret, sic Ars deluditur arte.* Certum est enim quòd si prouidentia Domini Caroli Comitis & senatoris desuper contexta per totum, qua Manfredo hosti publico extra vrbem prouidè occurrit, in hac parte tepidior extitisset, inuenisset ei tepor huiusmodi non modicam læsionem. Sed legerat sagax iste ac strenuus in diuinis, *quia ego diligentes me diligo, & qui in me vigilauerint ad me venient.* Et ideo vigilanti sibi Dominus vtique vigilauit, cum in iure dicatur vigilantibus subuenire. A

Qualiter Rex in propria persona confregit insultum inimicorum, & dispersit eosdem. B

NOTANDVM est autem quòd peruigil ac strenuus pro Dei Ecclesia dimicatur Comes idem ac Senator, percepto quod Manfredus quondam Princeps armatos suos quamplurimos miserat ad depopulandum fines territorij almæ vrbis, præcepit militiæ suæ in vrbe existenti vt exirent, & insanæ huius crudelitatis rabiem sub spe auxilij cælici exterrerent. Verum antequam militia ipsius ad exeundum se procingeret, Comes ipse feruentem ac strenuum à defensione debita spiritum non relaxans, quadraginta tantum associatis sibi armatis, anticipando suam militiam, vniuersam vrbem in propria persona exiuit, ac eosdem discursores depopulari volentes sic confregit, exterruit, & fugauit, vt vrbs sancta nec in se, nec in suis finibus reciperet quoduis penitus detrimentum. Vnde videntes inimici in Senatore militiam, in milite audaciam, in audace strenuitatem, in strenuo sedulitatem, retraxerunt se animo consternati.

Nomina principum & Baronum, qui in partibus Franciæ ad prædicationem Domini Legati crucem assumpserunt.

INTEREA siquidem dum hæc agerentur, venerandus Pater Dominus Simon sanctæ Ceciliæ Præsbyter Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus contra Manfredum quondam Principem hostem publicum tam Ecclesiæ quam fidei sanctæ suæ, ac ipsius complices & fautores, crucem in partibus Franciæ solemniter prædicabat. Ad cuius ædificatiuam prædicationem de regno Franciæ primò venerunt Pater Dominus Guido de Melloto Episcopus Altisiodorensis. Deiende Dominus Robertus primogenitus Comitis Flandriæ, Ioannes primogenitus Comitis Suessionensis, Bocardus Comes Vindocinensis, Guido de Lauallo, Hugo dictus Archiepiscopus, Guido Marescallus Merapij, Henricus de Suliaco, Guillelmus & Petrus de Bellomonte, cum suis fratribus, milites. Item tota domus Bellimontis, & plures alij contra Manfredum quondam Principem, & contra Sarracenos de Nuceria, & contra alios eiusdem Manfredi excommunicati complices & fautores, viuificæ crucis vexillo suos humeros cum deuotione non modica subdiderunt. Qui cùm sensissent illustrem Comitem & Senatorem iam in alma vrbe positum multimodis aduersantium machinamentis tam marinis, quàm terrenis periculis, tam veneno quam insultu patulo vel occulto quæ instruebantur in suam suorumque personas perdere, acceptarique talis cohartatio succursum celerem requirebat, nec sinebat se suo itineri spatiosiùs apparere, tam breui spatio iter arripuerunt, nec ab inceptione prædicationis crucis infra spatium circiter duorum mensium, ab induto loco, scilicet à Lugduno, recedentes, Italiam intrauerunt. C

A *Quod ciuitas Vercellensis prima omnium Cruce-signatis transitum impedire temptauit.*

IBIQVE cum ciuitas Vercellensis eis se opponeret, ex aduerso transitum præcludere molientes, milites Christi tanquam de thesauro Dominico veteri producti, insultus in eos tam terribiles prætenderunt, tamque lethales, quòd resistere non posse videntes eos transire libenter permiserunt.

Deinde etiam Castrum Vinarli per violentiam ceperunt.

DEINDE etiam Castrum Vinarli in districtu Nouariensi constructum, quod eis pro fiducia fortitudinis suæ præsumebat transitum impedire, per violentiam ceperunt, cum eiusdem Castri hominum periculo non paucorum.

Qualiter per Mediolanum per potentiam transierunt, illis tepentibus à promisso.

MEDIOLANENSIS autem ciuitas eique ad hærentes, licet promisissent Domino CAROLO Comiti vt militiæ suæ per ipsos transeunti amicabilem & B securissimum darent transitum & conductum; quia tamen militia ipsa vsque ad eos veniente, ac petente transitum iam promissum, promissionem scilicet, & responsum finale de die in diem prorogantes, eorum transitum per vndecim dies importunitate improba retardarunt. Ideò dicta militia malitiam eorum exterrere satagens, docensque eos iuxta honestissimum statum, ritumque Francorum reddere, quo quis nouit transiuit, per eos non exhibita veruntamen facultate.

De Palauisino & Brixiensibus simul.

POSTQVAM autem milites Christi districtum Mediolanensium transiuerunt, exitu strenuo, in nociuo Palauisinus, qui se vocabat Vicarium Imperij per Lombardiam, quique antea tumidè & superbè, imò temeraria præsumptione scripserat Illustri Regi Francorum partim rogando eum, partim etiam comminando, vt induceret fratrem suum Illustrem CAROLVM Comitem, vt contra inuictissimum Manfredum Regem filium Illustris Frederici: Diui quondam Imperatoris Romanorum tam arduum negotium non aggrederetur, in quo facilè confundi posset, & nullatenus honorari, sed potiùs desisteret, alioquin ipse Palauisinus hoc sustinere non posset, sed opponeret se sibi cum octingentis millibus armatorum, de quibus octuaginta millia essent cum equis faleratis armis militaribus resplendentes. Ecce apud suchinum satis magnam, non tamen ad summam qua se iactauerat, sed infra armatorum multitudinem congregarat. Insuper se cum Brixiensibus adunauit, vbi etiam magna militia congregata moliebatur resistere tam cum illis quam C cum suis, militiæ transeunti. Verùm, quia militia Gallicana, quæ intra inimicos nouem dierum moram traxit, inter alia Castra fortissima debellata per eos cum resistentium detrimento, & capta, Castrum etiam Capreoti, quod ab omnibus inexpugnabile reputabatur, ceperant per violentiæ bellicæ gloriam & triumphum: Brixienses de huiusmodi eorum gloria stupefacti, & quasi extra se positi, se ipsis opponere nullatenus præsumpserunt, quamuis ciuitatem suam fossatis & aliis munimentis nouis, vt transitui Gallicæ multitudinis obstarent, sollicitè roborassent.

Hic summus Pontifex Nobilem virum Dominum Gaufredum de Bello-Monte Capellanum suum Cancellarium Baiocensem, eiusdem Caroli Comitis & Senatoris familiarem & Consiliarium, cum plena Legationis officio misit in occursum pariter & succursum militiæ Gallicanæ Cruce-signatæ per loca fortia, & dubitabilia, per multos Gebellinos, & per quamplures alios aduersarios transeunti.

INTEREA siquidem summus Pontifex intellecto quòd militia carissimi filij sui Domini Caroli Comitis & Senatoris ad seruitium Ecclesiæ quamplurimum opportunum deuotissimè festinaret iis in occursum, pariterque transeundi succursum;

virum Nobilem, prouidum, & in omnibus circumspectum, cum plenæ Legationis officio transmisit, scilicet Dominum Gaufredum de Bello-Monte Capellanum suum, Cancellarium Baiocensem, eiusdem Caroli Comitis familiarem & Consiliarium. Qui cum apud Mantuam constitutus circa noctem audiuisset dictam militiam non ex ciuitatum, Castrorumue amicitia seu fauore liberali, sed per aduersitatem transire, continuò ad occurrendum eis celeriter itineri cæpto se reddidit, & per totam noctem strenuè ac viuaciter cum tribus millibus equitum armatorum equitando, tandem die facto apud Castrum Montis-Clari eos inuenit; Statimque Castrum ipsum, quod ab eis obsidebatur, fecit viriliter debellari, capique violenter. A

Qualiter Dominus Legatus prænominatus Gaufredus per prædicationem Crucis magnum subsidium Ecclesiæ adquisiuit.

CVM autem Legatus idem Dominus Gaufredus ad subsidium Ecclesiæ contra Manfredum quondam Principem & suos complices Crucem solemniter prædicasset, non modicum de Bononia, Ferraria, Mantua, & aliis Comitatibus, de B Prouinciis quoque Lombardiæ, Romaniolæ, ac Marchiæ Treuisanæ, & de aliis partibus Cruce-signatorum subsidium adquisiuit, quos & apud Mantuam corporali & sociali præsentia prouidus adunauit.

Qualiter Legatus iste metum intulit Palauisino.

PALAVISINVS autem, audito quòd iste Legatus magno Cruce-signatorum subsidio acquisito nolebat eum & magnam eius multitudinem armatorum, si ad subsidium Brixiensium se transferrent, à tergo percutere, timore priusquam insultu percussus non præsumpsit transeunti Gallicorum multitudini aliquatenus obuiare. Sicque Legatus ipse transitum eorum, ad quos missus fuerat, ante ciuitatem Brixiensem tali metu præstito victoriosissimum faciendo illæsum fecit totum exercitum Ecclesiæ pertransire, quamuis esset ibi multitudo inimicorum innumerabilis congregata. Et ita deuictis ciuitatibus & Castris, quæ sibi transeundi aditum tam per Lombardiam, quàm per alias regiones denegare volebant, quibusdam ex eis ignominiosè confusis, quibusdam vero in personis læsis grauiter, & aliis interemptis, transierunt numerose acies exercituum eiusdem Illustris Comitis, & Senatoris continuis pacatisque dietis in vrbem ad Domini sui præsentiam cum triumpho, fractis aduersariorum brachiis, magnifica Gallicorum, dum adhuc in veniendo essent, gloria & honore Palauicino, qui eos iussu Domini sui Manfredi quondam Principis impedire potentialiter proponebat, cùm videret validissimo vento C turbinis minui sicut cinis, ducto meliore consilio pauoris pariter, & horroris, se cælicæ virtuli obiicere nullatenus præsumente.

Qualiter Illustris Carolus Comes & Senator vnctus est in Regem Siciliæ, & eius consors Domina Beatrix Comitissa in Reginam.

COLLECTIS siquidem viribus suis apud almam vrbem, clarus Carolus Comes & Senator vnctus alma vrbe in Illustrem Regem Siciliæ, vncta quoque Comitissa in Illustrem Reginam Siciliæ per venerabiles patres Dominum Radulphum Episcopum Albanensem, Dominum Ancherium tituli sanctæ Praxedis, Dominum Hambaldum tituli duodecim Apostolorum Presbyteros, Dominum Richardum sanctiti Angeli, Dominum Gothofredum sancti Georgij ad Velum aureum, Dominum Matheum sanctæ Marthæ in porticu Diaconos sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales à summo Pontifice ad hoc missos, vix octo dies sustinere poterat, quin ad Dei prælium pugil Ecclesiæ festinaret.

Qualiter Roccam arcis Rex obtinuit primo loco.

QVAMQVAM autem cùm magna exercituum multitudo à longinquis partibus venientes sumptus quos domi acceperant expendissent tam longo itinere vniuersos,

A vniuersos, credentes apud vrbem sub Domini Caroli illustris Regis Siciliæ & Senatoris promptam pecuniam inuenire, vel saltem nomine mutui contrahere, à Romanis: Ecce tamen vt volebat non valente eis manum in hoc subsidiosam tunc porrigere, versutia Manfredi quondam Principis sic mercatorum omnium, pecuniam suam ipsis quouis modo concederent, præcluserat voluntates, vt in ipsa quoque vrbe milites Christi non modicam in hac parte pati penuriam sint coacti. Nihilominus tamen decimo quarto die post coronationem suam Illustris Rex, suusque exercitus, egressi ab alma vrbe, octauo die post egressum suum apud quandam arcem Roccam arcis vulgariter appellatam, quam Manfredus quondam Princeps mundo etiam inexpugnabilem iudicabat Castra metati ceperunt eam, licèt ex inedia fracti, per violentiam, & per bellum, faciente Deo primum militiæ suæ passum notabiliter tam venustum.

Qualiter secundo loco sanctum Germanum, & Roccam Iauule obtinuit.

DEINDE Rex Illustris cum suo exercitu ad sanctum Germanum proficiscentes, missos à Manfredo quondam Principe ad obseruandum fortissimum illum transitum, qui est ibi, circiter quatuor millia equites ac sex millia Sarracenos
B pedites inuenerunt, diuersis & splendidis armorum generibus consplendentes, præter armatos alios de Castro sancti Germani, & de Abbatia sancti Benedicti de Monte-Casino, & de Rocca Iauule numerosos. Et licet Rex Illustris inire bellum cum eis in die Cinerum, & non ante firmissime proposito statuisset, & illi per subornatam fraudem, sicut postea scitum extitit, in nocte ipsam diem Cinerum immediatè præcedente Regis exercitum furtiuo insultu percurrere statuissent: quia tamen qui custodit Ierusalem non dormitat, neque dormit, immisit diuina prouisio cordibus quorundam nobilium militum de societate Domini Regis, scilicet Comitis Vindecienſis, Petri de Bello-Monte, & Hugonis de Bauchaio, qui ex ardore belli contra etiam mandatum regium die Martis diem Cinerum sine medio præcedente, contra Sarracenos Manfredi, qui locum quendam, qui sanctus Petrus, & Vuorlatium iuxta eundem locum vocabatur, præoccupatum tenebant, cœperunt militariter experiri. Quod cùm vidissent alij de Regis exercitu & accurrerent, iuuari tandem scintilla modica paulisper sic in maiorem flammam adulta, quasi totus exercitus Regius, quamuis Rege reuocante ad eorum auxilium ardentissimo animo festinabant, in genere * hoc belli sic igne sancti Spiritus succendente, Rege tamen non valente suos ab impetu belli aliquatenus reuocare. Sed tandem diuinæ potius voluntate annuendo præcipiente, quòd indifferenter omnes inimicorum insultui obuiarent, sicut diuina dispositione prærordinauerat occulto iudicio, alioque consilio moderans vniuersa, dictum locum, quem Sarraceni occupauerant, & tenebant, ceperunt
C Gallici per violentiæ Gallicæ gloriam & triumphum, cadentibus in illo prælio de parte Manfredi quondam Principis mille quingentis armatis, & amplius, aliisquoque ex hac inopinata & gloriosa victoria stupefactis, à Cario vsque ad reddendi se consilium consternatis. Et ita cùm sciat Dominus cogitationes hominum quoniam vanæ sunt, illis, qui furtiuum insultum in Illustrem Regem & in suos facere constituerant, eadem nocte fugientibus & dispersis, Rex ipse in die Cinerum in sancto Germano, loco videlicet munitissimo, non bellum, vt credebat, sed pacem inuenit, cum bellum plerumque causa sit pacis, sic diuina manu cœlitus celebratam.

De Rocca Iauule.

ROCCÆ quoque Iauule detentores cùm vidissent occisos tot fautores partis suæ, Burgum captum, sanctumque Germanum contra omnem superbiam Manfredi quondam Principis, suorumque complicium victorialiter obtentam, militiamque Regiam copiis bellicis promptam paratam, & instructam ad Roccam Iauule destruendam, Regiæ se clementiæ reddiderunt: videntes quòd licet Rocca Iauule esset inexpugnabilis pro immensa fortitudine, quia tamen Deus formidabilis est, omni fortitudine corruat, cedendum excelsi dexteræ censuerunt, seque victoriali manui reddiderunt spiritu consilij melioris.

Qualiter Castrum Montis-Casini Rex obtinuit, obtentumque Cœnobio beati Benedicti restituit. A

LOCVS autem Cœnobij sancti Benedicti Principalis in Monte-Casino excelso & fortissimo quondam, sub obseruantia regulari ad plangenda mundi huius & immundi peccamina, sanctorum virorum collegio complantatus, cùm per Manfredum quondam Principem, patremque suum, priùs ad prophanos vsus redactus teneretur ob immensam sui fortitudinem à suis satellitibus occupatus. Illustris Rex Carolus volens, in eo mœnibus supernæ Ierusalem in hac parte consuli, ex condigno misso exercitu locum illum munitissimum de manibus inimicorum belli forciâ recepit, receptumque Cœnobio beati Benedicti ad exercenda ibi spiritualia restituit.

Qualiter xxxij. Castra obtenta restituit Cœnobio eidem.

QVÆ omnia circa sanctum Germanum iusto Dei iudicio breuissimo tempore, scilicet quatuor dierum spatio, facta diuinitus & perfecta, cum circumadiacentia Castra XXXII. numero sensissent, quæ quondam ad Cœnobium prædictum pertinentia per Manfredum & patrem suum fuerant contra iustitiam occupata, continuò se Illustri Regi prædicto tanquam propugnatori cœlico, cum non modico tripudio reddiderunt. Qui etiam eadem Castra prædicto Cœnobio, cuius fuerant, de plano restituit vniuersa. Aliorum quoque locorum Capitanei & personæ Cæsaris hostium Ecclesiæ clementiam implorare anticipationibus mutuis confluebant. B

Hic versus Capuam direxit Rex gressus suos.

VERVM, quia Manfredus quondam Princeps apud Capuam Illustri Regi statuit obuiare, Rex prout celeriùs potuit dirigere gressus suos versus Capuam in illus nomine, cuius agebat negotium properauit. Subiugatis sic & per eum Ecclesiæ, quarumque consistunt inter sanctum Germanum & Capuam, vniuersis.

Hic Manfredus vadum Wlturni fluminis obseruauit.

MANFREDVS autem quondam Princeps Tarentinus, cum apud Capuam promissum sic Græcorum, Turcorum, & Teutonicorum subsidium non modicum expectaret, cepit vadum fluminis versus Capuam, Wlturnus wlgariter appellati, quasi prouidè obseruare non modico tempore, ne per pontem vel quouis modo alio super eum & super Capuam posset Regis exercitus pertransire. C

De Ponte Capuano, de turribus eius, & de imagine Frederici, & de versiculis ibidem sculptis.

HIc est Pons, in cuius capite pater Manfredi Fredericus, cùm quondam Imperatoris statu gauderet, duas turres miræ magnitudinis, fortitudinis, & pulchritudinis, expensis in ea re ædificiis viginti millibus vnciarum auri purissimi, construxit, ibique suam imaginem in æternam & immortalem memoriam sculpi fecit, extensis brachiis duobusque digitis, quasi hos tumidæ comminationis versiculos intonantem, quia etiam ibidem ad metum transeuntium, ac eorum quibus recitantur, sunt consculpti.

Cæsaris Imperio Regni concordia fio,
Quam miseros facio quos variare scio.
Intrent securi qui quærunt viuere puri,
Infidus excludi timeat vel carcere trudi.

Qualiter

A *Qualiter Manfredus quondam Princeps volebat Capuam igni comburere & delere, & qualiter Deus liberauit.*

CVM autem Manfredus quondam Princeps deliberato consilio statuisset, vt melioribus Capuanæ ciuitatis in vinculis adductis, aliis quoque omnibus interemptis per eum, ipsam ciuitatem igni combureret, reputans minus malum fore deleri eam per eum, quàm casu aliquo per inimicum occupari, cum Capua sit caput Apuliæ, satque famosissima ciuitas tam in regalibus, quàm aliis libris authenticis magno & eleganti nomine honestata, diuina prouisione factum creditur immissum esse cordi Regis Caroli de supernis adhærendum esse salubri Venatorum exemplo in hac parte, qui quia desiderant apprehendere feram siue bestiam, quam venantur, siue per insecutionis vestigia, siue per transitum bestiæ, per ingeniosas insidias obseruando student magno præsidio iungi: consimiliter etiam personam Manfredi vbicumque esse percepit aggredi festinauit, dilationibus omnibus quantum in eo fuerat, prætermissis. Et ita, Rex ipse spiritu Dei præuio consequutus etiam spiritum consilij, huiusmodi actus disposuit vt Capuam vallaret, Manfre-
B dumque in ea. Cumque adhuc à Capua longè positus consilio commisisset, ex qua parte Capuam expugnaret, sapientum consilio visum fuit non ex ea parte, qua dictus fluuius, muri, & turres fortitudinem ei dabant, expendere vires suas, sed à parte altera faciliùs experiri. Vnde cum nouisset Castra sua, vt quamuis amplum circuitum faciendo, Capuam à parte altera faciliùs auxiliante Domino expugnaret, iter faciens Thelesium peruenit. Manfredus autem quondam Princeps vt audiuit, quòd Rex Carolus dimiserat rectam viam Capuam veniendi: & quòd circuitum faciendo volebat Capuam, & ipsum in ea, parte altera faciliùs obsidere, totùs metui ac stupori deditus dixit: Si hostem nostrum hic apud Capuam expectamus, comprehendet nos vtique vniuersos, cùm vires nostræ nondum venerint expectatæ. Meliùs est igitur vt adeamus locum aliquem tutiorem, vbi vel succursum securiùs expectemus, aut eius impetui liberiùs & spatiosiùs obuiemus. Vnde properauit præter velle cum festinantia non modica Beneuentum adire, & ita Capuam, eiusque meliores liberauit Dominus, & pauperes à potente.

Qualiter Capua, Neapolis, & aliæ ciuitates veniebant ad implorandum Regis clementiam cum tremore.

CVMQVE ciuitates & Castra Regionis eiusdem brachium Ecclesiæ per ministerium regium & egregium confortari viderent, adeo vt virtus cœlica quasi de nouo intonuerit Ecclesiæ istud victoriæ timpanum. *Obserua igitur, & audi vocem*
C *meam, & inimicus ero inimicis tuis, & affligentes te affligam, & præcedet te Angelus meus.* Primò ciuitas Capuana, & Neapolitana, postmodum aliæ quoque ciuitates & Castra ad magnifici Regis Imperium tanquam ad leonis rugitum timorem omnibus inferentem, tracta quasi quodam metus, horrorisue funiculo veniebant ad implorandam Regis clementiam cum reuerentia & tremore.

Quam manifestè dirigebat Dominus gressus Regis.

REx autem audito Manfredi quondam Principis versus Beneuentum profecto, cùm Thelesium, sicut dictum est, peruenisset, captoque consilio statuisset vt priùs totam terram laboris reflecteret; & postmodum Manfredum quondam Principem fortiùs insequeretur: Esurie militum pane terræ sterilis saturata, volens Deus, qui Moysi quondam in nube loquebatur, loqui nunc caro suo Carolo in elementis fluminis, quod ibi transire habebant, tanta fecit eadem nocte inundationis rabie intumesci, vt ipsa nox aquarum multarum quasi quodam terribili rugitu tonare videretur, non placere Domino ordinem hunc seruari: sed exterminato priùs Manfredo Regnum deinde peragere. Et ita orto diuino hortamine inundationis huiusmodi, Rex eo properantiùs duce Christo hostem insequi publicum est directus, quo animi erat ei penes consilium sapientum, quietem sibi non dare, sed ad prælium perurgere.

A

Qualiter Decanus Meldensis omnibus de Regis exercitu Corpus & Sanguinem Christi dedit, & Episcopus Altisiodorensis ante congressum absoluit eos ab omnibus nexibus peccatorum.

CVM autem Castra sua Rex mutato consilio versus Beneuentum proficisci mouisset, ac Nobiles viri Constabularius & Marescalcus præambuli ad octo milliaria, vbi Castra metaretur exercitus, tantoria iam fixissent; Rex postmodum superueniens fixa eorum tentoria relaxauit, & vt ad Beneuentum descenderent è vicino sex milliaria dietæ superaddidit illo die. Cum Castra Regia sex milliaribus peractis sua ibi tentoria fixissent, & Rex Illustris salutaribus monitis præhabitis præcepisset, vt vnusquisque Dei & Ecclesiæ seruitio insistens muniret se viatico Eucharistiæ, Decanus Meldensis Regni Siciliæ Cancellarius, vir magni nominis ac vitæ venerabilis, associatis sibi de Ordinibus Fratrum Prædicatorum & Minorum Presbyteris non paucis, auditis prius eorum Confessionibus, & sic à peccatorum omnium nexibus liberatis, corpus & Sanguinem Christi dedit eis. Postmodum etiam venerabilis pater Dominus Episcopus Altisiodorensis, seminato militibus verbo Dei, ac ostenso inter alia nedum prope esse, sed quod eis aduenerit Regnum Dei, peruenit cum sanctis congressum absolutione peccatorum omnium generali. B

Qualiter Rex nouem acies in quinque redigit.

ET licet, sicut in præcedentibus est tactum, exercitus regius expensis necessariis extenuatus tam in equis quàm etiam in hominibus ingrata esurie angeretur, in Crastino tamen, scilicet sexta feria, quæ est dies belli, à primo diluculo vsque ad horam quasi tertiam, per districta nemorum, decliuia vallium, & prærupta montium, decem milliaria equites cum ad quemdam montem Capraria vocatum, distantem à Beneuento circiter quatuor miliaria, peruenissent, ibi regia industria nouem acies quas habebat in quinque redegit, prouidè ad cautelam quinque peritos milites & præfectos præficiendo eisdem: vt videlicet cum belli Dei, cui Rex deuotus humeros suos subiecerat, melius circa quinque præfectos, quàm circa nouem Regia circumspectio exercere valeret, sensum ad plura diuisum vt minorem ad singula, sic ad pauciora sufficientiorem prospectans.

Qualiter vterque ante congressum allocutus est gentem suam.

POSITIS itaque Manfredo quondam Principe apud Beneuentum, Rege verò Illustri apud montem Caprariam vulgariter appellatum, qualiter vterque gentem suam fuerit allocutus. Ecce hinc posteris exemplum, hinc stupori admiratio colligatur. C

Qualiter Manfredus alloquitur gentem suam.

„ MANFREDVS etenim vniuersis partis suæ fautoribus ita dixit: Inuenio in
„ libris sapientissimorum Astrologorum, quorum speculatio infallibilis est,
„ & concordans, patrem meum Dominum Fredericum eis obtemperantissimè inten-
„ dentem fecisse per fausta * imperialia pertransire, quòd ciuitas Beneuentana per
„ me debeat periclitari. Vnde cùm ineuitabile futurum sit necesse, vehementissima
„ me admiratio stupori adæquabilis apprehendit, ex qua videlicet, vel ex quibus cau-
„ sis me scio euerti oporteat voluntatem. Cùm ciuitas Beneuentana, mei siue fidelissi-
„ mi, & ego menti posuerim ipsos tanquam emeritos supra omnes alios Regni fideles
„ gratiarum prosequi donatiuis: Nullus tamen de toto exercitu suo, vel de fautoribus
„ fertur ei dedisse responsum confortationis vel consilij, sed totum consilium silen-
„ tio suffocarunt. Cumque vidisset Manfredus quondam Princeps, quòd verba hæc
„ auditores non iocundè susceperant, sed tristanter, volens quasi ipse sibi negatum
„ gaudium simulare, quasi per indignationem subiunxit. Scitote Domini circum-
„ stantes, quòd ego hodie fore non potero nisi lætus. Gipertitam etenim causam
„ meam diuido, vel vincam hodie, vel moriar. Si victor extitero, excelsius gaudium
exquirere

A exquirere non est mihi, per hoc enim acquisitum erit, mihi quempiam mortalium de cætero non timere. Sin autem interream, nomine Regis moriar vitam pro regni certamine pulcherrimè concludentis. Nullus autem excogitet; quòd extra ista duo membra tertium mihi hoc euenire valeat, videlicet capi viuum. Vos autem ô consanguinei mei, qui non pro Regno certatis, ideóque mortem quantum fas fuerit libenter euitabitis: quia fecistis me haberi odio ab omnibus amicis meis de Regno, cùm quosdam ex eis vobis suggerentibus interemi, quosdam mutilaui, alios carcere detineri præscripsi, nec vnquam cum matre Ecclesia componere permisistis. Videbo antequam moriar, vel etiam in anima post mortem, occidi turpiter, aut in talem captiuitatem trudi non immeritò & includi, in qua cum Hieremia plangere possitis: *Melius fuit occisis gladio quàm interfectis fame.*

Qualiter illustris Rex Carolus alloquitur gentem suam.

ILLVSTRIS autem Rex Carolus vniuersos militiæ suæ socios huiuscemodi verbis ad Dei prælium inducebat: ô præclari socij & commilitones mei, spiritus
B Domini, qui in exordio mundi huius ferebatur super aquas, ex omnibus gentibus, quæ sicut aquæ fluxu continuò diffluunt ritu mundi labentis, hoc tempore nos specialiter elegit suum prælium præliari, quos nouit à primis progenitoribus deuotissimos sibi & Ecclesiæ suæ sanctæ. Placeat, igitur vos reminisci sanctissimam deuotionem felicissimæ memoriæ progenitorum vestrorum, à mundo * clarissimam probitatem, qualiter cum magno Carolo felicissimo Imperatore Romanorum in diuersas mundi partes quondam in seruitio Dei & Ecclesiæ proficiscentes tam spectabilia obsequia præbuerunt. Cúmque frequenter, vt status fidei Christianæ reputetur hodie ab Ecclesia, per ipsorum fidem & brachium non modicum confortatus, vnde dignum est quòd sancta mater Ecclesia vos fiducialius inuocet ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, qui abrepto incontinenti gladio Petri, quo auriculam serui absciderat, id est gladio spiritus quod est verbum Dei, hoc est Iesus Christus, & ense Pauli, qui conualescentes ex fide confundebat iudæos, affirmans quoniam Iesus est Christus, iniuriam Dei & Ecclesiæ iuxta solitum victoriâ dextera vlciscantur: cùm Ecclesiæ non sint fas percutere in gladio materiali, iuxta illud, *Conuerte gladium tuum in vaginam.* Et cùm huiusmodi opera mundo clara exercuerint charissimi antecessores vestri per fidem, per quam iustus viuit, licet peccatores simus (in multis enim peccauimus) omnes reminiscamur, illius verbi prælucidi *Sancti per fidem vicerunt Regna, &, lux cœlica emicat lucem suam, & veritatem suam,* spiritus scilicet consilij & fortitudinis, quæ felices progenitores vestros deduxerunt per seruitia Ecclesiæ, & adduxerunt in montem sanctum suum, & in tabernacula
C sua. In qua quidem fide decet nunc nos esse deuotos, maximè in Regno Ecclesiæ recuperando: reducendo menti verbum illud beati Ioannis, quia, *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.* Consideretis etiam, dilectissimi socij, consortes fortunæ vnius, videlicet vitæ vel mortis, quòd nos non venimus ad præsens principaliter accipere Regnum, sed venimus pro fide Dei & Ecclesiæ suum præliũ præliari, suamque iniuriam propulsare. Vnde causa sit Dei, & prælium sit suum. Si nos fuerimus fortes in fide, dabit vtique virtutem, & fortitudinem plebi suæ benedictus Deus.

Tria notabilia, quæ in quolibet milite perfecto concurrunt.

ITEM in quolibet milite perfecto tria concurrunt, Sapientia, Fortitudo, & Audacia. Et cùm in hoste nostro Manfredo, & suis complicibus horum contraria claro clariùs videamus, scilicet malitiam, superbiam, & temeritatem. Eya ergo milites Christi iuncti hodie Christo per communicationem pretiosissimi corporis & sanguinis sui, sapientia vincat malitiam, fortitudo superbiam vt & per audaciam dignè temeritas feriatur.

Tria notabilia in bello.

ITEM cùm in huiusmodi præliis tria consueuerunt accidere, scilicet vel mori, vel vincere, quæ sunt strenuorum aut proborum, aut quod est morte turpius, fugæ

,, remedia adhibere. Quartum verò scilicet captiuari, non est computabile, cùm sit A
,, reputabilis mors secunda. Hortor vos ad honorem & gloriam nationis ac Religio-
,, nis Francorum, quatinus tertium hoc membrum à nobis penitus elidi debeat & ab-
,, scidi: quoniam si casu ignominiosus cogitationis fumus ascenderet caput nostrum,
,, locus noster refugij, scilicet natale solum, longo distat spatio sicut scitis, hic autem
,, non foret vbi reconderetis capita tam probrosa, qualia etsi in Franciam, aut Pro-
,, uinciam veherentur, quid aliud dicerent nobis praeclari nostri cari, nisi, væ nobis,
,, vt quid nati sumus videre in istis nostræ inuicem gentis opprobrium sempiternum?
,, Necessarium est igitur, vel vt moriamur egregie in prælio Dei & fidei, aut cum
,, gratia Dei & fidei memorialem & salutiferam memoriam teneamus. Cùm longe
,, melius sit præsertim in bello Dei & Ecclesiæ benè mori, quam malè viuere. Item
,, considerare debetis vniuersi, qui Christiana professione censemini quòd illi sunt
,, excommunicati, nos autem per obsequiosam communionem Ecclesiæ militantis.
,, Magna fides, spesque non minor, debent introducere in Ecclesiam triumphantem,
,, dum tamen per fidem perfectam ac spem bonam, ac per eam, quæ his est maior,
,, charitatem, sic vnanimiter pro iustitia pugnaueritis, vt prælio moriamini, pro de-
,, fensione alterius nullatenus postponetis, tam vitam quam mortem socij propriam B
,, iudicantes. Perspicatius etiam intueri potestis: quò altiùs mentem nostram iustitia
,, & fiducia eleuant in sublimi, pugnandique audaciam subministrant, eò fortiùs ani-
,, mum aduersariorum nostrorum votumque pugnandi excommunicatio & iniustitia
,, in ima deprimunt, & subruunt in profundum. Quis enim sanæ mentis tormenta ge-
,, hennalia non pauescat, maximè in ambitu finis, imò certæ perditionis periculo
,, constitutus. Nam & ipsi qui vnum Deum credunt Sarraceni, & colunt iuxta ritum
,, istum, eum reputant in iudicio non obliquum. Ideo contra causam iniustam, quam
,, fouent inuiti, seu quadam incautabilitate tracti & ducti, vt creditur, potiùs quàm
,, volentes, hunc merito pugnandi animum obligatum, cum autem sensus habeant
,, * si non etiam intellectum, sacra videretis refugientem. Placeat igitur nobis sic Deo
,, placere in præsenti, vt vos quoque nobis placeat placuisse. Ex quibus verbis totus
exercitus regius mirabiliter confortatus, tam vnanimiter, tamque effusis viribus
æternorum intuitu postmodum pugnauerunt, vt pro victoria Ecclesiæ mori quo-
que paruipenderent, instar Christi militum perfectorum, nedum sanguinem suum
tantum in calicem Dominicum propugnare *.

* for. propinare.

Qualiter quidam volebant prælium crastinare, sed Rex non permisit.

NOTANDVM autem, quòd licèt quidam de exercitu, pro eo quod per viarum discrimina tam milites quàm equi tam laboribus quàm inediâ fuerant per nimium fatigati, & propter hoc ad sustinendum pondus prælij minus apti, consulerent prælium crastinari, nobili & egregio militi Domino Busono de Burdogalea C eisdem satis rationabiliter contradicente, videlicet deuium esse à via rationis dare sic audaciam inimicis. Crederent enim, si prælium differretur, quòd Gallici corde mortui bellum eorum positum crastinarent. Rex tamen industrius, cuius cor sine intermissione sollicitabatur de non dando quietem inimico, sed ad prælium perurgendo eorum crastinationem, verbis tam efficacibus interemit. Dixit enim: „ quamquam, ô præclari socij, nos & equos inedia & lassitudo prægrauauit, quia tamen „ sol in sextam feriam tunc illuxit, qua in die Redemptor mundi hostem humani „ generis prostrauit; ideo prælium eius hodie sine intermissione aliqua præliemur. „ Ipse etenim, qui cœpit in nobis opus bonum, perficiet, confirmabit, solidabitque „ etiam famescentes. Ipsi gloria in secula seculorum. Et cùm omnes in signum consensus gratias nati * responderunt, amen amen. Quem oriens ex alto Dominus virtutum, & Rex gloriæ bello exitum dederit, ecce literæ nobilium militum Gallicorum missæ de Domini Regis exercitu de ipso campo prælij in Franciam insinuent potiùs quàm ego, translatæ per me sub hiis verbit de Gallico in Latinum.

Ecce

A

Ecce totus belli processus de ipso campo prælij in Franciam intimatus.

DILECTIS Dominis suis & amicis omnibus militibus, & omnibus nobilibus de Andegauia, & de Turonia, Hugo de Bauçoyo eorum miles & amicus, & omnes eius socij salutem & amorem. Noua de exercitu Dei & Ecclesiæ, & de nobis, vobis ex promissæ amicitiæ nexu, quo vestri obliuisci non possumus, intimamus. Nam nos sanos & incolumes per Dei gratiam habemus. Noueritis Dominum nostrum Dominum CAROLVM illustrem Regem Siciliæ die Lunæ post Dominicam *Inuocauit*, de sancto Germano exiuisse, qui cum Beneuentum absque bellorum obiectu aliquo, quin potius serenatis magis ac magis successibus propinquasset, vtpote ciuitatibus Alipnia, & de Celese, & Capua, & aliis quoque ciuitatibus, castris, & Fortelitiis se dicto illustri Regi reddentibus, non paucis etiam Comitibus, militibus, & Baronibus, Manfredo relicto, ad eundem illustrem Regem confluentibus, die Iouis post festum Matthiæ Apostoli castrametatus est in quadam sylua prope Beneuentum ad quindecim miliaria, Manfredo apud Beneuentum cum suarum vniuersitate virium existente, & illa nocte venerunt ad Manfredum quondam Principem octingenti Theutonici cum equis & armis: qua de causa fuit ipse Manfredus magis ac magis ad committendum prælium animatus. Illucescente verò die crastina, scilicet sexta feria, cùm diuini prælij exequutor illustris cum suis viribus propinquasset Beneuentum, ecce de quodam monte descendentes vidimus in quadam planicie pulcherrima Manfredum quondam principem cum toto exercitu suo & posse, aciebus paratis ad prælium mirabiliter ordinatis, secundum quod considerari potuit benè quinque millibus equorum faleratorum, & decem millibus Sarracenorum peditum cum arcubus & sagittis. Cumque acies nostra prima tanquam aggredientium vsque ad eos planè processisset, aliis quoque aciebus nostris consequentibus prout fuerant ordinatæ, illi tanquam ingeniosiùs expectabant. Videntes tamen nos esse prope, imò quasi super ipsos, mouerunt se aliquantulum, planis tamen passibus, aduersus nos, & sic communiti cœpimus ingrata sitientibus pocula propinare.

B

Quod altis personis qualibet acies Regia rutilabat.

VT autem audientes delectabiliùs audiant qualium & quantorum virorum personis nostra quælibet acies rutilabat. In prima siquidem acie nostra Prouinciales egregij milites parti nostræ, imo Ecclesiæ Dei ad habendam victoriam laudabiliter ministrantes, quibusdam etiam associatis sibi Dominus Ioannes de Verrasylua Marescalcus Siciliæ, Dominus Guido Marescalcus Merapij, Dominus Philippus de Monte-forti, Dominus Guillelmus Prunelecius, Dominus Ioannes de Mariolis, & Dominus Grauasius de Magduno milites, refulgentes sole iustitiæ in eorum clypeos aureos. Hij omnes pariter ac vnanimiter spectabilia obsequia præbuerunt gratissima Deo & Ecclesiæ sanctæ suæ.

C

Secunda acies, in qua fuit ipse Dominus Rex personaliter.

SECVNDAM verò aciem nostram Dominus noster illustris Rex Carolus sola corporali præsentia tanquam solis radio, cum quo erant Venerabilis pater Dominus Episcopus Altisiodorensis, Dominus Henricus de Suliaco, Dominus Hugo eius frater dictus Archiepiscopus milites, & omnes alij de domo Belli-montis, & Dominus Petrus Cambellanus Franciæ, cum Francigenis, tanquam planetæ cœlicæ mirabiliter illustrabant, aquilâ velociores, leonibus fortiores.

Tertia Domini Regis acies.

TERTIAM quoque aciem nostram personæ nobilissimorum & robustissimorum virorum, Domini Roberti primogeniti Comitis Flandriæ, & Domini Ioannis primogeniti Comitis Suessionensis, cum Bellouacensibus, Viromendensibus, & Remensibus, tanquam fulgura & coruscationes terribiles reddebant se hostibus tremebundos.

A

Quarta & quinta Domini nostri acies.

VLTIMÆ verò duæ nostræ acies, videlicet quarta & quinta, nihil à dictarum trium acierum, spiritu scilicet fortitudinis, & timoris Domini, discrepantes: quarta Petrogorisentium velut vltionis diuinæ, quinta verò almæ vrbis, scilicet nobilium Romanorum, Campanorum, Lombardorum & Tuscorum, tanquam dracones, seu iræ Dei falcibus fulgurabant. Et sic cauda quasi draconica plectentes superstites peremerunt, campumque sanguinis pararunt diutinæ fœditati ac memoriæ sempiternæ.

Quæ acies aciei se commisit.

ET prima quidem acies nostra commisit se primæ aciei Manfredi quondam principis, in qua erat Comes Iordanus, qui Comes Manuppellij erat, & dicti Manfredi gradu consanguinitatis coniunctus, cum multitudine Allamannorum & gentium aliorum. B

De secunda Manfredi acie.

SECVNDÆ aciei Manfredi quondam Principis, in qua erant Comes Barchinus & Comes Galuanus, cum magna multitudine Allamannorum, Sarracenorum, & Apulorum, secunda Domini nostri acies se commisit. Quæ quidem quatuor acies tanto ardore belli, tantaque siti victoriæ obtinendæ sese inuicem irruerunt, vt ipse quoque virtutes cœlicæ quasi iuxta eos contendere viderentur. Lucifero cogitante, *ponam sedem meam ab Aquilone, & ero similis altissimo*, Michaële verò iuxta interpretationem nominis concludente præualidè, *Quis vt Deus?* & ideo cum Angelis veritatis, cum tronis iustitiæ, & dominationibus potentiæ, duæ nostræ acies sic aduersæ imo euersæ dominationes vires virtuosissimè ruperunt, quod occisis ex eis quampluribus & captiuis, nominatim Iordano & Barchino Comitibus, aliis quoque non paucis, illud retroactis temporibus prophetatum velut in exitu belli huius suum recentius ministerium ministrauit. Cecidit Babylon illa magna.

Tertia Manfredi quondam principis acies.

CVM autem tertiæ aciei miræ magnitudinis, quam ipse Manfredus quondam Princeps tanquam capitis sui singulare præsidium alteri non creditam ducebat, quæ multis Comitibus, multis Marchionibus, & aliis quampluribus splendidissimè armatis inradiata intuentium oculos obscondebat, nostra se tertia commisisset, cœpissentque partes dare læthifera debita mutuatim, gens Manfredi quondam Principis, sicut postea constitit, in campo eodem obruti, videntes quòd duas eorum primas acies nostri armati tanquam falcones & aquilæ celeres agilesve, seu tanquam rigidissimi apri de sylua, exterminauerant viriliter & potenter, sentientes etiam quòd aciei suæ grossities paulatim passim cum diuino iudicio rarescebat, & quòd socij veri à quibus solamina expectabant, equorum pedibus miserabiliter obuoluti eis quasi retiacula concessebant: cœperunt prout vnusquisque poterat fugæ sibi remedium mendicare. Ne tamen eis virtus mendicitatis huiusmodi obumbraret, animosi nostri plus etiam quàm prius nouo ac votiuo victoriæ munere animati, quamplures ex eis occiderunt, aliosque vsque ciuitatem Beneuentanam, & vltra minantibus gladiis fugauerunt, ipsaque ciuitas fuit capta. Et quia aliis quoque fugientibus erat quasi pro solamine solitudo, ideoque qui huc, qui illuc dispercius fugere properabant, quærentes antra deserti, petrarumque foramina capitibus recondendis, nec insequentibus resistere poterant animo consternati. Occidebantur facile semiuiui, numerosi etiam in Beneuentano flumine suffocati. C

De numero

A

De numero captorum, præter illos qui in viis & deuiis perierunt.

ET licet omnium occisorum certus non potuerit haberi numerus, eorum tamen qui campo sanguinis perierunt, quidam duo, quidam tria millla pro certo numero posuerunt. De nostris tantum vnus mortuus in terra viuentium veritatis testimonium perhibuit, quòd nunquam viderint prælium tam optimum, tamque pulcherrimum in hac morientium terra, quandiu eius prolongatus fuerat incolatus.

De completione Protophetiæ Manfredi super beneuento periclitando per eum.

HOc autem prætermittendum non videtur, quia cum fugientes ante faciem tribulantium, pluresque Beneuentum intrarent, tanquam ibi haberent refugium præparatum, tempestas eos insequens occidit tam incolas ciuitatis Beneuentanæ non paucos, casualiter tamen, & non seriò, quàm etiam fugientes: cùm ignis inuoluens non posset discernere hos ab illis, sicut flamma quæ diffundebatur in fornace, cubitis XLIX. incendit quos reperit de Chaldæis. Et ita iuxta prophetiam Manfredi de Beneuento periclitando per eum, completum fuisse futurum illud, ineuitabiliter est inuentum.

B

De loco, tempore, & modo prælij.

DE loco autem & de tempore prælij, & de modo, vt Deus dignè mirabilis prædicetur, & nostra iocunditas in Domino delectetur, noueritis quòd hora sexta prælio in campo Dominico, scilicet in speciali territorio, siue Domanio Ecclesiæ, inchoatum manè, ante vesperas fuit in eodem campo iusto Dei iudicio feliciter consummatum.

De modo prælij.

ET sicut torneamentum percutiendo, non etiam infringendo, iuxta solitum exercetur, sic Theotonici, sociique docti ab eis, gladiis suis longioribus, securibus; atque clauis percutiendo, prælium exercebant, distantes ab aduersariis spatio longitudinis gladiorum. Sed nostri Gallici velut se agiliter insigentes, aut velut caro cum vngue se suis hostibus vnientes, ex breuibus spatiis suis eorum latera perfodebant, vt vitam demerent corde tacto. Clarum est etenim, quòd infra ipsos exercitui belli strepitus, ductor belli Dei, scilicet illustris Rex Carolus tanquam brachium Domini virtutum fortis in prælio, ac potens ex sapientia pariter & audacia, quas à voce tonitrui magni contraxerat, milites suos ad insistendum prælio sic ore Regio hortabatur, Punctim insigite milites Christi, punctim transfigite. Nec « mirum, circumspectus etenim militum adiutor & doctor legerat in libro de arte militari, quod nobiles Romani nullum alium meliorem modum pugnandi adinuenerint, quàm punctim ferire hostes.

Quod in die belli omnes Cruce-signati fuerunt læti & jocundi.

ET sciatis quòd in die belli omnes nostri erant Cruce-signati, bonæ ac lætæ voluntatis, sicut ipsi inter se, & se tam ante prælium commissum, quàm etiam post quandam quasi cœlitus immissam iocunditatis gratiam conferebant. Verum quia excelsiores apices pleniorem audientibus inducunt fidem ecce litteræ Regiæ tanquam quædam coruscationes intonent plenioris stilla * fidei, & acta cælitus fulmina in Manfredum, missæ summo Pontifici in hæc verba.

Qualiter Rex scribit Domino Papæ de victoria sua.

SANCTISSIMO *in Christo Patri & Domino suo* CLEMENTI *diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici*, CAROLVS *Dei gratia Rex*

Siciliæ, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ, almæ vrbis Senator, Andegauiæ Prouinciæ, & Forcalquerij Comes, cum omni reuerentia & honore deuoto, pedum oscula beatorum. Multum meis reputans successibus adiici, si Romana mater Ecclesia de felicibus filij processibus, in quibus sua causa prouehitur, certa fuit: ecce significo vobis ad gaudium, quod postquam Manfredus publicus hostes victus apud sanctum Germanum, à Capua quoque, vbi se iactabat velle resistere, confusus abscessit. Accepi quòd idem hostis cum suarum reliquiis virium, quæ de sancto Germano per fugam euaserant, profugus per terram laboris se transtulit Beneuentum. Ego autem meas continuando dietas, per Abiphanos & Caliphanos campos contra ipsum hostes duxi, in cælestis virtute præsidij procedendo. Sicque factum est, quòd die veneris XXVI. mensis Febr. quodam desiderio perueniendi citiùs Beneuentum, meum meorumque animos stimulante, ac viarum & passuum difficultatibus, quales vix transieramus antea, superatis, ad quemdam montem perueni, vnde subiectus, & admodum patens campus ordinatas iam hostium acies ostendebat. Propter quod ego, licèt equos commilitonum meorum præ malitia & magnitudine itineris cognoscerem plurimum fatigatos, propter hoc ad sustinendum pondus prælij minus aptos, instructis tamen meis in illius nomine, cuius agebatur negotium, copiis, ex aduerso ad pugnam processi. Et quamuis per magnam horam fuerit vtrimque decertatum, cedentibus tamen diuinæ potentiæ, non meis viribus, duabus Prioribus hostium aciebus, omnes aliæ cum non confiderent aggredientium impetum sustinere, se fugæ remedio commisêre. Facta est itaque in ipso campo tanta strages, quòd celant campum oculis superiacentia corpora occisorum. Nec tamen omnes fugientes fugæ remedium saluos fecit, quin maior pars fugientium in gladio nostrorum ipsos persequentium eo copiosiùs ceciderit, quo dispersiùs fugiendo nec vnus tuebatur alterum, nec eis loca ad quæ confugerent apparebant. Magnum ergo numerum captiuorum ad carcerem nostrum huiusmodi bellicus euentus adduxit. Intra quos Iordanus & Barchinus dictus simplex, qui nomen sibi Comitum hactenus vsurparunt, eorumque fratres, necnon Pieratinus de Florentia perfidissimus Gibellinæ factionis author, in vinculis detinentur. De his autem qui de prioribus partis aduersæ in prælio corruerunt, certam non habens notitiam, nihil vobis exprimere potui propter festinam præsentium missionem, licet Galuanus & Herrigeccus dicti Comites mihi à pluribus asserantur in eodem prælio corruisse. De Manfredo autem, vtrum ceciderit in conflictu, vel captus fuerit, aut euaserit, certum adhuc aliquid non habetur. Destrarius autem, cui insedisse dicitur, & quem habemus, casus affert non modicum argumentum. Hæc igitur, quæ de manu Domini me suscepisse recognosco, ideo beatitudini vestræ denuntio, vt omnipotenti Deo, qui per ministerium meum causas Ecclesiæ prosequitur, deuotas pro tanto triumpho gratias referatis. Certam spem & fiduciam teneatis, quod eradicatis de regno Siciliæ scandalis & seminariis scandalorum, illud ad antiquam & consuetam deuotionem Ecclesiæ Romanæ plenè reducam, ad laudem & gloriam Domini, nominis exaltationem, & pacem ipsius Ecclesiæ, incolarum ipsius regni statum prosperum & tranquillum. Datum Beneuenti XXVI. Februarij die idus IX. regni autem nostri anno primo.

Qualiter Camerarius Domini Papæ literas Regias publicauit.

QVIBVS à Domino nostro Papa & fratribus perlectis prius, & statim consequenter in communi Consistorio per Magistrum Petrum de Carniaco Archidiaconum Senonensem Camerarium summi Pontificis, personaliter publicatis, in tantum laudum præconium accedentibus honoris vocibus campanarum totius Perusinæ ciuitatis, Ecclesia ferebatur, vt non solum vox in excelsis audita esset laudantium Dominum de magnifica gloria & honore, sed etiam resonaret terra in voces eorum. Cumque de morte Manfredi non haberetur vox certa omnium & concordans, sed quidam vnum, quidam verò aliud æstimarent, post dies paucos recepit etiam literas sub sæpefati victoriosissimi Regis autentico in hæc verba.

Qualiter

A *Qualiter scribit Rex Domino Papæ de corpore Manfredi quondam Principis inuento inter cadauera peremptorum.*

TRIVMPHVM mihi concessum cœlitus de Manfredo hoste publico apud Beneuentum sanctitati vestræ nuper memini meis literis intimasse. Verumque inualescente de casu eiusdem hostis in conflictu, inuestigare feci in campo corpora mortuorum, pro eo etiam quòd nullus rumor ipsum Manfredum prædicabat fugæ auxilio ad locum aliquem peruenisse. Contigit quòd die Dominica XXVIII. mensis Februarij corpus eius inuentum est nudum inter cadauera peremptorum. Ne igitur error sibi locum in tanto negotio vendicaret, Ricardo Comiti Casertano fideli nostro, nec non Iordano & Barchino olim dictis Comitibus, & fratribus eorum, aliisque etiam qui eum familiariter nouerunt, & tractauerunt dum viuebat, ostendi feci. Qui recognoscentes ipsum, prædictum esse olim Manfredum præter omne dubium affirmabant. Ego itaque naturali pietate inductus, corpus ipsum cum quadam honorificentia sepulturæ, non tamen Ecclesiasticæ, tradi feci. Datum in Castro apud Beneuentum. I. Mensis Martij, Regni autem nostri anno primo. B

Quali morte, siue quo genere occisionis perijt Manfredus.

VT autem clarum fit omnibus, quo genere occisionis iudicium diuinum percusserit hunc electum, qui dixerat, quòd si eum mori contingeret in hoc bello, pulcherrimè concluderet vitam suam. Ecce qui dubitant sic nouerant veritatem. Nam sicut in præcedentibus est tactum, cùm tertiæ aciei suæ ipse Manfredus ductor existeret, videns ipse armatos suos, eiusdem videlicet tertiæ aciei, in fugam conuersos, ad primæ aciei suæ, quam adhuc in belli certamine persistere credebat, brachium se contulit. Ibique quidam armatus partis Ecclesiæ, de cuius persona & nomine ignoratur, cum in oculo destrarij sui lanceam infixisset, læsus equus anteriore sui parte in sublime leuata, posterioribus pedibus se dimisit. Sicque sessore cadente, Ribaldi pedites Manfredi quondam Principis gulam veluti cuiusdam inter alios prostratos miserabiliter absciderunt, Manfredo clamante voce altissima & dicente, *Ecce, ecce Siciliam sic admitto.* "

Vox Stylographi.

QVA igitur temeritate, ô Manfrede, præsumpseras, qua vesania inuehebaris, quaue iustitia ducebaris, obiicere vas luteum terræ forti, vas vitreum cristallino, vas accidum putridumve vasi electionis diuinæ? An exciderat mente tua, C quòd cùm te primò ad hunc exercitum proiiciebas, dixeras quasi spiritu prophetico familiæ alila * tuæ, Proculdubio in hoc exercitu vel mortem vel captiuitatem incurreres? Aut quomodo poteras obliuisci, vbi eodem die prædicationis tuæ à te prolatæ videres Illustrem Regem Carolum descendentem de monte Capraria ad prælium contra te, diceresque omnibus audientibus. Si aduersarius obtinet montem hunc, quem nos sperabamus tenere contra eum, collapsam credite partem nostram. Quin potius tu ipse determinaueras quæstionem, quia cum suggereretur tibi, vt à cœpto desisteres, si mens tua vehementissima sic dictabat, respondisti desistere non posse, quia sic fieri oportebat.

* *Sic in Cod. MS. sed verbum est corruptum.*

Exhortatio, quæ est loco petitionis.

RECOLLIGIT siquidem Regiæ mentis industria, quia cum ille vtrobique videlicet tam domi quàm in exitu proprium periculum ore proprio prædicabat, isti verò lætitiam animo iubileo. Sicut in præcedentibus est tactum, profectò sol iustitiæ, qui per Fredericum & Manfredum complices prætacti verbi Luciferi quasi secundario in Cruce positus, & in persona deuotissimi famuli sui Domini Caroli Illustris Regis Siciliæ ad profugandam eorum superbiam accinctus, diuersa vtriusque intulit stipendia inimicorum, diffinitiuam sententiam suam, quam intelligi dederat futurorum præsagiis, vt est dictum, dignatus est taliter executioni mandare

ad perpetuam recuperationem & conseruationem Regni Siciliæ, pacem Ecclesiæ suæ, & ad gloriam perpetuam domus Regiæ Francorum, & Coronæ regni Franciæ adiutorem. Quapropter profusis gaudiis, sicut iuris & moris est, ad pedes cum * iusti iudicis in recognitionem sententiæ latæ pro Ecclesia, & pro vobis, qui estis militantis Ecclesiæ defensor magnificus, ad salutem, ac executioni mandare * tam strenuè per egregium palmitem dictæ domus manentem in illa vera vite, quæ dicit. *Qui manet in me, hic fecit fructum multum.* Si placet, vniuersaliter procedentes cum populo Israëlitico cantemus Domino gloriosè. A

Hic venerabilis pater & Dominus Radulphus Episcopus Albanensis mittitur ab Ecclesia Legatus in Siciliam generalis.

POST hæc autem, cùm venerabilis Pater Dominus Radulphus Episcopus Albanensis generalis per totam Siciliam Legatus ab Ecclesia mitteretur, vniuersis aliis fratribus suis sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus eum conducentibus ad honorem, in Crastino Dominicæ passionis noua sedi Apostolicæ fama insonuit, quæ etiam postmodum omni veritate vallari est inuenta, quod sæpefatus Rex Illustris Nuceriam villam Sarracenorum, ac Manfredi quondam Principis per eum perempti vxorem, neptem, & duas filias, totumque thesaurum, naues quoque per quas euerti apparebant, vniuersaliter comprehendit. B

Qualiter Nuceria se reddidit.

NVCERIA verò villa Sarracenorum, quos Fredericus quondam Imperator de diuersis mundi partibus congregarat, ac etiam ipse Manfredus quondam Princeps pro sua possessione & periculo habebat, innumerabilium errore Machameti infectorum multitudine congregata, percepto Manfredi quondam Principis, ac exercitus sui conflictu, se cum toto thesauro Manfredi quondam Principis quem habebat non modico, Domino Regi Carolo absque belli strepitu reddiderunt. Qui, iubente Rege muros omnes, turres, & alias munitiones, quoscumque circa vel infra villam suam habebant, destruentes, fossataque replentes, ad obtinendam gratiam regiam miserunt ei auri & argenti donaria pretiosa, reddentes se in manus Illustris Regis Caroli, tantummodo vita salua, & quod fidem, ritumque suum non compellerentur per violentiam dimittere, nisi per prædicationem verbi Dei, semine pullulante.

De duobus signis diuinis, quæ notauit Ecclesia Romana in hac victoria.

NOTANDVM autem quòd Ecclesia Romana in hac victoria, quam sola diuina dignatio ex noua, mira, & gratuita gratia Ecclesiæ suæ largiri desuper est dignata, duo ista inter alia tanquam diuino signo facta specialiter annotauit. Primò quòd victoriam hanc Dominus noster Iesus Christus dedit Ecclesiæ hora sexta, qua hora Crucifixus à Iudæis hostem humani generis prostrauit. Secundò quòd dedit Ecclesiæ in suo territorio siue domanio speciali, videlicet in campo Dominico Beneuentano, vt quasi area ipsa prælij non sustineret falsum sibi Dominum dominari, sed non suum abigeret, suæque speciosissimæ Dominæ sanctæ matri Ecclesiæ fideliter adhæreret, ac si Manfredo diceret: Peccasti, quiesce, peccasti » in benefactricem tuam matrem Ecclesiam, fatigando: quiesce in matre omnium, » sopore diutino dormiendo, sicut cùm viderat Dominum vniuersorum & suum pendentem in Cruce terra tremuit & quieuit. C

Tertium Signum.

ITEM milites Christi, cùm iam aciebus paratis prælium aggrederentur, eorum oculi prægrauabantur, solis radio eis opposito vehementer. Cumque rogarent verum illum Solem Iustitiæ, vt eis in hac re ingrata virtus Altissimi obumbraret, continuò nubes lucida grata ipsos caligine sic protexit, vt militia Regis conuenienter hostibus dicere potuisset: *Nolite me considerare quod fusca sum, quia decolorauit me*

A *me sol*, nisi occisis omissis potioribus insudassent, Rege vociferante: punctim infigite, punctim transfigite, vt est dictum.

Quartum Signum.

NEc est à stupore miraculi otiosum, quòd prælio consummato sic feliciter, vt est dictum, mox recedente nube sic auras easdem solis radius reillustrat, vt quasi diuina dignatio reddens se suis tractabilem & benignam, nunc nube loqui, nunc radio dignaretur, *Ecce assum qui vocasti me.* "

Quintum etiam nota signum.

QVINTVM etiam nota, sic Dei non est indignum, quòd Manfredus in possessione licet non iure, sed iniquitate, fuit & domi, & sicut iura intonant, melius videretur conditio possidentis, sed ipsius Manfredi qualis sit conditio, ecce vide.

B

De aduentu Henrici fratris Regis Hispaniæ ad Regem Carolum.

EODEM temporis concursu frater Regis Hispaniæ Henricus, vir potens in rebus bellicis, multum callidus, sed sceleratissimus, & in cultu fidei Catholicæ non diligens prosecutor, offenso fratre suo, cùm diu apud Regem Tunarum profugus latuisset, auditoque quòd Carolus Manfredum superasset, & dominaretur, in Apuliam venit ad ipsum cum pluribus probis & electis militibus, qui eum fuerant de Hispania consecuti. Quem Rex Carolus gratanter suscipiens, eò quòd de suo esset sanguine, & in re militari potens & strenuus, illum quamplurimum honorauit. Et quia intentus erat Regni & terræ illius custodiæ, quam de nouo acquisicrat, si posset fieri in pace conseruanda, dictum Henricum amplius honorare cupiens, vrbis Romæ Senatoriam eidem loco sui regendam commisit. Ex quo facto postea damnum & grauamem non modicum reportauit. Clemens Papa obiit; post quem sedes Apostolica per duos annos & nouem menses non valuit propter dissensionem Cardinalium Pontificem obtinere. Vnde commotus populus vrbis Viterbij, vbi tunc Curia existebat, donec Papam elegissent, inclusos tenuit Cardinales.

De aduentu Conradini filij Conradi contra Regem Carolum, & morte ipsius Conradini.

C CONRADINVS filius Conradi filij Frederici Imperatoris Romanorum depositi, qui propter patrui sui Manfredi tyrannidem ad Ducem Baioariæ matris suæ genitorem confugerat, ipsius Manfredi necem intelligens, in spem Regni Siciliæ eleuatus, cum magna Allamannorum multitudine venit Romam; & adiunctis sibi Lombardis, Romanis, & Tuscis quamplurimis, more Imperiali à Romanis militibus susceptus est. Qui parentum suorum prosequens vestigia, & excommunicationem Romanorum Pontificum paruipendens, adiuncto sibi Henrico de Hispania, qui vrbis Romæ Senatoriam pro Rege nouo Siciliæ Carolo gubernabat, aduersus ipsum Carolum magnum exercitum congregauit. Quo Carolus intellecto, Luceriæ ciuitatis obsidione relicta, quæ post primam deditionem ipsum offenderat, contra Conradinum & suos, qui iam versus Albam Campaniæ vrbem processerant, occurrens, cum ipsis in Campo de Lions dimicauit, & fugientibus de parte sua Prouincialibus, & multis aliis exteris nationibus, ante Henricum de Hispania Senatorem, Carolus cum suis Francigenis, qui secum remanserant confecit aciem Conradini. Henricus autem fugatis Prouincialibus, de fuga rediens, & in manu sua putans Carolum iam habere, ab ipso deuictus in prælio fugâ elapsus est. Qui postea ad montem Casinum deueniens captus fuit, & Regis Caroli redditus potestati. Quem, quia captus in sacro loco fuerat, vel ne Abbas de monte Casino, vt dicitur, qui ipsum reddiderat, irregularis fieret, aut ob reuerentiam fratris sui Regis Hispaniæ ipsius Caroli Regis consanguinei, viuum Rex Carolus in carcere

reseruauit. Conradinus autem, qui latenter euaserat, repertus postmodum, & quidam alij viri potentes de genere Manfredi, Caroli Regis iudicio decollantur. Ex hoc facto, post dies paucos tota Apulia, Calabria, & Sicilia, Regis Caroli dominio se submittunt. Gregorius X. Romanæ Ecclesiæ præsidet. Gregorio Papa defuncto Romanæ Ecclesiæ Innocentius V. præsidet. Hic de Ordine fratrum Prædicatorum, assumptus, frater Petrus Tarrecia * vocabatur. Innocentio Papa defuncto, Romanæ Ecclesiæ Adrianus V. natione Ianuensis præsidet. Sed cùm mense vno & diebus nouem sedisset, defungitur. Post quem Romanæ Ecclesiæ Ioannes XX. natione Hispanus successit. Qui cùm sibi vitæ spatium per annos plurimos extendi crederet, & hoc etiam coram multis sæpè assereret, subitò cum noua camera, quam pro se Viterbij circa palatium ædificari fecerat, solus corruit, & inter ligna & lapides collisus sexta die post casum huiusmodi, sacramentis Ecclesiasticis omnibus perceptis, expirans, in Ecclesia S. Laurentij sepultus est: Post quem Romanæ Ecclesiæ Nicolaus IV. natione Romanus de genere Vrsinorum, præsidet. Eo tempore Tyber Romæ vrbis fluuius in tantum suos transcendit alueos, quòd supra altare beatæ Mariæ rotundæ per quatuor pedes & amplius visus est excreuisse. A

1278. *De amotione Regis Caroli à Vicaria Tusciæ, & aduentu filiæ Principis Antiochiæ in Franciam.* B

CAROLVM Regem Siciliæ Papa Nicolaus à Vicaria Tusciæ remouens, constitutiones fecit tam de electionibus Prælatorum, quàm de electione Senatoris vrbis Romæ: Et se Senatorem ad vitam fieri procurans, Senatoriam iussit per suos parentes ferè per duos annos regi. Eodem tempore filia Principis Antiochiæ Maria de Hierusalem in Francia exulans, ius regni Hierusalem, quod sibi competebat, Carolo Regi Siciliæ contulit, eo pacto quòd quandiu ipsa viueret, Rex eidem annuatim quatuor millia librarum Turonensium super prouentus redditiuum Comitatus sui Andegauiæ assignaret. Misso à Papa Nicolao quondam ad Carolum Regem Siciliæ Cardinali vt super Tusciæ amota sibi Vicaria patientiam eius animi attemptaret. * Audito quòd Carolus eius nuntium cum honore & reuerentia suscepisset, & eidem pacificè & modestè respondisset, dixisse fertur, Fidelitatem Carolus habet à domo Franciæ, ingenij perspicuitatem à Regno Hispaniæ, discretionem verborum à frequentatione Romanæ Curiæ, possemus aliis præualere, iustum autem non valebimus superare. Defuncto Papa Nicolao, post quinque menses & viginti dies Romanæ Ecclesiæ Martinus IX. natione Francus præsidet.

Antioch.

* *for. attemperaret.*

De callida nauigatione Petri Regis Arragonum contra Barbaros.

PETRVS Rex Arragonum nauigium parans aduersus Carolum Regem Siciliæ, Siculorum monitu, & vxoris, quæ filia Manfredi fuerat Regni Siciliæ inuasoris, ne perciperetur quod male conceperat, misit ad Romanam Curiam solemnes nuntios, fingendo significans, quòd cum sumptuoso & sollicito apparatu ad seruitium Dei, Ecclesiæ, & exaltationem fidei Catholicæ versus Africam super barbaros potentiæ suæ brachium dirigebat. Inter hæc apud vrbem Hambaldenses de alto sanguine Romanorum proti, Nicolai Papæ audito interitu, conuocata sua parte, Capitolio & vrbis Romæ rochario existentibus sub custodia Vicariorum, quos idem Papa constituerat, inuitis Vrsinis in ciuitate par Dominium habuerunt. Ita quod ex pacto inter eos habito, vnus partes Hambaldensium, & alius ex parte Vrsinorum, fuerunt in Capitolio, Senatorum gerentes officium constituti. Sub quorum regimine multa homicidia, pluresque dissensiones, & alia mala quamplurima, sunt in vrbe & eius districtu habita nec punita. Deinde Papa Martinus eligitur in Senatorem ad vitam, qui loco sui Carolum Regem Siciliæ constituens, de domo eius & familia assumpsit milites ad regendum patrimonium S. Petri, quos cum stipendiariis francigenis fere octingentis in Romaniolam destinauit contra Guidonem Comitem Montis-Felti, qui terram Romanæ Ecclesiæ occupatam illis in partibus detinebat. Deinde apud Vrbem Veterem orta fuit magna dissensio inter ciues, & gentes Caroli Regis Siciliæ, ita vt ad mortem ad Gallicos proclamarent. Et hoc totum factum est per vrbis Capitaneum Rainerium, qui assensum suis ciuibus tribuebat. C

A tribuebat. Sed ad arma Francigenæ concurrentes plurimos de ipsis occiderunt, & sic tunc necessitate cogente prædicta dissensio sopita est. Mense februario piscis marinis in leonis effigie captus apud Viteruetensem, Vrbem Veterem, vbi erat Papa, & Curia, deportatur. Sed quia in sua captione horribiles planctus emiserat, hoc multi signum aliquod futurorum exinde fieri asserebant.

EPISTOLÆ SVMMORVM PONTIFICVM, HONORII TERTII, GREGORII NONI, INNOCENTII QVARTI, ALEXANDRI QVARTI, VRBANI QVARTI, ET MARTINI QVARTI, AD PRINCIPES, ET REGES FRANCORVM, ET SVPER NEGOTIO REGNI SICILIÆ.

B

Ex diuersis Codicibus MS. Epistola HONORII *Pontificis ad* PHILIPPVM *Regem Francorum.*

I.

HONORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei. carissimo in Christo filio* PHILIPPO *Regi Francorum Illustri sal. & Apostol. bened.* EA tibi libenter & fiducialiter suademus, in quibus & obsequium Deo impenditur, & honor Regiæ Celsitudinis promouetur. Sane ad aures tuæ Celsitudinis iam credimus peruenisse, quòd Tholosani ciues præteritorum obliti, & improuidi futurorum, cum quibusdam suis complicibus negotium pacis & fidei tot personarum & rerum laboribus & dispendiis in Prouinciæ partibus procuratum subuertere molientes, contra dilectum filium Nobilem virum Simonem Comitem Montis-Fortis Vassallum tuum assumpto rebellionis spiritu calcaneum erexerunt. Et tam ipsum quàm quoslibet de genere Francorum, à finibus illis, quod absit, exterminare contendunt. Quod non solùm in Dei & Apostolicæ Sedis, verùm & in tuam iniuriam redundaret: cùm præfatus Comes à te terram illam in feudum pro magna parte receperit. Et quicquid ibi actum est in exterminium hæreticæ prauitatis & restaurationem fidei Christianæ per vires tuas & tuorum præcipuè liqueat esse factum.
C Monemus igitur excellentiam tuam, rogamus, & exhortamur, in Domino, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus per homines regni tui, qui Crucesignati non sunt ad subsidium terræ sanctæ, dicto Comiti facias viriliter ac celeriter subueniri: vt per potentiam magnificentiæ tuæ reprimatur insolentia prædictorum ciuium & aliorum, qui contra Deum & honorem tuum coniurasse videntur. Et idem Comes terram ipsam in vnitate pacis & fidei tuo fultus auxilio valeat conseruare, ad tuam & regni tui gloriam & honorem. Cruce-signatos autem pro ipsius terræ sanctæ subsidio volumus ad partes vltramarinas transire in instanti passagio, cùm negotium illud nullatenus impediri velimus. Datum Laterani III. Kal. Ianuarij Pontificatus nostri anno II.

Regi Francorum, de indulgentia.

II.

HONORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, carissimo in Christo filio* PHILIPPO *Regi Francorum Illustri sal. & Apostol. bened.* Ad aures regias nequaquam ambigimus peruenisse iamdudum, quòd in tantum permittente Deo secundum multam iudiciorum suorum abyssum præualuerunt contra pietatem impietas, & tenebræ contra lucem, vt ille Christi athleta intrepidus, illa turris fortitudinis, illud mu-

nimen fidei Christianæ, ille videlicet Comes inclytus Montis-Fortis machinis Tholosanorum corruerit impiorum. In cuius ruina ita erecta sunt confringenda cornua ipsorum, & complicum eorumdem, vt ad eradendum, quod absit, de terra stirpem Comitis memorati, ac totam gentem Francorum in illis partibus consistentem, accitis vndique viribus se accingant. Vnde proculdubiò graue illis videtur periculum imminere, nisi succursum habuerint festinatum. Contra quos si, quod absit, præualeret fautio impiorum, fides & pax in partibus illis generale paterentur naufragium, & regnum Franciæ non solùm damnum irreparabile, verum etiam opprobrium incurreret sempiternum: cùm idem Comes à te in feudum terram illam pro magna parte teneret, & quicquid ibi actum est in exterminium hæreticæ prauitatis, & restaurationem fidei Christianæ, per suas & regni tui vires præcipuè liqueat esse factum. Nos igitur inualescentibus malis validioribus satagentes obuiare remediis, fideles eiusdem regni ad succursum dilecti filij Nobilis viri ALMARICI primogeniti dicti Comitis, ac aliorum qui cum eo decertant pro defensione fidei Christianæ, per innouatas indulgentias excitamus. Specialiter exhortantes carissimum in Christo filium nostrum LVDOVICVM primogenitum tuum, vt ad illorum subsidium, imò ad defensionem fidei Christianæ se accingat viriliter & potenter, sibi & iis qui secum ibunt illam indulgentiam concedendo, quæ concessa est proficiscentibus in subsidium terræ sanctæ: plenam videlicet veniam peccatorum, de quibus verè contriti fuerint & confessi. Verùm, quia hæc specialiter ex tuo nutu dependent, Serenitatem tuam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatinus pro tui regni gloria & honore, pro ipsius reuerentia IESV Christi, pro zelo fidei Christianæ, pro tuorum remedio peccatorum, cùm peccemus omnes, & Dei misericordia egeamus; eundem primogenitum tuum illuc cum digno te ac illo studeas & festines dirigere apparatu, aut aliàs secundum quod Celsitudinis tuæ prudentia expedire cognouerit, cum effectu succurras negotio memorato, quod in antiquum chaos absque ambiguitate relabitur, nisi specialiter per diuinam & tuam potentiam sustentetur. Nos autem de Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli meritis confidentes, eandem tibi concedimus indulgentiam, si iamdictum primogenitum tuum illuc cum digno destinaueris Comitatu: aut saltem aliàs secundum quod magnitudinem tuam decet succurreris negotio sæpedicto. Datum Laterani II. Idus Augusti, Pontificatus nostri anno III.

Domino LODOVICO *filio Regis Francorum.*

III.

HONORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Nobili viro* LVDOVICO *Illustris Regis Francorum primogenito sal. & Apostol. bened.* Ad aures tuas nequaquam ambigimus peruenisse, &c. *Vt in præcedenti, paucis duntaxat verbis immutatis.* Datum Laterani Id. Augusti, Pontificatus nostri anno III.

Philippo Regi Francorum Jllustri.

IV.

HONORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio* PHILIPPO *Regi Francorum Illustri sal. & Apostolicam bened.* Cùm pro negotio pacis & fidei, quod geritur in partibus Tholosanis magna facere secundum magnificentiam tuam incæperis, vigili curâ tibi est prouidendum, ne bonum quod incæpisti spe retributionis æternæ respectus denigret & minuat commodi temporalis. Accepimus siquidem quòd Tholosani & eorum complices ad faciendam nouam concessionem de Comitatu Tholosano & circumadiacentibus terris te multimodis inducere moliuntur. Quod esset contra statuta Ecclesiæ super hoc dudum facta, & etiam contra honestatem tuam, cùm prædicta concesseris claræ memoriæ SIMONI Montis-Fortis Comiti, & dilecto filio Nobili viro AMALRICO Comiti Tholosano. Excellentiæ quidem tuæ prudentia plenè, vt credimus, cognoscit & videt, ipsos Tholosanos & eorum complices ad id specialiter & principaliter tendere, vt apparatum

A apparatum quem fecisti pro iam dicto negotio, quod absit, valeant impedire. Quia verò sine graui scandalo & dispendio tuæ salutis & famæ non posses nouam concessionem facere de prædictis, vel differre promotionem præfati negotij, pro quo tantum apparatum nosceris iam fecisse, plenam habemus fiduciam, quòd tuæ magnitudinis circumspectio hæc attendens, se non sinet seduci prædictorum versutiâ malignorum, nec maculam istam in gloria tua pones, per quam proculdubio multum obfuscaretur titulus tuæ laudis, & tuorum minueretur cumulus meritorum. Ex abundanti tamen Regiæ sublimitatis constantiam sollicitandam duximus & hortandam, quatinus in hoc facto habens præ oculis solum Deum, te à prædictis circumueniri fallacibus non permittas: sed viâ Regia gradiens more tuo, nullius mundanæ vtilitatis obiectu declines ad dexteram vel sinistram. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Idus Maij, Pontificatus nostri anno III.

Tholosano, Carcassonensi, & aliis Episcopis, pro subsidio negotij Iesu Christi.

V.

B HONORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Tholosano Carcassonen. Bigorritanen. & Conuenarum Episcopis sal. & Apostol. benedictionem.* Cùm ad subuentionem fidelium, qui contra peruersores fidei Christianæ decertant in partibus Tholosanis, fideles alios de mandato nostro sollicitè animetis: vt labor noster fructum possit vlteriorem afferre, præsentium vobis auctoritate concedimus, vt in locis, in quibus vos huiusmodi officium exercere contigerit, eis qui pro iniectione manuum violenta, vel etiam pro incendiis excommunicati habentur, si contra inimicos fidei supradictos ire voluerint, postquam passis iniuriam satisfecerint competenter, absolutionis beneficium vice nostra impendere valeatis iuxta formam Ecclesiæ consuetam: nisi forsan aliquorum esset ita grauis & enormis excessus, quòd meritò essent ad sedem Apostolicam destinandi. Concedimus etiam, vt si qui pœnitentiâ siue voto ad laborem alicuius peregrinationis astricti, ad succursum ire voluerint fidelium prædictorum, vobis liceat peregrinationes ipsorum in laborem huiusmodi commutare, Hierosolymitana peregrinatione duntaxat excepta, à qua nullum astrictum ad illam propter hoc volumus excusari. Datum Laterani XI. Kal. Febr. Pontificatus nostri anno III.

Cardinali super Ecclesiis incastellatis.

VI.

C HONORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio B. tituli sanctorum Ioannis & Pauli Presbytero Cardinali Apostolicæ sedis Legato sal. & Apost. bened.* Præsentium tibi auctoritate mandamus, quatinus Ecclesias tuæ largitionis incastellatas excastellari facias, & incastellari de cetero non permittas. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Laterani idus Martij Pontificatus nostri anno III.

Confirmatio totius terræ Albigensis, pro Domino Amalrico.

VII.

HONORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio nobili viro* AMALRICO *Comiti Tholosano sal. & Apostolicam benedictionem.* Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Sanè in Regestis bonæ memoriæ INNOCENTII Papæ prædecessoris nostri perspeximus contineri, quòd ipse Biterrenses Carcassonenses & Albienses ciuitates, ac alias Hæreticorũ terras, quas Dominus tradidit in manibus inclytæ recordationis patris tui, ac exercitus Christiani, eidem patri tuo, cui principes eiusdem exercitus cum consilio Legatorum Apostolicæ sedis illas regendas commiserant, nec dum heredibus eius in fide Catholica & deuotione sedis Apostolicæ permanentibus confirmauit. Principalium dominorum, & aliorum si quibus fortè competit, iure saluo; exceptis Hæreticis & fautoribus, credentibus,

defensoribus, & receptatoribus eorumdem. Eodem patre tuo tres denarios per singulas domos eiusdem terræ annualiter Romanæ Ecclesiæ promittente ad iudicium quòd terras illas ipsas in deuotione Apostolicæ sedis & sancta Religione conseruare de cetero disponebat. Idem etiam prædecessor noster statuit in Concilio generali, vt terra quam Cruce-signati obtinuerunt aduersus Hæreticos, credentes, fautores, & receptatores eorum, cum Monte-albano atque Tholosa, dimitteretur atque concederetur, saluo Catholicorum per omnia iure virorum, mulierum, & Ecclesiarum, Comiti memorato: vt eam ab illis teneret, à quibus est de iure tenenda. Nos igitur tuis iustis precibus inclinati, terras, quas ipsi patri tuo & hæredibus eius dictus prædecessor noster noscitur confirmasse, ad eius exemplar tibi ac hæredibus tuis auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Quòd verò de aliis concedendis & dimittendis eidem patri tuo ordinauit in Concilio generali, circa te ac hæredes tuos habere decernimus robur perpetuæ firmitatis. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani XVI. Kal. Septembris Pontificatus nostri anno III. B

Alia eiusdem Honorij littera ad ipsum Amalricum ijsdem verbis concepta. Laterani III. Non. Iunij, Pontificatus anno V.

Philippo Regi Francorum.

VIII.

HONORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio* PHILIPPO *Regi Francorum Illustri sal. & Apostol. benedictionem.* Ex eo coniicitur te ad succurrendum negotio fidei & pacis in partibus Tholosanis magnum iuxta magnificentiam tuam proposuisse facere apparatum, quòd interim protectionem ac tutelam Apostolicæ sedis tibi ac tuis dignanter exposcere voluisti, qui non solùm tua, sed etiam aliena brachij tui potentiâ protegis & tueris. Nos igitur Regiæ petitioni benignum impertientes assensum, personam & regnum tuum cum omnibus iuribus & pertinentiis suis, necnon personas & terras fidelium tuorum & aliorum, per quos succurres negotio memorato, sub speciali Apostolicæ sedis protectione ac defensione suscipimus, & ea tibi ac illis firma & illibata permanere sancimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani, Non. Septembr. Pontificatus nostri anno III. C

Ingerranno de Cociaco.

IX.

HONORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio nobili viro* INGERRANNO DE COCIACO *sal. & Apostolicam benedictionem.* Sacrosancta Romana Ecclesia deuotos & humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensiùs diligere consueuit: & ne prauorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confouere. Cùm igitur tanquam bonus Christi athleta signo viuificæ crucis assumpto in subsidium exercitus fidei orthodoxæ ad expugnandum Albigenses Hæreticos iam pluries laboraris, nos tuis postulationibus inclinati, personam, familiam, terram, & omnia bona tua, quæ in præsentiarum rationabiliter possides, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Reate XIII. Kal. Octobris Pontificatus nostri anno IV.

A

Archiepiscopis Franciæ.

X.

HONORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & Clericis omnibus per regnum Franciæ constitutis, sal. & Apostolicam benedictionem.* Deo, in cuius manibus sunt corda Regum, gratiarum referimus actiones, quòd carissimus in Christo filius noster PHILIPPVS Rex Francorum illustris, antequam nostræ litteræ, quibus Regiam incitare magnificentiam studebamus ad perfidorum Tholosanorum & suorum complicum malitiam comprimendam, sibi fuerint præsentatæ; ipse diuino spiritu incitatus id assumpsit propositum faciendi, sicut ipsius litteræ nobis exhibitæ declarant. Sanè quòd idem Rex per easdem litteras postulauit, vt de vicesima regni sui & aliis collectis & colligendis ibidem huic subuenire negotio curaremus, animum nostrum quasi quadam perplexitate perstrinxit. A principio enim Ponti-
B ficatus nostri statuimus, vt tam ipsius regni quàm aliorum vicesima colligeretur in singulis diocesibus, & per Episcopum loci si esset Cruce-signatus, alioquin per alios Cruce-signatos ipsius diocesis fideles & idoneos vltra mare ferretur, viris negotio terræ sanctæ vtilibus eroganda: ne si aliter fecissemus, videri potuisset aliquibus, quòd eam vel aliquam partem eius nostris vellemus vsibus applicare. Quod non solum facere nullatenus cogitauimus, verum etiam cameram nostram exausimus pro ipsius negotio terræ sanctæ vltra XX. marcharum millia expendendo. Nobis igitur super prædicti Regis petitione ac eodem statuto sollicitè meditantibus, valdè periculosum visum est, & detractioni obnoxium, pecuniam iamdictæ Terræ sanctæ negotio deputatam in alios vsus conuertere, ipsamque Terram sanctam eadem pecunia quodammodo defraudare. Sed rursum cogitantibus in quantam confusionem negotium pacis & fidei relabitur in partibus Tholosanis & conuicinis, nisi eidem potenter in instanti articulo succurratur; grauissimum visum est negotium illud tantis rerum & personarum dispendiis hactenus procuratum Apostolico auxilio destituere: præsertim cùm negotij iamdicti promotio ad honorem pertineat regni sui, quod Deo teste diligimus præ cæteris regnis mundi: & ille, qui ad quæ vult corda Regum inclinat, propositum succurrendi eidem negotio ipsi Regi dignatus fuerit inspirare. In hac ergo quasi quadam concertatione viam mediam eligentes, sic duximus prouidendum, vt videlicèt excepta vicesima illarum diocesum, quarum Episcopi sunt in partibus transmarinis, vel illuc eundi iter sunt vsque ad festum sancti Ioannis Baptistæ proximum aggressuri, saluis etiam concessionibus, quas quibusdam Episcopis & Baronibus Cruce-signatis, siue qui-
C buslibet aliis fecimus de vicesima terrarum seu Ecclesiarum suarum, ac vicesima Crucesignatis iam tradita, vt per eos vltra mare feratur, ipsius Terræ sanctæ succursui remanente: tota alia vicesima dicti regni, Narbonensi & Auxitanensi Prouinciis duntaxat exceptis, tam collecta quàm etiam colligenda, nec non pecunia truncorum, & pro votorum redemptione donata & donanda de cetero æqualiter diuidatur; & medietate ad ipsius terræ subsidium destinata, reliqua iuxta petitionem Regis eiusdem in prædicto negotio expendatur. Ad eam autem colligendam, & vt prædiximus diuidendam, venerabiles fratres nostros Nouiomensem & Meldensem Episcopos, & dilectum filium Abbatem Cisterciensem duximus deputandos; qui vna medietate iam dictæ terræ subsidio reseruata, reliquam memorato Regi assignare procurent, prout expediens viderint, in stipendiarios & alias vtilitates negotij largiendam. Ideo vobis vniuersis & singulis per Apostolica scripta in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus; quatinus vicesimam ipsam præfatis Episcopis & Abbati, vel quibus etiam hoc onus duxerint iniungendum, sine difficultate ac diminutione qualibet assignetis: scientes nos exercendi censuram canonicam in rebelles dedisse eis per nostras litteras potestatem. Datum Laterani Non. Septembris Pontificatus nostri anno III.

A

Domino Philippo Regi Francorum.

XI.

HONORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio* PHILIPPO *Regi Francorum illustri sal. & Apostol. benedictionem.* Deo, in cuius manibus sunt corda Regum, gratiarum referimus actiones, &c. *vt in præcedenti vsque ad hæc verba*, in stipendiarios & alias vtilitates negotij largiendam. *deinde sequitur.* Decimam quoque redditnum dilecti filij nobilis viri LVDOVICI primogeniti tui, ac vicesimam illorum qui cum eo Angliam intrauerunt, quam de mandato Legati nostri tenentur per biennium mittere vltra mare, huic negotio totaliter deputamus. Ita quòd illi eam sibi retineant, qui personaliter subierint hunc laborem: alij verò eam sibi assignent in subuentionem prædicti negotij conuertendam. Concedimus etiam vt ij, qui eidem primogenito tuo, non intrando Angliam, sed alias ei præstando fauorem, propter hoc excommunicationis vinculum incurrerunt, si ad succursum prædicti negotij personaliter ire voluerint, vel saltem bellatorum aut pecuniæ iuxta facultates suas competens subsidium destinare, ab Episcopis suis, & etiam ab illis, quibus commissum fuerit officium prædicandi, possint beneficium absolutionis recipere iuxta formam Ecclesiæ consuetam. Porrò, per venerabilem fratrem nostrum Agatensem Episcopum Apostolicas destinauimus indulgentias omnibus qui in personis aut rebus succursum præstiterint negotio sæpedicto, quas in suo robore volumus permanere. Ad hæc, quia in Arelatensi, Viennensi, Narbonensi, Auxitanensi, Ebredunensi & Aquensi, Prouinciis pauci sunt Cruce-signati pro subsidio Terræ sanctæ, illarum vicesimam totaliter deputamus negotio memorato, per manus dilectorum filiorum nostrorum beati tituli sanctorum Ioannis & Pauli Presbyteri Cardinalis, Apostolicæ sedis Legati, & nobilis viri Amalrici Comitis Tholosani, in ipsius vtilitatem negotij conuertendam. Monemus igitur Celsitudinem tuam & obsecramus in Domino, quatinus adhoc fidei & pacis negotium, quod per tuas & regni tui vires hactenus promotum esse dinoscitur, intendas sic magnificè ac potenter, quòd magnificentia regni tui per hoc specialiter enarretur in litteris, & in cælis æterna tibi præmia reseruentur. Datum Laterani VII. idus Septembris, Pontificatus nostri anno III. B

Domino Regi Francorum.

XII. C

HONORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, carissimo in Christo filio* PHILIPPO *Regi Francorum illustri sal. & Apostolicam benedictionem.* Etsi cuncti debeant dolere fideles, quod negotium fidei, pro quo in Prouinciæ partibus tanto tempore laboratum est, quasi iam penitus corruit: nobis tamen & tibi præ ceteris est dolendum, quia sicut negotium ipsum specialiter per studium nostrum & vires regni tui profecerat; sic eius ruina specialiter in opprobrium nostrum & tuum manifestè redundat. Quare vtrique nostrûm summo est studio innitendum, vt idem negotium diuino præeunte auxilio releuetur. Ad quod nos mente sollicita intendentes, ac volentes tam honori tuo quàm regni tui vtilitatibus paterna sollicitudine prouidere, venerabilibus fratribus nostris Remensi, Senonensi, & Bituricensi Archiepiscopis in regno ipso legationis officium distinctè commisimus, vt fideles ad subuentionem ipsius negotij secundum datam sibi à Deo prudentiam studeant exhortari, & tam indulgentiis quàm modis aliis quibus expedire viderint animare. Quia igitur huiusmodi factum quasi totum ex magnificentia tua pendet, Excellentiam tuam rogamus, obsecramus in Domino IESV CHRISTO, ac tibi in remissionem iniungimus peccatorum, quatinus non diffidens de eo quòd negotium ipsum grauiter cecidisse videtur; sed potiùs de diuina virtute confidens, ad ipsius releuationem magnificè ac potenter exurgas, cùm per hoc tibi temporalem honorem compares, & æternum. Et sic tuum speciale sit ipsum negotium, vt etiamsi nos

A nos illud relinqueremus, quod absit, tibi tamen non sit aliquatenus relinquendum. Præfatis ergo Archiepiscopis in iis, quæ pro sæpedicti releuatione negotij duxerint prouidenda, diligenter assistens, & acquiescens eorum salubribus monitis & consiliis tanquam nostris, ita te habere studeas in hoc facto, quòd tibi & regno tuo cedat ad gloriam & honorem. attendens quòd ad id etiam de iure teneris, cùm Princeps teneatur purgare malis hominibus terram suam secundum canonicas & legitimas sanctiones. Datum Laterani IV. Non. Iunij, Pontificatus nostri anno V.

Philippo Francorum Regi Illustri.

XIII.

HONORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio* PHILIPPO *Regi Francorum illustri sal. & Apostol. benedictionem.* Quantò negotium fidei videtur in partibus Albigensium grauiùs cecidisse, tantò ampliùs expedit, vt magnificè ad eius releuationem intendas, & maiorem inde possis laudem & gloriam B apud Deum & homines promereri. Ideóque Serenitatem tuam monemus, rogamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, quatinus ad releuandum ipsum negotium studium & operam sic impendas, quòd ex hoc assequaris laudes hominum in præsenti, & à Deo præmium in futuro. Datum Laterani, Kal. Februarij, Pontificatus nostri anno VI.

Carta G. Cardinalis Portuensis.

XIV.

G...*miseratione diuina Portuensis & sanctæ Ruffinæ Episcopus, Apostolicæ sedis Legatus, vniuersis Christi fidelibus, ad quos præsentes literæ peruenerint salutem in Domino.* Cùm nemini sua liberalitas debeat esse damnosa, ad vestram vniuersitatis notitiam duximus perueniendum, quòd omnes terræ & redditus, quos Illustris vir A. Dux Narbonensis Comes Tholosæ & Dominus Montis-fortis, & tam Barones sui quàm milites, contulerunt vel conferent Ordini fidei Iesu Christi in partibus Narbonensibus constituto liberè redibunt ad ipsum Comitem & ad alios collatores. In huius autem rei testimonium præsentes literas sigilli nostri muniminè duximus corroborandas. Actum Carcassonæ, anno Domini M.CC.XX. Nonas. Februarij.

Domino Ludouico Illustri Regi Francorum.

C XV.

HONORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio* LVDOVICO *Illustri Regi Francorum sal. & Apostolicam benedictionem.* Cùm Reges & Principes Christiani propter Ecclesiam matrem suam, ex qua spiritualiter nati sunt, & quam à Christo vt eam temporibus suis foueant suscépere tuendam, Deo teneantur reddere rationem; graue nimis debes gerere ac indignum, quòd intra terminos regni tui, videlicet in partibus Albigensium Hæretici manifestè ac intrepidè impugnant Ecclesiam, fidem Christianam euacuant, & dilacerant ipsum Christum. Certè Nabuchodonosor Rex decreuit, dicens, *Quicúmque dixerint blasphemiam in Deum Sidrac, Misac, & Abdenago, in interitu erunt, & domus eorum in dispersione.* Si ergo taliter fuit Rex alienigena, ne deberet Deus Israel blasphemari commotus, tu Regum Christianissime, deuotissimorum Principum successor & hæres, cum quo deuotio Christiana coaluit, euacuari fidem nostram, lacerari Christum, & Ecclesiam dissipari à talibus patieris? denique si potestates seculi, & Rectores raptores persequuntur & fures, tu qui regni solium obtines terram tuam Hæreticis, qui animas preciosiores cunctis substantiis furantur & rapiunt, non purgabis. Sanè præceptum à Domino legitur, *Si audieris in vna ex ciuitatibus, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, inhabitare illic dicentes, eamus & seruiamus diis alienis quos non nostis, pones illos in ore gladij, & igni ciuitatem incendes.* Nimirum etsi pro immensis susceptis

in hoc sęculo beneficiis, Deo, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, tenearis in multis, ad hoc tamen illi reputare te debes fortiùs obligatum, vt pro ipsa in fidei subuersores à quibus blasphematur, animosus insurgas, & pro Catholica puritate, quam de partibus illis attendentes dæmoniorum doctrinis eiecisse noscuntur, viriliter te opponas. Porrò non absque dolore cordis & graui mentis amaritudine recolere possumus, quòd cùm ad extirpandam indè pestem Hæreticam multis sit personarum & rerum dispendiis laboratum, penè omnia in confusionem antiquam, populi Christiani peccatis exigentibus, sunt reducta; & ille, qui felicibus inuidet actibus, sic armauit in Antichristi præambulos partes suas, vt diffundentibus illis intrepidè ac latiùs praui dogmatis sui virus, verendum est plurimum ne ipsorum veneno regnum tuum in fide ac deuotione præ aliis radicatum, cui Dominus benedixit, inficiant, & ex hoc contra totam Ecclesiam tanquam in principaliori parte concussam noua persecutio excitetur. Multo ergo desiderio expectantes, vt per te Catholicum Principem, & Catholicorum Principum successorem impiis eorum conatibus celeriter obuietur, ne illud modicum terræ quod adhuc tenent Catholici amittatur, & pestis huiusmodi Regnum Franciæ maculet cui iam apertè suos expandendo laqueos appropinquat: Celsitudinem Regiam monemus, rogamus, & obsecramus in Domino, quatenus zelo vt decet fidei & deuotionis accensus, oblatis Deo tuæ coronationis primiciis, causam huiusmodi, quæ Christi est, tibi, per quem post Deum posse feliciùs agi extimatur, assumas; procerto securus, quòd super hoc licèt multum Romana Ecclesia laborauerit, non solùm spirituale, sed temporale auxilium in personis & rebus quod potuit impendendo; nihilominus tamen parati nos sumus adhuc & laborem assumere, & consilium & auxilium impartiri. Cùm autem hîc negotium summæ pietatis se ingerat, & ex eo videatur agi etiam causa tua, quòd pestis ipsa loca iam tibi vicina venenat, citò, carissime fili, Christo & Ecclesiæ potenter & patenter prout Dominus tibi posse tribuit, in hac parte succurras. Nam potestatem propterea suscepisti, vt per te persecutores Ecclesiæ temporaliter, quod ipsa non potest facere, conterantur. Et quidem si, prout confidimus, Christi & fidei orthodoxæ opprobria in te cadunt, vt zelum sicut potes habeas tantam iniuriam vindicandi: quod quippe Regis honori expedit, ne defectui tuo tantam fidei subuersionem contingeret imputari. Speramus in eo, qui pueri propositum prouehit, & consilium dissipat peccatorum, quòd negotium in manu tua prosperabitur, & magnitudo tuæ deuotionis & fidei contritis Hæreticis clariùs elucescet. Ceterùm cùm, sicut intelleximus, nobilis vir ALMARICVS Comes Tholosanus quicquid iuris habet in terra tibi sit offerre paratus in dominio tuo, illud accipias à te ac heredibus tuis liberè deinceps & quietè iure perpetuo possidendum. Ad hæc pro certo noueris, quòd RAYMVNDVM quondam Tholosanum Comitem & filium eius cum eorum fautoribus dudum excommunicauimus, nec ad emendationem licèt benignè ammoniti reuertuntur; sed contumaciter in sua malitia perseuerant. Venerabiles verò fratres nostros Archiepiscopum Bituricensem, & Lingonensem & Siluanectensem Episcopos, qui de tuo regno existunt, & tibi fauorabiles credimus & deuotos, & tui non dubitamus honoris existere zelatores, specialiter propter hoc ad tuam duximus præsentiam destinandos quibus solita benignitate susceptis, oblatam tibi per eos, quibus in virtute obedientiæ huiusmodi onus iniunximus, nostram & Ecclesiæ petitionem tam necessariam affectuosè & efficaciter studeas exaudire. Datum Laterani XIX. Kal. Ianuarij, Pontificatus nostri anno VIII.

A B C

Super litteris exponendis Domino Regi.

XVI.

HONORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus.. Archiepiscopo Bituricensi & ... Lingonensi, & ... Siluanectensi Episcopis sal. & Apost. bened.* Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, & in virtute obedientiæ districtè præcipimus, quatinus ad carissimum in Christo filium nostrum LVDOVICVM Regem Francorum Illustrem cum litteris, quas super facto Albigen. per vos ei præsentari volumus, personaliter accedatis. Quem, aperte sibi per lectis & fideliter expositis

A positis literis supradictis, quarum tenorem vobis, fratres Bituricensis & Lingonensis, constitutis in nostra præsentia dedimus, ad faciendum quod super hoc de fratrum nostrorum consilio ab ipso requirimus, tam diligenter quàm efficaciter inducere procuretis; ita quòd apud Deum & sedem Apostolicam de diligentia debeatis meritò commendari. Datum Laterani II. Idus Decembris, Pontificatus nostri anno VIII.

Domino Ludouico Illustri Regi Francorum.

XVII.

HONORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, carissimo in Christo filio* LVDOVICO *Regi Francorum Illustri sal. & Apostol. bened.* Petitionibus, quas per venerabiles fratres nostros Archiepiscopum Bituricensem, & Lingon. & Carnotensem Episcopos nobis tuæ Serenitatis deuotio destinauit, à nobis & fratribus nostris multa diligentia sicut exposcebat negotij magnitudo discussis; ita quòd finali tractatu habito super illis, præfati Episcopi iam iter arripuerant ad te, cum nostris B litteris reuertendi, ipso Archiepiscopo, qui pro quibusdam negotiis suis apud Apostolicam sedem remanserat, adhuc in nostra præsentia constituto, superuenerunt solemnes nuncij carissimi in Christo filij nostri FREDERICI Illustris Romanorum Imp. semper Augusti, & Regis Siciliæ, nobis per ipsos nuncios & Imperiales litteras exponentis feruens desiderium, quod ei de terræ sanctæ succursu Dominus inspirauit, ac postulantis instanter, vt cùm ipse Reges & Principes Christianos ad id animare studeat Imperialibus largitionibus & promissis, sicut pleniùs colligere poteris ex tenore litterarum ipsarum, quem tibi per venerabilem fratrem nostrum G. Portuensem Episcopum Apostolicæ sedis Legatum curauimus destinare, nos quoque vniuersos Christi fideles exhortationibus & indulgentiis Apostolicis ad idem excitare negotium studeremus. Prædictum ergo Legatum ad te cum festinantia dirigentes, tuæ Serenitatis deuotionem & magnificentiam rogamus, monemus, & obsecramus per aspersionem sanguinis Iesu Christi, qui pro te morti crucis tradidit semetipsum, quatinus cùm pro certo credatur, quòd nobilis vir R. filius quondam R. Comitis Tholosani magnitudinis tuæ potentiam adeò reformidat, quòd si cognouerit te contra eum ex animo velle totis viribus tuis vti, eas expectare aliquatenus non audebit; sed mandatis Ecclesiæ, quibus, & vtinam vera deuotione se offert, parebit iuxta tuæ beneplacitum voluntatis, ipsum regiis commonitionibus & comminationibus efficaciter inducere studeas ad pacem cum Deo & eius Ecclesia veraciter faciendam. Ita quòd & terra purgetur hæreticis, & Ecclesiis ac viris C Ecclesiasticis congruè satisfiat de damnis & iniuriis hactenus irrogatis, & prouideatur libertati Ecclesiasticæ in futurum, & honori dilecti filij nobilis viri A. Comitis Tholosani, qui, sicut & claræ memoriæ S. Pater eius, pro seruicio Dei & Apostolicæ sedis exposuit semetipsum, propter quod sibi non possumus aliqua ratione deesse, in ipsa pace quantum fieri poterit deferatur. Quod super hoc inueneris nobis celeriter rescripturus. Si enim hoc feceris, vt de rerum dispendio taceamus, multis eris causa salutis animarum & corporum. Ac remouendo impedimentum huiusmodi discordiæ, quod multum potest officere negotio terræ sanctæ, quasi inextimabiliter eiusdem terræ subsidio prouidebis. Nec ex hoc maiores potes assequi titulos laudis & gloriæ, quàm si præfatum nobilem ad viam ab inuio, & ad Apostolicæ sedis mandatum solo potentiæ tuæ terrore feceris sine bellico strepitu & sanguinis effusione redire. Deposcimus igitur Serenitatem tuam precibus cumulatis, quatinus eundem Legatum tanquam personam nostram digna teipso deuotione recipiens; sic eidem, immò veriùs nobis in ipso, super præmissis intendas, quòd tibi proueniat ad incrementum gloriæ temporalis pariter & æternæ. Iis autem, quæ idem Legatus ex parte nostra tibi dixerit, super treugis inter te ac Illustrem Regem Angliæ innouandis, adhibeas plenam fidem. Datum Laterani II. Non. Aprilis, Pontificatus nostri anno VIII.

A

Domino Ludouico Illustri Regi Francorum.

XVIII.

HONORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio* LVDOVICO *Illustri Regi Francorum sal. & Apostol. bened.* Dignas Deo laudes, & tibi gratiarum actiones immensas referimus, quòd sicut venerabilis frater noster Portuensis Episcopus coram nobis & fratribus nostris proposuit, prædecessores tuos non minus Christiana deuotione quàm genere imitando, in ipsis tuæ coronationis initiis quantacumque tibi sollicitudo incumberet, Christi negotium proprio, & communem vtilitatem priuatæ præponens, super facto Albigensium Christianissimi Principis ostendisti, prout iniuria fidei orthodoxæ te augit, affectum: protestando quòd potiùs defectum in tua causa sustinere volebas, quàm idem negotium tuis ei non subuenientibus dispendium pateretur. Vnde Prælatis, & aliis, qui se occasione facti tui ab ipsius subuentione negotij retrahebant, facilem & benignam tribuisti licentiam eidem negotio, relicto tuo, personaliter intendendi. Denique affectus ipsius magnitudine te ad producendum illum in actum sicut decuit impellente, decem milia marcarum argenti de elemosyna inclytæ recordationis PHILIPPI patris tui ad negotij eiusdem subsidium transmisisti. Quare de tua Serenitate confidimus & speramus, quòd ille, qui ad hoc tam promptè tuum animum excitauit, faciet etiam, quòd sicut per alias literas à tua sublimitate requirimus, tibi assumes ipsum negotium, & illud ad laudem sui nominis, & tui honoris & salutis augmentum feliciter prosequeris. Et quidem non credimus te aliquid aliud agere posse ad præsens, vnde diuinam & Apostolicæ sedis gratiam faciliùs assequaris, vel quod magis ad regni tui statum pertineat & honorem. Ceterùm, vt efficaciùs atque libentiùs possis intendere negotio IESV Christi, treugas inter te ac carissimum in Christo filium nostrum Illustrem Regem Angliæ intendimus prorogare. Datum Laterani, Idus Decembris, Pontificatus nostri anno VIII. B

Archiepiscopo Rhemensi, & Episcopo Syluanectensi.

XIX.

HONORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabilibus fratribus, Archiepiscopo Rhemensi, & Episcopo Syluan. salutem & Apostolicam benedictionem.* Pro captiuis & afflictis quasi iugiter generalis orat Ecclesia & nos qui ei licet immeriti præsidemus, captiuitatis incommoda patientibus non compati nequeuntes, tantò ad liberationem ipsorum libenter interponimus partes nostras, quantò captiuantibus & captiuis, vel potiùs liberatis & liberantibus nos consulere salubriùs arbitramur. C Quare licet alieno intuitu carissimo in Christo filio nostro LVDOVICO Illustri Regi Francorum preces dirigamus ad præsens; ex eo tamen quòd personam eius speciali prærogatiua dilectionis, & gratiæ amplexantes, ipsum secundum vtrumque hominem proficere affectamus, ea quæ ad salutem animæ suæ ac gloriam regiæ dignitatis perueniunt studiosè intendimus suadere, ipsum ad mansuetudinem precibus & monitis inuitando, scientes quòd exaltat mansuetos Dominus in salutem. Et sapiens filium ammonens ait, *in mansuetudine fili opera tua perfice, & super hominum gloriam dirigeris.* Sanè intellecto quondam, quòd inter claræ memoriæ Philippum patrem Regis eiusdem & nobilem virum Comitem Flandrensem conuenerat, vt idem Comes pro certa se redimeret pecuniæ quantitate; præstanda nihilominus de terra Flandriæ quæ ad Dominum Regem spectat ea quam posset impendere cautione. Nos alterius compassi miseriæ, ac miseratione alteriùs delectati, eundem Regem nostris litteris rogauimus & monuimus, vt dictum Comitem diuinæ pietatis intuitu liberaret. Volentes quoque indemnitati regiæ præcauere ad postulationem ipsius Comitis vobis nostris dedimus litteris in mandatis, vt si prænominatus Comes in Regem vel prolem seu terram suam, quod absit, insurgeret, nisi infra quadraginta dies postquàm esset monitus in Curia Regia satisfactionem super hoc iuxta Parium suorum iudicium exhiberet, eundem Comitem excommunicationi ac terram

A terram suam interdicto supponere deberetis, donec ipse modo satisfaceret supradicto. Verùm nequitiâ diaboli bonis actibus inuidente, prædicto Philippo sublato de medio conuentio incompleta remansit, & dicti Comitis liberatio est hactenus dilata. Quia verò nimis inhumanum videtur dictum Comitem vlterius captiuitatis, scaloribus...... memoratum Regem...... rogamus, monemus, & hortamur attentè, vt prudenter attendens quòd misericordibus, misericordiam Dominus pollicetur, & agnoscens quòd optimum vindictæ genus est, nolle punire cùm possit, eo quòd magnanimitas est magnificè parcere, ad liberationem ipsius Comitis cor suum clementer inflectat, & ipsum redimi patiatur. Nos enim vobis nostris litteris damus in præceptis, quæ volumus etiam ad vestros successores extendi, vt si fortè Comes vel Comitissa Flandriæ contra conuentiones, quæ ipsius Regis & eiusdem Comitis ac Comitissæ sigillis apparuerint sigillatæ, venire præsumpserint, vos & successores vestri, in Comitis & Comitissæ ac coadiutorum suorum personas excommunicationis, & in terras eorum interdicti sententias appellatione postposita promulgetis, & faciatis easdem inuiolabiliter obseruari, donec id per iudicium Curiæ regiæ fuerit emendatum. Quòd si non ambo his exequendis potueritis interesse, alter vestrum eas nihilominus exequatur. Datum Laterani x. Kal. Martij,
B Pontificatus nostri anno VIII.

EXEMPLAR *Epistolæ* GREGORII IX. *Papæ ad* LVDOVICVM IX. *Francorum Regem, vt nullus interdicat Capellas eiusdem* LVDOVICI *Regis.*

XX.

GREGORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, carissimo in Christo filio* LVDOVICO *Regi Francorum Illustri salutem & Apostolicam benedictionem.* Illa filialis deuotio & dilectio singularis, quàm claræ memoriæ progenitores tui circa prædecessores nostros & Romanam Ecclesiam habuerunt, & ita tu illis velut hæres legitimus hæreditario iure succedis. Nos in eo constituti proposito voluntatis, vt in his quæ à nobis secundum Deum Celsitudo regia duxerit postulanda, fauorem filij tuis deuotis precibus benignum impertientes & assensum: auctoritate præsentium firmiter inhibemus, vt nulli liceat Capellas tuas Ecclesiastico supponere interdicto, nisi de licentiâ sedis Apostolicæ speciali. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum in Teraron. Idus Nouembris, Pontificatus nostri anno X.

C ITEM *Exemplar Epistolæ.* INNOCENTII IV. *Papæ ad* LVDOVICVM IX. *Francorum Regem, vt nullus in terram eiusdem Regis, excommunicationis vel interdicti sententiam proferat.*

XXI.

INNOCENTIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, carissimo in Christo filio Illustri Regi Francorum salutem & Apostolicam benedictionem.* Apostolicæ sedis benignitas sincera obsequentium vota fidelium fauore beneuolo prosequi consueuit, & illustrium virorum personas, quas in sua deuotione promptas inuenit & feruentes, quibuslibet titulis decentiùs decorare. Vt igitur ex deuotione, quam ad nos & Romanam Ecclesiam habere dinosceris, fauorem Apostolicum tibi sentias accreuisse, tuis deuotis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi præsentium indulgemus, vt nullus in terram tuam excommunicationis vel interdicti sententiam proferat, absque mandato sedis Apostolicæ speciali. Nos enim decreuimus irritum & inane, si quid contra præmissæ indulgentiæ nostræ tenorem contigerit attemptari. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani XVIII. Kal. Ianuar. Pontificatus nostri anno I.

A

ITEM *Exemplar Epistolæ eiusdem* INNOCENTII IV. *Papæ ad Prælatos per Regnum Franciæ constitutos, vt non deffendant Cruce-signatos in suis criminibus.*

XXII.

INNOCENTIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabilibus fratribus, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis Decanis, Archidiaconis, Officialibus, & vniuersis Ecclesiarum Prælatis per regnum Franciæ constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.* Ex parte carissimi in Christo filij nostri Regis Franciæ Illustris fuit propositum coram nobis, quòd nonnulli Cruce-signati regni sui, cùm deberent ab excessibus abstinere, propter libertatem eis indultam furta, homicidia, raptus mulierum & alia perpetrant detestanda. Nolentes igitur, vt aliqui Cruce-signati occasione libertatis eis indultæ præsumant ad talia extendere manus suas, Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatinus Cruce-signatos eosdem in huiusmodi criminibus minimè defendatis. Datum Lugduni VIII. Idus Nouembris, Pontificatus nostri anno IIII. B

ITEM *Exemplar Epistolæ* ALEXANDRI IV. *Papæ ad* LVDOVICVM IX. *Francorum Regem, vt nullus possit in terram eiusdem Regis excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare.*

XXIII.

ALEXANDER, &c. REGI *Francorum, &c.* Illo charitatis affectu Regalem excellentiam amplexamur, & sic te tanquum specialem ac deuotum Ecclesiæ filium sincero corde diligimus, & votis tuis fauorabiliter annuentes, petitiones Regias quantum cum Deo possumus, ad exauditionis gratiam admittimus. Hinc est quod tuis deuotis supplicationibus benignum impertientes assensum, authoritate tibi præsentium indulgemus, vt nullus possit in terram tuam excommunicationis, vel interdicti sententiam promulgare absque licentia sedis Apostolicæ speciali. Datum Laterani secundo Kalend. April. Pontificatus nostri anno secundo.

ITEM *Exemplar Epistolæ eiusdem* ALEXANDRI IV. *Papæ ad Archiepiscopum Rhotomagensem de iurisdictione in Cruce-signatos.*

XXIV.

ALEXANDER, &c. VENERABILI *fratri Archiepiscopo Rhotomagensi salutem & Apostolicam benedictionem.* TVA Fraternitas intimauit, quod prætextu Indulgentiæ Cruce-signatis ab Apostolica sede concessæ, in qua continetur quod eos cum familia & omnibus bonis suis recipimus sub protectione ipsius sedis & nostra, inter charissimum in Christo filium nostrum Regem Francorum Illustrem, & Barones & Bailliuos eiusdem Prouinciæ Rhotomagensis ex parte vna: Et te ac venerabiles fratres nostros Episcopos suffraganeos tuos ex altera, dissensionis materia est exorta, proponentibus Rege, Bailliuo, & Baronibus prædictis, quod Cruce-signati Laici, eorum iurisdictioni non sunt subiecti, contrà iurisdictionem huiusmodi, eorumque iura prætextu talis indulgentiæ per Ecclesiasticos iudices deffendendi: Te verò ac prædictis Episcopis asserentibus ex aduerso, quod dicti Cruce-signati occasione talis Indulgentiæ de foro vestro existunt; & quod in quibuslibet causis tam criminalibus quam ciuilibus coram nobis stare iuri tenentur, & quod ipsi à iurisdictione Dominorum temporalium fuerint exempti, similiter quo petiisti per sedis istius oraculum edoceri. Nos itaque consultationi tuæ taliter respondemus, quod dictos Cruce-signatos à iurisdictione Dominorum ipsorum Indulgentia prædicta non eximit, nisi fortè consuetudo legitimè præscripta defendat eosdem, vt aliàs priuilegio, seu Indulgentia speciali vel iure alio sint muniti. Datum Viterbij VIII. Idus Augusti, Pontificatus nostri anno IV. C

ITEM

A ITEM *Exemplar Epistolæ eiusdem* ALEXANDRI IV. *Papæ ad* LVDOVICVM IX. *Francorum Regem qua illum hortatur, ut quotiens super hoc requisitus fuerit, Episcopo Parisiensi volenti reprimere turbatores studentium Parisius, brachium suæ potentiæ Regiæ accommodet.*

XXV.

ALEXANDER *Episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio Regi Francorum Illustri salutem & Apostolicam benedictionem.* DVM Apostolicæ sedis sermones & scripta ea promptitudine quotiens tuæ Celsitudini mittuntur assumis, vt videris in illis eum, cuius in terris vices licet immeriti gerimus, intueri. Expandis vtique latiùs animaduertendum ceteris Christianissimæ deuotionis exemplar, quod palam semper effulsit, & in excelso throno benedicti à Domino regni tui. Hinc nobis & Ecclesiæ Christi accessit assiduè materia spiritualis exultationis & laudis. Hinc quoque in pressuris, quas eadem Ecclesia inter fluctuosos mundi huius B impetus extrinsecus inquieta perpetitur, refrigerium percepit internæ consolationis & pacis. Sanè quamuis experimentorum testimonia de tuarum nos lætificantia incremento virtutum, quas sublimis venustat * humilitas, iugiter increbrescant: hoc tamen nunc inter bona tua lætanter & gratanter accepimus, quòd ad fauorem regium contra Parisiensis studij turbatores, viris pacificis sapientiæ otia studiosa colentibus impendendum, preces & exhortationes Apostolicæ te pronum & beneuolum inuenerunt. Super quò Serenitati tuæ gratiarum exoluimus actiones. Cùm autem venerabili fratri nostro Episcopo Parisiensi contra turbatores eosdem diuersa mandata dederimus, in quibus exequendis ipsum oportet regalis potentiæ brachio adiuuari: Celsitudinem tuam rogamus & hortamur attentè, in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatinus eidem Episcopo ad compescendum & puniendum illos prout expedire cognouerit, dexteram traditæ tibi diuinitus potestatis accommodes quotiens fueris requisitus: vt tuo munimine inter inquietos innocens pacificorum tranquilitas muniatur, cupientium studiis vacare prudentiæ tuta conualescat vtilitas, & exindè apud Deum tuorum crescat cumulus meritorum. Datum Anagniæ, Idus Iunij, Pontificatus nostri anno v.

ITEM *Exemplar Epistolæ eiusdem* ALEXANDRI IV. *Papæ ad Prælatos Franciæ, vt non impediant quominus Rex malefactores clericos in regno suo puniat.*

XXVI.

C ALEXANDER *Episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis aliis Ecclesiarum Prælatis per regnum Franciæ constitutis salutem & Apostolicam benedictionem.* Ex parte carissimi in Christo filij nostri Regis Francorum Illustris fuit propositum coram nobis, quòd nonnulli clerici bigami, & viduarum mariti, & alij etiam clerici vxorati regni sui diuersa maleficia committere non verentur, quæ oculos diuinæ maiestatis offendunt, & homines scandalizant. Quocirca vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatinus non impediatis, quominus idem Rex Comites & Barones ipsius regni, sub quorum iuridictione malefactores ipsi consistunt, ipsos in enormibus duntaxat criminibus deprehensos, quæ sanguinis pœnam, * eis primitus clericali gradu præuia ratione priuatis, puniant, secundum quod iustitia suadebit, & consuetudine contrariâ nonobstante. Datum Anagniæ II. Kal. Febr. Pontificatus nostri anno VI.

* *deest aliquid.*

ITEM *Exemplar Epistolæ eiusdem* ALEXANDRI IV. *Papæ ad eosdem Prælatos Franciæ, vt clericos negotiantes non deffendant.*

XXVII.

ALEXANDER, &c. *Venerabilibus fratribus Archiepiscopis & Episcopis per regnum Franciæ constitutis sal. & Apostolicam bened.* Ex parte carissimi in Christo

filij nostri Regis Francorum Illustris fuit propositum coram nobis, quòd nonnulli A
clerici terræ suæ vestrarum ciuitatum & dioceseon potius secularibus negotiationibus quàm officiis diuinis intendunt, & gaudere volentes priuilegio clericali nolunt statutis patriæ, quibus quotiens expedit sicut laïci se tuentur, in negotiationum suarum quæstibus subiacere. Quocircà fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatinus si tales tertiò à vobis ammoniti ab huiusmodi non resipuerint, sed prætermissis diuinis officiis, negotiationibus institerint supradictis cum facto priuilegium clericale, * quominus dum his se implicant de suis facultatibus statutis & consuetudinibus patriæ non subiaceant, non defendatis eosdem. Datum Anagniæ III. Idus Ianuarij, Pontificatus nostri anno VI.

* *sensus corruptus.*

ITEM *Epistola* VRBANI IV. *Papæ directa ad Abbatem sancti Dionysij in Francia, vt non permittat Regem Franciæ contrà indulta priuilegiorum, & Indulgentiarum ab aliquibus indebitè molestari.*

XXVIII.

B

VRBANVS, &c. DILECTO *filio Abbati S. Dionysij in Francia Parisiensis Diœcesis salutem.* CVM sicut ex parte charissimi in Christo filij nostri LVDOVICI Illustris Regis Francorum fuit propositum coram nobis quod nonnullæ indulgentiæ ac nonnulla priuilegia sibi super diuersis gratiis à sede Apostolica fuerunt concessa: Discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus non permittas eumdem Regem contrà indulta priuilegiorum & Indulgentiarum huiusmodi ab aliquibus indebitè molestari, molestatores huius per censuram Ecclesiasticam apellatione postposita compescendo, nonobstante si personis aliquibus à prædicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possit per litteras Apostolicas expressam non facientes de huiusmodi indulto mentionem. Datum Viterbij XII. Kal. Ianuarias, Pontificatus nostri anno primo.

ITEM *Epistola eiusdem* VRBANI IV. *Pontificis ad* PHILIPPVM, *primogenitum* LVDOVICI IX. *Francorum Regis.*

XXIX.

DILECTO *filio* PHILIPPO *primogenito Clarissimi in Christo filij nostri Illustrissimi Regis Franciæ.* DILECTVS filius Magister Matthæus Capellanus noster charissimi in Christo filij nostri, Illustris Regis Nauarræ Clericus, de tuæ iuuentutis primitiis nobis rumores attulit in tuarum consideratione virtutum patris gratos auditui, C
cuius animum gaudio, & lætitia in ipsorum delectabili relatione profudit. Retulit namque quod cum ipse venturus ad Curiam, te si velles nobis mandare aliqua, requisisset, tu sibi laudabili humilitatis eloquio respondisti, quod nos salutares libentissimè si auderes. Sanè, fili charissime, in his cum multa exultatione notauerimus tuam mirandam proculdubio in tanta teneritate modestiam, ioconda consideratione colligimus extollendam, in tanta generositate maximè tibi à Domino humilitatis gratiam, nec minus mirabilem præsertim in tali iuuentute præsentiam, diligenter nimirum attendimus, & gaudenter. Nunquid enim non debuit in hoc attendi prudentia? Nunquid non debuit considerari humilitas? vel modestia non notari? quod tu proles Regia, & post tui progenitoris tempora Deo authore longæua, hæres regni futurus miro humilitatis genere, modestè notam cuiuslibet præsumptionis euitans ætatem, supplente prudentia, dicis te non audere patrem, qui tamen te tanquam filium specialem gerit in visceribus charitatis, salutationis Elogio visitare. Porrò fili benedictionis & gratiæ, talia virtutum aromata de te indubitatè promittit tui generis præclara prosapia. Talia de te spondet progenitorum tuorum recolenda memoria. Hæc de te læti percipimus, hoc de te sperauimus hactenus, & adhuc profectò maiora, diuina gratia fauente, speramus. Verùm licet admodum gaudeamus te pollere virtutibus, licet paterno more lætemur, te ipsarum prærogatiua vigentem ætatis tempora præuenire: Quia tamen à te libenter salutationis verba recipimus, quia parati sumus gratanter audire, quia tuæ sinceritatis litteras, lætis

inspiceremus

A inspiceremus aspectibus. Nolumus quod de præsumptione notari timeas, vel de audacia reprehendi, si spirituali patri, erga te viscera dilectionis & affectionis paternæ gestanti, tu tam deuotus, tam charus filius tuæ salutationis, & deuotionis repræsentas affatus. Sed, quæsumus ad nos prompta securitate recurre, preces nobis porrige ad exauditionis gratiam, quantum cum Deo possumus admittendas.

ITEM *Epistola eiusdem* VRBANI IV. *missa ad* LVDOVICVM IX. *qua illum incommutabilem, & præcipuum Ecclesiæ deffensorem esse testatur.*

XXX.

REGI *Francorum illustri.* NVPER de Viterbio recedentes, declinauimus apud Montem-Flasconem castrum Ecclesiæ speciale, ac inibi ad vitandos feruores æstiuos aliquandiu moraturi, per dilectum filium nostrum, videlicet Ioannem de Valençenis, quasdam Serenitati Regiæ decreueramus litteras destinandas. Ad gaudium etenim sedit nobis, & consolationis multæ materiam, cum tua frui non possi-B mus grata præsentia, visitare nostris interdum, vel tuis aliquando litteris recreari, sed nobis ad idem castrum peruenientibus, & occurrente nobis dilecto filio Magistro Ioanne Parisiensi nuncio venerabilis fratris nostri, Tyrenensis Archiepiscopi stilum gratanter conuertimus ad delectabilia nostris affectibus de te relata per eum. Ipse siquidem nuncius bonus de terra longinqua, de tua tuorumque incolumitate, ac statu prospero Regni tui, nostrum replens animum gaudio nos & fratrem nostrum de puritatis tuæ constancia, immensa nimirum iocunditate perfudit. Retulit namque quod licet ad præfati Regni quasi partes vltimas accessisses, & pro matrimonio inter dilectum filium primogenitum tuum, & dilectam in Christo filiam, natam filij nostri Illustris Regis Arragonum contrahendo. Comperto tamen quod idem Rex filiam Manfredi quondam principis Tarentini, persecutoris Ecclesiæ manifesti variisque ligati excommunicationum sententiis, vt de aliis taceamus, primogenito suo non sententiæ magna derogatione, sui nominis matrimonialiter copularat omninò ab ipsius matrimonij persecutione desistens, in spiritu deuotionis, & solitæ sinceritatis abundantia illud & nobis acceptum non immerito eloquium protulisti, quod nullomodo tuus animus pateretur, te vel tuos alicui, qui se cuiquam inimico vel persecutori Ecclesiæ, qualicumque obligationis vinculo adstrinxisset, alicuius affinitatis fœdere copulari, ne sic vel inimicis Ecclesiæ fauorem aliquem impertiri, vel ab eius beneplacitis quoquo modo recedere videreris. O vtinam! fili charissime, liquidò tibi pateret quam gratum Deo, (sicut pro certo credimus) quamquam nobis & eisdem fratribus votiuum huiusmodi tuæ deuotionis obuenit eloquium. Profecto meritò exultares quod tantum nobis & ipsis fratribus exulta-C tionis iubilum præstitisti. Plus enim in his animo in Domino psallimus, quam litteris imprimamus. Attendentes quod tu benedictionis filius, honoris tuæ matris Ecclesiæ zelator eximius, votis ipsius, non solum cordis, verbi, & operis constitui promptitudine te conformas, sed ea omni sollicitudinis studio niteris preuenire. Lætemur igitur & gaudeamus in his proculdubio de te ipso, quia non solum progenitorum tuorum gesta recolenda prosequeris, & laudabilia vestigia imitaris, sed generis tui successor non degener, eos virtutibus conaris excedere, quibus in tantæ prosapiæ claritate non indignè succedas. Lætemur etiam nimirum, & non sine causa gaudeamus, quia mater Ecclesia in te, quem sui prosecutorem honoris, & libertatis Ecclesiasticæ protectorem assiduum experitur, secura quiescit, nec oportet ipsam aliquibus sollicitari molestiis, aut sollicitudinibus molestari, ne cuiusvis fraudibus ab eius separeris gremio, vel vberibus abducaris. Dignè itaque Petri successor, & Vicarius Iesu Christi, teste veritate fatetur, te singulare fortitudinis brachium, meritò communis assertionis testimonio concurrente, te prædicat incommutabilem Ecclesia ac præcipuum deffensorem. Sicut enim Petrus, Iacobus, & Ioannes à Domino in montem excelsum assumpti, & post transfigurationis ipsius, apparentibus illis Moyse, & Elya, tandem voce patris audita, timentes in faciem ceciderunt. Sed tactis & auditis per ipsum confortationis eloquiis, ne timerent, suos leuantes oculos neminem non solum Iesum vidisse leguntur, sed nos & prædicti fratris ingruentibus frequenter diuisarum procellarum fluctibus, & mul-

tiplicibus turbinibus tempestatisque in huius mundi pelago, multoties concutiunt A
Petri nauem, in altitudine cogitationis erecti leuamus in circuitu nostræ considerationis aciem, sed in vrgentium necessitatum articulis, efficaciter Ecclesiæ assistentem, te solum singulariter intuemur. Super his à Deo, quas possumus tuæ Celsitudini referentes gratiarum multimodas actiones, quas vt ipse author salutis, & pacis, te ac Regnum præfatum in statu prospero & tranquillo per tempora longiora conseruet, & tibi de tua benignitate concedat, quod intenta mente consideres, & vnà nobiscum solitam solicitudinem feruenter adhibeas, vt status Ecclesiæ ad salutem fidelium de bono procedat in melius, & ad honorem diuini nominis exaltetur, ad quod Regalem Celsitudinem eo vacare speramus instantiùs, eoque libentiùs laborare, quo nos & Ecclesia ipsa quæ te inter cæteros mundi Catholicos principes, specialem filium reputamus, patriam suam, preclaris tuis exigentibus meritis, vberiore prosequimur charitate.

ITEM *Epistola eiusdem* VRBANI IV. *ad eumdem* LVDOVICVM *Francorum Regem vt pacem inter Capitulum Carnotense, & Comitem Blesensem componat.* B

XXXI.

REGI *Francorum illustri.* DVM commoda pacis attendimus, & dissensuum discrimina cogitamus, desideranter appetimus pacem velut flumen in vniuersos sanctæ matris Ecclesiæ filios declinare, vt populus curæ nostræ commissus in pulchritudine pacis sedens, in fiduciæ tabernaculis habitet, & in requie opulenta quiescat. Scimus namque scriptum esse, quod omnia in pace concrescunt. Scimus quod si in charitatis virtute pax fiat non solum in turribus, in sæculi scilicet magnatibus abundantia sequitur, sed & minores abundantiæ ipsius participes quietis non relinquuntur expertes, sicque lupus & agnus pascuntur insimul, debiles, & potentes, infimi, & sublimes, in pace in idipsum dormiunt & requiescunt, & dum multitudinis credentium anima vna, & cor vnum efficitur benè ac iocundè, vtiliter ac delectabiliter habitatur in vnum: operibus pietatis licet vacare liberius, & saluti efficaciùs intendere animarum. Sed & illud non ignoramus quod per dissentiones & discordias subiiciuntur omnia vastitati consumuntur bona, corpori quies subtrahitur, mens iniquis sollicitudinibus occupatur, & quo magis se aduersantium consideratio ingerit, eo magis diffidentiæ causa suboritur, vnitas scinditur charitatis, rancores crescunt, odia nutriuntur, pia negliguntur opera, insidiis intenditur, & animæ periculis exponuntur. Hæc ex officij debito cura peruigili & intento sollicitudinis studio meditantes, plenis desideramus affectibus, votiuè labores nostros impendimus, & libenter operam adhibemus, vt orta inter dilectum C
filium Carnotense Capitulum, ex parte vna, & nobilem virum Comitem Blesensem ex altera, super aduocatione seruientium ipsius Capituli, & canonicorum eiusdem ac aliis articulis dissentionis, materia pacis & concordiæ remedio sopiatur. Ad quod Celsitudinis Regalis suffragium vtille ac necessarium arbitrantes, serenitatem Regiam eo ad id confidentius inuitamus, quo magis tu magnitudine non abutendo potentiæ, sed Clementia & bonitate gubernando subiectos niteris vt ipsi absque vllo terrore vitam silentio transigentes optata cunctis mortalibus pace fruantur. Quocircà Regalem Excellentiam rogamus, monemus, & hortamur attentè in remissione peccaminum tibi iniungentes quatenus ad reformandam pacem & concordiam inter prædictos ciues retributionis obtentu, ac pro nostra & Apostolicæ sedis reuerentia diligenter intendens ad id magnificentiæ Regiæ partes sic efficaciter interponere studeas, quod operosæ tuæ sollicitudinis interuentu partibus tranquillitas, quam desiderabiliter obueniat, tibi dum retributor bonorum omni operi tam vitando deseruies, apud ipsum, non indignè meritum comparetur, & nos qui hoc gratum habebimus plurimum, & acceptum, sinceritatis tuæ promptitudinem, condignis in Domino gratiarum actionibus prosequamur.

ITEM

A ITEM *Epistola eiusdem* VRBANI IV. *ad eundem* LVDOVICVM *Francorum Regem, exhortatiua ad succursum Terræ sanctæ.*

XXXII.

REGI *Francorum illustri.* VOCEM terroris audiuimus. *Formido, & non est pax.* Hæc vox multi doloris nuncia super vulnerum nostrorum dolores adiiciens in excelsis audita est de partibus orientis. Vox quidem lamentationis, fletus, & luctus: residua namque Christicolarum paucitas transmarina lamentatur, nec immeritò flet & luget. Formido enim, & fouea, & laqueus super eam, & quæ fugisse credebat à facie formidinis Tartarorum, à Bababylonis furore confunditur, in eius foueam incidit, & ipsius laqueis irretitur, propter quod multiplicatis affectionibus lamenta multiplicans, desuper ingeminatis doloribus fletus ingeminat, & de continuâ & intolerabili persecutione, quæ iam exterminium comminatur externum clamoris luctum continuando frequentat, clamat ad Christi Vicarium, Christianos principes, & te principaliter, (Christianissime principum) interpellat opprobriis satiata, tuæ post Deum potentiæ brachium vindicem expetit grauiter sauciata, tibi vulnera detegit, à te singulariter opera medicantis expectans verum dum ea quæ statu miserabili
B Terræ sanctæ. venerabilium fratrum nostrorum, &c. & dilectorum filiorum, &c. lachrymabilis insinuatio per litteras patefecit, & nuncios anxij referre satagimus, in se ipsam mens nostra reflectitur, & loca dudum corporali præsentia cognita quorum destructio tam calamitosa describitur repræsentatiua quadam commemoratione quam presentialiter intuetur, tunc paternum subit affectum, vt ex intimis suspiria prodeant, oculi soluantur, in lachrymas singulariter erumpant, adeóque tam antiquarum oppressionum terræ illius consideratione inducimur, quam illatarum nouiter recentia prouocamur. Cuius enim animus omnis compositionis expers sine suspiriorum tibi succedentium tibi frequentia, sine lachrymarum profluuio sine successione singultuum, aut antiquas ipsius recesebit angustias, aut considerabit instantes, cum in antiquis vnde grauiter dolere possit inueniat, & in instantibus materia multi timoris, & mœroris occurrat. Nam si antiquas, & antiquatas ipsius terræ pressuras, pij iudicij censura discutiat, ô quanta Christicolis causa doloris, & horroris ingeritur, si debita inter cætera pietate considerent post strages fidelium varias, post alternatos frequentissimè successus prosperos & casus aduersos, sacratissima illa quorum alterum oriens ex alto virginis puerperæ partui, & suo dignissimo deputauit ortui: alterum vero ipse actor vitæ suæ passioni, & morti dilexit per inuidissimos Sarracenos occupata violenter ab olim decente vilicus & ipsorum vilissima contractione polluta. O quanta compassione moueri debent Christiani cuiusque præcordia, si prudenter intelligat, diligenter attendat, quis status erit his qui diebus pusilli gregis
C Dominici residui videlicet in regione illa populi Christiani, cum tartarica feritas multitudine numerosa prævalida & sæuitia innata terribilis sic in conuicina Regna & partes inualuit, quod eorum aliquibus depopulatis omninò, & ipsis ac aliis subiugatis, & suæ subditis ditioni, modicum illud Christanitatis residuum, & comminationum inculcatione terrebat, & ei iugum suæ importabilis seruitutis, vel ipsius excidium variis terroribus minabatur. Si autem ad eam quæ nunc imminet, & dissimulari non potest, eiusdem terræ desolationem, dirigimus nostræ considerationis intuitum, hinc timor, hinc meror, hinc ploratus, & vlulatus incolarum regionis illius. Hinc nobis, & cũctis Christianæ fidei cultoribus, pudoris noui suffusio, & pudor confusionis immensæ. Si redemptoris nostri, & piissimæ suæ genitricis tã atroces iniurias de cætero vel patientia damnabili toleremus, vel damnosa tolerantia patiamur. Ecce etenim dum diuina prouidẽtia in Sarracenorum perfidiam Tartarici gladij ultionem quasi sui virgam furoris, exteris totam terram ab Alapia vsque Hierusalem ipsorum spurcitia purgauisset, & tandem Tartaris exterminatis exinde fidelibus illis solùm hostis Babylonicus superesset, eisque adeò videretur accidere prosperitas, vt abreuiatis viribus hostium, imò ipsis etiam hostibus pro magna parte deletis, ad recuperanda deperdita spes pateret, & prosperi status reintegratio sponderetur, Christianis negligentibus causam Christi, perfidus soldanus Babyloniæ treugarum, & pactorum fide quam cum Christianis ipsis inierat, infideliter violata, cum exercitu copioso, quem in graui multitudine congregarat, castrametatus inter Montem Tabor & Naym, & tota Christianorum terra vsque ad portas Acconienses occupata hostiliter,

& inter Admiratos suos pro libito distributa per varios à Christianæ fidei cultoribus aditus sollicitus multipliciter, vt sollicitè requisitus, in aliquo inclinari non potuit, nec moueri quidem prophanus hostis radicati persecutor odij, quod contrà Christianum nomen & cultum, de iniqua editus radice conceperat, dolos præparans, iniquitatem pariens, sic in venerandam Ecclesiam Nazarenam, infrà cuius ambitum virgo virginum salutata per Angelum de Spiritu sancto concepit, & ipsius partus Angelico extitit prænuntiatus affatu, manus non solum occupatrices, sed etiam destructrices iniecerit, quod ipsam per sacrilegos & nefandos iniquitatis suæ ministros totaliter destruens, redegit ad solum eius structura nobili omninò destructa Ecclesiam insuper Montis-Tabor, in Dominicæ transfigurationis honorem constructam, ac Ecclesiam de Tabula vbi Deus, & homo vnigenitus Dei filius Iesus Christus post Resurrectionem suam cum discipulis suis, vera & ineffabilia Resurrectionis eiusdem, & suæ humanitatis exhibens argumenta, comedit, sacrilegio simili demolitus, & post paucos dies planitiem Acconensem aggressus ipsam, quam iam concursuum multiplicatione concusserat multis vexauit incendiis, ac turri Doc circà quam castra fixerat, igne supposito capta, & diruta, custodiamque ipsius, aliis morte traditis, reliquis vt diutiùs morerentur captiuitati seruatis, demum ciuitatem Acconensem inuadens, eamque multæ caristiæ coarctarat inedia, circumiacentium viridariorum maneriis ignis voracitate consumptis, & primùm sagittis impetiit, & postmodum aliis equitum ordinatis cum equitatibus, & armorum fragore, per cœmeterium beati Nicolai transitum faciens, contrà paucos milites Christianæ religionis Athletas, qui extrà fossatum ciuitatis eiusdem, ad ipsius tutamen, & propriam deffensionem exierant, dimicaturus cum eis, immò potius, vt in spiritu superbiæ suæ credebat eos absorturus accessit, sed vt firmiter credimus, adstitit de cœlo prædictis Athletis auxilium. Astitit illius potentia in cuius conspectu non est differentia in multis liberare, vel paucis, ipse illos de manibus inimicorum eripuit. Ipse ciuitatem prædictam, è rugientibus præparatis ad escam, suæ virtutis potentia liberauit. Nam paucis ex dictis militibus, qui mortem huius seculi signo crucis viuificæ insignitis tam felici martyrio finierunt transeuntibus vt sperabamus ad vitam reliquos sagittarum & spiculorum viam, quæ grandinis more vndique dissultabat ferre ampliùs non valentes, memorato tamen Gaufrido, & aliquibus aliis licet paucis vulneratis ex eis, ciuitas ipsa sola Dei virtute recepit. His (fili charissime) & his similibus, immò etiam grauioribus agitatur Terra sancta procellis, his traiicitur fluctibus, his tempestatibus fluctuat, talibus inibi lacessitur iniuriis, talibus lassatur angustiis, tali pressurarum mole opprimitur, & profectò, si tu præcipuè & cæteri Catholici mundi principes, vestros subduxeritis humeros, imò nisi ei celeriter subuentionis porrexeritis dexteram, irremediabiliter, vt creditur opprimetur. Licet enim impiissimus ille Soldanus hostis Christianitatis infestus constantiam Christi fidelium in defensione prædictæ ciuitatis expertus, ad tempus vt occuparet Craceæ & Montis-regalis castrum, quorum Dominũ proditoriè captiuarat, obscesserit suo in diuersis locis exercitu derelicto, vt fideles prosequentes ipsorum insultus atterat, & eos in suo reditu facilius debellet attritos, comminatus est: tamen se post modicum temporis, eo instructiorẽ hominibus, armis & instrumentis bellicis rediturum, quo ad delendam de terra illa omnem Catholicæ fidei & Christianorum memoriam, ipsum vacaturum instantiùs prædictorum coniectura prætendit. Si enim quæ gesta sunt dissimulationis conniuentia non transimus, satis aduertere possumus, quod ad exterminandum omninò in supradictis partibus Christianitatis reliquias, ciuitatem prædictam eiusdem ciuitatis in partibus ipsis robur tam potenter, tam ardenter inuasit ad abolendum pro posse nomen Domini omninò de terra annunciationis ipsius, & conuersationis loca destruxit. Et quasi matrem piissimã tam charissimi non afficerent iniuriæ filij, vel eam inoffensã ipsius præteriret offensæ, prædictam Nazarenam Ecclesiam vt præmittitur, destruendo specialiter sæuiuit in ipsam. Ha Deus! erectus est inimicus, manũ suã hostis ad quæq; desiderabilia Terræ sanctæ; vineam Domini aper de Sylua sine obice contradictionis exterminat, singulares feras nullo impedimento depascitur. Ha Deus! non inueniet aduocata nostra patronum, gentis Christianæ paterna, non inueniet deffensorem, peccatorum refugium ad quem cõfugiat non habebit. Deus iudex, iustus iudex vltionũ Dominus, suorum prosecutorem iurium, & iniuriarum non habebit vltorem! Absit, Absit vt desit virgini tuæ maximæ aliorũve Christi fideliũ in tanta necessitate deuotio, Absit quod præmissum

A præmissum Christianitatis residuum derelinquatur excidio, bestiarum dentibus exponatur. Absit vt Redemptoris nostri negotium, quod tu, & tui progenitores inclyti tot estis huc vsque prosecuti laboribus, tam immensis sustinuistis expensis, tuo & eorumdem principum destitutum auxilio, & per hoc finali præcipitio derelictum, in illius desperationis baratrum corruat, quod vt resurgat in posterum, spei reliquiæ non supersint. Attendant igitur zelum tuum tot & tantæ tui contumeliæ Saluatoris. Exurgat quæsumus, magnificentia Regia, exurgat in adiutorium Christo suo. Consurge, fili, Domino aduersus malignantes, & aduersus operantes iniquitatem ei, perseuerentia consueta consiste. Cæterum licet nonnullos alios orbis terræ Magnates ad subueniendum terræ prædictæ, nostris litteris hortemur: Quia tamen tuum specialiter (Serenissime Regum) orat & implorat auxilium causa Regis æterni, Excellentiam Regiam affectuosè rogamus, & hortamur in Domino Iesu Christo in remissione tibi peccaminum suadentes, quatenus illius, suæque genitricis vindicandis opprobriis, super quem pro nobis opprobria exprobrantium ceciderunt, auxiliatricem dexteram Regiæ maiestatis extendens ad præstandum terræ memoratæ subuentionis celeris ac oppportunæ remedium, prout ipsius pensatis conditionibus, quas tua sublimitas non ignorat, expedire putaueris, ita promptum exhibens Regalis pie-
B tatis affectum, quod cæteri fideles ad festinum eiusdem terræ succursum, quem ipsius extrema necessitas instanter exigit, tuo inducatur exemplo, sicque diuinæ potentiæ virtute præambula reprimantur nationis prauæ atque peruersæ, conatus & inimicorum fidei consternatis cornibus fidelium exaltentur, Domini liberetur hæreditas, Christianus populus de ore Leonis, & bestiæ manibus eruatur, tibique non solum de bestiis, quæ tu ipse illi terræ impenderis, sed & de his quæ aliis te laudabiliter imitantibus impendantur, merces accrescat retributionis æternæ.

ITEM *Epistola eiusdem* VRBANI IV. *ad Reginam Franciæ, vt pacem cum* CAROLO *Comite Prouinciæ Germano suo faciat.*

XXXIII.

REGINÆ *Francorum illustri.* CVM simus pacifici Regis vicarij vt commissæ vitis exequamur officium, pacem & veritatem in omnibus desideranter appetimus. Sed inter te ac dilectum filium nobilem virum Carolum Comitem Prouinciæ, tantò desideramus & nunc præcipuè procuramus ardentiùs, quantò fore nouimus indecentiùs, nec minus periculosiùs, tam sublimes tamque coniunctas affinitate personas animorum contrarietate disiungi, vel ab inuicem dissidere, tantóque nobis, & Romanæ Ecclesiæ foret vtiliùs, si Comes idem in necessitatibus ipsius Ecclesiæ, in quibus eiusdem cogimur implorare suffragia tuo fauore suffultus, magnitudinis tuæ potentia fulciretur. Nosti siquidem, filia, quod nullum prosequentes singularis di-
C lectionis affectum quem ad inclytam domum Franciæ, ab olim eadem gessit, & gerit Ecclesia, quique in vestris suprà nostros prædecessores variis ex causis exulerat Regnū Siciliæ quod est eiusdem Ecclesiæ speciale: Carissimo in Christo filio nostro Regi Francorum illustri viro tuo aliquibus ex cōmunibus natis vestris duximus liberaliter offerendum. Verum ab eodem Rege tanquā Christianissimo principe super hoc responso deuoto sed non pro voto recepto, quia inter cæteras graues molestias, & amaras, quibus in partibus Italiæ memorata vexatur Ecclesia, illæ mentem nostram molestant grauiùs, & pungunt acerbius, quas in prædicti Regni occupatione, ac alias ab ipsius occupatore sentimus ad prouidendum eidem Ecclesiæ contra tantas dicti occupatoris iniurias leuauimus in circuitu nostræ considerationis oculos, & vt præfati Regis potentiam: quam velut tutricem libertatis Ecclesiasticæ præcipuam in ipsius nato desiderantes quæsiuimus, nec habere iuxtà desideria nostra potuimus, experiremur saltem propitiam in Germano: ad eumdem Comitem nostræ deliberationis conuertimus aciem cum ipso super facienda sibi concessione prædicti, tractatum de memorati Regis conscientia & beneplacito ineuntes. Et quia speramus quod idem Comes afflictionibus nostris, & Ecclesiæ prædictæ compatiens, suis non parcet laboribus, sed in præmissis eiusdem Ecclesiæ deffensionem, ad nostræ petitionis instantiam, de prædicti Regis consilio laudabilia prædecessorum suorum vestigia imitaturus assumet, ne ipsius ac prædicti Regis tam pium in hac parte propositum, occasione discordiæ, quæ inter te, ac eumdem Comitem esse dicitur impediri vel retardari

contingat. Serenitatem Regiam rogamus, monemus, & hortamur attentè in remissione tibi peccaminum iniungentes, quatenus prudenter attendens, quam sit dispendiosa tua, & Comitis prædicti dissentio, quæ in commotione nostra multorum commotis animis, & plurimorum cordibus in nostra turbatione turbatis, tamen posset mutuis dare periculis, & periculosè vtriusque impedire profectus, ac proinde pensans, consideransque salubriter, quod pax Domini, ad quem tanquam fide præclaram, & deuotione feruentem aspirare te credimus sine pace proximi non habetur, Excellentiæ Regalis animum cum eodem Comite ad concordiam & pacem inclines ipsumque tibi, teque ipsi studeas in vnitate solidæ charitatis vnire, ne per scissuram huiusmodi, vestra in partes scissa minuatur potentia, sed hinc inde incrementa suscipiens alterius crescas augmentis, tuque ac idem Comes incumbentia nobis, nostrorumque onera, quæ proculdubio contrà vos contingunt, communi auxilio portare commodiùs, & difficultates occurrentes interdum concordi auxilio, Deo propitio faciliùs euitare possitis, dictoque Comite tuæ magnitudinis adiuto suffragiis, in assumpti circa memoratum Regnum prosecutione propositi ad honorem Ecclesiæ, ac exaltationem Regni Franciæ diuinæ clementiæ virtute præambula prosperante nos, & eadem Ecclesia, qui post Deum in spe subsidij memorati Regis & suorum ac tui specialiter, & eiusdem Comitis respiratus optatum conceptæ spei consequamur effectum, & tuæ mansuetudinis ac deuotionis promptitudine, dignis in Domino laudibus, & debitis gratiarum actionibus prosequamur.

ITEM *Exemplar Epistolæ eiusdem* VRBANI IV. *ad* LVDOVICVM IX. *Francorum Regem vt pecuniam pro negotiis Regni Siciliæ,* CAROLO *Comiti Prouinciæ fratri suo, nomine mutui concedat.*

XXXIV.

REGI *Francorum illustri.* ETSI sufficere soleat his qui ad aliquos sincero afficiuntur affectu, illorum necessitates exponere, cum huiusmodi expositio apud ipsos efficacis frequenter intercessionis sortiatur effectum. Nos temen licet non ignoremus sinceritatis Regiæ puritatem erga dilectum nobilem virum Comitem Prouinciæ, ac Andegauiæ Comitem Germanum tuum, & incumbentia sibi negotia paternæ beneuolentiæ affici charitate, nihilominus tamen necessitates imminentes eidem, quas te nouimus non latere commemorationis succinctæ ministerio breuiter exponentes, eis adiiciendas decreuimus partes nostras. Nosti (fili charissime) memorato Comiti grande Regni Siciliæ negotium imminere. Nosti quanta idem negotium acceleratione indigeat, quantos sumptus exposcat, nec te latet quod collectio decimæ prosecutioni huiusmodi negotij deputatæ maioris quam accelerandæ, proculdubio prosecutionis eiusdem qualitas exigat, moras habet, quæ nec contrà eas magnificentiæ tuæ dextera succurratur, possent suprà prædictum negotium grauiores quam forsitan creditur difficultates ingerere, ac expensarum importabilium grauamina inculcare. Ideoque Regalis Excellentiæ pietatem rogamus, monemus & hortamur attentè in re tibi petita suadentes quatenus prudenter attendens, quod memorati negotij accelerata promotio in celere cedet illo faciente, qui potest, subsidium Terræ sanctæ, ac Imperij Romani pacem promouebit Italiæ, ac vniuersali Ecclesiæ tranquillum & pacificum statum dabit. Præfato Comiti ad id negotium celeriùs & commodiùs prosequendum, pecuniam vsque ad quantitatem dictæ decimæ, de ipsius prouentibus rehabendam, quam tibi ad hoc specialiter volumus obligari nomine mutui, de Regia liberalitate concedas, vt ex felici prædicti consummatione negotij, quæ de huiusmodi tua subuentione spiratur, tantis per te totius quasi orbis commodis procuratis apud retributorem bonorum omnium, exinde retributionis æternæ præmia merearis.

ITEM *Exemplar Epistolæ eiusdem* VRBANI IV. *ad* LVDOVICVM IX. *Francorum Regem, vt* GAVFREDO *de Sarcenis in Terra sancta commorante subueniat.*

XXXV.

REGI *Francorum illustri.* QVAM vtiliter circa negotium Terræ sanctæ dilectus filius nobilis vir Gaufridus de Sarcenis institerit tibi (filij charissime) nouimus

A mus non ignotum. Nouit enim Excellentia Regia qualiter idem nobilis ad deffensionem terræ illius sua vota direxit, & se totum in hoc crucifixit, qui terram eandem sui pretiosi sanguinis aspersione, per sui patibulum insigniuit ministerio deuouens, indefessos ad id labores exposuit, & exponit. Non vitauit pericula, sibi ab innumeris, quas ipsum propter hoc subire oportuit, anxietatibus non pepercit. Memor es fili, operum tuorum quæ nec nobis sunt incognita in hac parte, scis etenim, nec nos latet, quod idem nobilis per se impar sumptibus, quos terræ illius necessitates exposcunt, per te fili benedictionis, & gratiæ, in dicti negotij prosecutione præstitit ipsius onera tuis fretus auxiliis, tuis fultus beneficiis, supportantur. Verum sicut frequens clamor indicat, qui ad Apostolicam sedem frequenter de partibus illis ascendit, ex necessitatibus inibi necessitates ingruunt, grauamina grauaminibus accumulantur. Siquidem præter antiquas & continuatas ab olim Babylonicæ prosecutionis iniurias, horribiliùs solitò sicut fertur horror tartaticus inhorescit. Gemit terra eadem, tantis pressa molestiis suspirat, & suspirando deplorat memoratum nobilem vnicum deffensionis suæ ministrum pressum paupertatis incommodis, in tam laudabilis propositi prosecutione deficere, cogique ad deferendum eamdem B expensarum cogente defectu, propter quod venerabiles fratres Episcopi, & dilecti filij nostri præsbyteri, ac Diaconi Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ad quos eadem Ecclesia tunc vacante, super hoc habitus est recursus suas tibi ad hoc litteras destinarunt, vt de centesima quæ ad opus terræ ipsius authoritate sedis Apostolicæ colligenda venerabili fratri nostro Tyrensi Archiepiscopo est commissa de tuo consilio & assensu in eiusdem terræ subsidium conuertenda procurares subuentionem congruam prout expedire videres memorato nobili exhiberi. Quia vero & nos idem terræ præfatæ commodis putamus expediens, Serenitatem Regiam rogamus attentè in remissionem tibi peccaminum, tibi nihilominus suadentes quatinus consideratis eiusdem terræ necessitatibus, quæ tibi sicut credimus, pleniùs innotescunt, & vtilitate quæ de præsentia ipsius nobilis prouenire creditur, ac periculis, quæ de ipsius absentia eidem terræ imminere dicuntur, prout tuæ Serenitatis industria vtile fore putauerit, procures eidem nobili de dicta centesima celeriter subueniri.

ITEM *Exemplar Epistolæ eiusdem* VRBANI IV. *ad* LVDOVICVM IX. *Francorum Regem, vt* CAROLO *Comiti Prouinciæ fratri suo contra* MANFREDVM *quondam Principem Tarentinum succurrat.*

XXXVI.

ILLVSTRI *Regi Franciæ.* AD Serenitatis tuæ notitiam pertulit iam saltem fama celerior, qualiter charissimus in Christo filius noster CAROLVS Siciliæ Rex C Illustris Germanus tuus volens iuxta quod indicit sibi radicata sui generis bonitas, & laudabilis in eo nutritura confirmat, Romanis quibus se certo tempore venturum ad eorum regimen pleniter assumendum sub iurisiurandi religione promiserat seruare promissum, ac desiderans tanquam benedictionis filius Ecclesiæ occurrere dispendiis contra inimicos ipsius, qui pro libito in eius patrocinio crassabantur, nec hostis horrens insidias, nec vitans pericula maris innumera, sed sub fiducia Dei, & inane virtutis audacia incerto ventorum se committens Imperio, Romam sine pecunia & equis, cum decenti tamen comitiua hominum peruenit. Verum pharao contemptus surgit in scandalum, sic & perditionis nutritius & iniquitatis alumnus MANFREDVS quondam Princeps Tarentinus videns ipsius aduentum, & præuidens exinde se præcipitio proximum, & debitæ ruinæ vicinum ex eo spiritu nimiæ præsumptionis assumpto, quod idem Rex suum ex præmissis causis iter accelerans, venerat equis vt præmittitur, & pecunia immunitus, quodque Militiæ Regis eiusdem per eumdem MANFREDVM variis impedimentis oppositis via non patet, nisi forsan in magna multitudine veniat, tunc præsertim cum auxilio Mediolanensium facilè transitura vires suas conflauit in vnum, satagens memoratum Regem vel per repulsæ opprobrium, vel per conclusionis dispendium confundere in sinu Ecclesiæ matris suæ, ac ipsam Ecclesiam in eodem. Ecce fili satis clamat ad te facti huius qualitas, satis etiam fratris charitas interpellat. Amanti enim sufficit nuntiare: sufficit vt noueris tu, qui quos debes amare non deseris; sufficit, vt firmiter credimus, immò

pro certo supponimus matri tam pio filio suas necessitates exponere. Sufficit fratri apud fratrem gerentem nihilominus erga se matris affectum, talibus interpellare precibus, & ipsum ad succursus accelerandi remedium taliter prouocare. Accendatur igitur zelus filij, fratris, & patris, nec in tanta necessitate affectio sic accumulata deficiat matri, filio, ac germano, ad quod & nos ex intimo mentis affectu, quas possumus deprecatorias persuasiones, & persuasorias preces adiicimus, pietatem Regiam rogantes, & obsecrantes in Domino Iesu Christo, ac in re tibi petita suadentes quatenus prædicta pia qua decet meditatione considerans memorato Regi compatiaris, & nobis ad subuentionem ipsius, & nostram modis quos ad hoc vtiles, & efficaces fore putaueris dexteram potentiæ Regalis extendas. Cum autem particularis solutio Decimæ in negotij subsidium quod eidem Regi imminet deputare prosecutioni eiusdem negotij accelerationem omnimodam exigenti omninò non congruat, sed multiplicandarum expensarum discrimina, & alia grauiora pericula, quæ auertat Dominus, comminetur; Placeat Excellentiæ Regiæ vsque ad vires Decimæ ipsius, quæ tuam non possunt latere notitiam præfato Regi mutuum contegrè ac sine damno aliquo ex ipsa decima retrahendum. Sicque piæ matris, chari fratris, & filij succurrendo extremis quasi necessitatibus, & periculis occurrendo, non tam memorato Regi & nobis quam illi præcipuè fœnerare pecuniam, à quo sperare debes, te infaillibilis promissionis centuplum, & æternæ vitæ possessionem, inæstimabile quidem interusinum recepturum.

ITEM *Exemplar Epistolæ eiusdem* VRBANI IV. *Papæ ad* LVDOVICVM IX. *Francorum Regem, vt querelas Prælatorum Prouinciæ promptitudine celeri, finire faciat.*

XXXVII.

REGI *Francorum Illustri.* PRIVILEGIVM amoris, &c. vsque molestamur. Pressuræ vero, quibus Prouinciæ ipsi Ecclesiæ per Bailliuos tuos illarum partium opprimuntur, tantò nos premunt infestiùs, quantò certius reputamus, imò pro certò nouimus tibi, qui Ecclesias, ac personas Ecclesiasticas singularis affectionis & deuotionis prosequeris ipsarum grauamina, & omne illicitum displicere: propter quod, fili, tibi super his cum magna fiducia scribimus, & confidenter porrigimus preces nostras. Præsertim cum hæc ad salutem tuam, quam in omni statu nostro quæsiuimus, & ad quam, sicut tua nouit Serenitas libenter semper laborauimus iuxta vires, ex solitæ sinceritatis puritate procedant. Nosti, fili charissime, quàm fideliter, quàm constanter Prælati eiusdem Prouinciæ, honori Regio tempestatibus querrarum in partibus eisdem exortis semper astiterint, quam viriliter illum fuerint prosecuti, nec ipsorum meritò ex eodem apud Regalem magnificentiam detrahi quod in hoc, & suis vtilitatibus consulebant. Nosti quotiens iidem Prælati pro suorum relatione grauaminum apud tuam Serenitatem institerint, nobis etiam frequenter laborantibus pro pace ipsorum, & dum finalis de parlamento in parlamentum differebatur responsio, superaddita noua grauamina, nouas querimonias pariebant. Decet igitur & animæ tuæ saluti, ac famæ credimus expedire, quod his celerem finem prouidentia Regalis imponat, tùm quod diuturnitas peccatum, nec deffensione munit, nec minuit, sed augmentat: tùm quia verò hoc tempore tuo finalem expeditionem receperint, proculdubio tua posteritas illa irreuocabilia reputabit, verisimiliter creditura pro certo nulli vitio subiacere, quæ Rex tanti nominis, tantæ deuotionis & zeli tam longo tolerauit tempore, nec vnquam emendare curauit, super hoc pluries requisitus. Ideoque Serenitatem Regiam monemus, rogamus ex veteri præscriptaque amicitia ob diuinum amorem, ac tuæ salutis obtentum, & in tuorum remissionem peccatorum suademus, quatenus eorumdem Prælatorum compatiens laboribus, & expensis sic finaliter prædicta omnia sopias, quod & præterita tollātur grauamina, & futuris via quātùm honestè fieri poterit præcludatur. Illud autem circa hoc, & his similia Regalis attendat prouidentiâ corrigendum, vidimus siquidem Prælatorum, & aliorum querelas, qui ad parlamenta Regalia de remotis finibus concurrentes essent cæteris in audientia præferendi frequenter in parlamentorum fine seruari, sicque dum fatigatis consiliariis, & ad suas anhelantibus mansiones cum

A cum tædio & perfunctoriè audiuntur, demum dies in parlamentum aliud infecto negotio prorogatur. In his itaque si placet remedium inposterum promptitudo correctionis adhibeat, cuius prompta celeritas obmissionem præteritam frequenter excusat.

ITEM *Exemplar Epistolæ eiusdem* VRBANI IV. *Papæ ad eumdem* LVDOVICVM IX. *Francorum Regem, vt S. Tituli sanctæ Cæciliæ præsbyterum Cardinalem Legatum in Franciam super negotio Regni Siciliæ benignè recipiat.*

XXXVIII.

VRBANVS *Episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio* LVDOVICO *Illustri Regi Francorum salutem & Apostolicam benedictionem.* Ecce, fili carissime, Manfez quidam Princeps Tarentinus innumerabilibus iniuriis & offensis, quibus Romanam hactenus vexauit Ecclesiam non contentus, prætextu negotij regni Siciliæ quod inter nos & dilectum filium nobilem virum CAROLVM Andegauiæ ac Prouinciæ Comitem Germanum tuum agitur, duriùs & asperiùs solitò continuis Ecclesiam ipsam aggressibus impetit, assidua persecutione concutit, rabie tyrannica distrahit, & diuersis aliis tribulationum generibus incessanter affligit: adeò quòd eadem Ecclesia tot malis afflicta, tot arctata molestiis, totque flagellis oppressa, vix potest ab huiusmodi oppressionibus respirare. Nam præter id quod idem Manfez, qui Sarracenorum actus amplectitur, ac illos in cotidianis eius obsequiis notabiliter secum tenet, & præfert eos in opprobrium Catholicæ fidei Christianis, Sarracenorum ipsorum præcipuè consilio, auxilio, & fauore prædictam impugnat Ecclesiam. Præter illud etiam quòd Archiepiscopales, Episcopales, & alias prædicti regni Siciliæ Ecclesias & Monasteria detinet, seu detineri facit damnabiliter occupata, in eorum aliqua fictos & perniciosos intrudendo ministros, vel iam intrusos nefariè confouendo, quædam verò pro suo commendando libito, & illorum conuertendo in vsus proprios periculosè prouentus, pullulant ferè vbique per Italiam hæreses, cultus diuinus minuitur, fides orthodoxa premitur, immò reprimitur, & opprimitur status fidelium, ancillantur Ecclesiasticæ libertates, & iura Ecclesiastica conculcantur: Prælati quoque & alij clericali militia præsigniti pœnas subire coguntur exilij, capiuntur, & ignominiosè tractantur, ac in atroces detruduntur carceres, mutilantur, & morte turpissima condemnantur. Spoliantur sacra & pia loca tam religiosa quàm alia, possessionibus & aliis bonis suis, & cùm sint diuino dicata cultui, ad vsus deputantur illicitos & profanos, despiciuntur, & abominationibus & spurcitiis sordidantur. Nonnulli quoque clerici diuina coguntur officia in locis Ecclesiastico interdicto suppositis in contemptum clauium Ecclesiæ celebrare, & exhibere sceleratis, excommunicatis, & impiis Ecclesiastica sacramenta. Pontificalis paruipenditur auctoritas & potestas, Ecclesiastica censura contemnitur, pereunt animæ, trucidantur corpora, incenduntur vrbes, destruuntur Castra, infringitur Castrorum securitas, spoliantur viatores, Sarraceni & scismatici Christicolis præferuntur, defenduntur hæretici, adeò quòd in nonnullis locis non audemus procedere contra ipsos. In aliquibus verò terris Prædicatores Euangelicæ veritatis verbum Dei proponere fidelibus prohibentur. In quibusdam verò hæreses publicè prædicantur. Quamplura insuper alia detestabilia & abominabilia committuntur, quæ diuinæ oculos maiestatis offendunt, scandalum in Ecclesia commouent, & tremendum Ecclesiasticæ censuræ vigorem debilitant & conculcant, nec potest ipsa Ecclesia prædicti persecutoris inualescentibus viribus opportunum super his remedium adhibere; cùm nuper etiam idem Manfez truculentas manus in viscera eius immittens quosdam Theotonicos suæ vtique persecutionis ministros in patrimonium beati Petri in Tuscia, in quo nos cum tota nostra Curia residemus, destinare præsumpserit, in nostrum & ipsius Ecclesiæ opprobrium, turbationem Prouinciæ, suorumque fidelium nocumentum. Alias etiam militum copias in Ducatum Spoletanum disponit immittere, vt nos & prædictam Ecclesiam in quadam quodammodo sagena concludens, sic arctet vndique vias spacia & transitus, vt nullus ad nos venire valeat, vel nos aliquos extra Curiam nostram destinare possimus. Verùm quia cælestis altitudo consilij liberationem prædictæ Ecclesiæ tibi tuæque Christia-

nissimæ Domui reseruauit & velle videtur vt iugum oneris eiusdem Ecclesiæ, & sceptrum exactoris eius per tui regni potentiam superentur. Ecce dilectum filium nostrum S. Tit. sanctæ Ceciliæ Presbyterum Cardinalem ad Christianissimũ regnum tuum, pro negotio dicti regni Siciliæ, à quo vtique regno panditur omne malum ipsius Ecclesiæ, & tantorum periculorum causa procedit in personam memorati Comitis, in quem suæ deuotionis & strenuitatis pensatis meritis oculos mentis nostræ direximus, actore Domino promouendo * commisso ei plenè legationis officio de fratrum nostrorum consilio destinamus. Ideoque Serenitatem tuam rogandam duximus attentiùs & hortandam, in remissionem tibi peccaminum nihilominus suadentes, quatinus prædictum Cardinalem de tua vtique beneuolentia plurimùm confidentem, ob reuerentiam Apostolicæ sedis & nostram regia benignitate recipiens, & honorificentia condigna pertractans, ac habens propensiùs commendatum, sibi in huiusmodi promotione negotij quoad illa expedienda, quæ ipsius negotij natura requirit, cum omni diligentia & prompta exhibitione consilij, auxilij, & fauoris assistas. Et quia nouimus quòd piissimum & benignissimum pectus tuum misericordiæ affluentiâ & diuinæ gratiæ vbertate repletum, prædictæ Ecclesiæ super tot eius calamitatibus, tribulationibus, & pressuris ex multa humanitate compatitur, nos mansuetudinis tuæ clementiam copiosis exindè laudum titulis efferentes, ac referentes magnitudini tuæ gratiarum multiplices actiones supplicamus Altissimo qui dat salutem Regibus, vt te nobis & prædictæ Ecclesiæ saluum atque incolumem per tempora longiora conseruet, ac dies super dies Regis adiiciens, vitam tuam florenti regno protendat, detque tibi tranquilla tempora, & ad laudem sui nominis copiosa. Quæsumus ergo, Christianissime Princeps, vt huiusmodi tuæ compassionis affectum in promotione præfati negotij, per quam speramus prædictam Ecclesiam ab inimicis eius, qui in circuitu eius sunt, fauente Domino liberari efficaciter, potenter, & libenter ostendas, ita quòd etiam post tui dissolutionem corporis nunquam tam pij tamque salubris operis memoria celebris moriatur; sed extendatur ab hoc tui gloria nominis in generationibus seculorum. Ne verò prætextu discordiæ, quæ inter carissimam in Christo filiam nostram MARGARITAM Francorum Reginam Illustrem vxorem tuam & prædictum Comitem orta dicitur, tantum Ecclesiæ bonum impediri valeat vel differri, tu, quem tanquam pacis Angelum in regno tuo prouidentia diuina constituit, & qui ex indulto tibi pacifici Regis dono nosti discordiarum eradicare zizanias, & serere semen pacis; sic huiusmodi discordiam amicabili compositione sopias & decidas, impendendo ad hoc omnem opem & operam efficacem, vt cuiuslibet inter eos scandali causa cessante, dictus Comes memoratum negotium securiùs aggredi valeat, & liberiùs ac efficaciùs promouere, tibique à Deo exindè præmium, & à nobis cumulata proueniat actio gratiarum. Datum apud..... v. Non. Maij.

ITEM *Exemplar Epistolæ* MARTINI IV. PAPÆ *de processu facto contrà* PETRVM *Regem Arragonum, eiusque fautores & adhærentes super negotio regni Siciliæ.*

XXXIX.

MARTINVS *Episcopus seruus seruorum Dei; Ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum.* DE insurgentis in Regno Siciliæ fremitu tempestatis, quod execranda Panormitanæ rebellionis audacia inchoauit, & reliquorum Siculorum malitia Panormitanam imitata prosequitur, ad sedem Apostolicam infausto rumore perlato: nos post processum in hac verbe vetana ciuitate, in festo Ascensionis Domini transacto nouissime habitum, ad compescendam tempestatem eamdem, quia procellarum illius spiritus non cessabat, sed per insidias Petri Regis Arragonum, quem stylo circa Reges solito, non describi, subscripta eius demerita meruerunt, inualescere potius videbatur, vt eiusdem Regis, qui Regiæ dignitati non deferens & generis sui claritati non parcens, dictorum rebellium se Ducem constituit & aurigam, nequitia reuelaretur apertius, & Ecclesiæ Romanæ instantia contra eum euidentius appareret. Pridem in festo Dedicationis Basilicæ Principis Apostolorum præterito, nuper in platea Ecclesiæ S. Flauiani Montis-Flasconis Balneoraiensis

A Balneoraiensis Diocesis, præsente tunc multitudine numerosa fidelium duximus recensendum, qualiter Felicis recordationis Innocentius Papa IV. prædecessor noster quondam Fredericum olim Romanum Imperatorem, qui per suos excessus grauissimos & culpas innumeras, Imperio & regnis, omnique honore ac dignitate reddiderat se indignum, in Lugdunensi Concilio, ipso Concilio approbante, propter suarum iniquitatum multitudinem detestandam à Deo ne regnaret vel imperaret abiectum, ostendit & denuntiauit, omni honore & dignitate priuatum à Domino, & nihilominus sententiando priuauit, prout in eiusdem prædecessoris sententia contra Fredericum promulgata præfatum noscitur contineri, qualiter & post eiusdem Frederici obitum, quamquam regnum Siciliæ ad dispositionem Romanæ Ecclesiæ cuius iuris & proprietatis existit esset liberè deuolutum, dictusque prædecessor se de illo publicè in eodem prædixisset Concilio prouisurum, quondam Conradus prædicti Frederici filius, licet in eodem regno ex ipsius sui genitoris successione, nullum penitùs ius haberet, tamen, sicut apparet liquido ex præmissis nec illo mortis suæ tempore habuisset, nec alias prædicto Conrado ius competeret in eodem, regnum ipsum præsumptione temeraria occupauit, quodque ipso Conrado sublato de medio, quondam Manfredus tunc Princeps Tarentinus, quem velut de copula damnata susceptum à regni successione præfati, non solum præmissa eiusdem Frederici priuatio, sed etiam macula illegitimæ natiuitatis arcebat, contra iuramentum fidelitatis ab ipso prædecessore prædicto præstitum temere veniens, sub quondam Conradini nati dicti Conradi sui pronepotis, simulata protectione tutoria, ad quasdam ciuitates, Castra & alia eiusdem loci regna manus occupatrices extendit, propter quod & alios etiam nefarios actus suos & graues offensas piæ memoriæ Alexander Papa IV. prædecessor noster, ipsum ex causis variis excommunicationis vinculo innodatum Tarentini Principatus honore, Montis sancti Angeli, omnibus Comitatibus, terris, Feodis, dignitatibus & honoribus aliis ac bonis & iuribus quæ in eodem regno & quæ alibi etiam ab Ecclesiis & personis Ecclesiasticis obtinebat, necnon & Vicaria in quadam ipsius regni parte sibi ab eadem sede concessa, omnibus etiam concessionibus, donationibus, largitionibus, confirmationibus & priuilegiis siue ab eisdem Frederico patre, vel Conrado fratre suis, siue à prædicta sede in regno sibi factis, eodem vel alibi, etiam ab Ecclesiis quibuscumque vel personis Ecclesiasticis tanquam rebellem & hostem Romanæ Ecclesiæ ac violatorem fidelitatis sibi præstitæ manifestum, suorumque iurium inuasorem, occupatorem, detentorem, sacrilegum & tanquam sociatum nefando fœdere Sarracenis, eorum complicem, ductorem & protectorem publicum, Apostolica authoritate priuauit. Cumque Manfredus memoratus nec his aliisve remediis contra illius malitiam adhibitis in sua iniquitate remissior, sed in committendo cotidie prioribus deteriora feruentior, postmodum fraudulenter præfati nepotis sui morte conficta, dictum regnum proprio nomine occupans, & Regium in illo titulum & nomen vsurpans se, ortus sui non erubescens primordia, in eiusdem regni Regem inungi & coronari fecisset, præfatus Alexander eius prædecessor fraudes & iniquitates abominans & detestans cassauit & irritauit, cassum & irritum nuntiauit quicquid circa dictum Manfredum per vnctionem vel potius execrationem & coronationem, quas recipere de facto præsumpserat, quasque nullas esse constabat, extitit tam temerariè tam dolosè præsumptum, eisdem vero Manfredo & demum Corrardino qui ætatem præueniendo malitia, ab eorumdem prædecessorum suorum iniquis semitis non declinans, sed ad eadem Imperium & regnum adspirans, præfatam Ecclesiam, & carissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliæ Regem Illustrem insidiis multis impetiit, & multipliciter apertis conatibus infestauit: Propter quod contra ipsum suosque fautores per recolendæ memoriæ Clementem Papam prædecessorem nostrum varij habiti sunt processus, * sua forte succisis nobis * Regi regnoque prædictis pacis & quietis Serenitas arrideret, * in subitas tempestates acta est æstiua tranquillitas, bellum in media pace surrexit, facti sunt hostes ex subditis, & qui memorato Regi Siciliæ ad fidelitatem debitam tenebantur, rebellionis spiritum infideliter assumentes, non solum hostilia, sed etiam Tyrannica patrauerunt. Sicut enim grauis clamabat & adhuc clamat infamia, processit adeò Panormitanæ ciuitatis & ciuium præsumptuosa rebellio, quod rebellandi audacia & iurium interuersione regalium, suique, quantum in eis fuit, abiectione Domini

Forsan legendum, quibus fortè succisis.

** Textus hic læsus est.*

non contenta, ferinæ immanitatis dexteras ad crudelitates inauditas exposuit, dum A
eorum exitialis iniquitas non solum quos ex deuotis Regis ipsius concepta potuit præoccupare nequitia, sine sexus ætatisvè respectu inhumanè occidit, verumetiam partus quos adhuc viscerum portionem claustra materna celabant, illis sæuè desectis, sic præcipiti festinatione produxit in lucem, quod eis minus proculdubio innaturaliter lucis vsum antequam concederet natura substraxit eis adeò prima cura, & impiissima cæde cæsis quod eorum ortus principia præuenit occasus. Quia vero sicut ex tunc plurimorum habebat assertio & euidenter exitus iam probauit hæc in nostram & ipsius Ecclesiæ turbationem & dispendium tentabantur & ad hoc plurimum intentio laborabat & studium vt fornacis quasi recenter extinctæ, nos Ecclesia & Rex prædicti renouata eò grauiora sentiremus incendia, quo solent nocere grauius pericula recidiua. Nos tantorum malorum obstare principiis cupientes, ne illis inualescentibus serò parari contingeret medicina, in dicto festo Ascensionis Domini, præsente fidelium multitudine copiosa, de fratrum nostrorum consilio, vniuersos & singulos, cuiuscumque præeminentiæ, conditionis aut status attentè monuimus, districtè præcipientes eisdem, ne in præfato regno vel eius parte nos & eamdem Ecclesiam aut præfatum Regem Siciliæ qui dictum regnum ab ipsa Eccle- B
sia tenet, per se, vel per alium molestare, impetere vel etiam perturbare præsumerent occupando, inuadendo, seu occupari aut inuadi faciendo regnum ipsum vel aliquam partem eius, præcipimus insuper vniuersis Christi fidelibus & specialiter Marchionibus, Comitibus, Baronibus, ciuitatibus, communitatibus & vniuersitatibus Castrorum, villarum & quorumcumque locorum Italiæ, maxime ipsius Ecclesiæ Romanæ temporali Iurisdictioni subiectis, ne huiusmodi molestatoribus, impetitoribus, perturbatoribus, occupatoribus vel inuasoribus aut occupari vel inuadi facientibus regnum ipsum vel aliquam partem ipsius in præmissis intenderent, & ne cum armis vel sine armis ad turbandum in eodem regno pacem prædictorum Ecclesiæ ac Regis scilicet præstarent illis auxilium, consilium vel fauorem, publicè vel occultè, neuè super hoc societatem, coniurationem aut fœdus inirent aliquod cum eisdem. Si quis autem contra monitionem nostram & præcepta præmissa per se vel per alium quibuscumque dolo, fraude vel machinatione facerent, cuiusque forent præeminentiæ, dignitatis, conditionis aut status, excommunicationis sententia quam ex nunc in eos protulimus, ipso facto se noscerent innodatos, ciuitates quoque ac communitates quaslibet quæ contra monitionem & præcepta eadem, quocumque dolo, ingenio, arte vel machinatione venire præsumerent, interdicti Ecclesiastici sententiæ, quam ex nunc in illos promulgauimus, volumus subiacere. Ad hæc prædiximus Patriarchis, Archiepiscopis, Abbatibus, aliis inferioris gradus Prælatis quod si contra præmissa vel eorum aliquod venirent, attemptarent, eos omni Ecclesiasticæ dignitatis honore, cæteros autem clericos non Prælationis officium, sed dignitatis forsitan vel personatus seu alia beneficia obtinentes & priuare C
curaremus obtentis & inhabiles reddere ad alia obtinenda, prout facti qualitas suaderet, laïcis vero cuiuscumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis aut status & præcipuè temporaliter ipsi Ecclesiæ Romanæ subiectis expressè denuntiamus, quod si monitiones & præcepta huiusmodi, contra ea per se vel per alium veniendo, temerè non seruarent, nos tantam temeritatem impunitam remanere nolentes ipsos feudis & aliis omnibus quæ ab eadem vel aliis tenerent Ecclesiis priuare, Vassallos eorum, si quos haberent, à fidelitatis iuramento quo tenentur eisdem reddere penitus absolutos, & personis eorum citra periculum mortis & mutilationis expositis, ad expositionem bonorum suorum, prout culpæ ipsorum exigerent & expediens videretur, procedere curaremus. Et licet Panormitanæ ciuitatis & ciuium prædictorum ac nonnullorum Castrorum illarum partium, qui contra eumdem Regem Siciliæ rebellarent, culpa grauis, acerbiorem processum exigeret; Nos tamen desiderantes quod ciuitates, ciues & loca prædicta mansuetudo corriperet & à tanti erroris inuio reuocaret, erga eos non rigorem sed mansuetudinem prosequentes, vniuersitatibus eorumdem ciuitatum, Castrorum, aliorumque locorum districtè præcepimus, vt submoto cuiuslibet difficultatis & dilationis obstaculo, ad nostra & Ecclesiæ ac Regis prædictorum mandata redirent, quodque molestatores præfatos, turbatores, occupatores, inuasores aut dantes eis in hoc auxilium, consilium vel fauorem, in dictis ciuitate, Castris, villis seu districtibus eorumdem, nullatenus

A receptare attemptarent nec ipsorum, aut alicuius eorum dominio vel regimini se quouis modo submitterent, nevè ipsis vel eorum alicuius contra Ecclesiam vel Regem præfatos impenderent in prædictis consilium, auxilium vel fauorem publicum vel occultum. Et nihilominus confœderationes seu obligationes quaslibet, si quæ inter vniuersitates easdem vel inter ipsas & quoscumque alios initas siue factas super occupatione & inuasione prædictis & iuramenta de illis seruandis vel alia pro eis hinc inde præstita penitus relaxantes, vniuersitatibus ipsis apertè prædiximus quod nisi præmissa celeriter adimplerent, contra easdem ciuitates & villas earum spiritualiter & temporaliter sic procedere, actore Domino curaremus, quod pœna docente, suæ temeritatis & superbiæ recognoscerent qualitatem. Cæterum licet dum hiis & aliis modis & viis filiorum salutem paterna venabatur affectio, reliquorum ciuitatum, castrorum, & villarum, cæterorumque locorum ciuium & incolarum scilicet, in nostram notitiam perlata rebellio, & præcipuè Messanensiū qui Panormitanorum ipsorum imitati sæuitiam, quamplures ex ministris & deuotis eiusdem Regni Siciliæ, post securitatem illis præstitam crudeliter trucidasse dicuntur, castrum Regium eiusdem loci temerariis ausibus occupantes, multæ commotionis causam induceret; nos B tamen propterea non desistentes à cœpto, venerabili fratre nostro G. Episcopo Sabinensi ad partes illas cum plenæ legationis officio tamquam pacis Angelo destinato, bona in illis & pro illis quæsiuimus partibus, nec venerunt. Expectauimus pacem, & turbinis tempestas grauioris apparuit. Machinatis ab olim, prout communis quasi tenebat opinio, & subexecutorum consideratio satis indicabat & indicat euidenter dolis & insidiis reuelatis. Siquidem Petrus Rex Arragonum de procedendo aduersus Africam quæsito colore, Siciliæ insulam, terram vtique peculiarem ipsius Ecclesiæ, militum & peditū caterua stipatus, inuadens & occupans, ac in illa eiusdem Ecclesiæ pacem turbans, grauem seditionem excitans contra eam, grauiterque populum concitans, in illam temeritatis prorupit audaciam, quod cum ciuitatibus aliisque locis, vniuersitatibus, ciuibus & incolis eiusdem insulæ, quibus ratione vxoris, filiæ scilicet Manfredi prædicti natorumque suorum se tueri prætendit, confœderationibus, pactis & conuentionibus sicut ex tunc ferebatur, quin. Potius cōspirationibus & scelestis factionibus initis in Regno prædicto nomen iam vsurpabat regium, se Regem Siciliæ nominans & gerens pro Siciliæ Rege, præsumens in maioris præsumptionis augmentum, Regi Carolo supradicto in suis litteris Regni Siciliæ titulum subtrahendo, sicque non solum Panormitanos eosdem quos alias pluries ad hæc sollicitasse per nuncios dicebatur, in inchoatæ contra præfatum Regem Carolum seditionis & rebellionis contumacia obfirmauit, eos per se ac gentem suam fouens ipsisque fauens in illa. Sed tam ipsos quam exteros insulæ prælibatæ rebelles adeò contra iamdictam Ecclesiam eorum specialem matrem & Dominam concitauit, quod nonnulli ex eis C & specialiter Messanenses qui ante ipsius in insula prænominata præsentiam, dicti Legati nuncios deuotè ac humiliter admittebant, dominiū præfatæ recognoscentes Ecclesiæ nomen publicè inuocantes, illos postmodum admittere contumaciter recusarunt, baculo arundineo, eidem scilicet Regi Arragonum, prætextu eorumdem ipsorum & filiorum, vt fertur, periculosius innitentes. Quos tamen vxorem & filios siue Regem per eos, seu ratione ipsorum in eadem insula, vel aliqua dicti Regni Siciliæ parte ius aliquod non habere apertius præmissa declarant; Et nos nihilominus decernendum duximus & etiam declarandum. In quæ autem crimina falsa Regiæ dignitatis, immo & simplices Magistratus assumptio, seditio, violentiæque cum armis commissio incidant, quibus addicendi sint pœnis talium patratores, nec fuit nec est opus exprimere, quia id nota vetustissima decreta sanxerunt. Et quia memorati Regis Arragonum excessibus non leue pondus adiicit ipsius & Regni sui explicitè descripta conditio, seriosè duximus explicandum, qualiter de archiuo ipsius Ecclesiæ prodeuntis monimenta manifestè testantur, quod piæ memoriæ Innocentius Papa IV. prædecessor noster, quondam Petrum Regem Arragonum, eiusdem Petri Arragonum Regis auum, Arelatensi Archiepiscopo qui tunc erat, & aliis personis Ecclesiasticis, necnon & quampluribus suis associatum proceribus per mare ad sedem Apostolicam accedentem, vt inibi ab eodem Innocentio prædecessore militiæ cingulum & Regium acciperet diadema, honorauit multipliciter, honorificè ac benignè recepit; & in Ecclesia sancti Pancratij martyris iuxta Trans-tyberim per bonæ memoriæ P. tunc Portuensem Episcopum in Regem inungi faciens, deinde manibus propriis

coranauit, & regalia insignia vniuersa, mantum videlicet & colobium, Sceptrum & Pomum, Coronam & mitram quæ ad opus ipsius non solum speciosa, sed etiam pretiosa parari fecerat ex more in Regum coronationibus obseruando munificè largitus eidem, ab eo iuramentum corporale recepit, per cuius religionem præfatus Rex inter cæteros fidelitatem & obedientiam ipso summo Pontifici eiusque successoribus dictæque Romanæ Ecclesiæ; Regnum suum in ipsius obedientia fideliter conseruare promisit, ac demum Rex ipse cum multo tripudio & applausu coronatus, iuxta eundem prædecessorem Innocentium, ad B. Petri Apostolorum Principis basilicam rediens, super illius altare Sceptrum & diadema deposuit, & militarem ensem de manu eiusdem prædecessoris accepit, dictumque Regnum suum antea censuale à suis prædecessoribus eidem Ecclesiæ constitutum cupiens, principali post Deum, ipsius beati Petri & Apostolicæ sedis protectione muniri, præfato Innocentio prædecessori per eum ipsi sacrosanctæ Apostolicæ sedi obtulit; Illudque sibi & successoribus eius in perpetuum diuini amoris intuitu, & pro suæ, suorumque progenitorum remedio animarum; nouo adiecto censu cōstituit censuale pollicendo addiiciens, & addiiciendo pollicens quod ipse ac successores sui specialiter eidem sedi fideles & obnoxij teneantur. Hæc autem perpetua lege fore seruanda decernens vt huius regalis concessio robur firmitatis & inuiolabilis obtineret, ipsam in scriptis redactam & de procerum curiæ suæ consilio, præsentibus dicto Arelatensi Archiepiscopo, quondam Sancio patruo suo, Hugone de Bancio & Arnaldo de Faciano Baronibus suis, sigili sui munimine roboratam eidem prædecessori concessit. Antequam igitur præmissa collata pariter & solerti examinatione discussa, præfatum Regem nepotem fidelitatis ad quam memoratus auus cuius est in eodem Arragonum Regno hæres, ipsum sicut & successores cæteros tam publicè, tam solemniter obligarat, eidem Ecclesiæ debitorem ac violatorem publicum reum non accusabant infidelitatis damnabilis accusant. Profecto fidei debitæ violatio, violentem proculdubio arguit infidelem, præsertim cum præmissa non leuiter aggrauet fraudulenta confictio qua idem Rex Arragonum nepos, non absque fraudis commento notabilis finxisse deregitur etiam apud nos, per solemnes nuncios affirmasse, quod cum sumptuoso & sollicito apparatu ad Dei Ecclesiæ seruitium & exaltationem Catholicæ fidei potentiæ suæ brachium dirigebat. Quod tamen contra eiusdem vtilitatem fidei, dictum Regem Carolum crucesignatum in Terræ sanctæ subsidium & publicè ad Dei eiusdemque fidei obsequia persequenda dispositum, nulla diffidatione præmissa, quod multorum iudicio proditionis notam non effugit, hostiliter impetendo: necnon & contra ipsam matrem Ecclesiam, terram eius sicut prædicitur inuadendo & occupando direxit. Nec eum excusat sed potius accusat quod ad partes Africæ, insulæ prædictæ vicinas, diebus aliquibus declinauit, id enim ipsum ideo concinasse probat immo & conuincit euentus, vt opportunitate captata commodius iniquitatem quam conceperat parturiret. Maximè cum per suos nuncios missos exinde pluries eosdem Panormitanos sollicitasse ac ipsis in præsumpta malitia obtulisse consilium & auxilium diceretur: nec esset vtinam sic verisimile quod eamdem Africam, terram quippe diffuso vastam ambitu, refectam incolis non prorsus imbellibus, crebris munitionibus, vt habet fama, non vacuam, opibus & aliis opulentam, cuius inuasionem vix multorum Regum & Principum quorumcumque, potentia coaceruata præsumeret; ipse ad hoc proculdubio diuitiis impar & viribus cum comitiua modica bellatorum solus assumeret inuadendum. Nunquid & iterum hoc non ostendebant & patenter ostendunt quod idem Rex Arragonum nepos tamquam eiusdem insulæ dicti Regni Siciliæ partis non modicæ manifestus inuasor & occupator, ac Panormitanorum rebellium & seditionis, commotionis seu concitationis, pacisque perturbationis contra præfatum Regem Carolum motæ, notorius fator & fautor, & aduersus eamdem Ecclesiam actor & factor, suique complices, Comites, satellites & ministri præmissam per nos in prædicto Ascensionis latam; In omnes, nostris monitionibus, præceptis & inhibitionibus non parentes excommunicationis sententiam incurrerunt. Nec absolutionis vasallorum suorum à iuramento fidelitatis si quo tenebantur eisdem, priuationis Feudorum, quæ ipsi à Romana vel aliis quibuscumque tenebant Ecclesiis & expositionis personarum citra mortem & mutilationem, bonorumque suorum, comminatum in eodem festo periculum euitarunt. Vniuersos autem insulæ prælibatæ rebelles, scilicet, Messanenses, Agrigentinenses & cæteros Ciuitatum, Castrorum, Villarum, aliorum-

que

A que locorum ipsius insulæ ciues, habitatores & incolas, cuiuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis aut status qui Panormitanis eisdem in pertinacia rebellionis assumptæ saltem se illis audacia simili sociando. Ac illos proinde validiores & firmiores in illa reddendo, necnon societatibus, confæderationibus, pactionibus, pœnarum & iuramenti adiectione firmatis, vt ex tunc dicebatur, iuuando fauerunt. Et tam alios quam Panormitanos eosdem qui prædicto Regi Arragonum nepoti, contra prohibitiones & monita nostra præmissa intendere, in inuasione aut occupatione præfatis, ipsum recipere ac receptare, se illius regimini submittere, sibique contra Ecclesiam vel Regem Carolum prædictos fauorem & auxilium impendere præsumpserunt, eisdem subiectos sententiæ ac periculo fore proculdubio ex tunc liquebat & liquet expositos, ciuitates vero, villas & castra & alia loca prædicta, necnon & vniuersitates ipsorum Ecclesiastico supposita interdicto. Hæc sunt quippe quæ per eumdem Arragonum Regem nepotem Deo & Ecclesiæ seruicia exhibentur. Hæc sunt quæ ipsius Ecclesiæ prosequi iactabant obsequia. Hæc fidei Catholicæ incrementa, sic exaltatione religionis Christianæ prosequitur & sic procurat. Sic Dei, fidei, Ecclesiæ ac religionis earumdem hostes persequitur, sic impugnat, talibus in se regalem dignitatem intitulat; talibus titulis vitam suam, famam, genusque decorat. Quamquam autem tantis excessibus excedentiumque demeritis, processus grauior deberetur, & ad præmissorum comminationem, prosecutionem ex tunc procedere non iniustè possemus; immo & sicut prædictorum perhibet consideratio deberemus; quia tamen nescit à caris caritas etiam læsa recedere, paternæ caritatis affectio nos induxit, vt cum simus, licet insufficientibus meritis illius Vicarij qui non mortem peccatorum, sed vt conuertantur & viuant se velle fatetur, Regem Arragonum & alios supradictos denuntiationibus, monitionibus & mandatis, prohibitionibus, comminationibus, ad conuersionem celerem, ne in peccatis, iniquitatibus & sententiarum laqueis, prout ex præmissis liquet, quibus se apertius inualuerant, obdormirent in morte, curaremus benignius excitare. Ideoque in festo dedicationis & platea prædictis, de fratrum nostrorum consilio, denuntiauimus sæpefatos Petrum Regem Arragonum nepotem, suos Comites, complices, satellites & ministros, ac Insulæ memoratæ rebelles ex causis prædictis, excommunicationis, ciuitates, villas & castra & alia loca prædicta, necnon & vniuersitates ipsorum interdicti, præmissis per nos latis sententiis subiacere, de nouo tam in Regem & alios sæpedictos, quam in vniuersitates, castra, villas & loca prædicta, ex causis eisdem, & propter contumaciam eorumdem in non parendo nostris monitis & præceptis & à nobis prohibita pertinaciter prosequendo, duritius tunc sententias similes promulgantes; præfatum autem Regem & exteros vniuersos & singulos qui cum eo aut alias in præsentis turbationis siue rebellionis auxilium, prædictam insulam ingredi præsumpserunt, vel inibi existentes eidem turbationi seu rebellioni quomodocumque fauerunt attentè monuimus, eisdemque districtè præcepimus vt ab huiusmodi suis excessibus & offensis penitùs desistentes, eamdem insulam exirent omninò numquam illuc nostrum, Ecclesiæ & Regis Caroli prædictorum, quoad præmissa qualecumque præiudicium reuersuri. Addicimus etiam ne quis de nouo ad idem insulam supradictam intraret, vel aliquam eiusdem Siciliæ Regni partem, publicè vel occultè impeteret, turbaret vel aliquatenus molestaret: vniuersis quoque ciuibus, incolis, habitatoribus & vniuersitatibus ciuitatum, aliorumque locorum ipsius insulæ cum similibus monitione ac districtione iniunximus vt Regem Arragonum & exteros antedictos prorsus expellerent, nullo vnquam tempore ipsos aut alios ad præmissa vel similia inibi recepturi. Districtius insuper inhibere curauimus, ne idem Rex Arragonum se Regem Siciliæ nominaret nec Regium sub intitulatione Regni Siciliæ sigillum assumeret vel vteretur assumpto; Neque priuilegia, immunitates, Feuda, donationes, bona vel iura quæcumque in eo, aut aliqua eius parte concederet, vel tanquam Rex Siciliæ quicquam agere attemptaret, neque dominium vel subiectionem aliquam in quascumque singulares personas aut terras ipsorum, seu potestariam vel quamlibet rectoriam, siue officium quocumque nomine censerentur, in ciuitate vel quouis alio loco, maximè ipsius Regni Siciliæ aut alicuius partis Italiæ in nostrum, Ecclesiæ, aut Regis Caroli eorumdem quomodocumque vel qualecumque grauamen per se vel per alium reciperet vel etiam

acceptaret, aut cum eis vel eorum aliquo in ipsorum Ecclesiæ vel Regis grauamen A sicut prædicitur, societatem vel aliam confœderationem contraheret vel seruaret qualiterque contractam; Neque singulares personæ præmissæ vel aliæ vndecumque ciuitates vel alia loca eidem, in Ecclesiæ ac Regis Caroli prædictorum persecutione huiusmodi persistenti, vel alij pro eo seu in fauorem ipsius in præmissa concederent, vel aliquem præmissorum, ipsum aut alium pro eo vel in fauorem illius ad prædictam vel aliquam eorum eligerent, nominarent, reciperent vel assumerent quoquomodo; Nec ipse Rex Arragonum vel quiuis alius singulares personas, ciuitates & loca eadem vel vniuersitates ipsorum, specialiter autem cuiuscumque partis Regni Siciliæ, vt se vel terras suas eiusdem Regis Arragonum dominio vel obedientiæ cuique supponerentur, aut eum vel alium pro eo seu in fauorem ipsius in potestatem, rectorem, vel ad aliud quodcumque officium, vt prædicitur, eligere, nominare vel admitterere attemptarent, siue cum eo societatem aliquam vel confœderationem contraherent, aut obseruarent qualitercumque contractam, seu quod ciues, incolæ, habitatores, ciuitates vel alia loca prædicta, siue vniuersitates eorum, præsertim cuiuscumque partis eiusdem Regni Siciliæ à nostra, Ecclesiæ, ac Regis Caroli prædictorum fidelitate seu deuotione, quocumque modo aduerterentur, vel aduersa etiam in huiusmodi auersione persisterent, per se, nuncium vel litteras inducere, aut donis promissionibus seu alio quouis modo allicere vel sollicitare præsumerent; Neve singulares personæ, ciuitates, castra, villæ, seu loca præfata se dicti Regis Arragonum, huius Ecclesiæ, ac ipsius Regis Caroli persecutioni quomodolibet insistentis, dominio, vel regimini, vel obedientiæ qualitercumque subiicerent, siue in nostrum, Ecclesiæ, siue Regis Siciliæ præiudicium vel grauamen, vt prædicitur, ipsum Regem Arragonum litteras vel nuncios suos, vasa quæuis apta cuicumque nauigio, gentemve reciperent vel receptarent, aut accederent ad eumdem, ipsive litteras mitterent, aut sibi, genti vel nunciis suis, seu alij pro eis, maximè in aliqua parte ipsius Regni Siciliæ obedirent vel intenderent, ministrarent Fodrum, equos, arma vel vasa huiusmodi subuentionis titulo, aut aliter quomodocumque ducerent concedenda, seu ab eodem Rege Arragonum vel alio pro ipso immunitates, Feuda & largitiones quaslibet in eodem Regno Siciliæ quas constabat; Et nos nihilominus declarauimus & adhuc declaramus, decreuimus & adhuc decernimus non tenere, vel alibi, occasione instantis negotij eiusdem Regni Siciliæ, aut stipendia vbicumque contra nos, Ecclesiam vel Regem Carolum supradictos reciperent, vel pro receptis promissum audeant seruitium exhibere, aut alias præstare consilium vel fauorem publicum vel occultum; nec cum ipso Rege Arragonum, vel alio pro ipso, seu in fauorem ipsius societatem, colligationem seu quascumque conuentiones in nostrum, Ecclesiæ ac Regis Caroli eorumdem dispendium qualecumque contrahent, aut contractas, etiam sub vinculo iuramenti, vel quorumlibet adiectione pœnarum seu pactorum auderent quomodolibet obseruare. Singulariter autem Michaëlem Paleologum qui se Imperatorem nominabat, quique super hiis & præcipuè exhibito in prædictis eidem Regi Arragonum contra nos & præfatos Ecclesiam ac Regem Carolum consilio, auxilio, vel fauore, necnon pactis, confœderationibus, conuentionibus initis cum eodem, ex tunc argumenta verisimilia deferebant, vox præterea publica & communis accusationis quasi continuè incessabat; omnesque sibi de facto vel quomodocumque subiectos attente monuimus eisque districtè præcepimus, vt omnia, monitiones, præcepta & inhibitiones præmissa quæ Michaëlem & subditos contingebant, eosdem vt possent quoquomodo contingere aut in eis seu quoad eos qualitercumque locum habere, quæ omnia & singula volumus prænominatim & singulariter & expresse repetitis haberi, & velut taliter repetita robur efficaciamque sortiri diligentius obseruarent, eisque studerent in omnibus & per omnia obedire, alioquin tam ipsos Petrum Arragonum Regem nepotem, & Michaëlem Paleologum, quam alios vniuersos & singulos dictis nostris monitionibus, præceptis vel inhibitionibus non parentes, cuiuscumque forent præeminentiæ, dignitatis, conditionis aut status Ecclesiastici vel mundani, excommunicationis sententiam quam in eos de fratrum prædictorum consilio, ex tunc duximus perferendam perindè innodatos esse decreuimus ipso facto, ac si expressi fuissent in huius processus nostri serie nominatim. Ciuitates vero, castra & alia loca quælibet, necnon vniuersitates quæ iamdictis monitionibus

A monitionibus, præceptis vel inhibitionibus non parerent Ecclesiastico interdicto quod ex tunc in illa promulgare curauimus esse volumus eodem modo subiecta. Interdicta vero præmissa sic artè præcepimus obseruari, vt in locis quæ incidissent in eo vel inciderent in futurum, nulla Ecclesiastica Sacramenta, excepto duntaxat baptismate paruulorum & pœnitentiis morientium ministrentur, nulla diuina celebrantur officia, nisi solum Missarum solemnia quæ in Cathedralibus, vel aliis Collegiatis & Parrochialibus Ecclesiis ad conficiendum corpus Christi morientibus ministrandum, submissa voce, clausis ianuis, interdictis & excommunicatis prorsus exclusis, semel tantum in septimana permisimus celebrari; Nonobstantibus quibuslibet priuilegiis vel indulgentiis Cistercienfibus, Prædicatoribus, Minoribus vel Religiosis aliis, secularibus personis, communitatibus, ciuitatibus, castris, locis, collegiis vel vniuersitatibus quibuscumque sub quauis forma vel expressione verborum ab eadem sede concessis, quæ omnia, quo ad hæc, volumus omnino viribus vacuari. Et nihilominus societates, colligationes, conuentiones huiusmodi & quaslibet alias factas vel etiam faciendas in fauorem ipsius Regis Arragonum, quoad instans negotium eiusdem Regni Siciliæ, aut in Ecclesiæ seu Regis Caroli prædi-
B ctorum qualecumque dispendium vel grauamen, etiamsi essent iuramentorum, pœnarum adiectione vel quouis alio vinculo roboratæ, de potestatis plenitudine dissoluentes & carere decernentes omni robore firmitatis, vniuersos & singulos qui se ad eorum obseruationem quomodocumque, seu quacunque solemnitate astrinxerunt, ad eas obseruandas, decernimus non teneri, nec pro eo quod ipsas deinde minimè obseruarent, de reatu periurij aut ratione pœnarum vel conuentionum quarumlibet adiectarum illis posse in iudicio vel extra iudicium impeti seu aliquatenus molestari; quinimmo eos ab illarum obseruatione sub pœna excommunicationis quam ex tunc protulimus, & ipsos si secus facerent incurrere voluimus ipso facto, præcipimus penitus abstinere. Prædiximus quoque apertius omnibus tam personis Ecclesiasticis & secularibus quam ciuitatibus, locisque aliis & vniuersitatibus supradictis quæ huiusmodi mandatis nostris, præceptis & inhibitionibus contumaciter non parerent, quod non solum ad exequendum comminationes præmissas; sed & alias grauius spiritualiter & temporaliter contra eas, & specialiter contra ciuitates quas contingeret in huiusmodi contumacia deprehendi, ad priuandum eos Archiepiscopali vel Episcopali dignitate, contra memoratos rebelles insulæ supradictæ ad interdicendum ipsis cum quibuslibet aliis, & aliis quibuscumque cum eis omne commercium quando & prout facti suaderet qualitas, & fore videremus expediens, procedere curaremus. Ad hæc præfatis Regi Arragonum, Michaëli Paleologo & aliis vniuersis qui contra præmissa nostra monita & præcepta vel inhibitiones, prædictum Regnum Siciliæ in eadem insula, siue in reliquis
C Regni præfati partibus inuadere, turbare impetere seu molestare quomodolibet præsumpserunt publicè vel occultè, generali & publico edicto denuntiauimus, quod nisi Rex ipse Arragonum, aliique prædicti in eisdem insula & Regno Siciliæ, ac vicinis seu quibuscumque Italiæ partibus commorantes, infra festum Purificationis beatæ Mariæ virginis nuper præteritum, alij vero in locis remotioribus constituti, infra Kal. Aprilis, ac idem Paleologus infra Kal. Maij proxime secuturas, quod quidem tempus eis pro peremptorio termino duximus assignandum, humiliter ad nostra & Ecclesiæ mandata redirent nostris præcisè beneplacitis pariturі; & tam nobis & eidem Ecclesiæ, quam præfato Regi Carolo de contumacia & contemptu, damnis & iniuriis, omnique interesse, satisfactionem plenariam competenti tempore quod eis ad hoc præfixerimus impensuri, ex tunc personas eorum citra mortis & mutilationis periculum & bona omnia mobilia exposuimus à quibuslibet fidelibus liberè occupanda, ipsosque Feudis, bonis & iuribus omnibus quæ ab eadem Ecclesia Romana, vel aliis quibuscumque tenerent Ecclesiis, priuilegiis, indulgentiis & gratiis quibuslibet, ipsis ab eadem sede sub quauis verborum forma concessis, Apostolica authoritate priuauimus, vasallos eorum à iuramento fidelitatis quo forsan tenerentur eisdem penitus absoluentes: prædicto autem elapso termino, quandocumque nobis videretur expediens ex prædictis ad priuandum eumdem Regem Arragonum, ipsius etiam absentia nonobstante, præfato Regno Arragoniæ, omnibusque aliis terris suis, seu ad ipsa Regnum & terras similiter exponenda, quoad Regnum ipsum, terrasque prædictas, semper nostro & eiusdem Romanæ Ecclesiæ

iure saluo. Et nihilominus contra eum pro qualitate criminum quibus, vt præta- A ctum est ipsum superiora prætendunt, obnoxium, quantum nostrum officium pateretur, facti suggeretur qualitas, nobisque fore videretur expediens, actore Domino procedere curaremus; Præmissas vero excommunicationis sententias prohibuimus absque speciali Apostolicæ sedis mandato, nisi forsan in mortis articulo relaxari. Quo casu nisi absolutionis beneficium obtinentes infra tres menses postquam forent sanitati pristinæ restituti, de loco interdicto supposito, si fortassis existerent inibi, recedentes, Apostolicæ sedis conspectui præsentare curarent. Satisfacturi de suis excessibus pro quibus incurrerent sententias supradictas, & sedis eiusdem beneplacitis parituri, relaberentur in sententias similes eo ipso, dictas quoque sententias sic firmiter & inuiolabiliter voluimus obseruari, quod absoluendi ab eis vel relaxandi easdem, nisi forte in mortis articulo, vt est dictum, tam omnibus pœnitentiariis nostris, quam aliis quibuslibet confessoribus, siue generalibus, siue specialibus, seu familiaribus quarumcumque vel quantumcumque sublimium personarum vbilibet consistentium ademimus potestatem, etiamsi à nobis vel aliquo prædecessorum nostrorum sub quacumque verborum forma, generalem vel specialem aut liberam, absoluendi aliquem vel aliquo à sententiis hominis B vel canonis seu alias quomodolibet relaxandi obtinuerint facultatem. Si quis autem absque speciali sedis Apostolicæ mandato, ex tunc obtinendo, contrarium forte præsumeret, tam absoluentem à prædictis sententiis, seu relaxantem easdem, quam huiusmodi absolutionem vel relaxationem recipientem, in quacumque forent dignitate, præeminentia, statu, vel ordine constituti, ex causa, huius excommunicationis vinculo duximus innodandos. Huius etiam relaxationem sententiæ præfatæ sedi similiter obseruantes, mortis articulo duntaxat excepto, & tunc nisi sanitate recepta, infra temporis spatium competentis, iuxta locorum distantiam, ad sedem venerint supradictam, suum humiliter recogniturі reatum, & sedis eiusdem beneplacitis parituri, relaberentur in sententias similes ipso facto. Ab hiis vero mulieres in hoc tantum voluimus excipi, vt si solum præstiti ratione fauoris in huiusmodi sententias forsan inciderent, possent per Diœcesanos suos iuxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium obtinere. Tantis itaque ac talibus per præmissas monitiones, prohibitiones, & pœnarum comminationes, memoratis P. Regi Arragonum nepoti, rebellibusque Siculis, ministris, complicibus & satellitibus & fautoribus eorumdem tanquam apertis datis significationibus, vt à factis ascus fugerent & se ab instantia recti iudicij merita duritia liberarent; non humiliatum, sed obduratum est in suis peruersitatibus insipiens cor eorum; Nec enim acquieuerunt monitionibus, nec prohibitionibus paruerunt; nec comminationum horruere sæuitiam, nec ab earum instantia expauerunt. Sed eis contemptis omnimodis suas non solum continuatione aggrauere nequitias, verumetiam multiplicationibus variis ampliarunt, ad alias partes Regni Siciliæ extra sæpefatam insulam constitutis hostiliter impetendas, suos, sicut fertur, conatus nefarios extendentes. Ne igi- C tur tam iustæ comminationes fiant iniustæ ludibrio, si eorum iustitia persecutione debita fraudaretur; neve sine vindicta grauis adeò crescat insania, dignum putauimus vt memoratum Petrum nepotem Regem Arragonum, tantamque ipsius proteruiam vltrix sententia prosequatur. Et ideo Regnum Arragoniæ, cæterasque terras Regis ipsius, de fratrum nostrorum consilio exponentes vt sequitur, ipsum P. Regem Arragonum eisdem Regno & terris regioque honore sententialiter, iustitia exigente priuamus, & priuantes exponimus eadem Regnum & terras occupanda Catholicis, de quibus & prout sedes Apostolica duxerit prouidendum, in dictis Regno & terris eiusdem, Romano vt præmittitur iure saluo, vasallos ipsius quos vt præmissa declarant, à iuramento fidelitatis si quo tenebantur eidem, iam absoluimus, denuntiantes pœnitus absolutos, & denuo ab eodem & à quolibet fidelitatis vinculo & homagio expressius absoluentes, ac eosdem P. quondam Regem, siculos, complices & fautores eorum, omnesque alios singulares qui prædictas monitiones, inhibitiones & comminationes damnabiliter contempserunt præmissæ excommunicationis, vniuersitates vero, castra, ciuitates & loca cætera denuntiamus interdicti sententiis subiacere, ipsos & ipsa ex causis eisdem & propter continuatam auctamque ipsorum contumatiam similibus sententiis supponentes. Vniuersis præterea Christi fidelibus cuiuscumque conditionis, præeminentiæ siue

statusꝫ

A status, etiamsi dignitate pontificali seu Regia forsitan decorentur; & specialiter Archiepiscopis, Episcopis aliisque inferioris gradus Prælatis & personis Ecclesiasticis, religiosis cuiuscumque religionis aut ordinis, & secularibus, ipsique P. quondam Regi Arragonum, Comitibus, Vice-comitibus, Baronibus, vniuersitatibus ciuitatum, Castrorum, cæterorumque locorum, ac vniuersis incolis & habitatoribus eorum Regni & terrarum quibus dictum P. tunc Arragonum Regem priuauimus districtius inhibemus ne ipse P. de dictis Regno & terris se de cætero aliquatenus intromittat; nevè cæteri supradicti idem P. dudum Regi vel aliis quibuscumque contra dictas priuationem & expositionem, aut persequentes easdem, per quos dicta Regnum & terras occupanda sedes eadem prouidebit, temptantibus se opponere assistant vel qualitercumque faueant siue præstent in hoc consilium, auxilium vel fauorem publicum vel occultum, quacumque occasione quæsita, vel prætextu alicuius homagij, vel cuiuscumque colligationis confœderationis, societatis seu cuiusvis conuentionis, aut iure contractæ hactenus siue imposterum contrahendæ, etiamsi colligationes, confœderationes, societates & conuentiones huiusmodi & alia supradicta pœnarum adiectionis, litterarum, vel iuramenti, seu B cuiuslibet alterius sint vinculo firmitatis innexa: Nos enim colligationes, confœderationes, societates, conuentiones, cæteraque huiusmodi præmissa quoad hoc, de potestatis plenitudine dissoluimus, iuramenta super illis præstita pœnasque propter ea promissas pœnitus relaxantes, & vniuersos & singulos qui eas contraxerant se ad earum obseruantiam quantumcumque solemniter astringendo ab ipsarum in præmissis obseruatione pœnitus absoluentes. Specialiter autem Archiepiscopis, Episcopis & cæteris personis Ecclesiasticis, Comitibus, Vice-Comitibus, Baronibus, incolis & habitatoribus supradictis earumdem Regis Arragonum terrarum, prohibemus expresse, ne dictum P. olim Regem Arragonum pro Rege vel Domino recipiant vel habeant, neuè sibi obediant vel intendant, aut ipsi vel alij pro eo de redditibus vel obuentionibus siue iuribus regalibus seu ratione dominij debitis respondeant, vel aliquam satisfactionem impendere sub velamine quocumque præsumant, alioquin memoratum P. quondam Regem & omnes singulares personas cuiuscumque sint præeminentiæ, conditionis aut status, Ecclesiastici vel mundani, etiamsi Regalis dignitatis honore præfulgeant, excommunicationis, Ciuitates vero, Castra, villas & loca cætera, necnon vniuersitates ipsarum, quæ dictas inhibitiones vel earum aliquam præterire propria temeritate præsumpserint, interdicti sententiis quas ex nunc fecimus, decernimus subiacere; nonobstantibus quibuslibet priuilegiis vel indulgentiis quibuscumque Imperatoribus, Regibus, Principibus, Archiepiscopis seu quibuslibet Prælatis aliis, Cisterciensibus, Prædicatoribus, Minoribus, Hospitariis, Templariis, seu Religiosis aliis aut secularibus personis, etiam in dignitate qualibet constitutis, Ciuitatibus, Castris, locis, communitatibus, Collegiis vel quibusvis vniuersitatibus sub quacumque C verborum forma vel expressione ab eadem sede concessis, & quibuslibet aliis Indulgentiis eiusdem sedis, per quas præsentia processus effectus impediri valeat vel differri. Quæ quidem omnia priuilegia & Indulgentias quoad hoc omninò viribus vacuamus. Et nihilominus contra huiusmodi præsumptores & specialiter contra dictos Prælatos, Religiosos, Comites, Vice-Comites, Barones, Incolas, habitatores, ciuitates, Castra, villas & alia loca, & vniuersitates ipsorum ad priuandum eos & ea, quibuslibet priuilegiis, Indulgentiis, immunitatibus siue gratiis, ipsis ab eadem sede concessis, necnon terris, feudis & iuribus quæ à præfata Romana vel aliis quibuscumque tenent Ecclesiis seu personis Ecclesiasticis, ac alias grauius spiritualiter & temporaliter, quando & sicut facti suaserit qualitas & expedire videremus; præuia diuina gratia procedemus. Vt autem huiusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas, siue membranas processum continentes eundem, in maioris Ecclesiæ Vrbeuetana appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ processum ipsum suo quasi Sonoro, præconio, patulo, iudicio publicabunt. Ita quod idem Petrus vel alij quos processus ipse contingit nullam postea possint excusationem prætendere, quod ad eos talis processus non peruenerit vel quod ignorarint eumdem, cum non sit verisimile remanere, quo ad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Actum apud Vrbem Veterem in platea dictæ maioris Ecclesiæ XII. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

A

ITEM *Exemplar Epistolæ eiusdem* MARTINI IV. *Papæ ad Episcopum Reatinum, qua inhibet quòd nemo consilium, auxilium, & fauorem det Siculis, quòd in eorum rebellione sint pertinaces.*

XL.

MARTINVS *Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Episcopo Reatino salutem & Apostolicam benedictionem.* Nuper ascensionis eorum occasione, quæ diebus istis in ciuitate Panormitana contigerant, iuxta morem Ecclesiæ Romanæ habiti sunt processus, quorum tenorem insertum præsentibus tibi duximus destinandum, fraternitati tuæ in virtute obedientiæ per Apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus tenore ipso diligenter inspecto, huiusmodi processus in regno Siciliæ, in terris & locis videlicet ipsius regni, in quibus expedire videris, publices, & facias per alium vel alios, quos ad hoc, si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compellas publicari solemniter, ac de publicatione huiusmodi confici publica instrumenta illa nobis per fidelem nuncium transmissurus, ac rescripturus fideliter per tuas literas harum seriem continentes quicquid in prædictis duxeris faciendum. Dictus quidem tenor talis est. B

MARTINVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad contradictionem præsentium & memoriam futurorum. Cogit nos temporis qualitas, & nequitia plurium detestanda sollicitat, vt infrà scaptorum prædecessorum nostrorum gesta, quæ plenius in archiuo conseruantur Ecclesiæ, recensentes, ipsius prouideri quieti cautius studeamus. Sanè felicis recordationis INNOCENTIVS Papa IV. prædecessor noster culpas graues, immò grauissimas & multiplices, ac manifestos excessus quondam FREDERICI Romanorum Imperatoris perpensus maturitate consilij, ac certi iudicij diiudicans, eique secundum praua opera sua reddens, ipsum honore Imperij, regno Siciliæ, Ducatu Apuliæ, ac Principatu Capuæ, generali super hoc congregato Lugduni Concilio approbante, ac iustitia exigente priuauit: prout in vniuersalem mundi notitiam non est dubium deuenisse, nec ab eadem verisimiliter creditur alienum, qualiter Fredericus ipse, aucto superbiæ spiritu, quanquam sic dignè depositus, sic iustè priuatus, sententiæ priuationis huiusmodi prolatæ in eum pertinaci animo parere contemnens, regnum & Imperium supradicta post eiusdem prolationem sententiæ occupata detinere præsumpsit. Qualiter etiam post iamdicti obitum Frederici, quondam CORRADVS natus eius paternæ malitiæ imitator dictum regnum præsumptuosis ausibus occupauit. Et tandem prædicto CORRADO humanis rebus exempto, quondam MANFREDVS olim Princeps Tarentinensis, eiusdem vt dicitur Frederici filius, qui etiam absque priuatione prædicta, propterea legitimæ successionis participiũ perdidit, quia ipsum partus legitimus non agnouit; vtpote de damnali commistione susceptum, ad occupationem prædicti regni temerarias & occupatrices manus extendit. Grauibus igitur & enormibus admodum per potentiam & malitiam eorumdem iniuriis irrogatis Ecclesiæ, ipsaque ipsius multipliciter afflicta fidelibus, respexit Altissimus sponsam suam, & conuertens illi nubilum in serenum, scelestam prædicti Frederici domum, quæ consueuerat prauis malis abundare personis, sic penè redegit ad nihilum, sic illam iactura multimodæ dissipationis oppressit, vt de ipsa nonnisi scintilla vnica remaneret, CORRADINVS videlicet Corradi filius supradicti. Qui, cùm in eo malitia suppleret ætatem, ipseque annorum suorum curricula nequitiâ superaret, progenitorum suorum nefarios actus sequens, ac illorum profanas iniquitates amplectens, mentisque ambitiosæ vitio Imperium expetens, sibique regnum intitulando Siciliæ, se ipsius regni Regem determinare temerè præsumebat. Et cum nonnullis econtra inimicis, Lumbardis, Tusciis, Marchianis, & Apulis præcipuè de regno profugis prælibato, fraudulentis se implicando commerciis, in vrbe, Lumbardia, Tuscia, & per alia diuersa loca suas seminare litteras non sinebat sub expressione proprij nominis, & præmissas intitulationes tenere sigillo Regiæ Maiestatis impressas, per quas commouere populum, concitare gentes, ac turbare pacem Ecclesiæ nitebatur, in ipsius Ecclesiæ, ac carissimi in Christo filij nostri CAROLI Siciliæ Regis Illustris graue præiudicium & discrimen. Vnde piæ memoriæ CLEMENS Papa prædecessor noster, C

cùm

A cùm sibi de his euidentiùs constitisset, diligenter attendens multam ipsius Corradini malitiam, & suorum conatuum peruersorum volens obuiare principiis, certum habuit in hac parte contra eum processum, prout vidit rationabiliter expedire, ac negotij qualitas persuasit. Demum præfato Corradino sublato de medio, eidem regno pax rediit, aurora tranquillitatis illuxit, sedatis turbationis fluctibus, quos ipsius Corradini praua studia suscitarant. Sed sicut nuper non sine multa turbatione fide dignorum relatu percepimus, nonnulli proteruæ temeritatis spiritum assumentes, ad nostram, necnon & Ecclesiæ, dictique Regis turbationem & scandalum aspirantes, in prædicto regno ignem turbationis emortuæ reaccendere moliuntur. Ad id iniqua studia congeruntur, ad id suarum virium potentiam coadceruant, manus præsumptuosas apponunt, & etiam occulti fauoris auxilium largiuntur. Testantur hæc inter cetera horrendi sceleris feralis immanitas de nouo in ciuitate Panormitana patrati; vbi sic debacchatus est gladius, ferrum infremuit, furor scanduit, rabies insaniuit, manus truculenta deseuiit, quòd sicut rumor mœstus enunciat, non suffecit virorum ac mulierum multitudinem inibi cædi dari, nisi & hi, quos nondum in lucem produxerat maternis apertis vteris necarentur, trucidarentur B innati, & delitescentibus visceribus genitricum impiæ præfocationis exitium inferretur. Quia igitur præfatum regnum Siciliæ ad Romanam Ecclesiam pertinere dignoscitur, suique iuris & proprietatis existit, ac propter hoc nos, qui vna cum Ecclesia ipsa medullitus in hac parte contingimur, & quasi cuiusdam acerbæ punctionis aculeo excitamur, volentes tam grauibus huiusmodi malorum initiis, tantis periculis acceleratis remediis prout possumus obuiare, ne tam horrenda principia conualescant: præsente hac fidelium multitudine copiosa, de fratrum nostrorum consilio vniuersos & singulos, cuiuslibet præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, monemus attentè, districtè præcipientes eisdem, ne in prædicto regno vel eius parte, nos, & eandem Ecclesiam, ac præfatum Siciliæ Regem in ipsa, qui prædictum regnum ab eadem tenet Ecclesia, per se, vel per alium, aut alios molestent, seu impetant vel perturbent, occupando, vel inuadendo hostiliter, seu occupari vel inuadi hostiliter faciendo regnum ipsum, vel aliquam partem eius. Præcipimus insuper vniuersis & singulis Christi fidelibus, specialiter autem Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Ciuitatibus, Communitatibus & Vniuersitatibus Castrorum, villarum, & aliorum quorumcumque locorum Italiæ, & maximè iurisdictioni temporali Ecclesiæ Romanæ subiectis; ne prædictis in occupatione vel inuasione huiusmodi prorsus intendant. Et cum armis, vel sine armis, ad turbationem regni, & ad turbandum in prædicto regno pacem eiusdem Romanæ Ecclesiæ, ac præfati Regis Siciliæ, in eadem præstent eis in occupatione vel inuasione prædictis consilium, auxilium, vel fauorem publicè vel occultè, & ne super hoc societatem, coniurationem, aut fœdus aliquod ineant cum eisdem. Si qui autem contra C monitionem, & præcepta nostra præmissa, per se, vel per alium, aut alios, quibuscumque dolo, fraude, arte, vel machinatione fecerint, cuiuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, excommunicationis sententiâ, quam ex nunc in illos proferimus, ipso facto se nouerint innodatos. Ciuitates quoque & Communitates quaslibet, quæ contra monitiones & præcepta nostra prædicta, quocumque dolo, fraude, ingenio, arte, vel machinatione venire præsumpserint, Ecclesiasticæ sententiæ interdicti, quam ex nunc in illos proferimus volumus subiacere. Apertè quoque prædicimus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis inferioris gradus Prælatis, quòd si contra monitionem & præcepta nostra præmissa, vel eorum aliquod venire temptauerint; hos eos omni Ecclesiasticæ dignitatis honore, ceteros autem clericos non Prælationis officium, sed dignitatis forsitan vel personatus, aut alia quæuis Ecclesiastica beneficia obtinentes, & obtentis priuare curabimus, & inhabiles reddere ad alia obtinenda, prout nobis facti qualitas suggeret, & iustitia suadebit. Laicis verò cuiuscumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, & præcipuè iurisdictioni temporali Ecclesiæ Romanæ subiectis, denunciamus expressè, quòd si contra monitionem & præcepta nostra huiusmodi per se, vel per alium, seu alios temerè veniendo, ea non curauerint obseruare: Nos tantæ temeritatis audaciam non intendentes relinquere impunitam, ipsos feudis, & aliis omnibus, quæ à prædicta & aliis Ecclesiis ac personis Ecclesiasticis obtinere noscuntur, priuare, & vassallos eorum si quos habent, à fidelitatis

iuramento quo tenentur eisdem, reddere penitus absolutos, & personis eorum circa mortis & mutilationis periculis expositis, ad depositionem ipsorum procedere Deo auctore curabimus, prout eorum culpæ exegerint, & videbimus expedire. Ceterùm, quia prædicta ciuitas Panormitana, & nonnulla Castra seu villæ illarum partium, contra præfatum Regem Carolum, qui regum ipsum ab eadem tenet Ecclesia, rebellionis spiritum assumpsisse dicuntur. Nos circa illa nolentes iuris obseruare rigorem, sed vti potiùs mansuetudinis lenitate, quam in actibus nostris libenter amplectimur: intendentes ac volentes eadem ab huiusmodi erroris inuio paternis studiis reuocare, Communitatibus ciuitatis & Castrorum ac villarum prædictarum districtè præcipimus, vt sublato cuiuslibet difficultatis & dilationis obiectu, ad nostram & Ecclesiæ ac Regis prædictorum mandata redire procurent. Eisdem quoque Communitatibus districtè præcipimus, ne prædictos molestatores, turbatores, occupatores, seu etiam inuasores, aut dantes eisdem in prædictis auxilium, consilium, vel fauorem, in ciuitatem, Castra, & villas, seu districtus eorum quouis modo recipiant vel receptent, & nec ipsorum, aut alicuius eorum dominio vel regimini quomodolibet se submittant; neque ipsis vel eorum alicui contra nos & eamdem Ecclesiam ac Regem prædictum in ea, impendant in prædictis auxilium, consilium, vel fauorem publicum vel occultum. Nos enim confœderationes seu obligationes quaslibet, si quæ inter Communitates easdem, vel ipsas & quoscumque alios initas siue factas, super occupatione & inuasione prædictis, penitus dissoluentes, ac iuramenta de illis seruandis vel aliàs quomodocumque pro prædictis hinc indè præstita relaxantes omninò. Communitatibus illis apertè prædicimus, quòd nisi præmissa curauerint quantociùs adimplere, contra eas, ac ciuitatem, Castra, villas eorum spiritualiter & temporaliter taliter denuò procedemus, quòd pœna docente cognoscere poterunt, quàm sit temerarium & superbum mandatis Apostolicis contraire.

VT autem huiusmodi nostri processus ad communem omnium notitiam deducatur, Cartas siue membranas processum continentes eundem, in maioris, Ecclesiæ Vrbeuetanæ appendi vel affigi ostiis superliminariis faciemus, quæ processum ipsum suo quasi Sonoro præconio, & patulo iudicio publicabunt. Ita quòd illi, quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere, quòd ad eos talis processus non peruenerit, vel quòd ignorauerint eundem. Cùm non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Datum, &c.

ITEM *Exemplar Epistolæ eiusdem* MARTINI IV. *Papæ ad* GVIDONEM *de Monte-forti, qua illum, Capitaneum generalem exercitus pro negotio Ecclesiæ à Rege nominatum confirmat.*

XLI.

MARTINVS *Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Nobili viro Guidoni de Monte-forti Capitaneo exercitus Romanæ Ecclesiæ in Romaniolæ partibus generali salutem & Apostolicam benedictionem.* Quam sit excelsa deuotio & affectio quam sublimis, quibus inter cæteros mundi Reges, imo inter cæteros proceres, carissimus in Christo filius noster PHILIPPVS Rex Francorum Illustris, claris progenitorum suorum inhærendo vestigiis erga Romanam Ecclesiam matrem suam feruere dignoscitur, crebris liquet indiciis, multimodis aperitur operibus, & frequentibus actibus declaratur. Proinde etenim ipsius Ecclesiæ necessitate multiplici dicti Regis exposita sensibus, sibi vt in hac sancta necessitate illi ope Regij fauoris assisteret, Apostolicis Prioribus destinatis, ipse tanquam filius benedictionis & gratiæ conformans deuotius Apostolicæ sedis beneplacitis vota sua, & in adiutorium eiusdem Ecclesiæ promptus exurgens, honorabilem militum, Armigerorum & peditum Comitiuam ad nos pro negotio Romaniolæ quantocius destinauit, ac nuper etiam laudanda liberalitas dicti Regis Armigerorum & Balistariorum quantitatem non modicam pro ipsius celeri promotione negotij continuata deuotione direxit, & gerens cordi negotium quasi suum vt de ipsius votiua expeditione sollicitus, vt exercitus eiusdem Ecclesiæ tam de militibus vel cæteris antedictis quam aliis vel ipsius

Ecclesiæ

A Ecclesiæ stipendiariis in Romaniolæ partibus congregatis, rectore gubernetur idoneo, Duce prouido dirigatur, ac de superbia detestanda rebellium, gloriosum ad laudem Dei & exaltationem Ecclesiæ, cœlesti cooperante virtute valeat reportare triumphum, super constituendo seu præficiendo eidem exercitui Capitaneo generali, prouidam sui salubris deliberationem consilij, nobis per dilectum filium Galterum de Fontanis Præpositum de Ingreio in Ecclesia Carnotensi Capellanum nostrum quem ad eiusdem Regis præsentiam pro negotio iamdicto transmisimus voluit intimari, te ad Capitaniam huius exercendam expresse ac specialiter nominando, prout hæc in eiusdem Capellani litteris nobis missis perspeximus plenius, contineri. Nos autem firma imo firmissima credulitate tenentes, quod præfati Regis consilium, ingens maturitas, circumspectio plurima, summaque deliberatio præcesserunt, propter quod existit eidem non immerito adhærendum, & laudandæ tuæ strenuitatis virtutem in multis & arduis multoties approbatam, tuæque fidelitatis constantiam qua pollere conspiceris diligentius attendentes, ac non incerta ducti fiducia quod ea quæ tibi præsertim in articulo tantæ tamque vrgentis necessitatis cũctis studiis cunctisque viribus exequeris, te in Capitaneum exercitus prædicti præ-
B ficimus ordinamus & constituimus generalem & omnia quæ ad Capitaniam hanc pertinent, & quæ præfati exercitus regimen quo quomodò contingunt tibi plenarie committendo vt quia per vnitatem concordiæ solet rebus accedere incrementum & per diuersitatem discordiæ dissipationis periculum imminere, quia prout ipsa facti euidentia edocet vix vtiliter & fideliter ducitur per diuersos Duces exercitus, cum inter se illorum persæpe diffideant voluntates, quoslibet alios Capitaneos per nos, vel per alium super eodem exercitu hactenus constitutos ab illius Capitania penitus amouemus, dilecto filio nobili viro Ioanni de Compa de cuius fidelitate probata & experta probitate confidimus, in totius Prouinciæ Romaniolæ regimine, prout sibi per nos commissum extitit nihilominus remanente, volentes omninio vt tibi tanquam generali exercitus eius Capitaneo & hiis quæ ad te ratione huius Capitaniæ tibi commissæ pertinent, idem omnesque alij de exercitu memorato humiliter pareant & intendant. Rogamus igitur nobilitatem tuam & hortamur attente per Apostolica scripta mandantes, quatenus pro nostra & Apostolicæ sedis reuerentia tanquam deuotionis & obedientiæ filius, Apostolicis beneplacitis te coaptans, onus huius, quamuis sollicitudinibus multis & ingenti labore non vacuum tuis robustis humeris impositum confidenter sub promptitudine deuotionis assumens, te ad partes Romaniolæ supradictæ, sublato moræ dispendio personaliter conferre procures, omnem in commissi tibi executione officij diligentiam impensurus vt exinde fructus proueniat quem nobis concepta de tua probitate fiducia repromittit, cedat ad laudem & gloriam summi Regis, honorem Ecclesiæ, tuæ commendationis augmentum, tranquillum statum fidelium, & pacem eorumdem & per-
C petuum rebellium detrimentum; ac Sedis Apostolicæ gratia quam libenter ad filios deuotos extendimus, circa te non immerito augeatur. Datum apud Vrbem Veterem quinto Idus Maij, Pontificatus nostri anno tertio.

ITEM *Exemplar Epistolæ eiusdem* MARTINI IV. *Papæ responsiuæ Epistolæ Petri Regis Arragonum.*

XLII.

MIRANDA tuis sensibus nostra venit Epistola vt scripsistis, sed mirabilior tua nostris. Sanè si nostræ paginæ verba iusto librasses examine; Si litteram ad riualem sensum postposito coniugis nomine transisses, interpretis non suspecti iudicio, inuenisses in illis vnde spirituali patri teneris & matri. Tuæ quidem tenor Epistolæ continebat quod præter omnium opinionem, & consilia Principum, vt tuis verbis vtamur, te inuenimus ad beneplacita nostra paratum; Ita vt nullus prædecessorum tuorum vllis retroactis temporibus recolatur adeò Ecclesiæ fuisse deuotus. Sed de Principibus non aliter ex hiis verbis nostrum informabimus animum, quam probabilis credulitas habeat facti experimento probata, de quibus Apostolicæ Sedis constantia rectæ opinionis iudicium, sinistræ suggestionis instantia non mutabat, cum facta præferenda sint dictis, & cætera præiudicent positiuis. Ecce de

archiuo Ecclesiæ munimenta publica prodeunt, quæ singulorum penè omnium A Principum, munita signaculis opinionem repudiant qua fortè videris ingemere contra illos, eo quod verisimilitudo non recipit tales ac tantos viros excellentiæ tuæ consilium dedisse contrarium scripto, tui & ipsorum signato sigillis. De prædecessoribus autem tuis si aliquid certius...... dedisset expressio metiremur in illis, quid in te sperare possemus, quoniam si ad proximos sanguinis scribentis referatur intentio, modicum deuotionis sufficiet; vt in eius comparatione procedas, si tamen comparatio gradum inueniat, vbi ius præuenit positiuos. Quod ad illos prædecessores intellectum patiaris extendi, qui fide præclari, claritate feruentes, deuotione sinceri, suis subditis proficientes, verbo pariter & exemplo Ecclesiam multis libertatum priuilegiis munierunt, multarumque largitionum liberalitate ditarunt; illis si placet se in hiis magnificentia tua non præferat; Sed consideres potius si affluentia talium, illorum metas attingat, discutiatque simul viri prudentis ingenium, si merito titulum tibi multæ deuotionis assumis. Dum beneficia matris Ecclesiæ reuocare conaris in dubium, tanquam si possent vnius inficiatione celari, quæ multo notam publicat, & singularis assertio reddit ambiquam, quæ vniuersalis notitia manifestat. Porro illa ingratitudinis species qua beneficia percepta negantur, aliquid turbationis consueuit afferre. B Sed illa maioris doloris habet aculeos, qua in bono malum præsumitur & odium in discretione notatur. Circa tutelam quoque tui ac...... Imperatrice Constantia, Regina Siciliæ, Apostolicæ sedis relicta, ac beneficiorum gratia excipis, si tutelæ sit debitum satisfactum, eo quod fax inducebat ne fieret & nefax, si defecerit notaretur. Verum cum nullus necessitatis articulus tunc vrgeret Ecclesiam, vt in te qui omni eras suffragio destitutus, onus non leue susciperet, tutelæ susceptio, quæ à gratia sumpserat, exordium habere te debuit adeò de persecutionis debito, non ingratum, saltem, vt tutricis notam non solum suspectæ, verumetiam fraudulentæ administrationis non conareris impingere, dicens, quod Ecclesia nomine defensorum, hostes immiserat palliatos, qui ad perdendam animam pueri festinarent, & pupilli susciperent regnum pariter & coronam. Habebat præterea diffamationis adiectio, quod quam tutrix Ecclesia debuit promouere deiecit, erigens in paterna sede hominem alienum, qui non contentus Imperio, ad regnum nihilominus aspirauit, & quidem non id habuit hactenus tua confessio, non id continebat vsque nunc tuarum series litterarum, quibus post Deum, totum ascribebas matris Ecclesiæ studio, totum attribuebas eiusdem tutricis laboribus quicquid eras & etiam quod viuebas; Vnde igitur contraria istis tam nouella processit opinio, vnde præsumptio tam aduersaria & tam repentina prorupit. Si enim frequens missio litterarum comitem conscientiam mittentis habebat, cum nulla subiecta sit tam nouæ scientiæ, neque scientia nouæ causæ, cur substituta calumniosè impingitur quod euidentia facti non patitur? Cur sub quodam inuolucro duplicitatis infertur, quod rei simplicitas non admittit, quod si scripta præmissa destituta erant credulitate scribentis tua circumspectio colligat quod de istis illatio subsequatur. C Suntne ista subsidia quæ promittebas Ecclesiæ si necessitas immineret: Est hic retributionis affectus quem offerebas si grauamen occurreret? non id mater expectauit à filio, non id tutrix expectare debuit à pupillo. Ha Deus! quæ in tali filio spei reliquiæ aliis relinguntur; Si mater tam diligens desperare cogatur. Ha Deus! quæ de tali pupillo fragmenta fauoris ceteri colligent, si tutrix tam vtilis iaculis detractionis impetitur. Ha Deus! quot & quantos labores admisit Ecclesia, si palmes quem multo sudore plantauit & coluit, in amaritudine vitis conuertitur alienæ; cum sit minoris dispendij fructus nullos producere, quam nociuos? O quam vberes lachrymas, quamquam amaras, prædecessor noster Innocentius Papa multotiens pro te fudit? O quanta sollicitudine laborauit vt te à nocentium eriperet manibus, & Insidiantium laqueis liberaret, & quasi de mortis faucibus extorqueret. Ecce quid retributionis eidem Imperialis excellentia afferat. Ecce quid regalis magnificentia recompensat, dum pupilli vitæ insidiator occultus dicitur, & bonorum tacitus spoliator. Recogita? recogita? fili carissime & infra claustra pectoris tui frequenti meditatione reuolue, quam paruum quamque depressum te ille summus Pontifex post obitum matris accepit & quam grandem quamque promotum in sua morte reliquit. Porro, vt credimus te nosse, tenellæ infantiæ nondum finem attigeras, cum impius ille Macualdus tui nominis detractor

A detractor perfidus, auidusque tuorum inuasor, Regni Siciliæ metas aggressus, vtras-
que inuasionis manus extendens, Montecassinum obsedit & insultibus multis impetiit,
exercens sui robur exercitus ad speratum exterminium captionis. Sed in hoc Ecclesiæ
sollicitudo tibi non defuit, quæ per duos Cardinales cum multis militibus & expensis
non modicis, efficacem manum auxilij porrexit obsessis, vires inuasoris debilitatus &
conatus obsidentis elidens. Cumque obsidionis exitus insultantis non responderet af-
fectui & prorogatum spe defensionis ad alios resistentis vigorem animum resumerent
conuicini; Sed iniquus ille in Siciliam transtulit, vt si ibi de , , , Regis, desiderij sui fines
attingeret, ad Regni fastigium sine difficultatis obstaculo perueniret. Sed nec tunc pro-
tectionis solitæ dexteram subtraxit Ecclesiæ mittens illuc bonæ memoriæ tituli S. Lau-
rentij in Lucina Presbyterum Cardinalem, Nobili viro Iacobo Consobrino prædeces-
soris nostri multis associato militibus in subsidium, nihilominus destinato; alius etiam
Cardinalis tunc postmodũ extitit deputatus, qui tuis vtilitatibus non remissus ibi diem
clausit extremum; consequenter alio constituto vt sollicitudinis debitæ plenitudo,
circa tuæ personæ custodiam non deesset. Interea Diopuldi malitia longe lateque
diffusa sic se per partes Apuliæ hac terræ laboris extendit, quod tantumque receperat
B incrementi quod obtenta de P. quondam Comite Celanensi victoria pro maiori par-
te homines regionis suo applicabat arbitrio, suoque domino abdicabat in aliquo sicut
poterant resistentes, eo crudelius debacchando, quominus paucorum & humilium te-
nebat repagulo, qui de maiorum & sublimium viribus triumphabat. Cumque in parti-
bus illis non haberet Ecclesia quem erigeret contra illum multosque sumptus ammise-
rat in hominibus regionis; quæ pro te iam feci expensas multarum millium vnciarum,
Recepto à G. Comite quondam Brennensi ad opus tuæ fidelitatis Apostolicæ iuramen-
to, ipsum misit in Regnum vt per eum elati cornua constringeret inimici, numquam
hoc fuit commissum spoliare pupillum, de throno Dei prodeat sententia, numquam
hoc fuit commissum prodere puerum, & virtus altissimi rectum iudicium operetur. Si
aduersus Ecclesiam tuam excellentiam decuit talia credere, si debuit ex hiis excepta
credulitas in portum prodire, huius vt verbis & scriptis authoritas exposita in publico
compareret. Sed forsan hoc diuina prouidentia voluit, vt habeatur imposterum caute-
la securior ex prouiso. Circa hominem siquidem alienum, quem in sede patris tui, si
tamen patris sedis potest dici, vel debeat quæ successionis, vel electionis iure de-
fertur, erectum fuisse prædixeras tua prudentia, aduersus Ecclesiam sustinuisset inue-
ctio, eo quod veritas negata de publicis minus relinquit fidei, de occultis nullum enim
angulum latet Imperij. Imperator H. defuncto quid olim Philippo Duci Suauiæ quid
Ottoni postmodum Imperatrici diuersis voluntatibus adhæserunt. Et licet idem Phi-
lippus nomen tuum primo pretenderit, ad se postea conuertit negotium illud. Sic suc-
cedentibus prosperis, suis vtilitatibus applicans, quod non cum de iure dubitabat Im-
C perij, secundum spem ad occupationẽ Regni Siciliæ prorogabat L. quondam Vernia-
ciensem Episcopum ad hoc mittens, in hiis etiam tuo subsidio Apostolicæ sedis proui-
dentia non defecit, sed illum per memoratum O. Cardinalem & nonnullos vasallos Ec-
clesiæ resistentes in Marchia, quod conatus contriuit aduersariis, & interdictus est ho-
stibus aditus, & etiam ad primos Regni fines accessus. Philippo tandem sublato de me-
dio, Ottoni quem omnium Principum roborata consentibus præstabat electio, nec ex-
pediuit nec decuit diadema Imperij denegata, qui proculdubio, vt scripsisti, subitò fa-
ctus ingratus, tergum, non faciem vertit Ecclesiæ immemor receptorum, & quamuis
eam multis prouocarit offensis; dissimulabat illas vtrumque misericordius Ecclesiæ
patientia consueta. Sed postquam ad tuam prorupit iniuriam, in te quasi pupilla oculi
tantum contrarium sufferre non potuit, multas vias excogitans, quibus pleno remedio
suo posset subuenire minori. O quam proximus eras periculis. O quam paratus ad ca-
sum. Quapropter inuocauit Ecclesia illius auxiliũ qui superbis resistit & dat humilibus
gratiam, qui imperat mari & ventis & cessat tempestas, qui deponit potentes de sede &
ponit humiles in sublimi. Inuocauit etiam Principum corda fidelium pusillos & ma-
gnos sollicitans, vt ei ad tui releuationem collapsi manum porrigeret adiutricem. Ob-
stitit tandem diuina potentia ingratis conatibus, faciens in te cum Ecclesia signum in
bonũ, vt elato cadente, tu surgeres, & potente debilitato tu posses. Arguit enim illum
malitia sua, suaque aduersio increpauit, quę iusto iudicio Dei perdidit, qui auare con-
cupierat aliena, cui tui Regni vix extrema remanserint illius omnino Imperium obti-
nens. Hæc itaque salutis remedia cũ auxilio Principũ, diuinæ prouidentiæ virtute præ-

ambula tibi prouidit mater Ecclesia talia beneficia puero contulit & adulto, quid vltra A
tibi facere potuit, & non fecit, de contigentibus nil obmittens; & ea etiam ad quæ non tenebatur adiiciens. Miramur autem quod in hiis tuos labores commemoras, te dicens dubij casus fata secutum, qui vocatus ad certa, laborantibus aliis in laboribus alterius introisti, metes quæ non seminasti & colligens quæ proculdubio non sparsisti. Denique in defuncti non fatigata persona nostra tua non præteriuit intentio, minus diligenter considerans quod nos qui prædecessori prædicto, quod ad vtilitates tuas affectione plenaria succedentes, ad tui concinnationem honoris patenter astitimus, & patenter nostro in multis detraximus vt tuo adiiceremur honori, facti quodammodo nostræ famæ prodigi tuæ parti. Sed pro istis & aliis hac nobis retributione respondens, quia dicis modò, Regni Siciliæ in electionibus Prælatorum, sicut asseris, debitum ex antiquo, nostris constitutionibus innouari. Verum si scripta tua & genitricis tuæ manum sollicitudinis reuoluisses. Si & sanctorum patrum constitutiones aduerteres, non culpares Ecclesiam, circa defensionem Ecclesiasticæ libertatis, cum non debeat alium de persecutione mordere iustitiæ, qui contendere nititur de abusu; asseris insuper nos præter formam communiter requisitam te inconsulto quibusdam Ecclesiis Regni vacantibus
præfecisse personas: sed quæ sit illa forma nescimus, quæ pro certo nimis esset informis, B
per quam Apostolicæ sedis iudicium ex tuæ voluntatis arbitrio dependeret. Non tamen intendimus promouere suspectos, dummodo non vltra notam suspicionis extendas, quam rationis tramites patiantur. Tarentinum posthæc Archiepiscopum quem apud te quasi summo gratiæ in profundum odij casus repentini mutatio sic deiecit, vt qui paulo ante quasi cor vnum & anima vna cum Principe censebatur, subito fur, subito proditor, subito tui nominis & sanguinis dictus sit obtrector, non excludimus à responso iurantes, quid nullum vltionis expectas, quem per subtractionem bonorum & interdictum suæ sedis accessum contra fas & licitum, tui prosecutor arbitrij iam punisti, pœna præueniente iudicium & executione non expectante libellum. Sed forsan est qui dicat quod dum sua placuisse creduntur, ipse displicuisse videtur. Catheniensium quondam Episcopum non duximus obmittendum, cuius prodigalitate rerum, totum Regnum dicis esse corrosum; sed si in totum processit corrosio; vnde tibi tot remanserunt reliquiæ corrodendæ, hic si merces laboribus, si fructus seruitiis, si meritis præmium responderet, aliud pro certo reciperet seruitiis quam soluatur, pro quo quid fratribus nostris apud sanctum Germanum, quid nobis apud Ferrentinum tua promisit magnificentia non ignoras. Deinde Cephaludensis Episcopi quem sanguinem occisorum ad nos asseris de terra clamare nec vita nec spoliatio sub nube tegatur, vt de ipso post debitum iustitiæ satisfiat, nec mouemur. Si super hoc ad lachrymas & querelas tuorum fidelium fortè, sicut asseris mouearis, dummodo in illum qui suo dominio stat aut cadit non processeris ad vindictam, primo in Castrum Ecclesiæ, ac bona eius manu occupationis extenta, quem querelam dilatio iusta proferret ad examen iudicis com-
petentis. Quapropter non inferas vt apud nos ille meruit vnde apud te demeruisse vi- C
detur, sed tamen non ignores quod pro iustitia spoliatæ [illegible] Ecclesiæ Prælatis videlicet inferioris gradus, licet apud te propter hoc demeruisse credatur, apud nos qui sumus & esse tenemur iustitiæ zelatores sibi meritum comparauit. Tandem concussis columnis Ecclesiæ, Prælatis videlicet inferioris gradus & ordinis, clericos rigor tui grauaminis accessit & quasi aliorum velis supplere defectum, prætendis negligentiam Prælatorum, licet superioris sedis non desit authoritas, quæ crimina diligenti examinata iudicio, & iudiciali examine cognita tanta censura procellit, quod penè descriptio culpæ intercidit exemplum, & vindictæ seueritatis esse poterit aliis limes offensæ. Quia vero Dei causæ deesse non possumus nec debemus super omnibus istis & aliis contingentibus Ecclesiasticam libertatem sic diuina suffulti potentia debitum nostri prosequemur officij, quod Deo pro posse satisfacientes, & homini, in hoc geremus vtiliter negotium nostræ salutis & tuæ cum deferre homini contra Deum, præsertim in talibus sit nocere, & parcere sit sæuire. Manus enim mulierum misericordium filios decoxerunt; sed habet vera dilectio plagas suas quæ dulciores fiunt, cum amarius inferuntur. Adiecisti præterea quod post reditum tuum in Regnum Siciliæ, reintegrantis viribus tuis pro temporum varietate dispersis, exclusis rebellibus, dicis Ecclesiam contra matris officium suspectos filios receptasse; & quidem de virium reintegratione gaudemus, & vtinam reintegrantis affectio sic debitis fuisset contenta limitibus, quod à iustitia recuperationis in suis, cum alienis ad superioris iniuriam non transisset, quia præter id

quod

A quod in die nouissimo districti iudicis vltione reddatur, consummari felicibus substantia non consueuit euentibus, augmentis non congregata legitimis, quinimmo grandis aceruus inficitur partis adiectione corruptæ. Super exclusis responso supersedere possumus, nisi alicuius iudicio crederetur retardatum silentium repetitam iustificare querelam. Sed vt videmus, quod respondentis hactenus dissimulato distulit, nunc extorquet instantia conquerentis. A memoria quoque tua excedisse non credimus quod Comite Tholosano, Raynaldo de Auersa & fautoribus eorumdem, antequam castra quæ viribus obtinere nequiueras resignarent, inter alia quæ publica & autentica sunt conuentione notata, venit expressis personarum securitas in compromissum, & vt id robur maioris firmitatis haberet; Nos, vniuersos fratres nostros affectuosè rogasti per litteras & nuncios speciales in testimonium conseruatos, vt Romana Ecclesia super se.... confidente reciperet, quæ præmissa inuiolabiliter prædictis attenderes & plenariè obseruares. Sed vtrum facta verbis respondeant fidesque promissis, plusquam deceat Apostolicæ sedis & excellentia Imperialis honorem afflictionibus publicis & pœnis manifestissimis exponuntur. Nonnulli de fautoribus Comitis memorati, quorum multos post speratam de securitate fiduciam dedisti exilio, & quosdam ignominiosa morte damnasti, proinde possumus non immeritò formidare, ne
B nostra patientia in prædictis, nomen veræ patientiæ ammiserit & affectum. Quare non credas id obliuioni esse relictum, licet sit actus dissimulatione suspensus, in quo quantum authoritati sedis Apostolicæ sit detractum, quæ ipsos ad precum tuarum instantiam sub sua securitate recepit satis intelligunt qui rem sciunt. Sed quid in similibus per te inferiores promittere debeant, de speculo poterunt renitenti recipere speculum & exemplar. De Comite verò Mathonum quem apud te in subtractione suorum, Terræ sanctæ, subsidium crucis & crucifixi reuerentia non defendit. Comite quoque Rogerio olim capto, vt nosti, & postmodum liberato, vt scimus, necnon & quibusdam aliis qui ad vrbem & loca confinia venerant, à persequentis facie confugerunt. Conquiescat quæso de cætero...... principis excellentis, nec sic tam stipulam prosequi, nec contra folium quod à vento rapitur suam monstrare potentiam videatur. Hæc quippe à Iulij Cæsaris gestis non elicis, qui Dominum pœnæ auidum & contemptorem veniæ, verum seruauit initium & Mecaldum se gladiis offerentem iuramenti Principis reputauit indignum. Certè Israëlitico populo ciuitates erant refugij, & vrbem ad refugium Christianus populus non habebat. Dauid recursus erat oppressis, & summus Pontifex Dauid magisterij Vicarius auerteret faciem ab afflictis & vtique cum per illos nulla aut aliqua molestia tibi inferatur, & tuis, nisi velis id dumtaxat ferre molestè quod viuunt. Ad hæc de egregio viro socero tuo si ad vestram peruenisset notitiam, quid de hiis quæ tibi facere debuit obmisisset, nostra eum nunc præteriret monitio, quem tibi desideramus acceptum & te illi potissimè gloriosum,
C in quo mouet multorum corda miratio, quod cum alij consueuerint crescere ex affinitate maiorum, iste, non sine multorum scandalo, non sine Terræ sanctæ dispendio, non sine tui nominis læsione, decreuisse videtur. Et quidem hiis similia magnificorum Principum gesta non continent, sublimium mores ignorant, & liberalium largitas non attrectat, non sic illius terræ procurat vtilitas, non sic ad eius subsidium bellatores strenui aduocantur. Super quo tibi onera grauia & importabilia nos asseris, tuisque humeris alligare quæ digito nostro mouere nolumus, non attendens quod iam pluribus annis elapsis vltro te istis oneribus subiecisti. In Theutonia spontaneus signum crucis assumens, Ecclesiæ in Ecclesiasticorum decimatione prouentum, non attendens quod per fratres nostros & alios Prædicatores, multi potentes & nobiles, magni & parui se crucis obsequio deuouerunt; pro mercatoribus autem Romania excellentiæ tuæ frequenter scripsisse meminimus, sicut dicis. Sed cum per hoc ius suum non assequuntur, vt asserit, non debet illis in sua iustitia Ecclesiastica censura deesse. De Vassallis quoque patrimonij de quibus prædecessorum Priuilegiorum inspectio protestatur. Quod si præter debitum, à nobis in illis aliud pro Terræ sanctæ subsidio periisses, sicut decuerat, formata petitio ad exauditionis gratiam introisset, prouideas tamen aduocante notabilium frequenter tuis litteris repetitum, tua si placet non protrahat interpretatio in abusum. Quoniam cum aduocatus Ecclesiæ idem intelligi debeat quod defensor, sedis defensoris admittis effectum impropriè nomen retines aduocati, quod satis marquata & aliis castris, quorumdam nostrorum fidelium ostendisti, quæ contra iustitiam detines, occupata post illatam violentiam, post commodum

opponis adeptum factus de petitore possessor, offers conquerentibus ius in tua curia A redditurum, super quo si qua iura noua sunt condita in publicum prodeant, cum id non patiantur antiqua. Quia vero non est abbreuiata manus Domini vt non possit sublimitatem incuruare potentum hominum & altitudinem humiliare virorum nunc cum felicium tuis votis successiuum, splendor illuxerit humilitatem in sereno non deferas, quam in nubilo prætendebas. Speramus itaque quod principis tam discreti memoriam nunquam sic ad obliuionem deducet obliuio vt omnino in vitium ingratitudinis incidat quod reprehendit in emulo, & culpam quam damnat in hostem, committat. Non ergo seducant te prospera, quam incensisse debuerunt aduersa, cum Pharaonis Pincerna notatus, eo quod succedentibus prosperis, sui est oblitus interpretis, & lex nobilitatis id habeat, vt nobilium mentes excelsa non eleuent, & infima non dimittant. Quapropter, fili Charissime, probitatis Apostolicæ sedis affectibus nullius suggestio te seducat, quæ nisi obstaculum minime indeuotionis impediat, à te dextera beneficiorum non subtrahet & dulcedinis verba non abscondet, & cum non sit verisimile quod animi feruentis affectum, ab illo de facili velit aduertere, quem multo sudore fouit in puluerem, multaque sollicitudine promouit adultum.

B

De Vercellensi Ecclesia.

XLIII.

NON Nœmi, id est pulchra. Sed mara, hoc est amara dici potest Ecclesia Vercellensis, eo quod, sicut accepimus, amaritudine repleuerit eam populus suus, immo non suus, quia quod ius spirituale dedit in proprios, laïcalis reddit iniuria alienos. Insurrexerunt etenim in matrem filij, à pastore oues oberrant, in vitam Prælati ruunt iniuriosè subiecti. Deludent itaque oculi, vberes resoluantur in lachrymas, & ploret Vercellensis Ecclesia mortuos suos, non tam culpa quam fama, quoniam alienati sunt & ab vtero filij, errauerunt à ventre, non attendentes ad petram de qua excisi sunt, & ad cauernam loci de qua præcisi noscuntur, dum soliditatem paternæ deuotionis non retinent & affectionis vtique proprium non obseruant. Sic matris honoribus onerosique, sibi sunt oneri, ancillantes matrem vt non vocentur filij liberæ, sed ancillæ. Ecce conuersa est, & vtinam non versa à statu pristino ciuitas Vercellensis, quia quæ in vertice suo 1. Episcopo celsior censebatur, depresso capite pressa iacet. Ecce de amaritudinis calice bibimus, quo dictam Ecclesiam ciues illi nimis inciuiliter potauerunt, dum ibi plus desolationis audimus, vbi plus solatij sperabamus. Credebamus siquidem quod in aduentu nostro Ecclesia illa quiesceret, sed lapsæ requies non est data: Prælatus enim, Domini Papæ cogitur adire præsentiam, & non cessat molestia subditorum. Sed adhuc manus eorum extenta, castra Ecclesiæ quæ prima rapina non sustulit, instantia continuatæ vexationis impugnat. Sanè si iustitia Dei attenditur, hoc pro certo non licuit, si decus Romanæ consideratur Ecclesiæ, istud non decuit, si vtilitas notatur, Prouinciæ id non erat expediens & maximè hiis diebus. Et forsan est qui credit quod qui huiusmodi læsionibus pungit Ecclesiam tali negotio negotiatur, alij commodum vergat & negligit regionem, numquam in talibus adhærebit lingua palatio, numquam silentio labia conticessent. Numquid non exaltabitur vox quasi tuba vt illi populo sua scelera nuncientur? ne igitur taciturnitas nobis illorum offensam concommunicet, Mandamus quatenus visis litteris, omni mora sublata, personaliter accedentes ad locum, potestati & populo Vercellensi præcipiatis ex parte nostra districtè, vt omnino recedant ab obsidione castrorum quæ obsidisse dicuntur, & alias cessent à molestiis Vercellensis Ecclesiæ matris suæ, quia nec ad Dominum Papam, nec ad nos possent velata facie mittere nuncios super exhibitione iustitiæ vel petitione concordiæ tam molesti. Quod si fortè non quieuerit furor eiusmodi, nobis explicitè rescribatis, vt acerbitas culpæ, pœnæ rigore exageret, monitioni debita succedente censura, & ferro subsequente fomentum. C

A

EXCERPTA EX CHRONICIS FRATRIS PTOLEMEI DE LVCA ORDINIS FRATRVM PRÆDICATORVM.

B

SVPER GENEALOGIA, ET POSTERITATE CAROLI REGIS SICILIÆ, FRATRIS LVDOVICI IX. FRANCORVM REGIS, VSQVE AD ANNVM M.CCC.LXX.

ANNO Domini M.CC.LXIII. Pontificatus Domini Vrbani Papæ IV. anno secundo, idem Papa videns partem Ecclesiæ in Italia deficere, & prædictum Manfredum in suis peruersis actibus prosperari de consilio Cardinalium Comitem Prouinciæ nomine Carolum, fratrem Ludouici Regis Francorum, in suum aduocat auxilium: & vt ad adiuuandam Ecclesiam esset feruentior, prædictum regnum Siciliæ, à quo præfatum Manfredum antea priuauerat, sibi contulit cum suis annexis.

ANNO Domini M.CC.LXV. Clemens Papa IV. existens Viterbij, Pontificatus sui anno primo prædictum Carolum in Ecclesia sancti Ioannis de Laterano in Regem Siciliæ coronare mandauit.

EODEM anno præfatus Rex Carolus in planicie Beneuenti bellum habuit cum prædicto Manfredo: in quo bello idem Manfredus succubuit: & fuit occisus: cuius habitæ victoriæ causa, præfatus Rex Carolus fecit ædificari Monasterium Ordinis Cisterciensis quod vocatur sancta Maria de Regali-valle in diœcesi Nolana: quæ coniuncta est diœcesi Beneuentanæ. Non enim ædificari fecit in loco vbi habuit victoriam: quia territorium non erat suum: sed Ecclesiæ Romanæ.

C ANNO Domini M.CC.LXVIII. Pontificatus prædicti Domini Clementis anno III. prædictus Conradinus filius præfati Regis Conradi cum militia Teotonicorum, & Lombardorum subito intrat Italiam: & deinde confinia regni Siciliæ: cum quo tunc erat Henricus frater Regis Castellæ, & nepos Regis Caroli supradicti: qui quidem Henricus occupauerat vrbis senatum. Contra quos venit præfatus Rex Carolus cum magna gentium armorum comitiua: diuque pugnato per ambas partes in die sancti Bartholomæi in introitu prædicti regni prope Castrum, quod dicitur Talliacoczium, tandem gentes prædicti regni propè castrum Conradini succumbunt: & idem Conradinus aufugiens captus fuit in Astura: in plaga Romana: & in plagiis Neapolitanis: postmodum decapitatus. Fuit etiam in dicto bello captus prædictus Henricus frater Regis Castellæ & per præfatum Regem Carolum in Apulia carceri mancipatus. In eo autem loco vbi idem Rex Carolus prædictum Conradinum deuicit, fecit idem Rex ædificari solemne Monasterium Monachorum Ordinis Cisterciensis vocatum sancta Maria de Victoria: quod hodie propter terræ motum quasi totaliter est destructum. In ipso vero Monasterio, & alio supradicto de Regali-valle, Monachi nulli nisi Gallici existere possunt. Decapitato igitur, vt præfertur Conradino prædicto, de genere supradicti Frederici Imperatoris nullus remansit superstes.

PRÆDICTVS autem Rex Carolus vxorem habuit filiam Raimundi Berengarij Comitis Prouinciæ, nomine Beatricem: quæ fuit vltima filia, & hæres dicti Comitis:

& habuit dictum Comitatum Prouinciæ: ex qua vxore prædictus Rex filium habuit A nomine etiam Carolum: qui in vita dicti sui patris vocabatur Princeps Salernitanus. Ipsa autem Domina sepulta est Aquis in Prouincia vna cum patre, & sorore Regina Franciæ in Ecclesia Hospitalariorum.

Anno Domini M. CC. LXXXIII. prædictus Rex Carolus moritur: & in maiori Neapolitana Ecclesia sepelitur: cui in dicto regno, & Comitatu Prouinciæ successit præfatus Carolus filius suus: vocatus postea Rex Carolus secundus.

Hic Rex Carolus II. vxorem duxit Dominam Mariam filiam Regis Vngariæ: quæ suo patri successit in regno Vngariæ: ex qua prædictus Rex Carolus multos filios & filias habuit: quorum primogenitus fuit Carolus cognominatus Martellus Princeps Salernitanus: qui viuentibus suis patre, & matre, est in Regem Vngariæ coronatus: Præmortuus est autem dictis suis patri, & matri. Secundogenitus vero dicti Regis Caroli fuit S. Ludouicus Episcopus Tholosanus. Tertiogenitus Robertus Dux Calabriæ: qui patri successit in dicto regno Siciliæ. Quartogenitus Philippus Princeps Tarentinus. Vltimogenitus Dominus Iohannes Princeps Achaiæ: deinde Dux Duracij. De aliis vero filiis per dictum Regem Carolum habitis, hic non fit mentio, quia sine prole decesserunt. B

Prædictus autem Carolus Martellus Rex Vngariæ, & Princeps Salernitanus vxorem duxit filiam Rodulphi Regis Alamaniæ: ex qua duos filium, & filiam habuit: videlicet Carolum, qui patri successit in regno Vngariæ: & Dominam Clementiam, quæ copulata fuit matrimonio Regi Ludouico filio Philippi pulchri Regis Francorum. Ex prædicta autem Domina Clementia natus est filius eius primogenitus vocatus Iohannes anno Domini M. CCC. XVI. sed parum vixit: nam VII. die à natiuitate sua migrauit ad Dominum: regnumque Franciæ exstitit postmodum ad collaterales translatum.

Prædictus præterea Carolus II. Rex, & dicta Maria eius vxor Regina Siciliæ miserunt in Vngariam Carolum Principem prædictum Principem Salernitanum filium prædicti Caroli Martelli Regis Vngariæ: & ei dictum regnum conferunt: & titulum ipsius, vt suo patri concedunt. Dictum enim regnum Vngariæ tunc ab infidelibus multum vexabatur: & Barones ipsius regni pro maiori parte tunc inobedientes erant prædictæ Reginæ Mariæ: aliqui tamen fideles, licet pauci venerunt in Apuliam pro dicto Rege Carolo: qui tunc erat nouem annorum: ipsumque secum in Vngariam conduxerunt: qui infra plures annos dictum regnum Vngariæ recuperat & augmentat.

Supradictus autem Rex Carolus II. Rex Siciliæ pater dicti Roberti Ducis Calabriæ, & auus præfati Caroli pupilli Regis Vngariæ petiit à Domino Bonifacio Papa IX. declarari, qui post mortem suam esset sibi in prædicto regno Siciliæ successurus: an videlicet prædictus Robertus filius suus, vel dictus Carolus Rex Vngariæ nepos eius. Præfatus autem summus Pontifex declarauit in breuibus: dictum Robertum esse prædicto suo patri, in præfato regno Siciliæ successurum. De sancto autem Ludouico tunc primogenito non fit mentio, quia iam effectus erat frater minor: & Episcopus Tholosanus. C

Anno verò Domini M. CCC. IX. V. die introitus Maij obiit supradictus Carolus II. Rex Siciliæ: anno regni sui computando ab obitu patris XXV.

Anno Domini M. CCC. IX. Dominica prima mensis Augusti coronatus est prædictus Robertus Dux Calabriæ in Regem Siciliæ per Dominum Clementem Papam V. in Auenione.

Hic autem Robertus duas vxores habuit: primam cum adhuc esset Dux: Dominam Violantem filiam Regis Arragonum: ex qua habuit filium Carolum Ducem Calabriæ: aliam vero Dominam Sanciam filiam Regis Maioricarum: ex qua nullus ei hæres superuixit.

Supradictus Carolus II. Rex Vngariæ vxorem duxit Elizabeth sororem Ducis Poloniæ: qui postmodum factus est Rex, & vocatus Rex Poloniæ, seu Cracouiæ: ex qua vxore tres filios habuit: primogenitum Ludouicum præsentem Regem Vngariæ: Andream secundo genitum: & Stephanum tertiogenitum.

Antedictus Carolus Dux Calabriæ, filius prædicti Roberti Regis Siciliæ duas vxores habuit: primam sororem Ducis Austriæ: ex qua nullam prolem procreauit: secundam Dominam Mariam filiam Domini Caroli de Valoys ex tertia vxore:

ANNO Domini M. CCC. XLVII. prædictus Ludouicus Rex Vngariæ intrauit A prædictum regnum Siciliæ: pro exercenda vindicta Regis Andreæ fratris sui: vt præmittitur interempti: ad quem cum esset in ciuitate Auersæ accesserunt prædicti Robertus Imperator Constantinopolitanus, & Princeps Tarenti; ac Philippus frater suus: nec non Carolus Dux Duracij, & Ludouicus, ac Robertus fratres sui: qui per dictum Regem Vngariæ fuerunt in principio satis bene tractati & accepti: non tamen multum honorati: nec fraternaliter pertractati, nam vltimo fuerunt carcerati: & prædictus Carolus Dux Duracij decapitatus: in loco vbi prælibatus Andreas fuerat interemptus: non tamen tanquam idem Dux fuisset conscius mortis dicti Regis Andreæ, sed tamquam ille, qui receperat in vxorem supradictam Dominam Mariam: quæ debebat contrahere cum ipso Rege Vngariæ, vt præfertur; anhelans idem Dux posse ad sæpedictum regnum Siciliæ, ratione dictæ Dominæ Mariæ suæ vxoris deuenire. Prædictus autem Ludouicus Rex, & Domina Iohanna Regina Siciliæ, cum præfatus Rex Vngariæ esset in Auersa, cum diuersis nauigiis recesserunt per mare, de Neapoli: & venerunt in Prouinciam: & deinde Auenionem: vbi præfatus Dominus Clemens Papa VI. cum sua curia residebat: & ibi per ipsum Papam fuit facta dispensatio inter ipsum Regem, & Reginam. Ibidem autem prædicta Regina peperit quandam filiam nomine Catharinam: quæ infantula est defuncta: aliam verò filiam post dictam factam dispensationem habuit vocatam Franciscam. B

PRÆFATA verò Domina Maria vxor prænominati quondam Caroli Ducis Duracij, sciens mortem dicti sui mariti, recessit prægnans de Neapoli in habitu fratris Minoris: & transiens prope Auersam vbi tunc erat prædictus Rex Vngariæ, per terram venit vsque Tusciam: deinde per mare in Prouinciam: stetitque in Castro Bocacij: vbi peperit prædictam suam filiam Margaritam. Aliæ vero filiæ suæ remanserunt in prædicto regno Siciliæ: vbi per suas nutrices fuerunt in diuersis locis secretè, & salubriter conseruatæ.

SVPRADICTIS Roberto, & Philippo de Tarento, ac Ludouico, & Roberto de Duracio per prædictum Regem Vngariæ captis, vt præ filio prænominati Regis Andreæ, quem præfata Domina Iohanna Regina dimiserat Neapoli in Castro nouo, vt assignaretur dicto Regi Vngariæ, missi sunt in Vngariam: vbi dictus Carolus Martellus modicum superuixit. Dicti autem quatuor regales in satis arcto carcere fuerunt per plures annos detenti.

ANNO Domini M. CCC. XLVIII. supradictus Rex Vngariæ à prædicto regno Siciliæ repente recessit: dimissis tam in Castris Neapolitanis, quam in quibusdam aliis locis dicti regni, qui ipsa Castra sui nomine custodirent: & gentibus aliis armigeris, tam Vngaris, quam Teutonicis, in numero satis magno: qui dictum regnum pro ipso Rege tenerent.

EODEM anno prædicti Ludouicus Rex & Domina Iohanna Regina Siciliæ à Prouincia Neapolim sunt reuersi: ac præfata Domina Maria Ducissa Duracij: qui Rex, & Regina statim fuerant in regno recepti, vt Domini: & in satis breui tempore, quasi totum ipsum regnum recuperauerunt. C

ANNO Domini M. CCC. L. supradictus Rex Vngariæ in sæpe dictum regnum Siciliæ est reuersus: & obsedit ciuitatem Auersæ distantem à Neapoli per octo milliaria: operante illo, qui custodiebat Castrum ciuitatis ipsius: qui quidem proditorie segerens tam Castrum quam ciuitatem dicto Regi dedit. In dicto autem regno tunc prædictus Rex resistentiam magnam reperit: & de perditis pauca recuperauit. Fuerunt tandem habita pacta inter prædictos Ludouicum Vngariæ & Ludouicum Siciliæ Reges: ac Dominam Iohannam Reginam de accedendo ad Curiam Romanam: & stando de iure successionis dicti regni Siciliæ declarationi summi Ponti. dictusque Rex Vngariæ his pactis habitis iuit ad vrbem: & prædicti Rex, & Regina Siciliæ Caietam: ex certis autem causis, nullus ipsorum ad prædictam Curiam dicta de causa accessit.

DVRAVIT autem guerra inter prædictos Reges Vngariæ & Siciliæ à prædicto anno M. CCC. XLVII. vsque ad annum M. CCC. LII. quo anno de mandato prædicti Domini Clementis Papæ VI. fuerunt supradicti, Ludouicus Rex & Domina Iohanna Regina Siciliæ die XXVI. mensis Maij, in festo Pentecostes Neapoli solemniter

A lemniter coronati: & declarata ipsa Domina Regina esse vera Domina dicti regni. Fuitque ordinatum per eundem Papam quod omnia loca, quæ tenebantur in prædicto regno per præfatum Regem Vngariæ assignarentur Domino Petro de S. Martiali Nuncio Apostolico: qui ipsa restituit dictis Ludouico Regi, & Dominæ Iohannæ Reginæ: & etiam procurauit Dominus summus Pont. quod prædicti quatuor regales, qui detinebantur captiui in Vngaria facerent liberari: & magna summa pecuniæ, quam pro sui redemptione dicto Regi Vngariæ dare promiserant, fuit eis contemplatione dicti summi Pontificis per eundem Regem remissa. Infra verò sex dies post coronationem prædictam mortua est prædicta Francisca filia ipsorum Regis, & Reginæ: & ex tunc ipsa Regina non concepit.

Prædicti quatuor regales ab Vngaria de carcere liberantur: & tres ex eis videlicet Robertus Imperator Constantinopolitanus & Philippus frater suus, ac Ludouicus de Duracio in regnum Siciliæ reuertuntur. Dictus verò Robertus de Duracio vadit in Franciam: & coram Rege Franciæ præfatum Regem Vngariæ de duello inuitat: dicens ipsum Regem Vngariæ non fecisse iuridice, decapitari faciendo prædictum Carolum Ducem Duracem fratrem suum: quod duellum effectum non habuit: & prædictus Robertus postea mortuus est in bello: in territorio Pictauensi: in quo, & præfatus Rex Franciæ per Principem Vualliæ captus fuit.

B

Aliquo præcedente tractatu prædictus Philippus de Tarento repente rapit prædictam Dominam Mariam: olim Ducissam Duracij consobrinam suam: atque in triplici consanguinitatis gradu coniunctam: & de facto matrimonium contrahit cum eadem. Pro habenda vero super hoc dispensatione idem Philippus venit ad Curiam: & per plures annos laborauit, antequam posset eam habere. Ex ipsis autem Philippo, & Maria ante, & post dictam dispensationem fuerunt multi filij, & filiæ procreati: aliqui ex eis nati mortui: qui autem superuixerunt omnes muti fuere, & claudi: absque dentibus, & capillis: ex quo apparuit, quod dictum matrimonium Deo gratum non fuit.

Anno Domini M. CCC. LII. die XXVI. mensis Maij qua die fuit festum Ascensionis Domini, obiit prædictus Ludouicus Rex Siciliæ Neapoli: completis X. annis integris à die suæ coronationis.

Anno Domini M. CCC. LXIII. completo anno obitus prædicti Regis Ludouici supradicti, Domina Iohanna Regina contraxit matrimonium cum Domino Iacobo Rege Maioricarum cum quo nupta manet ad præsens.

Prædictus Ludouicus de Duracio vxorem duxit Dominam Margaritam de sancto Seuerino: natam Domini Roberti de sancto Seuerino: de genere Comitis sancti Seuerini nobilis de regno Siciliæ: ex qua vnicum filium habuit nomine Carolum: quæ Domina Margarita postquam dictum filium peperit, per modicum tempus superuixit.

C

Anno Domini M. CCC. LXII. dictus Ludouicus obiit Neapoli in Castro Oui: in quo ex certa causa detinebatur arrestatus infra duos menses post mortem supra dicti Regis Ludouici.

Anno Domini M. CCC. LXIV. obiit Neapoli supradictus Robertus Imperator Constantinopolitanus, & Princeps Tarenti absque liberis: cui successit in dictis Imperio, & Principatu prænominatus Philippus frater suus.

Anno Domini M. CCC. LXVII. Dominus Ludouicus de Nauarra recepit in vxorem Dominam Iohannam Ducissam Duracij primogenitam Caroli Ducis præfati. Agnes vero soror dictæ Ducissæ antea contraxerat cum Caue-signore Domino Veronæ. Clemencia autem tertiogenita soror dictæ Ducissæ obiit virgo Neapoli anno Domini M. CCC. LXIII.

Anno Domini M. CCC. LXIX. obiit Neapoli prædicta Domina Maria vxor supradicti Philippi Principis Tarentini: & postmodum Imperatoris Constantinopolitani.

Anno Domini M. CCC. LXX. prædictus Philippus Imperator Constantinopolitanus, & Princeps Tarentinus accessit Vngariam: & matrimonium contraxit cum Domina Elizabeth filia Stephani fratris Regis Vngariæ: & secum duxit prædictam Dominam Margaritam filiam prænominati Ducis Duracij: quæ cum dispensatione Domini Vrbani Papæ V. contraxit cum Carolo filio prælibati

Ludouici de Duracio consobrino suo qui cum supra dicto Rege Vngariæ commoratur. A

Svpradicta Margarita filia supra nominati Philippi Principis Tarentini filij Caroli secundi Regis Siciliæ, & Dominæ Catharinæ Imperatricis Constantinopolitanæ vxoris eius, matrimonium ex se ipsa contraxit cum Francisco de Baucio Duce Andriæ: absque consensu tamen fratrum suorum: ex qua filium, & filiam habuit: Dominum Iacobum: & Dominam Antoniam.

FINIS.

INDEX
RERVM AC VERBORVM QVÆ IN TOMO V. CONTINENTVR.

A

ABBAS Cluniaci fit Episcopus Lingonensis. 342. b
Abbatia sancti Antonij Parisius fundata. 41. c. causa fundationis. ibid.
Ablutio pedum Monachorum Mandatum vocatur. 447. b
Acharon ciuitas à Francis capitur. 76. a
Achon ciuitas Regibus Franciæ & Angliæ, cum vniuersis armis & munitionibus redditur. 34. c
Adam Comes Meledunensis miles optimus. 226. a
Adela Regina. 4. a. mater Philippi Augusti. ibid.
Ademarus Pictauensis, Ecclesiæ inimicus. 645. a
Admiraldus est quasi Comes & Capitaneus exercitus Sarracenorum. 432. c
Adou castrum. 329. c
Agareni, id est Sarraceni. 10. b
Aginnum ciuitas nobilis. 616. a
Agotus fluuius. 596. c
Aymericus de Rochechoüart Armiger. 551. c
Aymericus le Brun vir magni nominis Lemouicensis pagi. 57. b
Aymericus Dominus Montis-Regalis & Lauriaci. 676. a. frater nobilis mulieris Geraldæ Dominæ dicti castri. ibid. in suspendium eleuatur à Simone Comite Montis-Fortis. ibid. c
Aymericus Dominus Narbonæ. 578. a 614
Aymericus de Castro-nouo, Cosa dictus. 675. b. Arnaldus frater eius. ibid.
Aymericus Vice-Comes Narbonæ. 816. b
Ala Regina apud Parisium moritur. 48. c. sepelitur apud Pontiniacum in Burgundia. ibid.
Ala Francorum Regina. 34. a
Alanus de Rociaco vir multæ probitatis. 609. a
Alanus Romanorum hostis. 97. c
Alapia Regnum in Terra Emach. 433. b
Alaricum Castrum inter Carcassonam & Narbonam situm. 581. b
Alardus de Estrepig miles. 633. c
Albamarna Castrum. 78. c
Alba Campaniæ vrbs. 849 c
Alba fluuius. 201. b
Alba-Curia Abbatia. 439. a
Albedunum Castrum in Diœcesi Narbonensi situm. 611. a
Albericus Comes Domni Martini. 113. c
Albericus Regis Francorum Marescallus. 34. b. in ciuitate Achon à Paganis occiditur. ibid.
Albertus Rex Alemaniæ à nepote suo occiditur 790. a
Albertus Dux Austriæ. 788. b.
Albertus de Parma Notarius & Capellanus familiaris Innocentij quarti Papæ. 829. c
Albion Insula. 69. c. Britannia vocata à nomine Bruti. ibid.
Alercius Sororius Philippi Ducis Sueuiæ. 756. c. filius Isaaci quondam Imperatoris Constantinopolitani. 756. c
Alienordis quondam Angliæ Regina apud Turonis Philippo Regi hominium facit pro Comitatu Pictauensi. 43. b
Alipnia ciuitas Apuliæ. 483. a
Almaricus filius Simonis Comitis fit miles ab Episcopo Aurelianensi. 634. b
Almansora ciuitas. 702. a
Almaphora villa Sarracenorum. 781. c
Almaricus de Pissiaco miles. 577. b
Almericus Magnates Nobilis suspendio eleuatur. 765. c
Alphonsus Camerarius Franciæ sub Ludouico nono. 423. a
Alphonsus frater S. Ludouici Francorum Regis, fit miles apud Salmurum. 336. c
Alta-Ripa Castrum situm inter Murellum & Sauerdunum. 638. c
Altus-pullus Castrum. 613. a
Alzona villa. 574. c. 581. c
Amalricus Hæresiarca. 51. a
Amalricus Comes Franciæ Constabularius. 687. b
Amalricus Comes Montis-fortis. 422. a. Constabularius Franciæ sub Ludouico nono Rege. ibid.
Ambia villa. 110. b
Ambiletum Castrum propè Albiam situm. 580. b
Anclanetum Castrum. 617. c
Ancherius tituli sanctæ Praxedis Præsbyter. 836. c
Andreas Vngarus Belæ & Stephani Regum Hungariæ Capellanus. 826. c
Andreas Caluctι miles strenuans. 692. b. Senescallus Regis. ibid. in bosco Centenaria dicto ab hostibus interficitur. ibid.
Andriopolis ciuitas Græciæ munitissima. 806 b
Aniciensis ciuitas, nunc Podium dicitur. 12. a
Ansellus Meldensis Episcopus. 324. a
Antharadum ciuitas. 434. c
Antonius de ordine fratrum minorum claret. 329. c
Appamæ Castrum. 592. c. proprium Abbatis & Canonicorum beati Antonini. 593. b

Araris fluuius. 222.a
Arausica ciuitas. 662.c
Archas Castrum. 78.a
Argentara villa. 644. sic denominata à nobili viro Pontio de Monte-Lauri. ibid.
Armenius Episcopus Domesticus Regis Armeniæ. 352.a
Arnaldus Almaricus Abbas Cisterciensis, Legatus mittitur ab Innocentio tertio. 673.b
Arnaldus de Faciano Baro Petri Regis Arragonum. 878.b
Arnaldus Abbas Cisterciensis. 558.a
Arnaldus Archiepiscopus Narbonensis. 657.b
Arnaldus de Camprano clericus sæcularis. 672.b
Arnaldus Almaricus Archiepiscopus Narbonensis. 677.c
Arnulphus de Visemale miles Templi. 532.c
Arnulphus Comes Flandriæ. 285.a
Arnulphus de Andenara miles probissimus. 63.a
Arsanga ciuitas. 340.a
Arseron prima Turchiæ ciuitas 339. c. terra hus dicta, in qua beatus Iob dicitur olim habitasse. 340.a
Arsulæ Castrum. 833.b
Arturius Comes Britanniæ 43.a. nepos Regis Angliæ. ibi. fines Andegauensium ingreditur. ibid. Regi Francorum hominium facit. ibid.
Ascalon ciuitas ab Angliæ Rege funditus euertitur. 35.a
Ascanius Lauiniam filiam Latini Regis in vxorem ducit. 17. b. ex qua filium nomine filinum suscepit. ibid.
Asilianum Castrum. 695.b
Astrologi Iudæi & Sarraceni. 21.c
Atax flumen. 577.b
Atax fluuius. 202. c. mitis dictus. ibid.
Athia pagus. 190.c
Athonus Vice-Comes Leomaniæ. 698.a
Aubertus de Longaualle, vir in armis strenuissimus, ab Arragoniis interficitur. 548.a
Aucerrium, villa. 338.a
Audenardenum Castrum. 209.c
Andura fluuius. 142.c
Auinio Castrum. 614.b
Auxanus Satrapa Græcorum. 408.c

B

Bachon Dux. 350.b
Bailloilum villa in territorio Carnotensi. 79.b
Bainacum Castrum. 769.a
Baiona Gasconiæ ciuitas maritima. 537.c
Balbona Abbatia Cisterciensis ordinis. 638.a
Baldach ciuitas. 347.c
Balduinus Cantuariensis Archiepiscopus. 25.a
Balduinus Comes, frater Comitis Tholosani, Regis Franciæ Consobrinus. 645.b
Balduinus Comes Flandrensis Regi Angliæ Richardo confœderatur. 41.a
Balduinus Comes Flandriæ hominium facit Philippo Franciæ Regi apud Compennium. 40.a
Balduinus Hæresiarcha. 558.b
Balduinus Imperator Constantinopolitanus. 278.c Haynensis Comes. ibid.
Balduinus frater Comitis Tholosæ. 601.a
Balochius frater militiæ templi. 283.a
Bapalma villa. 112.a
B. Archiepiscopus Cusentinus. 830.b. posteà Messanensis. ibid.
Barbeellum Cœnobium ordinis Cisterciensis à Ludouico septimo Francorum Rege fundatum. 72. b. ibi. ipse Ludouicus 7. sepelitur. ibid.
Bartholomæus Turonorum Archiepiscopus obit. 86. c. ei succedit Gaufredus Archidiaconus Parisiensis. ibid.
Bartholomæus de Roia vir prudens. 59.b
Bartholomæus Camerarius Ludouici noni Regis. 814.c
Bartholomæus de Roia Franciæ Camerarius. 261. c. exequutor Testamenti Philippi Augusti Francorum Regis. ibid.
Bartholomæus de Roia. 62.a
Baruth Castrum. 710.c
Batardus de Rossilione Armiger. 545.b
Basto Princeps Tartarorum. 540.b
Bænatium Castrum. 652.c
Bealna ciuitas. 105.c
Bedesius Agathensis Episcopus. 679.a
Bella-garda Castrum. 619.c
Bellum fit in Liguria, in Territorio Cremonensi. 53.c
Bellumforte Castrum in Andegauia. 55.b
Beatrix vxor Caroli Siciliæ Regis. 852.b
Beatrix Comitissa vxor Caroli Comitis & Senatoris in Reginam Siciliæ vngitur. 836.c
Belesinum Castrum. 329.a
Belfogia vicus. 144.b
Bellagarda Castrum. 582.c
Belesmum Castrum. 327.b
Belus Hungarorum Rex. 73.b
Benedictus tituli sanctæ Susannæ Præsbyter Cardinalis. 804. c. Apostolicæ sedis Legatus. ibid.
Berengaria soror Regis Castellæ. 285. c. vxor Iohannis Regis Hierusalem. ibid.
Berengaria filia Regis Nauarræ. 137.c
Berengarius Episcopus Carcassonæ. 571.c
Beritum ciuitas. 434.c
Bernardus de Cansuaco Dominus Castri Montisfortis. 769.a
Bernardus Comes Conuenarum apud Lantarium prandendo moritur. 697.c
Bernardus de Cimorra Hæresiarcha maximus. 562.a
Bernardus Aniciensis Episcopus. 410.b
Bernardus Andequerrij miles strenuus Auinionensis occiditur. 687.a
Bernardus Comes Armeniaci. 698.a
Bernardus Heremita tempore Philippi Augusti, vir sanctus & religiosus. 8.b
Bernardus Comes Conuenarum moritur. 687.b
Bernardus Clareuallensis Abbas vita & litteratura conspicuus. 667.b
Bernardus de Vgenauo Fuxensis Comitis Notarius. 745.a
Bernardus Decanus Blakernensis clericus Balduini Imperatoris. 424.c
Bernardus de Portellis miles. 646.c
Bernardus Tholosanus præsul. 197.b
Bertrandus de Saxiaco miles hæreticus. 557.a
Berugia turris fortissima. 337.a
Bertrandus de insula Episcopus Tholosanus eligitur. 704.c
Bertrandus Martini insignis Hæreticus. 699.a
Besseda Castrum in Diœcesi Tholosana. 775.c truncatur. ibid.
Biblium ciuitas. 434.c

Biron

Celese ciuitas Apuliæ. 843.a
Cencium castellum. 80.b
Centullus Comes Astariaci. 685.b
Cesona villa. 58.c
Cham magnus Rex Tartarorum. 347.c
Chaursia vrbs sita inter Barrensem villam, super Sequanam, & vrbem Trecensem. 328.b
Childebertus in Ecclesia sancti Vincentij martyris sepelitur. 15.b
Chinonium castrum. 28.b
Chinum castrum. 764.b
Ciuitas Parisiorum, quæ Lutecia dicebatur, de nomine Paridis, Parisius à Marcomiro vocata est. 18.a
Clarius Carcassonensis Episcopus. 693.a
Clodoueus Rex Francorum 15. a. cum Clotildi vxore sua in Ecclesia beati Petri sepelitur. ibid.b
Clotarius primus in Ecclesia sancti Medardi Suessionis sepelitur. 15.b
Colloquium apud Gisortium inter Philippum Augustum, & Henricum Regem Angliæ celebratur. 74. b. in hoc colloquio vterque eorum crucem assumit. ibid.
Comes de Alancione Philippo Augusto Regi confœderatur 46. c. Terram suam Regi tradit custodiendam. ibid.
Comes Tholosanus à Domine Rego Franciæ fit miles. 777.c
Comes Pertice̅sis, in obsidione Accij moritur. 33.c
Comes Clarimo̅tis in obsidione Accij moritur. 33.c
Comes Alanzonis Philippi tertij Francorum Regis frater. 519.c
Comes sancti Egidij terram Tholosæ feodaliter tenet à Rege Francorum. 74.b
Comes de Arundello obsidet vallem Ruolij. 38.b
Comes Cabilonensis contrà Ecclesias Dei eggreditur. 6.b
Cometa præuenit infirmitatem Philippi Augusti Francorum Regis, de qua moritur. 249.a
Concilium generale apud Lugdunum. 342. c. ibi Fredericus Imperator condemnatur. ibid.
Concilium generale apud Montem-pessulanum conuocatur. 654.a
Concilium Parisius celebratur à Philippo Augusto. 74. b. in illo infinita hominum multitudo crucesignatur. ibid.
Concilium celebratur apud Montem-pessulanum. 286.b
Concilium Prouinciale in Syluanecto celebratur. 790.c
Conciliũ Prouinciale Parisius coadunatur. 790.b
Concilium generale conuocatur apud Viennam super Rhodanum. 791.b
Concilium Suessionis conuocatur ab Octauiano Ostiensi Episcopo. 44.a. ei Philippus Francorum Rex interest cum Archiepiscopis, Episcopis & Baronibus suis. ibid.
Concilium celebratur Lugduni ab Innocentio quarto Pontifice. 699.b
Concilium apud Diuionem à Petro Cardinali conuocatur. 43.b
Concilium apud Auinionensem Prouinciam celebratur, 581.a. ibi Comes Tholosanus excommunicatur. ibid.
Concilium à Philippo Augusto Rege Parisius celebratur. 25.b.ibi multi cruce insigniuntur. ibid.
Concilium à Legato apud Biterrim celebratum. 694.b.
Concilium celebratur apud Vallem-Coloris. 286.c
Concilium in Vienna Burgundiæ celebratur. 792.a
Concilium Lateranense celebratur sub Innocentio tertio. 658.c
Concilium generale Romæ celebratur anno. 1215. 681.c
Conradus Pater ordinis Cisterciensis, Episcopus Portuensis, Legatus à sede Apostolica & Romanus Cardinalis. 686.b
Constantia castrum. 592.a
Constancia Regina vxor Petri Regis Arragonum Manfredi quondam Principis Tarentini filia. 537.c
Constantianum castrum versus termas situm. 609.b
Corbeia villa. 113.b
Corbeia oppidum florentissimum. 73.a
Cornetum castellum in finibus Thusciæ situm. 526.b
Corradus Cisterciensis ordinis Episcopus Portuensis. 777. c. à sede Apostolica Legatus. ibid.
Coraldus Portuensis Episcopus Cardinalis. 67.a
Cotarelli in Prouincia Bituricensi interficiuntur vsque ad septem milia. 11.b
Cracca castrum. 868.c
Crazaium castrum. 119.a
Cremona ciuitas. 335. c. ibi fit tempestas maxima, & cadit lapis grandinis, in quo erat crux & imago saluatoris expressa, desuperque litteris aureis scriptum. I. N. R. I. ibid.
Crestal castrum in Diœcesi Valentina. 663.a
Creta insula. 436.a
Crosanum castrum. 339.a
Cuc castrum. 614.b
Cuisia sylua. 99.b
Cura regni Adelæ matri Philippi Augusti Francorum Regis committitur, & Guillelmo Rhemorum Archipræsuli, dum ipse Philippus in partibus transmarinis commoratur. 75.b
Curtinetum Castellania. 408.c

D

DAGOBERTVS Ecclesiam hyeromartyris Dionysij fundat, 18.a. multa donaria eidem Ecclesiæ confert. ibid.
Dagobertus in Ecclesia beatissimi Dionysij ad dexteram partem maioris altaris tumulatur. 15.b
Dahires portus in Prouincia. 361.a
Dam portus famosissimus distans à Brugiis in Flandria, duobus milliaribus tantùm. 54.b
Damascus ciuitas, caput Syriæ. 433.b
Dandalus Dux Venetorum. 282.c
Dangutum castrum. 148.b
Dani Rhotomagum capiunt. 18. b. Dux eorum Rollo. ibid. totam sibi Neustriam subiugat. ibid. à nomine gentis suæ Normanniam vocat. ibid.
Danubius fluuius. 68.c
Decanus Meldensis Regni Siciliæ Cancellarius. 840.a. vir magni nominis ac vitæ mirabilis. ibid.
Deppa villa. 39. a. à Philippo Francorum Rege destruitur. ibid.
Desiderijmons villa. 110.b
Dictatorum consilio exercitus Philippi Augusti regitur. 32.b
Didacus Oxomensis Episcopus. 764.b
Didacus Lupi miles. 427.a
Diegus Oxomensis Episcopus vir magnus & magnificè extollendus. 557.c

Dissensio

Dissensio Parisiûs inter Burgenses & clericos oritur. 330. a. per S. Ludouicum Regem pacificatur. ibid. b
Diuio oppidum Allobrogum. 80. c
Doc turris. 868. a
Doma castrum. 652. b. super Dordoniam fluuium situm. ibid.
Dominas castrum. 426. c
Dominicus canonicus Oxomensis, 768. a. postmodum fratrum Prædicatorum Ordinis instructor & institutor. ibid. Bononiæ moritur. 773. c
Dordania flumen. 287. a
Doroberuia castrum. 90. a
Driencuria castrum. 159. b
Droco miles. 610. b
Duacum villa. 112. a
Duber flumen. 222. a
Dudo Physicus & clericus Ludouici noni Regis. 475. c
Dulcinus Nauariensis hæresiarcha. 789. c. consors eius Margarita. ibid.
Durandus pauper carpentarius. 12. a. Dominus illi apparet in Aniciensi ciuitate. ibid.
Durandus de Osca contra hæreticos scribit. 672. b
Durandus Episcopus Albiensis. 698. c
Durensa fluuius erumpit ex alueo. 688. a
Dux Brabantiæ interest Concilio successionis conuocato. 53. b
Dux Burgundiæ in obsidione Accij moritur. 33. c
Dynastia dignitas habendi, vel eligendi Regem. 141. c

E

Ebroinvs Maior-domus Dagoberti Francorum Regis. 70. a
Ecclesia in Roma, schola Græcorum vocata, 18. c. ibi Stephanus Papa tertius, os quoddam de brachio sancti Dionysij posuit. ibid.
Ecclesia beatæ Mariæ Carnotensis casuali incendio consumitur. 77. c
Ecclesia beati Dionysij corona Francorum à Rigordo nominata. 19. c. Regum seu Imperatorum sepultura. ibid.
Eclipsis Lunæ vniuersalis. 75. a. per tres horas durat. ibid.
Edictum Philippi Augusti Regis contrà iudæos. 9. b. propter quod quidam ex eis regenerati ex aqua & spiritu sancto conuertuntur ad Dominum. ibid.
Egidius Constabularius Franciæ sub Ludouico nono. 423. a
Egidius Cornutus Archiepiscopus Senonensis. 341. b
Eisoldunum castrum. 23. b
Electus Cameracensis ab Hugone d'Amolencort capitur. 43. a
Elizabet Domina Montis-acuti soror Balduini Imperatoris. 426. a
Elizabet Regina vxor Philippi Augusti Regis inungitur, 7. b. filia Balduini Comitis Haenusis. ibid. neptis Philippi magni Comitis Flandriæ. ibid.
Elizabet Regina vxor Philippi Augusti Francorum Regis obit. 75. b. in Ecclesia beatæ Mariæ Parisius sepelitur. ibid.
Elizabet Regina vxor Philippi Augusti Regis obit 29. b. Parisius sepelitur in Ecclesia beatæ Mariæ virginis. ibid. pro eius memoria Mauritius Episcopus in eadem Ecclesia altare erigit. ibid.
Elogium Caroli Siciliæ Regis. 850. c
Emanuel Imperator apud Constantinopolim imperat. 45. b. filius eius Alexius. ibid. Agnetem filiam Ludouici Regis Francorum in vxorem ducit. ibid.
Emelina Regina Soror Henrici Regis Cypri. 348. c
Emeniardis Comitissa Namurci. 285. b
Endria fluuius. 190. b
Episcopus Leodiensis interficitur à missis ab Henrico Imperatore eo quod electus & consecratus fuerat contra voluntatem eius. 33. c
Episcopus Prænestinus, in Romana Curia Cardinalis. 695. b. Legatus à latere. ibid.
Epta fluuius. 152. a
Eraclius Imperator vir doctus in liberalibus artibus, & maximè in Astronomia. 10. b
Erardus de Valerico, vir famosus in militia. 379. c
Erchalthay vir magnus de gente Tartarorũ. 347. b
Euecent Abbatia in Anglia. 373. b
Eustachius de Bello-Marchasio miles Philippi tertij Francorum Regis. 529. c
Eustachius de Quem miles. 602. a

F

Facardinvs Admiratus Soldani Babiloniæ. 428. b
Facardinus Admiratus Ægypti. 354. c
Falesa vicus. 183. b
Falesia oppidum, sic denominatum propter firmitatem rupis qua sedet & circumdatur tota villa. 85. b
Feritas Bernardi castrum. 75. a
Ferraria ciuitas. 790. a
Ferrandus Flandriæ Comes. 53. c
Figeria villa. 546. a
Flandrensis Comes Philippum Augustum Regem puerum de sacro fonte leuat. 116. a
Florentia ciuitas. 371. c
Florentius Comes Hollandiæ frater Guillelmi Romanorum Regis. 361. b
Focora, Religiosi Soldani Ægypti. 434. c
Folcandus & Ioannes de Brignio fratres, viri strenui & bellicosi. 684. c. in conflictu moriuntur. 685. c
Fontenaium castrum. 337. b
Franci, quasi feranci, id est feroces apellati. 17. a
Francio Priami Regis Troiæ nepos. 17. a
Fredericus Imperator in Apulia moritur. 358. b
Fredericus Romanorum, & Theutonicorum Imperator. 32. c. filius eius Dux Bohemiæ. ibid.
Frisacum Burgum in Episcopatu Salenburgensi. 36. a
Fulco Tholosanus Episcopus. 561. c
Fulco sacerdos in Galliis prædicat. 39. b. per eius prædicationes multi ab vsuris reuocantur. ibid.
Fulco Abbas Floregiæ siue Torondeti Ordinis Cistercienses, eligitur in Episcopum Tholosanum. 671. b
Fulcrandus Episcopus Tholosanus. 670. c

G

G. Sabinensis Episcopus. 877. a
G. Portuensis & sanctæ Ruffinæ Episcopus. 857. b. Apostolicæ sedis Legatus. ibid.
Galo de Montigniaco miles fortissimus. 61. a

Galo Cardinalis, Legatus mittitur in Franciam. 87.a
Galliacum castrum. 601.b
Galterus de Fontanis Præpositus de Ingreio in Ecclesia Carnotensi Capellanus Martini IV. Papæ 887.a
Galterus Rhotomagensis Archiepiscopus. 25.a
Galterus de Langatone miles. 603.a. frater Episcopi Cantuariensis. ibid.
Galtherus Rothomagensis Archiepiscopus obit. 86.c
Galtherus Senonensis Archiepiscopus. 410.b
Galuanus Comes Manfredi auunculus. 376.c
Gandauum oppidum opulentissimum. 54.c
Garinus Regis Philippi Augusti Consiliarius. 50.c
Garinus Syluanectensis Episcopus exequutor testamenti Philippi Augusti Francorum Regis. 261.c
Garinus Syluanectensis Philippi Augusti Regis amicus specialis. 225.c
Garciacum Abbatia in pago Meledunensi sita. 526.b
Garsias Romanus miles. 427.a
Gasto de Bearno Vasconiæ Princeps. 619.c
Gaubertus miles Medontensis in arte nandi peritus. 83.b
Gaucherus Comes sancti Pauli. 59.c
Gaudium-Vallis Abbatia. 439.a
Gaufredus Lisinanicus strenuus miles. 125.a
Gaufredus de Sarginis, vir sapiens & fidelis. 360.b. vrbis Acconensis Gubernator pro S. Ludouico Rege. ibid.
Gaufredus Marchiæ Comes apud Damiatam moritur. 701.c
Gaufredus de Sarcenis miles. 870.c. subsidij terræ sanctæ Zelator eximius. ibid.
Gaufredus Syluanectensis Episcopus. 55.c. renuntiat Episcopatui, & se transfert ad Monachos Caroli loci, Cisterciensis ordinis. ibid. ei succedit frater Garinus specialis Consiliarius Regis Philippi Augusti. ibid.
Gaufredus Dux Britanniæ obit. 73.c. in choro beatæ Mariæ Parisiis tumulatur. ibid.
Gaufredus dictus Freilons Archidiaconus Turonensis, fit Episcopus Aurelianensis. 370.b
Gaufredus de Bello-monte Capellanus Papæ, & Cancellarius Baiocensis, Caroli Comitis & Senatoris familiaris & Consiliarius ad succursum militiæ Gallicanæ Cruce signatæ mittitur. 835.c
Gaufredus Meldensis Episcopus. 55.c. Episcopatui renuntiat, fit Monachus in Monasterio sancti Victoris Parisiensis. 56.a. ei succedit Guillelmus cantor Ecclesiæ Parisiensis. ibid.
Gaufredus Comes Britanniæ. 20.b. Parisius moritur. ibid. c
Gaufredus de Bello-loco ordinis Prædicatorum, Confessor Ludouici noni Regis. 441.b
Gaugelmus famulus & cubicularius Ludouici noni Regis, ei specialiter familiaris. 469.c
Gelien castrum. 426.c
Genebaudus Dux. 17.a
Geon vnum de Paradisi fluminibus maximum. 348.c
Gerunda vrbs Arragoniæ fortissima. 546.b
Gibellini qui. 829.a
Gilo Brunus Constabularius Franciæ sub sancto Ludouico Rege. 365.a
Gilo de Rhemis Monachus S. Dionysij in Francia, Historiam & gesta S. Ludouici noni Francorum Regis inchoauit, sed morte præuentus, terminare non potuit. 328.c
Girardus præpositus de Pixiaco. 19.c. vndecim millia marcas argenti de proprio suo in thesauris Regis Philippi Augusti ponit. ibid. & sic à Curia recedit. ibid.
Girardus Bituricensis Archiepiscopus. 62.b. vir potens. ibid.
Girardus de Parma Cardinalis. 539.c
Girardus Asue, fortis miles. 234.c
Girardus de Casabone Castellanus nobilis. 527.b
Girardus Ebredunensis Archiepiscopus. 655.a. vir multæ scientiæ & bonitatis. ibid.
Gisortium castrum. 23.a
Gobertus de Essigniaco. 577.b
Gonsalues vnus ex Principibus Nauarrorum. 534.b
Gornacum oppidum. 161.b
Gothofredus tituli sancti Georgij ad Velum aureum Diaconus Cardinalis. 836.c
Grandis sylua Abbatia ordinis Cisterciensis, in territorio Tholosano sita. 608.c
Graua castrum in Diœcesi Albiensi situm. 609.c
Grauasius de Magduno miles. 843.c
Grauelinga villa. 112.a
Gregorius de Monte-longo Patriarcha Aquilegensis. 827.c. per totam Lombardiam Apostolicæ sedis Legatus. 828.a
Gregorius X. Papa apud Lugdunum venit, ibi generale Concilium celebraturus. 528.b
Grossoni quidam infideles. 342.b. Terram sanctam intrant. ibid.
Guala Presbyter Cardinalis in Franciã mittitur. 89.a
Gualcherus de Iouiniaco miles. 569.a
Guelphi qui. 829.a.b
Guespia castrum. 615.a
Guichardus de Bello-joco miles. 569.a
Guidenochus Venetensis Episcopus. 149.b
Guido de Luceio Dominus Castri de Podio Laurentij. 614.c
Guido de Bruciaco miles prouidus. 689.c
Guido de Toarz, vir in armis strenuus, & acer in hostes. 40.b. fugiente Rege Angliæ capitur. ibid.
Guido Dominus Castri quod dicitur Vergy. 14.c
Guido de Bauceio vir in armis strenuus. 517.c. à Sarracenis interficitur. ibid.
Guido Comes Aluerniæ. 51.a. Episcopum Claromontensem capit. ibid. à Philippo Augusto Rege exhæredatur. ibid.
Guido Comes Bigorræ, confossus vulneribus expirat. 684.c
Guido Marescallus Mirapij crucem assumit. 834.c
Guido Rex Hierosolymitanus. 35.a
Guido Carcassonæ Episcopus. 650.b
Guido Carcassonensis Episcopus. 614.b
Guido de Leuis miles. 569.a
Guido Comes sancti Pauli. 288.a. percussus lapide petraria moritur in obsidione Auignionis ciuitatis. ibid.
Guido Comes de Monte-forti vulneratus iactu Cairelli in capite, apud Varillas propè Apamiam obit. 775.b
Guido de Basainvilla domorum militiæ Templi præceptor in regno Hierosolymitano. 272.a
Guido de Lesigniaco Dominus de Peirac. 551.c
Guido Comes Cabilonis. 103.b
Guido Senonensis Archiepiscopus. 7.b

Guido

Guido Sabinensis Episcopus. 374. a. postea Papa Clemens quartus *ibid.* anteà fuerat aduocatus, & Regis Franciæ Consiliarius. *ibid.*
Guido Vice-comes Lemouicensis. 422. a
Guido de Melloto Episcopus Altisiodorensis crucem assumit. 834. c
Guido de Lucio vir nobilis & fidelis. 600. a. illi datur Podium-Laurentij castrum, tribus leucis distans à vauro in Diœcesi Tholosana. *ibid.*
Guido de Lauallo crucem assumit. 834. c
Guido de Luccio miles. 583. b
Guiraldus de Pepios miles Minerbensis. 577. c
Guillelmus Iulij Comes Lecestriæ. 37. c. à Rege Philippo Augusto capitur. *ibid.* Stampis in carcere ponitur. *ibid.*
Guillelmus Niuernensis Episcopus obit. 771. c. duo millia pauperum omni die pascebat. *ibid.*
Guillelmus sacerdos Anglicus sanctitate vitæ & moribus pollens apud Pontisaram moritur. 35. c. ad eius sepulchrum multa miracula facta sunt. *ibid.*
Guillelmus Melloti Dominus. 152. b
Guillelmus Archidiaconus Parisiensis zelo fidei christianæ valdè succensus. 588. a
Guillelmus Rolandi Cenomanensis Episcopus obit. 370. b
Guillelmus Rex Romanorum à Frisonibus interficitur. 361. b
Guillelmus catas miles Carcassonensis. 606. c
Guillelmus Episcopus Albiensis. 668. b
Guillelmus Bonebel nauis Regis Capitaneus. 385. c
Guillelmus Carnotensis ordinis Prædicatorum missus in Franciam post obitum Ludouici noni Regis. 441. b
Guillelmus de Bussiis Aurelianensis Episcopus obit. 370. b
Guillelmus de Matiscone Canonicus Parisiensis 475. a. testis est miraculi facti à sancto Ludouico Francorum Regi. *ibid.*
Guillelmus de Lestendart Dux Francigena. 379. c
Guillelmus Braositas proditor. 166. a
Guillelmus Daura miles indigena. 610. c
Guillelmus Decainus nobilis Francus crucesignatus. 586. c
Guillelmus Episcopus Albiensis. 576. c
Guillelmus & Petrus de Bellomonte milites cum suis fratribus crucem assumunt. 834. c
Guillelmus de sancto Amore canonicus Beluacensis 358. c
Guillelmus scureto miles. 589. a. solus non fugit in obsidione Tumeti. *ibid.*
Guillelmus de Barris Comes de Rupeforti. 25. a
Guillelmus de Scala miles, Vicarius Regis Arragonum in Tholosana ciuitate. 677. c
Guillelmus Parisiensis Archidiaconus Biterrensis Episcopus eligitur. 624. c. electioni consensum non præbet. *ibid.*
Guillelmus Archidiaconus Parisiensis. 614. b. crucesignatus. *ibid.*
Guillelmus Comes Saleberiensis. 54. c. longa spada cognominatus. *ibid.*
Guillelmus Prunelecius miles. 843. c
Guillelmus de Barris frater vterinus Monfortij Comitis. 638. b
Guillelmus Cathalaunensis præsul. 252. c
Guillelmus Episcopus Autissiodorensis. 633. b

H

H. Dandulus Dux Venetorum. 801. a
Hambaldus tituli duodecim Apostolorum Præsbyter. 836. c
Hambaldenses de alto sanguine Romanorum orti 850. c
Hamericus Vice-comes Thoarcij. 286. a
Haymardus Thesaurarius templi. 261. c. exequutor testamenti Philippi Augusti Francorum Regis. *ib.*
Haymo Episcopus Leonensis. 71. b. ab Episcopatu suo expellitur à Guidomaro fratre suo Vice-comite. *ibid.* interficitur. *ibid.* c
Hebo Bituricus Comes. 103. b
Hebo de Carentonio Clericos opprimit. 6. b. A Philippo Augusto rege vincitur. *ibid.* veniam obtinet. *ibid.*
Hedinum villa. 111. a
Helias Garini Abbas Grandis syluæ. 690. c
Helenus vates filius Priami. 17. b. euadit ab excidio Troiano. *ibid.*
Hemanmelinus Rex Moabitarum Hispanias intrat. 78. a
Henricus Rex Nauarræ, & Comes Campaniæ, sororem Comitis Attrebatensis Roberti ducit in vxorem. 528. b. ex ea genuit Iohannam posteà Franciæ Reginam. *ibid.*
Henricus de Cusanciis Dux Francigena. 379. c
Henricus de Suliaco crucem assumit. 834. c
Henricus frater Regis Hispaniæ vir potens in rebus Gallicis. 849. b. aduenit ad Carolum Siciliæ Regem. *ibid.* ei vrbis Romæ Senatoriam loco sui regendam committit idem Carolus Siciliæ Rex *ibid.*
Henricus Franciæ Marescallus obit. 57. c. in Monasterio de Torpanaio sepelitur. *ibid.* ei succedit Iohannes filius eius adhuc impubes. *ibid.*
Henricus Rex Angliæ. 5. b
Henricus Albanensis Episcopus Apostolicæ sedis in Franciam Legatus. 4. b
Henricus verius fidelis ac familiaris miles Balduini Imperatoris. 426. a
Henricus frater Regis Hispaniæ consanguineus Caroli Regis Siciliæ 378. a
Henricus Comes Trecensis apud Achon obit. 41. b. ei succedit in Comitatu Trecensi Theobaldus frater eius. *ibid.*
Henricus Imperator, Apuliam, Calabriam, & Siciliam suo subiugat Imperio. 38. c
Henricus Romanorum Imperator obit. 41. a
Henricus Rex Angliæ apud Chinonium obit. 28. c. apud Fontem Ebraudi sepelitur. 29. a
Henricus filius Richardi Regis Alemanniæ apud Viterbium occiditur. 785. c
Henricus Comes Trecensis. 79. a. Rex Hyerosolimorum constitutus. *ibid.* apud Acharon obit. *ibid.*
Henricus Imperator, Calabriam, Siciliam, & Apuliam bello sibi subiugat. 77. c
Henricus Rex Angliæ obit in castro Kinonis. 75. b. sepelitur in Monasterio Fontis-Ebraudi. *ibid.*
Henricus Comes Campaniæ. 36. b. in Regem ciuitatis Dei eligitur. *ibid.* c. filiam Regis Hyerosolimitani in vxorem accipit. *ibid.*
Heraclius Patriarcha Hyerosolimitanus. 14. a. ad Philippum Augustum Regem mittitur. *ibid.* Parisius venit. *ibid.*
Herloinus Monachus beati Dionysij Parisiensis, vir in sacris litteris eruditus. 41. c. prædicat apud Britones. *ibid.* multi cruces de manu eius assu-

munt. *ibid.* mari transito cum eo apud Achon veniunt. *ibid.*
Hermirmomelim Rex Moabitarum id est credentium Hispanias intrat. 38. c. terras Christianorum vastat. 39. a. Hildephonsus Rex Castellæ ei occurrit. *ibid.*
Herueus Comes Leoniæ miles strenuissimus. 71. b
Herueus Comes Niuernensis. 64. c
Heudo Comes minoris Britanniæ. 71. a. à ducatu expellitur. *ibid.* ei succedit Conanus filius Alani Ducis. *ibid.*
Hiena fluuius. 217. b
Hierusalem Helya dicta ab Ælio Imperatore, qui eam reædificauit. 244. a
Homo quidam fingit se esse Balduinum Imperatorem Constantinopolitanum. 287. b. patibulo suspenditur. *ibid.*
Hugo Dux Burgundiæ. 422. a
Hugo Comes Marchiæ. 422. a
Hugo faber hæreticus pessimus 560. b
Hugo de Arpaione Baro. 552. b
Hugo Comes sancti Pauli 422. a
Hugo de Coulans Marescallus Campaniæ. 55. c.
Hugo de Bauceio vir in armis strenuus. 517. c. à Sarracenis interficitur. *ibid.*
Hugo de Bancio Baro Petri Regis Arragonum. 878. b
Hugo dictus Archiepiscopus crucē assumit. 834. c
Hugo magnus Parisiensis Comes. 285. a. Pater Hugonis Caputij. *ibid.*
Hugo Caputius Comes Parisiensis. 284. c. Dux Francorum. *ibid.*
Hugo Comes Marchiæ. 336. c
Hugo Comes Marchiæ, Theobaldus Comes Campaniæ, & Petrus Comes Britanniæ contrà Regem & Dominum suum Ludouicum nonum conspirant. 327. b
Hugo de Castellione Comes sancti Pauli, & Blesensis. 345. a
Hugo sancti Dionysij Abbas. 3. b
Hugo Fulqualdi Abbas beati Dionysij obit. 41. a. ei succedit Hugo Mediolanensis Prior sanctæ Mariæ de Argentolio. *ibid.*
Hugo d'Alfar custos castri pennæ. 616. c
Hugo Dux Burgundiæ. 14. c
Hugo Gornacius miles. 161. b
Hugo Capet Dux Burgundiæ, siue Allobrogiæ. 70. c. Rex à Francis eligitur. *ibid.*
Hugo Dux Allobrogum Vergiacum obsedit. 73. b
Hugo de Turre Rubea consanguineus Regis Arragonum. 733. a
Hugo Dux Burgundiæ, à Proceribus Franciæ Rex statuitur. 18. c
Hugo Dux Burgundiæ. 14. c.
Hugo Claromontensis Episcopus. 698. b
Hugo Noui-castri miles. 171. b
Huquelinus Episcopus Hostiensis eligitur ad Papatum. 329. b

I

IACOBVS de Vitriaco crucesignatus. 614. b
Iacobus de Vitriaco, vir magnæ litteraturæ & eloquentiæ. 683. c. posteà Episcopus Acconensis *ibid.* deinde in Romana Curia Cardinalis. *ibid.*
Iacobus, albus Monachus, Episcopus prenestinus, Apostolicæ sedis Legatus in Francia. 335. a
Iacobus Gaucelini, Vicarius Caroli F. Ludouici noni Regis, exercens vice sua Senatoriam. 830. a
Iacobus Prænestinus Cardinalis Episcopus. 345. c
Iadera, hodie Zara vrbs Dalmatiæ, seu Sclauoniæ. 574. a
Iamia vrbs in terra Rossilionis. 549. c
Iania ciuitas Italiæ. 75. b
Ianua superba cognominata. 544. c. à Philippo tertio Francorum Rege capitur. *ibid.*
Ibor Dux. 17. c
Ibreia Castrum. 75. a
Ingeramus de Balliolo miles egregius Amiralius classis Philippi tertij Francorum Regis, ab Arragoniis capitur. 548. a
Ingeburgis Frannici Regis Danorum soror. 258. a secunda vxor Philippi Augusti Francorū Regis. *ibid.*
Ingorrandus vir corpore maximus. 216. a
Innocentius Papa tertius Othonem filium Ducis Saxoniæ, Romæ coronat Imperatorem. 51. b
Insula Castrum. 58. b
Iohanna Regina Siciliæ. 895. a. Ducis Calabriæ filia. *ibid.* b
Iohanna de Ranes Vice-comitissa de Alneto. 551. c
Iohanna filia Comitis Tholosæ vxor Alphonsi fratris S. Ludouici Francorum Regis. 336. c
Iohannes Dux Duracij filius Caroli secundi Siciliæ Regis. 895. c. Agnetem filiam Comitis Petragoricensis vxorem ducit. *ibid.* obit. *ibid.*
Iohannes Princeps Achaiæ filius Caroli secundi Siciliæ Regis 894. b. deinde Dux Duracij. *ibid.*
Iohannes dictus le Iay miles strenuus. 698. b
Iohannes frater Regis Angliæ, sine terra dictus, Regi Francorum Philippo Augusto confœderatur in dolo. 37. b
Iohannes Prior Ecclesiæ beati Dionysij fit Abbas Corbeiæ. 40. a
Iohannes Clericus Regis. 724. c
Iohannes Rex Hyerosolimitanus. 67. a
Iohannes filius Regis Angliæ. 24. a. sine terra dictus. *ibid.*
Iohannes de Cleriaco Dux Francigena. 379. c
Iohannes Viennensis Archiepiscopus. 695. a
Iohannes tituli S. Piscę Presbyter Cardinalis. 755. b
Iohannes Præsbyter Rex Indiæ. 350. a
Iohānes de Ybelim Conestabularius Armeniæ. 348. c
Iohannes de Acon Buticularius Franciæ. 389. c
Iohannes de Nigella miles Regis. 331. b
Iohannes de Bello-monte miles. 334. a. fidelis S. Ludouici Francorum Regis. *ibid.*
Iohannes Rex Hyerusalem. 284. b
Iohannes Parisiensis nuncius Tyrenensis Archiepiscopi ad Papam. 865. b
Iohannes de Valencenis dilectus Papæ. 865. a
Iohannes Comes Cabilonensis. 422. a
Iohannes de Brenna Rex Hyerosolimitanus. 408. c
Iohannes de Compa fidelis Consiliarius Martini IV. Papæ. 887. b
Iohannes Comes Niuernensis filius sancti Ludouici Regis obit vltra mare. 391. b
Iohannes de Roselieres miles. 391. a. à Sarracenis interficitur. *ibid.*
Iohannes filius Ludouici noni Regis. 442. c. sepelitur in Ecclesia Monasterij Regalis-montis. *ibid.* eius Epitaphium. *ibid.*
Iohannes de Aurelianis Cancellarius Parisiensis. 537. a. fit Episcopus Parisiensis per Papam Nicolaum. *ibid.* Episcopatū relinquit. *ibid.* in domo F. Prædicatorum Parisius habitum assumit. *ibid.*
Iohannes de Solliaco Bituricensis Archiepiscopus obit. 528. b. ei succedit Gaufridus de Ponte Cheuron decanus Parisiensis. *ibid.*

Iohannes

Iohannes de Hardicuria Marescallus Franciæ sub Philippo tertio Rege. 547. a
Iohannes primogenitus Comitis Suessionensis crucem assumit. 834. c
Iohannes de Mariolis miles. 843. c
Iohannes de Verrasylua Marescallus Siciliæ. 843. b
Iohannes Cholet sanctæ Ceciliæ Præsbyter Cardinalis. 542. a
Iohannes Buticularius Franciæ sub Ludouico nono. 425.
Iordanus Comes Manupellij. 844. a. Manfredi quondam principis Tarentini gradu consanguinitatis coniunctus. ibid.
Iordanus frater, ordinis Prædicatorum Magister, mittitur ad prædicandum Sarracenis. 411. b. obit in portu maris. ibid.
Iordanus sancti Saturnini Abbas. 686. b
Ipra villa. 111. b
Isabella filia Ludouici noni Regis. 443. a. in Ecclesia Monasterij Clareuallensis sepelitur. ibid. eius Epitaphium. ibid.
Isara fluuius. 140. b
Iuchellus de Mediana vir nobilis. 49. b
Iuchellus de Mediana Vice-comes sanctæ Susannæ. 64. c
Iudæi capiuntur per totam Franciam in synagogis suis. 6. a
Iuhellus Archiepiscopus Turonensis fit Archiepiscopus Rhemensis. 342. b

K

Kala Monasterium. 42. a
Kalatraua Castrum. 426. c
Kanutus Danorum Rex. 36. c. soror eius Ingeburgis Philippo Augusto Francorum Regi, matrimonio copulatur. 37. a. ab ea separatur. ibid.
Karnopolis, vel Karlopolis ciuitas. 5. a. Compendium vulgo dicitur. 13. a
Karnopolis Castrum. 87. b. nunc Compendium. ibid. ibi Ludouicus primogenitus Philippi Augusti Regis, cingulum militiæ de manu patris sui induit. ibid.
Kyemel Soldanus. 430. a

L

Lacona ciuitas. 687. a
Lambertus de Turreio probus miles. 631. c
Landagraua Comes Palatinus, id est Comes Palatij. 49. b. Philippum Romanorum Imperatorem interficit. ibid.
Landegrauius Thuringiæ Dux moritur. 346. b
Lauracum Castrum. 695. b
Lauranum Castellum propè Carcassonam. 562. a
Leodegarius Monachus Montis-regalis, leprosus. 489. b. ei Ludouicus nonus Francorum Rex cibos ministrat. ibid.
Leonides Pedagogus Alexandri Regis. 395. c
Lescura Castrum. 686. c
Letrat Castellum fortissimum in Babylonia. 537. a
Leurosium Castrum. 27. b
Leutheria ciuitas Sarracenorum. 378. a
Lidericus fluuius. 217. b
Lidus fluuius. 200. b
Ligeris fluuius. 75. a
Lilium Abbatia iuxta Meledunum. 438. b
Limathosius Satrapa Salahadini. 34. b
Limolium Castrum. 287. a
Limosium Castrum. 695. b
Limosum Castrum in territorio Redensi. 576. c
Lions Campus. 849. c
Lochia Castellum. 190. b
Loëlinus princeps wallensium. 531. c
Lotharingi Bilinques. 219. c
Loudunum oppidum in finibus Pictauorum. 65. b
Ludouicus Verniacensis Episcopus. 889. c
Ludouicus Rex Vngariæ Regnū Siciliæ intrat. 896. a
Ludouicus primogenitus Philippi tertij Francorum Regis, impotionatus obit. 532. a
Ludouicus Philippi Augusti Regis Francorum vnigenitus. 44. a. Blancham filiam Hildefonsi Regis Castellæ in vxorem ducit. ibid.
Ludouicus pater Philippi Augusti Regis in Ecclesia sanctæ Mariæ de Barbeel sepelitur. 15. b
Ludouicus primogenitus Philippi Augusti Francorum Regis signo-crucis se consignat. 767. a
Ludouicus VII. pater Philippi Augusti Regis moritur Parisius. 7. c. sepelitur in Ecclesia sanctæ Mariæ Barbael quam ipse fundauit. ibid.
Ludouicus octauus Francorum, Rex apud Parisios generale Parlamentum tenet. 285. c
Ludouicus VIII. Francorum Rex moritur apud Montem-pancrium in Aruernia. 688. b
Ludouicus nonus Francorum Rex Capellam pulcherrimam in Regali Palatio Parisius construit. 400. c
Ludouicus nonus Francorum Rex Matthæum Abbatem sancti Dionysij & Dominum Simonem de Nigella ad Regni sui Franciæ custodiam relinquit. 405. b
Ludouicus nonus Francorum Rex, Ecclesiam appud Syluanectum construi fecit. 401. c
Ludouicus nonus Rex in tangendo infirmos, signum sanctæ Crucis addit. 460. b
Ludouicus nonus Rex Sclauos & Sarracenos, siue gentiles, de proprio emi facit, & baptizari. 457. b
Ludouicus filius Ludouici noni Regis. 442. c. sepelitur in Ecclesia Monasterij Regalis-montis ibid. eius Epitaphium. ibid.
Lumbers castrum prope Albiam. 575. b
Luna Tusciæ ciuitas. 70. b
Lunpoldus Dux Austriæ. 36. b. Imperatoris consanguineus. ibid.
Lupara castrum Parisius situm. 476. b
Lutecia à luti fœtore dicta. 16. b
Lyans Abbatia in Anglia. 372. b

M

Macualdus nominis Petri Regis Arragonum detractor. 888. c
Mafredus de Bello-visu vir Catholicus. 766. b
Mafredus filius Frederici Imperatoris. 702. b. in bello interficitur. 703. a
Magister de Hungaria Dux pastorellorum qui se crucé-signauerant tempore sancti Ludouici, à Bituricensibus interficitur. 358. c
Mahometicum simulacrum in partibus Amakæ manet. 272. b
Malassias Episcopus sanctissimus. 350. a
Mamardus de Guorze Comes. 36. a
Mamelim Dux Sarracenorum. 427. b
Manasses Aurelianensis Episcopus. 633. b
Manfredus quondam princeps Tarentinus. 829. a
Mansum Castrum. 648. a. in extremis finibus Diœcesis Aginnensis situm. ibid.
Manzer, id est de scorto natus. 817. c
Marchus Guirinus Nuncius Ducis Venetorū. 435. c
Marchaderius Dux Cotarellorum. 42. b
Marcharedus Dux Ruptariorū & Cotarellorū. 78. b
Marcomirus à Parisiensibus honorificè recipitur,

quia à Troianis descendebat. 17.c
Mare Leonis sic dictum, quod semper est asperum, fluctuosum, & crudele. 385.a
Margatum ciuitas. 434.c
Maria Trecensis Comitissa soror Philippi Regis Francorum ex parte patris, & soror Richardi Regis Anglorum ex parte matris obit. 41.b
Maria de Lignies fœmina mirabilis in territorio Leodiensi. 768. b. obit. *ibid.* eius vitam scribit Magister Iacobus de Vitriaco postmodum Cardinalis. *ibid.*
Maria filia Ducis Bohemiæ tertia vxor Philippi Augusti Francorum Regis. 258.a
Maria vxor Caroli Ducis Duracij sciens mortem Mariti sui recedit prægnans de Neapoli in habitu fratris Minoris. 896.b
Maria de Hierusalem filia Principis Antiochiæ in Francia exulat. 850. b. ius regni Hierusalem quod sibi competebat, Carolo Regi Siciliæ confert eo pacto, quod quamdiu ipsa viueret Rex eidem annuatim quatuor millia librarum Turonensium super prouentus redditúum Comitatus sui Andegauiæ assignaret. *ibid.*
Marmanda Castrum. 649.c
Marmanda villa nobilis. 619.a
Martel Castrum in Prouincia Caturcensi. 11. b. ibi moritur Henricus iuuenis Rex Angliæ. *ibid.*
Martelli Castrum. 72. c. ibi moritur Henricus iuuenis Rex Angliæ. 72.c
Marliacum Castrum in territorio Parisiensi. 79.b
Martinus Algais miles Hispanus. 606.b
Massora villa. 355. a. ibi capitur S. Ludouicus à Sarracenis cum duobus suis fratribus, videlicet Alphonso Pictauensi, & Carolo Andegauensi Comitibus. 356.a
Mathæus Cōstabularius Ludouici IX. Regis. 814.c
Mathæus de Massi Canonicus de Bethunia. 757.c
Mathæus de Rachino vices tenens Domini Regis Francorum in partibus Albigesij. 816.b
Mathæus Capellanus Vrbani IV. Papæ. 864. b. Regis Nauarræ Clericus. *ibid.*
Mathæus tituli sanctæ Marthæ in porticu Diaconus Cardinalis. 836.c
Mathæus de Marliaco miles. 606.a
Materna fluuius. 201.b
Matildis filia Ducis Brabantiæ. 332. c. vxor Roberti Attrebatensis Comitis, fratris S. Ludouici Regis. *ibid.*
Maurinus Appamiæ Abbas. 678.c
Mauritius Parisiensis Episcopus. 40. c. pater pauperum & Orphanorum. *ibid.* obit. *ibid.* quatuor Abbatias fundat antè obitum, videlicet Heriuallem, Hermerias, Hederam, & Gif. *ibid.* ei succedit Odo natione Soliacensis. *ibid.* frater Henrici Bituricensis Archiepiscopi. *ibid.*
Mauriliacum Castrum. 649.c
Mautas Castrum. 337.c
Mauuiliacū Castrum in Diœcesi Ruthenensi. 768.c
Mechina, siue Messana Siciliæ ciuitas. 75.c
Mediana fluuius. 56.c
Meduana fluuius. 214.c
Medunta Castrum. 66. c. ibi Philippus Augustus moritur. *ibid.*
Meldensis, & Syluanectensis Episcopi tenentur Ecclesiæ B. Dionysij in consecratione Altariorum, seu in ordinatione Monachorum vicissim subuenire, & præcipuè Episcopus Meldensis. 20.a
Meldis ciuitas in Bria. 777.a
Melec-Elmahadim Soldanus Sarracenorum. 432.c
Melec-Elmehec Soldanus, natione Turchus. 433. a. ab vxore sua in balneo suffocatur. *ibid.*
Melec-Eluahet Bondogar Soldanus Ægypti. 433.b
Melec-Henahec Soldanus Ægypti. 433.a
Melecel Mansor Soldanus. 433.a
Melpinum Castrum. 339.a
Memphis ciuitas, nunc Damiata. 91.c
Merevilla Castellania. 720.b
Merchaderius Dux Cotarellorum. 39. a. suburbium Eisoldunum destruit. *ibid.*
Michaël de Lusia miles. 427.a
Michaël Decanus Parisiensis in Patriarcham Hierosolymitanum eligitur. 37. b. posteà Senonensis Archiepiscopus. *ibid.*
Michaël Paleologus Imperatorem se nominat. 880. c
Miles quidam in territorio viromannico mortuus reuiuit. 79. a. multa futura incredibilia dicit. *ibid.*
Milo clericus à latere vt Legatus in Tholosanas partes mittitur. 566.b
Minerba Castrum fortissimum circa Carcossonam. 574.b
Minerva Castrum fortissimum. 765. b. à Simone Comite Montis-fortis obsidetur. *ibid.* capitur. *ibid.*
Miracula varia facta per merita sancti Ludouici Francorum Regis. 476. 477. 478. 479. & 480.
Miramolinus Rex Africæ. 766.c
Miramoraclin Rex Sarracenorum. 426.b
Mirapeis Castrum. 570. b. de Dominio Comitis Fuxensis. *ibid.*
Mollans Castellum Gastonis de Biardo. 534.a
Monasteriolum ciuitas super mare. 285. a. Castrum Regis Franciæ. *ibid.*
Monasterium Beatæ Mariæ Regalis-Montis Cisterciensis ordinis à Ludouico nono fundatum. 452. b
Monasterium sancti Mathæi iuxta Rothomagum, à Ludouico nono Rege de proprio acquisitum. 452. b
Moncontor Castrum. 57.c
Moneta Melgonensis. 820.b
Moneta Tholosana. 824.c
Monomachia, id est bellum, siuè duellum. 471. b. à Ludouico nono Rege in regno suo exterminatur. *ibid.*
Mons-Maurus Castrum. 614.b
Mons-Oliuus Castrum. 695.b
Mons-Mascei in Gasconia. 537.c
Mons-Cuc Castrum. 616.a
Mons-Acutus Castrum. 601.b
Mons-Grenarius Castrum. 661.b
Mons-Albanus Castrum. 621.c
Mons-Regalis Castrum in Carcassonensi Diœcesi. 559.a
Mons-Argi villa. 438.c
Mons-Pisatus Castrum in Diœcesi Agennensi. 768.c.
Mons-Lenardus Castrum. 645.c
Mons Tricardi Castrum. 122.b
Mons-Tricardus incendio flagratur à Philippo Augusto Rege. 27.c
Mons-Ferrandus Castrum. 601.a
Mons-fortis Castrum in Petragoricensi Diœcesi. 652.b
Mons-Flasco Castrum Ecclesiæ speciale. 865.a

Mons-Gandij Castrum propè Podium-Laurentij. 597. b. 600. b
Mons-Luzonis Castrum. 122. b
Mons-Euæ Castrum in territorio Caturcensi. 646. a
Mons-Lauri Castrum propè Monasterium de Crassa. 581. c
Mons-Regalis Abbatia. 330. a. à sancto Ludouico Francorum Rege constructa propè Bellimontem, in loco qui Cuimont dicebatur. ibid.
Montegium castrum. 689. c
Montogium castrum. 776. b
Montilium castrum. 567. b. ibi Concilium celebratur. ibid.
Montilium Castrum. 663. a. eius Dominus Guitaldus Ademari. ibid.
Montis-Clarus Castrum. 836. a
Moretum Castrum. 82. b
Moretonium Castrum. 52. c. in confinio Minoris Britanniæ & Neustriæ situm. ibid.
Moritania Castrum. 272. a
Mornanus Vice-comes fugi apud Acharon moritur. 91. c
Mortemer villa. 358. c
Mosa fluuius. 220. a
Mosella fluuius. ibid.
Moslaïcum Castrum. 619. c. propè fluuium Tarni situm. 620. a. sic denominatum à verbo moys, quod est aqua. ibid. Pipinus Rex ibi Monasterium fecit mille Monachorum. ibid.
Mosteriolum en fors d'Ione villa. 332. a
Mosteriolum Castrum in Gastina. 337. a
Mummilinus Sarracenorum Rex. 52. b. secundum linquam eorum Rex Regum dictus. ibid. à Christianis in bello superatur. ibid. eius lancea & vexillum in Ecclesia beati Petri Romæ posita. ibid.
Muredal portus. 426. c
Murellum Castrum. 622. a. super Garumnam fluuium situm. ibid.
Mursia ciuitas Sarracenorum expugnatur à Iacobo Rege Arragonum. 703. c
Mussula ciuitas. 349. c. olim Niniue vocabatur. ibid.

N

NAVARRVS Consoranensis Episcopus. 561. c
Nays mons. 867. c
Nazareth ciuitas. 456. c
Nemus Vicenarum muro fortissimo circumcingitur à Philippo Augusto Francorum Rege. 72. c
Nicea Bithiniæ ciuitas. 32. c. ibi Fredericus Romanorum Imperator moritur. ibid. ei succedit filius eius Henricus, vir strenuus in agendis, in hostes acer, largus & munificus. 33. a
Nichocia ciuitas. 351. a
Nicolaus de Corbeia Monachus Cluniacensis. 288. a. in Episcopum Auignionensem consecratur. ibid.
Nigella villa. 110. b
Nimotium villa Cypri. 347. a
Niordum Castrum. 286. a
Niuerna ciuitas. 287. c
Nongentum oppidum in Perticensi pago. 75. a
Nouauilla oppidum in territorio Senonensi. 566. c
Nuceria villa Sarracenorum. 848. a

O

OCTAVIANVS Ostiensis & Velletrensis Episcopus. 44. a. venit Legatus in Franciam. ibid.
Odo de Castro-Radulphi Episcopus Tusculanus. 344. c. sedis Apostolicæ Legatus. ibid. anteà Parisiensis Cancellarius. ibid.
Odo Dux Burgundiæ. 56. a. Herueus Comes Niuernensis. 56. a
Odo Clementis Abbas sancti Dionysij in Francia. 330. c
Odo Parisiensis Episcopus obit. 49. a. ei succedit Petrus Thesaurarius Turonensis. ibid.
Odo frater Henrici Regis. 18. c
Odo Dominus Montis-acuti vir Elizabeth sororis Balduini Imperatoris 426. a
Olima Castrum in Caturcensi Diœcesi. 645. c
Oliua Castrum in territorio Agennensi. 680. b
Oliuerius de Terminis miles. 391. b
Orgelestum Castrum nobilis viri Domini Iohannis Cabilonensis. 475. a
Ordo fidei Iesu Christi in partibus Narbonensibus constitutus. 857. b
Ordo Prædicatorum sub Fulcone Episcopo exoritur. 673. b. eorum vexillifer beatus Dominicus. ibid.
Othelinus Comes Burgundiæ. 531. c
Otho de Linaris miles. 689. c
Otho de Cauda miles. 689. c
Otho Portuensis Cardinalis Episcopus. 343. c

P

PALAVISINVS Vicarium Imperij per Lombardiam se vocat. 835. b
Pampiliona ciuitas Nauarræ Metropolis. 534. c
Pandulphus Noruicensis Episcopus. 67. a
Panormitana ciuitas Metropolis & sedes Regia totius Regni Siciliæ. 524. b
Papa Clemens IV, Carolum Comitem Prouinciæ in Regem Siciliæ coronari mandat. 895. a
Parisius studium litterarum floret tempore Philippi Augusti Regis. 257. c
Pax inter Regem Francorũ Philippum, & Iohannem Angliæ Regem reformatur inter Vernonem & insulam Andeliaci. 43. c
Pax reformata inter Philippum Augustum Franciæ Regem, & Henricum Regem Angliæ, in loco qui dicitur Columbarium propè Turonis. 75. b
Penna Castrum in territorio Aginnensi. 616. b
Perona villa. 110. b
Perona Castrum.. 58. a
Pesenacum Castrum in territorio Agathensi. 581. c
Petralata villa. 546. a
Petrus Amelij Archiepiscopus Narbonensis. 698. c
Petrus tituli sancti Marcelli præsbyter Cardinalis. 761. b. Apostolicæ sedis Legatus. ibid.
Petrus de Castro-nouo Monachus Cisterciensis Legatus institutus contrà pestem Albigensium. 555. b.
Petrus Cambellanus Franciæ. 843. c
Petrus de Cortenaio Baro Franciæ miles nobilissimus Regum Francorum sanguine deriuatus. 531. c

Petrus de Benaïs Episcopus Beluacensis consanguineus vxoris Petri de Brocia. 529.b
Petrus Rex Arragonum Dominam Mariam filiam Guillelmi de Monte-pessulano in vxorem ducit. 673.c.
Petrus Alynzonis Carnotensis Comes. 826.c
Petrus de Carniaco Archidiaconus Senonensis, Camerarius Papæ. 846.c
Petrus de Lauduno miles. 476.b. custos puerorum Philippi tertij Regis. *ibid.* anteà Cambellanus Ludouici noni Regis. *ibid.*
Petrus Comes Altisiodorésis cognatus Regis. 62.b
Petrus de Vico nobilis Romanus 830.c. filius eius in Tyberim submersus expirat. *ibid.*
Petrus Capuensis Legatus Papæ Innocentij III. in Franciam. 42.c. missus ad reformandam pacem inter Philippum Regem Francorum & Richardum Regem Angliæ. *ibid.*
Petrus Comes Celanensis. 889.a
Petrus Beneuentanus Cardinalis. 647.c. Apostolicæ sedis Legatus. *ibid.*
Petrus de Rossiaco sacerdos, vir litteratus, & spiritu Dei plenus. 41.b
Petrus Comes Alensonis frater Philippi tertij Franciæ Regis despôsat Iohannam filiam Iohan- Comitis Blesensis. 528.b
Petrus Marci corrector litterarum in Curia Papæ. 629.c.
Petrus marci notarius Papæ de Nemausensi Diœcesi oriundus. 636.b
Petrus Sances vnus de Nauarrorum principibus. 534.a. à Garsio morani interficitur. *ibid.* ille Garsius Morani Philippi tertij Francorum Regis aduersariorum princeps & capitaneus erat. 534.a
Petrus de Brocia Philippi tertij Francorum Regis Cambellanus. 529.a. anteà chirurgicus Ludouici noni. *ibid.* pauper homo natus de Turonia. *ibid.*
Petrus de Charni Archiepiscopus Senonensis obit. 527.c. ei succedit Magister Gilo Cornuti præcentor Ecclesiæ Senonensis. *ibid.*
Petrus de Corbolio Innocentij Papæ didascalus. 43.b. Senonensis Archiepiscopus eligitur. *ibid.*
Petrus Marcus corrector litterarum Papæ. 727.a
Petrus Bogis à breuitate nasi sic vocatus. 85.a
Petrus de Collomedio gerens vices Legati. 691.c. Concilium Tholosæ celebrat. *ibid.*
Petrus sanctæ Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis. 710.c
Petrus de Verona hæreticorum inqvisitor. 782.b. pro pietate fidei occiditur. *ibid.*
Petrus Comes Britanniæ minoris. 299.b
Philippus Dux Suauiæ. 889.b
Philippus Beluacensis Episcopus. 587.c
Philippus tertius Francorum Rex Mariam filiam Henrici quondam Ducis Brabantiæ ducit in vxorem. 529.a
Philippus cognomine Dagobertus frater Ludouici noni Regis. 442.b. sepelitur in Ecclesia Monasterij Regalis-montis. *ibid.* eius Epitaphium. *ibid.*
Philippus princeps Tarentinus filius Caroli secundi Siciliæ Regis. 894.b
Philippus primogenitus Philippi tertij Francorum Regis, Iohannam consanguineam suam defuncti Henrici Regis Nauarræ, Comitisque Campaniæ filiam vnicam dispensatione Romanæ Ecclesiæ in vxorem ducit apud Parisius. 543.c
Philippus Augustus honorificè recipitur apud Messanam à Tancredo Rege. 31.c.
Philippus Augustus Mariam filiam Ducis Meraniæ & Bohemiæ, Marchionisque Hystriæ in vxorem ducit. 40.a
Philippus Augustus Rex Iudæos Parisius reducit. 42.a
Philippus Augustus Francorum Rex anno ætatis suæ quinto decimo, viuente adhuc patre suo Rhemis in Regem vngitur. 257.c
Philippus Augustus Gisortium capit. 36.c. Nouum Castellum quod Rex Angliæ Henricus iniustè longo tempore detinuerat beato Dionysio restituit. *ibid.*
Philippus Augustus Rex sportam & baculum peregrinationis, de manu Guillelmi Rhemensis Archiepiscopi, auunculi sui in Ecclesia sancti Dionysij accipit. 29.c. testamentum suum condit. *ibid.*
Philippus Rex obsidet Radipontem. 47.a. impugnat & capit. *ibid.* Falesiam Castrum & Domnofrontem capit. *ibid.* b. Rhotomagum obsidet. *ibid.*
Philippus princeps Tarentinus filius Caroli secundi Regis Siciliæ duas vxores habet: primam filiam & hæredem Despoti Romaniæ. secundam Catharinam filiam Caroli de Valoys. 895.b. illa Catharina vocata est Imperatrix Constantinopolitana. *ibid.*
Philippus Ebroicensis executor testamenti Ludouici noni Regis. 440.b
Philippus Bituricensis Archiepiscopus obit. 371.c. ei succedit Ioannes de Soliaco Decanus Bituricensis vir nobilis & spectabilis genere. 371.c
Philippus Comes Boloniæ. 422.a
Philippus Ludouici grossi filius, à porco interfectus. 19.a
Philippus Dux Sueuiæ. 756.c
Philippus Comes Boloniæ frater Ludouici octaui Francorum Regis. 325.b
Philippus Comes Flandriæ in obsidione Accij moritur. 33.c. terra eius ad Balduinum nepotem & vnicum hæredem suum, filium Comitis Henoēnsis deuoluitur. 34.a
Philippus Rex sororem suam A. quam Rex Angliæ Ricardus remiserat, dat in vxorem Comiti de Pontiuo. 38.c
Philippus Comes Namurij. 43.a. à Roberto de Besio & ab Eustachio de Noua-villa capitur. *ibid.* Regi Philippo traditur. *ibid.*
Philippus tertius Francorum Rex Remis coronatur per manum Episcopi suessionensis, vacante sede Remensi. 526.b
Philippus de Monte-forti miles. 843.b
Philippus Dux Sueuiæ. 42.b. frater Imperatoris Henrici. *ibid.* maximam Imperij partem obtinet. *ibid.*
Pieratinus de Florentia perfidissimus Gibellinæ factionis author. 846.b
Piscis marinus in effigie Leonis capitur. 540.c. pellis eius pilosa, pedes breues, cauda Leonina, apud Vrbem-veterem deportatur. *ibid.*
Podiolus, fortia propè Tholosam. 678.b
Podium-Laurentij Castrum. 614.c
Podium-celsum Castrum in Diœcesi Albiensi. 634.b
Podium Soriquer Castrum in territorio Biterrensi situm

situm. 577. c
Poissiacum Castrum. 369. c. ibi sanctus Ludouicus Rex sacri baptismi gratiam suscepit. *ibid.*
Pomaireda Castrum in Tholosana Diœcesi situm. 611. a
Pons Sorgæ. 314. a
Pontisara ciuitas. 341. a
Pontius Iordani, & Arnardus Arifati Hæresiarchæ. 672. a
Pontius Petri de Ganges miles occiditur in prælio. 698. a
Portus S. Saturnini villa super Rhodanum fluuium sita. 662. b
Postquariè Castrum. 662. b
Prexanum Castrum. 580. a
Priamus Rex Austricus. 97. c
Princeps tenetur purgare malis hominibus terram suam secundum canonicas & legitimas sanctiones. 857. a
Prissanum Castellum Comitis Fuxensis. 576. c
Pruuinum villa. 438. c

Q

QVARE Reges Franciæ portant in armis suis florem lilij. 330. b
Quiemel Soldanus. 356. c

R

RABASTENX Castrum. 614. c
Rabastense Castrum in territorio Albigensi. 601. b
Radipons Castrum. 82. c
Radulphus Attrebatensis Episcopus. 644. a
Radulphus Comes, Bobarum Castri Dominus. 114. c
Radulphus Episcopus Albanensis. 836. c
Radulphus Albanensis Episcopus Legatus generalis mittitur in Siciliam ab Ecclesia Romana. 848. a
Radulphus de Nigella Franciæ Constabularius sub Philippo tertio Rege. 547. a
Radulphus Monachus Cisterciensis Legatus institutus contrà pestem Albigensium. 555. b
Radulphus Comes Augi. 422. a
Radulphus Rufus Comes de Assatio, eligitur & coronatur in Regem Alemanniæ. 528. b
Raymundus Vticensis Episcopus. 592. b
Raymundus de Cerdona miles Comitis Fuxi. 546. b. Capitaneus Gerundæ ciuitatis in Arragonia. *ibid.*
Raymundus Comes Tholosæ obit. 38. c. ei succedit filius eius Raymundus Regis Francorum consanguineus ex Constancia sorore Ludouici Regis. *ibid.*
Raymundus de Rocaudo miles Comitis Tholosani Consiliarius. 681. b
Raymundus Comes sancti Egidij. 12. a
Raymundus Prior Prouincialis fratrum Prædicatorum in Prouincia. 693. c. fit Episcopus Tholosanus. *ibid.*
Raymundus Comes Tholosæ, apud Amilianum febre correptus moritur. 781. b. apud Monasterium Fontis-Ebraudi sepelitur. *ibid.*
Raymundus Tarraconensis Archiepiscopus. 745. a
Raymundus Berengarius Comes Prouinciæ moritur. 780. c
Raynaldus filius Comitis Domni-Martini Regi Angliæ confœderatur. 41. a. ei Comitissam Boloniæ cum suo Comitatu in vxorem dederat Rex Francorum. *ibid.*
Raynaldus de Falgario, de Mira-Monte Castro, Prior Prouincialis fratrum Prædicatorum in Prouincia eligitur Episcopus Tholosanus. 778. a
Raynaldus Comes de Auersa. 891. a
Raynerius vrbis Romæ Capitaneus. 850. c
Regenaldus de Monte-pessulano Biterrensis Episcopus. 570. a
Regenaldus Tullensis Episcopus. 620. c
Reginaldus de Domno-Martino Comes Boloniæ. 52. c
Regitestensis Comes Codiciaci Dominus. 109. a
Regnaudus de Pontibus homagium facit Comiti Pictauensi. 339. a
Regula Castrum. 648. a. 649. c
Renulfus Comes Cestriæ. 65. c
Rex Angliæ quinque millia paganos & amplius captiuos decollari facit. 35. a
Rex Angliæ Lochas capit. 37. c. Canonicos sancti Martini Turonensis eiicit. *ibid.*
Rex Angliæ hominium facit Philippo Augusto Franciæ Regi pro Ducatu Normanniæ, Comitatu Pictauensium, & Andegauensium. 39. c
Rex Vngariæ Carolus secundus Elizabeth sororem Ducis Poloniæ vxorem ducit. 894. c
Rex Vngariæ Carolus cognominatus Martellus filius Caroli secundi Siciliæ Regis. 894. b. Princeps Salernitanus. *ibid.* filiam Rodulphi Regis Alamanæ vxorem ducit. *ibid.* eius filia nomine Clementia copulatur matrimonio Regi Ludouico filio Philippi pulchri Regis Francorum. *ibid.*
Rex Siciliæ Carolus moritur. 894. a. in Maiori Neapolitana Ecclesia sepelitur. *ibid.* ei succedit filius suus Carolus vocatus posteà Carolus secundus. *ibid.*
Richardus Comes Pictauensis. 23. c
Richardus Comes Cornubiæ frater Regis Angliæ apud Aquisgranum in Regem Alemanniæ coronatur. 361. a
Richardus Rex Angliæ Castrum virsonis in dolo capit, & funditus euertit. 40. b. Castellum Norencort recipit. *ibid.*
Richardus Rex Angliæ Castrum Archas obsidet. 39. a
Richardus Comes Pictauensis. 27. a. intrat terram Comitis Tholosæ cum exercitu. *ibid.* Moisacum capit. *ibid.*
Richardus sancti Angeli Diaconus Cardinalis. 836. c
Richardus Rex Angliæ circa Lemouicam ciuitatem vulneratus moritur. 42. c. apud Fontem Ebraudi sepelitur. 43. a
Richardus Comes Casertanus fidelis Caroli Siciliæ Regis. 847. a
Ridula fluuius. 77. c
Robertus Comes Drocarum. 62. b
Robertus de Cortenæio cognatus Regis. 90. c
Robertus Buticularius Ludouici noni Regis. 814. c
Robertus de Corceone Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus. 645. b

Robertus frater S. Ludouici Francorum Regis, fit miles apud Compendium. 332. c
Robertus Rothomagensis Archiepiscopus. 614. c
Robertus Claromontensis Episcopus vir potens. 662. b
Robertus de Cultimano Decanus Carnotensis, fit Aurelianensis Episcopus. 370. b
Robertus Malus-Vicinus miles miræ probitatis, & perfectæ scientiæ. 578. c
Robertus de Corceone, natione Anglicus, Legatus Papæ in Franciam. 635. c
Robertus Comes Attrebatensis. Consanguineus Philippi tertij Francorum Regis. 526. c. miles probatissimus. ibid.
Robertus Patriarcha Hierosolymitanus. 468. c
Robertus de Corzon Cardinalis. 724. c
Robertus Comes de Drocis. 587. c
Robertus primogenitus Comitis Flandriæ crucem assumit. 834. c
Robertus Dux Calabriæ filius Caroli secundi Siciliæ Regis. 894. b
Robertus Imperator Constantinopolitanus, & Princeps Tarentinus. 895. b. Dominam Mariam filiam Ducis Borbonij vxorem ducit. ibid. illa Maria anteà fuerat vxor Connestabuli primogeniti Regis Cypri. ibid.
Robertus Dux Calabriæ. 894. b. in Regem Siciliæ coronatur per Clementem V. Papam. ibid. c duas vxores habuit, primam Violantam filiam Regis Arragonum, aliam Sancciam filiam Regis Maioricarum. ibid. obit. 895. a
Roberti Regis Siciliæ filius nomine Carolus Dux Calabriæ duas vxores habet, primam sororem Ducis Austriæ: secundam Mariam filiam Domini Caroli de Valoys. 894. c
Rocca arcis Castellum à Carolo Rege Siciliæ Capitur. 837. a
Rocca Iauule Castrum à Carolo Rege Siciliæ Capitur. 837. b
Rocha Castrum. 700. b. super Rhodanum situm. ibid. c. Rogerius de Cloregio eius Dominus. ibid.
Rodestech ciuitas. 806. c
Rodolia vallis. 147. a
Rogerius de Isartis miles Gallicus. 678. a
Rogerius Comes. 891. c
Rogerius Bernardi Comes Fuxi moritur. 697. a
Rogerius de Comenge nobilis de Vasconia, consanguineus Comitis Fuxi. 599. c
Roia villa. 110. b
Rolandus de Palma Episcopus Spoletanus. 484. a
Ronestria ciuitas. 89. a
Rossa ciuitas. 807. c
Rotroudus Comes Petricensis. 25. a
Rorolla villa. 287. a
Rubeus Thusciæ Comes. 542. c
Rufus de Volta Ianuensis tres galeas Regi Franciæ parat. 34. c
Rufus Comes Thusciæ. 524. c
Ruma flumen. 220. a
Rupes Monachi Castrum. 56. c. à Guillelmo de Rupibus Andegauiæ Senescallo de nouo ædificatum. ibid.
Rupes-Monachi Castrum. 289. a
Rupis Amatoris villa. 603. a
Rupis fortis Castrum. 572. b

S

SAINA ciuitas maritima. 785. c. ibi Alphonsus frater Ludouici noni Francorum Regis moritur. ibid.
Saincti-Orbe Castrum. 383. b
Saira ciuitas maritima. 704. c. ibi Alphonsus Comes Tholosanus, & vxor eius moriuntur. ibid.
Saladinus Rex Syriæ & Ægypti. 24. a. terras Christianorum inuadit. ibid.
Salahadinus Rex Syriæ & Ægypti apud Damascum obit. 36. c. ei succedunt duo filij eius, vnus nomine Zaphadinus super Syriam, alius nomine Meralitius super Ægyptum. ibid.
Saluaterra Castrum. 426. c
Saluaterra villa in Gasconia. 535. b
Salaedin Soldanus. 432. c
Sancta Capella Imperatorum os Leonis vocatur. 48. a
Sancta Maria Monasterium in terra Comitis Vrgellensis. 594. c
Sanctus Richardus à Iudæis crucifigitur. 72. a. corpus eius in Ecclesia sancti Innocentij Parisiis requiescit. ibid.
Sanctus Iohannes de Angeliaco Castrum. 286. a
Sanctus Germanus Aculearius Castrum. 375. a
Sanctus Michaël Castrum. 614. b
Sanctus Dionysius Regum Francorum patronus. 5. a
Sanctus Gaudentius Castrum. 622. c
Sanctus Ludouicus Episcopus Tholosanus filius Caroli secundi Siciliæ Regis. 894. b. fit frater minor. ibid. c
Sanctus Macharius Castrum. 287. a
Sanctus Guillelmus Archiepscopus Bituricensis obit. 764. c
Sanctus Benedictus de Monte-Cassino Abbatia. 382. b
Sanctus Florus Castrum Aruerniæ. 686. c
Sanctus Nicolaus de Bosco Abbatia. 364. c
Sanctus Marcellus Castrum. 615. a
Sanctus Ægidius villa. 657. b
Sanctus Gelasius Castrum. 337. c
Sanctus Felix Castrum. 614. b
Sanctus Antoninus Castrum. 615. b
Sanctus Tiberius Castrum. 648. c
Sanctus Martinus Castrum. 606. b
Sardias ciuitas in Dalmatia. 82. a
Sarlatium Monasterium nigrorum Monachorum. 652. b
Sarracenum Castrum. 621. b
Sauardunum Castrum de Dominio Comitis Fuxensis. 576. b
Sauerdunum Castrum in Diœcesi Tholosana. 621. c
Sauaricus Regis Angliæ Senescallus. 629. a. inimicus Ecclesiæ. ibid.
Sauaricus de Malleone, impugnator Ecclesiæ & Christi hostis. 604. b
Sautequant villa. 348. c
Saxiacum Castrum in Diœcesi Carcassonensi situm. 577. b
Scaldus fluuius. 212. a
Seditius Agathensis Episcopus. 768. a
Sein Fedyn Tocos Admiratus. 433. a
Semina amnis. 185. b. Salmone Ferax. ibid.
Senandone Mons. 531. c

Senebaldus

Senebaldus præsbyter Cardinalis. 341. a. postea Papa Innocentius IV. ibid.
Senex de Monte Dominus Arsacidorum. 351. a
Sequana flumen Galliæ sic suos transcendit alueos, vt duos pontes Parisius fregerit. 538. a
Seraamnis. 185. b. Salmone ferax. ibid.
Serritus Pastici miles strenuus. 698. b
Seueracum Castrum prope Rhuthenam. 653. c
Sicardus Hæresiarca. 669. a
Sicardus Dominus Podij, Laurentij. 600. a
Siciliæ Rex Andreas in Auersa interimitur. 895. b
Siciliæ Rex Carolus secundus Mariam filiam Regis Vngariæ vxorem ducit. 894. a. obit. ibid. c
Siciliæ Rex Carolus Monasterium ordinis Cisterciensis, vocatum sancta Maria de Regali-Valle in Diœcesi Nolana ædificari facit. 893. b. causa. ibid. ibi nulli Monachi nisi Gallici. ibid. c. fecit etiam ædificari Monasterium eiusdem ordinis Cisterciensis vocatum sancta Maria de Victoria in loco vbi Conradinum deuicit, vbi etiam nulli Monachi nisi Gallici. ibid.
Simon de Monte-forti Comes Leycestriæ Regis Angliæ sororius. 703. c
Simon sanctæ Cæciliæ præsbyter Cardinalis. 831. a
Simon sanctæ Cæciliæ præsbyter Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus in Francia. 459. b
Simon Comes Montis fortis in obsidione Tholosæ, vulneratus in capite petra missa de petraria, martyrio coronatur. 91. a
Simon sanctæ Cæciliæ præsbyter Cardinalis natione Gallicus, de Mont-pincem in Bria in Papam eligitur, & Martinus huius nominis IV. apellatur. 538. b
Simon Castellanus de Malpha miles. 602. a
Soldanus per Medicos suos Ludouicum nonum Regem sanari facit. 456. c
Sonno Antenoris filius. 17. a
Stephanus Episcopus Parisiensis executor testamenti Ludouici noni Regis. 440. b
Stephanus Regis Vngariæ filius filiam Ducis Bauariæ vxorem ducit. 895. b
Stephanus de Longo-Campo miles probus. 61. b
Stephanus Comes sacri Cæsaris castri. 72. a. illud olim tempore Iulij Cæsaris Auaricon vocabatur. ibid.
Surianum Castrum propè Viterbium. 538. a. ibi Nicolaus Papa moritur. ibid.
Sydon ciuitas. 434. c
Synay mons. 434. c
Syria regnum. 431. c

T

TABOR mons. 867. c
Taileburgum castrum. 338. a. super Aquam Charantæ situm. ibid.
Tallayrandus Cardinalis Petragoricensis. 895. c
Tanays fluuius. 68. c
Tara fluuius. 812. b
Thaneos fluuius. 354. c
Tancredus Rex Siciliæ. 75. c
Tanta fames in Hungaria, vt homines viui comederent mortuorum corpora. 340. c
Tarnus fluuius. 592. a
Taunaium castrum suprà voutonam. 337. c
Terma castrum. 586. c. in territorio Narbonensi situm. 587. a. distans quinque Leucis à Carcassona. ibid.
Terminis castrum. 675. a
Terræ motus in vrbe Roma ita magnus, quod Campana sancti Syluestri de capite per se pulsauerit. 362. a
Thabor mons. 359. b
Thanet Insula. 89. c
Theobaldus de Placentia Archidiaconus Leodiensis in Papam eligitur dum esset absens in transmarinis partibus apud Accon. 528. b
Theobaldus Comes Dapifer Francorum. 76. b. in obsidione Acharon moritur. ibid.
Theobaldus Episcopus Dolensis in Britannia. 532. c
Theobaldus Rex Nauarræ in villa Traparum obiit. 523. c. ibi sepeliuntur eius interiora in quadam Ecclesia. ibid. corpus vero apud Pruinum in Bria, in fratrum minorum Ecclesia tumulatur. ibid.
Theobaldus Abbas Vallium-Cernaij. 406. b
Theobaldus Comes Blesensis. 13. a. Princeps militiæ Regis. ibid. Franciæ Senescallus. ibid. Regis auunculus. ibid.
Theobaldus Rex Nauarræ gener Ludouici noni Francorum Regis. 784. c
Theodisius Canonicus Ianuensis vir multæ scientiæ, vir constantiæ mirabilis. 566. b
Thibaldus Comes, Franciæ Senescallus. 20. c
Thibaldus Comes Regis Francorum Senescallus. 33. c. in obsidione Accij moritur. ibid.
Thomas Archipræsul Cantuariensis exulat in Francia. 71. c
Thomas de sancto Valerio vir nobilis. 63. b
Thomas de sancto Valerio vir strenuus, & in armis potens. 62. a
Thomas Beheliuitanus Episcopus. 433. b. Apostolicæ sedis Legatus in Accon. ibid. postmodum Patriarcha Hierusalem. ibid.
Thomas Maurocenus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarcha. 804. c
Thomas Maurocenus designatus Patriarcha Constantinopolitanus. 277. c
Thomas Cantuariorum Episcopus sub Henrico Angliæ Rege patitur. 20. a
Thomas de Couciaco alto Francorum sanguine procreatus. 383. a
Thomas præsbyter Cardinalis tituli sanctæ Sabinæ. 260. c
Tileras castrum. 161. a
Tinqueneburgis regio. 234. c
Tirsacus Imperator. 275. c
Tornacum, vrbs. 212. a
Torz castrum. 338. a
Trancavillus Vice-Comes Biterrensis. 569. b
Trapera ciuitas in Sicilia. 704. c
Trincanellus Vice-comes Biterrensis. 765. a
Tripolis ciuitas. 434. c
Troia ædificata tempore Aiat Iudicis Israël quarti. 19. b
Troa Castrum. 27. c. incendio comburitur. ibid.
Tudelle castrum in Albiensi Diœcesi situm. 611. b
Tumetum castrum. 587. b
Turonica ciuitas à Turno fundata & sic denominata. 69. c
Turris Draconeti fortissima. 662. c. super Ripam Rhodani sita. ibid.
Tyber Romæ vrbis fluuius in tantùm suos transcendit alueos, quod super Altare beatæ Mariæ

rotundæ per quatuor pedes & amplius visus est excreuisse. 850.a
Tyrensis Archiepiscopus Regis Ludouici sancti procancellarius. 359.c
Tyris ciuitas. 434.c

V

VADVM Iacob, fortissima munitio Christianorum. 14.a. à Iudæis capitur. *ibid.*
Vacticum ciuitas in Gothia. 19. b. ibi terræ motus factus est anno Domini M. C. LXXXXV. *ibid.*
Valenciene oppidum in Comitatu Henoniæ. 58.a
Varille castrum propè Fuxum. 602.b
Vastachius Dei & Ecclesiæ inimicus. 344.b
Vastrachius Satrapa Græcorum. 408.b
Ventilo castrum. 586.b
Ventilon castrum in territorio Minerbensi. 582.a
Verdunum castrum. 621. b. super Garumnam fluuium situm. *ibid.*
Vergi castrum in Burgundia. 14.c
Vetulus Arsacidarum Rex. 35.c
Vetulus de Montanis Rex Arsacidarum. 332.a
Vice-comes Toarcensis à fidelitate Regis Francorum recedit. 48. c. Regi Angliæ confœderatur. *ibid.*
Vice Dominus Laudunensis Ecclesiæ pseudopropheta in Francia. 532.b
Victoria Abbatia iuxta Syluanectum. 66.a
Vigenna fluuius. 190.a. 214.c
Villanoua Archiepiscopi, villa. 410.b
Vinarli castrum in districtu Nouariensi constructum. 835.a
Viuaria ciuitas. 662.b
Viridepodium castrum. 592.a
Virso castrum in territorio Biturigum. 78.c
Vouentum castrum. 337.b
Vrbanus Papa quartus moritur. 24.c
Vrbs Auersa à Neapoli per octo milliaria distat. 896.c
Vrsellodunum oppidum in Aquitania florentissimum. 74. a. vulgò Eussodunum. *ibid.*
Vrsio Camerarius Philippi Augusti Francorum Regis. 720.b
Vualdius Lugdunensis homo. 557. b. ab eo vvaldenses hæretici dicti. *ibid.*
Vualterus Dominus de Auesnis. 721.c
Vveerdam castrum. 87.c
Vvillelmus de Rupibus Senescallus Andegauiæ. 64.c
Vvillelmus Barrensis flos militum. 59.b
Vvillelmus de Pissiaco miles. 577.b
Vvillelmus de mortuo mari. 59.b
Vvillelmus de Rupe-forti frater Bernardi Carcassonensis Episcopi. 602.a
Vvillelmus de Rupibus miles. 569.a
Vvillelmus Rhemensium Archiepiscopus. 5. b. Cardinalis tituli sanctæ Sabinæ. *ibid.* Apostolicæ sedis Legatus. *ibid.* Regis auunculus. *ibid.* 13.a
Vvulturnus fluuius. 838.b
Vxsellodunum castrum. 19.a

Y

YONA fluuius. 424.a
Yconium Turchiæ ciuitas. 346.a
Ydida mater Iosiæ. 444.c
Ymbertus de Bello-Ioco contrà Ecclesias Dei egreditur. 6.b
Ymbertus de Bello-Ioco miles, consanguineus Philippi tertij Francorum Regis. 528. c. Franciæ Constabularius. 534.a
Ypra ciuitas. 207.a
Ysabellis filia Balduini Comitis Hanoniæ prima vxor Philippi Augusti Francorum Regis. 258.a
Ysabellis Regina Franciæ, vxor Philippi tertij Regis dum quemdam fluuium subtus Martrenensem vrbem in Calabria pertransit absque nauigio, vtero prægnante grauida de equo in terram subito corruit. 524. b. in vrbem Cusantinam delata non multò post expirat. *ibid.*
Ysara fluuius. 202.b
Ytumna flumen. 223.b

FINIS.